R. P. M. FRANCISCI

BORDONI

PARMENSIS,

RELIGIONIS TERTII ORDINIS
Sancti Francisci in Prouincia Bononiensi
Prouincialis, & S. Officij Consultoris;

OPERVM TOMVS TERTIVS.

QVO CONTINETVR
VARIARVM RESOLVTIONVM
Pars Secunda.

CVM INDICIBVS NECESSARIIS.



LVGDVNI,
Sumptibus IOANNIS-ANTONII HVGVETAN,
& MARCI-ANTONII RAVAVD.

M. DC. LXV.
CVM APPROBATIONIBVS.

INDEX CONTENTORVM TOMI TERTII.

TITVLI RESOLVTIONVM.

79. *De*

VARIARVM

VARIARVM RESOLVTIONVM SEV CONSILIORVM REGVLARIVM, PRO VTROQVE FORO,

PARS SECVNDA.

DE SEPVLTVRIS.

RESOLVTIO LI.

De iure funerandi apud Regulares.

SVMMARIVM.

1 *Priuilegiis vtuntur sine speciali licentia Episcopi.*
2 *Ecclesia nondum benedicta capax cadaueris.*
3 *Suos sepeliendi ius habent.*
4 *Extraneos item.*
5 *Iure parochiali, si parochiam habent.*
6 *Iure item communi.*
7 *Iure etiam priuilegiorum.*
8 *Ecclesia, cœmeterium, & claustrum loca sepeliendi.*
9 *Iustitia parochialium in quo consistat?*
10 *Quarta funeralium cur sic dicta?*
11 *Religio, in cuius Ecclesia tumulatur sola soluit.*
12 *Iura obligantia ad solutionem regulares.*
13 *Priuilegia eximentia à solutione.*
14 *Concilium nil disponit de ædificatis post 15.23.*
15 *Pacta fiunt inter partes sine consensu maiorum.*
16 *Syndicus ad hæc requiritur apud Minores de obseruantia.*
17 *Parmæ soluitur Quarta à Regularibus.*
18 *Candela ad manus non subiiciuntur Quartæ.*
19 *Iure communi Quarta de omnibus relictis causa mortis debetur.*
20 *Solius pecuniæ, & ceræ circa corpus debetur portio.*
21 *Legata non subiiciuntur Quartæ.*
22 *Ornamenta non habent Quartam.*
23 *Quarta non debetur de officio in die obitus tantum.*
24 *Candelæ præmissæ pro Altaribus non subiiciuntur Quartæ.*
25 *Funeralia quæ dicantur.*
26 *Abusus quod tot inuitentur clerici, quot Religiosi.*
27 *S.C. Inuitantur ad funus destinati ab hærede.*
28 *Accessus ad funus priuilegium clericorum.*
29 *Responsiones duæ fauore regularium.*
30 *Responsio fauore Guardiani S. Secundi.*
31 *Episcopo debetur iure communi.*
32 *Nunc tamen debetur ob exemptionem.*
33 *A lege iurisdictionis, & diœcesana exempti.*
34 *Quarta non satisfacit per æquiualentiam, vel remissionem hæredum.*
35 *Portelli opinio reiicitur.*
36 *Quarta est ex propriis ecclesiæ de bonis defuncti.*
37 *Quarta præscribi potest spatio 40. annorum.*
38 *Interdicto parochiali defectu Curati non debetur.*
39 *Censurato vitando non debetur.*
40 *Absenti legitimè debetur.*
41 *Curato priuato non debetur.*
42 *Ecclesiæ vacanti debetur.*
43 *Recusante Curato Regulares promouent funus.*
44 *Licet recuset ob non acceptam mercedem.*
45 *Petere non potest Quartam immediatè ab hæredibus.*
46 *Recusanti leuare corpus non debetur Quarta.*
47 *Gerenti vices curati non debetur.*
48 *Habitu amicti sepeliuntur apud regulares eius habitus.*
49 *Habitus conceditur à Superiore.*
50 *Petitur etiam ab hæredibus pro defuncto.*
51 *Tegi non potest cadauer à Curato eludendo regulares.*
52 *Declaratio sepulturæ regularis in traditione habitus subintelligitur.*
53 *Indutio habitus inscio Superiore, ratificari ab illo potest.*
54 *Occultè non potest sepelire insciis regularibus.*
55 *Concedentes cadauer Curato priuilegia non perdunt.*
56 *Habitus reiici non potest à Curato, vel hæredibus.*
57 *Statutum negatiuum electionis sepulturæ nullum.*
58 *Cogere non potest, vt cadauer prius deferatur ad Parochialem.*
59 *Viam ordinat Curatus.*
60 *Resistente parocho funus prosequuntur cum eo.*
61 *Non vero contradicente hærede.*

62 *Parochiam omnes accedunt.*
63 *Procedit vsque ad portam ecclesiæ.*
64 *Mediolanenses finiunt officium in ecclesia.*
65 *Parmæ vsque ad portam.*
66 *Hæres eligit sepulturam defuncto.*
67 *Hæres vniuersalis habet iura sepulchri.*
68 *Non perdunt ius annuendo vni, vel alteri.*
69 *Curato prohibente non perdunt priuilegium*
70 *Legatum debetur, licet conditione non impleta.*
71 *Sepulturam factam nullis aliis eradere possunt.*
72 *Memoriæ sepulchrorum delendæ non sunt.*
73 *Vendi non potest sepultura.*
74 *Quomodo id intelligatur.*
75 *Calix venalis est.*
76 *Sepultura quo ad circumstantiam venditur.*
77 *Ius sepulturæ duplex actiuum, & passiuum.*
78 *Benedictione ecclesiæ sunt benedicta etiam sepulchra.*
79 *Pactum vt extranei non sepeliantur licet.*
80 *Et seruandum est.*
81 *Capella particularis excludit aliena sepulchra.*
82 *Christus elegit alienam sepulturam.*
83 *Patronus agit de exterratione alieni cadaueris.*
84 *Moniales habent ius sepeliendi.*
85 *Superior localis cum suo conuentu concedit vsum sepeliendi.*
86 *Alienatio non est concessio sepulturæ.*
87 *Parmensis ecclesia non concedit sine Episcopo, vel Vicario.*
88 *Melius sepeliri in regularibus.*
89 *Habitu regulari sepulti lucrantur indulgentiam plenariam.*
90 *Transferuntur de loco ad locum cum licentia Episcopi.*
91 *Sine tamen respectu eiusdem ecclesiæ.*
92 *Parmensis requirit licentiam in hoc.*
93 *Excommunicati sunt vsurpantes Quartam.*
94 *Sepultura priuantur multi.*
95 *Excommunicatus nominatim.*
96 *Notorius excommunicatus quis sit?*
97 *Minori excommunicatus est capax.*
98 *Interdictus personaliter caret.*
99 *Et generaliter.*
100 *Interdictum locale priuat sepultura.*
101 *Persona non interdicta alibi sepeliuntur.*
102 *Clerici sepeliuntur in ecclesia licet interdicta.*
103 *Contra opinionem aliquorum resectam.*
104 *Religiosi sepeliuntur in sua ecclesia interdicta.*
105 *Clerici, & ecclesiastici nomina idem.*
106 *In festiuitatibus certis datur sepultura.*
107 *Priuilegia regularium tempore interdicti.*
108 *Tertij ordinis priuilegium tempore interdicti.*
109 *Trident. aduersans priuilegium non tollit sine derogatione secundum quosdam.*
110 *Cadauera inferuntur cessante interdicto.*
111 *Occidentes seipsos carent sepultura.*
112 *Morientes in duello semper carent.*
113 *Insumitur localiter, & causaliter.*
114 *Peccator manifestus caret sepultura.*
115 *Nomina verbalia verificantur per primum actum.*
116 *Paschate non communicantes carent sepultura.*
117 *Contritionis signa.*
118 *Infantibus sine baptismo negatur sepultura.*
119 *Dubia quinque super prædictis de carentibus sepultura.*
120 *Catecumenus sepelitur in loco sacro.*
121 *Eisdem Missa quando non celebranda.*
122 *Casus omnes priuantes sepultura reducuntur ad prædictos.*
123 *Signa contritionis, & pœnitentiæ idem importans.*
124 *Quænam sint.*
125 *Sententia prius ferenda quam sepeliatur extra locum sacrum.*
126 *Pœna grauis priuatio sepulturæ.*
127 *Episcopi est decidere casus sepulturæ.*
128 *Religiosi verò eius superior.*
129 *Qui priuantur sicut seculares.*
130 *Proprietas priuat sepultura.*
131 *Debet esse de re notabili.*
132 *Peculium omne pecunia æstimabile.*
133 *Proprietas debet esse notoria, & declarata.*
134 *Pœnitentia excusat ab hac pœna.*
135 *Protestatio non releuat à proprio maxime.*
136 *Reformates cuiusuis ordinis.*
137 *Occultus tolerandus est.*
138 *Sterquilinij nomine venit omnis locus profanus*
139 *Partem peculij cum eo sepeliri sufficit.*
140 *Indefinita, & vniuersalis quid importent.*
141 Inuenta fuerit *quid importet.*
142 *Sepeliens indignos peccat mortaliter.*
143 *Hæreticos & alios sepeliens est excommunicatus.*
144 *Excommunicati sunt sepelientes in certis casib.*
145 *Sepelire qui dicantur.*
146 *Temerarius sepultor quis dicatur?*
147 *Excommunicatio non incurritur nisi effectu sequute.*
148 *Ecclesiastica sepultura quid veniat?*
149 *Curatus sepeliens extra non incurrit.*
150 *Excommunicatio Clem. incurritur tantum in quatuor casibus*
151 *Hæreticum sepeliens vtrumque incurrit.*
152 *Sepeliens dictos prohibetur ab ingressu Ecclesiæ.*
153 *Vsurarios sepelientes suspensi sunt ab officio.*
154 *Pœnis afficiuntur religiosi sepelientes in casibus prohibitis.*
155 *Qui importat omne genus personarum.*
156 *Excommunicatione, an priuatio sepulturæ maior pœna?*
157 *Religiosi non eligunt sepulturam:*
158 *Neque superiores nisi intra eorum iurisdictionem.*
159 *Remoti sepeliuntur vbi eligunt.*
160 *Aliter in parochia vbi decedunt.*
161 *Remotus ille dicitur qui eodem die inferri non potest.*
162 *Nouitij, & alij eligunt sepulturam.*
163 *Alias sepeliuntur apud religiosos.*
164 *Secularis qui non elegit sepulturam sepelitur in parochia.*
165 *Parochia vocatur regularis Ecclesia.*
166 *Parochia est regimen animarum.*
167 *Tertiarij gaudent sepultura regulari.*
168 *Peregrini sepeliuntur apud religiosos, si ibi moriantur.*
169 *Fratres dicuntur omnes fideles.*
170 *Extra morientes Fratres inconsultis parochis sepeliuntur.*
171 *Ab illis tamen recipiunt Sacramenta.*
172 *Interdicti tempore suos sepeliunt.*
173 *Tertiarii non sepeliebantur tempore interdicti.*
174 *Nouitius sepelitur expensis propriis si habet.*
175 *Magistri efferuntur processionaliter extra.*
176 *Processiones fiunt sine licentia.*
177 *Inducere ad electionem sepulturæ non possunt.*
178 *Sub pœnis præsertim excommunicationis reseruata.*
179 *Dubia referuntur super dictis pœnis.*
180 Inducere *quid importet.*
181 *Inductio cum promissione, & electione exigitur.*
182 *Inducens ad electionem in aliena excusatur.*
183 *Inductus alibi sepulturam eligere non potest.*
184 *Inductus per testamentum non subiicitur.*
185 *In sepultura electa adhuc sepelitur, si erat de iure.*
186 *Ius sepeliendi inductum perditur, non respectu aliorum.*
187 *Sacrilegus est alibi eligens sepulturam.*
188 *Soli professi, & clerici habentes Ecclesias incurrunt.*
189 *Religiosi non veniunt sub nomine clericorum in pœnis.*
190 *Religiosi professi, & clerici habentes Ecclesias subduntur.*

191 *Decen*

QVIDAM secularis in suo testamento sibi sepulturam elegit apud Regulares nuper in ciuitate receptos, vbi Ecclesiam, & Monasterium de licentia Episcopi, & aliorum, ad quos spectat de nouo fundarunt, in qua diuina officia nondum celebrata fuerunt, neque aliquod cadauer sepultum. Curatus, in cuius Parochia defunctus reperitur, prædictæ electioni resistit allegando pro se plura contra Regulares, præcipue; & quod ea Ecclesia nondum sit benedicta; & quod illi religiosi nuper vrbem ingressi, licet de licentia ordinarij, non ideo tamen adhuc obtinuerunt specialem facultatem ab Episcopo sepeliendi, imo neque fundandi sepulturas in dicta eorum Ecclesia, quæ sine speciali licentia Episcopi in Ecclesiis etiam Regularibus construi non possunt. Quæsitum fuit, an hi religiosi habeant ius sepeliendi, non obstantibus à Parocho adductis.

2 Resp. Ille defunctus sepeliendus est in ea Ecclesia regulari, in qua dum viueret elegit sibi sepulturam, quia illi religiosi habent ius sepeliendi quascumque personas, quæ possunt eligere sepulturam; nam quando Regulares seruatis seruandis, de nouo recipiunt aliquem locum conuertendum in proprium vsum, monasterium, & conuentum iuxta Apostolicas constitutiones, & priuilegia, consequuntur quascumque gratias, & indulta concessa alias religioni, ita quod ea religio de nouo recepta speciali aliqua licentia non indiget episcopi loci vtendi suis priuilegiis in ciuitate, vel diœcesi episcopi concedentis, quia priuilegia vt sic religioni conceduntur, & non prout habet loca in hac, vel illa ciuitate, maxime huiusmodi priuilegia vniuersalia, vt sunt iura mendicandi, sepeliendi, prædicandi, &c. quæ locum non respiciunt in sui concessione. Quare cum inter priuilegia regularibus concessa reperiatur ius sepeliendi cadauera defunctorum, vt mox probabo *q.2.* sine dubio dicti religiosi protegendi sunt ab impetitione Curati.

Neque obstant adducta, nam in Ecclesia nondum benedicta quis sepeliri potest, eo enim casu sufficit, si noua sepultura benedicatur iuxta Rituale Romanum Pauli V. in quo habetur oratio benedictionis, in benedictio enim tantum videtur obstare; si enim quis in loco minus religioso, *cap. Cum quis §. si quis, de sepult. in 6.* & intra claustra religiosorum sepeliri potest, eo magis in Ecclesia authoritate Episcopi fundata licet nondum benedicta: Præterea reus gaudet immunitate Ecclesiæ nondum perfectæ constructæ, neque benedictæ, *vt docent Host. Ioan. Andr. Anchar. Cardin. & alij apud Peregr. Teatin. c. 4. de Immun. n. 47.* ergo & cadauer, quod magis meretur frui eo priuilegio, quam reus, inferri potest. Demum ex adducta ratione pro probatione responsionis nostræ constat non requiri specialem licentiam Episcopi sepulturam construendi, & in ea sepeliendi, cum id consequatur concessione receptionis loci.

Quæres autem 1. nam apud regulares sit ius sepeliendi suos religiosos intra eorum Ecclesias? Videtur enim quod non, quia legitimus de F. Reginaldo socio S. Dominici, ipsum sepultum fuisse in Ecclesia S. Mariæ de Campis, Maluenda sub anno 1219.

3 Resp. Sine dubio omnes religiones habent ius, & illud antiquissimum sepeliendi in propriis Ecclesiis suos religiosos, quod probatur *c. 1. 16. qu. 1.* ibi. *Nisi monachum in monasterio secum morantem, vel si fortuito quemquàm aduenientium fratrum ibi mori contigerit.* Ratio est, quia vnusquisque parochus habet ius sepeliendi in propria Ecclesia suos parochianos, nisi alibi eligant sepulturam *Cap. in nostra, de sepult. cum la glos. final. c. 1. 13. q. 2.* Sed superior localis dicitur proprius sacerdos, & parochus iuxta *cap. Omnis 12. de Pœnit. Faber disp. 25. de pœnit. num. 89.* & Ecclesiæ regulares dicuntur parochiales quo ad ipsos religiosos, arg. eorum, quæ docent *Gennens. in sua praxi Neapol. capitulo 92. in fine;* ergo de iure non solum priuilegij, sed etiam communi possunt sepelire suos religiosos. Et sic concedit Greg. X. in sua Bulla. *Ita nobis. Firmam part. 2. tract. 2. fol. 52. Lauur. tit. 2. capitulo 11. numero 90. & seq.*

Quæres 2. Quo iure Regulares possent sepelire corpora extraneorum in propriis Ecclesiis? Id enim videtur esse ius propriũ parochialium, & habentium populum subditum, & vbi soluuntur decimæ *c. Vbicumque 6. 13. quæst. 2. Glos. ver. Sepulturam, Clem. Dudum, de sepult. & in 6. super cap. 1. ibi doct. & cap. 1. de pactis.* Religiosi autem ex eorum instituto non habent Ecclesias parochiales, neque populos sibi subditos, neque illis decimæ soluuntur, ergo nullum ius sepeliendi habent.

4 Resp. Regulares habent ius sepeliendi, non parochiale, nisi habeant parochiam, sed priuilegiatum iure communi, & iure priuilegij, respectu quorumcumque volentium sepeliri in eorum Ecclesiis, vel inibi sepulturam habentium.

5 Primum, de iure parochiali constat, eos non habere illud, nisi parochiam habeant, & in eo casu æquiparantur aliis Parochis, & Curatis, vnde quod dicitur de Curatis secularibus, idem pœnitus iudicandum est de regularibus, non enim diuerso iure censendi sunt, qui eiusdem iuris sunt, ex vulgatis iuribus.

6 Secundum, de iure communi, patet *c. Vbicumque 6. 13. q. 2. Cap. Agapitus 13. 16. q. 1. clem. Dudum, de sepult.* primi duo sunt Monachorum, tertius Dominicanorum, & Franciscanorum primi ordinis; & per communicationem priuilegiorum extenduntur ad quoscumque regulares; immò illud primum caput

est communne omnibus institutis regularium tam virorum, quam monialium. Neque obstat c. *Placuit* 8. 16. q. 1. vbi munus sepeliendi prohibetur monacho; quia habet locum, vbi monachus egreditur monasterium, & quasi iure proprio vult funus ducere.

7 Tertium, de iure priuilegij extra ius commune patet ex Bullis diuersorum pontificum. Gregorius XI. constit. Virtute conspicuus. Dat. anno 1274. ad verbum inserta in Marimagno Sixti IV. apud Confect. pag. 59. ita concedit. *Sepulturam quoque in locis, cameteriis, & ecclesiis vestris concedimus, & eam liberam esse censemus, vt eorum deuotioni, & extrema voluntati, qui se illic sepeliri deliberauerint, nisi excommunicati, vel interdicti, aut etiam publici vsurarij fuerint, nullus obsistat, salua tamen iustitia illarum ecclesiarum, quibus mortuorum corpora assumuntur, districtius inhibentes, vt ulli religiosi, vel seculares vobis inuitis, aliquorum corpora defunctorum in vestris cameteriis sepelire, aut in ecclesiis vestris missarum solemnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca vestra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare sine vestro assensu, & voluntate prasumant.* Quod idem Sixtus ibidem, & in Bulla Aurea, apud eundem pag. 69 confirmauit pro tribus ordinibus S. Francisci, nempe primæ Regulæ, S. Claræ, & Tertio ordine nostro. Quæ priuilegia Pius V. pro omnibus ordinibus Mendicantium confirmauit sua constit. Et si Mendicantium 41. in Bulla noua, & testatur Lauor. tit. de funer. cap. 9. n. 10. Et id ratione conuenienς est, quia religiosi operibus misericordiæ, & pietati studentibus, & vt cnaditorribus Curatorũ *Nau. cons. 7. de priuil. n. 14.* debetur aliqua merces, & eleemosina ex ea, quæ alias deberetur ipsis Parochis, cũ quibus sicut sunt consortes laborum, ita & participes esse debent bonorum temporalium.

Colliguntur ex priuilegio allato plura. Primo, tria
8 genera incorum habere ius sepulturæ, Ecclesiam, cæmeterium, & loca regularia, nempe, intra septa monasterij, nam plerique monachi sepeliuntur in primo claustro, & locis cohærentibus apud Dominicanos, & Franciscanos præcipuè. Secundo, excludi à sepultura tria personarum genera, excommunicatos, interdictos, & publicos vsurarios, de quibus infra sub q. 43. Tertio, hoc ius sepeliendi non debere præiudicium afferre iustitiæ Curatorum, in quo consistat eorum iustitia dicam *q. seq.* Quartò, contradicentibus ipsis Regularibus nullus potest sepelire in eorum Ecclesiis, neque exequias celebrare.

Quæres 3. Quid intelligant summi pontifices per illam clausulam. *Salua tamen iustitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.*

9 Respond. Venit portio aliqua eorum bonorum, quæ reliquit defunctus, siue sit tertia pars, siue media, siue quarta, vel alia iuxta rationabilem consuetudinem regionis, vt respondit Clemens III. *c. Certificari 9. de sepult.* Eodem nomine veniunt alia etiam iura, cuiusmodi sunt administratio Sacramentorum Eucharistiæ viaticæ, & extremæ Vnctionis, leuatio cadaueris è domo, &c. Hæc autem Portio Canonica vocatur, quia à sacris cannonibus constituta fuit. Et de ea videndum est, an soluenda sit à Religiosis Curatis, vnde.

Quæres 4. An hæc Canonica portio à Regularibus
10 soluenda sit? Vocatur etiam quarta funeralium, quia datur solum quarta pars in pluribus locis eorum om-
11 nium, quæ in funere adhibentur. Et hanc solam tenentur dare illi religiosi, ad quorum Ecclesiam defertur cadauer sepeliendum, iura enim de ea faciunt mentionem præcisè in ordine ad sepulturam, ergo respectiuè ad eos regulares; apud quos sepelitur cadauer, & non alij religiosi, qui inuitati associant cadauer ad sepulturam *ex glos. ver. Quartam Clem. Dudum citata.*

Respond. De iure communi sine dubio soluenda est, iure tamen priuilegij sunt exempti, iuxta quod dicetur §. *Secundum*, ex consuetudine, & pactis solutum.

12 Primum aperte constat *c. Officij 14. c. Requisiti 15. de testam. c. Relatum 2. c. De iis 4. c. in nostra 10. de sepult.* in quibus solis agitur de religiosis subiectis quartæ portioni Canonicæ; & capreslus *in Clem. Dudum de sepult.*

13 Secundum, primus omnium Gregor. XI. & cum illo Martinus V. & Eugen. IV. iuri communi, & in specie prædictæ Clem. Dudum, derogantes, simul cum Sixto IV. in suo Marimagno supracitato exemerunt Dominicanos, & Ordines tres Minorum, inter quos computatur Tertius Ordo, à solutione quartæ portionis, quod idem præstiterunt reliqui summi pontifices Sacrum Concil. huiusmodi exemptionem temperauit, derogando dictis priuilegiis, ita quod decreuit, vt illi conuentus fundati ante annum 1523. qui ante illud tempus solebant soluere quartam funeralium, prosequantur earumdem solutionem, secus autem, si ante dictum tempus non soluerunt *capit. 13. sess. 25.* super quod *capitulo Sacra Congregatio declarauit non extendi etiam* ad monasteria ædificata, post illud tempus, & in posterum ædificanda, *Rodr. tom. 1. quæstione 39. art. 2. cum suo Compend. resol. 18. numero 1. Lezana capit. 2. numer. 13.* citans indultum Pauli V. pro sua religione. *Salu. in fine summa, de quarta funer. capit. 1. referendo plura priuilegia. Portel. ver. Portio Canonica, Mirand. tom. 2 quæst. 48. art. 7. plura adducit Lauor. tit. 2. de funer. capit. 4. numero 181.* fauore, & contra Dominicanos. Monasteria ergo ædificata ab illo anno 1523. deinceps, & ædificanda in posterum nequaquam tenentur soluere canonicam portionem, eorum priuilegiis adhuc durantibus, cum de illis non loquatur Tridentinum, sed tantum de fundatis, & erectis ante illud
14 tempus, si tamen ante illud tempus solebant illam soluere. *Compend. resol. 18. n. 2. 8. & 21. Mirand tom. 2. q. 48. art. 7. 8. & 9.*

15 Tertium, quod ea introducta consuetudine, & conuentionibus inter regulares, & parochos soluatur, practicatur multis in locis Italiæ, quod originem habuit ex pactis inter eosdem initis, de quibus Sixtus IV. in suo Marimagno, ibi: *Conuentiones, si que sunt inter Fratres predictos, & locorum ordinarios, ac Ecclesiarum rectores inita laudabiles, & honesta in posterum obseruentur.* De quibus etiam in iure communi *capitule 1. & 3. de Pact. in 6.* vbi Bonifac. VIII. huiusmodi pacta cum Rectoribus Parochialium à monachis, & Regularibus initas omnino seruari mandauit. Conuentiones autem huiusmodi ineundæ sunt à superioribus localibus cum suo conuentu absque licentia superioris maioris, aut approbatione facta in eorum capitulis, vt expresse habetur *in citato c. 3. de pactis in 6. Portellus v.*
16 *Canonica portio n. 9.* asserit pro Minoribus de Obseruantia in dictis pactis, requiri consensum Syndici, aliàs nullius sunt roboris, ea ratione, adde, quia Minores sine illo nullum contractum inire possunt, ex Bulla Martini V. *apud Bullar. Rodr. fol. 92.*

17 In hac ciuitate Parmæ practicatur solutio quartæ, nam Religiosi illi, ad quorum Ecclesiam cadauer infertur, Parocho defuncti soluunt quartam partem eleemosinæ pecuniariæ, & candelarum circa cadauer, & præterea nihil aliud. Alij verò religiosi funus prosequentes exempti omninò sunt ab huiusmodi solutione. Non est vsus dandi ad manus candelas singulis religiosis nisi rarò, & in funeralibus magno-
18 rum diuitum, tunc eo casu de illis non debetur quarta; tum quia rarò accidit, & sicut ad ea, quæ rarò eueniunt, lex non aptatur *l. Nam ad ea ff. de leg.* Ita neque consuetudo, cum sit altera lex: Tum quia totum corpus monasterij subijcitur huic solutioni, non autem singuli religiosi vt sic, quibus ideò sigillatim tribuitur candela, ac si illorum esset propria, vnde quandoque superiores illas singulis concedunt. *Sic docent. Confess. tit. de sepult. capit. 1. in fine, cum ce Megal. 1. 2. l. 2. capit. 13. n. 12. &* habet hoc expressè extr. com. 1. de sepult. ibi: *De candelis verò, quas fratres portant,* portio

portione non petatur. Laner. tit. 2. cap. 3. n. 178. ubi alios citat. Nec obstat, quod hæc extrauagans fuerit annullata per Clem. Dudum, quia cum sit in iure registrata, suam habet subsistentiam, in quantum non aduersatur illi, non censetur autem contraria quo ad solutionem quartæ, eum vtrobique præcipiatur, cum exclusione dictarum candelaruoi, quæ non veniunt sub eo nomine, & sufficienter colligitur ex aduersatiua. *De candelis verò* arg. eorum quæ de dictione *verè* aduersatiua tradit *Bart. in l. omnes populi, de iust. & iure.*

Quæres 5. Quid veniat sub nomine Canonicæ portionis, seu quartæ funeralium, quæ soluenda est à regularibus Parochis, siue de iure, siue ex vsu, & consuetudine?

Respond. iure communi nomine portionis canonicæ, seu funeralium veniunt ea omnia quæ testator, causa mortis, reliquit monasterio, & quæ expenduntur causa funeris. De iure vero priuilegij, & probatæ consuetudinis, veniunt solùm duo nempe Quarta eleemosinæ pecuniariæ, & quarta pars candelarum, seu cereorum, quæ deferuntur circa corpus ad sepulturam deducendo.

19 Primum constat ex *c. officij 14. c. Requisisti 15. de test.* vbi quarta de relictis monasteriis debetur episcopo. *Cap. Relatum. 2. de sepult.* Quarta eius, quæ conuertitur ad monasterium, debetur Parochiali, *cap. De his 4. cap. In nostra 10. de sepult.* Sed hæc abierunt in dissuetudinem, forsan nunquam executioni demandata fuerint, vt notat *Silu. in opuscul. de quarta funer. in fine sua Summ. cap. 2. §. Nec abs re.* Ratio potest esse, quia quilibet testator, regulariter loquendo, legata relinquit ferè sem per cum onere, aut missarum, aut fabricæ, aut alterius operis pij, & eo casu cessat debitum quartæ, vt expressè habetur *cap. fin. de testam.* Et id est ratio differentiæ, cur nunc vigeat quarta de pecunijs, & cereis præcisè, vt dictum fuit *praecedenti q. n. 17.* quia hæc nulli subijciuntur oneri, sicut legata, quod patebit magis *sequenti numero.*

20 Secundum, quod nunc iure priuilegij, & vsu veniant solum illa duo, constat & ex illo *cap. in de testam.* & ex Benedicto XI. *extr. com. t. de sepult ibi: Funeralia verò intelliguntur hoc casu, quæ cum funere deducuntur,* pecunia autem relicta, aut domus, vel aliud immobile, seu mobile relictum pro anima defuncti, seu ad fabricã, vel alio modo, seu gratis non intelligitur sub nomine funeris, quod fuit his constare potest. Confirmatur ea *cap. In nostra 10. de sepul. ibi: Solam tantummodò quarta parochialis ecclesiæ, de cuius parochia mortuorum corpora assumuntur, præterquam de equis, & armis, quæ indulta sunt ipsis, &c. Mirand. tom. 2. q. 48. art. 8.*

21 Colligitur hinc, Quartam non deberi delegatis, siue relictis cum onere, siue non, quia non veniunt sub nomine funeris, cum sæpe fiant huiusmodi legata sine

22 nullo ordine ad funus, Neque de aliis ornamentis, quæ deferuntur circa corpus dum effertur sepeliendum, cuiusmodi sunt indumenta circa feretrum, vel personarum deferentium cadauer, vt libri circum doctoris cadauer; hæc enim sunt accidentia funeris, magis spectantia ad seculares ob põpam, quam ad ecclesiasticos ob cultum diuinum. Silu. tit. cap. 3. & hoc posterius certum est, quia prædicta non ceduut in vtilitatem ecclesiasticorum, sed ex vsu restituuntur hæredibus defuncti. Prius verò constat ex supradictis, non obstan se Clem. Dudum, ob subsequentes Pontifices, & in specie Pium V. qui in sua constit. *Et si Mendicantium,* pro omnibus Mendicantibus, de mente Sacri Concilij declarauit Quartam non deberi delegatis, ministris, & quibuscumque aliis relictis, aut donatis ipsis regularibus.

Quæres 6. An Regulares teneantur soluere quartam pecuniæ, candelarum, & ceterorum, quæ à consanguineis defuncti traduntur religiosis, postquam cadauer collocatum fuit in ecclesia regulari vbi tumulandum est, & interim corpore super terram existente celebrantur missæ, & officium pro ipso, candelis accensis super altaribus, & circa corpus?

23 Respond. Ad nihil horum teneutur, non ad quartam pecuniæ datæ pro celebratione missarum, quia stipendium taxatum pro singulis missis debitum est celebrantibus, ergo æquum non est, vt aliquod detrahatur eorum labori, & tradatur curato, qui non laborauit in hoc; præterquam quod id est contra Decreta de celebr. miss. per quæ prohibitus diuisio stipendij, quod totum aduenire debet celebranti. Quod idem dic de eleemosina data pro cantu officij in choro, debetur enim solis cantoribus, & assistentibus choro tamquam stipendium suorum laborum, & æquiparatur distributionibus, quæ solis interessentibus, & recitantibus debentur. Non ad quartam candelarum su-

24 per altaribus, vel earum, quæ circumstant cadauer, vel deferuntur ad Absolutionem, quia hæc sunt extra rationem funeralium, de quibus debetur canonica portio, nam nomine funeralium veniunt solùm ea, quæ cum funere deducuntur, *per Extrau. com. t. Benedicti XI.* sed funus non dicitur deduci, postquam in ecclesia cadauer collocatum est, vbi sepelendum est, nam deductio importat motum, qui cessat per depositionem corporis defuncti in ecclesia, ergo huiusmodi funerum nomine non veniunt cum non sint coniuncta cum deductione funerali. Nec vrget, si dicas, funus tunc absolui, & perfici, quando traditur cadauer sepulturæ, consequenter celebratum officium pro illius anima, cuius cadauer nondum est sepulturæ consignatum, spectat ad funeralia. Quia respondetur, cum huiusmo-

25 di officia, cadauere existente; adhuc super terram, contingentia sint, & non necessario coniuncta cum funeris deductione, obstare non possunt nostræ responsioni, quæ loquitur de iis, quæ regulariter coniuncta sunt cum deductione funeris, & non per accidens, quæ sicut lex non considerat, ex vulgatis iuribus, ita in casu nostro eorum ratio habenda non est. *Vide Megal. t. 2. lib. 2. cap. 13. num. 15. Pasqual. ad Francum par. 1. num. 29. §. 2. dubitatur.* Colligitur ex dictis, nec deberi quarta de panibus, quæ traduntur singulis religiosis deferentibus illos in processione, quia de pane currit eadem ratio, quæ facit pro candelis ad manus singulorum Fratrum consignatis, nam panis spectat ad illorum alimentum, & non pertinet ad funus. Idem dic de quacumque alia eleemosyna grani, vini, olei, &c. quæ distribuuntur Fratribus Oratione Defuncti, hæc enim sunt extra rationem funeris, cum funus regulariter deducatur sine illis, vt notum est experientia.

Quæres 7. An vsus introductus ab aliquibus Curatis, immò omnibus in plerisque ciuitatibus, ne hæredes defuncti, vel alij, ad quos spectant expensæ funeris, possint inuitare regulares ad deducendum funus, nisi etiam inuitent tot clericos seculares, quot regulares, sit licitus, & rationabilis? An potius abusus, & in præiudicium religiosorum?

26 Respond. Talis vsus est irrationabilis, & parum præiudicialis non solùm religiosis, sed etiam animæ defuncti. Probatur I. quia id est mittere manum in crumenam alienam, quod est contra Iustitiam; impensa enim funerum non spectat ad Parochum, sed ad hæredes defuncti *l. 1. ff. de relig. & sumpt. fun.* ergo conuocatio ad funus facienda est iuxta voluntatem hæredum, non arbitrio Curati, vt expressè habet Synodus nouissima Parm. tit. 40. de sepult. vbi præticatur, illis verbis: *Quare qui habebit onus inuitandi, non admittet, nisi clericos à se inuitatos, iuxta hæredis defuncti voluntatem.* II. Talis abusus quandoque est contra mentem testatoris, si in vltima voluntate testamento, vel voce disponat, vt suum corpus deferatur ad sepulturam cum cruce taliũ regulariũ, tunc si hæredes non possunt facere tot expensas, admittendo tot clericos seculares, quot regulares, sine dubio frustrabitur mens testatoris, neq; eius voluntas, quæ omnibus modis, ex vulgatis ioribus, seruãda est, adimplebitur. III. Iste abusus in causa est,

vt minoribus suffragiis iuuetur anima defuncti, omittendo Religiosos, cũ hæredes non possunt assumere tot clericos seculares ob paupertatem. IV. Ista pragmatica fundata est in auaritia, & quadam negotiatione, hoc enim modo pluseleemosynæ illis obueniunt prætextu exclusionis regularium, hoc enim audito, insinuant Curato, vt paucis negotium expediat. V. Regulares per hanc praxim defraudantur, in eleemosynis, cum ex hoc dicantur Mendicantes, sæpè enim non vocantur, imò rarissimè, quamuis aliàs sæpissimè inuitarentur, si à Parochis non cogerentur augere numerum Clericorum parem regularibus. VI. Sacra Congr. Episcopo Laud. 27 20 Aug. 1601. respondit, Curatum non posse conuocare ad funus alios sacerdotes, quam destinatos ab hærede mortui, *apud Barbosam Bull. v. Heres, & Lauor. tit. 2. cap. 3. n. 102. vbi n. 103. subdit*, Episcopum non posse constringere hæredes defuncti, vt in funere conuocent clericos ecclesiæ parochialis tantum, aliis exclusis, cum per hoc videatur restringere ecclesiasticam libertatem, Rota in vna Caligur. fun. 28. Iun. coram Ora- 28 no. Et hunc abusum tamquam contra liberratem ecclesiasticam reiicit. *Silu. v. Immun. 2. q. 9.* cum inuitari ad funeralia sit priuilegium totius Cleri, vnde nullus excludendus est directè, aut indirectè, vt per hunc vsum excluduntur Religiosi. *Peyrin. tom. 3. cap. 4. n. 7. & tom. 1. ad constit. 10. Leonis X. n. 2.* Demum pro nostra responsione contra dictam praxim facit Bulla Vrbani 29 VIII. relata à Peyrino *tom. 3. priuileg. pag.* 374. in qua confirmat responsionem Sacræ Congregationis, quæ primo censuit, non licere Parochis, impedire contra voluntatem hæredum defunctorum, ne regulares vocati ad funus corpora defunctorum ad quascumque ecclesias deferenda, vna cum Parochis, & clericis, processionaliter associent. Secundo censuit, Curatos non posse cogere hæredes, seu executores testamentarios, vt pro defunctis, qui tumulantur in ecclesiis regularibus in ecclesiis etiam parochialibus celebrare faciant officia nouenalia, & anniuersalia, prout celebrantur in ecclesiis regularium, in quibus cadauera sepeliuntur, quod etiam decisum fuit à Rota *apud Tambur. tom. 3. decis.* 8. Dicta autem Bulla data ad instantiam Procuratorum Generalium ordinum Prædicatorum S. Francisci, Sancti Augustini, & Carmelitarum Discalceatorum, incipit. *Nuper pro parte.* Dat. die 25. Iun. 30 1633. Prædictam responsionem secundam, petente patre Guardiano S. Mariæ extra S. Secundum in Diœcesi Parmensi, eadem Sacra Congreg. dedit sub die 19. Nouembris 1633. Quam legi typis Laurentij Taliaferri expressam Guastallæ dicto anno. Quod antea Sixtus IV. in suo Marimagno clare expresserat, vt videre est apud *Confect. pag. 64. & apud Peyrin. tom. 3. cap. 31. n.* 19 Et pro maiori corroboratione prædictorum emanarunt litteræ Octauiani Raggij, quas vide in huius resolutionis calce.

Quæres 8. An quarta debeat Episcopis à Religiosis?

31 Respond. De iure communi olim debatur; nunc autem post exemptionem nequaquam debetur. Primum suadetur *ex cap. Conquerente 16. de off. ordin. cap. Officij 14. cap. Requisisti 15. de testam. cap. Relatum. 2. cap. De his 4. cap. In nostra 10. de sepult.* vbi expresse dicitur, quartam de relictis monasteriis deberi Episcopo. Eo igitur tempore subiectionis debebatur de mortuariis, & relictis in vltima voluntate locis ecclesiasticis sibi subiectis Ecclesiis tam secularibus, quam regularibus, vt docent omnes super citatis capitibus, siue ex lege iurisdictionis, siue diœcesana, cum illa quandoque hanc comprehendat, *Glos. in cap. Cum dilectus v. eod. de off. ordin.* & illa ab hac descendat, *Bald. in l. Si quis ad declinandum, §. in omnibus, C. de Epis. & cler. n. 4. Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 14. q. 1.*

32 Secundum, quod nunc non debeatur, exemptione posita, sequitur ex dictis, quia cum fundetur in subie- 33 ctione prædictarum legum iurisdictionis, & diœcesanæ, à quibus nunc regulares sunt exempti, & liberi, vt benè ostendit *Confect. tit. 5. cap. 2. & 3.* & de Diœcesano habetur *cap. Cum pro vtilitate 10. q. 1. cap. Quam sit 18. q. 2. ex Glos. v. Solutionis cap. inter cætera 8. 10. q. 3.* in quibus locis de his exemptionibus. *Ita Sila. v. Canonica portio q. 3. n. 3. & ex eo Mirand. tom. 2. q. 48. art. 2. Megal. cit. n. 9.* non obstantibus iis quæ dicit quæstio 3. quia ibi loquitur de iure communi, vt ergo fecit. *Compend. resol. 18. n. 13.* Quid vtraque sit, bene *Tambur. tom. 1. disp. 15. q. 7. initio.*

Quæres 8. An hæredes possint remittere quartam Regularibus, ita quod non teneantur illam soluere Parocho, si expresse dicant eisdem, ne illam soluant, vel quia nolunt simpliciter, vel quia per æquiualentiam suppleruni illam, e.g. procurando vt tot celebrentur officia in Parochia, quot in regulari Ecclesia?

34 Resp. Non est in potestate hæredum eximendi regulares à solutione quartæ, cum huius relaxatio sit ius ipsius Curati tantum, de quo nullus dubitat. Neque per æquiualentiam Missæ, & Officia facienda in parochia succedunt loco Quartæ, nisi partes ita conueniant, vt loco quartæ dentur elemosinæ officiorum, & cereorum, aut si legatum fecit cum ea conditione, vt esset loco quartæ. Aliter non valet inferre à legatis, vel aliis relictis ad canonicam portionem, cum differant inter se, & illis non obstantibus debeatur quarta, vt expresse docet *Innoc. in cap. Officij, de testam. quem referendo Compend. resol. 18. n. 8.* ita esse intelligendum *Rodr. asserit, & bene*, quicquid dicat *Mirand. tom. 2. q. 48. art. 11. concl. 2. & Portel. v. Canonica portio n. 7. & amplius part. 2. casu 25.* quod duabus ra- 35 tionibus probat, quia ecclesia sepulturæ debet habere maiorem partem oblationum, quam parochialis, hoc ipso quod solum quarta pars debetur Parochiali, ad quod citat Clem. Dudum. Sed hæc ratio nihil probat, quia ex obuentionib. Fratrum quarta pars danda est Curato, ex obuentionibus vero datis eidem Curato, nil debetur Fratribus, ergo Curatus semper excedit Fratres, non enim ista minima portio attenditur respectiue ad vtrumque in ordine ad maiorem, sed ex parte Fratrum tantum. Neque Clementina expressit, quod ecclesia sepulturæ melioranda sit in eleemosinis funeralibus, sed præcise, quod quarta debetur Parochiali, & ex hoc non dicitur suam conditionem ecclesia regularis meliorem facere, sed potius deteriorem, vnde Portel. potius oppositum inferre debeat, & sic dicere sibi aduersantia. Secunda eius ratio ex Panor. in cap. Officij de testam. talis est, quia quando debitor reliquit aliquid suo creditori, videtur in dubio voluisse compensare, per l. Si cum dotem, §. Si pater ff. sol. matr. sed defunctus est debitor quartæ funealis suæ parochiæ tamquam creditori, &c.

36 Dico, falsam esse minorem, quia defunctus ipse, vel eius hæredes non sunt debitores, sed illa ecclesia, ad quam corpus defertur, illius enim superior de mercede accepta, aut cereis, seu pecuniis, iam factis propriis soluit quartam parochiali, & sic de proprio, & non de re defuncti.

Quæres 9. An quartam funeralium regulares præscribere possint tam respectu Episcopi, si in aliquo teneantur, quam Parochi?

37 Respond. Possunt spatio annorum quadraginta, cap. De quarta 4. de præscript. cum titulo, vt quia ei remissa fuit ad aliquod beneficium præstitum, &c. si desit titulus requiritur tale tempus, cuius memoria non extet, *cap. 1. de præscript. in 6. Lauor. tit. 2. de funer. cap. 17. n. 73. Mirand. tom. 2. q. 48. art. 5. concl. 2. cum Panorm. Silu. & aliis.*

Quæres 10. An quarta debeatur, quando ecclesiæ generaliter sunt interdictæ, sed ob priuilegium regularibus concessum sepeliendi tunc in propriis ecclesiis infertur cadauer, quod non potest tumulari in ecclesia parochiali?

38 Respond. Eo casu adhuc deberi quartam, quia hæc non datur tantum pro sepultura, sed propter onera,

quæ

quæ ex officio sustinuit Parochus in administratione sacramentorum, ergo cum verè eā sustinuerit non debet carere sua mercede, nisi propria Ecclesia Parochi sit ob eius culpam interdicta, *ut ex Geminiano in cap.* 1. *de sepult. in* 6. *docet Lauor. tit.* 2. *de funer. cap.* 17. *n.* 55. *Mirand. tom.* 2. *q.* 48. *n.* 10.

Quæres 11. An Parocho excommunicato, suspenso, seu interdicto debeatur quarta?

39 Resp. Non debetur, probatur de excommunicato denunciato, qui nō potest percipere fructus sui beneficij *Cap. Pastoralis* §. *Verum* 53. *de appell. & Doct. ibi. Megal. part.* 3. *l.* 2. *c.* 3. *n.* 20. *Bonac. cum aliis p.* 4. *de excommun.* §. 2. *n.* 4. De suspenso, qui si sit ab officio, sine dubio obuentiones illi alias debitas consequi non potest, hoc ipso quod non potest exequi suum officium, si à beneficio, neque in hoc casu post percipere quartam, cum hæc veniat sub nomine beneficij, vt colligitur ex iis, quæ habentur *apud. Doct. in cap. Cum Vintoniensis, de elect. cit. à Sairo lib.* 4. *de censur. cap.* 6. *de Suspens. nu.* 9. Demum patet de Interdicto, cuius effectus inter alios est priuare Ecclesiastica sepultura, & administratione diuinorum, intuitu quorum datur quarta, ergo Parocho censurato nullo modo debetur quarta. Confirmatur, quia in his casibus non censetur Parochus, neque potest sustinere onera parochialia, per quæ habetur ius ad quartam.

Quæretur 12. An Parocho absenti debeatur?

40 Respond. Debetur, si absit ex causa rationabili infirmitatis, negotij, &c. quia in his censetur præsens, & officio suo fungens. Non verò si verò voluntarie tantum absit, vt quia non vult leuare cadauer, &c. eo casu, si regulares, iuxta inferius dicenda *sub q.* 15. 16. sine ipso etiam contradicente, vel nolente, associent corpus ad sepulturam, non tenentur ad quartam, eo quia in tali casu neque actu neque habitu dicitur sustinere onera, sed potius oneratum reddere cadauer hæredibus defuncti; & qui non facit, quod debet, non recipit, quod oportet l. *Iulianus* §. *offerri ff. de act. empt.*

Quæres 13. An priuatus exercitio Curæ, sed non beneficio debeatur quarta?

41 Resp. Non debetur, quia ius quartæ fundatur in oneribus sustinendis in administratione Sacramentorum, aliorū que actuum in beneficium animarum *c.* 1. *de sepult. & Clem. Dudū eod.* sed per illam priuationem non potest exercere munera curæ, ergo neque consequens est, quod recipiat quartam, quæ solum datur pro illis oneribus.

Quæres 14. An Ecclesiæ vacanti debeatur Quarta?

42 Respond. Sic, vt colligi potest *ex capit. fin. de success. ab intest. & docent Host. & Ioan. Andr. in cap Relatum, de sepult. apud Lauor. tit.* 2. *de funer. cap.* 17. *numero* 41.

Quæres 15. An regulares, quando parochus non vult leuare corpora defunctorum, qui elegerunt sepulturam in Ecclesiis regularibus, vel alias resistit, impedit, retardat, possint sine illius interuentu, & licentia, imò eo contradicente, promouere funus processionaliter ad sepulturam?

43 Respon. Possunt in casu, quo curatus vocatus expressè recuset omnino promouere funus; Sixtus IV. *in Marimagno apud Confect. pag.* 64. *Leo X. constit. Dum intra, apud eundem, pag.* 129. Pius V. pro Prædicatoribus; Bulla Ad hoc nos Deus, apud dictum pag. 208. qui absolute hoc concedit Dominicanis, vt propria authoritate, parochis inconsultis possint leuare corpora, & deducere ad propriam Ecclesiam, in qua sepulturam dum viuerent, elegerunt; Saluis tamen iuribus parochialibus, quæ clausula intelligitur respectu eorum curatorum, qui recusant leuare corpora, iuxta dicta *quæst.* 12. Sed quia hoc priuilegium est nimis amplissimum, & vt principis directè obuians iuri Curatorum, ad euitandas rixas, & contentiones S. C. sub die 12. Ianuar. 1604. vt refert *Quar. v. Priuilegia regul. & ex eo Lauor. tit.* 2. *de funer. cap.* 5. *n.* 107. decreuit, ne qui regulares sub prætextu etiam alicuius specialis consuetudinis corpora defunctorum in eorum Ecclesiis sepelienda, possent leuare, & efferre, nisi vocato, & expectato proprio defuncti Curato, atque ibi præsente, nisi requisitus, venire expressè omnino recusaret. Hisce autem nostris temporibus videtur casus quasi impossibilis cum Curati proprij officij memores cum omni diligentia ad hæc sibi, & defunctis vilia solicite incumbant.

Quæres 16. Quid dicendum in sequenti casu, in quo Parochus non vult leuare cadauer, eo quod hæredes illi nolunt tribuere eleemosinam petitam, excusantes se esse pauperes, & non posse tot expensas facere; an religiosi se gratis offerentes pro sua parte, possint leuare cadauer contra voluntatem Curati?

44 Respond. Regulares possunt leuare cadauer contra voluntatem Curati, qui sine [illegible] irrationabiliter recusat illud leuare, cum ex suo [illegible] absque spe alicuius mercedis teneatur ducere funus, cum ad hoc deputetur ratione beneficij, *capit. Dictum* 1. *qu.* 1. *capit. Præcipiendum* 13. *q.* 2. *Cap. Cum in Ecclesia, de Simon.* & de pauperibus sepeliendis etiam sine spe eleemosinæ tradit *Tolet. lib.* 1. *cap.* 5. *& cum eo Lauor. tit.* 2. *c.* 16. *nu.* 16.

Quæres 17. An Curatus possit immediatè quartam petere ab hæredibus defuncti, an verò à regularibus ab eo accipienda sit?

45 Resp. De iure Curatus debet petere quartam directè & immediatè à regularibus, quia petenda est de relictis, & factis propriis ipsorum regularium, ergo à domino, quales sunt regulares petenda est; neque enim hæres debet de suo soluere quartam, cum id nullo iure caueatur & id expressè dicitur in Clem. Dudum de sepult. ibi: *Autoritate apostolica constituimus, & ordinamus eadem, vt dictorum ordinum Fratres de obuentionibus omnibus.* Ecce quod solutio quartæ mandatur directè Fratribus consequenter non hæredibus, licet ex bonis hæreditatis accipiatur factis iam propriis regularium. Quicquid dicat *Lauor. tit.* 2. *de funer. c.* 17. *n.* 69. peti posse ab hæredibus defuncti ex dicta Clem. quæ nil tangit de hæredibus. Verum quid est, quod si religiosos habeat suspectos, potest procurare, vt quarta sequestretur apud hæredes, vt hac cautione sibi consulat.

Quæres 18. An Parocho recusante leuare cadauer debeatur quarta?

46 Respond. Non, quia in eo casu neque habitu, neque actu sustinet onera curæ, propter quod datur quarta, vt dixi *q.* 12. *n.* 40. Neque siquidem æquum est, vt ex sua iniquitate reportet commodum.

Quæres 19. An quando quarta non debetur Curato, sit obligata illi Sacerdoti, qui eius vices gerit?

47 Respond. Non, quia vices gerenti vt sic non debetur, cum in iure id, non caueatur, ergo si illi aliquo modo potest esse debita, erit contemplatione Curati, cui si tunc in illo casu non debetur, multo minus gerenti vices illius, non enim ille plusiuris competere potest, quod ignoscatur inesse illi, cuius vices gerit.

Quæres 20. An qui volunt sepeliri cum habitu regulari deferendi sint ad Ecclesias regulares, cuius habitum assumpserunt.

48 Respond. Deferendi sunt cum habitu patente, licet alibi elegerint, aut habeant sepulturam, ad quam deferri non possunt cum habitu prædicto sine expressa licentia, & assensu Fratrum, quorum habitum assumpserunt. Clare in Marimagno Sixti IV. apud Confect. pag. 65. Idem in Bulla Aurea, apud eundem pag. 71. subiunxit expressiua etiam pro Tribus ordinibus. S. Francisci, & sic pro meo ordine, ibi: *Qui prædictum habitum recipientibus declarare teneantur apud eorum ordinum Ecclesias debere sepeliri in eo-*

rum habitu. infra. *Ordinariorum etiam sub censuris prohibitione locorum qualibet in contrarium edita, non obstante, quas quo ad hoc modificamus.* Idem Sixtus in alia Bulla. *Apostolicæ mansuetudinis*, apud Confect. pag. 81. pro Minoribus, addendo, sub pœna excommunicationis, quam canonica monitione præmissa contra facientes vult incurrere, sibi reseruatam.

Hinc resultant nonnulla dubia. I. A quo concedendus religionis habitus huiusmodi morientibus. II. An parentes consanguinei habitum hunc possint petere pro suis iam mortuis, qui illum non petierunt? III. An Parochus tegendo cadauer religioso habitu amictum, aliquo panno, vel lugubri veste possit mortuum inferre aliò, non obstante priuilegio? IV. Si non declarent, cadauer eorum, qui habitum recipiunt, sepeliendum esse in Ecclesia regulari, cuius habitum suscepit, an gaudeant hoc priuilegio? V. An ægrotus propria deuotione, seu eius hæredes habitum induentes religiosum gaudeant hoc priuilegio? VI. A quo, & quomodo canonica monitio facienda sit? VII. An Curati occultè possint sepelire cadauera cum habitu religioso? VIII. An amittant hoc priuilegium, si permittant, vel concedant corpus habitu religioso circumdatum alibi sepeliri? IX. Quid si habitus reijciatur.

49 Primo, habitus concedendus est à superiore loci, vel ab alio de eius commissione vt expresse dicitur in citata Bulla Aurea; & non per alium quauis authoritate, aut prælatione fungentem; per hoc tamen non excludit superiorem maiorem, Prouincialem, aut Generalem, quia ibi id illis conceditur, vnde per illa verba excluduntur seculares prælati, aut alias graduati.

50 Secundo, quando ægrotus habitum non petiit possunt nihilominus eius hæredes petere illum, quia faciunt rem gratam animæ defuncti, vt dicam infra quæst. quod idem est ac si ipse ægrotus petiisset, ad effectum huius priuilegij, dum hæres reputetur vna, & eadem persona cum defuncto §. 1. *Auth. de heredib. l. fin. C. de impuber.* & hæres est eiusdem potestatis, & iuris, cuius erat defunctus *l. Hæredem ff. de reg. iur.* cum aliis citatis à M. Anton. *lib. 2. resol. 59. casu 26. §. Et quamuis*, subdendo id procedere tam in iure actiuo, quam passiuo. Confirmatur, quia ex clausula petendi à superiore habitum apposita fuit fauore religionis, ne quis extraneus, sibi hoc ius arrogaret, non autem contra ipsum ægrotum, aut hæredes, qui habent ius petendi, & superior concedendi, ergo non est in eorum dispendium retorquendum, *Reg. 61. in 6.*

51 Tertio Respond. Non potest, quia ius quod habent regulares, Parochi nullo modo possunt sibi vsurpare prætextu tegumenti, cum cadauer debeat deferri cum habitu discoopertum, nullo pallio, vel tegumento super imposito, vt expressis verbis dicit supracitatus Sixtus in Bulla Aurea; præterquamquod non diceretur cadauer sepeliri cum habitu religioso, sed sine illo, quia non apparere, & non esse paria sunt *l. In lege ff. de contr. empt.*

52 Quarto, sola habitus concessio sufficit pro vsu huius priuilegij, sine expressione, quod eius cadauer sepeliendum sit in Ecclesia, cuius habitum suscepit, quia huius expressio, & declaratio includitur virtualiter in concessione habitus, sicut à simili facultas facta clerico peregrinandi comprehendit facultatem confitendi alteri à proprio sacerdote. Neque illa declaratio est de substantia actus, sed tantum directiua eius, quod fieri debet, ad euitandas dissensiones.

53 Quinto, quando cadauer induitur habitu religioso, quia illum petiit à suis hæredibus, vel quia parentes ex deuotione inconsultis regularibus induerunt, non gaudet hoc priuilegio, nisi assumptio habitus approbetur à superioribus, quæ approbatio censetur facta de facto per delationem cadaueris ad Ecclesiam regularem, cuius habitu amictum fuit corpus.

54 Sexto, illa canonica monitio facienda est à conseruatore in faciem Curati iuridice; neque trina est necessaria, sed vnica sufficit, in similibus casibus pendentibus, in quibus vnica tribus æquiualet *Cap. Constitutionem 9. de sent. excom. in 6.*

55 Septimo, Parochus occultè, & insciis regularibus non potest sepelire cadauer indutum habitu regulari, quia eo habitu obstante Parochus nullum ius habet quo ad illationem sepulturæ. Confirmatur, quia occultè facta inducunt suspicionem, *cap. Vt nostrum 1. Vt Eccles. benefic.* & quia ad negotium, omnes illi, quorum interest, vocandi sunt *argum. cap. quia propter, de elect.*

56 Octauo, permittentes religiosi corpus cum habitu alibi sepeliri, vel id concedentes, non amittunt iura sua, neque priuilegium, quia ex Marimagno Fratres hanc licentiam Curatis indulgere possunt absque præiudicio, & periculo perdendi priuilegium, cum per hanc concessionem sibi à Papa permissam, non dicantur abuti suis priuilegiis, consequenter neque perdere *capit. Vbi ista 7. d. 74. capit. Priuilegium 60. 11. quæst. 3.*

57 Nono, Habitus reijci non potest iam concessus, & quia fit iniuria religioni, & quia præjudicatur defuncto, qui priuatur eo suffragio; & quia qui non dedit, neque auferre potest, siue sit Curatus, siue hæredes, qui in hoc nullum ius habent.

Quæres 21. An fieri possit statutum Episcopale, vt nullus secularis eligat sepulturam sine licentia Episcopi, sed sepeliatur in sepulchro maiorum, vel parochia?

58 Respond. Non potest, quia est contra libertatem, qua vnusquisque, potest sibi eligere sepulturam, vbi sibi magis placuerit, *cap. Vnaquæque 13. quæst. 2. cap. 1. de sepult.* ibi Gloss. *ver. Propriam, cap. de vxore 7. cap. In nostra 10. ead. cap. Licet 4. eod. in 6.* ergo nullus priuari potest aliquo speciali statuto, cum id sit contra ius commune, & libertatem fidelium. Confirmatur ex allegatis priuilegiis præcedent. quæst. quibus per hoc statutum derogarentur. Nauarr. *con. 1. de sepultur. num. 2.*

Quæres 22. An Parochus cogere possit hæredes, vt cadauer prius efferatur in Ecclesiam suam, & ibi celebretur pro eo; vt postea inde à religiosis associetur ad Ecclesiam regularem, in qua elegit sepulturam?

59 Respond. Non potest, quacumque etiam consuetudine non obstante, sed à domo hæredum, seu defuncti recto tramite ad Ecclesiam regularem funus deducendum est, vt expresse habetur in Marimagno apud Confect. pag. 64. & respondit S. C. sub die 21. 1618. & de officiis ac missis, ad quod cogere non potest Parochus hæredes, patet supra *sub quæst. 6. num. 29. 30. Compend. resolut. 128. num. 3.* Lauor. *tit. 2. de funer. cap. 11. n. 24.* Gloss. *tamen ver. Integre Clem. Dudum*, dixit cum aliis, deferendum esse prius ad parochiam, vt ibi recipiat vltimum Vale. Sed standum nunc est supra dictis Nald. *v. sepultura in fine.*

Quæres 23. Ad parochum ne, an regulares, in quorum Ecclesia tumulandum est cadauer, spectat determinare viam, per quam funus deducendum est ad sepulturam.

60 Respond. Spectat ad parochum, quia is habet ius in qualibet parte suæ parochiæ, & super corpus, dum est in sua parochia vsque ad Ecclesiam, in qua sepeliendum est, ergo ad ipsum spectat ordo processionis funeralis. Deinde ad ipsum pertinet ponere initium, [illegible] censuit S. C. sub die 3. Ianuar. 1594. Lauor. *tit. 2. de funer. cap. 9. num. 116.* vbi oppositam responsionem datam sub die 22. April. 1585. spectare ad regulares; forsan,

forsan, quia cadauer ob electam sepulturam apud regulares sit sub eorum iuribus: sed hoc ius est imperfectum non sufficiens, vt regulares possint determinare viam, sed spectat ad parochum, qui omne ius habet preter sepulturam, super cadauer deferendum vsque ad limina Ecclesiæ regularis.

Quæres 24. An quando corpus in Ecclesia regulari tumulandum est possint illius religiosi non vocati accedere ad processionem, nonobstante resistentia Curati, seu hæredum defuncti?

61 Respond. Possunt, quia sicut habent ius ad sepulturam, ita, & ad funus processionis, sine quo non peruenitur ad sepulturam; & talis potest coniecturari mens testatoris, qui sicut voluit consequens, hoc est, sepeliri in Ecclesia regulari, ita præsumitur etiam voluisse antecedens, hoc est prosequi regulares suum corpus à domu ad sepulturam *arg. l. illud ff. de acquir. hered.* quod aperté colligitur ex Marimagno, & alij Bullis citatis *sub quæst.* 20. & ex prima responsione S. C. *sub*

62 *num.* 29. Procedunt præcipuè de Curatu; nam de hæredibus videtur aliqua difficultas, ob eam responsionem, qua dicitur, non licere parochis impedire contra voluntatem hæredum regulares, ne accedant ad processionem, ergo si nolunt hæredes, vt conuocentur regulares, non possunt accedere maximè cum spe eleemosynæ, vtique vero gratis, quia tunc melioratur conditio defuncti sine damno hæredum; & facit Bulla Pij V. const. *Ad hoc nos*, apud Confect. pag. 208. ibi: *Si à defunctorum hæredibus, siue curam funeris habentibus vocati fuerint.*

Quæres 25. An inuitati teneantur accedere ad Ecclesiam parochialem, vel sufficiat ad domum defuncti?

63 Respond. Debent accedere ad locum determinatum à parocho, qui ferè Ecclesia parochialis defuncti est, quia in potestate est parochi dispositio viæ funeris, ex probatis *q.* 23. ergo & ponere initium termini, à quo procedendum ita censuit S. C. die 13. Nouemb. 1600. apud Lauor. *tit.* 2. *c.* 3. *n.* 101; *iterum resp. ad* 4. *in folio Benon sub ann* 1620.

Quæres 26. An parochus perficiat funus, & exequias vsque intra Ecclesiam regularem, in qua defunctus sepeliendus est? Et videtur, quod sic, quia principium ponens, totum perficere tenetur; & sicut iudicium finiendum est ab eo, à quo ceptum fuit *l. Vbi ceptum* §. *Si quis postea ff. de iudic.* ita idem videtur dicendum de funeiali funere.

64 Respond. Parochus vsque ad limina exteriora Ecclesiæ regularis, etiam in sua parochia existentis, prosequitur suum munus; & super cadauer in Ecclesiam portatum officium perficere spectat ad regulares, non ad clericos seculares respondit S. C. Abbati montis Cassini sub die 20. Septemb. 1594. apud Lauor. *tit.* 2. *c.* 9. *num.* 20. Barbosa *Bull. v. Clerus.* 1. *Vide supra sub n.* 30.

65 *& infra sub num.* 213. Ratio est, quia totum ius funerandi quod habet Parochus cessat, & absoluitur ad valuas Ecclesiæ regulares. Mediolani vsus, cui non contradicunt regulares, absoluendi officium ritu Ambrosiano intra Ecclesias regulares, deinde subsequuntur regulares suum munus cadauer demum tradentes sepulturæ, interim recedentibus clericis, forsan vt ex diuersitate precum magis defuncto augeatur suffragium; & quia cum diuersa sint suffragia, equum est, vt ab vtrisque absoluantur, quod non accidit in clericis, & regularibus vtentibus eisdem orationibus, quæ ab vno inceptis ab alio absolui possunt; Præterquam quod Mediolanensis cleros accuratè solicitus est in suis iuribus

66 Parmæ parochus deducit funus vsque ad portam Ecclesiæ regularis, prosequuntur regulares finem imponendo funeri. Allata non obstant, nam primum procedit in celebratione Missarum, & similibus, in quibus non datur diuisio ministerij, sicut in celebratione funeris, immo vnusquisque intra suos limites absoluere potest preces cæptas pro defuncto, si volunt, vt debent; consequenter neque alterum obstat, quia parochus suum munus benè absoluit vsque ad portam, quod consistit in precibus recitandis, non in tradendo sepulturæ cadauere. Dicta procedunt etiam in Ecclesiis vnitis monasteriis regularium, vt intus Ecclesiam Curatus non possit deferre stolam, & funus prosequi, ex decis. Rotæ anno 1629. 23. Mart. apud Tambur. *tom* 3. *decis.* 87. Neque alicuius momenti est consuetudo, vt respondit S. C. pluries apud eundem *tom.* 1. *disp.* 15. *q.* 17. *fine*, ex quo impugnari posset vsus Ambrosianus, sed collidiis obuiandum inter seruos Dei, & forsan procedit inter Romanos ritus.

Quæres 27. An qui omnia sua reliquit religioni donatione, aut testamento, sepultura non electa, sepeliendus sit apud regulares relictarios, an in parochia, licet nullibi habeat proprium sepulcrum?

67 Respond. Sepeliendus est, vbi regularibus placuerit quia hæres succedit in omne ius defuncti *l. Cum hæres ff. de diuis.* & rerum præscript. hæres enim vniuersalis est eiusdem iuris, & potestatis, cuius erat defunctus *l. Hæredem ff. de reg. iur.* vnde Mar. Anton. aliis citatis *lib.* 2. *resol.* 59. *casu* 26. §. *Et quamuis* dicit, id procedere tam in iure actiuo, quam passiuo; firmato tempore mortis in persona defuncti, qui poterat sibi sepulturam eligere, ergo & hoc ius transtulit in suos successores.

Quæres 28. An regulares hæredes vniuersales eius qui habet iura sepulcri in alia Ecclesia, succedant etiam in ius sepulchri eius, qui omnia reliquit monasterio?

68 Respond. Succedunt *l. His consequenter* §. *Sed etiam, ff. famil.ercisc.* vbi dicitur, quod ius monumenti hæredes sequuntur, & bonorum, possessor succedit, §. *quos autem, Instit. de bonor. possess.* & transit ius sepulcri cum vniuersitate bonorum *l. si mercedem* §. *Si cum ff. de act. empt.* Sed ad quid prodest hoc ius? nunquid ibi regulares sepelire possunt? dico non posse sepelire aliquem extraneum, neque suum religiosum, sed solum impedire, ne ibi sepeliatur aliquis sine illorum licentia, quorum est Ecclesia, si defunctus, dum viuebat, talem vsum habebat in suo sepulcro.

Quæres 29. An religiosi annuentes Parocho petenti, vt non sepeliant hoc, vel illud corpus in sua Ecclesia, perdant priuilegium sepeliendi?

69 Respondit. Non quia hanc concessionem Curatis facere possunt ex facultate sibi concessa à Papa, vt dixi supra *sub num.* 55. concedentes enim modo vnum cadauer, modo aliud sepeliri in aliena Ecclesia, gratiam faciunt, non sibi præiudicant, cum non renuncient iuri suo de iure sepeliendi.

Quæres 30. An Curato prohibente, ne regulares sepeliant in propria Ecclesia, & isti acquiescant, perdant ius sepeliendi?

70 Respond. Per illam acquiescentiam non perdunt suum ius, quia iuri publico, cuiusmodi sunt priuilegia regularium, vnus conuentus, multo minus solus superior, aut sacrista renuntiare potest, neque perdere, ea enim conniuentia est pro illo actu tantum, & sic cum sit causa limitata limitatum producit effectum, *l. In agris ff. de acquir. rer. dom.* Confirmatur quia nullius roboris est huiusmodi prohibitio, cum non possit fieri ex decretis S. C. vt supra *sub num.* 29. ergo non potest esse in causa, vt ius sepeliendi perdatur. Neque aliter intelligendus est Lauor. *tit.* 2. *de funer cap.* 9. *num.* 22. dum dicit, si curatus prohibet religiosos de non sepeliendo in eorum Ecclesia, cum acquiescentia Fratrum, prout requiritur, ad acquirendam possessionem contra aliquem, Fratres sibi præiudicare, legibus, & doct. citatis, quia ibi aut loquuntur de Ecclesiis sæcularibus, aut de regularibus in aliquo speciali casu, non autem quod possint regulares absolutè renuntiare iuri sepeliendi.

Quæres 31. An legatum factum Ecclesiæ, si ibi sepeliatur

liatur cadauer legantis, debeatur, si alibi sepeliatur, sine culpa Ecclesiæ electæ pro sepultura?

71 Respond. Legatum debetur, conditione non impleta, quia per eam non stetit, quin adimpleretur, *reg.66. in 6.* Quare debetur, licèt non sepeliatur illic vbi elegit sepulturam, ex aliquo incidenti, vt quia est defunctus excommunicatus, aut incapax alio titulo sepulturæ, vel quia ea Ecclesia interdicta sine culpa speciali superioris, aut totius conuentus? vel quia illa religio habet statutum non recipiendi cadauera, vel quia corpus, curatus sibi arripuit, &c. in his enim omnibus, & similibus casibus, monasterium non est in culpa, si in sua Ecclesia non sepeliatur, ergo neque conueniens est, vt patiatur aliquod damnum.

Quæres 32. An regulares alteri possint concedere sepulturam eius, cuius amplius hæredes non sunt?

72 Respond. Possunt, quia extinguitur illud ius, & redit libere ad Ecclesiam, quæ ideo illud aliis libere concedere potest, vt docet Petrus de Vbald. *de port. Canon cap.10. num.6.* Silu. *v. sepultura quæst.3.* quos pro se citat Lauor. *tit.2. cap.9. n.25.* quibus adde Tabien. *n.21. Rodr. cum suo Compend. resol.128. num.12. Portel. part.2. casu 20.* liminodo in casu, quo electur sepulturæ antiquus dederit aliquid perpetuum, quia per id Ecclesia pactum fecisse videtur, vt ibidem nullus extraneus sepeliatur. Sed id non vrget; quia illud censetur reliquisse in suffragium animæ suæ, & non perpetuò conseruaret illud ius, cuius perpetuitas frustatoria est, cum ad nihil deseruiat. Confirmatur, quia in hoc ius sepulturæ, cum sit potius vsus, æquipararur vsuifructoi, qui cum vsufructuario extinguitur, & redit ad proprietarium, nisi expresse transferatur in extraneum.

73 Nota autem, quod inscriptiones delendæ non sunt, si sint pro memoria insculptæ, dicuntur monumenta ad perpetuam memoriam facta, causa honoris *l.2.§. Monumentum ff. de relig. & sumpt. fun.* Neque oppositum ex nostra responsione infertur, sed solum, quod ibi possint extranei sepeliri, superiore concedente.

Quæres 33. An sepultura vendi possit? Prohibetur 74 aliquid exigi pro sepultura, *cap. Dictum 104. 1. quæst.1. Cap. quæsta est 12. cap. Postquam 13. Cap. In Ecclesiastico 14. Cap. Præcipiendum 15.13. quæst.2. Cap. Abolendæ 13. de sepult.* immo sunt simoniaci exigentes, seu vendentes sepulturam *Cap. Nousatis 8. Cap. Cum in Ecclesiis 9. Cap. Audiuimus 41.* vbi prohibetur, ne religiosi aliquid accipiant pro illis, qui eligunt sepulturam apud regulares desim. Ratio est, quia spirituale, neque spirituali adnexum, cuiusmodi est sepultura, vendi potest *c. de iure, de iure p. c. Cum pridem c. fin. de pact. c. Super eo, de transact. c. Decimas 16. quæst.7. ex gloss. v. Non potuit, c. querelam, de simon.*

75 Respond. Sepultura tribus modis spectari potest. Primo vt est in fieri, sed nondum facta, vt est purus locus nondum deputatus ad id pro sepeliendis mortuis & in hoc sensu vendi potest, quia est locus purus, & materialis nullam habens adnexam religiositatem, aut spiritualitatem consecrationis, aut benedictionis consequenter venalis nulla lege prohibitus, & in hoc nullus dubitat, quin vendi possit, Gloss. *Cap. Abolendæ, eod.* quia nemo de suo compellitur beneficium facere alteri ex D. Thoma Sotus *lib.9. de iust. quæst.7. art.1. §. Primi capitalis*, Bonac. *quæst.4. de simon. p.6.* Lauor. *sit.2. cap.10. num.25.* Secundo prout est iam facta, & deputata consecratione, vel benedictione, & sic cum sit locus religiosus habens spiritualitatem adnexam vendi non potest ex citatis in quæstione iuribus, vt docent omnes communiter. Tertio pro re materiali prout dicit constructionem, & expensas factas, vel faciendas, præsciodendo à spiritualitate, & iure sepeliendi, & in hoc sensu vendi potest sepultura, seu potius peti possunt expensæ in ea factæ, quia in his nihil spiritualitatis spectatur, ratione cuius prohibeatur vendi. Pro-76 batur, Tum quia calix quatenus dicit materiam huius vasis, præscindendo à spiritualitate vendi potest, vt omnes docent, & in praxi constat, ergo à fortiori sepultura, quæ minorem habet spiritualitatem. Tum quia religiosi, neque alij tenentur propriis expensis construere sepulturas pro secularibus, ergo respectiuè ad expensas possunt illas vendere. Tum quia emententes sic sepulturam, addunt pactum, vt plurimum, ne quis in ea sepeliatur, contra eorum voluntatem, quod pactum de iustitia obseruandum est, ex quo vsus sepulturæ fit proprius, & id est, quod dicit Gloss. *v. In sumptum, Cap. Iudices 23. 1. quæst.1.* aliqui dicunt vendi posse sepulturam respectiuè ad quasdam circunstantias, quæ non sunt necessariæ ad sepulturam v. g. vt quis sepeliatur in meliori, commodiori, honoratiori, & ibi alius extraneus non sepeliatur, aliis citatis docet Genuens. in praxi Neapol. *cap.41. num.18.* & cum eo aliis citatis Lauor. *tit.2. de funer. cap.10. numero 15.* Itaque ratione expensarum, loci honoratioris commodioris, melioris, proprietatis vsus, & similium aliquid exigi potest, sine vitio simoniæ.

77 In confirmationem dictorum obserua duplex ius sepulturæ, vnum actiuum, alterum passiuum. Ius actiuum, spectat ad Ecclesiam, & illius superiores, & hoc spirituale est, residens in solis Ecclesiasticis, quo mediante gratis concedunt aliis vsum sepulturæ, & id ius cum sit merè spirituale nequaquam vendi potest, iuxta superiùs iura allegata. Alterum passiuum, quo quis vsum habet concessum sepeliendi suos mortuos in determinato loco, à quo alij excludi possunt, si velit, habens ius passiuum & id pariter spirituale.

Quæres 34. Vtrum ex consecratione, seu benedictione Ecclesiæ intelligantur benedictæ sepulturæ iam factæ, vel si adhuc non adsint, sit benedictum pauimentum cum ordine ad sepulturas construendas, ita vt construendæ alia benedictione non indigeant?

78 Resp. Benedictione Ecclesiæ etiam sepulchra iam facta intelliguntur benedicta intra ambitum Ecclesiæ constructa, tunc *ex c. Ecclesiam 26. & 27. de consecr. dist.1.* vbi Ecclesiæ rebenedicendæ sunt eiectis paganis, & infidelibus ibidem sepultis, nulla facta mentione sepulchrorum, quæ sine dubio sunt polluta, & profanata inductione cadauerum infidelium, ergo censentur benedicta sub benedictione Ecclesiæ. Tum quia dignius trahit ad se minus dignum *c.3. de consecr. & c. Vn. eod. in 6.* De nouo autem contracta indigent noua benedictione, de qua Paulus V. in suo Rituali.

Quæres 35. An Ecclesiastici possint concedere sepulturam cum pacto expresso acceptato per illos accipiente sepulturam, vt nullus, nisi de familia sua, in eadem sepeliatur, sine eius licentia?

79 Resp. Possunt hoc modo concedi sepulturæ, & pactum seruandum est ab Ecclesiasticis; Primum probatur ex communi vsu totius orbis, fundatus in ratione, nam quilibet in domo sua potest facere, quod sibi libet; & suæ rei quilibet est arbiter, & moderator, ex vulgaris iuribus; sed sepultura dicitur habitatio, domus, & requies mortuorum, Gloss. *in cap. num 16.13. q.2. Tert. de Resurrect. cap.37. Lauor. tit.2. de funer. cap.6. num.20.* Secundum quod hoc pactum sit seruandum, probatur, quia est licitum *arg. cap.1. & 3. de pactis in 6.* in quibus locis à Bonif. VIII. approbantur pacta inita inter Curatos, & Regulares circa sepeliendos mortuos. Nau. *cons.1. de Sepult. Abbas cap. pen. eod. n.5. Roman. singul.692.* & cum eis Lau. *c.11. n.36.* vbi excipiunt casum necessitatis, quo posset Rector permittere sepulturam propriam etiam aliis.

Quæres 36. An in capella, cuius aliquis est patronus, sine eius licentia, concedi possit sepultura extraneo?

80 Respond. Requiritur licentia patroni, quia sicut in fundo, in quo quis habet vsum, dominus non potest habitare contra voluntatem vsuarij *l. Si habitatio §. fin. ff. de vsu, & habit.* ita neque Ecclesia, quæ est domina directa Ecclesiarum, & capellarum potest habitare per se,

se, vel per altum, constructione sepulturæ. *Ita Petrus Vbald. de Canon. part. e. 12. n. 5.* & ex ipso Lauor. *tit. 2. de funer. c. 11. n. 37. & 38. Compend. resol. 128. n. 12.* Neque obstat c. 1. *de sepult.* posse quemlibet alienam sepulturam eligere, quam etiam Christus elegit; quia hoc intelligitur respectu Ecclesiæ, & sepulturæ communis, non autem proprietariæ, & familiaris, respectu cuius requiritur licentia patroni.

81

Quæres 37. An patronus possit agere de exterratione cadaueris extranei illati in proprium sepulchrum sine licentia?

82 Respond. Potest, Arg. *Cap. Fraternitatem 3 Cap. Ex parte 5. Cap Cum liberum 6. de sepult. cap. 1. eod. in 6.* vbi mandantur exterrari corpora, & restitui propriis sepulturis, ergo, & in casu nostro, in quo recondita cadauera non dicuntur requiescere in propriis sepulchris, sed in alienis. Quare inferens mortuum in alienum sepulchrum tenetur pœna violati sepulchri de qua violatione Lauor. *tit. 2. Cap. 9.*

Quæres 38. An possit sepeliri defunctus apud Moniales?

Respond. Potest in earum Ecclesiis, vel cœmeteriis; 83 extra tamen clausuram, siue sint viri, siue fœminæ, Portel. *v. Sepultura n. 14.* ex declaratione S.C. sub Greg. XIII. Lauor. *tit. 2. de funer. cap. 11. n.* ex Natta *cons. 432. vol. 2.*

Quæres 39. Ad quosnam Superiores Regulares spectet construere nouam sepulturam, & eam aliis concedere?

Respond. Sufficit Superior localis eum suo conuentus consensu. Probatur, quia ipse cum suo conuentu est 84 immediatus dominus suæ Ecclesiæ, & sepulchrorum in ea, seu cœmeterio ergo ad ipsum spectat, non ad maiores, cum ius commune de hoc nil disponat. Confirmatur, quia is non est actus alienationis, ad quem 85 requiratur licentia maiorum superiorum, cum non sit translatio dominij, neque proprietatis alicuius rei, sed simplex concessio vsus, & actus sepeliendi defunctos, Bonac. *tract. Var. de alienat. p. 2. num. 12. cum quarant. v. Alienatio num. 29.* Riccio *decis. 42. num. 6. Compend.* Rodr. *resol. 128. num. 11.* videtur inhærere Portel. *part. 2. casu 20.* Contra plures alios requirentes eam solemnitatem, quæ exigitur in alienatione rerum Ecclesiasticarum, quos refert. Lauor. *tit. 2. cap. 8. num. 8.* vbi requirit licentiam Prouincialis, eo quod huoc actum vocat alienationis *cap. 9. num. 113.* cum Nauar. *cons. 1. de sepult.* requirente licentiam Episcopi respectu clericorum Ceuuens. *cap. 32. num. 17.* Ecclesia Parmensis habet hoc statutum, ne quis possit sepulturam de nouo 86 construendam concedere, nisi de licentia Episcopi, vel Vicarij, & donatum ea occasione applicandum est Ecclesiæ, quæ concessit sepulturam, Synodus sub illustr. Cornazano *tit. 40.*

Quæres 40. An melius sit eligere sepulturam in Ecclesiis regularibus, quam in aliis?

Respond. Sic *ex cap. Fraternitatem 3. de sepult.* illis verbis: *Fraternitatem tuam non credimus ignorare mor-* 87 *tuorum sepulchra, & cœmeteria apud illas Ecclesias, & monasteria ex antiquo esse disposita, in quibus religiosorum Fratrum conuentus sunt constituti, & orationes, atque missarum solemnia tàm pro viuis, quàm defunctis frequentius celebrantur.* Frequens ergò celebratio diuinorum officiorum, quæ principaliter fiunt in Ecclesiis regularibus arguit meliorem sepulturam apud ipsos, quàm alioa, vt ibidem *v. Frequentius* dicit Gloss. *& in cap. Cum liberum 6. eod. v.* Frequentia populi in Ecclesiis, quæ solet esse regularibus semper apertis pro audiendis diuinis officiis, prædicationibus, & similibus multum prodest fidelibus viuis, & defunctis, Gloss. *cap. Cum gratia 17. 13. quæst. 2.* quæ in aliis, Ecclesiis, non ita frequenter, sed rarò videtur; facit, quod habet Lauor. *tit. 2. de funer. cap. 14. num. 44.* Accedit, quod potissimum est, nam sepulti, maximè cum habitu regulari, lucrantur indulgentiam plenariam, ex Leone 88 X. in Ecclesiis Trium ordinum B. Francisci, *Compend. resol. 128. n. 14.*

Quæres 41. An cadauera defunctorum possint transferri de vno, ad aliud sepulchrum, seu ab vna ad aliam Ecclesiam, & cum qua licentia?

Respond. Corpora perpetuæ sepulturæ tradita etiam in Ecclesiis regularibus non possunt transferri de loco ad locum sine licentia Episcopi *cap. Corpora 36.* 89 *de consecrat. d. 1.* & licet textus ibi loquatur de corporibus sanctorum, tamen ex Gloss. applicatur etiam cadaueribus non sanctorum. Et ita expressius statuit Paulus V. in suo Rituali illis verbis: *Nullum porrò cadauer perpetua sepultura traditum ex vlla cuiusuis ordinis Ecclesia asportari liceat, nisi de licentia Episcopi.* Licentia ergo requiritur, quando cadauer habet perpetuam sepulturam, vnde si fuit depositum ad tempus, eo finito poterit cadauer transportari ad aliam Ecclesiam sine licentia Ordinarij, quæcumque sit ea Ecclesia, ad quam fit asportatio, etiam extra Diœcesim, cum in locis citatis nulla fiat distinctio Ecclesiarum eiusdem, vel diuersorum ordinariorum, sed tantum exprimatur, quod petenda est licentia Episcopi, à quo fit transportatio. Respectu verò eiusdem Ecclesiæ de iure communi nulla requiritur licentia, licet corpora sint tradita perpetuo sepulturæ. Gloss. *in cit. cap. Corpora,* 90 *Compend. resol. 128 num. 25.* Diana *resol. 120. de regul.* citantes Villal. & asserentes Leonem X. concessisse priuilegium Minoribus de Obseru. transferendi cadauera ab vna ad aliam sepulturam eiusdem Ecclesiæ, de licentia tamen illorum, quorum interest. sc. patronorum sepulchrorum, *Compend. cit.* cum Rodr. *tom. 3. q. 62. art. 1.* Portel. *in Addit. v. Sepultura.* Loquendo autem de cadaueribus ipsorum religiosorum, possunt transferri de sola licentia prouincialis ab vno Conuentu ad alium, quia quò ad hoc non subiiciuntur Episcopo, cui neque subdebantur dum viuerent *arg. c. sacris de sepult.*

Parmensis Synodus *tit. 40. de sepult.* sub Episcopo Cornazano interdicit, ne quis cadauer sub quouis prætextu in aliud sepulchrum transferendi extrahat è se- 91 pulchro sine licentia Episcopi, vel Vicarij sub pœna excommunicationis ipso facto; quod procedit simpliciter respectu corporis perpetuò traditi, non autem depositi ad tempus; siue extractio fiat, vt recondatur in sepulchro alio eiusdem Ecclesiæ, siue alterius, seu, vt euacuentur sepulturæ. Ea autem pœna afficit omnes, qui sunt causa extractionis, cum statutum non exprimat personas, sed tantum actionem. Regulares necquaquam comprehendit, notoria siquidem est eorum exemptio.

Quæres 42. An in illis locis, in quibus adhuc vigent priuilegia non soluendi canonicam portionem, Curati nihilominus cogentes Regulares ad eam soluendam, incurrant pœnas excommunicationis, & priuationis suorum beneficiorum, & aliorum cum inhabilitate ad eadem; & alia in posterum obtinenda, inflictas contra eosdem inquietantes, seu molestantes Fratres, nec non executores, & hæredes defunctorũ, qui elegerunt sepulturam in eorum Ecclesiis, atque alios quoscumque directè, vel indirectè cogentes ad solutionem alicuius quartæ, seo oneris, vt apparet in Marimagno Sixti IV. *apud Confecl. pag. 66.* expressè pro Prædicatoribus, & Minoribus trium ordinum.

Respond. Incurrunt, quia non constat, eas sublatas esse, ergo stare non prohibentur arg. *l. Sancimus C. de* 92 *testam. l. Præcipimus, ff. de appell.* Nam Maremagnum quo ad hoc sublatum nunquam fuit, vt probaui *num. 13* neque per Tridentinum *sub num. 14.* quod si regulares, multis in locis soluunt, huius in causa fuit pactum licitum, vt supra *n. 15.* inter ipsos, & Ecclesiarum Rectores. *Ita Mirand. tom. 2. q. 48. fin. Compend. Theatin. v. Canonica portio.*

Quæres 43. Quibus non sit danda Ecclesiastica sepultura?

Respond Rituale Romanum, non esse dandam paganis, iudæis, infidelibus, hæreticis, eorum fautoribus, 93 apostatis à fide, Schismaticis, & publicis excõmunicatis maiori

maiori excommunicatione; interdictis nominatim; & iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante. Seipsos occidentibus ob desperationem, vel iracundiam, non tamen si ex insania id accidat, nisi ante mortem dederint signa pœnitentiæ. Morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint pœnitentiæ signa. Manifestis, & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia pereunt. Iis de quibus publicè constat, quod semel in anno non susceperint sacramenta confessionis, & communionis in Pascha, & absque vllo signo contritionis obierunt. Infantibus mortuis absque baptismo. Vbi verò in prædictis casib. dubium incurrerit ordinarius consulatur.

Ratio autem cur prænumerati careant Ecclesiastica sepultura est, quia Ecclesia concedit sepulturam tantum iis, qui capaces sunt orationum, suffragiorum, & precum, quæ in Ecclesia fiunt à fidelibus *cap. Cum gratia 17. Cap. Pro obeuntibus 21. c. Animæ 22. Cap. Tempus 23. 13. q. 2.* sed prænominati omnes sunt incapaces orationum, quæ fiunt ab Ecclesia, cum decesserint in peccato mortali.

94 Excommunicati ergò publicè. 1. nominatim, ex *cap. Sacris 12. de sepult.* vbi redditur ratio, quia, quibus non possumus communicare viuis, neque defunctis; sed excommunicatis tantum nominatim non *possumus communicare viuis, ergo* neque defunctis, vtique verò nondum nominatim, per extrau. *Ad euitanda* de communi doctorum, ergò verbum illud, *publicè*, intelligendum est de excommunicatis nominatim, & sic *intelligitur Clem. I. eod. Nau. consil. 23. de pænis. n. 5. & cap. 27. n. 36. §. Ad secundum, Portel. part. 3. casu 10. n. 3. Bonac. p. 5. 3. de excommun.* Quod ad percussores clericorum, sufficit si sint notoriè excommunicati, vt careant sepultura, *Megal. lib. 4. de censur. cap. 6. n. 7. 2. alios citat. Lauor. tit 1. de funer. cap. 12. n. 3.*

95 Notorius autem excommunicatus dicitur ille, cuius percussio ità manifesta est, vt nulla tergiuersatione excusari possit, quin inducat in percussure excommunicationem; & cum aliquid non dicatur notorium, neque manifestum, nisi factum sit coram hominibus in loco publico, necessè est, quod percussio contingat multis videntibus, nempè maiori parte populi, viciniæ, loci, vel collegij, *ex cap. fin. de cohabitat. cler. & mul. c. Cum olim, de verb. signif. Nauar. c. 25. n. 73. & C. 27. n. 255. Sanch. l. 8. disp. 34. n. 5. & l. 2. c. 11. n 19. Bossius de Iubil. sect. 1. casu 10. n. 28. & 33.*

96 Minori autem excommunicatione decendentes, ex hoc capite præcisè, non excluduntur à sepultura, cum ibidem fiat expressio solius excommunicationis maioris consequenter excluditur minor, quia non continetur sub eo nomine.

97 Interdictus nominatim caret Ecclesiastica sepultura *Clem. I. de sepult. vbi Glos. v. Nominatim ait*, non carere nundum nominatum. *Ita Lauor. tit. 2. de funer. c. 12. n. 8. Megal. l. de censs. c. 2. n. 74.* Quis autè potest esse interdictus personaliter, seù nominatim duobus modis; vno, ab ingressu Ecclesiæ, & hoc modo caret sepultura, *c. Is cui 20. de sent. excommun. in 6.* quia non potest actiuè, neque passiuè ingredi Ecclesiam. Altero à diuinis, & sic non priuatur Ecclesiastica sepultura, hoc enim interdictum priuat solum ministrum Ecclesiasticum deputatum, vel consecratum ad exercitia diuinorum, cuiusmodi sunt celebratio missarum, horarum canonicarum, &c. & functio sacramentorum, & sacramentalium, &c. Inter quæ non est sepultura defuncti.

98 Non solum interdictis personaliter, sed etiam generaliter, danda non est sepultura, nam, & interdicti generaliter dicuntur nominatim tales posita denuntiatione, & declaratione omnium in genere, quia singulæ personæ, quasi nominatim intelliguntur subiectæ interdicto, non enim tota communitas, castrum, aut villa interdicitur in abstracto, sed singulæ personæ prout faciunt vnum corpus politicum. Sinè ergo interdictum sit personale generale, siue speciale, aut particulare priuat ecclesiastica sepultura, iuxta Rituale Romanum, & hoc comprehenditur sub illis verbis. *Interdictis nominatim.* Confirmantur dicta, quia idem est effectus, i. priuare ecclesiastica sepultura, vtriusque interdicti personalis tam generalis, quàm personalis, vt benè probat *Megal. lib. 6. de censur. cap. 1. n. 53.*

99 Illa verò verba. *Et iis, qui sunt in loco interdicto, eo durante.* Referuntur ad Interdictum locale, siue generale, vt cum interdictum est regnum, Prouincia, Diœcesis, Ciuitas, Castum, vel Villa, *Nau. cap. 27. n. 166. Bonac. p. p. 1. n. 5.* siue speciale cum interdicitur aliqua parochia, nisi sit Castri, pro quo toto sumatur, ex eisdem. Et in his locis interdictis siue generaliter, siue specialiter aliquis sepeliri non potest, quia tunc ex se locus effectus est incapax sepulturæ, *c. Cum & plantare §. quod si c. Vt priuilegia de priuil. c. Quod in te, de pænit. & alibi. Vide Lauor. tit. 2. c. 13. de funer. per totum.*

100 Personæ quæ habitant, vel reperiuntur in loco interdicto, licet ibi sepeliri non possint, ob loci incapacitatem, tamen alibi non carent ecclesiastica sepultura, si tamen non dederunt causam interdicto locali suo consilio, auxilio, &c. Ita omnes cum *Megal. lib. 6. c. 2. n. 36. §. Dixi Lauor. tit. 2. cap. 13. de funer. n. 16.*

101 Clerici tempore interdicti localis sub silentio sepeliri possunt in ecclesia, vel cœmeterio interdicto, cessantibus campis, & solemnitatibus, modò ipsi non sint interdicti, aut non dederint causam interdicto, sed illud seruarint; siue interdictum sit generale, siuè speciale alicuius ecclesiæ, nam ibi sepeliri possunt, ex *cap. Quod in te 11. de pænit.* Ita omnes cum *Nau. c. 27. nu. 176. Regin. l. 32 tract. 3. n. 37. Bonac. p. 5. q. 7.*

102 Negant aliqui concedi sepulturam in Ecclesia specialiter interdicta cum Innoc & Ioanne Andreæ apud Lauor. *tit. 2. c. 13. n. 6.* quia priuilegium hoc est respectu interdicti generalis, ergo extendi non potest ad speciale, nam in hoc casu clerici possunt sepeliri in aliis Ecclesiis non sic quando est generale, ideo ne in profanis locis more laicorum sepeliantur, concedunt illis tunc Ecclesiastica sepultura. Alij concedunt, cum quibus est *Bonac. cit p. 5. in fine. Vide Lauor. citatum* conciliantem vtramq; opinionem.

103 Religiosi quoque gaudent eo priuilegio, vt valeant sepeliri tempore interdicti tam generalis, quam specialis localis in propriis Ecclesiis, quia in fauorabilibus veniunt sub nomine clericorum, non solum deputati ad chorum, sed etiam conuersi, nouitij quoque & Tertiarij, hi enim omnes sub nomine clerici benè venire possunt, si etymologiam huius vocabuli *Clerici* spectemus *capit. 1. distinct. 21.* omnes enim isti vocati sunt in hæreditatem Christi, & Domini. *Compend. resolutionem* 80, *numero 13. Portel. ver. Interdictum num. 43. Bonac. p. 5. in fine,* contra Megalium, *lib. 6. cap. 2. de interdicto n. 39.* existimantem solos clericos religiosos, & non alios gaudere eo priuilegio, ea ratione, quia hoc priuilegium conceditur præcisè clericis, quo nomine non possunt

104 illi venire, sicut intelliguntur sub nomine Ecclesiasticorum, sed reuera nulla est differentia inter personas ecclesiasticas, & personas clericales, cum tàm illæ, quàm istæ, speciali modo vocati sint in sortem, & hæreditatem Domini; & in iure vt plurimum isti termini confundantur & pro eodem accipiantur.

105 In Natali Domini, Pentecoste, & Assumptione B. M. V. cum pulsentur campanæ, & ianuis apertis alta voce possint diuina officia celebrari, interdictis etiam admissis, non video, cur non possint sepeliri etiam cadauera defunctorum, eo quod illis diebus interdictum sit simpliciter suspensum, & sic quod ad totalem prohibitionem & sub diuinis officiis illis diebus concessis veniunt quæcumque preces, etiam officium defunctorum, consequenter accessoriè subintelligitur etiam vsus sepulturæ. *Nau. c. 27. n. 131. Saer. l. 5. c. 8. n. 10. Compend. resol. 80. n. 19.* Oppositum *cum multis aliis tenet Lauor. tit. 2. c. 13. nu. 12. & 13.* innixus, quod in *c. Alma mater*, conceduntur diuina officia, sub quo asserit non

comprehendi

comprehendi officium sepulturæ, quod tamen falsum est, vt dixi, siquidem in dicto capite conceduntur omnia infirmis sacramenta, & quare non sepultura?

106 Quamuis regulares teneantur seruare interdictum generale, quod seruat Ecclesia maior *ex Sess.25.cap.12.* tamen in opinione citandorum habent multa priuilegia suspendendi interdictum in certis festiuitatibus Sanctorum suæ Religionis, & tunc proinde possunt sepelire quæcumque cadauera eorum, qui non erant interdicti, nec dederant causam interdicto *Vide Compend.resol.80.num.25.* quæ priuilegia extenduntur ad sepulturam, licet de illa non facerent mentionem, *ibid.n.19.* Portel.*v.eod.n.65.* Megal.*lib.6.c.2.num.40.* *Iterum infra n.171.*

107 Et in specie pro tertio ordine Paulus III. const. *Cum à nobis.* Dat. 28. febr. 1547. in Bullar. nostri ordinis pag. 81. suspenditur interdictum, & cessatio a diuinis in festis sanctorum ordinis, & infra eorum octauas. Nec obstat, aiunt, Tridentinum, quod mandat seruari simpliciter interdictum, etiam à regularibus, hoc est, illis diebus, quibus non habent priuilegium suspendendi illud, alias enim habebant priuilegia exemptionis, à quouis interdicto omni tempore, nunc sublata per

108 dictum Tridentinum. Præterea Trident. per sua decreta aduersantia priuilegiis regularibus, non tollit eadem priuilegia, nisi illis expresse deroget, vt obseruant Rodriq. *tom.1. quæst.8. art.6.* & ex eo Suar. *lib.8. de legib. cap.18. in fine*, & ex illis Sigism. Capucinus *de elect. dubit.91. in Additione.* Neque frustratorium est decretum, quia suam virtutem obtinet, quatenus tenentur religiosi ad illius obseruationem, exceptis quibusdam determinatis diebus. Demum Tridentin. decretum saltem non includit Tertiarios, & alios famulos, cum isti reputentur religiosi in fauorabilibus ex priuilegiis de quibus dixi *consi.52.n.156. & 241.* & reuera hoc postremum probabilius videtur, iuxta quod dico *resol.72. quæst.12. & infra num.172. & resol.71. num.18.*

109 Cadauera, quæ tempore interdicti sepulta fuerunt extra locum sacrum, transportari possunt in sepulturam Ecclesiasticam, qua priuabantur respectiuè ad locum sacrum factum incapax per interdictum, si aliud non obstet, & de se erant capacia tempore mortis. Megal. *lib.6.c.2.n.41.* *Compend.resol.80.n.21.* Et hæc de interdicto, quo ad præsens institutum.

110 Occidentes seipsos ex desperatione, seu iracundia carent Ecclesiastica sepultura, nisi dederint signa pœnitentiæ, ita Rituale; quare laqueo suspensus intra cubiculum clausum, genib. flexis, aut coronam præ manibus habens, vel imaginem, præsumitur habuisse signa pœnitentiæ, sic est capax sepulturæ, de genuflexo Nau. *consilio 7.* eodem apud Lauorium *tit.2.c.12.n.31.* Portel. *v. Sepultura n.1.* Quod si nullum inuenierut signum pœnitentiæ, sed laqueo suspensus, vel alio modo interfectus, in cubiculo clauso præsertim intus, maximè si antecedenter habuit aliquam molestiam est vehemens præsumptio propriæ occasionis, ex Genuens. *c.61.n.20.* Repertus verò suspensus in loco patenti, vel demersus in puteum, flumen, vel præcipitatus, præsumitur mortuus, aut ab alio occisus, aut casu defunctus, aut ex insania, in quibus casibus est capax sepulturæ, vt doctor præcitati.

111 Morientes in duello perpetuò carent sepultura, licet dederint signa pœnitentiæ etiam per confessionem, imo, & communicauerint, vt docent omnes cum Lauor. *tit.2.cap.12.num.16.* Licet prouocatus fuerit ille, qui moritur ex duello. Nauar. *consil.1. de torneam.* Præpositio

112 In non sumitur localiter, quasi si alibi moreretur extra locum condictum, esset capax sepulturæ, sed accipitur causaliter, i. ex duello, seu mediante illo conflictu.

Peccatores manifesti, & publici carent Ecclesiastica

113 sepultura, nisi dederint signa pœnitentiæ. Procedit in quouis genere peccati mortalis ex genere suo, cum hic non distinguantur peccatores, & huius generis sunt sacrilegi, adulteri, vsurarij, fures, blasphematores, &c. Manifestus autem peccator dicitur ille, cuius graue peccatum constat confessione, probatione, vel conuictione, vel ex euidentia facti quatenus mali, quod nulla tergiuersatione celari potest, neque alio modo factum interpretari potest, nisi sub ratione mali; & publice debet esse factum coram populo vidente, & sciente tale factum esse delictum notum maiori parti ciuitatis, oppidi, viciniæ, &c. Non est autem necesse, quod fuerit habituatus in eo peccato, in quo moritur, sed sufficit vt semel peccauerit; nomina enim verbalia, cuiusmodi est *Peccator* per vnicum actum verificantur, ex iuri-

114 bus, & doctoribus citatis à Sanch. *lib.7. disp.91.n.32.* Megal. *lib.3. de cens. cap.1. num.28.* Nauar. *cons.6. de sepult.* probat meretricem conductam in domū sui amici carnalis ibidem occisam, non esse priuandam Ecclesiastica sepultura, quia præsumi potest eam non abduxisse, vt cum ea fornicaretur, sed vt occidendo vindicaret aliquam iniuriam; & credi potest in eo conflictu inuocasse Deum, supponit autem quod fuerit confessa, & communicata in Paschate.

115 Qui non susceperunt in Paschate sacram communionem, præmissa confessione carent Ecclesiastica sepultura. Qui tamen eo anno alterum ex his sacramentis percepit, non debet carere, quia præsumitur bonus fidelis. Neque occultus peccator, ne ex carentia sepulturæ manifestaretur. Ita docent Nau. & Silo. cum Lauor. *tit.2.c.12.n.22.* Si autem non est confessus, neque communionem recepit, si moritur sine contritione sepeliendus extra.

116 Signa contritionis sunt percussio pectoris, suspiria, petitio veniæ peccatorum, vocatio confessarij, confessio, his, & similibus actibus Probatur contritio per vnicum testem. Nau. apud Lauor. cit. licet apud Nau. *cons. non inuenerim.*

117 Infantibus mortuis sine baptismo non est danda sepultura; morientibus verò cum matre in eius ventre sepeliendi sunt cum matre in loco sacro, quia est illius portio, & pars viscerum *l.1.§. Ex hoc, ff. de ventr. inspect.* Si vero extractus sit partus extra sepeliendus est. *c. Si ad matris 112. c. Qui in maternis 113. c. Si qua 114. de consecr. dist.4.*

118 Nonnulla dubia super prædicta occurrunt soluenda. Primo, an Cathecumenus sit sepeliendus in loco sacro? Secundo, an alij casus dentur negentes sepulturam? Tertio; quæ dicantur signa contritionis, & pœnitentiæ, seu an sint idem? Quarto, an requiratur declaratio delicti priuantis Ecclesiastica sepultura? Quinto, an nomine ordinarij veniat solus Episcopus, qui habeat declarare, an aliquis defunctus careat Ecclesiastica sepultura, etiam respectu regularium?

119 Primo occurro affirmatiuè, cathecumenum sepeliendum esse in loco sacro, Tum quia præsumitur habere baptismum flaminis, iuxta illud Lucæ 3. ibi: *Prædicans baptismum pœnitentia in remissionem peccatorum.* Qui enim cupiunt profiteri Christianam fidem, & propterea instruuntur in rebus fidei toto mentis affectu anhelant ad sacrum baptisma, proinde supponuntur habere requisita; præsertim dolorem suorum peccatorum ob amorem Dei, & cum præsumantur moriantur in gratia capaces sunt sepulturæ Ecclesiasticæ, vnde Christus gloriatur de S. Martino cathecumeno, factam eleemosinam pauperi Ambiano reputans sibi datam, illis verbis. *Martinus catecumenus hac me veste contexit* Breuiar. Rom. lect.4. eius vitæ. Tum ex differentia infantium & cathecumenorum, qui quo ad carentiam baptismi pares sunt, sed quia cathecumenus cum adultus, capax est baptismi flaminis, cuius infans est incapax, ideo hic caret loco sacro, non autem ille. Tum quia licet *ex Concil. Bracarensi. cap.34. & 35.* celebranda non sit missa

120 pro cathecumenis, & iis, qui sibi mortem consciuerunt, vt refert Lauor, *titulo 2, de funer. cap.15.num.92.*

tamen prædicta ista simpliciter intelligenda non sunt, vt omnino excludantur, sed ibi præcise sermo est de illis, qui cum potuissent suscipere baptismum fluminis, illud neglexerunt, & sic decesserunt in peccato mortali; sicut & illi, qui seipsos interfecerunt, sic autem decedentes dicuntur carere etiam baptismo flaminis, cum id includat votum recipiendi baptismum aquæ debito tempore, consequenter cum careat vtroque sine dubio indignus est sepultura. Tum quia pro illis Ecclesia orat tempore Paschatis, & Pentecostes.

121 Secundo omnes casus, in quibus quis priuatur in iure Ecclesiastica sepultura, reducuntur ad præcedentes expressos, præcipuè ad illum de manifestis peccatoribus. *Vide casus apud Confess. tit. 2. cap. 3. Lauer. tit. 2. cap. 12. per totum Compend. resol. 128. n. 19.*

122 Tertio, signa contritionis, & pœnitentiæ idem importare videntur, per quod peccator præsumitur de-123 cessisse emendatus, vt possit gaudere sepultura pia exceptis duellantibus. Signa autem sunt actus doloris, vocatio confessoris, tunsio pectoris genuflexio, inuocatio nominis Dei, & B.M.V. Sanctorum, suspiria ad Deum, & similia verba indicantia emendationem vitæ, & osculatio rei sacræ. *Vide Nauar. cons. 6. de sepult. n. 3. Lauor. tit. 2. cap. 12. n. 21.*

124 Quarto, cadauer non est sepeliendum extra locum sacrum, nisi prius per sententiam ordinarij constet, defunctum, dum viuebat, fuisse reum, & in peccato 125 mortali decessisse; ratio est, quia priuatio sepulturæ est pœna grauis, vt dicit *Glos. v. Carent. cap. 1. de torneam.* Cum defunctus priuetur suffragijs, quibus foueretur, si cum alijs religiose sepeliretur, de quibus plura caus. 13. q. 2. per totam. Pœna autem non est sustinenda ab eo, in quem nondum lata est sententia canonica *cap. Non debet* 61. 11. *q.* 3. ergo pœna non est inferenda nisi per iudicem, *cap. Sine* 4. *§. In hoc* 33. *q.* 2. ergo requiritur sententia declaratiua Episcopi, vt quis careat sepultura Ecclesiastica.

126 Quinto demum, quando occurrit dubium aliquod sitne priuandus sepulturæ, an inferendus defunctus? relinquendum est prudenti iudicio ordinarij, hoc est, Episcopi, vel eius Vicarij Generalis, qui soli veniunt sub eo nomine *Ordinarij*. Nec refert si cadauer deferendum sit apud Ecclesias regulares, quia cum initium sepulturæ capiatur à leuatione cadaueris, quæ spectat ad Parochum, consequens est, vt eius ordinarius ferat super hac re iudicium.

127 Si cadauer religiosi sit, de quo dubitatur an sit capax sepulturæ non amplius spectat ad Episcopum, sed ad superiorem religionis localem, quia initium, medium & finis sepulturæ ad eum spectat, ergo, & iudicium, sitne illius capax. Dico, *localem*, quia simile negotium cito expediendum est, quod non præstaretur, ob absentiam maioris superioris

Quæres 44. An religiosi subijciantur his casibus, & priuentur Ecclesiastica sepultura etiam moniales, sicut seculares?

128 Respond. Priuantur, quia Rituale Romanum cum sit ordinatum à Paulo V. pro omnibus Christi fidelibus afficit quoscumque cuiusuis status, conditionis, & ordinis, est enim omnium superior, & legislator. Præterea illi casus sunt concepti verbis vniuersalibus, quæ etiam religiosos comprehendunt.

Quæres 45. Quomodo religiosi proprietarij priuandi sint Ecclesiastica sepultura?

Respond. Religiosi proprietarij priuantur Ecclesia-129 stica sepultura. Cap. Monachi 2. de statu monach. ibi: *Qui in extremis cum peculio inuentus fuerit, & digne non pœnituerit, nec oblatio pro eo fiat, nec inter Fratres recipiat sepulturam.* Cap. Cum ad monasterium eod. illis verbis: *Quod si proprietas apud quemquam inuenta fuerit in morte ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio si subterretur.* Capit. Super quodam 4. eod. ibi, Ille *canonicus non tantum fuit christiana sepultura priuandus, verum etiam, si sine maximo scandalo potuit fieri, de ipsa proiici dignus est Ecclesia.* Ad hoc vt religiosus proprietarius careat Ecclesiastica sepultura requiruntur sequentes conditiones.

Prima, vt proprietas sit de re notabili, cum enim 130 agatur de graui pœna, & perpetua, graue etiam debet esse delictum proprietatis, vt pœna commensuretur culpæ, ac proinde in hoc casu non videtur sufficere quantitas, quæ simpliciter inducit peccatum mortale, sed quid amplius, quod prudentis superioris iudicio relinquitur, adhibito concilio. *Nomine autem peculij* venit 131 omne genus rei pecunia æstimabilis, & præcipue ipsa, *Doct. in l. Depositi ff. de pecul. Vide Compend. resol.* 128. n. 20.

Secunda, vt hoc vitium proprietatis sit notorium 132 in conuentu, iuxta quod dixi de manifesto peccatore supra sub *n.* 114. *& de excommunicato n.* 96. *Portel. v. sepulturan.* 11. *§. Addo, Compend. resol.* 128. *n.* 20. Præterea requiritur declaratoria superioris, localis, præhabito consilio, nam pœna soluenda non est, nisi præcesserit sententia, ex supradictis n. 125.

Tertia, hæc habent locum, quando proprietarium 133 non pœnituit ex citato cap. Monach. nam si constet de pœnitentia, qualis censetur, si proprium resignauit non solum, superiori, verum etiam alicui particulari religioso, coram quo se expropriauit, vel si in scriptis reliquit expressa, quæ postea inuenta fuerunt, aut saltem ore, vel scripto protestatus fuit, omnia quæ habebat vel alias inuenirentur in eius cubiculo post mortem, esse religionis, & non sibi propria, & fuisse paratum, semper ad resignandum ad nutum superioris, &c. Ad-134 uerte tamen, quod hæc non videntur suffragari, quando extat statutum siue formale præceptum superioris, 135 tunc enim illæ protestationes, seu cautiones non suffragantur, quia directe sunt contra mentem superioris, qui expresse præcipit, vt proprium consignetur. Quare in religionibus reformatis Minorum de Obser-136 uantia, Capucinorum, & similium inuentus cum peculio priuandus est Ecclesiastica sepultura, non obstantibus illius cautionibus, quia protestatio contraria facto directe, vt hic, non releuat protestantem, ex vulgatis iuribus. Caute autem procedendum est, quia vt plurimum isti religiosi, quibus nullo modo superiores permittunt peculium, ita occulti sunt, vt vix sciatur, vnde si quis casu post mortem inuenerit peculium, 137 prudens sit, cum solo superiore agat, ne famæ defuncti detrahat, & in simili casu, abiecta pecunia, toleretur corpus tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, neque enim propter hoc infamandus est, ex eodem Portel. n. M. §. Addo. *Vide Compend. resol.* 128. *n.* 29. *Diana part.* 4. *tract.* 4. *resol.* 23.

Iuuentus ergo proprietarius in re notabili, & pro tali declaratus, quia constat sine pœnitentia decessisse, sepeliendus est in sterquilinio cum peculio. Per 138 sterquilinium intellige quemuis locum profanum, qui comparatione loci sacri dici potest sterquilinium. Non est autem necesse cum eo sepelire totum peculium, sed partem vel minimam, ne tota perdatur, maxime 139 his temporibus, quibus caritas refrigescit, neque enim textus dicit, quod tota, aut pars pecuniæ cum proprietario sepelienda sit, consequenter relinquitur arbitrio prudentis superioris. *Sanch. lib.* 7. *cap.* 20. *n.* 11. qui ibi cum aliis dicit stando in rigore literæ quod tota pecunia esset sepelienda, sed reuera adhuc litera potest habere suum effectum, si dicamus intelligi posse pro parte pecuniæ, non enim textus dicit totam pecuniam, sed pecuniam cum eo esse sepeliendam, aliud enim importat indefinita, quæ in odiosis, vt hic, non æqui-140 ualet vniuersali, *Molina lib.* 3. *q.* 85. *n.* 59. consequenter sumi potest partialiter in casu nostro, aliud vniuersalis, de qua non loquitur textus, qui si voluisset totam pecuniam proiici, id expressisset. *l. vn. §. sin autem C. de duc. toll. l. si seruus §. prætor ait v. Non dixi ff. de acquir. hered. vnde Menoch. cons.* 30. *num.* 8. *inquit,*

Lex

Lex noluiſſe aliquid præſumitur, ſi ſacile potuit illud exprimere, & non expreſſit. Dictum de pecunia intelligendum eſt etiam de aliis rebus cum veniant ſub nomine peculij.

141 Nota illam particulam, *Inuenta fuerit*, non accipi rigoroſe pro retentione alicuius rei corporalis, vt de prima ſui inſtitutione videtur importare, ſed accipiendam eſſe pro quouis actu inducente proprietatem; vnde habens liuellos, redditus, & ſimilia incorporalia, vel etiam corporalia, vt agros, domos, aut mobilia, ſed apud amicum, conſanguineum, adhuc dicitur eſſe reus prælatæ pœnæ, quia hæc dicuntur inueniri apud ipſum quoad proprietatem, licet non quo ad retentionem.

Quæres 46. An ſepelientes cadauera defunctorum in ſupradictis caſibus prohibitis incurrant aliquam pœnam?

142 Reſp. Præter peccatum mortale ſacrilegij, cum violetur locus ſacer, extant duæ pœnæ excommunicationis nulli tamen reſeruatæ, cum aliis pœnis infra.

143 Prima eſt *in cap. Quicumque* 2. *de heret. in* 6. ibi: *Quicumque hereticos credentes, receptatores, defenſores, vel fautores eorum ſcienter præſumpſerint Eccleſiaſtica tradere ſepulturæ vſque ad ſatisfactionem idoneam excommunicationis ſententiæ ſe nouerint ſubiacere. Nec abſolutionis beneficium mereantur, niſi proprijs manibus publicè extumulent, & proyciant huiuſmodi corpora damnatorum.* De qua vide Silu. *v. excomm quæſt. num.* 58. Sair. *lib.* 3. *cap.* 35. *num.* 6.

144 Secunda eſt *in Clem.* 1. *de ſepult.* illis verbis. *Eos qui propria temeritatis audacia defunctorum corpora, non ſine contemptu clauium Eccleſiæ in cœmeterijs interdicti tempore in caſibus non conceſſis à iure, vel excommunicatos publice, aut nominatim interdictos, vel vſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumunt, decernimus ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubiacere. à qua nullatenus abſoluantur, niſi prius ad arbitrium Diœceſani Epiſcopi eis, quibus per præmiſſa, fuerit iniuria irrogata, ſatisfactionem exhibuerint competentem.*

Requiruntur autem duo ad incurrendum has pœnas Actio tradendi ſepulturæ Eccleſiaſticæ, ſeu ſepelire, & temeritas, ſeu præſumptio.

145 Per actum ſepeliendi intelligo illum omnem, quo proximè cadauer traditur ſepulturæ, conſequenter illi omnes incurrunt excommunicationem, qui proximè concurrunt ad ſepeliendum, cuiuſmodi ſunt inuitantes ad funus, parochus leuans corpus cum ſuis clericis, & miniſtris, cereos, crucem deferentes, portitores cadaueris, fodientes caueam, cooperientes cadauer terra, vel lapide. remouentes eundem lapidem, ſeu actum concedentes, parentes inſtantes, vt ſepeliatur, nam iſti omnes dicuntur mortuum ſepelire, ſeu tradere ſepulturæ. Quod probatur aliis textibus prohibentibus in his caſibus ſepulturam; nam *cap. Ad hæc* 5. *de priuileg.* Fratres hoſpitalarij prohibentur ſepelire mortuos excommunicatos, & tamen eorum actio præciſe eſt ducere funus cum precibus. *cap. Quamquam* 2. *de Vſur. in* 6. prohibetur omnibus Eccleſiaſticis, ne vſurarios manifeſtos admittant ad Eccleſiaſticam ſepulturam ſub pœnis ſtatutis in Concil. Lateran. *cap. quia in omnibus* 3. *de vſur.* vbi eoſdem tradentes ſepulturæ ſuſpenduntur ab executione ſui officij; ecce quod de clericis etiam in his eſt ſermo; *cap. Epiſcoporum* 8. *de priuileg. in* 6. clerici neque religioſi poſſunt excommunicatos, & interdictos ad Eccleſiaſticam ſepulturam admittere, aliter incurrant interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, donec de tranſgreſſione ſatisfecerint Lauor. *tit.* 2. *cap.* 12. *n.* 5.

Gloſſa ſuper Clem. V. Sepelire diſtinguit plura. Nam primo ſunt portitores, qui non ſepeliunt, Secundo alij comitantur funus. Tertio, alij fabricant ſepulchrum, illud aperiunt. Quarto ſunt clerici, & miniſtri proceſſionis, & cum inc, inquit, puniantur ſepelientes. excluduntur intereſſentes, cooperantes, & admittentes, rationem addit, ſic exigere æquitatem, ne ex vnius funere multitudo ligetur. Si tamen hoc dicatur, videtur conſtitutio eſſe ludibrio, ſi vnus ſolus ſepeliret, & reliqui omnes proſequerentur funus ſine periculo huius pœnæ, itaque rem reliquit indeciſam. Sed tu tene reſponſionem ſuperius datam. Vide Sair. *lib.* 3. *cap.* 35. *multa congerentem à n.* 8.

146 Ille vero dicitur temerarius ſepultor, qui ſciens talem defunctum declaratum fuiſſe indignum ſepultura, nihilominus illum vult ſepelire in loco ſacro; neceſſe autem

147 eſt, vt actu ſequatur effectus ſepelitionis, neque ſufficit attentare, ſed cadauer deferendum eſt, & ſepeliendum in loco ſacro.

148 Nomine Eccleſiæ ſepulturæ, vt in prima excommunicatione, vel cœmeterij in ſecunda venit Eccleſia, & cœmeterium, eo quod de mente legiſlatoris eſt, vt illi peccatores careant Eccleſiaſtica ſepultura, qualis eſt illa, quæ conſtruitur in Eccleſiis, aut cœmeterijs deputatis, & benedictis authoritate Epiſcopi Sair. cum aliis *libro* 3. *cap.* 35. *num.* 11. expreſſe Gloſſ. *v. Cœmeterij dicta Clem.*

149 Quid ſi Curatus ad inſtantiam amici ſepeliret, ſolemniter cum precibus, & orationibus conſuetis in loco particulari non deputato pro cœmeterio ab Epiſcopo, defunctum declaratum indignum Eccleſiaſtica ſepultura: Euaderet pœnam excommunicationis, quia cadauer illud non fuit traditum Eccleſiaſticæ ſepulturæ, tamen grauiter puniendus eſſet ille Curatus, quia quantum fuit ex parte ſua per illam ſolemnitatem cenſuit illum dignum Eccleſiaſtica ſepultura, eo quod incœpit funeralia quæ adhibentur in Eccleſiaſticis ſepulturis, quæ tamen in hoc caſu prohibentur, prohibito enim aliquo, cenſentur interdicta quæcumque conducentia ad illud *l. Oratio ff. de ſponſ. c.* 4. *de conſt.* iuncta Gloſſ. *v. Vnde omnia mala*, & intelliguntur prohibita illi connexa Gloſſ. *v. ſubrogati c. Hæc* 9. 3. *q.* 6.

150 Secunda excommunicatio non incurritur in omnibus caſibus ſupra allatis *ſub num.* 94. ſed tantum in quatuor, I. ſi quis ſepeliatur in loco interdicto II. Si ſepeliatur excommunicatus III. Interdictus IV. Vſurarius manifeſtus. In aliis ſupradictis caſibus non incurritur.

151 Hæreticos cum ſuis ſepelientes incurrunt non ſolum primam, ſed etiam ſecundam quatenus ſepeliunt excommunicatum, omnis enim hæreticus eſt excommunicatus.

152 Sepelientes excommunicatos, vel interdictos, ſeu in locis interdictis, præter dicta, incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ tam ſeculares, quam regulares clerici, donec de tranſgreſſione ſatisfecerint, *c. Epiſcoporum* 8. *de priuil. in* 6.

153 Vſurarios manifeſtos tradentes ſepulturæ præterea clerici ſunt ſuſpenſi ab officio, donec de tranſgreſſione ſatisfecerint arbitrio Epiſcopi. *cap. quia in omnibus* 3. *de Vſur.* Comprehenduntur etiam religioſi ſepelientes, quia textus loquitur per verbum relatiuum, *Qui*, comprehendens omne genus perſonarum.

Quæres 57. An religioſi ſepelientes priuatos Eccleſiaſtica ſepultura in prædictis caſibus incurrant eas pœnas?

154 Reſpond. Religioſi ſepelientes tam ſeculares, quam ſuos religioſos incurrunt dictas pœnas excommunicationis, ſi ſepeliant hæreticos, aut eorum fautores, &c. excommunicatos, interdictos, vſurarios manifeſtos, ſeu in loco interdicto; incurrunt item interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, ſi ſepeliant excommunicatos, vel interdictos, aut in locis interdictis, donec de tranſgreſſione ſatisfecerint, ſi ſunt clerici ſepelientes, Demum ſunt ſuſpenſi ab officio, donec de tranſgreſſione ſatisfecerint arbitrio Epiſcopi. Ratio eſt, quia & ſi in illis textibus non fiat expreſſa mentio religioſorum, vt non ſit, niſi *in capit. Epiſcoporum cit. ſuprà num.* 153. loquuntur tamen ſub terminis generalibus, &

155 pronomine, *Qui*, quod omnes comprehendit tam seculares, quam regulares, tam clericos, quam laicos. Graff. *de casib. reseru. lib. 2. c. 26. n. 1.*

Quæres 48. Quænam maior pœna sit in defuncto, excommunicatione, an priuatio sepulturæ.

156 Respond. Videtur esse eadem pœna effectiuè, nam vtraque priuat communibus Ecclesiæ suffragiis; vtraque supponit peccatum mortale; differunt, quia defunctus directè neque excommunicari, neque absolui ab ea potest, sed solum indirectè, quatenus Ecclesia declarat viuos non posse, vel posse cum excommunicato defuncto participare in suffragiis; directè verò priuari potest mortuus Ecclesiastica sepultura; excommunicatus defunctus per absolutionem, si ante mortem pœnituit, declarari potest capax suffragiorum; priuatus verò Ecclesiastica sepultura per sententiam non restituitur, ex quo capite hæc pœna videtur seuerior, & diuturnior, atque irremissibilis.

Quæres 49. An religiosi, & moniales possint sibi eligere sepulturam?

157 Resp. Religiosi etiam superiores sepeliendi sunt in propriis Ecclesiis, nisi remoti sint, ita quod non possint commode asportari ad proprias sepulturas. Itaque non possunt eligere sepulturam. Ita Summistæ *v. sepult.* *Doct. in tit. de sepult.* Lauor. *tit. 2. c. 11. n. 91.* Sanch. *lib. 6. c. 14. vsque ad n. 15.*

Quod non possint eligere sepulturam, sed tumulandi sint in suis locis probatur *per cap. 1. & 13. 16. quæst. 1. clarius cap. fin. de sepult. in 6.* ea ratione, quia non habent velle, neque nolle. Nauar. *tom. 2. comm. de Regul. num. 43.*

158 Superiores quoque & Abbates sepeliendi sunt in suis monasteriis, & locis, vbi resident, quia militat eadem ratio, quæ in subditis, ita quod extra suas Ecclesias sepeliendi non sint. Quare Prior in suo conuentu sepeliendus est, Prouincialis in quolibet cœmeterio suæ prouinciæ, Generalis vero in quouis loco suæ religionis. Ratio desumitur ex illo eodem capite, quia præfati superiores licet, non habeant velle, neque nolle excedentia suos limites, habent tamen aliquod velle commensuratum suæ iurisdictioni, quæ sicut extenditur in prouincialibus per totam prouinciam, & in generalibus per totam religionem, ita, & voluntas eligendi sepulturam eidem potestati comparatur. Vnde Doctores negantes hanc electionem superioribus pro se, & suis subditis intelligendi sunt de electione extra religionem. Vide infra *num. 215.*

159 Remoti à conuentibus, ad quos commode asportari non possunt, extra vbi moriuntur eligunt sepulturam, ex eodem capite fin. docent Nauar. *tom. 2. comment. 2. de regul. num. 43.* Silu. Angel. Tabien. cum Sanch. *lib. 6. cap. 14. num. 3.* Expensæ autem faciendæ sunt, seu soluendæ ab illius monasterio, vt docent Rodr. *tom. 3. quæst. 60. art. 3. eius Compend. resol. 128. n. 17.* Sanch. *lib. 6. cap. 14. n. 5.* Quod si moriens habeat prioratum, illius expensis sepelietur, vt prædicti aduertunt *infra 214.*

160 Quando non elegerunt sepulturam in locis remotis à conuentibus suæ religionis, tunc sepeliendi sunt in Ecclesia parochiali, in qua decesserunt, si inibi nullum sit monasterium. Sanch. aliis citatis *lib. 6. c. 14. n. 4.*

161 Remotus, meo iudicio, censetur esse ille religiosus, cuius cadauer vnico die transferri non potest ad proprium conuentum, neque ad alium eiusdem ordinis; ratio est, quia periculum est in mora ob corruptionem cadaueris, ergo negotium breui expediendum est. Immo data difficultate licet eodem die ad conuentum transferri posset cum graui incommodo, potest cadauer relinqui sepeliendum in parochia, vbi decessit, expensis solutis Curato.

Quæres 50. An Nouitij, Tertiarij, & alij commensales possint eligere sepulturam pro suo arbitrio? & si non eligant sepeliendi sint apud religiosos, vbi decedant.

162 Respond. Isti omnes possunt eligere sepulturam, vbi ipsis placuerit, quod constat ex illo *capit. fin. de sepultur.* à contrario sensu ibi allatæ rationis, vbi dicitur quod religiosi non possunt eligere sepulturam, quia carent velle, & nolle, ergo à contrario sensu, quod argumentum fortissimum est in iure, qui habent velle, & nolle, vt præcitati in quæsito, possunt sibi eligere sepulturam, & in hoc nulla dubitatio. Ita Armill. *v. Sepultura num. 6.* Tabiena *quæst. 4.* Sanchez *lib. 6. cap. 14. num. 10.* loquentes de Nouitiis, ratio tamen procedit etiam de reliquis. *Ita Confess. tit. 20. c. 2. Compend. resol. 128. num. 16.*

163 Difficultas est, quando non eligunt; tunc sepeliendi sunt apud regulares, quod licet in iure expressum non sit, tamen de consuetudine ita practicatur, immò ex iure aliquo modo elici potest sequentibus. Primo *ex cap. Relatum 2. cap. De iis 4. de sepult.* in quibus locis dicitur, conuersos, seu oblatos religiosi, teneri relinquere canonicam portionem Ecclesiæ parochiali de omnibus suis bonis, de quibus disposuerunt occasione infirmitatis, si in illa decedant, nil dicendo de loco, in quo sepeliendi sunt, ergo dispositio sepulturæ videtur remanere apud religiosos, ad quos nouitius, seu Tertiarius aut Oblatus conuersus est, sicut remanet residuum suorum bonorum.

164 Secundo secularis qui non elegit sepulturam; neque electam habet à suis maioribus sepelitur in parochiali, Gloss. *v. Nunc autem cap. 1. 13. quæst. 2.* Lauor. *tit. 2. cap. 11. num. 33.* ergo idem dicendum est de istis, quorum parochialis est Ecclesia regularis, consequenter in ea sepeliendi sunt.

165 Quod Ecclesia parochialis in hoc casu sit regularis suadetur, quia illa est parochialis, in qua ex officio administrantur sacramenta fidelibus ibidem quo ad hoc subiectis, vt constat ex tit. de parochiis,

166 ex quibus enim actibus cognoscitur quis ex officio parochus, nisi ex prædictis? est enim parochia regimen animarum, & ars artium *cap. Cum sit, 14. de ætate,* & parochia sola habitatione acquiritur, Gloss. *v. Vnus cap. Iam 8. 1. quæst. 4.* & superior localis dicitur parochus suorum fratrum, & reliquorum sub eius disciplina arg. eorum, quæ habet Gloss. *v. Istos Clem. Ne in agro,* de statu mon. & talem propriè vocat Fagundez *lib. 8. c. 4.* vnde & Ecclesiæ regulares censentur parochiales respectu sibi subiectorum arg. eorum, quæ habet Genuens. *capit. 92. ad finem,* & prior vocatur eorum proprius sacerdos, i. parochus *ex cap. Omnis 12. de pœnit.* Faber *disput. 25. de pœnit. num. 89.* Sed à religiosis omnia sacramenta administrantur nouitiis, & aliis perpetuo commensalibus, vt de nouitiis constat ex constitut. Clem. VIII. super educat. nouit. & de tertiariis res-

167 pondit Sacra Congreg. apud Lauor. *tit. 2. capit. 11. num. 103.* vbi expressè dicit Tertiarios collegialiter viuentes gaudere priuilegiis, & sepultura eorum, apud quos viuunt. Si ergo gaudent Tertiarij sepultura regulari, eo magis nouitij, qui magis accedunt ad professos, quam Tertiarij. Quæ rationes militant in quouis alio commensali, consequenter si non elegerunt sepulturam, tumulandi sunt in Ecclesia regulari, apud quam decesserunt. Confirmatur, quia isti omnes ibidem receperunt sacramenta, ex alibi probatis, ergo & sepulturam, qui enim ex officio administrat sacramenta, habet etiam ius sepeliendi in sua Ecclesia, si alibi defunctus eam non elegit, & supra allatis. Vide Lauor. *tit. 2. c. 11. n. 99. & 100.* cum aliis asserentem oppositum, quod tamen constare non potest, obstantibus supradictis, cum non amplius nouitij, Tertiarij, & alij perpetuo commensales, vel etiam ad tempus finitum dicantur esse de parochia, sub qua erant ante ingressum, cui cesserunt sine dubio per acquisitionem noui domicilij, aut habitationis, his enim modis prior parochia perditur, & noua acquiritur, De familiaribus. *Com. v. Sepultura §. 1.* Portel. *v. eod. n. 1.*

Quæres 52. An cadauera secularis negotij causa hospitans apud religiosos, si ibi incidens in febrim mo-

riatur,

tiatur, sepultura non electa, sepeliendus sit apud regulares, an in parochiali, in qua positum est monasterium?

168 Respond. Sepeliendus est in Ecclesia regulari, in cuius monasterio mortuus est, probatur, Tum *ex cap.* 1. 16. *quæst.* 1. *in fine* ibi: *Mortuum non sepeliat, nisi monachum in monasterio secum commorantem, vel si fortuito quemquam aduenientium fratrum ibi mori contigerit.* Nomine *Fratrum* ibi non veniunt conuersi monachi, cum sub primo vocabulo, *Monachum*, contineantur, aliter non possunt sepeliri in suis monasteriis, sed solum monachi clerici, ergo sub eo nomine *Fratrum* comprehenduntur seculares peregrini siue clerici, siue laici, nam omnes fideles ad inuicem Fratres sunt per lauacrum regenerationis Iesu Christi, vnde Chrysostom.

169 homil. 25. in Epistol. ad Hebr. dicit: *Si enim quis Frater nominatur in vobis, Fratrem in hoc loco omnem fidelem intellige, non monachum tantum; quid est autem, quod facit Fraternitatem? nisi lauacrum regenerationis, quod facit posse vocari Deum Patrem*, ergo ex illo capite religiosi habent ius sepeliendi mortuos apud se defunctos. Confirmatur, quia in tali casu recipiunt omnia Sacramenta à regularibus, vt probaui *tom.* 1. *consil.* 46. *&* 20. Ita docet Peir. *tom.* 1. *ad const.* 1. *Iulij* 2. *num.* 94.

Quæres 53. An religiosus siue professus, siue nouitius moriens extra conuentum causa itineris, aut apud consanguineos, sepeliendus sit à Curato, & ab eo administranda sacramenta, & habeat quartam?

170 Respond. Superiores regulares morientes Fratres, vt solet euenire, apud consanguineos, Parochis inconsultis possunt deferre ad proprias Ecclesias, vnde neque illis quartam dare tenentur. Censuit Sacra Congr. respons. ad 10. in folio typis Archiep. anno 1620. ad instantiam

171 Archiep. Bonon. tunc Card. Ludouisij, postea Greg. XV. Supponit Sacramenta Viatici, & extremæ Vnctionis administranda esse à Curato in cuius parochia degit infirmus. Proceduntque siue sit professus, siue nouitius, aut Tertiarius, quia isti omnes dicuntur Fratres, & sub iurisdictione regulari viuunt.

Quæres 54. An tempore interdicti Regulares possint sepelire in suis Ecclesiis non solum suos Fratres professos, Nouitios, Tertiarios, & alios familiares perpetuo commensales, verum etiam seculares?

172 Respond. Priuilegium est Benedicti XIII. concessum Fratribus S. Hieron. Hispan. sepeliendi omnes seruitores, & familiares conuentus, continuo commensales, & quoscumque alios viuentes stipendiis religionis. Ita ex eorum Compend. Portel. *v. Interdictum num.* 69. *Compend. resol.* 128. *num.* 5. Nec obstant iura allegata *sub num.* 99. *&* 100. quibus illud priuilegium derogauit; neque Rituale Romanum, quia non derogat priuilegiis, sed solum dat casus, in quibus quis priuandus est Ecclesiastica sepultura. Neque his aduersatur *Clement. Cum ex eo* 3. *de sent. excommun.* vbi

173 prohibetur Minoritis ne Fratres Tertij Ordinis admittant ad sepulturam tempore Interdicti, quia illi derogatum fuit per dictum priuilegium. Idem concessit Clem. VII. const. *Ex clementi* apud Confect. pag. 177. pro Fratribus Carmelitis, & suis confratribus. Intellige hæc iuxta dicta *resol.* 71. *q.* 12. *& alibi*.

Quæres 55. quibus expensis sepeliendus sit nouitius, religionis ne, an parentum?

174 Respond. Expensis parentum, si in bonis habent, quia hæc sunt quid extraneum à monasterio, quod respectu nouitiatus tenetur tantum instruere nouitium quo ad res religionis, ergo spectant ad eius parentes, seu hæredes. Confirmatur à simili de eo seculari, qui hospitatur in collegio suis stipendiis, nam si ibi moritur, sepeliendus est impensis suorum hæredum. Ita similiter nouitius, qui in religione hospitatur addiscendo mores, & experiendo asperitates monasterij. Docet ex Petro de Vbald. & Rodriq. *tom.* 3. *quæst.* 60. *art. fin.* Sanch. *lib.* 6. *cap.* 14. *n.* 52.

Quod si non habeat in bonis nouitius, eo casu tenetur monasterium exercere opus misericordiæ.

Quæres 56. Quando decidit aliquis superior, aut Doctor, seu Magister religiosus, an possint regulares ducere funus processionaliter per ciuitatem, cum musicis, & aliis ritibus extraordinariis, etiam cum pluuiali sine interuentu Curati?

175 Respond. Possunt. Tum quia nullum ius est in contrarium, nam *cap. Sicut antiquitus* 5. 17 *quæst.* 4. *cap. Certum est* 6. *de consecr. dist.* 1. illud quidem prohibet, ne cathedralis, & aliæ Ecclesiæ sibi inuicem confines suos frangant, sed vnaquæque Ecclesia sit contenta terminis suis; illud vero interdicit, ne publicæ processiones fiant in oratoriis, quæ non sint dedicata authoritate pontificis. Quæ non obstant nostræ quæstioni. Tum quia Cap. *Nimis* 17. *de excess. prælat.* reprobantur prælati impedientes processiones. Tum quia agunt alias

176 processiones, nempe, Rosarij, Cordigerorum, Corrigiæ, &c. extra conuentus transeundo etiam per parochias; vt vsu receptum est id facere sine licentia Ordinariorum, in Portugallia, *testib. Compend. resol.* 118. *num.* 10. Portel. *v. Processiones num.* 8. & hic in Italia multis in locis, in specie Parmæ, vbi sine aliqua licentia fiunt solemnes processiones, cum reliquiis, imaginibus, & statuis Sanctorum per vrbem cum magno populi concursu, & deuotione. Tum quia etiam Confraternitates procedunt deuote cantando litanias, & similes preces sine vlla licentia, ergo à fortiori regulares, qui sunt personæ Ecclesiasticæ. Tum quia processio funeratis est de spectantibus ad iura sepulturæ, sine qua commodè expleri non potest, & decenter ius sepulturæ, sed regulares habent ius sepeliendi suos Fratres, ergo & cum hac solemnitate circumferendi cadauera suorum defunctorum. Demum per hoc nullum ius parochiale læditur, non in quarta, quia certum est non deberi; neque ratione transitus, quia viæ sunt communes omnibus, & dicuntur vrbis, & non Ecclesiæ, ergo cum nulli fiat iniuria non video cur non possint processiones facere in funeralibus suorum defunctorum.

Quæres 57. An sit aliqua pœna promulgata contra religiosos inducentes aliquem ad eligendam sepulturam apud seipsos in suis Ecclesiis?

177 Respond. Adest sub sequentibus verbis c. 1. *de sepult. in* 6. *Animarum periculis, & scandalis, quæ frequenter ex his proueniunt obuiare volentes, vniuersis religiosis, & secularibus clericis, cuiuscumque status, & conditionis existant in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictionis æternæ districtissimè prohibemus, ne aliquos ad vouendum, iurandum, vel fide interposita, seu alias promittendum inducant, vt apud eorum Ecclesias sepulturam eligant, vel iam electam vlterius non mutent. Nos enim, si secus actum fuerit, electionem talem decernimus nullius penitus existere firmitatis. Statuentes, vt ij, qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias vllatenus sepeliri, nec alibi, ne contra votum, iuramentum, aut promissum huiusmodi à se factum materiam habeant veniendi, possint eligere sepulturam, sed contradictione quacumque cessante sepeliantur omnino apud eas Ecclesias, apud quas de iure sepeliendi essent, si alias sepultura non electa forsitan decessissent. Si verò iidem religiosi, vel clerici prædictos in suis Ecclesiis, vel cœmeteriis præsumpserint sepelire, ad restitutionem tam sepultorum corporum, si petantur, quam etiam omnium, quæ occasione sepulturæ illorum peruenerint quomodolibet ad eosdem intra decendium integraliter faciendam, ipsos obligatos esse censemus. Quam nisi fecerint, Ecclesiæ ipsæ apud quas sepulti fuerint, necnon, & cœmeteria earundem ex nunc eo ipso sint, & tamdiu maneant Ecclesiastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit plenaria restitutio omnium prædictorum.* Hæc ibi.

178 Pœnæ igitur sunt, Prima nullitas electionis sepulturæ. Secunda, quod non possint sepeliri in loco electo;

Tertia, quod Ecclesiastici siue clerici, siue religiosi, qui sepelierunt debent infra decendium restituere corpus si petatur, & praeterea quaecumque receperunt intuitu sepulturae. Quarta, & nisi restituant, ipso iure sunt interdictae eorum Ecclesiae, & coemeteria. Quinta est excommunicatio cum reseruatione lata *in Clem. fin. de paenis, §. Sanè.*

178 Nonnulla dubia proponenda, & resoluenda sunt super his poenis. Primum, quid sit hoc inducere? Secundum, An praeter inductionem, ad eas poenas requiratur aliquid aliud, nempe promissio ex parte inducti, immo & si necessarium, vt sequatur effectus sepelitionis? Tertium, an inducens electionem sepulturae in aliena Ecclesia euiet poenas? Quartum, an inductus data promissione, si postea mutet voluntatem, possit sponte alibi, vel ibidem eligere sepulturam? Quintum an inductus ad testamentum, & consequenter ad electionem sepulturae expressam in testamento faciat contra dictas leges? Sextum, an perdat ius sepulturae, si inductus alias de iure erat tumulandus in Ecclesia electa? Septimum, an per inductionem conuentus perdat ius sepeliendi? Octauum, an qui inductus iurauit non mutare, possit sine periurio eligere sponte aliam sepulturam? Nonum, an soli religiosi, & clerici, an etiam seculares inducentes incurrant poenas? Decimum an sub illis vocibus comprehendantur quicumque religiosi, etiam nouitij, & quicumque clerici etiam non curati, & in minoribus constituti? Vndecimum, quodonam incipiat illud decendium, intra quod facienda est restitutio tam cadaueris, quam aliorum receptorum intuitu illius? Duodecimum, an cereorum, absumptorum pretium sit restituendum? Demum, an interdictum tollendum sit absolutione.

180 Primum, verbum, *Inducere*, importat persuasionem, exhortationem, & inclinationem ad faciendum aliquid, consequenter in casu nostro ad eligendum sepulturam, vel ad non mutandum iam sponte electam sine inductione.

181 Secundum praeter inductionem ex parte Ecclesiastici, requiritur etiam ex parte inducti formalis promissio sepulturae actu electae, seu promissio non mutandi iam electam; itaque duo necessaria sunt ex parte inducti, vt eligat actu sepulturam promissam, & vt vel iam electam promittat non mutare, non enim sufficit promittere se electurum sepulturam, ad incurrendum poenas. Sufficit autem simplex promissio licet non sit iuramento, vel voto confirmata, textus enim loquitur per dictiones disiunctiuas. Non est autem necesse, vt sequatur effectus sepelitionis cadaueris eius, qui promisit electionem sepulturae, cum in textu huiusmodi effectus non exprimatur in ordine ad poenas incurrendas. Ita docent omnes allegati, & cum Sairo *lib. 3. cap. 29. n. 40.* Megal. *lib. 4. de cens. cap. 6. n. 68.* cum D. Anton *part. 3. tit. 24. c. 51.* Nau. *c. 27. num. 103.* Portel. *v. eod. n. 3. §. Nota, Compend. resol. 128. n. 10.* Silu. *excommun. 7. n. 49.* qui ferè omnes dicunt requiri effectum promissionis, vt dixi, nempe actualem electionem sepulturae.

Tertium, inducens ad electionem sepulturae in aliena Ecclesia excusatur ab illis poenis, iam inducens, quam

182 Inductus, vt clare constat ex illis verbis: *Apud eorum Ecclesias* Sic docent Silu. Sair. *Compend. n. 9.* Lanot. *tit. a. cap. 11. de funer. n. 10.* Portel. *n. 5.* aii id procedere, quando sine malitia, & non ad instantiam alienae Ecclesiae inducit. Quamquam alioquin post factum ego excusarem sic inducentem ad instantiam alterius, quia in textu non adsunt clausulae efficaces prohibentes directè, vel indirectè electionem sepulturae.

Quartum, nullibi potest eligere sepulturam, mutata electionis prioris sepulturae voluntate oe ha-

183 beat materiam veniendi contra promissum iuramentum, aut votum, vt ibidem dicitur. Neque obstat, quod electio sepulturae sit nulla, quia aliud est electio sepulturae, quod Papa infirmat, aliud promissio, iuramentum, & votum, quo vult remanere in odium personae inductae ne audeat facere sc. sepeliri, vbi sepulturam sibi elegit, vnde *Gloss. v. Veniendi*, infert in hoc casu teneri accessorium, sine principali. *Sic tenet Rodr. cum suo Compend. res. 128. n. 7.*

184 Quintum, excluditur testamentum à praedictis, si factum fuit sine illis promissione, voto, aut iuramento, in terminis expressis, quamuis testator inductus fuerit ad testandum cum expressione sepulturae, quia hic nulla apparet promissio, aut obligatio, per quam cogatur remanere in electa sepultura, cum ex vi testamenti adhuc habeat potestatem licitè mutandi sepulturam.

185 Sextum, si in eadem Ecclesia, in qua inductus fuit ad electionem sepulturae, alias de iure erat sepeliendus ita inductus, non perdit ius sepeliendi ibidem, quia cessat finis, propter quem edita fuit ea constitutio, neque enim est periculum animae, aut scandalum aliquod, neque auaritiae suspicio, cum alias ibi sepeliendus esset defunctus siue elegisset, siue non ibidem sepulturam, vnde *Gloss. v. Apud quas*, asserit hunc ibidem sepeliendum non iure electionis, sed potestate iuris. *Ita Rodr. cum suo Compend. res. 128. n. 6. Portel. n. 4. Silu. v. excommun. 7. n. 49. §. Tertio*, optimam affert rationem ex Ioan. Andr. quia constitutio emanauit fauore Ecclesiae, in qua de iure est sepeliendus, ergo non debet retorqueri in eius odium.

186 Septimum, conuentus non perdit ius sepeliendi simpliciter, sed tantum illam personam, quam religiosus siue priuatus, siue superior induxit ad electionem sepulturae in propria Ecclesia, in textu enim irritatur huiusmodi electio, & expressè inductus priuatur sepultura electa, cum onere, vt sepeliatur cadauer, vbi alias de iure erat sepeliendum. *Sic intellige Rodr. cum suo Compend. res. 128. n. 8. Portel. n. 4.* non perdi ius simpliciter sepeliendi, quia nil de hoc in textu, sed tantum ius sepeliendi illam particularem personam, quae ind fuit.

187 Octauum, sacrilegus est aliam eligens sepulturam, vt colligitur ex textu ibi: *Ne contra votum &c. materiam habeant veniendi.* & si enim electio sepulturae nulla sit, tenet tamen promissio in odium electoris, vt dixi §. *Quartum, Compend. res. 128. n. 10.*

188 Nonum, soli religiosi, & clerici seculares incurrunt has poenas, non autem laici seculares, aut confratres aliquem inducentes ad eligendum sepulturam in suis Ecclesiis, cum non veniant sub nomine religiosorum, neque clericorum, vt de se notum est.

189 Collige hinc constitutionem poenalem mentionem de solis religiosis facientem non comprehendere clericos seculares; neque eam, quae est contra seculares clericos comprehendere religiosos, sed quando Papa vult edere aliquam legem maximè poenalem contra vtrosque sine dubio ex necessitate rerum vtrosque in specie exprimit, vt exemplum habituros ex hoc *cap. 1. de sepult.* & alibi.

190 Decimum, comprehenduntur solum religiosi professi, nam in odiosis nouitij non veniunt sub nomine religiosi, vt Doctoribus allatis docui in meo *Tract. de profess. regul. cap. 4. q. 1. §. Nonitius*, & clerici seculares Ecclesiam propriam habentes, vt sunt Parochi, Capellani, Vicarij, Collegiatae, &c. hi enim omnes dicuntur inducere ad electionem sepulturae in suis Ecclesiis, illi vero clerici, qui ecclesiis carent, neque inseruiunt permanenter, non sunt subiecti huic legi, neque enim de his curant, cum sibi per id minime consulere possint.

191 Vndecimum, illud decendium, intra quod facienda est restitutio, respectu cadaueris incipit à die petitionis, respectu aliorum à die sepulturae, *ait Gloss. v. Decendium ea ratione*, quia illa particula, *si petantur*, adijcitur cadaueri, non aliis rebus.

192 Duodecimum, restitutio facienda est solum eorum, quae remanserunt intacta, vel tantum diminuta apud Fratres, vel clericos, neque enim ratio suadet, vt restituant ea, quae non habuerunt.

Denique

193 Denique facta restitutione cadaueris, & reliquorum acceptorum intuitu funeris statim cessat interdictum, vt apertis verbis constat in fine dicti cap. Verum autem est interdictum non statim incurri, sed solum ab eo tempore, quo ecclesiastici legitime citati ad restituendum, nolunt facere restitutionem, tunc enim effecti contumaces, & inobedientes eorum ecclesiæ intelligantur subiectæ interdicto.

Sed dubitabis, à quo facienda sit huiusmodi citatio? dico, faciendam esse ab Episcopo respectu clericorum, 194 ministrorum est iudex; respectu vero Religiosorum clerici debent agere non coram Episcopo, sed coram conseruatore, quia eorum est iudex in omnibus causis, quæ contrauertuntur inter ipsos religiosos, & seculares; neque enim in illis textibus aliquid disponitur circa iudicem, qui debeat præcipere huiusmodi restitutionem, quare vnusquisque læsus debet recurrere ad iudicem lædentis, ex vulgatis enim iuribus, Actor sequitur forum rei.

Quæres 58. An Episcopus possit mandare exhumationem cadaueris indebite sepulti in ecclesiis Regulari- 195 bus? Videtur, quod non, ex mox dictis §. *Sed, Silu. v. Sepultura, n.16. ex Panor.* ea ratione, quia perinde est ac si illæ ecclesiæ essent extra Diœcesim, inquiunt vero posse Episcopum impedire talem sepulturam, cum fiat transitus in suum territorium. Non mihi placet ista responsio simpliciter, puto siquidem in aliquibus casibus Episcopum posse præcipere exterrationem corporis ab ecclesiis regularibus, vt quando sepultus fuit infidelis, seu hæreticus, per *cap. Quicumque 2. de hæret. in 6. & in casibus Clem. 1. de sepultur.* quando sepeliuntur excommunicati, interdicti, & vsurarij, in his enim inspicitur aliquid, quod, magis tangit authoritatem ordinarij, quam regularium, ideo potest Episcopus præcipere exterrationem, cum id spectet ad iura sepulturæ, quæ regularibus competunt non de iure, sed ex priuilegio. *Ita Rodr. cum suo Compend. resol. 128. n. 24. aliis citatis.*

Quæres 59. An in dubio cadauer sepeliendum sit in Ecclesia, an extra?

196 Resp. Sepeliendum est in ecclesia, vt colligitur *ex c. Non æstimemus 19. 13 q. 2. c. Sacris 12. de sepul. Lauor. tit. 2. cap. 12. in fine, vbi refert D. Anton. part. 3. tit. 10. cap. 5. §. 9. in fine.* Ratio est, quia vbi agitur de salute animæ, 197 apices iuris non sunt attendendi, *Tiraquel. in tract. de priuileg. causæ piæ priuil.* 164. & leges licet pœnales censentur fauorabiles, & sic extendendæ sunt fauore animarum, vt multis allegatis docet *Sanch. lib. 1. disp. 39. n. 5.*

Quæres 60. An exenterantes corpora defunctorum incurrant aliquam pœnam.

198 Respond. Exenterantes, vel decoquentes, vt ex carnibus ossa separent, vel in frusta cædentes, vel facientes hæc fieri, quicumque sint illi etiam pontificali dignitate præfulgentes sunt excommunicati excommunicatione reseruata? Requiritur tamen vt id faciant eo fine, vt corpus exenteratum transferant alio, siue in patriam, seu ad locum, vbi sepulturam elegerunt, dum viuerent, siue corpora sint genere nobili, vel insignita dignitatis titulo. *extr. 1. com. de sepult. Sair. lib. 3. c. 30. n. 1. & 2. Silu. v. Excom. 7. n. 79. Nau. c. 27. n. 79.* & alij communiter. Qui dicunt non incurrere exenterantes alio fine, nempe anatomiæ causa, ex ira, odio, aut ne corpus fœtet, modo non transferatur. Neque qui exenterant morientes inter infideles, vt eorum ossa possint tradere Ecclesiasticæ sepulturæ, vt expresse notatur in extrauaganti; Quod idem dicitur de magnatibus, & principibus, qui non possunt exenterari, nam verba textus clara sunt ibi *Vt cumquis cuiuscumque status, aut generis, seu dignitatis extiterit.* Compend. *tamen resol.* 128. *n.* 26 *cum Caiet. & Villalobos* dicit excipi exenterantes corpora Principum, & nobilissimorum virorum, seu procerum, vt à corruptione præseruentur, *contra Glos. v. exenterant*, & satis constat ex verbis allatis textus.

Quæres 61. Quidam Parochus exegit plus pecuniæ ab hæredibus defuncti cupientibus cadauer sepeliri apud Regulares, eo fine, vt illos retraheret à sepultura regulari, & eosdem induceret ad sepeliendum defunctum in sua Ecclesia Parochiali. An iste parochus peccauerit, & in aliquam pœnam inciderit?

Respond. Peccauit mortaliter vitio simoniæ, vt col- 199 ligitur *cap. Audiuimus 41. de simon.* vbi magis ad rem hanc, *cap. Non sunt 8. cap. Cum in Ecclesiæ 9. eod. cap. Quæsta 12. 13. q. 2. cap. Præcipiendum 15. ead.* Confirmatur id, quia adest excommunicatio contra Parochos Indiarum in re hac, ea Bulla Clem VIII. *apud Rodriq. Bullar. fol. 1205. referente Portello v. Sepultura, in Addit. n. 2.* extendente eam pœnam ad alios parochos extra Indias, tum quia est fauoratorius religionis; tum quia est declaratio iuris communis, imò naturalis, quo Curati non possunt petere aliquid vltra ius parochiale, & id de iustitia; cui assentitur Peyrin. *tom. 3. priuileg. cap. 4. n. 8.* Sed allatæ rationes probant solum peccatum simoniæ, & iniquitatem Curati sic agentis, nullatenus eam pœnam extendi ad quoscumque Parochos, pœnæ siquidem extendendæ non sunt, sed restringendæ ex vulgaris iuribus. Simile nostræ responsioni est quod cen- 200 suit S.C. non posse Curatos plus recipere pro tumulandis cadaueribus forensium, quam ciuium, sub die 27. Maij 1617. apud Lauor. *tit. 2. cap. 10. n. 7.*

Quæres 62. An corpora defunctorum sepeliri possint in quauis parte Ecclesiæ siue sub terra, siue super terram in sublime?

Respond. Ex Constitut. Pij V. incip. *Cum primum*, cor- 201 pora defunctorum super terram in sublime eleuata amoueri debent, & sepeliri subtus terram; loquitur autem de cadaueribus in Ecclesia tumulatis sublime, quæ ex capsis extrahenda sunt, & tumulanda sub terra, relictis sepulchris, & monumentis suis locis, siquidem hæc non prohibentur. Et S.C. prohibuit corpora defun- 202 ctorum collocari subtus altaria, vel bradellas, & si quæ ibi sunt sepulchra mandauit impleri terra *per c. Nullus 18. 13. q. 2. Ita refert Nald. v. Sepult. num. fin.* & habetur in Rituali Romano, tit. de exequiis.

Quæres 63. An sacerdotibus etiam regularibus assignanda sit sepultura, in qua neque clerici, & multo minus seculares personæ sepeliri possint.

Respond. Assignanda est sepultura specialis sacerdo- 203 tum, & clericorum, cuiuscumque ordinis, vbi fieri potest, ita quod à sepulchris laicorum separata sit, vt in eodem Rituali loco citato §. *Sepulchra.* Adest clausula, *si fieri potest*; Quare in sepulchris regularium etiam sa- 204 cerdotum sepeliri poterit consanguineus, amicus, benefactor, si occasio se obtulerit, cùm id non sit prohibitum simpliciter, sed potius sub consilio ordinatum, vt ex illis verbis colligi potest.

Quæres 64. An Episcopus possit punire regulares quosdam, qui in processione funerali per vim rapuerunt cadauer, quod in eorum ecclesia elegerat sepulturam, parocho contendente, & volente sepeliri in sua parochiali? Videtur sic ex *cap. 14. sess. 25.* vbi, regulares extra claustra delinquentes, si ab superiore suo non puniantur, possunt ab Episcopo corrigi. Præterea id non nisi cum scandalo accidere potest; scandalum autem dare, est conditio conferens iuris dictionem, *Sousa Aphorism. Inquisit. lib. 1. cap. 31. n. 8.* ergo saltem ratione scandali dati habet ius eos corrigendi.

Respond. Non potest punire, & quia non delique- 205 runt, & quia sunt exempti; primum suadetur, tum ex illa generali regula: Qui vtitur iure suo nulli facit iniuriam; sed cadauer erat illorum proprium, ergo poterant illud eripere de manibus Parochi, qui illius dominus non erat efferendi in propriam parochialem. Tum quia de facto procedenti de facto resistendum est, id enim leges permittunt. *l. 1. §. Et hoc edictum ff. si mulier. vent. Marcus de Mantua sing. 446. apud Peyrin. tom. 3. cap. 2. n. 6.* Tum quia possum propria authoritate aliquid mihi rapienti resistere, & in tuto ponere, vt

docent omnes *in tit. de Rapter. & furtis*; ergo & similiter isti religiosi poterant vindicare sibi cadauer illud, quia erat in eorum bonis. Secundum suadetur, quia eorum exemptio, vt non puniantur ab Episcopis, notoria est, etiam ex vi allegati cap. Tridentini, ibi enim non committitur facultas Episcopis corrigendi religiosos, nisi in casu, quo eorum superiores neglexerint correctionem. Præterquamquod illud Decretum non facit ad casum præsentem, in quo nullum apparet delictum ex probatis. Et sic tollitur secunda ratio, quia ibi nullum est scandalum nisi Pharisaicum, vnde monédi sunt seculares ipso actu, qualiter ille defunctus elegerat sepulturam apud regulares, & si cessat scandalum religiosorum, & præter intentionem pullulat scandalum Curati volentis sibi vsurpare alienum cadauer.

Quæres 65. An pro nouitio moriente apud consanguineos, vel alios extra conuentum sepeliendo apud Regulares, debeatur quarta Parocho, sub cuius parochia mortuus est.

206 Respond. Non debetur, quia illam exigit solum respectu suorum parochianorum; nouitius autem non dicitur parochianus, quia in eius parochia domicilium non habet, sed incidenter ibi repertur, et censetur si ibi non fuisset, qui enim reperitur in loco, à quo breui recessurus est, non censetur ibi fuisse *cap. Diuortium* 21. *dist.* 1. *de pænit. l.* 1. §. *Qui præsens, ff. de verb. signisicat.* Ita docent *Rodr. q.* 39. *art.* 4. *Mirand. tom.* 2. *q.* 48. *art.* 9. *concl.* 3. *Anchar. Filip. Franc. in cap. Nullus, de temp. ordin. in* 6. *cum aliis, & Compend. resol.* 18. *n.* 5. Contra Curatum de *iurib. parochial. tit.* 6. *cap.* 2. *& tit.* 7. *cap.* 12

Quæres 66. Quomodo probetur electio sepulturæ apud regulares?

207 Respond. Electio sepulturæ fieri potest vel ore tenus, vel per scripturam. Oretenus facienda est coram testibus saltem duobus, quia omne verbum stat in ore duorum, vel trium testium; pro causis enim piis sufficiunt duo testes, *cap. Cum esses* 10. vbi testamentum factum coram Parocho, & duobus testibus tenet; sed electio sepulturæ est actus vltimæ voluntatis per doct. *in cap. Licet de sepult. in* 6. *Nau. cons. eod.* Per scripturam, quod contingere potest tribus modis; vel per testamentum, quod licet sit inualidum, tenet tamen electio sepulturæ, sicut & electa in codicillis nullis; vel per scripturam manu propria subscriptam; vel per duos testes, vt supra, subscriptam, *Laurent. tit.* 2. *cap.* 11. *n.* 18. *per Anth. ex causa C. de liber. prater. Sebast. Medices q.* 8. *de sepult. n.* 3. Sufficiunt quicumque testes, vti familiares serui, & inhabiles, tales enim adhibentur in causis piis, vt in matrimonio *Sanch. lib.* 3. *disp.* 21. *n.* 5. Licet sint testes singulares probantes nempe pro diuerso tempore, *Genuens. cap.* 76. *n.* 8. *Barbos. ad cap. In omni, de testib. n.* 55. *Riccius decisi.* 664. *Pasqualigus decis.* 404 *&* 405. *&* 406. vbi probat sufficere etiam dictum confessarij.

Quæres 67. An Episcopus, vel communitas possint constituere tot sepulchra, in quibus omnes debeant sepeliri, & non alibi, non obstante electione sepulturæ, quæ nullius sit momenti?

208 Respond. Non potest, quia electio sepulturæ est actus vniuscuiusque in particulari propriæ voluntatis. Deinde huiusmodi statutum ex parte Episcopi est expresse contra ius commune, in quo vnicuique conceditur libertas eligendi sepulturam, vt constat toto tit. de sepult. ex parte communitatis, & quia est pariter contra ius commune atque ipso iure nullum, & quia super causis spiritualibus nullus laicus, vel communitas aliquid statuere potest, neq; negotia spiritualia pertractare, *cap.* 2. *de indic. cap. Tua* 25. *de testam.* ius autem sepulturæ est Ecclesiasticum, & locus sacer appellatur *claus.* 13. *q.* 2. *per totum, & doct. in tit. de sepult.* ita docet *M. Anton. lib.* 1. *resol. fin. casu* 59. resoluendo non potuisse quandam communitatem eligere sepulturam pro omnibus in Ecclesia Minorum de Obseru. strictiori, cum electio sit actus propriæ voluntatis cuiusque quale non est corpus fictum communitatis.

Quæres 68. Quid decreuerit S. C. *de Tertiariis quarumcumque* religionum quo ad sepulturam? *Vide Laurent. tit.* 2. *de funer. cap.* 11. *n.* 102. vbi refert ad verbum duas eius responsiones, quæ compendiose subiiciuntur.

209 Respond. Reformati Obseruantiæ S. Francisci petierunt resolutionem quatuor dubiorum, quibus S. C. satisfecit 11. Decembris 1615. partibus auditis.

Primum dubium, An cadauera suorum Tertiariorum sint sepelienda in suis Ecclesiis? Respond. posse, & debere etiam non requisito, aut inuito Parocho, si habent conditiones requisitas in Concilio Later. Quod viui collegialiter, aut claustraliter viuant; mulieres vero virginalem, vel cælibem, aut castam vidualem sub expresso voto, & Tertiariorum habitu vitam ducant, cum sequentibus conditionibus in responsione ad secundum. *Fusius dixi Resol.* 75. *q.* 9. §. *Sepulturam.*

Secundum, An in eisdem Ecclesiis sepelienda sint cadauera eorum, qui dicti ordinis habitu indui ex hac vita migrarunt? Respon. Si constiterit de duabus conditionibus requisitis in Bulla Aurea v. d. si habitum susceperint à superiore per se vel per alium, & si præmonuerint eorum cadauera sic induta esse deferenda ad eorum Ecclesiam, esse apud regulares sepelienda. Iuxta quod ego dixi supra *supra sub q.* 20. *a n.* 48. *ad* 57. Ista præmonitio respectu Tertiariorum formaliter non requiritur, sed sufficit, quod gestauerint habitum, dum viuerent de licentia superiorum, id enim est æquiualens præmonitio sepulturæ apud regulares, cum illum detulerint, vt sub obedientia viuerent, & fruerentur spiritualibus eorum priuilegiis tamen vita, quam post mortem.

Tertium, Num & illi, qui coram testibus dum taxat, licet absque scriptura in eisdem Ecclesiis sepulturam sibi elegerint, ibidem sint sepeliendi? Respond. affirmatiuè, sine præiudicio iurium paruchialium. Dixi ego supra *n.* 207.

Quartum, An huiusmodi cadauera apud regulares sepelienda sint deferenda ad parochialem, an vero à domo defuncti immediate ad Ecclesiã regularem? Respond. Recto tramite ad Ecclesias regulares, Parocho expectato, & si monitus expresse noluerit venire, eo inuito posse cadauer deferre ad sepulturam electam. Quod non possit Curatus cogere, vt deferatur cadauer prius ad parochialem dixi supra *n.* 58. De recusatione dixi *n.* 60.

In alia responsione data 20. Decembris 1616. dicitur, quod confessarij regulares non approbati ab ordinario non possunt excipere confessiones mulierum Tertiariarum; neque eisdem sacram communionem in die Paschatis dare. Quo ad sepulturam, & alia priuilegia respondit, Tertiarios gaudere, si viuant collegialiter, vel cum claustralibus, & esse exemptos ab ordinariis, & mulieres, si cælibem, seu castam vitam expresso voto cum habitu degant iuxta Concil. Later. licet alia duo vota non faciant, & viuant vel apud consanguineos, vel affines, vel per se

Quæres 69. An religiosus testis de sepultura electa in propria Ecclesia sit idoneus?

210 Respond. Sic, *ex cap. Super prudentia* 14. *q.* 2. *cap.* 21. *Insuper* 6. *cap. Cum nuntius* 12. *cap. Tuis* 39. *de testibus* vbi dicitur, religiosos in causis suæ Ecclesiæ testimonium ferre posse, *cap. Etsi Christus* 26. *de iureiur.* Neque per hoc dicitur testis in propria causa, quia causa Ecclesiæ non est causa singulorum, *Cap. Qui manumittitur* 12. *q.* 2. sed causa totius corporis Ecclesiæ. præterea Legatarius potest esse testis in testamento, in quo sibi sit legatum, *Instit. de testam.* §. *Legatarius.* Deinde testis interessatus non repellitur, quando non agitur principaliter de eius interesse, *Gratus lib.* 2. *consil.* 41. *numero* 17. *Putens lib.* 3. *decis.* 15. *Iason. in l. Si quis nec causam, ff. si cert. pet. Rota volum.* 4. *numero* 11. *decis.* 144.

decis. 144. & 254. In collegiatis clericorum secularium potest quis esse testis idoneus de electione sepulturæ, non obstante quod agatur de interesse suæ Ecclesiæ, & aliquo modo proprio, cum ex funerali recipiat cum aliis suam eleemosinam, ergo & religiosus à fortiori, cui nullum obuenit stipendium, cum tota eleemosina sit monasterij.

Quæres 70. Pro castro N. Religiosus quidam sacerdos ab ordinario approbatus fuit ad audiendas ibidem confessiones militum, cuius Castri dictus sacerdos vocatur Capellanus, ita quod exequitur ibidem eas omnes functiones, quas extra in propriis parochiis exercent singuli Parochi, excepto, quod in castro non fiunt publicationes matrimoniorum. An dictus Capellanus quando associat corpus, seu cadauer alicuius militis ab Ecclesia sua Castri ad extraneam Ecclesiam, seu etiam ad eam parochialem sub qua dicitur esse castrum, & in qua fiunt publicationes matrimoniorum, ipse faciat officium cum stola vsque ad valuas Ecclesiæ, in qua cadauer mortui militis sepeliendum est, iuxta vsum Parochialium dictæ ciuitatis. Videtur officium esse faciendum ab eo Parocho, in cuius parochia est Castrum; Tum quia ibi fiunt denuntiationes, & matrimonia; Tum quia Ecclesia Castri non est parochialis, sed subiecta parochiæ; Tum quia ille religiosus est solum capellanus in Ecclesia Castri, & subditus Parocho, ergo ipse non potest leuare cadauer, neque deferre stolam sine licentia Parochi, hæc enim sunt munia propria Parochi, non capellani. Quibus tamen non obstantibus.

211 Respond. Ille religiosus in Castro deputatus confessarius in exercendis ibidem munera, parochialia censendus est, ac si verè, & proprie esset Parochus respectu omnium in castro cohabitantium, quod probatur. Tum quia ibi exercet iura parochialia, nam ibi administrat militibus, & aliis vtriusque sexus ibidem domicilium habentibus omnia Ecclesiæ sacramenta, ergo ibidem est Parochus. Tum quia moribundis præbet sacrum viaticum, & exequias defunctorum ibidem pie inceptas cum stola, & super pelliceo, seu cotta comitatur cadauera vsque ad Ecclesiam, in qua sepelienda sunt, vt notum est, ergo eo modo quo incæpti nimirum eum cotta, & stola, debet perficere funus vsque ad valuas Ecclesiæ sepulturæ *arg. cap. Nullus Episcopus dist. 1. de consecr.* vbi dicitur, quod principium ponens

212 totum supplere debet, *Glos. v. Compellantur p. 58. de elect. Facit responsio S. C. apud Barbosam in suo Bullar. v. Stola.* vbi dicitur, Stolam sicut defert Parochus secularis in propria parochia & in Parochia Fratrum, dum defuncti corpus in eorum Ecclesia sepelitur, potest in eodē casu, & in eodem tempore Parochus regularis eamdem stolam deferre non solum in propria Parochia, verum etiam in Parochia defunctorum, sub die 30. Septembr. 1628. item, Parochus Monachus stolam in funeralibus deferens ingredi potest parochiam secularium, sicut ingrediuntur seculares Parochi Monachorum parochiam. In Asculana 29. Ianuar. 1629. apud præcitatum. Ridiculum ergo est dicere in casu nostro, illum capellanum Castri, siue secularem, siue regularem posse administrare in Ecclesia castrensi omnia sacramenta militibus, & leuare inde cadauera mortuorum militum sepelienda extra castrum in aliis Ecclesiis, cum cotta, & stola fungendo munere Parochi iure suo, independenter à quouis alio parocho, & assumptam circa collum stolam non posse deferre associandam funus vsque ad valuas, vel intra Ecclesiam, in qua sepeliendum est corpus mortui militis, vel alterius sibi subiecti parochiani.

Ad obiecta patet responsio ex dictis, Ecclesiam Castri esse exemptam à Parochia, in cuius districtu est Castrum, consequenter habere iura propria ita quod ibi constitutus Capellanus ab ordinario iure proprio administret sacramenta ibidem existentibus inde pendenter à quouis alio Parocho, & solum dependet immediate ab ordinario. Ibidem autem denuntiationes non fiunt, quia sunt faciendæ sunt in Ecclesiis, in quibus omnibus pateat aditus, cuiusmodi non est Ecclesia Castri, in quem nulli indifferenter conceditur ingressus.

Quæres 71. An non solum Ecclesiæ virorum regularium, sed etiam Monialium exemptarum exemptæ sint à iurisdictione Parochorum, & aliorum in materia funeralium, ita quod nullus intra earum Ecclesias, quoties cadauera defunctorum ad easdem, possit nec canonicus, nec clerus peragere officia mortuorum, ac reliqua, quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent? Casus occurrit Parmæ inter Carmelitas Discalceatos, & Rectorem Sancti Spiritus, seu alios respectu Ecclesiæ S. Antonij de Padua Monialium eiusdem ordinis S. Teresiæ.

213 Respond. Sacra Congregatio in hæc verba. *Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Trident. interpretum sæpius censuit, quoties cadauera Defunctorum ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, ac reliqua, qua in huiusmodi ministerio adhiberi solent, non à canonicis, neque à clero, sed à Fratribus ibiri, ac peragere debere. Cosm. Card. de Torres. P. Fagnanus Die 19. Martij 1639. eamdem S. C. Eminen. Cardinal. Concil. Trident. interpretum censuit, supra dictum decretum habere locum etiam in Ecclesiis monialium ordinis Mendicantium I. B. Card. Pamphilius. Fran. Paulutius S. C. C. secr. Romæ & Placentia apud Ioan. Anton. Ardizonum.* Priorem declarationem retuli supra ad finem q. 8. Posteriorem verò dederunt Patres Emin. ad instantiam S. Mariæ Planchæ Parmæ.

Licet autem declaratio exprimat exemptionem solum pro religiosis viris, & monialibus Mendicantium, nihilominus idem omnino dicendum est de regularibus non Mendicantibus, & Monachalibus, cum eadem omnium sit ratio fundata in vniuersalissima communicatione priuilegiorum, Patres autem expresserunt solum ordines Mendicantium, quia declaratio petita fuit solum ad instantiam Mendicantium.

Quæres 72. An religiosus hospes moriens in ciuitate, vbi sunt duo conuentus sui ordinis in vno eorum possit eligere sepulturam? Respondet Pasqualigus decis. 383. *nu.* 3. distinguendo non posse sepulturam eligere, si tenetur obedire prælato monasterij, quia caret tunc velle, & nolle, quia subditus illi tanquam proprio superiori, licet moreretur extra illud monasterium; posse verò eligere si non tenetur obedire, rationem affert, quia res eodem pacto se habet, ac si ibi nullum adesset monasterium, quia sicut non subditur prælato monasterij, nec in ipsum habet ius, ita nec prælatus habet ius supra ipsum, & sic religiosus haber proprium velle, quod procedere ait, licet degeret vt hospes intra monasterium, limitat tamen nisi adsit constitutio, aut consuetudo in contrarium, modo tamen constitutio, sit ex certa scientia approbata à Papa, quia cum concessio eligendi sepulturam iuxta *c. fin.* vigeat, constitutio contra eam à Papa non confirmata præualere non potest contra dispositionem iuris.

214 Respond. In hoc casu non potest eligere sepulturam, sed sepeliendus est in conuentu vbi moritur, seu si in domo seculari, in Ecclesia illius monasterij, ad quod accedebat. Probatur, quia religiosus in tantum habet ius eligendi sibi sepulturam, in quantum abest à monasterio sine sit proprium, quia ibi sit collocatus de familia, vt dicitur, siue commune eiusdem nimirum ordinis sed in casu nostro non dicitur abesse à monasterio aliquo sui ordinis, quod habitu dicitur sibi proprium, cum in eo possit collocari de familia à superiore maiore. Confirmatur ex cap. 1. 16. l. t. ibi: *Mortuum non sepelias nisi monachum in monasterio secum commorantem vel si fortuito quemquam aduenientium Fratrum ibi mori contigerit.* Ecce quod aduena, & proprius comparantur in ordine ad sepulturam, ergo sicut proprius ita neque peregrinus sibi eligere potest sepulturam. Inducitur à simili, nam religiosi quo ad sacramentum pœnitentiæ subduntur

subduntur suis prælatis, multum enim conducit religioni, vt peccata intra religionem magis, quam extra corrigantur, vt reprehensionibus, & asperis pœnitentiis religiosi retrahantur à peccatis, sed religiosus extra ordinem peregrinans non potest eligere, extraneum in confessarium, quando reperitur in conuentu alio sui ordinis, imò neque extra in monasteriis aliorum ordinum, quando habet socium sacerdotem sui ordinis, vt probaui *Resol.34.initio & qu.1.* ergo neque sepulturam eligere potest, cum de iure sufficienter illi prouideatur à conuentu sicut prouidetur de confessario, ideò enim religiosus in remotis se reperiens eligit sepulturam, quia iure naturæ quisque propria auctoritate sibi prouidere potest in necessariis quando aliunde non adest prouisio, quam sufficienter habet paratam à conuentu vbi moritur.

Nec obstant allata, nam illa distinctio non videtur congruere, cum in omnibus religionibus bene ordinatis, hospites, vt dixi *resol.78. numero 52.* subsint aliqua ratione superioribus, in quorum monasteriis degunt. Deinde opinio multum probabilis est aduenas teneri statutis, & ordinationibus loci per quem transeunt, ergo à fortiori religiosi. Præterea in licentia peregrinandi concessa ab Episcopis suis subditis continetur implicite facultas recipiendi sacramenta, & huiusmodi, ergo à simili, quando superior dat licentiam peregrinandi suo religioso subintelligitur concessa facultas recipiendi sacramenta, & sepulturam eo modo, quo poterat ea recipere in proprio conuentu, in quo sicut subditus erat illi quo ad ea omnia, ita etiam extra, vt non valeat eligere sepulturam, sed ibi sepeliatur vbi moritur in conuentu. Neque verum est, statutum vt hospites in conuentibus sui ordinis eligere non possint sepulturam, esse contra *capit. fin.* de sepul. in 6. quia ibi simpliciter prohibetur electio sepulturæ, consequenter statutum est conforme iuri communi, & solum ibi excipitur casus, quando moritur in remotis, & non potest deferri ad proprium monasterium, quale etiam censetur illud vbi vt hospes reperitur, cum habitu sit proprius, quia ibi à superiore collocari potest.

215 Idem autor sequentibus decis. 384. probat prælatos locales posse sibi eligere sepulturam extra ordinem, quia habent velle, & nolle non limitatum ad hæc vel illa loca. Et decis. 385. hoc idem asserit de consultoribus sui ordinis. Sed respondetur carere in hoc velle, & nolle, quia subduntur illi capiti fin. de sepult. in 6. sub nomine religiosorum, neque enim odiosum est negare electionem sepulturæ illis, qui iam deputatam habent à religione, solum ergo illi habent electionem, qui in remotis nullam habent ab ordine designatam sepulturam, turpe autem est religioso, & signum ingratitudinis nolle communicare mortuis, cum quibus dum in religione viueret fratribus communicauit.

Quæres 74 An Religiosus ministrare possit sacramenta, & sepelire in sua Ecclesia famulum conductum pro fabrica suæ Ecclesiæ, è qua cecidit, paulo post mortuus est in conuentu?

216 Respond. Ministrare potest sacramenta; non autem ibi sepelire, sed cadauer spectat ad proprium Parochum, nisi in Ecclesia Regulari elegerit sepulturam.

Primum constat ex eo, quod Parochus intra claustrum nullum exercere potest actum iurisdictionis, ergo stãte necessitate sacramẽta ministrantur illi per religiosos. Deinde sicut religiosis morientibus in domo parentum Parochus administrat sacramenta, & non superior regularis, vt alias declarauit S. C. ad instantiam Archiep. Bunon. ita è contra laicis morientibus apud Regulares ministrat sacramenta sacerdos regularis. Demum, casus fortuitus, & articulus mortis id exigebant. Faciunt, quæ dixi tom. 1. resol. 20. num. 18.

Secundum de sepultura probatur. Tum quia Parochus certum ius habet sepeliendi in propria Ecclesia suos subditos, vbicumque moriantur, *cap. Ex parte, cap. In nostra, de sepult.* nisi alibi sepulturam elegerint, aut in alia Ecclesia habeant sepulcrum maiorum suorum, *cap. Ebron. cap. Placuit, 13. q. 2. cap. 1. de sepult. Cap. Is qui eod. in 6.* sed prædictus famulus non elegit sibi sepulturam, neque habet sepulcrum suorum maiorum, ergo sepeliendus est in Ecclesia Parochiali. Tum quia per hoc, quod conductus. inseruiebat fabricæ Ecclesiæ regularis, & casu mortuus est intra claustra, non non desinit esse subditus proprij Parochi, neque enim erat commensalis, & familiaris actu degens cum Regularibus, sed tantum famulus conductus incidenter occasione fabricæ; neque per hoc acquisiuit habitationem, seu domicilium intra monasterium, ergo nulla ratio suadet dictum cadauer sepeliendum esse apud Regulares, cum sic mortuus adhuc sit actu subditus sui Parochi, sicut antea. Tum quia Parochus non amittit ius sepulturæ, licet ciuis eius moriatur in villa, *cap. Is qui, cit. de sepult.* vbi deciditur morientem in villa sepeliendum esse in Ecclesia ciuitatis, cui suberat viuens, ergo idem dicendum in casu nostro. Tum quia pluribus concurrentibus ad electionem sepulturæ pro aliquo mortuo, si fuerint pares, electio sepulturæ spectabit ad Parochum, *ex Lambert. Lauor. tit. 2. funer. cap. 9. num.* 103. sed duo tantum in casu nostro concertant, Parochus, & Superior, ac proinde pares, ergo electio spectat ad Parochum. Tum quia religiosus mortuus extra in domo parentum sepelitur apud Regulares ex clara declaratione S.C. ergo & è contra laicus casu moriens in monasterium sepeliendus est in Parochiali. Casus accidit Placentiæ, vbi Patres N. quidem sacramenta administrarunt, cadauer vero secreto, & priuatim deposuerunt in domo cuiusdam secularis, vt inde leuaretur a Parocho. Poterant etiam cadauer sistere ad portam exteriorem conuentus, vt inde efferretur ad Ecclesiam Parochialem, hoc enim modo Parochus nullum munus exercet intra collegium, seu monasterium religiosorum.}

217 Refero duas Bullas Vrbani VIII. quæ faciunt pro hac materia extensas apud Peitin. tom. 3. priuileg. in quarum prima concedit, quod Regulares non possint prohiberi associare corpora defunctorum; & quod Curati non possint cogere hæredes defunctorum celebrari facere Missas in suis Ecclesiis parochialibus; sequentis tenoris.

Nuper pro parte dilectorum filiorum procuratorum generalium Ordinum Prædicatorum, S. Francisci, S. Augustini, & B. M. de Monte Carmelo Discalceatorum, nuncupatorum, nobis expositum fuit, quod alias à venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus sacris Ritibus præpositis, emanauit Decretum sequentis tenoris, videlicet. Instantibus Procuratoribus generalibus Ordinum Prædicatorum, S. Francisci S. Augustini, & Discalceatorum Carmelitarum declarari. Primo, an liceat Curatis saluis eorum iuribus parochialibus, impedire contra voluntatem hæredum defunctorum, ne Regulares vocati ad funus, corpora defunctorum ad quasuis Ecclesias deferenda vna cum Parochis, & clericis processionaliter associent? Et ad hoc S. Congr. Rituum respondit, Regulares in casu proposito non posse impediri. Secundo, an prædicti Curati possint cogere hæredes, seu executores testamentarios, vt pro defunctis, qui tumulantur in Ecclesiis Regularibus, in Ecclesiis etiam Parochialibus celebrari faciant officia nouennalia, & anniuersaria, prout celebrantur in Ecclesiis Regularibus, in quibus cadauera sepeliuntur. Et Sacra Rituum Congreg. respondit, non posse cogere. Die 23. Aprilis 1633. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes, Decretum præinsertum Apostolicæ nostræ confirmationis robore communiri summopere desiderent. Nos illos specialibus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, eorum singulares personas à quibusuis excommunicationis, &c. supplicationibus illorum nomine nobis super hoc porrectis inclinati, Decretum præinsertum apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, & confirmamus, illique inuiolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus, ac omnes, &

singulos

singulos tam iuris quam facti defectus, si qui de super quomodolibet interuenerint supplemus. Decernentes Decretum præfatum, nec non literas præsentes valida, firma, & efficacia existere, & fore, ac ab omnibus, ad quos spectat, inuiolabiliter obseruari; sicque per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, & causarum Palatij Apostolici Auditores iudicari, & definiri debere: Ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, &c. Datum Romæ die 25. *Iunij* 1633. Vide supra *sub* q. 37. vbi de hac Bulla.

Secunda Bulla eiusdem Vrbani apud dictum Peirinum extenditur, & in ea Papa mandat Ordinarijs locorum, vt decernant, ne Parochi plus percipere possint in sepulturis, quæ fiunt in Ecclesijs Regularium, quam in eis, quæ fiunt in proprijs, seu aliorum clericorum, tenoris sequentis.

Cum sicut dilectus filius Blasius Procurator Generalis Fratrum Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci nuncupatorum, Nobis nuper exponi fecit, diuersa exactiones excessiuè à dilectis filijs Capitulo, & Canonicis secularibus, & Collegiata loci Vegliæ Brundusina diœcesis; nec non etiam à diuersis Parochis aliorum locorum, fiant pro impedienda libertate electionis sepulturæ in Ecclesijs ordinis huiusmodi; Nobis propterea supplicari humiliter fecit vt de opportuno in præmissis remedio prouidere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur dictum exponentem specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, & à quibuscumque excommunicationis, &c. huiusmodi, supplicationibus inclinati de venerabilium Fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotijs Regularium præpositorum consilio, Ordinarijs locorum per præsentes committimus, vt prouideant omnino, ne dictis abusus huiusmodi tolerentur, & decernant, ne Parochi plus percipere possint in sepulturis quæ fiunt in Ecclesijs Regularium, quam in eis, quæ fiunt in proprijs, seu aliorum clericorum. Non obstantib. &c. Datum Romæ die 11. *Martij* 1638.

218 Inserenda hic sunt nonnulla Decreta S. Congreg. quæ refert Peirin. de Priuileg. in editione Veneta.

Primum circa sepulturam in Ecclesijs Regularium datum fuit die 19. Iulij 1636. sub his verbis propositum. *Quæsitum fuit, an Rectores Parochialium Ecclesiarum loci de Baraxas Toletanæ Diœcesis, habeant, aut prætendere possint ius sepeliendi cadauera defunctorum in Ecclesijs conuentus Conceptionis, dicti loci absque vlla desuper licentia de superioris conuentus? Sacra Rituum Congregatio respondit. Non licere Curatis sepelire cadauera defunctorum, nec officia facere in Ecclesijs Regularium absque expressa licentia Guardiani, Superioris Ecclesiam ipsorum Regularium, non obstante contraria consuetudine.* Nota hic, quod Superior Regularis gratiam facere potest Curato, vt in sua Ecclesia fungi possit munere pro exequijs defunctorum.

Secundum Decretum pro sepultura defunctorum datum fuit die 21. Nouembris 1637. his propositum. *Regulares terræ Matelicæ Camerin. proponunt Eminentiis vestris infrascripta dubia, eaque petunt humiliter declarari. Primo, an possint hæredes defunctorum vocare numerum Religiosorum sibi bene visum in deferendis cadaueribus ad Ecclesias? Secundo, an cadauera efferri, seu tolli possint ab alijs etiam Regularibus & quibuscumque non vocato, nec expectato Parocho, nisi ipse Parochus aliud permiserit, vel adesse recusarit? Tertio, an cadauer quotiescumque ad Ecclesias Fratrum Mendicantium, aliorumque Regularium officia mortuorum, & reliqua munia, quæ in huiusmodi ministeria adhiberi solent, fieri debeant à Canonicis, & Clero, vel ab ipsismet Regularibus ipsius Ecclesiæ, vbi cadauer. sepelitur? Quarto, an Crux Parochialis deferri etiam debeat, quando cadauer defertur ad Ecclesiam Regularem, attenta consuetudine, & semper delata fuit vna tantum Crux illius Ecclesiæ, ad quam corpora fuerint delata?*

Sacra Rituum Congregatio supradictis dubijs sic respondendum censuit. Ad primum posse hæredes Defunctorum vocare numerum Religiosorum sibi bene visum. Ad secundum, negatiuè. Ad tertium, non à Canonicis, nec alijs, sed ab ipsismet Regularibus in proprijs eorum Ecclesijs officia super cadaueribus peragi debere. Ad quartum, vnicam tantum Crucem in cadaueribus efferendis esse deferendam, & illam esse debere illius Ecclesiæ, ad quam corpus defuncti effertur.

Intelligitur id, quando in vsu est deferre vnam tantum Crucem, nam hic Parmæ vnaquæque religio defert propriam.

Tertium Decretum de electione sepulturæ libere facienda pro filiis à parentibus, datum 20. Ianuarij 1640. sequentis tenoris.

Sacra Congregatio Cardinalium negotijs Regularium præposita sæpius censuit, licere parentibus, in quacumque Ecclesia voluerint, etiam Regularium eorum filios minoribus qui ad annos pubertatis nendum peruenerunt, eligere sepulturam; nec à Parochis locorum impediri posse, aut debere, præsertim verò si in dictis Regularium Ecclesijs sepeliri consueuerint, vel in ea habeant sepulcrum maiorum.

219 Nota, quod si parentes non consueuerint sepelire suos, aut non habeant sepulcrum maiorum, adhuc libere sepulturam eligunt suis filiis, nam illa dictio, Præsertim, non est restrictiua, sed ampliatiua, nam significat idem esse iuris in casu contrario, *Natta consil.* 590. *numer.* 4. *tom* 3. *Caued singul.* 83. *numero* 2. *ex illis Barbosa hac dictione.* Puer autem dicitur peruenisse ad annos pubertatis, qui excessit decimum quartum suæ ætatis, quod idem dicendum videtur de puella facere patentum, igitur parentes filiis excedentibus decimum quartum annum non possunt eligere sepulturam.

Quæres 75. An candelæ maioris ponderis dari possint ad manus clericorum, & minoris distribui Religiosis in funerando?

220 Respond. Debent esse æqualis ponderis, quia ratione status Ecclesiastici sunt æquales & pares inter se Clerici, & Religiosi, ideo ad impatia non debent iudicari, sed pari honore, & reuerentia tractandi sunt, ad euitandum quoque scandalum eiusdem ponderis debent esse candelæ. Confirmatur, quia Religiosi non sunt deterioris conditionis, sed melioris quam sint clerici, *Gloss. v. Monsale, cap. Cum ad nostram* 32. *de elect.* ergo saltem illis pares tractari debent, cum vtrorumque par sit labor, & prosecutio funeris.

OCTAVIANVS RAGGIVS 221

PROTHONOTARIVS APOSTOLICVS

Vtriusq. Signaturæ S.D.N. Papæ Referendarius, necnon Curiæ Causarum Cameræ Apostolicæ generalis Auditor, Romanæq. Curiæ Iudex ordinarius: sententiarum quoque, & censurarum in eadem Romana Curia, ac extra eam latarum ac litterarum Apostol. quarumcumque vniuersalis, & merus executor ab eodem Sanctiss. D.N. Papa specialiter electus, & deputatus.

VNiuersis, & singulis RR. DD. Abbatib. Priorib. Præpositis, Decanis, Arch. Scholasticis, Canonib. Custodib. Thesaurariis, Sacristis, Parochialiumque & Collegiatarum, Ecclesiarum, Rectorib. seu Locumtenentib. earum, Plebanis, Viceplebanis Curatis, vel non Curatis, cæterisque Presbyteris necnon Clericis, Notariis, & Tabellionib. quibuscumque illique vel illis ad quem vel ad quos, præsentes nostræ litteræ peruenerint, seu quomodolibet præsentabuntur salutem in Domino, & nostris huiusmodi, imò verius Apostolicis firmiter obedire mandatis. NOVERITIS ex parte, & ad instantiam RR. Fratrum S. Francisci Minoris, & strictioris, ac quorumcumque eorumdem RR. Fratrum Conuentuum in quibusuis mundi partib. existen. principalium instantium, Decretum Sacræ Congregationis Rituum de, & super declaratione quod officium super Cadaue rib.

Cadaueribus in Ecclesiis Regularium spectet ad ipsos Regulares ad supplicationem dictorum instantium emanatum sub die 27. Nouembris 1638. Nobis præsentatum fuisse sub infrascripto tenore videlicet. SACRA Rituũ Congregatio iuxta alias resoluta respondit officium super Cadauerib. in Ecclesiis Regularium spectare, & pertinere ad ipsos Regulares, non autem ad Curatos defunctorum, & ita in posterum seruari mandauit non obstante contraria consuetudine. Die 28. Nouembris 1638. C. Episcopus Portuensis Cardinalis Pius, Iulius Cincius Secretarius; Loco † sigilli. Nec non pariter aliud Decretum Sacræ Congregationis Eminentissimorum DD. Cardinalium negotiis Episcoporum Præpositæ ad supplicationes pariter eorumdem RR. instantium emanat. die 14. Ianuarij 1639. de, & super eo quod defunctorum cadauera sepelienda ab Aedib. defunctorum ad eorumdem Fratrum Ecclesias recto tramite deferri licitè possint nobis præsentatum pariter fuisse sub infrascripto tenore videlicet SACRA Congregatio Cardinalium negotiis Episcoporum, & Regularium præposita censuit defunctorum Cadauera in Ecclesiis dictorum Fratrum sepelienda ab Aedib. defunctorum ad eorumdem Fratrum Ecclesias recto tramite deferri licitè posse monito tamen prius, & requisito, ac expectato proprio Defunctorum Parocho à quo benedictionem & vltimum vale recipere possint, quo venire expressè recusante possint iidem Fratres etiam ipso inuito dicta Cadauera ad suas Ecclesias transportare. Consanguinei verò talium defunctorum illis parentare in Parochialibus & aliis Presbyterorum etiam Cathedralibus Ecclesiis compelli nullo modo possint: si quæ verò immemorabilis consuetudo in contrarium super præmissis existere prætendatur, legitimè probetur, & interim præsens Decretum ad vnguem seruetur, prout eadem Sacra Congregatio seruari mandauit. Romæ die 14. 1639. Cardinalis Antonius Barberinus C. Fachenettus Loco † sigilli. Necnon aliud Decretum Eminentissimorum DD. Cardinalium, Sacri Concilij Tridentini Interpretum de, & super Declaratione quod quoties Cadauera defunctorum, & alia quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent ab ipsismet Fratribus peragi debeant ad instantiam eorumdemmet RR. Fratrum pariter editum die 3. Decembris 1639. Nobis præsentatum fuisse sub infrascripto tenore videlicet. DIE 3. Decembris 1639. Sacra Congregatio Eminentiss. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, censuit quoties Cadauera defunctorum ad Ecclesias Fratrum Mendicantium deferuntur, officia mortuorum, & reliqua quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent, non à Canonicis, neque à Clero. sed à Fratribus obiri, & peragi debere. I. B. Cardinalis Pamphilius, Franciscus Paulutius, Sacræ Congregationis Concilij Secretarius. Loco † sigilli. Necnon aliud Decretum Sacræ congregationis Rituum sub die 14. Ianuarij 1649. ad supplicationem dictorum RR. instantium emanatum sub eo quod electio, & numerus religiosorum pro associandis Cadaueribus ad libitum hæredum defunctorum spectet Nobis præsentatum fuisse sub infrascripto tenore videlicet, SACRA Rituum Congregatio iuxta alias resolutas respondit, electionem, & numerum Religiosorum pro associandis Cadauerib. ad libitum hæredum defunctorum spectare, & pertinere, & ita vbique seruari debere declarauit. Die 14. Ianuarij 1641. P. Cardinalis Crescentius, Iulius Cincius Secretarius, Locus † sigilli POST quorum quidem præinsertorum Decretorum præsentationem, ex parte, & ad instantiam dictorum RR. Fratrum instantium coram Nobis infrascripta die comparitum, & expositum extitisse, quod licet ex forma præinsertorum Decretorum officia super Cadauerib. in Ecclesiis ipsorum RR. Fratrum celebranda ad ipsos RR. Fratres spectent, & pertineant, non autem ad Curatos defunctorum, ac etiam pariter iisdemmet RR. Fratres instantes possint, & valeant defunctorum cadauera ipsorum Ecclesiis sepelienda ab Aedibus defunctorum ad eorumdem Fratrum Ecclesias recto tramite deferre seruata ad hoc præinserti secundi Decreti forma. Ac etiam ex forma tertij Decreti præinserti officia mortuorum, & reliqua, quæ in huiusmodi ministerio adhiberi solent non à Canonicis neque à Clero, sed à Fratribus prædictis peragi debeant, ac etiam ex forma, quarti præinserti Decreti electio, & numerus Religiosorum pro associandis Cadaueribus ad libitum hæredum defunctorum spectet. & pertineat, præinsertaque Decreta inuiolabiliter obseruari, debitæque exequutioni absque vlla contradictione in omnibus & per omnia, ac iuxta eorum tenorem, & formam debeant, tamen ad eorum aures deuenisse assertum extitit qood nonnulli in executione præsentium nominan. & cognominan. nescitur quo iure ducti, qua ratione suffulti iactarunt, & iactant se velle præfatos RR. instantes contra formam præinsertorum Decretorum, ac in eorum contemptum de, & super præmissis in partibus molestare, & inquietare forsan molestant; ideò ad nos vti exequutorem eorumdemmet Decretorum recursum habuerunt, vt de opportuno iuris remedio prouidere dignaremur. Nos igitur attendentes requisitionem, huiusmodi fore iustam, rationique consonam. Vobis omnibus & singulis supradictis, vestrum cuilibet insolidum tenore præsentium committimus, & virtute sanctæ obedientiæ strictè præcipiendo mandamus quatenus statim visis, seu receptis præsentibus & postquam vigore præsentium fueritis requisiti, seu aliet vestrum fuerit requisitus ex parte nostra imò verius Apostolica auctoritate, nec non ad omnem instantiam quæ vobis omnib. & singulis supradictis, & vestrum cuilibet fiet ex parte cuiuslibet Conuentus dictorum fratrum moneatis, & requiratis primo, secundo, tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica, prout Nos etiam monemus, & requirimus omnes, & singulos prædictos, & in exequutione præsentium nomioan. & cognominan. tam coniunctim, quam diuisim, & alias meliori omni modo, quatenus infra sex dierum spatium quorum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos pro tertio vltimo, & peremptorio termino, ac monitione canonica assignamus, & vos assignetis eisdem sub mille ducatorum in auro R. Cameræ Apostolicæ applican. & pro illis mandati executiui suspensionis à diuinis, priuationis beneficiorum inhabilitatis ad illa, & alia imposterum obtinenda, ac in iuris subsidium quatenus opus sit excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis si secus, &c. debeant & quilibet vestrum debeat præinsertis Decretis in omnibus & per omnia obtemperasse, dictaque præinserta Decreta fore, & esse exequenda, debitæque exequutiooi demandanda, ipsosq; in iuris subsidium excommunicatos, & declarandos fore, & esse ob non paritionem illorum, ac nisi illis paruerint declarari vidisse, ac de omnib. damnis, expensis, & interesse præmissorum occasione quomodolibet passis, & factis, & in futurum forsan faciendis, & patiendis integrè satisfecisse, & in illis se condemnari vidisse; & quascumque sententias etiam declaratorias, Decreta, seu mandata in præmissis necessaria, & opportuna, aliaque de iure quomodolibet requisita fieri, ferri, & decerni, & relaxari vidisse, & audiuisse ad fauorem præfatorum RR. instantium deducentium in præmissis omne ius omneque remedium prædicto, & omni alio meliori modo, sibique ius, & iustitiam ministrari petentium, ac.... officium Iudicis, & beneficium iuris implorantium non solum præmisso verum etiam omni alio meliori modo, &c. Et insuper Inhibeatis eisdem prout Nos tenore præsentium inhibemus, & inhibendo expressè præcipimos, & mandamus, ne visis & receptis præsentibus sub pœnis, & censuris antedictis audeant, seu præsumant, aut aliquis ipsorum audeat, seu præsumat quidquam contra formam præinsertorum decretorum innouare

oate, seu attentare, aut innouari facere, sub quouis prætexiu, causa, ingenio, vel quæsito colore, quod si secus factum fuerit id totum reuocare, & in pristinum statum reducere curabimus iustitia mediante. ALIOQVIN prædictos sic monitos si in præmissis se fore grauatos censueri u modo, & forma præmissis peremptorie citatis, & citari curetis prout nos, etiam citamus eosdem quatenus decimaqninta die post præsentium exequutionem si diea ipsa iuridica fuerit, alioquin prima die iuridica ex tunc proxima, immediatè sequente compareant Romæ in iudicio legitimè coram Nobis, vel nostro in Ciuilibus causis R. P. D. Locum tenente infrascripto causam eorum grauaminis allegaturi, aliaque dicturi, & facturi; prout iustitia suadebit, & ordo dictauerit rationis. Certificantes eosdem sic monitos, & citatos, quod siuè in dicto citationis termino comparuerint siuè non. Nos nihilominus, vel Locum tenens noster præfatus ad præmissa, alia grauiora iuris, & facti remedia procedemus iustitia mediante, eorumdem citatorum contumacia, vel absentia in aliquo non obstan. Absolutionem vero omnium, & singulorum præmissorum Nobis, vel Superiori nostro tantummodo reseruamus. IN QVORVM fidem, &c. Datum Romæ ex Ædibus nostris Anno Domini millesimo sexcentesimo quadragesimo, Indictione octaua, die vero sexta mensis Iuuij, Pontificatus autem Sanctiss. in Christo Patris, & D. N. D. Vrbani diuina prouidentia Papæ VIII. anno eius xvij.

CÆSAR ARGELVS LOCVMT.

Locus † sigilli.

Antonius Raynaldus Cur. Caus. Cam. Apost. Not.

Aliam sententiam pro funeralibus latam à Mario Theodalo postea Cardinali registraui *tom. 5. resol. 123.* cum multis aliis responsis in hac materia.

RESOLVTIO LII.

De origine, existentia, & efficacia priuilegiorum regularium personarum.

SVMMARIVM.

1 *Monachi fere ab initio habebant priuilegia.*
2 *Mendicantes ab initio habebant.*
3 *Priuilegium definitur.*
4 *Lex priuata quid importet?*
5 *Legis nomen late sumitur.*
6 *Beneficij nomine venit omnis gratia.*
7 *Donatio quædam dicitur priuilegium.*
8 *Definitio priuilegij corrigitur.*
9 *Differentia inferiorum præscindunt à ratione superiori.*
10 *Definitio mala causa multorum errorum.*
11 *Priuilegium multipliciter diuiditur.*
12 *Reale conceditur personæ ratione rei.*
13 *Personale conceditur personæ ratione sui.*
14 *Differentia inter vtrumque.*
15 *In dubio personale an reale.*
16 *Odiosum quid sit.*
17 *Contra ius non dicitur proprie odiosum.*
18 *Fauorabile quod nulli nocet.*
19 *Gratiosum concessum sine intuitu meritorum.*
20 *Remuneratorium ex meritis.*
21 *Habent regulares omnes priuilegia.*
22 *Priuilegia regularia triplicis generis.*
23 *Realia sunt.*
24 *Durant perpetue.*
25 *Legis vim habent.*
26 *Remuneratoria sunt.*
27 *Fauorabilia sunt.*
28 *Fauorabilia sunt omnia priuilegia eorum.*
29 *Interpretantur late.*
30 *Legis vim habent.*
31 *Beneficia sunt.*
32 *Donatio late interpretatur.*
33 *Recessus omnis à iure quando odiosus.*
34 *Interpretatio legis, & priuilegiorum triplex.*
35 *Regula explicatiua priuilegiorum.*
36 *Legislator adeundus si potest.*
37 *Tenor eorum totus inspiciendus.*
38 *Impropriantur quandoque verba.*
39 *Supplicationis verbis innotescunt priuilegia.*
40 *Fauore regularium interpretantur.*
41 *Benigne interpretanda sunt.*
42 *Explicantur ad modum legis.*
43 *Priuilegia nonnulla inserta in corpore iuris referuntur.*
44 *Priuilegiis insertis non derogatur per clausulam generalem.*
45 *Lex vocatur insertum iuri.*
46 *Late explicantur.*
47 *Probatione non eget iuri clausum.*
48 *Interpretatur concedens.*
49 *Superior regularis.*
50 *Non sæcularis, nisi fauore religionis.*
51 *Interpretari possunt doctri aaliter.*
52 *Scriptura eorum foro anima non est necessaria.*
53 *Pro foro externo vtique.*
54 *Typis excussam facit fidem.*
55 *Probanda sunt priuilegia extra ius parti.*
56 *Promulgatione non egent, sed solum.*
57 *Acceptatione dependenter à superiore, si adsit.*
58 *Statutum præcipiens.*
59 *Ignorans priuilegium nihil operatur.*
60 *Nisi ex suppositione eo vtatur.*
61 *Contractus ex duplici iustitia.*
62 *Contractus habent rationem.*
63 *Ignoranti officiunt.*
64 *Motus proprius. Ex certa scientia. De plenitudine potestatis quid operetur.*
65 *Quid priuilegium ex illis?*
66 *Communicatio priuilegiorum inter Mendicantes.*
67 *Tertiarij habent communicationem priuilegiorum.*
68 *Licet non subsint Minor. de Obseru.*
69 *Moniales sub Episcopis gaudent.*
70 *Moniales Fratribus subiecta tempore Greg. IX.*
71 *Vni superiori concessa extenduntur ad alios eiusdem officij.*
72 *Fratribus concessa extenduntur ad alios.*
73 *Vni priuato concessa non communicantur.*
74 *Vni conuentui concessa extenduntur ad alia.*
75 *Modo non adaersentur alteri ordini.*
76 *Capucinis non communicantur priuilegia confessionum.*
77 *Priuilegia non perpetua non communicantur.*
78 *Indulgentia temporanea non communicantur.*
79 *Specialissima ratio impedit communicationem.*
80 *Portiuncula indulgentia incommunicabilis.*
81 *Indulgentiæ perpetuæ communicabiles.*
82 *Indulgentiæ septem altarium sunt communicabiles.*
83 *Doctorandi seculares priuilegium Societatis incommunicabile.*
84 *Miraculosæ imagini concessam incommunicabile.*
85 *Altaria priuilegiata non communicantur.*
86 *Priuilegia cum clausula incommunicab. non sunt communicabilia.*
87 *Communicantur etiam limitationes.*
88 *Communicationis vsus incipit statim ac facta est concessio.*
89 *Destructione religionis vel loci remanet priuilegium communicatum.*
90 *Indulgentia cessat remotione Fratrum.*
91 *Propria fiunt priuilegia, ac si essent prime concessa.*
92 *Concedenda etiam communicantur.*
93 *Restringentia Fratres fauorabilia sunt ordini.*

94 *Pœna non communicantur contra religiosos.*
95 *Pœna communicantur contra seculares.*
96 *Ius utendi priuilegio immediatè communicatur.*
97 *Concilio obstans priuilegium concessum est communicabile.*
98 *Transcribuntur priuilegia mutatis nominibus.*
99 *Falsarius non est nisi tria concurrant.*
100 *Ignorantia priuilegij non praiudicat.*
101 *Uti suis priuilegijs non coguntur.*
102 *Nisi ceperint iudicium.*
103 *Iubilaei tempore acceptanda est electio de se facta.*
104 *Uti coguntur priuilegio in quatuor casibus.*
105 *Missam audire tenetur tempore interdicti habens priuilegium.*
106 *Toti Ecclesia concessis non renuntiatur.*
107 *Renuntiare possunt suis priuilegiis.*
108 *Non tamen priuati Fratres.*
109 *Superiores tantum cum suis capitulis.*
110 *Acceptatio Papa requiritur.*
111 *Acceptatio duplex.*
112 *Confessarius redit ad facultatem renuntiatam sine Episcopis.*
113 *Monialium monasterium relinqui potest.*
114 *Renuntiationis aliqua notabilia.*
115 *Non usus priuilegiorum triplex.*
116 *Non usu priuilegia non perduntur.*
117 *Contrario usu non perduntur.*
118 *Actu priuatiuo non perduntur.*
119 *Actu negatiuo non perduntur.*
120 Quatenus sunt in usu: *exponitur.*
121 *Tribus modis eam explicat Portellus.*
122 *Praescriptio centum annorum illis obstat.*
123 *Contrario usu perduntur, & priuatiuo.*
124 *Negatiuo actu non perduntur.*
125 *Ignorantia non perduntur.*
126 *Reuocatione tolluntur priuilegia.*
127 *Reuocata non praesumuntur.*
128 *Expressè reuocanda sunt.*
129 *Iuris communis reuocantur per eorum expressionem.*
130 *Clementina* Dudum *derogatum per Concilium.*
131 *Concilij indiuidua mentio non requiritur.*
132 *Reuocatis priuilegiis unius ordinis non alterius.*
133 *Tacite non reuocantur.*
134 *Posterius non tollit prius.*
135 *Bulla Pœna reuocat omnia sibi contraria.*
136 *Cruciata non tollit priuilegia.*
137 *Reuocata non restituuntur confirmatione communi, sed specifica.*
138 *Promulganda sunt reuocata priuilegia.*
139 *In singulis saltem prouincijs.*
140 *Acta post reuocationem publicatam nulla sunt.*
141 *Confessarius valide absoluit virtute priuilegij reuocati ignorati.*
142 *Bulla Cœna non reuocatur per priuilegia.*
143 *Impedientes usum priuilegiorum puniuntur.*
144 *In utroque foro utuntur priuilegiis.*
145 *Exemptio est personarum, locorum, & rerum.*
146 *Personarum exemptio.*
147 *Incarcerantes religiosos sunt excommunicati.*
148 *Iudices extra religionē adeūtes Dominicani puniuntur.*
149 *Ecclesiarum exemptio.*
150 *Conuentuum exemptio.*
151 *Rerum suarum exemptio.*
152 *Tertiariorum priuilegia omnia referuntur infra.*
153 *Approbatur ordo.*
154 *Exemptio à quatuor grauaminibus.*
155 *Non ab oneribus ordinariis suorum bonorum.*
156 *Interdicti tempore admittuntur ad diuina.*
157 *Exemptio praedicta approbata iterum.*
158 *Subijciuntur Minoribus Itali.*
159 *Persuadetur dicta subiectio.*
160 *Regula confirmatur, & statuta quaedam.*
161 *Professio in 18. anno fit.*
162 *Obedientia Papa promittebant in illo.*
163 *Professionem recipiebat solus Minister.*
164 *Regressus ad seculum non datur.*
165 *Officium diuinum, vel B.M. recitant, & dispensantur.*
166 *Visitator alterius ordinis.*
167 *Vicarium eligunt Ministri in absentia.*
168 *Manent extra de licentia superiorum.*
169 *Habitus, Mantelli, & Capatij forma.*
170 *Exempti à dominis temporalibus.*
171 *Corriguntur inter se in ciuilibus.*
172 *Episcopis subdebantur in criminalibus.*
173 *Capitulum congregant cum facultate tractandi in eo necessaria.*
174 *Statuta condunt confirmanda ab Episcopo.*
175 *Celebrare faciunt in suis capellis.*
176 *Campanile habent.*
177 *Subiecit eos Minoribus.*
178 *Confirmantur praedicta à n.160. ad 176.*
179 *Subiectio Martini V. sub n.177. reuocatur.*
180 *Generalis conceditur eiusdem ordinis.*
181 *Eligitur in triennium.*
182 *Castigat inuocato etiam brachio seculari.*
183 *Absoluendi etiam seruitores facultas datur.*
184 *Dispensandi Fratres, & sorores.*
185 *Morientium bona cedunt domui sua professionis.*
186 *Matrimonium prohibetur.*
187 *Ecclesiis secularibus inseruiunt de licentia sui super.*
188 *Subiecti obedientia Ordinarij vt ante.*
189 *Sorores subijciuntur Minorib. de Obseruantia.*
190 *Ecclesias, domos, & alia loca possidere, & alia de nouo recipere.*
191 *Consecrare eas per Episcopum aliquem.*
192 *Celebrare per suos, & etiam extraneos.*
193 *Confessiones audiendi inter se sine absolutione à reseruatis sedi.*
194 *Capitulum congregare in Italia.*
195 *Generalem cum quatuor definitoribus ibi eligere.*
196 *Priores cum illis eligit.*
197 *Generalis durat per triennium.*
198 *Corrigit censuris, & brachio etiam seculari.*
199 *Confirmat priuilegia eis alias concessa.*
200 *Capitulum Generale primum.*
201 *Caputium supra mantellum concedit Leodiensibus.*
202 *Generalis eligitur sacerdos eiusdem ordinis.*
203 *Absoluendi facultate etiam seruitores à non reseruatis sedi.*
204 *In Votis dispensandi.*
205 *Constitut. condendi cum suis quatuor definitoribus.*
206 *Capitulum singulis annis celebratur.*
207 *Constitutiones ad culpam non obligant.*
208 *Ordinati officium diuinum, vel B.M. recitent.*
209 *Corrigit delinquentes.*
210 *Dispensat in abstinentiis, & ieiuniis.*
211 *Religiosi veri declarantur cum tribus votis.*
212 *Exemptio ab oneribus secularium.*
213 *Priuilegia Regnicolarum communicantur Lombardis.*
214 *Priuilegia dicta extendit ad Italos.*
215 *Eremitas punire potest scandalosè viuentes.*
216 *Confessiones secularium excipiendi facultas datur omnibus exceptis reseruatis.*
217 *Subiicit omnes Minorib. de Obseru. supra* 158.
218 *Exemptio ab oneribus secularibus sub pœna excommunicationis.*
219 *Priuilegia communicat.*
220 *Priuilegia Eremitanorum concedit.*
221 *Professio est votum solemne.*
222 *Apostata sunt recedentes.*
223 *Matrimonium ineuntes sunt excommunicati.*
224 *Sorores non includuntur in extrau. Ioannis.*
225 *Confessarios seculares Minores assignat Tertiariis.*
226 *Viuebant in communi nondum sacerdotes.*
227 *Exemptio à decimis, & aliis sororum.*
228 *Subiecti remanent Minoribus & Obseru. per orbem.*
229 *Priuilegia confirmat, & communicat concessa Obseruant.*

139 *Capitulum*

230 Capitulum Generale fit more Obseruantium.
231 Transeuntes non petita licentia sunt excominuu.
232 Lombardi exempti ab obedientia Minorum.
233 Habitus, & Caputij forma datur.
234 Chorda non vtuntur.
235 Superiores solum locales habere possunt.
236 Generalem, vel Prouinciales nisi de Minoribus.
237 Subiicit Compostellanos Minoribus.
238 Sepulturæ electionem habent.
239 Sacramenta à suis parochis recipiunt.
240 Subiiciuntur oneribus, & iudiciibus secularibus.
241 Interdicti tempore admittuntur.
242 Collegialiter viuentes, vel cum regularibus gaudent privilegiis.
243 Sorores religiosæ gaudent priuilegiis S. Claræ.
244 Sorores vere sunt religiosæ cum priuilegiis Minorum.
245 Exemptio earum à decimis, & aliis.
246 Alienandi facultatem habent sorores.
247 Priuilegia aliorum Mendicantium participant.
248 Et non Mendicantium etiam concedenda.
249 Confirmat omnia statuta, acta eorum.
250 Priuilegia aliorum Mendic. atque principaliter cōcedit.
251 Exemptio à quibuscumque prælatis extraneis.
252 Viuere in communi cœperunt.
253 Ad Capitulum Generale accedunt Priores cum suo Discreto.
254 Præsidentis capituli officium.
255 Vota debent esse iurata in electionibus.
256 Generalis super omnes etiam Eremitas.
257 Paupertatis votum dispensat.
258 Præsidens capituli vocem non habet.
259 Generalis immediate subiectus Papæ.
260 Nouitiorum professionis solus recipit.
261 Electus male deponitur per decennium inhabilis.
262 Votorum maiorem partem habet expresse professus.
263 Statuta legenda in refectorio non obligant ad culpam.
264 Absoluendi, & dispensandi, & statuendi, sicut aliarum religionum.
265 Generalis potestas sicut aliorum Generalium.
266 Religiosi veri sunt, & ordo sacer est.
267 Molestari non possunt sub pœnis.
268 Priuilegia vt in vsu confirmat Lombardis.
269 Interdictum tollunt Regnicolæ in certis diebus.
270 Sanctorum nomina ordinis.
271 Generalis, & Commissarij Itali alternatiua.
272 Generalis non redit nisi post sexennium.
273 Prouinciales quatuor erant Italiæ sub Paulo III.
274 Generalis subrogat Definitorem loco mortui.
275 Priuilegia confirmantur à Paulo II.
276 Generalis extinctus subiectus obseruantibus.
277 Officiales eliguntur præsidentibus Obseruantibus.
278 Confirmantur à Generali obseruantiæ.
279 Officia annalia durabilia vsque ad triennium, post sexennium redibilia.
280 Absoluuntur, & dispensantur à Prouincialibus Obseruantiæ.
281 Proprietarij vt fures puniendi.
282 Confessarij, & Prædicatores eliguntur per Generalem, & Prouincialem Obseru.
283 Dubia eidem declarant.
284 Protector assignatur S. Carolus.
285 Extinguendi T. O. mens non fuit Pij V.
286 Priuilegiorum confirmatio Greg. XIII.
287 Sorores eximita à solutione Decimarum.
288 Generalem restituit cum capitulo Generali.
289 Confirmandum à Generali Obseruantiæ.
290 Visitat singulo quoque quadriennio.
291 Confirmauit neque vnquam visitauit.
292 Commissarius non amplius eligitur.
293 Priuilegia confirmat Sixtus V.
294 Electionis forma data à Clemente.
295 Schedulæ comburuntur, alias facta nulla.
296 Priuilegia confirmauit Clemens.
297 Habitus forma Portugallensium.

298 Dalmaticos subiecit Italiæ Generali.
299 Priuilegia confirmauit propria Paulus.
300 Habitus distinctio inter Hispanos, & Minimos.
301 Indulgentia plenaria a Greg. XV.
302 Cordigerorum confraternitas apud nos.
303 Definitorum Generalium electio.
304 Vrbani VIII. Bulla duæ.
305 Priuilegiis amplius vtuntur relictis strictis
306 Communicata, & primo concessa eamdem virtutem.
307 Tertiarij participant priuilegia singularum religionum.
308 Reuocata non amplius dicuntur post reualidata.
309 Concilij decreta derogantia priuilegijs expresse.
310 Concilij decreta non expresse derogantia.
311 Priuilegia non reuiuiscunt per confirmationem contrariam Tridentino.
312 Speciale priuilegium concessum derogat Tridentino.
313 Sacris canonibus, & Decretis Concilij pro eodem sumuntur.
314 Modo non aduersentur Tridentino explicantur.
315 Distinctio priuilegiorum expresse, & non expresse reuocatorum in Trid. reprobatur.
316 Limitantur priuilegia à superioribus.
317 Vtitur priuilegiatum.
318 Inferiori concessum extenditur ad maiorem.
319 Monialium priuilegiis gaudent viri.
320 Reuocata restituuntur per confirmationem specificam
321 Communicatio est etiam in confirmationibus.
322 Reseruationis absolutio non tollitur in Tridentino.
323 Reseruatio casuum Episcopis non tollitur à regularibus.
324 Indulgentia ante Paulum V. restituta fuerunt per confirmationem.
325 Autoris negatiua probatur.
326 Termini diuersi exponuntur.
327 Religio quid sit?
328 Religiosorum tres classes.
329 Religiosus nomen generale.
330 Militares veniunt sub nomine religiosi.
331 Nouitij sunt religiosi in fauoribus.
332 Tertiarii gaudent fauoribus religiosorum.
333 Moniales veniunt sub nomine religiosi in fauoribus.
334 Clerici seculares in nullo includunt religiosos.
335 Clerici sub nomine veniunt religiosi in fauoribus.
336 Regularis nomen quid importet?
337 Eremita quinam dicatur?
338 Tertiarii quomodo dicantur Eremitæ?
339 Cœnobita, & Cœnobium.
340 Monachus quid importet.
341 Mendicātes Fratres non veniunt sub nomine Monachi
342 Canonici regulares, & Monachi non conueniunt.
343 Nouitij dicuntur Monachi fauorabiliter.
344 Monachæ sunt ordinum Monachorum.
345 Sanctimonialis idem quod religiosa.
346 Monialis idem quod religiosa.
347 Monialis sub nomine quæ veniant?
348 Frater hoc nomen tripliciter dicitur.
349 Fratris nomine non veniunt Monachi.
350 Fratris nomine veniunt Nouitij, & Tertiarij.
351 Sororis nominis triplex significatum.
352 Prælati nomine non veniunt subditi.
Abbatissa non venit sub nomine Nominalium,
353 Monasterij etimologia.
354 Monasterium est domus tam Monachorum, quam Fratrum.
355 Monasterium quas partes includat clausura.
356 Immunitate gaudet.
357 Ecclesia venit sub nomine Monasterij.
358 Monasterium venit sub nomine Ecclesiæ.
359 Prælatus venit sub nomine Monasterij.
360 Monasterium Monachorum, Conuentus Fratrum
361 Monasterium etiam vnius, Cœnobium plurium.
362 Conuersi non veniunt sub nomine Monachi.
363 Ecclesiæ omnes in parochiali eidem subiecta.

QVærunt nonnulli originē priuilegiorum monasteriorum, & personarum religiosarum. Quibus satisf., respondendo, rem esse satis dubiam, quisnam inter summos Pontifices fuerit primus in concedendis priuilegiis, maximè respectu Monachorum, qui multo tempore ante præcesserunt Mendicantes religiosos. Certum tamen est sua habuisse priuilegia, quod supponit Gratian. *in capitulo Postea* 21. 25. *quæstione* 2. illis verbis: *Si ergo monasteriorum priuilegia, & quarumlibet Ecclesiarum authoritate Leonis, Gregorij, & Gelasij & nonnullorum aliorum pontificum Sancta Romana Ecclesia inuiolata seruantur.* Leo autem primus hoc nomine, & ordine recensitus, qui priuilegia monasteriis concessit, *ex capitulo* 2. 25. *quæstione* 2. coronatus fuit anno Domini 440. subsequenter multo tempore post Gregorius huius nominis item primus anno 590. concessit priuilegia *ex capitulo Cum pia* 9. *& Gelasius ex c. Decretorum* 19. 25. *quæst.* 2. Itaque inter annumerata tempora extabant priuilegia pro monachis, & religiosis, vt satis apertum est ex dictis. Puto præterea multo tempore ante à Summis Pontificibus prædecessoribus alia priuilegia fuisse, concessa, id insinuante illa particula: *Et nonnullorum aliorum pontificum*: & hoc fere ab origine 1 suæ reformationis viuendi in communi, quod genus vitam traducendi regularam initium habuit à S. Antonio Abbate, circa annum 350. *vt referunt F. Hieronymus Roman. libro 6. de republ. Christ. capit* 1. *& alter Hieronymus Platus Iesuita libro 2. de bono statu capitulo 22. eos referente Mirand. tom.* 1. *quæst.* 3. *art.* 3. & in specie priuilegia exemptionis à iurisdictione Episcoporum supponuntur *in capit. Cum & plantare* 3. *de priuileg.* sub Alex. III. qui Christi Vicarium gerebat anno 1159. Hæc fuerunt pro monasterijs, & eorum monachis. Loquendo autem de Mendicantibus, certum 2 est, illos simul innata habere priuilegia aliqua ab exordio suarum fundationum, præsertim ordinum sanctorum Dominici, & Francisci, qui ordinum suorum fundamenta iecerunt post annum 1200. inceptum, qui nomine Mendicantium religionem Christianam illustrarunt sub Innocentio III. & sub sequentibus summis Pontificibus. *Vide Rodr. tom.* 1. *qu.* 7. *cum suo Compend. resol.* 126. *Mirand. tom.* 2. *qu.* 41. *Sorbum in Compend. priuileg. Confectum, Crux de statu regul. lib.* 2. *Tambur. tom.* 1. *disp.* 15. *totam, & alios.* Sed vt subiicienda innotescant, referenda sunt distinctè nonnulla quæsita super hoc Concilium.

Quæres 1. Quid sit priuilegium?

3 Resp. Priuilegium est lex priuata aliquod speciale beneficium concedens. Ita collegi ex Isidoro *libro* 5. *Etimol. relato in capitulo Priuilegia* 3. *distinct.* 3. *quod clarius exponitur capit. Abbate* 25. *de verbor. signif.* ibi: *quia cum priuilegium sit lex priuata, & lex non debeat esse obscura, vel captiosa, sed certa, & manifesta, nec esset priuata, nisi aliquid specialiter indulgeret &c.*

4 *Dixi* 1. *Lex priuata*, quod intellige tam respectu priuilegiati, qui illo vtitur, iuxta conditionem, & formam sibi in concessione præscriptam, quam respectu cuiusque alterius, contra quem priuilegium fuit obtentum, nam alter, siue populus, aut communitas priuilegiario inuiolatum priuilegium seruare debent, quoties illo vti voluerit. *Azor. part.* 1. *libro* 5. *capit.* 22. *Suar. libro* 8. *de leg. capit* 1. *ex illis Bonacin. p.* 1. *de priuileg. numero* 1. vnde neque etiam indirectè priuilegia violanda sunt, *cap. Quanto* 26. *eod.* & ea semper obseruanda sunt, *Glos. ver. Dispensare, ad finem. Cap. At si clerici, de iud. per cap.* 1. *&* 2. 25. *q.* 2. & cum sint lex priuata communem legem facere non possunt *Glos. v. Temerarium cap. sane* 9. *eod. per c. Non exemplo* 19. *q.* 2.

5 Secundo *Legis* nomine non venit lex strictè accepta pro ordinatione rationis facta à legislatore tantum, sed etiam pro lege priuati concedentis aliquid vtile alteri sub tali, vel tali forma, vt si quis concedat alteri transitum per suum prædium, huiusmodi concessio vocari potest priuilegium late, & beneficium, cum sit vtile, & commodum illi, cui concessum fuit.

6 Dixi 3. *Aliquod speciale beneficium*; sub his verbis venit quælibet gratia, fauor, & quicquid potest esse gratum, & vtile priuilegiario, vt concessio indulgentiæ, carnium, lacticiniorum, audiendi confessiones, &c. vnde priuilegiorum semper operatur aliquid præter ius commune *l. fin. C. de in off. testam.* intelligi quod sufficit, vt tribuat clarius, vel facilius, id quod operatur ius commune *Cruz libro* 2. *de statu releg. c.* 1. *de natura priuileg. expresse cap. In iis* 30. *de priuileg. & est c. Abbate* 25. *de verb. signif. ibi*. Nisi aliquid specialiter indulgeret, & dato quod aliquid operetur, in aliis restringitor, *Nau. cons.* 13. 15. *&* 22. *de priuileg. Sanch. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 110. Si ergo per illud conceditur alicui 7 aliquod beneficium, benè vocatur quædam donatio, *per Anchar. in cap.* 1. *de concess. prabend. n.* 6. *Franc. ibid. §. Ex parte numero* 3. *Sanchez libro* 3. *disp.* 36. *numero* 2. *§. quinte.*

8 Non addidi in definitione illam clausulam 1. *Contra ius commune*: quam addunt infra citandi, quia neque eam adiecerunt Isidorus, neque Summus Pontifex locis citatis, vbi priuilegium definiendo, insinuare volentes aliqua dari priuilegia, quæ non sunt contra ius, sed vel præter ius, vel secundum ius; neque enim quis mihi negabit concessionem indulgentiæ esse priuilegium, & tale proprie, & tamen non est contra ius commune, cum non prohibeatur in iure. Priuilegium igitur non solum est contra ius, sed etiam præter ius, & secundum ius, ita quod Princeps aliquādo concedit priuilegia alias à iure concessa *cap.* 1. *de rescr. iuncta Glos. v. Vt libere, cap. Vt debitus honor* 59. *de apell. ibi Glos. v. Ante sententiam, ad finem.* Vnde, si velimus stare legibus bonæ definitionis, huiusmodi particula, *contra ius commune*, non potest includi in definitione priuilegij vt talis, quia nulla inferior differentia includitur in ge- 9 nerica ratione, neque enim differentia rationalitas, aut irrationalitas in ratione animalis includitur, vt illud diuidant, ita huiusmodi rationes. *Prater, Secundum, & Contra* disiungendæ sunt à ratione communi Priuilegij, eo quod illud diuidunt, non comprimunt. Confirmatur id argumento etymologico, siquidem is terminus, *Priuilegium*, idem importat, quod priuata lex ex illo *cap. Abbate* 25. *de verb. signif.* seu priuatorum lex *ex cap.* 3. *dist.* 3. sensus ergo non est substantiuus, quasi includat differentiam, *Contra*, sed adiectiuus præscindens à priuatione legis, quem sensum habet solum, quando priuilegium est contra ius commune. Ad hanc rem nostram locuti sunt bene *Bonac. disp.* 1. *de legib. q.* 3. *p.* 1. *nu.* 1. *Portel. v. Priuilegium n.* 1. *contra quamplures cum Tabien. Silu. Angel. Armil.* definientes priuilegium cum inclusione differentiæ, *Contra*, aduersus leges bonæ definitionis; quibus adde Mirand. *tom.* 2. *q.* 41. *art.* 1. Rodr. cum suo Compend. *resol.* 126. *n.* 1.

10 Et talis modus definiendi rem in genere cum inclusione vnius, vel alterius differentiæ inferiorum, maximus

mus est error, & multis familiaris, ex quo infinitæ deducuntur quæstiones, & controuersiæ, tam apud Philosophos, quam Legistas, & Morales; ex quo enim definitio est sermo decisiuus cuiuslibet fere quæstionis, si non bene traditur, certe continet seminarium mille errorum; *vnde Moneta de distribut. part. 1. q. 2.* ait, ab ea esse initium omnis disputationis, *& q. 4.* vocat eam periculosam in genere traditam, *cum Nau. consil. 1. de Apost.*

Quæres 2. Quotuplex sit priuilegium?

11 Respond. Multiplex, nam aliud est Reale, dictum Generale, locale; aliud Personale, seu speciale; aliud odiosum; aliud fauorabile; aliud gratiosum, aliud remunatorium. De singulis aliquid dicendum pro instituto nostro.

12 Reale est illud, quod immediatè conceditur alicui rei, loco, dignitati, officio, ecclesiæ, religioni, monasterio, vt priuilegia sepeliendi mortuos tempore interdicti, dispensandi, absoluendi, &c.

13 Personale vero est illud, quod immediate conceditur alicui personæ ratione sui; vt si Papa concederet mihi pensionem, aut absolutionem à reseruatis, &c.

14 Differunt autem inter se in multis. 1. quod reale conceditur quidem personis; non tamen ratione sui, neque earum intuitu singularum, sed habito respectu ad officium, dignitatem, statum, religionem, locum, &c. *Glos. in quæst. 2. caus. 25. & fin. cap. Mandata de præsumpt. Rodriq. cum suo Compend. resol. 116. num. 2. Mirand. tom. 2. quæst. 41. artic. 2. Portel. v. Priuilegium num. 4. Suar. lib. 8. de legib. cap. 3. Bonac. de priuileg. part. 1. numero 6.* qui subsequenter docent, priuilegium personale concedi personæ præcise ratione sui. II. Reale transit à persona ad personam, sequendo semper rem, locum, dignitatem, religionem, cum quibus semper coniunctum manet, & tamdiu durat, quamdiu durat res, locus, dignitas, & religio, quibus concessum fuit, *Gloss super reg. 7. per cap. Et hoc diximus 16. quæst. 7. & cap. Abbate, de verb. signific. iuxta Gloss. v. Donec ibidem, cap. 1. & 2. 25. quæst. 2. Gloss. fin. cap. Mandatum 6. de præsumpt. & in quæst. 2. casu 25.* vnde & priuilegium locale perpetuum est ex dictis Glossis; & concessum alicui ratione officij, durat etiam dimisso officio. *l. cum prætor, ff. de iud. l. Marius, C. de procur. Dec. consil. 90. Ruin. lib. 1. cons. 157. num. 8. Rota Roman. vol. 1. decis. 70. num 6.* Personale vero personam sequitur & cum illa extinguitur, *Reg. 7. in 6. Gloss in quæst. 2. caus. 25. Menoch. consil. 136. num. 2. Tusch. conclus. 746. Marc. Anton. lib. 1. resol. 109. num. 6. Suar. lib. 8. cap. 10. & 11.* III Reale immediate respicit bonum commune, Personale vero priuatum personæ cui conceditur, apud citatos Doctores. IV. Reali, quando commune est toti alicui collegio, communitati, ordini, seu religioni, nullus singillatim renunciare potest, huius generis sunt priuilegia fori, & canonis concessa toti ordini Ecclesiastico tam regulari quam secularí, *cap. Si diligenti 12 de foro compet. Rodriq. tom. 1. q. 59. art. 9.* Personale vero quilibet sui iuris, & dominus in eo renunciare potest, *cap. Quam periculosum 8. 7. q. 1. de terra 6. de priuil. cap. Ad apostolicam 16. Co. Statuimus 53. de regul.* V. Reale dignoscitur à personali, quod illud dirigitur ad corpus commune collegij, ordinis, Ecclesiæ, &c. nulla facta expressa mentione personæ vel personarum, quæ illo vti debent; hoc vero dirigitur ad personas in indiuiduo expressas nomine proprio. VI. in dubio priuilegium iudicandum est reale, si

15 sit pure fauorabile, personale vero si sit odiosum, præiudiciale, aut contra ius commune *arg. cap. 15. in 6. de reg. iur.* odia restringi, & fauores conuenit ampliari; sed reale est amplius, & extensius, ergo in fauorabilibus habet locum, sicut personale si sit odiosum, cum in minus se habeat, quam reale, vt id totum palam est ex allatis differentiis. *Portel. v. Priuilegium n. 4. Bonac. p. 1. n. 7. Marius Anton. resol. 109. n. 7. Barbosa Vaz v. eod. n. 47. Glos. in q. 2. caus. 25.*

Tom. III.

16 Odiosum priuilegium est illud, quod præiudicat iuri alicui, siue communi, siue speciali, aut alicui tertio, vt priuilegium non soluendi decimas, absoluendi à reseruatis, dispensandi, &c. Attendi ergo potest odium ex parte tertij contra quem princeps alteri facit gratiam, & hoc modo priuilegium proprie dicitur odiosum, & præiudiciale, neque princeps præsumitur concedere huiusmodi priuilegia præiudicialia

17 In dubio. *l. Si quis à principe ff. ne quid in loco publ. l. Generaliter §. Cum autem C. de instit. & substit. Glos. fin. cap. Cum olim, de consuet. cap. Licet, de translat. prælat. Sanch. lib. 8. disp. 7. n. 6. ad finem.* Vel attenditur ex parte iuris, respectu cuius priuilegium non dicitur proprie odiosum, sed potius fauorabile, cum concedens libere faciat gratiam petenti, & sibi odiosum esse non possit, vnde priuilegium ample interpretandum est *cap. Cum dilecti 6. de donat. cap. Quia circa 22. de priuileg. cap. Olim 16. de verb. signif.* Quare illud priuilegium, quod est tertio præiudiciale stricte interpretandum est, *cap. Hinc est 16. de priuil. & supra citato doct. limita vt infra q. 8. & 9.*

18 Fauorabile priuilegium est illud, quod ita fauet priuilegiario, vt nulli tertio præiudicet, vt priuilegium vescendi carnibus, lacticiniis, audiendi confessiones, &c. Et quando neque iuri præiudicat vocatur pure fauorabile. Et hoc ample interpretandum est ex illo axiomate. Beneficium Principis late interpretandum est.

19 Gratiosum est illud, quod conceditur sine vllo ordine ad materia priuilegiati, sed ex mera liberalitate concedentis.

20 Remuneratorium vero est illud, quod datur intuitu alicuius meriti. Bonac. *p. 1. de priuileg. num. 8.* cum aliis.

Quæres 3. An regulares tam Monachi, quam Mendicantes habeant priuilegia à summis Pontificibus sibi concessa?

21 Resp. Affirmatiue, & quia hoc probare, esset frustra tempus conterere, & papirum denigrare, cum ea extare clarius sit ipsa luce, ideo omitto.

Quæres 4. An priuilegia regularibus concessa dicenda sint realia, an personalia? Suppono ante responsionem duo; vnum, me non loqui de priuilegiis concessis huic, vel illi religioso, constat enim esse personalia, quia intuitu personæ conferuntur; sed de concessis religiosis indistincte, seu ordini in communi, seu alicui prouinciæ, vel conuentui; alterum est

22 priuilegia religiosorum posse esse triplicis generis, nam quandoque conceduntur toti religioni, & sic vocantur Generialia; interdum vni prouinciæ, sic nuncupantur Prouincialia; demum vni tantum monasterio, in quo casu vocantur Localia. Difficultas ergo est, an hæc omnia sint realia.

23 Respond. Sunt realia, quia ex supradictis *numero 12.* illud est priuilegium reale, quod immediate conceditur Religioni, Ecclesiæ, Dignitati, aut Monasterio; huiusmodi autem sunt priuilegia regularium, hæc enim conceduntur illorum locis, Ecclesiis, & monasteriis immediate, vt videri potest à legentibus eorum tenorem: & si fiat quandoque mentio superioris alicuius petentis priuilegium, non ideo censendum est personale, quia ex tenore verborum colligitur beneficium petitum conferri in religiosos indistincte, & in genere; expressionem vero nominis indicare auctorem personæ, quæ priuilegium petiit pro sua religione, vel conuentu. *Compend. cum suo doctore resolut. 116. num. 2. Portel. num. 4. Rodriq. quæst. 61. art. 14. §. Ex quibus.*

Quæres 5. An priuilegia regularium perpetuo durent?

24 Respond. Perpetuo durant, quod probatur ex conditione priuilegij realis, quod tamdiu durat, quamdiu in esse permanet ipsa res, vt dixi *sub n. 14.* Præterea priuilegia regularium censentur leges perpetuæ, & proinde ac si es-

sent inserta in corpore iuris Oldrad. *cons.* 500. *num.* 4. §. *Considerandum.* Henr. *lib.* 7. *cap.* 22. *num.* 3. *& cap.* 24. *n.* 4. *in fine*, Sanch. *lib.* 8. *disp.* 1. *num* 13. Fulchus *lib.* 2. *de visitat. cap.* 16. *n.* 5. & ex illis Sigism. *de elect. dub.* 120 *n.* 13. ergo ad modum legis perpetuo durare debent, vnde, dicitur *cap.* 2. 25. *q.* 2. quod priuilegia monasteriorum, inuiolata, & immutata permanere debent. Ita Rodriq. *tom.* 1. *q.* 61. *art* 14. §. *Ex quibus.*

Quæres 6 An priuilegia regularia habeant vim legis, an saltem illis æquiparentur? De illis, quæ in iure communi sunt inserta, non est difficultas sed de aliis extra ius.

25 Respond. Habent rationem legis, cui in multis comparantur; eo quod perpetuo maneat, quia decet, priuilegium à principe concessum esse mansurum; & lex semper loquitur; hæc competunt priuilegiis regularibus, & talia censentur, ac si essent in corpore iuris compressa, vt ex Doctoribus citatis docui *praecedenti quæstione.*

Quæres 7. An priuilegia regularium sint tantum gratiosa, an etiam remuneratoria?

26 Respond. Sunt remuneratoria intuitu suorum meritorum, & bonorum operum concessa, quod alia ratione non probatur, nisi ex tenore singulorum priuilegiorum à Summis Pontificibus concessorum intuitu piorum laborum pro Ecclesia Catholica complexorum; primo autem se offert illud Gregor. IX. incip. *Quoniam*, pro Prædicatoribus, apud Confect. pag. 4. illis verbis: *Qui non quæ sua sunt, sed quæ sunt Christi quærentes, tam contra profligandas hæreses, quam contra pestes alias mortiferas extirpandas, se dedicarunt euangelizationi verbi Dei in abiectione voluntaria paupertatis, Nos igitur eorum sanctum propositum, &c.* Idem pro Minoribus, constit. *Cum qui*, apud citatum Confect. pag. 5. *Dilectos filios Fratres Minores, qui more apostolorum serendo semina verbi Dei, diuersas circumeunt regiones.* Clem. VII. const. Dum fructus, apud Confect. pag. 179. ibi: *Dignum, quin potius debitum putamus*; &c. VIII. const. *Ratio pastoralis.* apud eumdem pag. 286. ibi: *Cum vere ex bonis, & commodis spiritualibus ordines Mendicantium ea longe, lateque pateant, semperque patuerint, quæ à sacro ordine Fratrum Minorum de Obseruantia ab ipsis fundata religionis initijs in omnes Christiana reipublica prouincias profluxerunt, quotidieque profluunt, & promanant.* Idem Gregorius pro meo ordine hæc habet. *Cum illorum, qui sua nouissima memorando, non post vanitates seculi, sed post Christum euntes, pœnitentiam in humiliato spiritu agũt, & corde contrito castigando, & in seruitutem redigendo sua corpora*, &c. Constit. *Cum illorum* Dat. 2. Aug. 1229. Ecce probatum Summos Pontifices intuitu bonorum operum, & meritorum, & non ex sua mera liberalitate diuersis, & quamplurimis priuilegiis personas religiosas cohonestasse, consequenter eorum priuilegia dicenda remuneratoria. *Ita Peyrin. tom.* 3. *priuil. cap.* 4. *n.* 24. *& tom.* 1. *ad const.* 26. *Leon. X.*

Quæres 8. An priuilegia regularium sint fauorabilia, ac proinde late explicanda, an odiosa, & sic stricte interpretanda?

27 Respond Priuilegia quæcomque regularibus concessa eisdem fauorabilia sine dubio dicuntur, cum summi Pontifices eadem concedant in illorum fauorem, & commodum: Spectata vero vt lædunt ius commune, seu vt præiudicant tertio, dicuntur odiosa, quia omnis recessus à iure communi, quod contingit per hæc priuilegia, est odiosus *cap.* 1. *&* 2. *de filiis presbyt. in* 6. Ita docent fere omnes, dum loquuntur de interpretatione priuilegiorum in genere, de quibus vide *Silu. v. Priuilegium, Mirand. tom.* 2. *q.* 44. *art.* 3. *Cruz. lib.* 2. *cap.* 2. *concl.* 5.

28 Ego puto priuilegia regularia siue sint contra ius commune, aut speciale, siue lædant ius tertij adhuc dicenda esse potius fauorabilia, quam odiosa. Probatur, Tum quia Princeps concedendo priuilegium libere cedit suo iuri, consequenter sibi non præiudicat, neque odiosus est, quis enim potest odio habere factum a se libere? Tum quia concedendo Papa priuilegia regularibus, quæ tangunt iura Episcopalia, vel parochialia, non dicitur lædere in aliquo eorum iura, quia læsio supponit actum iniustitiæ, sed Papa nullius iustitiam lædit, cum iure suo vtatur in concessione priuilegiorum, Papa enim omnia potest, *cap. Cuncta per mundum* 9. *quæst.* 3. *cap.* 2. *de prebend. in* 6. & de plenitudine potestatis potest supra ius dispensare *cap. Proposuit* 4. *de concess. prebend.* & præest omnibus Episcopis *cap. Sacrosancta* 2. *dist.* 22. & ab eo omnis potestas spiritualis dimanat in alios, quibus illam ampliare, & restringere potest, *cap. Ita Dominus* 7. *dist.* 9. quare priuilegia ab eo concessa nullam videntur continere rationem odij. Tum quia cum priuilegia regularium sint remuneratoria ex q. 7. ex virtute iustitiæ mouetur ad illorum concessionem, ergo non possunt continere aliquod odium, vel præiudicium, quod virtuti iustitiæ opponitur. Tum quia principale intentum principis est fauore, & beneficio afficere priuilegiatum, ex quo consequenter contingit vulneratio iuris; sed principale attenditur, non ad illud consequens. *l. Rogasti ff. si cert. pet. l. Si quis donationis causa ff. contr. emp.* principale autem in vnaquaque re, non accessorium spectandum est, *Rota Roman. vol.* 1. *decis.* 714. *nu.* 12. Tum quia priuilegia regularium ex innata conditione communicabilia sunt ergo ex suis intrinsecis inuoluunt fauorem atq. Conuenit fauores ampliari, de reg. iur. in. 6. Confirmatur ex dicendis sequenti quæstione, in qua probabo priuilegia regularium esse late interpretanda, quod arguit ea continere fauorem. *Vide Sanch. lib.* 8 *disp.* 2. vbi aliquid ad rem nostram innuo.

Quæres 9. An priuilegia regularia late interpretanda sint?

29 Respond. Maxime, quod probatur. Tum quia Papa illa sic explicat, vt videre est *cap. quia circa* 22. *de priuileg.* vbi priuilegium non soluendi decimas respicit non solum præteritas, sed etiam futuras, ea ratione, quia in beneficiis plenissima est interpretatio adhibenda. *cap. In his* 30. *eod.* priuilegium concessum Prædicatoribus, & Minoribus celebrandi vbique cum altari viatico ab aliquibus restrictum cum licentia prælatorum, Honorius III. amplitat, etiam sine licentia *cap. Per exemptionem* 9. *eod. in* 6. *Bonifacius VIII.* per exemptionem Ecclesiæ concessam, ipsa Ecclesia non solum, verum etiam illius monachi, vel canonici, clerici etiam, & conuersi, atque perpetuo oblati intelliguntur exempti. Loquendo vero de secularibus dicit, quod si canonici alicuius Ecclesiæ eximantur, ipsi soli canonici, non autem Ecclesia, aut alij eius clerici sunt exempti.

30 Tum quia priuilegia perpetua, huiusmodi sunt regularia, sub q. 5. & habentia vim legis, sub q. 6. ample explicanda sunt, ac si essent inserta in iure, *ex cap. fin. de sim.* ea enim ratione non sunt vulneratiua iuris, sed secundum ius. Tum quia beneficium Principis late interpretandum est, *ex cit. cap. Quia circa* 22. *de priuil. c. Cum dilecti* 6. *de donat. cap. Olim* 6. *de verb. signif. l.* 3. *ff. de constit. princ. l. quod vero ff. de legib.*

31 Sed priuilegia regularium beneficia sunt, cum beneficium respiciat meritum beneficiarij, & ratione laborum, & meritorum regulares decorentur priuilegiis ex probatis *sub qu* 7.

32 Tum quia in donationibus latissima interpretatio est facienda, *cit. cap. Cum dilectus* 6. *de donat.* sed priuilegia regularium habent rationem donationis remuneratoriæ, *ex Anchar. in cap.* 1. *de concess. prebend n.* 6. *Franc. ibid.* §. *Ex parte num.* 3. *& ex illis Sanchez lib.* 3. *disp.* 36. *num.* 2. § *Quinto.* Demum, summa est ratio, quæ pro religione stat, ex vulgatis iuribus. Ita docent Oldr. *cons.* 300. *num.* 4. §. *Considerandum*, *Henr. lib.* 7. *de Indulg. cap.* 22. *num.* 3. *& cap.* 24. *num.* 4. *in fine*, *ex illis Sanch. lib.* 8. *disp.* 1. *num.* 13. *Bonac. p.* 7. *de priuil.* §. 1. *num.* 5. §. *Dixi*, *vbi alios citat*, *Compend. priuileg. Theat. in Introduct.* §. 15. *&* 16. *Portel. part.* 3. *casu* 49. *in fine*, *& Compend. resol.* 62. *n.* 6. §. *Quod tandem.*

Neque

Neque obstat ias restringenda esse, quæ iuri communi præiudicant *cap. Cum dilectus* 8. *de consuet. Cap. Inter dilectos, de fide instrum.* vbi dicitur, quæ à iure communi discrepant, ad illud esse reducenda, & quæ exorbitant à iure non sunt in consequentiam trahenda

33 *Reg.* 28. *in* 6. & omnis recessus à iure communi vt odiosus restringendus est, odia enim restringenda sunt; sed priuilegia regularium exorbitant à iure, odiosa sunt, cum præiudicent Episcopis, & curatis, & per ipsa regulares recedunt à iure communi. Respondeo enim primo priuilegia regularium principaliter, & propriè non esse odiosa, neque præiudicialia, sed secundario, vt probaui præcedenti quæstione, quod non tollit; quin possint latè explicari. Deinde habere locum in priuilegiis particularium, & mere gratiosis, non autem in generalibus concessis communitati, & habentibus vim legis, cuiusmodi sunt regularia. Demum, exorbitantia à iure non sunt trahenda in consequentiam, quando odiosa sunt vtique vero cum sermo est de fauore Nauar. *consil.* 13. *de priuileg. num.*7.

Quæres 10. Quibus regulis vtendum in explicandis regularium priuilegiis? Suppono duplicem interpre-

34 tationem, vna dicitur Legalis, quæ ad solum legislatorem spectat, ex illo communi axiomate. Illius est interpretari cuius est condere, & hæc omnino necessario seruanda est, quia est ipsamet lex declarata, declaratio enim nihil ponit de nouo, sed quod intrinsecus latebat, exterius manifestat. *l. Hæredes palam ff. de testam. l. Adeo § Videtur ff. de acquir. rer. dom. l. Ita fidei ff. de iure fisci.* Altera vocatur Doctrinalis, seu Speculatiua, quæ scilicet datur à doctore, & perito, & hæc cum procedat simpliciter à doctore vt perito non habente, vt suppono iurisdictionem, vel si habet, non respondet vt legislator, sed vt doctor, voluntaria est, & opinio; cui nullus cogitur stare. Adde tertiam Iudicialem dictam, & practicam, qua iudex in aliqua causa legem declarat, & hanc quandoque legislator prohibet iudicibus; Gloss. *v. Sicut enim cap. Sicut enim* 27. 11. *q.* 1. *Compend. resol.* 90. *num.* 45. 46. Quæstio est de interpretatione doctrinali.

Respond. Quando constat de mente legislatoris, in-

35 terpretatio locum non habet, quia hæc versatur solum circa dubia, & obscura, non enim in claris est locus coniecturis, sed tantum in ambiguis, & obscuris declaratio habet locum, *l. Ille, aut illa, ff. de legat* 3. Gloss. *v. Hac iuri communi cap. Cum dilectus* 8. *de consuet.* in dubiis ergo interpretatio est adhibenda cum sequentibus regulis.

36 Prima. In dubiis priuilegiorum adeundus est legislator, si commodè fieri potest, *cap. Cum venissent* 12. *de iud.* & modo non sit periculum in mora, Hostiens. *in summa, § quod operetur*, Suar. *lib.* 8. *de legib. cap.* 28. *n.* 19. cum aliis Bonac. *de priuileg. p.* 7. *§.* 1. *n.* 3. Sed hæc regula quod ad priuilegia regularia non practicatur, & quia habent eorum prælati facultatem à summo Pontifice ea interpretandi; & quia aditus multum difficilis est, & prolixus, ob immensa negotia, quibus sedes apostolica detinetur.

37 Secunda. In explicandis priuilegiis, totus eorum tenor inspiciendus est, & attente legendus, & iuxta proprietatem verborum, aut secundum vsitatam verborum significationem declaranda sunt. Quod totum inspiciendum sit habetur *c. Porro* 7. *c. Recepimus* 8. *de priuil.* Ita quod priuilegia tantum valent quantum sonant, & suum effectum habent ex voluntate concedentis, non eius, cui conceduntur, dixit Lupus *in alleg. antepen.* circa finem. Attendenda est ergo proprietas verborum, hoc ipso, quod inspiciendus est eorum tenor, qui sine dubio ex illis componitur.

38 Tertia. Proprietas verborum quandoque impropriatur. Primo, quando ex propria verborum intelligentia sequeretur absurdum. Secundo, quando priuilegium nihil concederet; priuilegium enim semper debet continere aliquid præter ius *l. fin. C. de in offic. testam.* Cruz *lib.* 2 *cap.* 1. initio, & semper aliquid operari habet, *cap. In his* 30. *in fine*, *de priuileg. Compend. resolut.* 90. *num.* 49.

39 Quarta. Ad cognitionem eorum multum prodest tenor supplicationis exhibitæ pro obtinendo priuilegio, quia princeps solet se accommodare precibus sibi porrectis, *cap. Inter dilectos de fide instrum.* vbi Gloss. *v. Petitionis* dicit, responsum conformari petitioni, Bonacin. *de priuileg. p.* 7. *§.* 1. *num.* 3. Diana *tractat.* 1. *Miscellan. p.* 2. *resolut.* 55. *§. Quarto*, *Compend. resol.* 90. *num.* 49.

40 Quinta. Priuilegia regularium interpretanda sunt in fauorem ipsorum regularium vt concessit Leo X. Camaldulensibus, & Iul. I. Oliuetanis, refert Cruz *lib* 2. *de statu regul. cap.* 2. *ad finem*, *reg.* 6. *Compend. resol.* 90. *n.* 49. *§. Decima.*

41 Sexta. Statuta, & priuilegia regularium non sunt ita rigorose interpretanda, vt seruandi sint apices iuris, sed amplianda ex bono, & æquo, allegato Baldo docet idem loco citato ad finem. *Compend. resolut.* 90. *num.* 49. *§. Octaua.*

42 Septima. Explicantur ad modum legis, siue sint inserta in iure, tunc enim sunt lex, siue extra ius commune vagentur, quia censentur ac si essent leges, ex probatis *q.* 6. Couar. 4. *decret. part.* 2. *c.* 8. *§.* 8. Oldrad. *cons.* 9. *n.* 7. Sanch. *lib.* 8. *disp.* 1. *n.* 7.

Quæres 11. An regulares habeant aliqua priuilegia inserta in corpore iuris, & quænam sint?

43 Respond. Habent quamplura; nam Gregor. IX. *cap. Nimis* 16. *de excess. prælat.* quindecim grauaminibus enumeratis, præcipit prælatis, vt ab illis abstineant, neque super illos religiosos molestent; quod idem mandat *seq. cap. Nimis* 17. respectu duodecim grauaminum; *cap. Cum plantare* 3. *de priuil. §. In Ecclesiis*, dicitur, religiosi instituunt, & destituunt in Ecclesiis sibi pleno iure subiectis. Item ibidem, *§. De confratribus*, indulgetur, eos, qui se omnino tradiderunt religioni, esse penitus exemptos ab Episcopis; de quibus iterum *cap. Vt priuilegia* 24. *eod.* pro sepultura eorum; *cap. Quidam* 32. *eod.* quod non teneantur ad iura Episcopalia. *cap. In his* 30. quod possint celebrare in altari viatico sine licentia Episcopi. *cap. Licet* 18. *de regul.* fit facultas transeundi ad strictiorem, licet non obtineat licentiam, qui eam petiuit, *c. Ex parte* 10. *de decim.* non soluendis de hortis, animalibus, & de excultis propriis manibus, si antea non soluebant, *cap. Commissum* 4. *cap. Nuper* 34. *de decim. expressius cap. Statuto* 2. *de decim. num.* 6. *cap. Vbicumque* 6. 13. *quæst.* sepeliunt in suis Ecclesiis; *idem cap. In nostra* 10. *de sepult. item in Clem. Dudum de sepult.* vbi etiam habent Minores, & Prædicatores priuilegia prædicandi, & audiendi confessiones secularium; *cap. Inter quatuor* 5. *de relig.* habent priuilegium, vt eorum loca, in quibus vita regularis fuit relaxata, reformentur per regulares alios, *cap. de excessib. priuileg. in* 6. datur facultas eremiticam vitam agentibus recipiendi eremitoria sine licentia Papæ. *cap.* 1. *de priuil. in* 6. vt non possint censurari claustrales ab ordinariis. *cap. Authoritate* 4. *de priuileg. in* 6. possunt construere oratoria in suis locis exemptis sine licentia. *cap. Per exemptionem* 9. *eod.* Ecclesia exempta, sunt etiam exempti eius monachi, clerici fratres, conuersi, & oblati. *c. fin. de sepult. in* 6. sepeliuntur in suis Ecclesiis, *c.* 1. & 3. *de pactis in* 6. possunt inire pacta occasione mortuorum. Alia multa illis inserta sunt, quæ breuitatis gratia omittuntur.

44 Huiusmodi priuilegia in corpore iuris inserta non tolluntur per clausulam. *Non obstantibus quibuscumque priuilegiis*, sed ad illorum derogationem requiritur clausula derogatoria iuris communis. Card. *in Clem.* 2. *§. Cæterum, de vita, & hon. cler.* cui nemo contradicit, ait Nauar. *cons.* 7 *de priuil. num.* 17. Rodr. *tom.* 1. *quæst.* 59. *art.* 2. *initio*, Diana *resol.* 1. *de regul.* Bossius *sect.* 3. *de Iubil. casu* 2. *num.* 17. Bart. *in l.* 2. *§. Legatus, ff. de iud.* Modi-

tius, §. Principum placita dub. 140. *n.* 6. ob sequentem rationem.

45 Priuilegium iuri insertum non venit sub eo nomine, sed propriè lex vocarùr, Rodr. *tom.* 1. *q.* 59. *art.* 2. initio per doctores ibi allegatos, hinc fit quod illi non censetur derogatum per eam clausulam: *Non obstantibus priuilegiis*, &c.

46 Hæc autem latè explicantur, vt dixi præcedenti quæstione §. *Septima*, cum enim propriè lex sint, ad modum legis exponenda sunt.

47 Non probatur priuilegium in iure communi clausum, vnde Prædicatores, & Minores non tenentur probare priuilegia de prædicatione, confessione, & sepulturis, Clem. *Dudum*, sicut cæteri regulares, ad quos fuerunt extensa, docet Rodr. *tom.* 1. *q.* 59. *art.* 6. quia respectu horum est quid facti, quod probandum est, quia non præsumitur *l. In libello*, §. *Facta ff. de captiu. & postlim. reuer.* c. *Cum Ioannes*, §. *Verum*, *de instr.* c. *Licet*, *de constit. in* 6.

Quæres 11. Ad quos spectet interpretatio priuilegiorum regularium?

48 Respond. Certum est spectare ad Principem, vel alium, qui potest illa concedere ex illo vulgato iure. Eius est interpretari, cuius est concedere. Et in hoc nulla difficultas. Interpretationem vero iudicialem dare possunt superiores regulares, non autem Episcopi, aut alij, nisi in priuilegio illis expresse concedatur hæc facultas. Interpretationem vero doctrinalem per modum opinionis quilibet doctor, & peritus tradere potest.

49 Primum de facultate concessa regularibus interpretandi priuilegia, habetur ex const. Dum ad vniuersos Sixti IV. Bull. 10. in Nono, concessum Canonicis regularibus S. Saluatoris. Item Prædicatoribus, ea constit. Considerantes, Iulij II. apud Confect. pag. 112. Peregr. in suo Compend. v. Declarare. Clem. VII. constit. vberes, concedit Generali Tertij Ordinis, vt possit interpretari omnia dubia occurrentia in regula, constitutionibus, & priuilegiis, vt clare colligitur ex dicta Bulla, quæ habetur in nostro *Compend. priuileg. pagin.* 77. quam citat Cruz *libro* 2. *de priuileg. cap.* 2. *dub.* 2. *concl.* 2. & ex eo Portell. *v. Generalis num.* 6.

50 Secundum, quod prælati seculares, & Archiepiscopi, Episcopi, & alij non possint ea interpretari, prohibuit Clem. IV. constit. Ordinis vestri, apud Confect. pag. 13. in Bull. Nouo 32. Et si quandoque iuretpretentur, ea debeant declarare fauore religionis, Paulus III. Societat. Iesu Rodr. *tom.* 2. *quæst.* 63. *art.* 7. Portell. *v. Priuil. num.* 76. Mirand. *tom.* 2. *quæst.* 44 *art.* 1. *concl.* 2. Tambur. *tom.* 1. *disp.* 16. *quæst.* 6. *num.* 5. Immo si audeant ea sinistræ interpretari, & inquietare, atque molestare Prædicatores, & Minores Sixtus IV. in marimagno interdicit illis ingressum Ecclesiæ, & suspensionem a regimine suarum Ecclesiarum cum excommunicatione latæ sententiæ, Portel. *cit. n.* 77. sed reuera ibi solum sermo est in ordine ad iura sepulturæ, vnde nimis se extendit Portellus.

51 Tertium de interpretatione doctrinali secundum opinionem habent omnes Doctores ex vi suæ promotionis, cum illis tunc concedatur hæc facultas in vniuersum, immo & alij superiores ad hos recurrunt, cum habent cognitionem legum, quarum explicatio pendet ex vero sensu verborum, quando aliunde mens legislatoris haberi non potest.

Quæres 12. An priuilegia regularia, vt suam vim obtineant, requirant scripturam authenticam?

52 Respond. Pro foro conscientiæ sufficiunt etiam viuæ vocis oraculo concessa, quia in foro animæ cuique creditur pro se, & contra se, *cap. Significasti* 18. *de homicid.* vbi Gloss. reddit rationem, quia nemo præsumitur immemor propriæ conscientiæ, *ex cap Sanctimus* 25. 1. *quæst.* 7. Confirmatur *ex cap. Institutionis* 7. 25. *quæst.* 2. vbi dicitur seruanda esse decreta priuilegiis, seu ordinatione dispositæ, siue scripto, siue sola Pontificis præsentia. i. ore tenus concessa, ibi Gloss. *& in Clem. Dudum de sepult. v. Verbo. ad finem.* Sic concessit Leo X. Et Iulius II. Augustin. indulsit, vt quibuscumque eorum priuilegiis tam in iudicio, quam extra fides adhibeteatur, modo essent signata manu vel alicuius prælati, vel notarij, vel etiam Generalis ordinis sigillo firmata, ac si esset plumbo signata Cruz *libro* 2. *cap.* 1. *dubit.* 2. *concl.* 3. Nauar. *consil.* 1. *de priuileg. Compend. resolut.* 116. *num.* 5.

53 Pro foro externo necessarium est, vt in scriptis redacta sint in forma probante, quia in eo foro nulli creditur sine probatione Gloss. *v. Qualiter cap. Tuanos de sponsal. capit. Accepimus* 4. *de priuileg. capite Cum persona* 7. *eod. in* 6. Ita docent Mirand. *tom.* 2. *quæst.* 42. *art.* 6. Rodr. *tom.* 1. *quæst.* 58. *art.* 5. Priuilegia sufficienter probantur etiam per libros typis excussos probatorum authorum, qui ea exceperunt ex originali, vt fecit Confectius *de se testans tit.* 1. *in Summar. cap.* 5. *ante* §. *Demum*, vbi fatetur, priuilegia in suo opere impressa ex transumptis per prælatos, & notarios Cameræ Apostolicæ de more authentica exemplata fuisse. Item & fidem facit Bullarium Rodriq. & in primis Nouissimum Bullarium omnium Bullarum à D. Petro, vsque ad præsentem Pontificem, vt mox dicam.

Nota autem priuilegia ore tenus concessa olim ante diem 20. Decembris 1631. sublata fuisse ab Vrbano VIII. ac proinde non amplius existere, neque vllam efficaciam habere, iuxta quod dixi *tom.* 1. *consil.* 31.

Quæres 13. An priuilegium, cuius originale non habetur, sed tantum copia excussa typis in folio, vel in aliquo Bullario, seu alio libro fidem faciat in iudicio?

54 Respond. Fidem facit, tum quia æquiparatur scripturæ authenticæ, cui credendum est *cap.* 1. *de fide inst.* Tum quia scriptura facta coram tribus testibus a persona priuata authentica est, & fidem facit, vt iuribus allegatis, ibidem docet Gloss. sed nulla scriptura typis editur sine licentia superiorum ex Concil. Later. Sess. 10. Sub Leone X. & Trident. Sess. 4. qui quasi testes sunt, vera, & realia esse, quæ in lucem edi conceduntur, ergo scriptura, seu priuilegium typis excussum publicum est, & authenticum, ac proinde sufficienter probans. Tum quia sicut instrumentum exemplatum per notarium, immo & per aliam personam autoritate ordinarij habet eamdem vim cum originali, cap. fin. de fide instr. iuncta glos. v. Publicam personam; ita & scriptura impressa de licentia superiorum. Maxime cum superiores nullatenus concedant typis mandari aliquod priuilegium, nisi prius authentice ostendantur. Tum quia libris credendum est *arg. cap. Cum causam* 13. *de probat.* & libris mercatorum creditur, *Bartol. Iason cum aliis in l.* 1. *C. de eden. & l. Admonendi ff. de iureiur. Nau. consil. de fil. de procur. n.* 3. ergo à fortiori scripturæ impressæ, quæ magis publica est, quam sint libri Mercatorum. Demum *Nald. v. Priuilegium n.* 2 cum doctoribus ibi allegatis refert per Rotam decisum fuisse habentem copiam alicuius priuilegij impressam, dici certum de sua facultate, quamuis originale non habeat, aut non exhibeat, ergo priuilegium præcise impressum habet vim, & efficaciam etiam in foro externo, & iudiciali.

Quæres 14. An regulares teneantur in casibus occurrentibus probare quæcumque priuilegia siue in iure clausa, siue extra illud vagantia?

55 Respod. Tenentur probare solum ea, quæ sunt extra ius, non autem intextra iuri de quibus supra *quæst.* 11. *num.* 43. quia hæc publica, & manifesta sunt, consequenter non egent probatione, arg. *cap. De manifesta* 17. 2. *quæst* 1. *l. Si vero* §. 1. *ff. qui satisd. cog.* Ita docet Rodriq. *tom.* 1. *quæst.* 59. *art.* 8. vbi exemplificat in *Clem. Dudum, & dixi supra num* 47. Alia vero extra ius, cum præsumi

præsumi possint ignota, cum sint quasi facti egent probatione Portell. *v. Exemptio loquendo de exemptione* ab Episcopo, & foro laicali, à tributis, gabellis, &c. asserit, rem hanc adeo esse notissimam per tot iura, bullas, & concessiones, vt supervacaneum sit hac de re quicquam tractare, & probare. Hæc procedunt generatim, & speculatiue, in casibus autem practice occurrentibus, priuilegia, quæ non sunt notissima, ostendenda sunt, & probanda, si casus occurrat, ne per incognita, & incerta iudicium vagetur, in dies enim variantur, & de Marimagno constringuntur in paruum flumen.

Quæres 15. An priuilegia indigeant promulgatione instar aliarum legum, quæ instituuntur cum promulgantur *cap. In istis distinct.* 4. an sufficiat sola editio, seu concessio facta à Principe concedente priuilegium?

56 Respond. Non indigent illa solemni promulgatione, sed sufficit, si aliquo modo innotescant priuilegiario, quando sunt expedita à Principe, vel alio concedente. Probatur, Tum quia licet priuilegium sit lex, non tamen simpliciter, sed lex priuata *cap. Priuilegia 3. dist. 3. cap. Abbate* 25. *de verb. signif.* consequenter non recipit promulgationem, quæ solum refertur ad leges presse acceptas. Tum quia solemnis promulgatio fertur eo maxime fine, vt lege cognita, ne quis habeat occasionem se excusandi à subiectione, onere, & pœnis contra transgressores inflictis; quæ ratio cum non sit in priuilegiis, quæ regularibus onerosa, neque pœnalia sunt, sed maximè fauorabilia, ideo promulgationem cessare facit in illis. Ita Portel. *v. eod. n.* 9. citans Suar. *lib. 8. de legib. cap* 24. *n.* 8.

Quæres 16. An ad eorum vsum requiratur acceptatio facienda à superioribus, an possit à quouis religioso acceptari, superioribus non contradicentibus?

57 Respond. Vnusquisque potest acceptare priuilegium fauorabile religioni, si non obstet statutum religionis, aut id in priuilegio exprimatur, vt quis illo vti non possit sine acceptatione prius facta à superiore. Quod quisque possit acceptare, probatur, quia per illam acceptationem nullum affertur præiudicium religioni, cum illi sit fauorabile. Quod vero debeat acceptari probatur tum *ex c. Si tibi absenti, de prabend. in* 6. Tum quia est quædam donatio ex probatis supra *n* 32. Acceptatio autem fieri potest per procuratorem, vel nuntium, ducent Sanch. *lib. 3. disp.* 36. Bonac. *part. 3. de priuil. num.* 5.

58 Quando adest statutum, vt nullus religiosus possit vti priuilegiis sine licentia superiorum, aut nisi sint acceptata, vel registrata in libris religionis, inualidè agit illis vtens, cum nondum illi communicata fuerit facultas priuilegij; & maximè, quando ex tenore priuilegij, petenda est licentia à superiore vtendi illo; exemplum habemus in dispensatione debiti coniugalis, quo priuilegio confessarij vti non possunt sine licentia Prouincialis, vide Diana *resolutio* 14. *de regul.*

Quæres 17. An religiosos vti possit priuilegio antequam illius cognitionem habeat?

59 Respond. Non, probatur Tum quia acta ab ignorante suam facultatem nihil operatur, Bart. & Bald. *in l. Barbarius ff. de off. prætor. lect. 2. Ioannes Baptista de Salis in Repet. l. omnes populi ff. de iust. & iure Rota Nouiss. tom. 1. decis.* 750. *num.* 10. Tum quia iudex ignorans suam iurisdictionem nullum facit processum, ex Bart. *in l. Multum interest ff. de cond. & dem. & per l. Hoc autem §. Non defendi*, ibi: *constare Pretori ff. ex quibus caus. in possess.* Tum quia iurisdictio communicata est ad alterum ergo non potest communicari sine scientia eius, cui communicatur, relatiua enim sunt simul cognitione. Tum quia iurisdictio non potest conferri actu interno, sed solo externo per notitiam delegato factam, Victor. *de confess. numero* 153. Henr. *libro* 6. *cap.* 13. *num.* 13. Ita docet Sanchez *lib. 3. disp.* 36. *num.* 2.

60 Quid si agat sub conditione si habet priuilegium, quod ignorat? Eo casu valide agit, non obstante ignorantia, qua non omnino caret, cum habeat cognitionem conditionatam sufficientem ad operandum. Et quia ea conditio, cum sit præsentis temporis, non suspendit actum, *l. 3. ff. de legat. 2. l. Aliquando ff. de cond. & dem. capit. 2. de Baptism. l. Cum ad præsens ff. si cert. pet.* Megal. *part. 1. libro 2. cap.* 11. *numero* 2. Et in terminis de confessario ignorante priuilegium absoluendi à reseruatis, valide absoluit sub conditione, si habeat priuilegium hoc; Portel. *v. eod. num.* 40

61 Quæres 18. An priuilegia regularium habeant rationem contractus? Contractus autem qui est vtrinque obligatio, spectatur dupliciter, vel prout consurgit, ex obligatione iustitiæ commutatiuæ, quod procedit inter priuatos, in quo sensu non procedit quæstio, quia Princeps vt persona publica ea concedit; vel prout consurgit ex iustitia distributiua; quæ supponit saltem ex parte concedentis rationem personæ publicæ, & in hoc.

62 Respond. Priuilegia dici possunt habere rationem contractus ex titulo distributiuæ, quod probatur tum ex dictis q. 7. n. 26. quia sunt remuneratoria. Tum quia hæc iustitia fundatur in meritis, & obsequiis specialibus, quibus distributor mouetur ad concedenda priuilegia, ergo hæc habent aliquam rationem contractus.

Quæres 19. An prosit regularibus contra alios ignorantes?

63 Respond. Prosunt, quod apertè colligitur ex *c. 1. de concess. prebend. in 6. ibi: Nam si à sede apostolica alicui concedatur, quod excommunicari non possit, licet id forsitan suus ignoret Episcopus, non tamen propter hoc eius ligatur sententia.* Ratio est, quia cum priuilegiū sit quædam donatio sufficit eius cognitio, & acceptatio ex parte eius, cui prodest. Ita docet Sanch. lib. 3. disp. 36. n 5. aliis quampluribus citatis.

Quæres 20. Quid importet priuilegium concessum sub his clausulis. *Motu proprio. Ex certa scientia. De plenitudine potestatis.*

64 Respond. Hæ tres clausulæ in priuilegiis regularium multum operantur, non enim solum confirmant vetus priuilegium, non obstante posteriori derogante, sed etiam habent vim nouæ concessionis, etiam illis priuilegiis ad verbum non expressis, motum verba interdum referunt Summi Pontifices, vt fecit Sixtus IV. in suo Marimagno, ad maiorem cautionis abundantiam, & præterea reualidant inualidum, vel abrogatum, *ex cap. 1 de translat. Glos. v. Forma communi, cap. Quia diuersitatem 5. de concess. prebend. Glos. v. Confirmatum, cap. Cum accessissent, de constit. in quibus locis doct. Suar. lib. 8. de leg. cap. 18. compend. resol. 62. n. 6. Mirand. tom. 2. q. 44. art. 1. Portel. v. Priuilegium à n. 27. & n. 30.* refert plures Bullas sub illis clausulis concessas. *Vide alios apud Sigism. dub. 76. de elect. numero. 7. Nald. numero.* 14.

65 Priuilegium autem concessum, seu confirmatum vno ex illis modis est illud, in quo exprimitur vna ex illis clausulis, vel si deest, claram notitiam concedens habet priuilegij, quod concedit, aut si illud verbaliter exprimit in sua conceptione, vt docet Portel. cit. Quando igitur vetus priuilegium confirmatur, si sit nullum, reualidatur, intellige modo ipse confirmans non adiiciat clausulam illud tollentem, vt ex Suarez refert Portellus citatus. Et modo vetus priuilegium non fuerit nullum ex subreptione falsitatis, quia tunc non reualidatur, vt tradunt *Felin. Anchar. in cap. Ad Aures, de rescr. n. 9. Rota Romana vol. 1. decis. 451. n. 5.* Neque motus proprius confirmat priuilegium contra alterius, nisi concedens exprimat, vel alias priuilegium redderetur vanum, *Abb. in cit. cap. Ad aures n. 5.* Butrius *in cap. Per venerabilem, qui fil. sint. leg. num.* 15.

Præposit.

Præposit. in c. Quia circa, de cons. n. 4. Ruin. lib. 3. cons. 123. num. 16. Gemin. *cons. 104. Curt. sen. cons. 35. num. 3.* & ex illis Rota Rom. *vol. 2. decis. 451. n. 4.* Princeps autem non præsumitur aliquid concedere motu proprio, nisi illud exprimat, vel ex verbis eius colligatur Panorm. *in cap. Nonnulli de rescr. Innoc. in cap. Statutum eod. in 6.* Dictæ ergo clausulæ idem important, Gloss. *v. Literarum, cap. Statutum 11 de rescr. in 6.* Quod obseruat Moditius §. *Principum placita dubit. 55. num. 6.* Gloss. *v. Elegerint in fine, cap. Ad hæc 15. de rescr. ibi Abb. & Felin. ex eodem Moditio §. Lex est, dubit. 78. num. 3.* Graff. *consil. de priuileg. diff. 3. num. 6.* De hoc autem motu proprio quid sit, latius tractat Natta *consil. 340. num. 6.* Oldradus Mediol. qui anno 1630. ibidem edidit opusculum de Rescriptis.

Quæres 21. An omnes regulares inuicem communicent priuilegia?

66 Respond. Communicant, quod alia ratione non probatur, nisi referendo in genere priuilegia. Primum sit Sixti IV. in suo Marimagno, apud Confect. pag. 66. Omnia priuilegia, indulgentias, fauores concessa Minoribus a suis prædecessoribus, vel aliis authoritatem habentibus concedit Prædicatoribus & eisdem Prædicatoribus concessa minoribus concedit, perpetuo in omnibus, & per omnia, prorsus, & sine vlla differentia, perinde ac si singulis nominatim fuissent concessa. Et quæ concessit & statuit Papa pro superioribus, & eorum vicariis vnius ordinis communicat æquè superioribus alterius ordinis; Atque hæc priuilegia communicat eorum monialibus. In sequenti Bulla Aurea, idem Sixtus apud dictum Confect. priuilegia prædicta concessa, & concedenda communicat Tertiariis vtriusque sexus S. Francisci, eorum domibus, Ecclesiis, & locis. Item priuilegia concessa Ecclesiis, domibus, locis, ac superioribus, & Fratribus Eremitanis, Carmelitis, & Seruitis communicat Prædicatoribus, minoribus, Tertiariis, ac eorum locis. Iulius II. Bulla. Alias ad supplicationem, pag. 126. declarat quo modo Dominicani, & Franciscani inter se communicent priuilegia, dicendo priuilegia concessa superioribus vnius ordinis censeri communicata superioribus alterius ordinis, nempe Generali vnius ordinis, Generali alterius, concessa Prouincialibus vnius Religionis intelligi communicata proportionaliter Prouincialibus alterius Religionis, sic de aliis proportionaliter, & concessa priuatis vnius ordinis intelligi communicata aliis priuatis alterius ordinis, & indulgentias concessas pro sanctis vnius ordinis extendi ad sanctos alterius ordinis, siue sint plures, siue pauciores.

Leo X. constit. Dudum per nos, pag. 160. apud prædictum Confectium priuilegia concessa, & concedenda Prædicatoribus, Minoribus, Minimis, Carmelitis, & Augustinianis, singulis eorum ordinibus, Ecclesiis, & locis, Monialibus, Sororibus oblatis, & personis vtriusque sexus communicat Tertiariis Regularibus S. Francisci.

Clemens VIII. constit. Dum fructus, pag. 169. apud eundem Confectium ampliorem faciens communicationem, quam antea illius prædecessores non fecerant Minoribus de obseruantia concedit, & communicat priuilegia concessa, & concedenda aliis Mendicantibus, & non Mendicantibus. Similem fecit Greg. XIII. constit. Ea benigna, pag. 247. pro Franciscanis vtriusque sexus, tam pro foro interno, quam externo. Item Sixtus V. constit. Et si Mendicantium, pag. 267. Item Clem. VIII. constit. Ratio pastoralis, pag. 286. Vide Mirand. *tom. 2. quæst. 46.* Portell. *verbo Communicatio priuilegiorum, Compend. cum suo Doctore tom. 1. quæstione 55. resolut. 116. à numero 38. Confect. in Summar. titulo primo capitulo quinto. Lezana tom. 1. capitulo tertio numero decimo septimo.*

Quæres 22. An regulares Tertij Ordinis habeant communicationem priuilegiorum tam cum Mendicantibus, quam non Mendicantibus in omnibus priuilegiis concessis, & concedendis?

Respond. Habent. Paulus II. constit. Excitat 26. Maij 1467. singula priuilegia concessa Tertiariis existentibus in regnis Legionis, & Castellæ, & Diœcesis Leodiensis communicat existentibus in diuersis locis Lombardiæ, in Compend. Priuileg. nostri ordinis pag. 44. Idem fecit Sixtus IV. Constit. Sedes Apostolica 29. Nouemb. 1571. pagina 45. & in Bulla aurea, anno 1479. vt dixi præced. quæst. Item Iul. II. const. Decet Rumanum 8. Ian. 1508. communicat priuilegia concessa Minorib. de Obseruantia, pag. 56. Item Leo X. citatus *præced. quæst. communicat priuilegia concessa, & concedenda aliis ordinibus Mendicantium.* Et in alia incip. Dudum felicis, concessa, & concedenda Monialibus S. Claræ communicat Sororibus Tertiariis. pag. 62. Item Clem. VII. constit Dum fructus, de qua in præced. & in alia incip. Ad vberes, pag. 69. ad Tertiarios extendit ea omnia priuilegia, quibus vtuntur, & vtentur reliqui Mendicantes. Paulus IV. constit. Ex Clementi sedis, pag. 84. communicat priuilegia tam aliorum Mendicantium quam non Mendicantium. Gregor. XIII. Sixtus V. & Clem. VIII. de quibus præcedent. quæstione. Etiam Societatis Iesu, vt docet ex nostra religione Celestinus Suessionensis *in Sum. Theol. Moral. tract. 8. de potest. regul. §. Dico 8. c. 8. & c. 15. q. 2.*

Quæres 23. An illi Tertiarij, qui nunc habent proprium Generalem, vt hic in Italia, & in aliis locis extra non amplius subiiciuntur Minoribus Conuentualibus, aut Obseruantibus gaudeant priuilegiis eisdem concessis, quando erant sub eorum regimine? Ratio dubitandi videtur esse, quia ea priuilegia concedebantur intuitu subiectionis, nam Pius V. constit. Ea est, pag. 85. subdit illos regimini Minorum de Obseru. cum communicatione omnium priuilegiorum, & licet postea Sixtus V. constit. Romani, pag. 90. restituerit illis proprium Generalem, non ideo tamen exemit ab obedientia Ministri Generalis de Obseruantia, nunc vero omnino sunt exempti ab illis, quia Generalis de Obseruantia non amplius confirmat Generalem Tertij Ordinis, neque illius Fratres visitat, vt constituerat dictus Sixtus, ergo cum nunc sint exempti ab illis non possunt communicare cum illis in priuilegiis, immo neque gaudent priuilegiis eisdem directe concessis, quando erant sub cura minorum de Obseruantia. Confirmatur, quia mutatione personæ mutatur priuilegium. *l. Per procuratorem 89. de acquir. hered.* ibi: *Castrensia esse mutatione personæ desierunt.*

68 Respond. Priuilegia concessa, vel communicata regularibus Tertiariis, siue quando erant sub cura illorum, siue ab eorum regimine liberi adhuc vigent, quia concessa, & communicata fuerunt eisdem, vt talibus, seu potius eorum ordini, qui non mutatur mutatione superiorum præscindendo à cura, & regimine eorumdem Minorum Conuentualium, vel Obseruantium cum de hac subjectione ne verbum, quidem fiat in concessionibus, vel communicationibus priuilegiorum, quod alia ratione non probatur, nisi inspectione singulorum priuilegiorum, de quibus in præcedentibus quæstionibus.

Quæres 24. De Monialibus, quæ non amplius subsunt curæ regularium, sed ex dispositione Summi Pontificis subiectæ fuerunt regimini Episcoporum, vel ita erecta de nouo fuerunt illarum monasteria sub iurisdictione Episcoporum, an gaudeant priuilegiis virorum? *Portel. part. 2. casu 14. nu. 2.* probat non gaudere, nisi subsint curæ Fratrum suorum, quia summi Pontifices concesserunt, vel communicauerunt eisdem priuilegia, quatenus subsunt Curæ illorum, *ex Compend. Priuil. v. Communicatio priuil. & v. Moniales* ex Sixto IV. & Leone X. *& Compend. resol. 116. num. 46. §. Rursum* Rodr. *tom. 3. quæst. 73. art. 1. §. Colligitur*, ait Tertiarias non gaudere priuilegiis, nisi subsint regularibus.

ribus Coniecturam adiungit, quia Fratres pro ipsis monialibus solent petere priuilegia, & non petunt, nisi pro sobiectis religioni, ergo petita priuilegia extendenda nun sunt ad exemptas, & non subiectas, priuilegia enim sunt quid facti, & stricti iuris, ac proinde restringenda. Quibus tamen non obstantibus.

69 Respond. Moniales cuiuscumque ordinis sint, siue suberant ante, & nunc exemptæ, siue de nouo earum erigantur monasteria sub iurisdictione, & regimine Episcoporum, adhuc gaudere priuilegiis sibi concessis, vel communicatis sub cura Fratrum eiusdem ordinis. Probatur. I. inspectione priuilegiorum, quæ sunt Clem IV. apud Confect. 19. pro Monialibus, & Mancellatis Augustin. Bonif. VIII. pro eisdem pag 30. Nicol. V. pro Carmelitis, pag. 42. Paulus II. pro Augustin. pag. 50. Sixtus IV. In Bulla Aurea pag. 70. pro Dominicalis, & Franciscanis. Pro eisdem Leo X. pag. 160. Clem. VII. pag. 169. Greg. XIII. pag. 247. Sixtus V. pag. 267. Clem. VIII. pag. 286. qui ita loquitur. *Sancta Clara, ac Tertio de pœnitentia nuncupato, etiam in Congregatione sub obedientia Fratrum Minorum de obseru.* Eisdem fere verbis vtuntur alij præcitati Pontifices, sic: *Moniales sub obedientia ordinis vestri. Sub cura, & regimine ordinis vestri degentes. Viuentes secundum institutum ordinis vestri.* Ex intelligentia prædictorum clausularum colligenda est resolutio totius difficultatis. Prædictæ clausulæ demonstrant nomen instituti, ordinis, seu religionis, sub qua profitentur, & viuunt, consequenter quamdiu viuunt sub illo instituto, ordine, tamdiu gaudent illius priuilegiis; sed per exemptionem à superioribus regularibus, & subiectionem Episcopis, aut per fundationem monasterij sub iurisdictione Episcopi Moniales non desinunt esse sub instituto, & regula suæ religionis; vt clarum est, ergo adhuc gaudent priuilegiis sui ordinis, quamuis non sint subiecti prælatis eiusdem ordinis. Secundo priuilegia conceduntur Monialibus absolutè propter earum merita, & vt moniales talis ordinis, licet ad instantiam quandoque alicuius superioris regularis, ergo quatenus moniales manent eiusdem ordinis priuilegiis gaudent. Tertio ex dictis Bullis supracitatis nonnullæ carent illis clausulis subiectionis regimini regularium, ergo saltem ex hoc capite non amittunt sua priuilegia subiectæ Episcopis. Quarto, priuilegia perduntur morte, lapsu temporis, cessatione causæ, per non vsum, per contrarium vsum, per abusum, renuntiatione, & reuocatione, vt communiter docent Doctores cum suis limitationibus; sed per translationem monialium à cura regularium ad regimen Episcoporum nullo ex præallegatis modis perduntur priuilegia, ergo neque per mutationem superiorum, cum hæc sit quid extrinsecum ad priuilegia petenda. Portel. *part. 2. casu 13. num. 3.* contra se probans Moniales sub regimine Episcoporum adhuc gaudere priuilegiis, adducit hoc argumentum, quia Moniales quando nondum erant sub cura Fratrum gaudebant priuilegiis eorundem Fratrum sibi concessis per Bonifacium VIII. & quod nondum essent sub illorum regimine probat per Bullam Eugenij IV. transferentis Moniales à cura Protectoris ad curam Fratrum. Sed ego

70 habeo ex Confect. pag. 6. etiam tempore Gregor. IX. Moniales S. Claræ fuisse subiectas Patribus Minoribus constit.

Vestris piis supplicationibus inclinati, Fratribus Minoribus, qui monasteriorum vestrorum obsequiis deputantur, v. pro exercendo monasteriorum ipsorum opere, vel illis conseruandis ab incendio, seu latronibus defendendis, aut Frater Presbyter cum Fratrum ipsorum clerico maturo moribus, & ætate pro audiendis confessionibus vestris, & extrema Vnctione, & aliis Sacramentis Ecclesiasticis exhibendis vobis infirmitate cogente, ac sepeliendis corporibus decedentium Sororum Monasteria ipsa secundum formam, quæ in Regula vestra noscitur contineri, ingredi valeat, liberam concedimus auctoritate præsentium facultatem. Datum Laterani sexto nonas Iuly, anno XV. Constat autem ex Chronicis Gregorium IX. fuisse electum in Summum Pontificem anno 1227. Eugenium vero IV. anno 1431. ergo audiendus non est Portellus in eo, quod asseruit, Sorores S. Claræ ante dictum Eugenium Summum Pontificem non fuisse sub gubernatione Fratrum Minorum.

Neque obiecta initio quæstionis alicuius sunt momenti, supponunt concessiones, & communicationes esse conditionatas, quod falsum esse ostendimus, cum præcitatæ clausulæ nullam contineant conditionem, sed demonstrent solum personas eius ordinis, quibus conceduntur, & communicantur priuilegia. Neque refert, quod petita fuerint a Fratribus pro Monialibus, quia intelliguntur concessa, seu communicata Monialibus prout sunt talis ordinis, cuius non desinunt esse per mutationem superiorum. Neque demum priuilegia regularium sunt stricti iuris, licet sint quid facti, sed late explicanda sunt, prout probaui supra *q. 9. num. 29.*

Quæres 25. An hæc communicatio priuilegiorum habeat locum in priuilegiis specialibus, e.g. Prouincialis Minorum habet priuilegium absoluendi à reseruatis Papæ, an hoc extendatur ad superiores non tantum suæ religionis verum etiam omnium aliarum. Item an concessum vni religioso priuato, concedatur per communicationem aliis eiusdem, & aliorum ordinum? De superiore inferiori ad superiorem & contra infra *q. 57.*

71 Respond. Priuilegia concessa vni superiori intelliguntur concessa, & communicata omnibus superioribus eiusdem officij aut maioris tam sui ordinis, quam aliorum. Concessa Fratribus priuatis intellige in communi vnius ordinis, vel conuentus intelliguntur communicata aliis religiosis priuatis aliorum conuentuum, seu ordinum. Hæc clare habentur declarata à Iulio II. constit. Alias, apud Confect. pag. 126. pro Franciscanis, & Dominicanis. Ratio potest esse; quia communicant in eodem officio vniusquisque proportionaliter respectu sibi subiectorum, ergo conueniens est, vt idem priuilegium participent. Et sicut religiosi priuati æque omnes exercitiis spiritualibus, & obedientia correspondere habent suis superioribus, ita & cohonestari eisdem priuilegiis. Ita docent Portel. *v. Communicatio priuileg. num. 6. v. Priuilegium num. 21. Compend. cum suo Doctore resolut.* 116. *num.* 52. Lezana *tom. 2. capitulo primo numero* 15. Limita tamen vt in sequenti quæstione.

72

73 Priuilegium concessum vni religioso priuato nulla ratione est communicabile aliis eiusdem, vel diuersi ordinis, licet in aliis reperiretur idem motiuum concessionis. Ratio est, quia communicatio priuilegiorum sicut est communis, ita & corpus commune, non indiuiduum determinatum postulat. Et quia similia priuilegia sunt personalia, quæ non sunt communicabilia, cum sequantur personam, & cum ea extinguantur reg. 7. in 6. & priuilegium vni concessum ad alium etiam ex identitate rationis extendi non potest. *cap. Sane 9. eod.* Ita Mirand. *tom. 2. q. 46. art. 7. ad finem*, Portel. *n. 6. v. Commun. & v. Priuileg. n. 21.* Lezana *n. 53.*

Quæres 26. An priuilegia concessa vni prouinciæ, vel monasterio intelligantur communicata aliis prouinciis, & locis eiusdem, & aliorum ordinum?

74 Resp. Affirmatiue, quod patet ex diuersis priuilegiis, præsertim Clem. VIII. constit. Deuotionis augmentum apud Confect. pag. 171. Gregor. XIII. pag. 247. Sixtus V. pagina 267. Clem. VIII. pag. 286. illis verbis. *Monasteriis, locis in genere, vel in specie.* Ratio potest esse, quia loca in tantum sunt capacia communicationis priuilegiorum, in quantum personæ ipsæ ibidem degentes sed priuilegia concessa vni personæ publicæ extenduntur ad alias eiusdem officij, vt probaui præcedenti quæstione, ergo & localia communicantur aliis locis. Ita docent Rodr. *cum suo Compend. resol. 216. num. 51.*

Mirand.

Mirand. *tom. 2. quæstione 46. articulo 7.* Portel. *verbo Communicatio, num. 6. & v. Priuil. n. 20.* Lezana *tom. 2. c. 1. num. 52.*

Limitanda sunt prædicta in hac quæstione, & præcedenti, primo priuilegia vnico loco concessa, vel vni superiori non esse communicabilia aliis, quando aduer- 75 santur eorum ordini, vel statutis, vt expresse docet Sixtus IV. in Bulla Aurea ibi: *Quatenus earum sexui, & status non contradicant.* Ratio est, quia priuilegia debent potius fauere religiosis, & eorum religionibus, & non aduersari. *Ita Compend. resol. 16. num. 42.* vbi citat Suar. *lib. 8. cap. 17. à n. 3.* Portel. *v. Commun. num. 8. per Greg. XIV.* Rodr. *tom. 1. q. 55. art. 22.* Lezana *tom. 2. cap. 1. num. 56.*

76 Quare Capucini, qui ex suis statutis non excipiunt confessiones secularium, non possunt vti priuilegiis confessionum, dispensationum, & absolutionum erga seculares, quia cum hæc repugnent cum eorum constitutionibus, non intelliguntur communicata; quod si eorum religio obtineret à Summo Pontifice gratiam excipiendi confessiones secularium in genere, aut in specie, per hoc non censerentur illi communicata priuilegia, sed necessaria esset specialis concessio, vt possent illius religiosi communicare in priuilegiis aliarum religionum.

Secundo non sunt communicabilia, quando sunt ad 77 tempus aliquod determinatum, quia communicatio intelligitur de priuilegiis perpetuis. Quare Indulgentiæ, 78 quæ per tot annos conceduntur particularibus Ecclesiis in honorem certorum sanctorum, seu solemnitatum communicabiles non sunt.

Tertio priuilegia communicabilia non sunt quando 79 concessa fuerunt ex aliqua specialissima ratione, quæ non potest habere locum apud alias religiones, quibus non fuerunt concessa; exemplum habemus in illa celebri indulgentia S. Mariæ Angelorum die secunda Augusti, dicta de Portiuncula, ea cum nullo modo est 80 communicabilis ob illam specialitatem, quia Papa eam concessit expresse nomine Iesu Christi, & non alia ratione, nisi quia præcepit B. Francisco, vt eam nomine suo peteret à suo Vicario. Quicquid dicat Rodr. *t. 1. q. 55. art. 18.* cui assentitur. Mirand. *t. 2. q. 46. art. 7.* impugnatus à Portel. *v. Indul. num. 2. §. Quæris*, quia Paulus V. reuocauit omnes indulgentias concessas religionibus, & religiosis, consequenter & illam saltem quo ad extensionem. Sed non placet hæc ratio, quia non reuocauit nisi illas, quæ directè sunt pro ipsis religiosis, non autem concessas pro omnibus Christi fidelibus, cuius generis est supradicta, vt de se patet ex legenda eius diei, & dato etiam quod solis religiosis esset concessa, adhuc non contineretur sub illa generali reuocatione, cum quæ habent specialissimam notam non veniant sub generali reuocatione, sed speciali, & indiuidua reuocatione indigeant, argument. *cap. Sedes 15. de rescr. cap. De multa, de prabend. cap. Ne aliqui de priuileg. in 6.* Immo puto nullum summum Pontificem audere illam reuocare, cum potius dicatur concessa specialiter à Christo Domino, quam à Papa, qui potius declarauit, eam à Christo Domino concessam fuisse. Addit aliam rationem *v. Commun. num. 6.* Ideo Indulgentiam Portiunculæ non esse communicatam, quia non venit sub nomine priuilegij. Sed neque hæc placet, quia sine dubio Indulgentia venit sub nomine priuilegij, cum & ipsa sit speciale beneficium concessum Christi fidelibus. Præterquam quod sub nomine priuilegiorum communicabilium veniunt etiam indulgentiæ, vt videre est expresse in Bulla Iulij II. apud Confect. pag. 126.

81 Aliæ vero indulgentiæ perpetuæ sunt communicabiles, quia continent generalem rationem, nimirum auxilium sanctorum, augmentum Christianæ religionis, splendorem Ecclesiarum, quæ omnibus Ecclesiis, & personis regularibus competunt, ideo inter se illa- 82 rum communionem habent. Hinc fit, quod illa indulgentia septem altarium, quam aliquæ religiones in specie impetrarunt pro suis Ecclesiis, intelligitur extensa ad alias Ecclesias eiusdem, vel alterius, ordinis, qui illam non petiit, de iure, licet oppositum in praxi seruetur speciali petitione.

Patres Societatis Iesu, vt ferunt, habent speciale pri- 83 uilegiũ, promouendi ad lauream doctoratus suos scholares tot singulis annis. Forsan hoc priuilegium est communicabile aliis religionibus, quæ communicant omnes in priuilegiis Societatis? *Portel. ver. Commun. n. 3.* Non certe, quia illis concessum fuit ex specialissima ratione, quod ex instituto ordinis sui habent debitum docendi, & legendi publice, ideo in remunerationem laborum in studiis, & ob eorum merita, tali eosdem priuilegio cohonestauit, honor enim est præmium virtutum. Cum ergo aliæ religiones ex instituto non habeant hoc onus docendi, ideo dictum priuilegium ad illarum religiosos extendi non potest. *Vide Lezana tom. 2. cap. 1. num. 52.* vbi ait, priuilegium concessum vni loco speciali, quia ibi est Imago B.M.V. magnæ deuotionis, 84 & concursus populorum, non ideo extenditur ad quascumque alias Ecclesias eiusdem, vel aliorum ordinum, quia est specialissima ratio illius loci, qua alij 85 carent. Idem dic de altaribus priuilegiatis ob speciales rationes talis altaris ad quod est concursus populorum, seu alia specialis ratio, quæ mouet superiorem ad petendum altare priuilegiatum, præterquam quod priuilegium locale communicabile intelligitur sub nomine totius conuentus, aut totius Ecclesiæ, Altaria autem priuilegiata non sunt totius Ecclesiæ, sed talis capellæ. *Sic docet. Peirin. tom. 2. ad const. 8. Pauli 3. in notab.*

Quæres 27. An priuilegia vni religioni concessa cum clausula negatiua communicationis, ea non obstante adhuc sint communicabilia? *Affirmat Rodr. tom. 1. q. 55. art. 17. Cruz lib. 2. cap. 4. §. Secundo sequitur*, quia per subsequentes confirmationes, & communicationes censentur concessa, & communicata, quæ alias non erant extensa cum eis Diana resol. 81. Repul.

Respond. Per subsequentes confirmationes non 86 intelliguntur cõmunicata priuilegia alias incommunicata sed priuilegia alias incõmunicabilia, quia confirmatio etiam per formam specificam, motu proprio, ex certa scientia, seu de plenitudine potestatis solum respicit priuilegia iam concessa, & circa ea nihil aliud præstat, quam adiiciendo robur, & firmitatem, aut eadem reualidando, si antea effecta erant nulla, iuxta quod probaui supra *q. 20. n. 64.* ergo eadem confirmat secundum quod antea erãt, sed erant nonnulla incommunicabilia, ergo vt talia confirmat, alias non esset confirmatio priuilegiorum iam concessorum, sed formalis concessio non amplius facta circa tale priuilegium incommunicabile, quod non est dicendum. Confirmatur ex repugnantia priuilegiorum incommunicabilium à communicabilibus, nam communicabilia ideo sunt communicabilia, quia non habent adiunctam clausulam excludentem communicationem, sicut incommunicabilia, quæ propterea non possunt reddi communicabilia nisi per adiectam clausulam appositam, quæ exprimenda est in confirmatione, & extensione subsequentium priuilegiorum, sed hanc clausulam nullibi vidi expressam à Summis Pontificibus, ergo priuilegia incommunicabilia adhuc talia remanent. *Ita docet Suar. lib. 8. de legibus cap. 17. ad finem, cui adhæret Portel. v. Commun. n. 5.* Et faciunt rationes sequentes.

Quæres 28. An priuilegium concessum vni religioni sub ea limitatione, vt religiosi eo non vtantur sine licentia sui superioris, aliis intelligatur communicatum cum tali limitatione? Negant esse communicatum cum tali restrictione *Mirand. tom. 2. q. 46. art. 5. in fine, Rodr. tom. 1. q. 55. art. 17. §. Secundum Portel. v. Priuil. n. 23. Diana resol. 81. de regul.* Ratio eorum, quia communicatio fit in fauoribus, & gratiis, non in restrictionibus, & limitationibus. Quibus non obstantibus.

Respond.

87 Respond. Communicatur solum cum illa restrictione, & limitatione, probatur, Tum quia est communicabile secundum quod fuit concessum, communicatio enim supponit concessionem tanquam fundamentum, & radicem, ex qua ipsa communicatio emanat, ergo secundum naturam illius, & conditiones dicendum est emanere. Tum quia Papa non præsumitur magis velle fauere communicantibus, quam concessariis, quibus primo datum fuit priuilegium arg. *cap. Si quis, §. Verum, de elect. in 6.* Prior enim nominatus censetur magis dilectus, *Thomaset. reg.* 235. Tum quia cum limitatio sit facta fauore superiorum, vt subditi debitam illis obedientiam impendant, Papa non præsumitur velle huic illorum fauori derogare, nisi exprimat, quod nullibi reperitur expressum. Tum quia per communicationem priuilegiorum Papa se declarat velle omnibus fauere æqua lance, Leo X. apud Confect. pag. 160. ergo non magis communicantibus quam concessariis. Tum quia communicatio est concessio ad instar respectu communicantium; sed priuilegium ad instar censetur concessum cum eadem extensione, & limitatione, quibus primo concessum fuit, Bald. *in l. Omnia C. de Episc. & cler.* Nauar. *tom. 3. de Indulgent. notab.* 26. Suar. *lib. 8. de leg. cap.* 15. & ex his Bonac. *de priuil. p. 7 §. 1. num.* 20. Demum patet ad rationem oppositæ sententiæ, nam limitationes, & restrictiones licet non sint fauores respectu subditorum, tales sunt tamen respectu superiorum, & ideo communicantur.

Quæres 29. Quomodo contingat fieri communicatio priuilegiorum? seu religiosi quando incipiant vti priuilegiis alienis titulo communicationis?

88 Respond. Statim ac priuilegium primo concessum fuit religioni, potest alia religio, cui primo non fuit concessum, libere vti, quia sicut prior illo vti potest, ita & reliquæ in eo posteriores, siue deinde acceptetur, siue reijciatur à prima religione, siue adsit statutum regulare, vt prius acceptentur priuilegia à religione in capitulis, quia hæc sunt extrinseca priuilegiis, ideo non habent præiudicare aliis religionibus, modo & religiones communicantes non habeant peculiare statutum acceptandi hoc, vel illo modo priuilegia, quia in eo casu seruandum est, sicut superius dictum fuit.

Quæres 30. An priuilegium amissum, propter destructionem loci vel religionis, argum. *cap. Abbatee, de verb. signif.* ibi Gloss. *v. Donec*, quibus primo concessum fuit, perdatur etiam respectu participantium?

89 Respond. Non perditur, quia statim ac concessum fuit primæ religioni, communicatum etiam fuit aliis, ita quod deinceps participantes in illo ius habent, & retinent independenter ab illa religione, cui primo concessum fuit; ergo siue destruatur, siue non, ius acquisitum per eam communicationem nequaquam ex illo capite perdi potest.

Quæres 31. An indulgentia siue perpetua, siue ad tempus concessa visitantibus Ecclesiam Fratrum S. Mariæ, si inde Fratres expellantur, vel alio modo amoueantur, & Ecclesia conferatur aliis religiosis, vel clericis secularibus, adhuc duret, an extinguatur remotione Fratrum?

90 Respond. Indulgentia cessat, quia concessa fuit in gratiam regularium petentium, omne enim priuilegium reale, seu locale conceditur quidem loco non propter se, sed intuitu personarum inibi habitantium. Confirmatur, quia mutatione personæ mutatur, seu cessat priuilegium. *l. Per procuratorem* 89. *de acquir. hered.* ibi: *Castrensia esse mutatione persona desierunt.*

Quæres 32. An communicatio priuilegiorum idem operetur, ac ipsamet concessio, ita quod priuilegium communicatum habens spectetur ac si primo illi concessum fuisset? Ita vt quo ad virtutem, efficaciam, & vsum censeatur omnino idem priuilegium communicatum, ac concessum? & hoc proprium ipsi communicanti, ac si primo illi concessum fuisset?

91 Respond. Ita, quod non alia ratione probatur, nisi referendo verba priuilegiorum, nam in Bulla Aurea Sixti IV. apud Confect. pag. 70. habemus hæc verba. *Libere, & licite vti possint, ac debeant in omnibus, ac per omnia prorsus ac sine vlla differentia, ac si eisdem monasteriis nominatim concessa forent, & concederentur expresse.* Et Leo X. pag. 161. ita loquitur. *Itaque omnia, & singula interdictorum ordinum personas pariformiter communia fuisse, & esse volumus, prout in singulis literis prædictis plenius continetur.* Itaque nulla differentia est inter concessarios, & communicantes, sed ad vtrosque æqua lance priuilegia extenduntur, & singulis religionibus propria fiunt. Et sic docent Corduba *v. Commun. priuil. ad finem* *Mirand. tom. 2. q. 46. art. fin. Confect. tit. 1. c. 5. Rodr. tom. 1. q. 8. art. 4. q. 55. art. 21. Compend. resol. 116. n. 53. Lezana tom. 1. c. 3. n. 17. tom. 2. c. 1 n. 57. Portel. v. Priuil. n. 222. Megal. conf. 76. n. 9.*

Quæres 33. An sub communicatione priuilegiorum veniant non solum concessa, verum etiam concedenda?

92 Respond. Veniunt, vt colligitur ex bullis Pontificiis, Sixti IV. pag. 70. Ibi. *Hactenus concessis, & in posterum concedendis.* Leo X. pag. 160. *in specie concessa fuerunt, aut in posterum concedentur.* Clem. VII. pag. 175. ibi: *Aliisque ordinibus quibuscumque etiam non Mendicantium quomodolibet concessis, & concedendis.* Quod idem præstarunt subsequentes, vt vltimo videre est, ex constit. Gregor. XV. Ad vberes, pro Cartusianis, quibus motu proprio confirmat, & communicat quæcumque priuilegia concessa, & concedenda in posterum quibuscumque ordinibus tam Mendicantium, quam non Mendicantium. Et licet intermedij Pontifices Clemens VII. & Gregorius non expresserint aliquid de priuilegiis concedendis imposterum, tamen non negarunt, neque prohibuerunt illorum communicationem. *Vide Lezanam tom. 2. cap. 1. n. 61. Mirand. tom. 2. quæst. 46. art. 4. Compend. resol. 116. num. 55.* tenet oppositum, sed venit intelligendus de priuilegiis priuatis, vel in quibus non fit mentio de futuris, in quo sensu bene loquitur.

Quæres 34. An in communicatione priuilegiorum veniant etiam pœnæ e.g. Prædicatores sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibentur appellare à suis superioribus ad iudices extra ordinem, an aliæ religiones gaudeant eo priuilegio respectu negatiuæ appellationis, & pœnarum in eo contentarum, & inflictarum contra transgressores? Non solum autem excommunicatio est pœna, verum etiam & talis videtur esse non posse recurrere ad iudices extraneos; sed hoc posterius communicatur, ergo & illud prius, non enim est maior ratio de vna, quam de alia pœna.

93 Resp. Priuilegia continentia aliquid, quod videtur onerosum, & odiosum huic & illi religioso, non sunt odiosa, neque pœnalia; sed fauorabilia, & conseruatiua religionis & subditorum in officio suo, quod Deo promiserunt. Et probatur, quia per illa conseruatur disciplina regularis, & augetur obedientia erga superiores, & religiosi sui instituti professionem perfectius prosequuntur, per quæ omnia apparent priuilegia esse simpliciter fauorabilia etiam ipsis religiosis, quorum saluti animæ, & corporis quieti consulitur.

94 Pœnæ vero nequaquam communicantur, quia bonum cum sit sui ipsius diffusiuum communicabile est, pœnæ autem habent rationem mali, ergo non communicantur, & facit regula, Odia restringenda sunt. Sic docent Rodr. *tom. 1. quæst. 55. art. 17 ad finem*, Mirand. *tom. 2. q. 46. art. 6.* Sigism. *de elect. dub. 56. n. 9. &* 10. Portel. *v. Commun. n. 10. §. Hoc tamen*, Lezana *tom. 2. cap. 1. n. 52. Confect. tit. 1. cap. 5.* Quare pœna contenta in priuilegio vnius ordinis, cui primo illud concessum fuit, non extenditur ad religiosos alterius ordinis priuilegium illud communicantes.

95 Reſpectu vero ſecularium fauore religionis pœnæ extenduntur, vt timore earum ſeculares perterriti reuerentiam, & obſequium præſtent religioſis, non contemnendo eorum priuilegi. *Sorbus v. Commun. priuil. §. Notandum, LeZana tom. 2. cap. 1. n. 52.* Ratio eſt, quia priuilegium communicatum tantam vim habet, quantam conceſſa fuit conceſſarius, cum ſit factum proprium ipſius communicantis.

Quæres 35. An in communicatione priuilegiorum communicetur ſolum ius, & facultas vtendi priuilegio, an etiam vſus, vel non vſus alterius religionis, ita quod ab ea religione, cui primo conceſſum fuit, tranſeat eo modo, quo illo vtitur, vel non vtitur prior religio?

96 Reſpond. Communicatur ius, & poteſtas vtendi priuilegio communicato, & non vſus, probatur, Tum quia priuilegiom communicatur eo tempore, quo alteri conceditur, ſed conceſſio præſuppouitur vſui, ergo & communicatio. Tum quia communicare aliquid alicui, eſt illi delegare, & conferre poteſtatem ad agendum aliquid *cap. fin. de off. delegat.* Tum quia priuilegia religionum ſunt realia *ſub n. 23.* & perpetuo durantia *n. 24.* ergo in eis communicatur ius vtendi, & non vſus reſpectiue ad alias religiones. *Mirand. tom. 2. q. 46. art. 8. & eodem Portel. v. Commun. priuil. n. 11.*

Quætes 36. Religio N. habet priuilegium recipiendi ad profeſſionem viros excedentes annos 40. peracto nouitiatu ſex menſium, accidit caſus profeſſionis ſimilis in alia religione cuiuſdam viri multum diuitis, qui omnia religioni reliquit, nonnullis diebus peractis, ſuper bonis dicti profeſſi lis conteſtata fuit ab illius conſanguineis, inter alia aſſerentibus, non potuiſſe proficere, niſi peracto vno nouitiatus anno integro ex diſpoſitione *cap. 15. ſeſſ. 25.* ex alia parte religio attulit priuilegium illius religionis, cui primo fuit communicatum, non tamen expreſſum nominibus, & titulis illius religionis, ſed digeſtum ſub nomine propriæ religionis, ac ſi illi primo conceſſum fuiſſet. Circa duo dubitatum fuit, primo, an ſecunda religio communicaret in eo priuilegio? ſecundo, an religioſi exhibentes priuilegium ſub nomine propriæ religionis tranſcriptum, & in forma probante, ſint iudicandi falſarij, cum Papa tale priuilegium illis nunquam dimiſerit?

Ad primum dictum fuit, tale priuilegium non eſſe communicabile, licet enim ſummus Pontifex potuerit eam gratiam ſingulari religioni contra Concilium facere, non tamen præſumitur velle eam eſſe communicabilem aliis, quia poſt Tridentioum confirmationes priuilegiorum ſemper factæ fuerunt cum clauſula, modo non obſtent decretis Sacri Concilij; ſed hoc obſtat ergo non cenſetur communicatum; maxime cum confirmationes ante Tridentinum factæ nunc nullius ſunt roboris, ſi obſtant illi.

Ad ſecundum dixerunt, religioſos eſſe falſarios, per *cap. Licet 5. de crimine falſi*, & incurriſſe pœnas falſariorum, præſertim *cap. Ad falſariorum 7. eod. & in Bulla Cœna excommunic. 6.* Quibus tamen non obſtantibus.

97 Reſpond. Priuilegium illud communicabile eſt, & religioſi illi bene vti poterunt priuilegio ſic illud tranſumendo.

Primum ſuadetur, quia priuilegium quodcumque vni religioni conceſſum immediate fit communicabile aliis participantibus, quando illis non aduerſatur, neque ſpecialiſſimam rationem habet, quæ diſſuadeat communicationem ex probatis ſupra ſub q. 21. n. 66. 75. & 79. ſed hæc religio participat cum aliis in priuilegiis, vt probatum fuit in proceſſu litis, & Portel. v. Communic. n. 2. aſſerit hiſce noſtris temporibus omnes religiones tam Mendicantes, quam non Mendicantes in omnibus priuilegiis participare; ergo in dicto priuilegio communicat. Nec obſtat Tridentinum, quia ſi priuilegium valet p[ro] prima religione etiam pro ſecunda, cum priuilegium æque dicatur proprium ſecundæ, ſicut primæ, cui ſicut non obſtat Concilium, neque ſecundæ, & maiorem efficaciam non habet priuilegium reſpectu primæ, quam ſecundæ religionis, ex probatis q. 32 & in ſimili docet *Megal. conſ. 76. n. 9.* Et ſicut Papa, qui priuilegium conceſſit, noluit per ſuam conceſſionem obſtare Tridentinum, ita neque communicationem, cum in ipſa conceſſione, quæ communicationem præcedit, ſublata fuerit obſtantia Tridentini. Neque dicat, confirmationes priuilegiorum cum illa cauſula Trident. referri non ſolum ad priuilegia iam conceſſa, ſed etiam concedenda, vt conſtat ex probatis *quæſtione 33.* quia præterquamquod prædeceſſor non poteſt ligare manus ſui ſucceſſoris, vt aiunt, neque illi legem indicere arg. cap. Innotuit, de elect. nego in caſu noſtro locum habere poſſe illam clauſulam, quoniam ſicut Papa exemit primam religionem ex Trident. ita & hanc ſecundam participantem, & ſic clauſula illa ſpectatur ac ſi ibi non eſſet expreſſa.

98 Secundum facile expeditur per priuilegium primo conceſſum à Iulio II. Minimis de Paula, conſtit. Dudum ad ſacrum, apud Confect. pag. 118. illis verbis. *Nec non ſuper omnibus, ac ſingulis Marismagni, & aliis quibuſcumque bullis, quatuor Mendicantium ordinibus, & eorum cuilibet quomodocumque conceſſis, vnum vel plura tranſſumpta communiter, aut diuiſim facere queant, perinde ac illa, mutatis in eis nominibus, quarumque Romanorum Pontificum prædeceſſorum, & ipſorum Mendicantium in noſtrum, & Fratrum ordinis Minimorum huiuſmodi nomina, cæteriſq; ſingulis ad hunc effectum de neceſſitate mutandis, conceſſa forent. Ac quod tranſſumptum, huiuſmodi taliter facta, & manu alicuius notarij publici ſubſcripta, ac ſigillo alicuius prælati eccleſiaſtici ſignata.*

99 Accedit ratio, quia ille dicitur falſarius, qui mutat veritatem cum dolo, & iactura, quæ tria requiruntur ad incurrendas pœnas ſecundum *Hoſt. Azon. & alios per tex. in l. quid ſit falſum ff. de falſar. Silu. v. Falſarius n. 1.* ſed in dicto tranſſumpto veritas mutata non fuit, quia verum eſt illud priuilegium eſſe illius religionis proprium ex probatis q. 32. ergo potuit mutare nomina prioris religionis in nomina propriæ neq; aliquis dolus commiſſus fuit, quia doloſe non dicitur agere, qui facit actum conceſſum, *ex Gloſ. in l. Vn. C. de in ius voc.* neque qui actus habet primordium veritatis, vt iſte, dicitur doloſus, *Rimin. iun. vol. 7. conſ. 769. n. 5.* demum nulli infertur iactura, ergo nulla ratione in caſu præſenti inueniri poteſt falſitas.

Quætes 37. An ignorantia priuilegij præiudicet priuilegiario, itaut non poſſit illo vti, poſtquam deuenit in illius cognitionem? ſiue ignorantia ſpectetur reſpectu totius religionis, aut reſpectu alicuius conuentus, vel particularis religioſi?

100 Reſpond. Non, expreſſe Eugen. IV. conſtit. Et ſi quaſlibet, pro Monachis S. Benedicti, apud *Confect. pag. 38.* Ignorantia autem excuſat à multis aliis, vt à peccato, a cenſuris incurrendis, quia hæc ſupponunt culpam, à qua excuſat ipſa ignorantia, conſequenter etiam ab amiſſione priuilegiorum, quæ quis meretur amittere, ſi illis abutatur, quib. non dicitur abuti eadem ignorans. Docent *Rodr. tom. 1. q. 61. art. 3. §. Ac Vrbanus, quem pro ſe citat Portel. part. 3. caſu 24. n. 2. Peir. Subd. ad finem.*

Quætes 38. An regulares teneantur vti ſuis priuilegiis? Videtur, quod ſic, nam Sixtus IV. in Bulla Aurea, pag. 70. ſic habet. *Licite vti poſſint, & debeant.* quæ duo verba ſimul iuncta important neceſſitatem, *ex cap. Oblata 17. de appell. cap. 1. Vt eccleſ. benef.* Quando aliquis habet ius recipiendi aliquid, neceſſario alter habet obligationem dandi illud, vnde in contractibus, qui habet ius emendi aliquod prædium, poteſt cogere iure dominum ad vendendum illud ſibi, ſic in

in casu nostro e. g. tempore Iubilæi quisque habet ius eligendi sibi confessarium, ergo quilibet confessarius habet debitum acceptandi electionem de se factam, cum non magis in Bulla Iubilæi determinetur vnus quam alter, vnum quemlibet indifferenter eligere possit. Deinde priuilegia conceduntur regularibus non tantum pro se ipsis, sed etiam fauore secularium, ergo illis vti debent, aliter frustratoria essent. Quibus non obstantibus.

101 Respond. Regulares non tenentur vti suis priuilegiis. Suadetur, Tum quia nemo cogitur vti suo priuilegio, *cap. Si de terra, eod.* Tum quia priuilegia introducta fuerunt in fauorem ipsorum regularium, ergo non debent esse eisdem onerosa, quia alia essent, si cogerentur illis vti. Ita Rodr. *tom.* 1. *q.* 61. *art.* 15. apud Bossium citandum.

102 Excipiuntur duo casus. Primus est, quando negotium fuit cœptum e.g. ego incepi excipere confessionem alicuius, qui indiget dispensatione voti, teneor cum eo dispensare, si habet debita requisita; item tempore Iubilæi teneor absoluere, & dispensare in reseruatis eum, quem audiui, si dignus sit his beneficiis, ratio est, quia facerem illi iniuriam negando absolutionem, & dispensationem, quas illi conferre possum, & debeo, ex cœpto si quidem iudicio habet ius contra me, vt illud perficiam in eius fauorem, *cum Lex* Vbi cœptum, *l. Si quis postea ff. de iudic.* dictet, iudicium finiendum esse ab eo, à quo cœptum fuit, est enim contra rationem cœptum iudicium relinquere imperfectum, cum etiam imperfecta natura abhorreat, vt tradant philosophi, cum de Miner. *Ita docet Bartol. à S. Fausto lib.* 4. *Thesaur. relig. quæst.* 54. Bossius *de Iubilæo sect.* 1. *casu* 34. *n.* 9. Quando vero non cœpit iudicium, sed aliquis se præsentat pro beneficio consequendo, eo casu libere tenet potest, cum nulla ratio suadeat, tunc regularem debere vti suo priuilegio, sic intelligendus est Sanch. *lib.* 5. *c.* 54. *n.* 12. cum Rodr. Ang. & aliis.

Alter casus est tempore Iubilæi, nam tunc mihi videtur confessarius quicumque ex charitate habere debitum, si commode potest, acceptandi electionem de se 103 factam, saltem sub veniali; Tum quia priuilegium est fauore ipsius pœnitentis, non confessarij, ex quo confessarius non dicitur cogi vti suo priuilegio, cum alieno vtatur. Tum quia frustraretur priuilegium pœnitentis, si nullus teneretur audire illum ex vi priuilegij; nec obstat debitum Parochi in hoc, & similibus casibus, quia virtute priuilegij pœnitens æquale habet ius erga vtrumque tam confessarium ex charitate, quam ex officio. Tum à simili de viro habente ius petendi debitum ab vxore, quæ vice versa tenetur reddere; neque facias vim in eo quod ius petendi est ad determinatam personam, quia si per impossibile haberet plures vxores, ad plures haberet etiam ius, ergo idem dicendum de pœnitente erga confessarios quoscumque à se eligibiles, cum ad quoscumque pœnitens dicat relationem indifferenter, sicut vir diceret, si simul plures posset retinere vxores. Faciunt rationes adductæ in quæstione. Accedit, quod iubilæum non est durabile nisi per paucos dies, ideo ratio suadet, vnumquemque confessarium habere debitum acceptandi electionem de se factam, ne tanto beneficio, quo frui non potest extra illud tempus, priuetur inurbanitate confessarij. *Ita docet Sanchez libro* 4. *capit.* 54. *num.* 12. aliis citatis.

Ad authoritatem Bullæ Aureæ dico ibi intentionem Papæ esse, vt priuati Fratres non possint renuntiare suis priuilegiis, & sic debeant illis vti tali vsu, ne ex illorum non vsu sequatur renuntiatio. Aliud est aliquando non vti, quod posterius non negatur, cum nullus cogatur vti suo priuilegio.

104 Priuilegio igitur quis vti tenetur I. quando cœptum est negotium. II. quando ex non vsu præiudicatur alteri, vt si quis Ecclesiasticus permitteret se iudicari à iudice laico, hoc enim casu tenetur vti suo priuilegio, nempe accedere ad iudicem Ecclesiasticum. Item Ecclesiasticus non potest permittere sui percussionem, sed vti suo priuilegio resistendo percutienti. III. Quando alias habet debitum agendi aliquid, sed impeditur, sublato autem impedimento per priuilegium, tunc tenetur vti priuilegio, sic tempore interdicti ha- 105 bens priuilegium tenetur eo vti audiendo Missam diebus festis, Sanchez *libro* 9. *disput.* 6. *num.* 14. ex Suarez *part.* 3. *quæst.* 83. *artic.* 6. *disput.* 88. *sect.* 6. *§ Soles.* IV. quando confessarius eligitur tempore Iubilæi, in hoc tamen casu confessarius non dicitur cogi vti suo priuilegio, sed alieno, nempe pœnitentis.

Quæres 39. An regulares possint renuntiare suis priuilegiis? nam non coguntur illis vti ex probatis sæpetius, ergo renuntiare illis possunt, siquidem renuntiare est illis non vti; est etiam commune axioma, quod vnusquisque potest renuntiare fauori suo, cui sicut inuito non fuit donatum, ita & non inuitus à se abiicere potest.

Notandum est pro responsione, Priuilegia alia esse 106 toti Ecclesiæ tam Clericorum, quam religiosorum concessa, vt priuilegia canonis, vt Ecclesiasticus non possit percuti sine pæna excommunicationis latæ sententiæ; & fori, vt non possit iudicari à iudice laico, vt sit exemptus à Gabellis & similia vtrisque communia, & de his quæstio non est, & certum est, hæc nequaquam esse renuntiabilia, *cap. Si diligenti* 12. *de foro compet.* ibi Gloss. *v. Pacto priuatorum.* Alia esse soli religioni concessa in vniuersum, vt quod religiosi iudicentur à superioribus regularibus, vel legitimis, & non extra ab aliis Ecclesiasticis; vt quod habeant ius sepeliendi, audiendi confessiones secularium, dispensandi, commutandi vota, benedicendi paramenta; non soluendi quartam, & similia, & de his procedit quæstio. Et videtur quod non, expresse in terminis *cap. Cum tempore* 5. *de arbitris*, ibi: *Cum & si sponte volueris de iure tamen nequiueris, sine licentia Romani Pontificis renuntiare priuilegiis, vel indulgentiis libertatis, quæ monasterium illud indicant ad ius, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere.*

Respond. Possunt renuntiare suis priuilegiis, modo 107 in illorum renuntiatione non præiudicent sedi Apostolicæ, vel tertio. Primum probatur *per cap.* 1. *& de pactis in* 6. *cap. Si de terra* 6. *cap. Accedentibus* 15. *de priuileg. cap. Quam periculosum* 6. *q* 1. *cap. Ad Apostolicam, cap. Statuimus, de regul.* Ratio est, tum quia sicut voluntarie ea acceptarunt, & non coacte, ita & libere eis renuntiare possunt; Tum quia in priuilegiis censetur adiecta hæc clausula. *Si pars vti voluerit* Oldr. *cons.* 206. *Sarmen. de Trienn. quæst.* 94. *num.* 11. *& de Annua, quæst.* 4. *num.* 4. *& approbat Rota decis.* 229. *& ex illis Sigism. de elect. dub.* 120. *in Additione,* vbi cum illis dat nostram distinctionem. Secundum patet ex obiectione facta initio quæstionis.

Sed difficultas est à quibus, & quomodo hæc renuntiatio fieri possit? Certum est hanc renuntiationem non 108 spectare ad religiosos priuatos, cum illis vti debeant, iuxta dicta præced. quæstione, & colligitur ex Bulla Eugen. IV. pag. 41. *docet Consell. tit.* 1. *in summ. cap.* 5. & alij omnes, quia publico priuilegio, cuiusmodi sunt regularium priuilegia, nullus renuntiare potest in præiudicium communitatis.

Renuntiatio ergo illorum facienda est vel in capitulo 109 generali cum capitulo à superiore Generali pro toto ordine; à Prouinciali cum suo capitulo pro prouincia sua; à superiore locali cum suo conuentu pro suo loco. De generali concessit Leo X. *vt refert Compend. v. Generalis §.* 24. De eisdem & Prouincialibus colligitur ex diuersis aliis bullis, nam Alexand IV. constit. Mente sollicita, pag. 8. nulla declarat pacta inita cum clericis sine assensu Generalis, vel Prouincialis Minorum. Idem statuit pro Dominicanis Honor. IV. constit. Religionis fauor pag. 21. Et Iulius II. pro Minimis, constit. Alias, pag. 115. Sed per prædicta pacta

renuntiabant aliquibus priuilegiis,ergo & nunc possunt dicti Superiores cum suo capitulo. Quod demum superiores locales cum suo conuentu possint patet *per cap. 1. & 1. de pactis in 6.* vbi de hac re expresse; excludendo consensum maiorum,vt dixi præcedenti Consilio I. *sub num.* 15. contra Pottellum *num.* 52. negantem id prouinciis.

110 Est autem renuntiatio perficienda acceptatione eius, qui priuilegium concessit, res enim per quas causas nascitur per easdem dissoluitur, priuilegia autem nascuntur, & originem habent à Principe, consequens est vt per eiusdem voluntatem dissoluantur,facta acceptatione renuntiationis, & ita docent omnes *in cap. Si de terra, cap. Accedentibus, de priuileg.* Sanchez *lib.8. disput.32. num.2.* Bonac. *de priuileg. p.8. §.4.* loquentes de priuilegiis in genere. Quæ locum etiam habent in priuilegiis regularium; sed quoniam acceptatio specialis potest dupliciter, vel vt ab homine procedit, qualis est ea, quam præstat princeps actu, dum renuntiationem sibi porrectam in specie acceptat, qua indigent omnes renuntiantes, qui à iure non habent facultatem renuntiandi; vel à lege, qualis est illa, quæ lege, aut aliquo iure, seu statuto, aut constitutione indulgetur, cuiusmodi sunt iura allegata. §. *Renuntiatio,* concedentia regularibus facultatem renuntiandi priuilegia, & hæc legalis acceptatio virtute constitutionis prouenicns sufficit, vt religiosi dicantur renuntiasse priuilegiis, quæ à se abdicarunt. Quare statim cum parte pacta inierunt, & concluserunt fide, instrumento, vel alia scriptura subscripta à partibus, renuntiatio dicitur perfecta, & acceptata ex parte Papæ, itavt religiosi, qui renuntiauerunt, non possint amplius tedio ad idem priuilegium abdicatum, *cap. Quam periculosum* 8. 7. *quæst.*1. per alia iura ibi Glossa citata.

111 (margin)

112 Quid dicendum si aliquis religiosus confessarius tædio affectus multitudine pœnitentium facultatem acceptam ab Episcopo ad excipiendum secularium confessiones porrigat suo superiori, vel eam laceret coram ipso protestando se nulle amplius illud munus exercere? An pœnitentia ductus sponte, vel præcepto obedientiæ possit ad illud officium excipiendi confessiones redire?

Dico, quod sic, quia illa non est perfecta renuntiatio cum desideretur acceptatio Episcopi, qui facultatem concessit,& sufficienter colligitur ex dictis; neque dicas,esse perfectam legali acceptatione,quia sicut priuatis religiosis non conceditur facultas renuntiandi ex iuribus citatis,ita neque iu illis acceptatio legalis locum habere potest.

113 Hinc patet resolutio contra Portellum *part.*1. *casu* 12.*num.*4. casus cuiusdam Commissarij Generalis Minorum de Obseruantia,qui de consensu sui definitorij à religione abdicauit quoddam monasterium Monialium dimittendo illas sub regimine Episcopi, nam illa renuntiatio perfecta fuit, quia adfuit acceptatio legalis Papæ iuxta superius dicta, alia quæ affert non multum vrgent.

114 Nota quædam de Renuntiatione. Est ergo facienda in manibus superioris illam acceptantis *cap. Denique* 6. *quæst.*3. *cap. Abbas* 7. 8. *quæst.*1.*cap. Admonet, de renunt. cap. Cum tempore de arbitr.* Bessignan. *decis.*5.*de renunt.* Gemin.*cons.*117. vnde facta in manibus non habentis potestatem nulla est, resolutum coram Blaoch. in vna Nolanæ Abbat. mense Iunij 1578. Rota Rom. *vol.*4. *decis.*529. Et cum sit stricti iuris, non extenditur vltra id, quod expressum est, nisi adsint verba clara Aymon. *conf.*190. *num.*6. Rota *cit.vol.*1. *decis.*664. *num.*8. Caldet.*cons.*1.*de prebend.in fine,*Dec.*cons.*419.*num.*9.M.Anton. *lib.*1. *resol.*108. *num.*18. Quare non extenditur ad casum non expressum, multo minus ad diuersum, Socin. Iun. *libro* 3. *conf.*9. *num* 14. Dec. *conf.* 131. Anton. Gabriel. *libro* 3. *conclus.*1. *de iure emphyt.* Rota *vol.*2. *decis*242. *num.*4. Et minus habet lædere renuntiantem quam sit possibile *... dernus, ff. de seruit. præd.* Beccat. *conf.*211. *num* 31. Surdus *consil.* 446. *num.* 2. Lauor. *titul.*4. *de electi. cap.*15. *num.*89. Et in dubio quis non præsumitur renuntiasse iuri suo, Cephal. *conf.*286. *num* 29. *volum.*2. M.Anton. *libro* 2. *resolut.*23. *num.*14. quia renuntiasse iuri suo de facili nullus præsumitur *capit.*5. *de renunt.* Gloss. *v. Voluerit extr. commun. Ne sede vac.* Neque quis dicitur renuntiasse iuri suo, nisi expresse renuntiauerit, *Doct. in l. Si quando ff. Et generaliter C. de inoff. testament.* Beniutend. *decis.*72. *numero* 4. M. Anton. *libro* 1.*resolut.*102. *num.*9. Quamuis sit stricti iuris, tamen vnt renuntians intelligitur renuntiasse omnibus quæ sequuntur ex illo, & etiam omnibus cohærentibus, Gloss. *v. Dicere cap.*1.*distinct.*8. *per cap. Si quis sacerdotum dist.*81.*cap. Si quis Episcopus* 1 *quæst.*1. *cap. Nullus primas* 9. *quæst.*2. Renuntiatio illicita non præiudicat Gloss.*v. Aduocati c.*1.17. *q.*2. Renuntians non potest redire ad suum officium *c. Ex transmissa 3.de renunt.*

Quæstea 40. An religiosi per non vsum suorum priuilegiorum illa perdant?

115 Nota autem, quod quis potest dici non vti suo priuilegio tribus modis. Primo per actum contrarium, quando facit actum contrarium priuilegio sibi concesso, e.g. soluendo decimas, quibus exemptus est. Secundo per actum priuatiuum, quando non vult illo vti data occasione. Tertio per actum negatiuum, quando aut illud ignorant, & sub hac ratione dixi supra *n.*100. aut occasio non se obtulit illo vtendi, aut si se obtulit habebat impedimentum. Quæstio currit per hos tres modos.

116 Respond. Per nullum ex dictis actibus priuilegia regularia amittuntur, apertum est testimonium Eugenij. IV. ad instantiam Monachorum S. Iustinæ ordinis S.Benedicti, constit. Et si quibilibet, Confect. pag.41. illis verbis. *Ex negligentia, vel ignorantia præsentium vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quauis causa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore obseruatum, ignoranter, vel scienter, nullum tamen præiudicium.* Ita Pottel. *num.* 55.& ex eo Diana *resolut.* 88. *de regular.* Lezana *tom.*1. *cap.*15. *num.*17.

117 Quod non amittantur per actum contrarium, nisi sit publicum vi renuntiationis iuxta *dicta num.* 108.factam a religioso priuato, probatur, quia talis actus fuit nullus, quo ad hunc effectum, cum nullus præiudicate possit communitati, neque actui concernenti fauorem alienus, Dec. *in l. pen. C. de pact. num.*18. & cum iste sit illicitus præiudicare non potest, Gloss. *v. Aduocati cap.*1. 17. *quæst.*1. vnde Vgolin. *de off. Episcopi* apud Nald. *v. Priuileg. num.*4. dicit regulares non amittere priuilegia, quibus contradicunt; *Compend. resol.*116. *num.*62. Pottel. *num.*58. 60. Mirand. *tom.*2. *q.*42. *art.*4. *concl.*2.

118 Quod non perdatur per actum priuatiuum suadetur eisdem rationibus, eo magis quia per cessationem vsus illius non vtens non dicitur abuti priuilegio eum nullum actum faciat illicitum contra tenorem priuilegij, *Mirand.tom.*2.*q.*42.*art. concl.*2.

119 Demum non perditur per actum negatiuum, quia in eo nullus apparet abusus,neque culpa,ergo nulla ratio suadet illius perditionem, Gloss. Donec,*c. Abbate de verb. signif. Compend. resol.*116.*n.*60. Portel.*n.*57.Bonac. *p.*7.*de priuil.§* 5.*n.*5.

120 Difficultas non leuis oritur ex illa clausula, *Quatenus sunt in vsu,* per quam videtur inferri, amitti priuilegia per non vsum non solum publicum, i. totius alicuius religionis, prouinciæ, aut conuentus, in quo sensu non vsus potius est renuntiatio, quam non vsus, sed etiam per non vsum priuatum cuiuslibet religiosi, in quibus iste non vsus propriè attenditur. Primus enim Pontifex, qui apposuit illam clausulam fuit Greg. XIII. constit. Ex benigna, pag.147. die 21. Mart. 1575. sublequens tamen Sixtus V. non apposuit; neque Clem. VIII. vt videre est apud Paulum V. apud Pottel. *num.*62.

num.62. §. Dixi, Gregor. vero XV. pro Cartuſienſibus faciens ampliſſimam confirmationem, & communicationem adiungit eam clauſulam. *Dum modo ſint in vſu.*

Dico illam clauſulam non obſtare, quia præcedens Pontifex Pius V. pag 207. & 208. Motu proprio, & in forma ſpecifica confirmat, & innouat priuilegia omnia, in gratiam Prædicatorum, ſub die 23. Septembris 1571. conſequenter ab illo die omnia priuilegia antiqua, quæ non erant vſu, ſeu inualida cœperunt eſſe valida virtute dictæ confirmationis, quæ tantam vim habet, vt nulla, & inualida reualidet, ex ſupra probatis *num.64.* & tradit in re hac Rodr. *tom.1. quæſt.10. art.28.* ex eo Portel. *num.62. §. Dixi.* Mirand. *tom.2. q.45. art.1. concl.2.* conſequenter clauſula appoſita a Gregorio XIII. de anno 1575. nullum potuit habere effectum, quia tunc nullum dicebatur eſſe amiſſum per non vſum, cum legitimum tempus præſcriptionis, de quo in ſeq. quæſtione nondum aduenerit, cum vix interceſſerint quatuor anni; quod ſi intra id tempus vſque ad Sixtum V. potuerit illa clauſula aliquod præiudicium afferre, ſublatum ſine dubio fuit per eundem Sixtum, qui die 3. Octobris 1587. pag.267. præcedentia priuilegia motu proprio confirmauit, & innouauit, conſequenter etiam, quæ alias erant nulla ob non vſum, & prætextu dictæ clauſulæ Gregorij, licet reuera non erant, vt probaui hic, quare illa clauſula non obſtat, cum eam omiſerit etiam Clem. VIII. & Paulus V. vt dixi, cuius omiſſio multum operatur, caſus enim non expreſſus habetur pro omiſſo *cap. Is qui 8. de ſent. excom. in 6.* & caſus omiſſus relinquitur diſpoſitioni iuris communis, *l. Commodiſſime, ff. de lib. & poſt.* & in noua diſpoſitione regulatur ſecundum ius antiquum, *l. Si vero §. De vero ff. ſolut. matr.* vnde Papa cenſetur confirmare priuilegia ſicut illi, qui confirmabant etiam inualida, vel ea, quorum inualiditas nondum erat præſcripta iuxta terminos iuris communis; & expreſſo ſublato, tollitur etiam tacitum, Gloſſ. *v. Reſcriptum in cap.1. de reſcr. per iura* ibi, ergo in illis bullis in quibus expreſſa non fuit illa clauſula, cenſetur etiam ſublata eadem ineſſe taciti.

121 Portel. v. Priuilegium ſimpliciter exponit eam clauſulam, Primo habere locum, quando non vſus procedit à religione, non autem ab vno, vel altero priuato neque ſi Guardianus non vtatur priuilegio, quia priuilegium eſt totius religionis, & ab ea tota perdi debet per non vſum. Sed dicitur poſſe perdi etiam, ſeu potius renuntiari ab vno conuentu, iuxta *dicta num.109.* Secundo habere locum, quando non vſus fuit legitimè præſcriptus, iuxta mox dicenda *n.122.* Tertio obſtare quando totum priuilegium non eſt in vſu, nam ſi ſit ſecundum aliquas partes non obſtat clauſula illis partibus, quæ ſunt in vſu

Quæres 41. An præſcriptione temporis regulares perdant ſua priuilegia.

122 Reſpond. Regulares præſcriptione temporis præſuppoſito vſu contrario, vel non vſu priuatiuo, ſpatio quadraginta annorum de iure communi *cap. Volumus 2. 16. q. 4. Gratian. in cap. Placuit 15. 16. quæſt. 3. §. Hac de præſcriptionibus* & in ſpecie de priuilegiis *cap. Accedentibus, de priuileg.* Iure vero priuilegij, non niſi ſpatio annorum ſexaginta, ex priuilegio Eugen. IV. conceſſum Benedictinis, vt teſtatur Cruz *lib. 2. cap.3. dub.2. Concl. 2. & Calmaldul. per Leonem X. vt dicit Confeſſ. tit.12. cap.2. pag. 376. & Compend. Peregr. in Introduct. §. Quarto.* Immo non niſi ſpatio centum annorum, vt conceſſit Benedictinis Paulus III. conſtit. Benignitas 15. in Bull. Nouo eo eodem *Cruz, & Compend. Peregr. v. Præſcriptio.* Ad hoc ergo vt priuilegia præſcribantur contra ipſos regulares requiritur ſpatium centum annorum, ex quo videtur difficilis huiuſmodi præſcriptio, cum & ſi aliqui Pontifices in confirmatione priuilegiorum opponant clauſulas reſtrictiuas, alij tamen eadem confirmant ampliori gratia, & abſolutè, conſequenter ex tunc vetera priuilegia valida magis confirmantur, & alias inualida, ſeu nulla prætextu abuſus, vel non vſus, vel contrarij vſus, vel priuatiui vſus, aut imperfectæ præſcriptionis, de nouo incipiunt eſſe valida, ac ſi tunc primo conceſſa fuiſſent, & aboletur quæuis cœpta præſcriptio aduerſus illa; vt aduertit *Confeſſ. tit.1. cap.3. §. Nec etiam, & tit.12. cap.2. de præſcript. pag.376.* Portel. *num.63. Cruz cit. concl.6. Compend. Peregr. Introd. §. Quinto & §. Secundum* Intellige tamen doctrinam horum, modo Confirmatio non habeat clauſulam reſtrictiuam. *Modo alias non fuerint reuocata*, quia per nouam confirmationem ſic limitatam, non reuiuiſcunt alias reuocata, vt ſatis ſe declarant Recentiores ſummi Pontifices, vt dicam infra *q.42. n.137.*

Perdunt ergo regulares ſua priuilegia ex contrario actu, ſeu actu priuatiuo præſumptione centenaria, vt præcitati docent, quia iſti actus inuoluunt aliquam negligentiam, & abuſum priuilegij, ex quo ratio dictat mereri illos perdere. Per non vſum vero negatiuum nequaquam illa perdunt præſcriptione, cum per hunc actum negatiuum, vt patet *ſub n.115.* non vtentes excuſabiles ſint à quauis culpa, & defectu, præſcriptio enim non currit contra non valentem agere, neque ignorantem ius ſuum, *l. Abſentia ff. de reg. iur. l.1. C. qui admitti. Thomaſ. reg.206.* vbi ait impedimentum non debere eſſe voluntarium, aut culpabile, ſed legitimum; ſimpliciter ignorans ſuum priuilegium non perdit, quia cenſetur impeditus legitime, Pariſ. *lib.1. de Reſignat. q.5. num.85. per text. in l. Lanius ff. de calum.* vnde neque illi currit tempus, *l. Quamdiu C. qui adm. ad bon. poſſ.* Vide Cruz *lib 2. cap.3. dub.2. concl.4.* de non vſu negatiuo, & de vſu contrario, *dub.3.* Portel. *num.63.* Peregr. *Introd. §. Tertio.*

123

124

125

126 Quæres 42. Circa reuocationem priuilegiorum I. An in dubio præſumantur reuocata? II. An pro illorum reuocatione facienda ſit expreſſa mentio priuilegiorum regularium? an veniat illorum reuocatio ſub illa clauſula. *Non obſtantibus quibuſcumque priuilegiis.* III. An facienda ſit mentio iuris communis in derogatione eorum, quæ in eo clauſa ſunt. IV. An Concilij Tridentini? V. An illorum Conciliorum? VI. An reuocatis alicuius ordinis, intelligantur reuocata aliorum ordinum ad inſtar, ſeu per communicationem? VII. An tacita reuocatio valeat? VIII. An poſterius tollat prius? vel è contra IX. An tollantur ſingulis annis per Bullam Cœnæ? X. An per Bullam Cruciatæ XI. An reuocata reſtituantur per quamlibet confirmationem? vel per ſimilem clauſulam. *Non obſtantibus reuocatis?* XII. An eorum reuocatio intimanda ſit.

127 Primò in dubio non præſumuntur reuocata, quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis, maxime quia regularium priuilegia requirunt mentionem ſpecialem vt mox dicam Sic docent *Cechier de conſecr. eccl. q.102. n.2. Peir. tom.3. cap.2. nu.38. in fine Gratian. tom.5. diſcept. forenſ. cap.893. nu.57. Crotus lib.3. conſil.371. n.18. & conſil.380. n.3. Rota Rom. vol.2. deciſ.129. nu.6. Roman. conſ.327. eadem Rota vol.1. deciſ 468.*

128 Secundo, non derogantur niſi per expreſſam illorum mentionem, vt conceſſit Eug. IV. Prædicatoribus *Sorbus v. Priuilegia §. 6. & Compend. Peregrinus Introd. §.8.* quia ſummi Pontifices in Bullis priuilegia tam conceſſa, quam concedenda ſe declarant eſſe perpetuo duratura, ergo pro eorum derogatione requiritur expreſſa reuocatio, quo enim modo recipiunt eſſe, eorundem ad non eſſe reduci debent, cum quælibet res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolui conueniat. Præterea legis vim habet *n.25.* remuneratoria ſunt *n.26.* & fauorabilia ſunt *nu.27.* ergo ex cauſa tollenda ſunt, conſequenter expreſsè. Ita docent *Compend. reſol.116. n 30. vbi alios citat, & reſ.3. nu.25. §. Confirmatur, cum ſuo Doctore tom.1. qu.9. art.6. in fine, Mandoſius in Regul. Cancell. 13. q.8. n.6. Burſat. tom.2. conſ.238. n.77. Compend. Pereg. Introd. §.14. & 20.* vbi dicit lege generali non

tolli priuilegia, nisi fiat de illis mentio, *Azor.lib.5.c.16. q.7. tom.1 Silu.v. Lex q.10.* qui fere omnes dicunt, per illam clausulam. *Non obstantibus quibuscunq; priuilegiis.* Vel *Derogamus, & reuocamus quacunque priuilegia.* Non contineri priuilegia regularium, cum sint speciali nota digna, ac proinde requirant mentionem specialem suæ derogationis, *Cruz lib.2.cap.3.dub.4. concl.2.* aut saltem expressio personarum Regularium in genere, quando noua lege inducitur aliquid, quod directe est contra priuilegium, cui censetur sufficienter derogatum, sine clausula. *Non obstantibus, &c.* ne noua lex videatur inanis, & inutilis, in illa enim directa contrarietate tacite inest clausula reuocationis.

129 Tertio, priuilegia iuris communis non reuocantur nisi in dispositione reuocatoria fiat mentio iuris communis, & non sufficit illa communis clausula. *Non obstantibus quibuscunque priuilegiis.* Quia priuilegia iuri communi inserta dedignantur nomine priuilegij, sed leges vocantur. Sic docent. *Bart. in l.2.§. Legatus ff. de iudic. Castr. l. 1. ff. de legib. Modestus. § Principum placita dub.140.nu.6. alios multos refert Diana ref.2. de dubiis regul.§. Idem, Card. in Clem.2.§. Cæterum, de vita, & honest.cler. cui nemo contradicit inquit Nauar. consil.7. de priui.n.17. Rodr. tom.1 q.59. art.2. initio, Bossius sect.3. de Iubil. casu 2.n.17. Portel.n.67.*

130 Ex quo plerique inferunt, per *cap.15.sess.23.* vbi quibuscúq; sacerdotibus etiam regularibus prohibetur exceptio confessionum sine Episcopi approbatione, præuio examine, vt vbi latius, non tolli priuilegium Clem. *Dudum de sepult. per illam simplicem clausulam. Priuilegiis, & consuetudine quacumque etiam immemorabili, non obstantibus.* De qua alibi dixi *tom.1. conf.36. de qua Bossius citatus.* Quamquam si illa clausula de se vim non habeat derogandi iuri communi, Clementinæ, videtur tamen habere, si ei adiungatur *c. 22.* in quo sancta Sinodus mandat omnibus, & singulis religiosis cuiusuis ordinis vt seruent omnia, & singula contenta in superiorib. capitulis, non obstantibus eorum omnium, & singulorum priuilegiis, sub quibuscumque formulis verborum conceptis, ac Maremagnum appellatis, necnon & constitutionibus, & regulis, &c. quæ omnia verba ita efficacia videntur esse, vt omnino intelligantur sublata priuilegia, quæ possent obstare dictis decretis Tridentini. Accedit Pij IV. reuocatoria quorumcumque priuilegiorum, omnium, & singulorum, apud Confect. pag.195. & licet non fiat mentio ibi de derogatione iuris communis, aut Clementinarum, illæ tamen dictiones *Omnia, & singula priuilegia.* ita prægnantes, & efficaces sunt, vt includant etiam priuilegia iuris communis, quia dictiones vniuersales tantam vim habent, vt includant etiam ea, quæ alias non comprehenderentur, *Bart. in l. cum rem alienam, C. de leg. num.3.* & tantum operantur ac si singula fuissent enumerata *Gloss. in l. omnes, C. de prascript. XXX. annor. Bursat. vol.4. consil. 364. num.14. M. Anton. lib.1. resol.81.n.12. & facit Glos. v. Ab omni, cap. Sunt 113. 1 q.1.* vbi ait comprehendere particularia, & singularia. Et si hæc non sufficiunt vti generalia, accipiamus Constit. Gregor. XIII. incip. Ex benigna, pag.247. vbi postquam confirmauit, & innouauit priuilegia regularium, adiecit clausulam, dummodo non aduersentur decretis Tridentini, concludendo cum obstantia efficacissima, quæ æque efficaciter obstat tam fauore priuilegiorum concessorum, seu confirmatorum, quam reuocatorum respectu Tridentini, & cum in illa obstantia exprimantur Clementinæ, & aliæ constitutiones insertæ iuri communi, & in specie Clem. Dudum, certe non obstabit Clementina Dudum decretis Tridentini supracitatis, cum ita suam voluntatem summus Pontifex declarauerit. Demum hæc clausula. *Non obstantibus constitutionibus Apostolicis*, posita in Bulla Pauli IV. reuocatoria omnium priuilegiorum, bene includit etiam ius commune, quo nomine id venit. *cap Quoniam 13. de constit.*

131 Quarto, aliqui tenent indiuiduam mentionem esse faciendam Tridentini, & hi sunt Henriq. *lib.7. de indulg. cap.26 nu.3. Vinald. part.3. Candelabri cap.12.n.22. quos sequitur Sanch. lib.3. disp.26.nu.7. Bossius sect. 1. de Iubil. casu 10.n.12. & 13. Zerola in praxi part.2. v. Absolutio §. Dico quinto.* Alij negant asserentes sufficienter tolli decreta quorumlibet Conciliorum sine illorum expressione cum sola clausula, *Non obstantibus,* Ita docent *Gonzal. glos.6.n.120. Bonac. disp.2. qu.5.p.2. nu.8. de legib.* & de hac re multæ extant decisiones, quas lege apud *Lavor. tit.4. de elect.n.25.* vbi illud axioma, quod non derogetur Concilio generali, nisi fiat expressa mentio, ait, non habere locum primo in constitutionibus apostolicis propria manu signatis, vt declarauit Pius V. constit. Cum plerumque die 23. Decembris 1570. Secundo fallere in priuilegiis, & rescriptis apostolicis, etiam non signatis manu propria; habere verò locum in illis Concilijs in quibus non est expresse reseruata authoritas Papæ, & sedis apostolicæ, *Marescot. lib.2. Var.c.38.n.41.* In Concilio Tridentino fuit facta ea reseruatio *c. 21. sess.25.* Derogatur ergo Tridentino tacite quando Papa concedit aliquod priuilegium, quod directe aduersatur alicui ex eius decretis, vt etiam nota *Compend. Pereg. v. Dispensatio §.2. in Scholio*, quia aliter priuilegium nihil prodesset, & eius verba nihil operarentur contra *c.* Si Papa, *de priuileg. in 6.*

Quinto, mox dicta applicantur huic quinto quæsito.

132 Sexto, reuocatis priuilegiis vnius ordinis, vel illius conuentus vnius, non sunt reuocata priuilegia aliorum, etiam ad instar, & per communicationem extensa ad alios. Probatur, quia priuilegia aliis communicata facta sunt propria illius religionis, vel conuentus cui communicata fuerunt, ita quod religio participans eadē possideat independenter ab alia religione, cui primo concessa fuerunt, à qua licet originem habuerint proportionaliter sicut filius à patre (vt ita loquar), tamen in esse, & conseruari non pendent ab illa priori religione, sicut neque filius in existere pendet à patre, quo mortuo sicut non moritur filius, ita neque destructis priuilegijs prioris religionis, destruuntur eadem communicata aliis. Confirmatur, quia odia conuenit restringi. *Ita Compend. Pereg. Introd. §. Secundo Vers. Præterea, Cum Rodr. tom. 2 q. & art.9. Suar. lib.8. de legibus cap.76.n.17. Compend. ref.116.n.33. cum Nau. tom 3. de Iubil. not. 26.n.8. Nald. v. eod.n. 15. Mirand. tom.2.q. 41. art. 5.*

133 Septimo, nullum priuilegium regulare tacite reuocatur, cum omnia expresse reuocanda sint ex dictis supra §. Secundo, nisi in casu, quo Summus Pontifex directe actum contrarium præciperet, sine derogatione prioris, tunc enim ne redderetur dicta dispositio illusoria, & vana, tacite esset reuocatum prius priuilegium. Portel.n. 68. vbi dicit requiri scientiam, & voluntatem tollendi prius priuilegium, de communi iuristarum, quia Princeps præsumitur ignorare ea quæ sunt facti, & iura specialia, & priuata arg. cap.1. de constit. in 6. consequenter illis derogare non præsumitur sine speciali mentione, cuius dictum non placet, licèt dicat esse de communi, quia alias vana, & inefficax redderetur eius voluntas quæ in illo actu virtualiter inuoluit cognitionem oppositi priuilegij.

134 Octauo, priuilegium posterius impetratum contrarium priori, non valet, nisi mentionem faciat de priori, vt colligitur expresse *cap. Veniens 19. de præscript. & docet Glos. fin. cap. 1. de rescr. & Glos. in q.2. causa 25 per cap. Ex parte, de off. deleg.* Ita docet Compend. *resol.116.n. 27. Portel.n.14. Compend. Peregr. Introduct. §.13.* & procedunt quando ius tertio acquisitum fuit, ex dictis capitibus. Si vero prius priuilegium continetur iure communi derogatur per posterius sine mentione prioris eiusdem, quia Princeps præsumitur habere illius cognitionem cum sit lex communis. *Bonac. p. 8. de priuil. §.3.n.17.*

135 Nono, certum est modo reuocari omnia priuilegia,

quæ

quæ sunt contraria Bullæ Cœnæ Domini, quæ singulis annis publicatur, ita quod ego censeo priuilegia concessa post illius publicationem, nullam vim habere in quantum possunt dictæ Bullæ esse contraria, licet in priuilegiis concessis nulla fieret exceptio priuilegiorum contra Bullam Cœnæ, quamquam in omnibus priuilegiis de Absolutionibus à censuris semper excipiantur censuræ Bullæ Cœnæ. Quod per eam priuilegiis derogetur affirmant *Megal. part. 1. de pœnitent. lib. 1. cap. 13. n. 17. Carena tit. 4. in suo tract. de modo proced. in caus. S. Officij n. 86. Tamburin. de iure Abbat. tom. 2. disp. 14. q. 15. Diana resol. 10 de regul. ad finem, & resol. 72.* vbi multos citant in terminis, concludendo superiores regulares suos subditos absoluere à reseruatis in Bulla Cœnæ. Nec audiendi *Sousa in ea Bulla cap. 23. disp. 10. concl. 3. Peirin. tom. 1. in const. 4. Sixti IV. §. V. n. 10. Villalobos tom. 1. tract. 9. diff. 61. n. 5.* quia agunt partem iudicis in propria causa sine solido fundamento.

136 Decimo, Portel. n. 71. asserit non tolli priuilegia per bullam Cruciatæ eo quod hæc deroget tantum indulgentiis, ergo non aliis priuilegiis, & citat *Rodr. tom. 1. q. 61. art. 14.* Vide *Marimagn. tom. 2. q. 45. art. 7. Serbum v. cruciata Nau. conf. 16. de priuil. Lezana tom. 2. cap. 1. n. 59.*

137 Vndecimo, priuilegia reuocata nequaquam restituuntur per simplicem confirmationem in forma communi, quia hæc confirmatio nullum ius tribuit, sed antiquum tantum confirmat, *cap. 1. dist. 12. cap Cum dilecta 4. de confirm. cap. Ex parte de priuil.* vnde si nullum est priuilegium illud non potest reualidare eo ipso, quod nullum ius tribuit *Glos. v. Confirmationem cap. 1. de confirm.* vbi ait, quod huius modi confirmationes parum valent, nisi quia solet plus timeri, quod specialiter confirmatur, *ex cap. Quamquam 6. dist. 23. Glos. v. Confirmatione, cap. Ex parte 12. de confirm.* Si verò confirmatio sit in forma specifica, qualis ea, in qua inseritur priuilegium ad verbum, vel fit motu proprio, seu ex certa scientia, aut de plenitudine potestatis; aut cum simili clausula. *Non obstantibus reuocationibus, &c.* reualidantur alias nulla, & reuocata, vt docet *Glos. Authoritate, cap. Frater 9. 17. q. 4 per cap. 1. de transact. Glos. v. Forma communi cap. Quia diuersitatem 37. de præbend. Rodr. tom. 1. q. 8. art. 3. Vecchius de Nomiis disp. 9. dub. 13. n. 4. Silu. v. Confirmatio, & dixi sub n. 64. 65.*

138 Duodecimo, quando priuilegia reuocantur per constitutionem, & Bullam, sine dubio ea publicanda est, sicuti aliæ leges, nõ enim subsistunt sine promulgatione. Hæc autem publicatio intimanda est vel capiti religionis, vel aliis superioribus aliquo modo, non est autẽ necesse, vt singulis religiosis publicetur reuocatio. Statim autem ac sufficienter reuocatio promulgata est, acta virtute priuilegij reuocati nulla sunt, licet ignoranter, & sine culpa attenta sint. Primum de promulgatione docent omnes cum *Suar. lib. 8. de leg. cap. 40. Bonac. p. 8. de priuil. §. 3. n. 20. Compend. Peregr. Introd. §. 18. Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 3. q. 6. & cap. 12. q. 7. Portel. n. 69. Diana resol. 68. Compend. resol. 3. n. 25. §. 2.* Et puto priuilegium esse publicandum saltem in singulis prouinciis, si non

139 in singulis conuentibus, allegatus *Compend. citando Sotum, Medinam, & Rodriq.* Secundum de nullitate

140 actum concedunt omnes cum Bonac. citati, quia agens tunc nulla potestate operatur, cum reuocatum fuerit priuilegium, cuius virtute operandum esset, si extaret; ergo nihil operatur, quia valor actus non solum à voluntate, sed etiam à potestate agentis pendet, *ex cap. Cum super 33. de off. deleg. Bald. in l. Omne verbum, Cod. com. de leg. Alex. lib. 4. consil. 52. n. 30. Rota Roman. vol. 1. decis. 451. n. 2.*

141 Quid si Confessarius inculpabiliter ignorans priuilegium absoluendi, dispensandi reuocatum fuisse, absoluat, dispenset, postquam in aliquibus locis si foræ religionis reuocatio intimata fuit, an nullam faciat absolutionem, & dispensationem? Dico valere; quia habet iustum titulum, bonam fidem, & errorem communem saltem in suo conuentu, vbi de ea reuocatione non constat, quæ omnia sufficiunt ad conferendum ei potestatem, vt omnes docent per l. Barbarius, de qua te alibi dixi. *Ita in simili docet Portel. n. 70 ex Suarez.*

Quæres 43. An confirmatio in forma specifica priuilegiorum cum restituat, & reualidet priuilegia aliàs reuocata, reualidet etiam reuocata per Bullam Cœnæ?

142 Respond. Non, nisi fiat expressa mentio reuocatorum per dictam Bullam, quæ tantæ virtutis est, vt ei derogari, neque aliquid præiudicium afferri possit, siue illius expressione quũ sit specialis digna notæ; quæ autem sunt specialissima, seu habent nomen speciale, & elegans non veniunt sub generali locutione, *ex cap. De multa de præbend. cap. sedes apostolica, de rescr. cap. fin. de off. deleg. in 6. Gutier. lib. 3. tract. q. 16. n. 51.* Neque censentur reuocata sine eorum expressione *l. Item apud Labeonem §. tit. prætor ff. de iniur.*

Quæres 44. An sint aliquæ pœnæ contra impedientes regulares, ne suis priuilegiis vtantur?

143 Respond. Alexander IV. constit. Patris æterni, pag. 9. mandat vniuersis Ecclesiæ Prælatis, vt permittant Fratribus Prædicatorum, & Minorum vium suorum priuilegiorum. Sixtus IV. in Marimagno pag. 66. locorum ordinariis præcipit sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione Ecclesiarum, & Parochialium Ecclesiarum Rectoribus, & aliis quibuscumque sub pœnis excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earumdem parochialium, & omnium beneficiorum, cum inhabilitate, ne supradictos Fratres molestent super priuilegiis iam concessis à se, & à suis prædecessoribus. Quod amplioti prouisione de nouo decreuit in Bulla Aurea pag. 73. Leo X. Constit. Licet sponte, pag. 137. eosdem mandat declarari excommunicatos; id autem etir munus conseruatoris.

Quæres 45. An regulares suis priuilegiis vti possint non solum pro foro interno, verum etiam pro foro externo, & iudiciali?

144 Respond. Vti possunt pro vtroque foro, vt in illis expressè dicitur, incipiendo præsertim à Paulo IV. Qui pag. 186. cum reliquis successoribus suis Greg. XIII. pag. 148. Sixto V. pag. 268. Clem. VIII. pag. 288. apud Confect. exprimentibus priuilegis eodem vti posse tam in iudicio, quam extra, tam in foro conscientiæ, quam externo.

Quæres 46. An huiusmoui regularium priuilegia sint solum personarum regularium, an vero etiam sint illorum locorum, domorum, rerum, & ecclesiarum, itavt hæc omnia gaudeant priuilegio exemptionis?

145 Respond. Regulares gaudent priuilegiis exemptionis tam respectu suarum personarum, quam rerum, Ecclesiarum, locorum, conuentuum, & domorum suarum, vt apertè colligitur ex Bul. Pont.

146 Personarum exemptio habetur in Marimagno pag. 61. vt non possint conueniri coram ordinario ratione delicti, contractus, aut rei. Nicolaus V. pag. 43. prohibet ordinariis sub pœna latæ excommunicationis ne Fratres 147 Minores capiant, incarcerent, perturbent, aut molestent. Leo X. pag. 146. ne sub pœna excommunicationis Fratres Prædicatores adeant Iudices Ecclesiasticos, 148 aut seculares extra religionem in causis criminalibus, & correctionis. Pius V. constit. Et si Mendicantium, omnibus facit eandem exemptionem. Vide *Confect. tit. 5. cap. 1. 2. & 3. Firmam part. 1. Memoriale pag. 27.* vbi Gregorius IX. primo exemit Fratres Minores à iurisdictione Episcoporum, *Portel. part. 2. casu 13. n. 3. Vide cap. Cum pro vtilitate 16. q. 1. cap. Quam sit 18. q. 2. Gloss. v. Solutionis cap. 8. 10. q. 3. cap. Inter cætera 16. q. 3. Compend. resol. 63. n. 14. Rodr. tom. 2. q. 63. 65. 66.*

149 Ecclesiarum exemptio habetur, posita enim exemptione monasteriorum, consequenter ecclesiæ sunt

 exemptæ

exemptæ *Gloss. v. Exempto cap. t. de priuil. in 6. ibi Archid. Mar. Socin. in cap. Recepimus, de priuileg. num 97.* Rota Roman.*vol.2.decis.54. num.11.* vnde in eis Episcopus celebrare non potest *cap. Abbas 2. 18. quæst.2.* Neque cathedram Collocare *cap. Luminoso 6. 18. quæst. 2.* Neque interdici possunt, nisi dederint causam, nisi procurans interdictum prouideat illis victum, ex Leone X. *apud Confect. pag. 155. qui pag. 359. cap. 3.* de hac agit exemptione, & Ecclesiæ omnes inter se communicant priuilegia, ex eodem Leone, pag.160. Non possunt igitur visitari,nisi in casu, quo exercent curam animarum. *Vide Barbos.ad cap.8. sess.7.Lez an.tom.1.c.11.n.17.*

150 Conuentuum exemptio colligitur ex citatis capitibus & ex priuilegiis citatis *sub quæst. 21.* in omnibus enim, in quibus religiosi eximuntur ab Episcopis, & aliis,fit mentio de eorum locis, conuentibus, & domibus. *Vide Confect.locis citatis, Bonac. disput. t. de cens. quæst.1.p.15.num.18.apud Dianam part.2. tract.5. Miscell. resol 74.*

151 Rerum suarum exemptionem habes *cap.Quam sit 5. 18.q.2.*alios textus affert Compend.*resol.63.n.29.* Rodr. *tom.2. q.65.* amplum dedit priuilegium Pius V. apud Confect. pag 201.

Quæres 47. De priuilegiis Tertij ordinis S. Francisci regularibus concessis.

152 Respond. Sunt infrascripta, quæ habes in proprio eorum libro priuilegiorum extensa, hic subiicienda in compendium.

153 Honorius III. anno 1224. Tertium ordinem institutum à B. Francisco anno 1221. approbauit, vt videre est apud Confect. cap. 5. in summ. religionum & in illa approbatione eodem exemit à quatuor grauaminibus, ab exercitio armorum, à iuramentis publicis, & ab exactionibus, vt refert Greg. IX. Bulla *Nimis, de qua mox, & in alia, De testanda.*

154 Gregorius IX. Bulla, Nimis patenter Dat.26. Maij 155 1227. prædictum priuilegium de quatuor illis exemptionibus executioni mandari præcepit,|non tamen illos exemit ab oneribus, quibus ratione bonorum suorum tenentur. Io alia incip. Cum illorum, 2. Aug. 156 1229. mandauit ecclesiarum prælatis, vt tempore interdicti tempore diuinorum officiorum reciperent in suis Ecclesiis illos ad diuina officia, sacramenta, & sepulturam.Nec obstat huic priuilegio Clement.III. de sentent.excomm.quia in ea solum prohibetur, ne Fratres Minores tempore interdicti eosdem recipiant ad diuina sub pœna excommunicationis reseruatæ, à qua tamen potest absoluere Episcopus Apostolica authoritate, satisfactione præmissa, & non aliter. Et id aduertit ibi Gloss. v. Vel illi Fratres. Sed postea Leo X.iterum eosdem admisit, infra in Bullis illius *num.241.*

157 Innocent. IV. duas dedit Bullas, prima incip. Ne per secularia, 16. Aug. 1250. confirmauit, & de nouo concessit priuilegia prædicta exemptionis; secunda incip. Vota deuotorum, Dat.5. Aug. 1252. in qua subiecit 158 Lombardos, & Siculos Fratribus Minoribus, à quib. essent instruendi in regularibus disciplinis, & puniendi tam in capite, quam in membris.

Nicolaus IV. duas dedit Bullas, in quarum prima incip. Super montem, 16. Aug. 1289. præscripsit eisdem regulam, ad cuius obseruationem illos hortatus fuit,nequaquam ad culpam obligantem;in secunda ve-159 ro incip. Vnigenitus, dat. 8. Aug. 1290. ordinem approbat sub prædicta regula, eisdem persuadendo, vt assumant Visitatores, & Procuratores Fratres Minorum, & assumentibus concedit priuilegia iam concessa, vel concedenda eisdem ordinis Tertij Fratribus.

160 Ioannes XXIII. cui nomen Balthazar Cossa Neapolitanus, vnicam dedit Bullam incip.*Personas vacantes,* sub die 26. Aug. 1413. confirmauit Tertiariis nostris in Flandria, vbi tunc sex habebant monasteria in Episcopatu Mormiensi, ex certa scientia regulam Nicolai IV. & quædam alia statuta ad illis facta inuiolabiliter seruanda mandauit, nec impediri posse à locorum ordinariis. Statuta autem confirmata erant I. quod pro-161 fessio post annum probationis fuitum, non fieret ab illis, nisi haberent decem, & octo annos cum 162 cæteris requisitis. II. In ea professione præter tria vota 163 promittebant obedientiam Papæ Ioanni, eius successoribus. III. A solo Ministro professio erat recipienda. 164 IV. Non dabatur eis regressus ad seculum. V. Reci-165 tabant Diuinum Officium, aut B.M.V. inhabiles dis-166 pensabantur à superioribus. VI. Qui erant eiusdem or-167 dinis? VII. Visitator erat alterius ordinis. VIII. Mini-168 stri eligebant Vicarium, cui omnea in absentia obe-169 dirent.IX. Viuebant omnes in communi.X. Extra ma-170 nere non poterant nisi de licentia superiorum. XI. Ha-171 bitus eorum vnica tunica grisea cum vno scapula-172 ri, longo caputio, cum chorda, & magno manitello de 173 eodem panno. XII. Exempti omnino à iurisdictione dominorum temporalium. XIII. Inter se corrigebantur in ciuilibus XIV. Ab Episcopis corrigebantur in criminalibus. XV. Facultatem habebant congregandi capitulum, in eo tractando de omnibus causis spectantibus ad suum statum, instituendo officiales, ab-174 soluendo, corrigendo. XVI. In eo faciendi statuta noua vetera corrigendo cum consilio Visitatoris, nullam tamen vim haberent nisi per confirmationem faciendam ab Episcopo. XVII. Demum possent facere cele-175 brare diuina officia in suis capellis, quæ possent ha-176 bere Campanile cum campanis ab extra sub ec tectum, &c.

Nota hunc Ioannem XXIII. fuisse antipapam cum aliis duobus, qui vocabantur Gregor. XII. & Benedictus XIII. & in Concilio Constantiensi ad tollendum Schisma congregato anno 1414. ad quod accessit Ioannes, sed timore correptus ob sua mala aufugit, & depositus fuit cum aliis duobus, & anno 1417. canonice electus fuit Martinus V.qui dicta statuta confirmata à Ioan.XXIII.reualidauit, & de nouo concessit, & quia erat vt dixi antipapa, ideo Martinus nunquam vocat suum prædecessorem, neque papam, sed solum Balthazarem,aut Ioannem, cum dignitate eum subticendo.

Martinus V. duas edidit, in vna quarum incip.Licet 177 inter cætera, sub anno 1427. illos subiecit Generali, & Prouincialibus Ministris Minorum, à quibus sacramenta recipiunt, & censuris rebelles compescuntur. In altera incip. Ex apostolicæ sed s, sub die 19. Iun. 178 1429.seu 1430.ex certa scientia innouat literas Ioannis antipapæ confirmando statuta, & ordinationes præfatas extendendo illas ad alias domus in eadem diœcesi Mormiensi.

Eugenius IV. quatuor dedit bullas, in quarum pri-179 ma incip. Ad apostolicæ sub die 15. Nouemb. 1431. ex certa scientia reuocat literas Martini V. de subiectione Tertiariorum Generali,& Prouincialibus Minorum, & eosdem relinquit dispositioni Regulæ Nicolai IV.In secunda *incip.*Ad Apostolicæ dignitatis, sub die item 15. Nouemb. 1431.(eodem enim die ambas dedit) dedit literas executoriales eiusdem primæ. In tertia incip. Iunctum nobis, sub die 6.Febr.1442. concessit Vi-180 sitatorem Generalem Tertiariis existentibus infra Legionis,& Castellæ regna ex eodem ordine sacerdotem 181 ab ipsis eligendum singulo quoque triennio in suo ca-182 pitulo Generali cum facultate corrigendi,& castigan-183 di per censuras ecclesiasticas delinquentes, inuocato etiam auxilio brachij secularis, & absoluendi per se, vel alios sacerdotes idoneos Fratres, eorum seruitores, atque sorores à peccatis, modo talia non sint propter quæ merito sit apostolica sedes consulenda; atque in foro conscientiæ prædictos Fratres, & Sorores absoluendi, atque dispensandi in irregularitati-184 bus, si qua ligati celebrando Missas, vel diuina officia contraxerint; & præterea statuit, quod bona decedentium pertineant ad illas domos, in quibus professi sunt;

sunt; prohibendo illis matrimonium, & officia, etiam beneficia extra ordinem obtinenda, potest tamen Visitator illis concedere facultatem inseruiendi alicui Ecclesiæ, aut beneficio; demum eosdem sub obedientia ordinariorum reliquit eo modo, quo erant ante. In quarta demum incip. Ordinis sui, sub die 5. Febr. 1446. apud Confect. 36. Sorores Tertij ordinis subiecit obedientiæ Ministrorum de obseruantia.

Nicolaus V. duas edidit, in quarum prima incip. Pastoralis officij, sub die 20. Iulij 1447. religiosis in Italia existentibus concedit, vt possint domos, oratoria, & hospitalia, atque alia loca pacifice possessa retinere, & alia de nouo fundare; & consecrare facere Ecclesias, & altaria per aliquem antistitem, ibique Missas, & diuina officia celebrare etiam per alios sacerdotes: item vt possint sacerdotes ordinis alios Fratres audire in confessione, & absoluere à non reseruatis sedi apostolicæ, saluo iure parochorum: Item capitulum congregare, & in eo eligere Generalem visitatorem cum quatuor definitoribus, quorum consilio, & assensu procuret occurrentia negotia; & cum illis eligat Ministros idoneos per singulas domos; & Visitator durat per triennium; eius officium est corrigere, punire, amouere ab officiis, habitum auferre, per censuras Ecclesiasticas, etiam inuocato auxilio brachij secularis, eisdem concedit priuilegia illis alias concessa. Sub hoc Pontifice factum fuit ipsis suum primum capitulum Generale in loco Castri de Monte falco Fulginatensis Diœcesis die 25. Iulij 1448. vt constat ex literis executorialibus dictæ Bullæ. In secunda autem incip. Apostolicæ sedis 23. Apri. 1450. Fratribus degentibus in Diœcesi Leodiensi concedit capucium cum scapulari supra mantellum; & electionem vnius ex sacerdotibus sui ordinis Generalem cum potestate absoluendi etiam per alios ordinis Fratres, familiares, & seruitores ab omnibus non reseruatis sedi apostolicæ, eosdemque à votis minoribus absoluendi, item cum facultate condendi constitutiones cum quatuor deputatis definitoribus in capitulo Generali singulis annis celebrando, quæ primo anno obseruentur, secundo Examinentur, tertio approbentur, quæ tamen non obligent ad culpam: Item ordinati celebrent diuinum offic. alij officium B.V.M. vel alias orationes iuxta regulam Nicol. IV. Habet Generalis potestatem corrigendi, & puniendi delinquentes, &c. Potest dispensare in abstinentiis & ieiuniis regulæ; demum mandat quibusdam prælatis, vt eum ordinem approbent, & confirment, declarantibus esse veros religiosos cum tribus votis substantialibus, cum exemptione ab omnibus exactionibus, taleis, & aliis oneribus secularium, & huiusmodi sine præiudicio matricis, & parochialium Eccles. Paolus II. constit. incipiente, Excitat, sub die 26. Maij 1547. omnia, & singula priuilegia concessa ab Eugenio IV. & Nicolao V. degentibus in Regnis, Legionis, & castellæ, atque Diœc. Leodiensi communicat, & extendit Fratribus Lombardis præsentib. & futuris, & ibi sunt conuentus 5.

Sixtus IV. sex emisit Bullas, in quarum prima incip. Sedes Apostolica sub die 29. Nouemb. 1471. Confirmat priuilegia, & concessa Regnicolis extendit ad existentes in partibus Italiæ, vt fecerat Paulus II. Conceditq; Generali facultatem puniendi Eremitas habitum nostrum scandalose deferentes. Item omnibus sacerdotibus excipiendi confessiones secularium, exceptis casibus episcopalibus, & saluis iuribus parochialibus. In secũda incip. Romani Pontificis 15. Decemb. 1471. apud Confect. pag 85. Tertiarios, & Sorores per vniuersum orbem existentes subiecit regularibus de obseruantia sicut ante fecerat Innoc. IV. pro Italis, & Siculis sub Minoribus. In tertia incip. Sacrosanctæ sub die 20. Nouemb. 1473. inhibet sub pœna excommunicationis nulli reseruatæ, ne officiales communitatum, & potestatum inferant Fratribus, & Sororibus Italiæ aliqua grauamina libertati Ecclesiæ contraria, quo minus gaudeant priuilegiis, & immunitatibus tam fori, quam personæ, & rerum, sicut aliæ personæ Ecclesiasticæ, & hæc spectant etiam ad regulares, & eo magis, cum presse sint personæ Ecclesiasticæ. In quarta dicta Bulla Aurea apud Confect. pag. 68. Incip. Sacri prædicatorum sub die 26. Iulij 1479. omnia priuilegia à se, & à suis prædecessoribus concessa Augustinianibus Eremitis, Carmelitis, & Seruitis extendit, & Communicat Fratribus & Sororibus Tertiariis. In quinta incip. .... sub dat. 5. Aug. 1479. apud priuileg. Cano. Regul. S. Saluatoris à Basilio Sereno pag. 641. Marquez *Origine delli Frati Eremit. cap.* 17. §. 8. priuilegia concessa Tertiariis Eremitanis S. Aug. extendit ad Tertiarios B. Francisci. In sexta demum incip. Ad Christi, Calend. Decemb. 1480. declarat votum professionis habere vim voti solemnis, & inducere omnes effectus, quos inducit votum solemne cuiuscuis approbatæ religionis; præcipitque; ne à religione apostatent, aut matrimonium contrahant sub pœna excommunicationis reseruatæ suis superioribus, si fecerint, declarando ibi nullum esse attentatum matrimonium.

Innocentius VIII. in constit. Dudum per fælicis, sub die 22. Ian. 1487. declarat Sorores Tertij ordinis non Includi in constit. incip. Sancta Romana, Ioannis XXII.

Alexander VI. duas dedit, in quarum prima inci. Exponi nobis, sub die 17. Maij 1500. concedit Obseruantibus quod possint assignare Tertiariis seculares confessores, vel alterius ordinis etiam habitantes in eorum monasteriis, & domibus in locis distantibus ab eorum monasteriis de obseruantia, aut Conuentualium, ad hoc nulla Episcoporum licentia requisita; est pro Tertiariis præsertim secularibus, ac etiam Regularibus vltra montes existentibus qui non habent proprios sacerdotes, vel si est pro solis secularibus, videtur, quod tunc viuerent in communi, eo quod habebant monasteria; vel adhuc dic in illis locis vltra montes, ad quæ Bulla dirigebatur, adfuisse religiosos, sed carentes ordinibus sacris, aut incapaces facultate administrandi sacramenta, quia nondum à Papa licentiam habebant. In secunda incip. Intelleximus 24. Iul. 1501. exemit Sorores à decimis, collectis, & aliis oneribus.

Iulius II. sex bullas dedit, quarum prima incip. Cum multæ 16. Iun. 1506. ordinat, quod Conuentales, & Obseruantes, vnaquæque pars eorum retineat regimen, & gubernationem omnium Congregationum Fratrum, & Sororum Tertij ordinis, quas tunc reperiebantur habere sub sua iurisdictione administando illis sacramenta, ad tollendas discordias, nam contra Bullas Eugenij IV. 4. in qua subiiciebat Sorores, Obseruantibus, Pauli II. & Sixti IV. 2. item obseruantibus, Conuentuales Tertiarios sibi arrogabãt contra dictas Bullas. In secunda incip. Exponi nobis sub die 25. Octob. 1507. Tertiarios Compostellanos subiecit Conuentualibus, & Obseruantib. & alios per vniuersum orbem existentes cum potestate illos reformandi, corrigendi, & puniendi, etiam per ablationem mantelli, & habitus, & eosdem, obedire illis mandauit sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis Mantelli, seu Habitus, & Domorum. In tertia incip. Decet Romanum, 8. Ianuar. 1508. ex certa scientia confirmat priuilegia eisdem concessa ab Eugenio IV. Nicolao V. Paulo II. & Sixto IV. per Italiam existentibus, & concessa Minoribus de Obseruantia eisdem communicat; ac iubet, vt eorum Capitulum Generale fiat more minorum de Obseruantia; atque transeuntes ad alium ordinem etiam Mendicantiũ non petita licentia à Visitatore, seu Prouinciali sub pœna excõmunicationis nulli reseruatæ. In quarta incip. Romani Pontificis, sub die 8. Febr. 1508. aut die 29. Febr. 1509. ex priuilegio Caroli V. vt notaui in Libro Priuileg. prohibet Conseruatoribus Minorum, ne aliqua ratione intromittant se, aut molestent religiosos in Lombardia existentes ad instantiam superiorum, Minorum, sub pœna excommunicationis nulli reseruatæ, sed onus visitandi domos, & Fratres, atque res

eorum

eorum sit apud illorum Visitatorem. In quinta incip.
Visis, & diligenter, sub die 25. Maij 1508. aut 1509. da-
233 tur forma habitus, & caputij, videlicet, quod extremi-
tas caputij ante, & retro vsque ad cingulum pertin-
gat, aliter transgressores puniantur etiam caputij
ablatione, habitus autem breuiores sint, & mani-
cas strictiores ad differentiam Fratrum Minorum ha-
234 beant nigri, & grisei coloris, neque vtantur chorda
sine dispensatione Generalis, aut Prouincialium Mini-
235 strorum, aut eorum Vicariorum; Ordo autem sit sub
7 Protectore ordinis Minorum; neque alium Generalem
236 Ministrum, vel Prouinciales habeant, quam Mino-
rum, cum alij ex eorum Regula, vel intentione B. Fran-
i cisci concedantur superiores, quam Ministri, iuxta re-
gulæ suæ formam. In sexta demum incip. Exponi no-
bis sub die 7. Ianuar. 1609. mandat eisdem vtriusque
sexus existentibus intra prouinciam S. Iacobi, qui obe-
dientiam Fratrum Minorum, aut de obseruantia elege-
runt, in eadem permaneant, & qui illam dimiserunt
infra spatium decem dierum reuertantur.

237 Leo X. septem bullas concessit, in quarum prima in-
238 cip. Dum intra, sub die 19. Decembris 1516. Tertiariis
239 secularibus, in propriis domibus habitantibus indulsit
electionem sepulturæ, subiiciendo eosdem quo ad om-
240 nia sacramenta, excepta Pœnitentia, proprio Paro-
cho, & ad onera sicut alij seculares teneri voluit, &
in foro seculari coram illius iudicibus respondere.
241 Concessit, vt possent audire sacra tempore interdicti
in Ecclesiis sui ordinis, si tamen non dederint causam
interdicto, non sublatum per Trident. probaui multa
alibi. Collegialiter autem viuentes, seu cum clau-
stralibus habitantes, ac mulieres virginalem, seu vi-
dualem, expresso voto seruantes priuilegiis, quibus
Fratres ordinis, gaudere concessit. Vide Confect. pag.
242 130. Est autem sermo de secularibus viuentibus vel in
suis domibus, vel simul in congregatione, sed non
profitentes tria vota, vel cum claustralibus viuentibus,
siue cum Minoribus Conuentualibus, siue Obseruanti-
bus, siue religiosis Tertiariis. Habes duas declaratio-
nes. S.C. ad verbum apud Lauor. tit. 2. de funer. cap.
11. an. 102. In secunda incip. Dudum fælicis, sub die
243 27. Maij 1517. communicat Sororibus in communi
viuentibus omnia priuilegia concessa, & concedenda
monialibus S. Claræ. In tertia incip. Ea quæ, sub die
244 31. Augusti 1517. declarat easdem esse vere religiosas,
245 & gaudere priuilegiis Fratrum Minorum. In quarta in-
cip. Dudum fælicis, sub die 29. Maij 1519. easdem exi-
mit à solutione cuiuscunque decimæ, aut taxæ. In
246 quinta incip. Cum sæpe, sub die 17. Nouemb. 1519. in-
dulsit eisdem, vt cum consensu duarum partium, mo-
nialium possent alienare bona monasterij non obstante
vltima testantium voluntate, apud Confect. pag. 150,
Extat tamen prohibitio S.C. quam extendi tom. 1.
cons. 27. In sexta incip. Dudum per nos, sub die 10.
247 Decemb. 1519. priuilegia concessa, & concedenda Do-
minicanis, Minoribus Eremitanis, Carmelitis, Seruitis,
& Minimis extendit, & Communicat Tertiariis vtri-
usque sexus. In septima incip. Inter cætera, sub die 20
Ianuar. 1521. Regulam Nicolai IV. accommodat reli-
giosis eiusdem ordinis.

Clemens VII. tres bullas concessit, in quarum pri-
ma extensa apud Confect. pag. 179. incip. Dum fru-
248 ctus, sub die 30. Maij 1525. ex certa scientia confirmat
priuilegia concessa tribus ordinibus eisdem regulari-
bus Tertiarijs eadem concedendo denuo, ad quos ex-
tendit priuilegia omnia concedenda cæteris Mendi-
cantibus, & non Mendicantibus, eorum professioni
non contraria, Rodr. tom. 1. q. 55. art. 1. Mirand. tom.
25. q. 46. art. 1. In secunda incip. Ad vberes, sub die
15. Martij 1526. pro Hispanis, & Portugallensibus pæ-
ne ad verbum recitat regulam Nicolai IV. & bullam
3. Eugenij, de qua supra num. 180. Sixti IV. quartam,
de qua supra sub n. 219. Iulij II. quartam sub n. 232.
& quintam sub n. & postremam Leonis X. de regula,
de qua mox, post quarum recitationem Compendio-
249 sam omnia in eis contenta confirmat, & approbat
250 supplendo omnes defectus, & ad illos extendit pri-
uilegia concessa, & concedenda aliis Mendicantibus
non solum ad instar sed æque principaliter, eosdem
eximendo à quibuscumque extraneis prælatis, & ordi-
251 nariis; eo tempore in Hispaniis cæperunt viuere in
communi; congregant capitulum Generale ad trien-
252 nium, ad quod accedunt omnes Ministri domorum cum
suo procuratore Discreto, & ibi vocum in præsidentem
cum quatuor definitoribus dicti Ministri, & Discreti
253 eligunt. Ad quem Præsidentem cum definitoribus spe-
254 ctat acceptare querelas, & iustitiam facere, & post
255 modum votis iuratis per Ministros, & Discretos eligi-
256 tur Visitator Generalis, qui vna cum præsidente, &
257 Definitoribus disponit circa constitutiones. Habet
258 autem potestatem super omnes etiam Tertiarios
259 vtriusque sexus, & eremitas. Dispensare potest super
260 voto paupertatis tam in communi, quam in particula-
261 ri. Habitus habet tendere magis ad nigredinem, quam
262 ad albedinem. Præsidens capituli vocem in eo non ha-
263 bet; Visitator immediate est subiectus Papæ, ei tamen
264 omnes obedire debent. Nouitiorum professio ab eo
265 solo recipiuntur. Male electus per decennium rema-
266 net inhabilis eo ipso priuatus officio Visitatoris. De-
267 bet esse expresse professus electus maiori parte voto-
rum. Aduentum seruant sine carnibus. Statuta, quæ
legenda sunt in refectorio ad culpam non obligant.
Generalis habet omnem potestatem, absoluendi, dis-
pensandi, habilitandi, statuendi, non tamen contra ius
commune sibi subiectos, quam habent Generales alia-
rum religionum. Regulam approbat, & eam profiten-
tes veros religiosos declarat; & ordinem sacrum vo-
cat. Et in prædictis à nullo prælato, seu ordinario se-
culari, seu regulari molestari, aut inquietari, seu visita-
ri possunt tam quo ad personas, quam loca, & res
suas, sub pæna excommunicationis, & priuationis offi-
ciorum, cum inhabilitate reseruatis Papæ. In tertia
268 demum incip. Benignitas 10. Decemb. 1529. priuilegia à
suis prædecessoribus alias concessa ordini, quatenus
sunt in vsu confirmat, ac de nouo concedit in forma
specifica In Lombardia existentibus.

269 Paulus III. duas donauit, in quarum prima incip.
Cum à nobis, sub die 28. Febr. 1547. Hispanis, & Por-
tugallensibus concessit, vt possent tollere interdictum,
& cessationem in suis Ecclesiis, & Conuentibus in Fe-
stis Sanctorum Lucij, Ludouici, Rochi, Iuonis, Elzea-
rij, Rosæ, Angelæ, & Elizabetæ à primis ad secundas Ve-
speras. Item in die susceptionis habitus, & professionis.
Item celebrationis primæ Missæ. Item in die obitus
Fratrum, & Monialium, quatenus sunt in vsu, ad in-
270 star priuilegiorum aliorum Mendicantium. Non tolli
per cap. 12. sess. 25. docet Sorbus ex Rodr. *v. Interdictum*
3. §. *Et quod ad primum.* Puto extraneos nequaquam
admitti posse, sic enim seruatur interdictum à Regu-
laribus ex citato decreto. In altera incip. Pastoralis of-
ficij 12. Apr. 1594. Italis concedit, vt singulis trien-
271 niis alternatiue eligatur Generalis modo ex dominio
Venetorum, modo ex reliquis Italiæ partibus; item
eligeretur Commissarius similiter ex parte, quæ Ge-
nerali careret; & quod idem ad Generalatum redire
272 non posset nisi post sexennium. Item eligerentur duo
273 Prouinciales cum suis Discretis, & duo definitores
ex ambabus partibus æquales; numero pro qualibet
274 parte duraturi in annum, & loco mortui Generalis pos-
set substituere alium duraturum vsque ad proximum
capitulum, & quælibet pars suos definitores eligere
posset. Electionem Commissarij sustulit Sixtus V. Bulla
prima vt infra *sub n. 288.*

275 Paulus IV. vnica incip. Ex Clementi I. Iulij 1555. ex
certa scientia omnia priuilegia concessa aliis Mendi-
cantibus, & non Mendicantibus approbat, & confirmat
tam pro foro interno, quam externo, apud Confect.
pag. 185.

Pius IV. vnica incip. Ex clementi sedis, 27. Aprilis 1561. eadem priuilegia concedit, vt fecit Paulus.

276 Pius V. duas dedit, quarum vna incip. Ea est, sub die 3. Iul. 1568. Visitatorem Generalem extinxit, & ordinem subiecit omnimode potestati Minorum de Obseruantia, cum potestate, vt Prouinciales Ministri in singulis prouinciis præsidentes essent in eorum capitulis singulis annis celebrandis, pro electione Prouincia-177 alium, & aliorum officialium, & Visitatores prouin-178 ciales per suos Fratres electi confirmarentur à Genera-179 li Obseruantiæ. Officia hæc sunt annalia confirmabilia tamen vsque ad triennium, ad quæ redire non pos-180 sunt nisi post sexennium. Ministri Prouinciales Obser-181 uantiæ per se, vel alios absoluunt, & dispensant in 182 omnibus, in quibus non est consulenda sedes apostoli-183 ca. Proprietarij vt fures puniendi sunt. Confessarij, & 184 Prædicatores approbantur per Generalem, vel Prouinciales Obseruantiæ. Statuta pro regula habentur. Iidem declarant dubia contingentia. Gaudent eorum priuilegiis etiam concedendis. S. Carolus assignatur in protectorem. Sed hæc omnia sublata fuerunt, in quantum odiosa sunt per Sixtum V. vt infra num. 188. In altera incip. Generalem, sub die 15. Iulij 1568. se de-185 clarat eius mentem nun fuisse per præcedentem Bullam extinguere Tertium ordinem, sed tantum illius religiosos ad obseruantiam regulæ reducere. Gregorius 186 XIII. duas dedit, in quarum prima incip. Ex benigna 21. Martij 1575. ex certa scientia pro vtroque foro quæcumque priuilegia concessa, vel communicata, modo sint in vsu, & non aduersentur Tridentino Confirmat, 187 apud Confect. pag. 247. In altera incip. Pastoralis officij 22. Martij 1581. Sorores eximit à solutione decimarum.

188 Sixtus V. duas dedit, prima incip. Romani Pontificis 29. Martij 1589. concedit Italis facultatem congregandi capitulum Generale, & in eo eligere Generalem, & alios officiales cum potestate in omnes Fratres, loca, 189 & bona eorum, cum onere petendi confirmationem 190 intra duos menses à Generali de Obseruantia, qui singulo quadriennio vna cum duobus sui ordinis post visitationem factam à Visitatore ordinis, & non ante, potest visitare nostrum ordinem. Sed nunquam confir-191 marunt Generalem, neque ordinem visitarunt, ex quo non amplius subiectus ordo, sed penitus per proprios prælatos omnino absoluto gubernatur. Com-192 missarius Generalis non amplius eligitur, sicut consueuerat ex Bulla 2. Pauli III. In alia incip. Et si Mendicantium, sub die 3. Oct. 1587. ex certa scientia confirmat 193 priuilegia omnia concessa, vel communicata quarumcumque aliarum religionum pro vtroq; foro, modo non aduersentur Concilio.

194 Clemens VIII. quatuor porrexit, in quarum prima incip. Decet 29. Iul. 1595. tradit modum eligendi superiores prohibendo ne amplius omnes accedant ad capitulum Generale, sed in electione Generalis, & eius Definitorum, Generalis præteritus, Prouinciales, Discreti, & Custodes, & non alij procedant. In electione Prouincialis, Custodis, & Definitorum eius, Prouincialis præteritus, eius Discretus, Priores cum suis Discretis, Definitores Generales, & Procurator Generalis habeat vocem. In electione Priorum, & Discreti, Prouincia-195 lis cum suis definitoribus tantum accedat. Vota in schedulis scribenda, sunt & post electionem statim comburenda. Aliter electiones factæ nullæ sunt ipso iure. In secunda incip. Ratio pastoralis. 20. Decemb. 1597. 196 confirmat ex certa scientia priuilegia, modo non aduersentur Concilio. In tertia incip. VI. ea, sub die 27. Aprilis 1600. confirmauit quoddam Decretum Cardinalis Matthei tunc protectoris, damnum sub die 19. Apr. 197 1595. quod mandabat Portugallensibus, vt deinceps gestarent habitum confectum ex quatuor partibus lanæ naturaliter nigræ & ex vna albæ, ita quod singulis quatuor libris lanæ naturaliter nigræ adhæretur vna albæ, & superioribus sub pœna excommunicationis, priuationis vtriusque vocis, officiorum, dignitatum cum perpetua inhabilitate ipso facto incurrenda. In quarta demum incip. Pro nostri, sub die 2. Septemb. 1602. Tertiarios Prouinciæ Dalmatiæ subiecit superiori Generali existē-198 tium in Italia, eisdem communicando omnia priuilegia quibus Itali gaudent, cum voce actiua, & passiua in capitulis generalibus.

Paulus V. constit. incip. Iustis ac honestis, 21. Oct. 199 1608. confirmat priuilegia à suis prædecessoribus concessa ordini, modo sint in vsu, neque aduersentur Concilio, suis constitutionibus, & non contineantur sub aliquib. reuocationib. prædecessorum. Aliam edidit in Bull. noua 66. de habitu distinguendo inter Hispanos nostros, & Minimos S. Francisci. 300

Gregorius XV. tres edidit, in quarum prima incip. 301 Splendor, sub die 31. Augusti 1621. concedit Indulgentiam plenariam perpetuam fidelibus vtriusque sexus visitantibus Ecclesias ordinis tam Fratrum, quam Monialium, in Festis Sanctorum Francisci, Antonij, Bonauenturæ, Ludouici Episcopi, Bernardini, & S. Claræ in forma consueta Ecclesiæ. In secunda incip. Alias à felicis, sub die 27. Iunij 1622. concessit, vt in nostris 302 ecclesiis in locis, vbi Conuentuales : aut Obseruantes non habitant, possit erigi Confraternitas Cordigerorum cum omnibus priuilegiis, quibus gaudet Archiconfraternitas erecta in Ecclesia S. Francisci Assisij. In tertia demum, statuit de cætero Definitores Generales 303 per ternum prouinciarum eligi successiue, incipiendo primum ab illis prouinciis, quæ nunquam habuerunt definitores; Bulla autem incipit. Ex iniuncto sub die 20. Septembris 1622.

Vrbanus VIII. duas dedit, in quarum prima incip. Sacrosanctum, sub die 8. Iulij 1639. in forma spe-304 cifica approbat, & confirmat Constitutiones Romanas editas in capitulo Generali Romæ celebrato in Vigilia Pentecostes Sabbato die 22. Maij 1638. supplendo omnes defectus tam Iuris, quam facti, quibuscumque non obstantibus. In altera incip. Nobis pro parte, sub die 9. Sptembris 1639. caput. XI. Regulæ de habitu cum caputio vtrinque acuto deferendo, approbat, & confirmat, non obstantibus quibuscumque.

Quæres 48. An illæ religiones, quæ obtinuerunt confirmationem suorum priuilegiorum, post Clementem VIII. sub nonnullis restrictionibus, propriis omissis, vt quæ multum restricta sunt, aliorum, quæ adhuc ampla sunt, vel ex confirmatione prædecessorum vel etiam subsequentium vti possint? e.g. Paulus V. nostro ordini confirmauit priuilegia cum quatuor restrictionibus modo sint in vsu; modo non sint reuocata; modo non aduersentur Tridentino, modo non sint contraria regulari instituto. Quod idem præstitit Greg. XV. pro religione Redemptionis captiuorum, canonicorum Regul. S. Saluatoris, & Cartusianorum. Amplam vero priuilegiorum confirmationem motu proprio donauit Theatinis, nulla ex dictis restrictionibus apposita. An igitur omnes dictæ religiones, posito, quod participent priuilegia Theatinorum, relictis propriis priuilegiis, possint vti priuilegiis Theatinorum. Et videtur quod non, quia illæ restrictiones negant vsum priuilegiorum correspondentium.

Respond. Dictæ religiones participantes, relictis pro-305 priis, adhibere possunt aliena, seu priuilegiis vti possunt virtute confirmationis amplæ omittendo strictam, Probatur quia huiusmodi confirmationes in forma specifica, & de plenitudine potestatis sunt nouæ concessiones. vt aperte colligitur ex bullis pontificiis; sed nouæ concessiones priuilegiorum ita sunt communicabiles inter illas religiones, quæ sunt in his participantes, vt priuilegia non minus dicantur cócessa communicantib. quam aliis, quibus directe fuerunt concessa, & immediate indulta, vt colligitur ex tenore illorum, ibi: *Proinde ac si specialiter, & expresse illis concessa fuissent*, vnde dixit *Rodr. tom. 1. qu. 8. art. 4. & qu. 55. art. 21. Confess. tit. 1. cap. 5.* communicase

306 communicare vni religioni priuilegia alterius idem est, ac illi eadem concedere, vnde dixit Megal. *conf. 76. n. 9.* Priuilegium primo concessum vni religioni, & postea alteri communicatum, non habera maiorem vim respectu illius, quam istius, cum sit vtrique principaliter æque concessum ergo dictæ religiones vel possunt priuilegiis intuitu cõfirmationis factæ Theatinorum. Priuilegia enim confirmata pro vna religione, censentur etiam confirmata pro aliis, vt ea Rodr. docet Compend. *resol.* 126. *n.* 10. Confirmatur per ea, quæ in simili re docet Sigism. *dub. 76. de elect. n. 6.* de vtendo priuilegio ampliori relicto strictiori. Neque verum est per illas restrictiones negari simpliciter vsum priuilegiorum, sed tantum virtute illius specialis confirmationis, quæ non excludit vsum eorundem priuilegiorum virtute aliarum confirmationum, quæ sunt fauorabiliores, & ampliores.

Quæres 49. An religio Tertij ordinis gaudeat priuilegiis Theatinorum, & aliorum quorumcumque? Diat *q. 22. n. 67.* ibi absolutè non specificando religiones, de quibus hic.

307 Respond. Tertiarij participant priuilegia concessa Prædicatoribus, Minoribus, Eremitanis, Carmelitis, & Seruitis, Bulla Aurea Sixti IV. apud Confect. pag. 72. Item Minoribus de obseruantia, Iulius II. in nostro Compend. pag. 56. Item prædictis omnibus, ac etiam Minimis tam concessa, quam concedenda omnibus Mendicantibus, Leo X. Confect. pag. 160. Item concessa omnibus Mendicantibus, etiam ordini Sanctæ Clar. Clemens VII. Comp. pag. 77. Item omnia priuilegia concessa, & concedenda omnibus ordinibus Mendicantium, & non Mendicantium idem Clem. apud Confect. pag. 179. communicat tribus ordinibus S. Francisci, quod idem præstiterunt Paulus IV. Gregor. XIII. Sixtus V. & Clemens. VIII. Et licet apud prædictos Summos Pontifices non fiat mentio, quod Tertiarij gaudeant priuilegiis aliarum religionum in specie, nisi de Dominicanis, Minoribus Conuentualibus, de Obseruantia, Sororibus S. Claræ, Eremitanis, Carmelitis, Seruitis, & Minimis, tamen quia in eisdem fit mentio in genere de quibuscumque Mendicantibus, & non Mendicantibus, sine dubio veniunt etiam reliqui regulares, vt sunt monachi S. Benedicti, Canonici Regulares, Cistertienses, Theatini, Iesuati, Iesuitæ, & similes, & ita in specie de Iesuitis docent Mirand. *tom. 2. q. 46. art. 5. Compend. resol.* 116. *num.* 50. cum Rodr. *tom. 1. q. 55. art.* 17. Cruz *lib. 3. cap. 4. §. 2.* & cum eis Diana *resol.* 81. *de regul.* & nostris in terminis Pater frater Celestinus Suessionensis *in Sum. Theologiæ moralis tract. 8. de potest. confess. regul. §. Dico 8. cap. 8. & c. 15. quæst. 2.*

Quæres 50. An priuilegia reuocata ab vno Pontifice, sed reualidata à successore virtute confirmationis in forma specifica, quæ reualidat priuilegia alias nulla, aut reuocata, ex probatis *n. 64.* & tradit Sigis. *dub. 76. de elect. n. 7.* intelligantur subiecta illi clausulæ, *Modo non sint reuocata*, vel alij simili? quam primo videtur apposuisse Paulus V.

308 Respond. Non includuntur in ea clausula, quia cum sint reualida per præcedentem confirmationem, non amplius subduntur reuocationi iam sublatæ, sed illa clausula comprehendit ea priuilegia, quæ ita reuocata fuerunt, vt post reuocationem nullum ius acquisierint ad nouum esse per aliquam subsequentem confirmationem, verba enim formaliter, & cum effectu acipiẽda sunt, ex vulgaris ioribus. Quare ad summum ea clausula apposita postmodum à Greg. XV. ab Vrbano VIII. habebit effectum respectu reuocatorum post Clement. VIII. quia iste confirmauit, alias reuocata; immo & post Gregor. XV. vt dicam infra *quæst.* 59.

Quæres 51. An priuilegia contraria decretis Concilij Tridentini sint omnino cassata, & reuocata, ita quod neque reuiuiscere dicantur per aliquam subsequentem confirmationem in forma specifica, & amplissima, quæ nullam contineat restrictionem præcipue Sacri Concilij, quam amplam confirmationem sine clausula restrictiua Tridentini fecit Greg. XV. Bulla incip. In apostolicæ, sub die 16. Octob. 1621. Theatinis. Decreta autem Sacri Tridentini sunt in duplici differentia. Alia sunt contraria priuilegijs regularium cum expressa derogatione eorundem priuilegiorum saltem in genere; Alia quidem contraria; sed nulla fit in eis mentio derogationis eorum. Exemplum huius affert Sigism. *dub. 91. de elect. in Addit. in cap. 4. sess. 22.* vbi habentur duo decreta aduersantia priuilegiis, in quorum primo de voce in capitulis habenda à solum constitutis in ordine sacro, vbi nulla fit derogatio priuilegiorum, statutorum, aut consuetudinis religiosorum; in secundo ibidem, de ordinibus infra annum suscipiendis ab habentibus aliquod officium, adnexum habens onus celebrandi, vbi fit derogatio priuilegiorum in genere.

Decreta autem Tridentini expresse derogantia priuilegiis sunt I, contra Prædicatores errores disseminantes puniendos ab Episcopis *sess. cap.* 2. II. contra delinquentes extra manentes *sess. 6. capit.* 3. III. de visitatione Ecclesiarum com cura animarum *sess. 7. cap.* 8. IV. contra manentes extra conueniendo coram ordinariis, in causis mercedum *sess. 7. cap.* 14. V. contra transeuntes ad secunda vota ibi perpetuo manendo *sess. 14. cap.* 11. VI. de visitatione monasteriorum, in quibus non viget obseruantia regularis *sess. 21. cap.* 8. VII. contra ignotos, & alios celebrantes in oratoriis non approbatis, *sess.* 22. VIII. de ordinibus conferendis ab Abbatibus solis subditis, *sess. 23. cap.* 12. IX. De duobus ordinibus sacris eodem die non recipiendis *sess. 23. cap.* 13. X. De confessionibus non audiendis sine approbatione, *sess. 23. cap.* 15. XI. De redditibus conferendis seminariis à non Mendicantibus; *sess. 23. cap.* 18. XII. De suspensione contra coniungentes in matrimonium sine licentia Parochi, *sess. 24. cap.* 1. XIII. De nullibi prædicando sine licentia Episcopi, *sess. 24 cap.* 4. XIV. De seruitoribus regularium extra manentibus subiectis ordinariis *sess. 24. cap.* 11. XV. De quarta funeralium soluenda, vt ibi limitatur, *sess. 25. cap.* 13. Et omnia *cap. eiusdem sess. de reformatione regularium*, vt colligitur *ex cap.* 22. Quæ recenset *Compend. resol.* 116. *num.* 15.

309

Alia decreta contra regulares non derogantia expresse priuilegia regularium, quibus aliqua ratione possunt aduersari sunt sequentia. I. De studiis habendis, *sess. 5. cap.* 1. II. De promouendis ad Cathedrales cum fide suorum superiorum de requisitis, *sess. 22. cap.* 2. III. De initiatis tantum vocem habentibus in capitulis, *sess. 22. cap.* 4. IV. De accessu ad synodum ratione curæ animarum, *sess. 24. cap.* 2. V. De duabus Ecclesiis non habendis, *sess. 24. cap.* 17. VI. De subjectis ratione curæ correctioni ordinarij, *sess. 25. cap.* 11. VII. De censuris promulgandis, & seruandis à religiosis, *sess. 25. cap.* 12. VIII. De accessu ad processiones, *sess. 25. cap.* 1. IX. De delinquente, extra claustra puniendo in subsidium negligentiæ proprij superioris, *sess. 25. cap.* 14. X. De cogentibus virgines ad religionem sub excommonicatione, *sess. 25. cap.* 18. Prædicta tamen *sub sess.* 25. habent expressam derogationem priuilegiorum *ex cit. cap.* 22. eiusdem sessionis, vt dixi.

310

Respond. Per confirmationem etiam amplissimam non intelliguntur reualidata, neque confirmata priuilegia contraria decretis Concilij Tridentini, quamuis in bullis confirmatiuis non adsit clausula restrictiua; *Dummodo non sint contraria decretis Tridentini Concilij*: aut alia similis. Probatur illa generali regula, per quam sub generali concessione non veniunt ea, quæ quis in specie verisimiliter non esset concessurus, nisi cum magna difficultate, ita docet Compend. Peregr. *in suo Scholio v. Confessarius ante §. 4.* ex Suarez *libro 8. de legibus capit. 19. numero 5.* in terminis duarum constitutionum Pauli nempe V. & Greg. XV. quibus in

forma

forma specifica confirmantur amplissime eorum priuilegia, sine clausula restrictiua Tridentini.

Quæres 52. An priuilegium directe contrarium sacro Concilio in specie concessum alicui religioni sine expressa derogatione illius teneat, & illo regulares vti possint non obstante Tridentino, cui in hoc censeatur derogatum? & videtur quod non, quia ei non censetur derogatum, nisi per specialem illius mentionem, ex allegatis sub n. 151.

312 Respond. Tenet concessum priuilegium, & per illud in indiuiduo concessum, censetur derogatum Tridentino sine eius expressione, Tum quia aliter frustratorium, & delusorium esset priuilegium, quod vt absurdum dicendum non est. Tum quia priuilegium debet aliquid operari præter ius, *cap. In iis 30. de priuil. cap. Abbate 25. de verb. signif.* nihil autem operaretur, si non intelligeretur derogatum decreto opposito. Ita in simili tenet *Peregr. in suo Compend. v. Dispensatio §. 2. in Scholio*; nec necessaria est expressa mentio ad illius derogationem, vt ibi docui aliis citatis.

Quæres 53. Quid operetur in præiudicium priuilegiatorum illa clausula. *Sacris canonibus, & decretis Sacri Concilij Tridentini non aduersentur*, quam primo apposuit Greg. XIII. in confirmatione priuilegiorum, *apud Confect. pag. 248. &* subsequentes Sixtus V. illis verbis. *In his omnibus in quibus decretis concilij Tridentini non aduersentur.* Apud citatum pag. 266. eisdem omnino verbis Clem. VIII. pag. 288. & Gregor. XV. pro Cartusianis vsus fuit eiusdem Gregorii prædicti verbis. Nimirum, an importent distinctos sensus sacri Concilij, an vero eundem faciant sensum? Et videntur facere, quia nomine sacrorum Canonum veniunt leges in conciliis editæ, sub nomine vero Decretorum veniunt statuta à Papa de consilio Cardinalium, *Glos. in dist. 3.*

313 Respond. Vel sumuntur pro eodem, nempe, pro ipsa lege conciliari, quod non est inconueniens, cum vtrumque nomen indifferenter accipiatur pro iure communi siue nouo, siue veteri, ex cap. 1. de constit. in quo casu vtraque dictio limitatur ad speciale ius Tridentini, genus enim per adiunctam speciem limitatur ad esse specificum. *l. sed & si adiiciatur ff. pro soc.* verbum enim speciale additum generali eius significationem restringit, vt tradit ex dicta *l. Megal. cons. 40. n. 3.* Vel sumuntur prout diuersa important, nimirum vt canones important eosdem canones Tridentini incipientes. *Si quis dixerit*, & vt vox Decreta includunt capita singularum sessionum, in quo sensu accepit *Rodriq. tom. 1. q. 8. art. 8. Confect. tit. 3. cap. 4. Sorbus v. Priuilegia Fratrum, ex eis Peregr. Introduct. §. 22.* Nequaquam vero nomine, *Sacrorum Canonum*, veniunt Decretum Decretales, & cæterum ius commune vetus. Sed neque mihi placet eorum distinctio canonum, & decretorum, sed pro eodem sumi puto in ordine ad Tridentinum neque enim video, quomodo dari possit priuilegium contra illos canones cum articulos nostræ fidei contineant, contra quam nefas est excogitari priuilegium, ne dum dari posse.

Quæres 54. An per eam clausulam. *Dummodo non aduersentur decretis Sacri Concilij* reuocentur, & supprimantur quæcumque priuilegia contraria ipsi Concilio; nam, vt dixi supra, si inter decreta Tridentini contraria priuilegia, alia includunt expressam mentionem derogationis priuilegiorum, de quibus sub n. 309. alia vero statuunt quidem contra priuilegia exemptorum, sed non addunt derogationem priuilegiorum, & hæc retuli n. 310. *Rodr. cum suo Compend. resol. 116. n. 14. tom. 1. q. 8. art. 6. Portel. n. 31. dicens inclinare Suar. lib. 8. de leg. cap. 18. in fine, & Mirand. tom. 2. q. 42 art. 3. §. Sed. alii. Sequitur Sigism. dub. 91. in Addit.* asserunt isti per illam clausulam derogari priuilegiis, quorum expressam derogationem habent decreta Concilij, non autem tolluntur ea priuilegia, quæ expresse non fuerunt reuocata, sed non intelliguntur confirmata, & reualidata non obstante Tridentino. Respond. Illa clausula obstat quibuscumque priuilegiis siue expresse derogatis in Tridentino, siue non, probatur. Tum *per cap. 1. de constit. in 6.* vbi Papa dicit, condendo posteriorem constitutionem, se derogare priori, cui illa est contraria, licet de prima non faciat mentionem, quia omnia iura in scrinio pectoris sui censetur habere, iuncta *Glos. ibidem v. Facti, in fine*, vbi dicitur, quod si locale statutum contineat ius commune, sublato iure tollitur statutum, quod ius commune est; sic à contrario sensu, si condatur ius commune contrarium directe priuilegio, certe tollitur priuilegium. Tum quia ea distinctio, & si colligatur ex decretis, de quibus supra, tamen potius voluntaria est, quam scientifica ad inducendum diuersos effectus, si quidem siue exprimatur derogatio, siue non, parum refert, quia vtraque decreta Tridentini ita efficacia sunt ex æquo, vt non magis vnius generis obstent, quam alterius, regularium priuilegiis, vtraque enim derogant priuilegiis, nonnulla quidem expresse, alia vero tacite, & sic parem habent obstantiam contra regularium priuilegia, cum taciti, & expressi par sit virtus; aliter si illa non intelliguntur tacite sublata, lex conciliaris illis directe opposita nulla esset, & nullius virtutis, & efficaciæ, quod tamquam absurdum, & inconueniens dicendum non est. Tum quia priuilegia regularium censentur leges perpetuæ, ac proinde ac si essent inserta in corpore iuris *Oldrad. cons. 300. n. 4. Sigism. dub. 120. de elect. n. 13.* Sed priuilegiis insertis iuri communi, & quæ pro lege habentur, tacite censetur derogatum per subsequentem legem, licet de illis non faciat mentionem *cap. 1. de constit. in 6. Suar. lib. 8. de legib. cap. 39. Bonac. p. 8. §. 3. n. 15.* ergo parum refert, exprimaturne derogatio, an taceatur in decretis Concilij. Tum quia Greg. XIII. constit. In principis generalissima reuocatione omnium priuilegiorum nullum genus priuilegij excepit, sed indistincte, & & ex æquo omnia & singula reuocauit, & reduxit ad terminos iuris concilij Tridentini, ergo ipsemet in alia confirmatiua priuilegiorum, & alij successores eius per illam clausulam voluerunt obstare quibusuis priuilegiis siue derogatis expresse, siue non

314 315

Quæres 55. An à superioribus auferri possit vsus priuilegiorum ab inferioribus, non obstante, quod concessa fuerint à summo Pontifice, contra cuius legem, & priuilegia nullus venire potest?

316 Respond. Potest, & viuæ vocis oraculo concessit Leo X. *Compend. v. Priuilegia v. 22.* in antiquis, & Generales, & in capitulo Generali, & Prouinciali possent interpretari, limitare, restringere, & agere de modo illis vtendi, vel ab eisdem abstinendi. Et in hoc nulla difficultas, cum propter priuilegiorum concessionem Papa non præsumatur velle eximere subditos ab obedientia suorum superiorum, vnde illa clausula: *Dummodo non aduersentur ordinationibus, & institutis religiosorum* importat eam subiectionem religiosorum suis superioribus quo ad vsum priuilegiorum. Sic docent *Cruz lib. 2. cap. 2. dub. 2. concl. 3. Portel. v. Generalis n. 5. Mirand. tom. 2. q. 19. art. 5. & q. 43. art. 4. Diana resol. 87. de regul. & alij communiter*, quicquid dicat Peir. *de Prælat. q. 1. c. 4. §. 4. citans n. 79. pro se Rodr. & Mir. qui* tamen nobiscum sentiunt.

Quæres 56. An vna religio possit vti suo priuilegio contra aliam habentem idem priuilegium, siue primo concessum, siue participatum per communicationem? Iterum infra q. fin.

317 Respond. Potest vti siue illi primo concessum fuerit, siue per communicationem illud idem participet. quando agitur de damno vitando, & agens habet potius priuilegium, & causam fauorabiliorem

concessionis priuilegij, vt tradit Panorm. *in cap. In præsentia, de probat. n.* 39. vbi potentius priuilegium vocat illud, in quo agitur de damno vitando, in alio verò de lucro capiando, *& ex eo Megal. consil.* 76. de religione volente construere suum monasterium vicinum alteri conuentui, ita etiam docent *Mirand. tom. 2. qu. 42. art. 7. Portel. v. Priuilegium n. 24. Rodr. q. 55. art. 21. Compend. resol. 116. n. 36. Nald. n. 13. contra consecl.* per illam regulam, quod priuilegiatus non potest vti suo priuilegio contra alium pariter priuilegiatum. l. Verum ff. de min. quod tamen locum non habet, quando agitur de damno vitando, docent præcitati.

Quæres 57. An priuilegio concesso minori superiori vti possit maior, & è contra concesso maiori vti possit minor? Videtur enim quod non, quia priuilegium vni concessum, non potest ad alium extendi etiam ex identitate rationis, *cap. sane 9. de priuil.* ergo neque etiam prætextu prælaturæ, & officij, eodem. iure censendi sunt, cum officium sequatur personam.

318 Resp. Priuilegium concessum minori superiori, intelligitur esse concessum etiam maiori ratione officij *arg. cap. Illud 3. dist.* 95. Quod licet minori, etiam maiori ratione officij *arg. cap. Illud 3. dist.* 95. Quod licet maiori, non licet minori arg. cap. fin. ibidem. Dende iuris ditio inferiori datur non priuatiue, sed cumulatiue. i. ei conceditur, vt ea vti possit, non tamen sublata, neque negata eius superiori, ne videatur esse deterioris conditionis. Tum quia priuilegia regularium ex sui conditione communicabilia sunt, & sicut concessa vni conuentui extenduntur ad totam religionem, tamquam à minori ad maiorem, ita & priuilegia concessa vni superiori minori extenduntur ad maiores. Videtur obstare constit. Iulij II. *apud Consecl. pag.* 126. *de qua Compend. resol.* 116. *n.* 52. *Portel.* 22. *Mirand. tom. 2. q.* 46 *art.* 1. §. *P raedictus*, dicunt enim præcitati de mente Iulij esse, vt communicatio fiat ordinarim inter pares, de superiori locali ad superiorem localem, de Prouinciali ad Prouinciales, &c. ergo non est faciendus transitus de Priori ad Priori ad Prouincialem, neque de Prouinciali ad Generalem, neque vice versa, Et quæ dixi supra n. 71. Sed tenera non obstant, nam ea constitutio, & consequenter præcitati eam explicantes, docent, modum communicationis superiorum, qui sunt pares in officio, neque negant maioribus priuilegia concessa minoribus, cum de iure maiores semper habeant eamdem potestatem, quam habent inferiores, & ampliorem. Et faciunt, quæ tradidi *tom.* 1. *consf.* 26. *n.* 43. de Generali habente vocem in omnibus conuentibus super omnia; & de Prouinciali n. 45.

Quæres 58. An regulares gaudeant priuilegiis monialium non solum militantium sub eodem institutore, sed etiam aliorum ordinum; & vice versa, an moniales gaudeant priuilegiis concessis suis regularibus, & aliorum ordinum religiosis?

319 Respond. Habent communicationem priuilegiorum ad inuicem, eodem modo, quo, viri religiosi. De monialibus participantes, licet nunc non subsint regimini superiorum regularium probaui *supra q.* 24. *n.* 69. *& tetigi supra n.* 242. 243. 244. 247. docent *Rodr. tom.* 1. *q.* 13. *art.* 22. *Suar. lib.* 8. *de legib. cap.* 10. *n.* 7. *De viris*, quod monialium priuilegiis gaudeant, docent *Peregr. Comp. v. Nouitius, & ex eo Pelrin. tom.* 2. *priuil. ad constit.* 8. *Pij V. n.* 3. exemplificantes in priuilegio concesso nouitiabus profitendi in articulo mortis, anno probationis nondum expleto.

Quæres 59. Multæ religiones sub præsenti Pontifice Maximo obtinuerunt confirmationem suorum priuilegiorum quorumcumque etiam motu proprio, ex certa scientia, & plenitudine potestatis, vt fecit Minimis de Paula, reste Pelrino referente Bullam tom. 3. pag. 477. cum restrictionibus ibi: *Quatenus tamen sint in vsu, & non sint reuocata, seu sub aliquibus reuocationibus comprehensa; ac sacris canonibus, & Concilij Tridentini decretis non aduersentur.* Quænam sint ea priuilegia reuocata, quæ non inteudit Papa confirmare per hanc bullam?

320 Respond. Meo iudicio videntur paucissima, & solum ea, quæ reuocata fuerunt à die 16. Oct. 1621. Gregorio XV. & postea ab Vrbano VIII. ratio est quia priuilegia alias reuocata reuocantur ad suum pristinum valorem, quoties ab aliquo summo Pontifice in forma specifica, & de plenitudine potestatis confirmantur priuilegia regularia, vt probaui supra sub q. 20. n. 64. & tradit *Sigism. dub.* 76. *de elect. n.* 7. *Suar. lib.* 8. *de leg. cap.* 19. *n.* 12. *de communi Portel. part.* 2. *casu* 26. *n.* 7. Sed Gregorius XV. supradicto die 16. Octobris 1621. constit. incip. In apostolicæ, Theatinorum priuilegia per quoscumque Romanos Pontifices ipsis concessa principaliter, aut per communicationem aliarum religionum, ex certa scientia, & de plenitudine potestatis simpliciter confirmauit, non addendo dictas restrictiones; ergo per hanc amplissimam confirmationem reualidauit etiam priuilegia aliàs reuocata, tam illorum propria, quàm aliorum eisdem communicata, consequenter non amplius retinent illam reuocationis formalitatem, ex quo restituta fuerunt, ex probatis *q.* 50. *n.* 308. vnde clausula illa, *Modo non sint reuocata*, non potest habere locum in priuilegiis ante illum diem reuocatis, & postea restitutis, sed solum respectu eorum, quæ postea reuocata fuerunt ab ipsomet Gregorio, & Vrbano, si quæ reuocarunt, vt fuerunt viuæ vocis oracula, iuxta quod dixi *tom.* 1. *consf.* 31. Et illud priuilegium confirmationis pro Theatinis non tantum illis prodest, quam aliis omnibus regularibus, qui habentes restrictionem priuilegiorum possunt, propriis omissis, adhibere illud tam amplissimum, & fauorabile, vt probaui supra sub n. 305. Et hoc confirmatur, quia non solum communicantur priuilegia, sed etiam priuilegiorum confirmationes, quia confirmatio est quoddam priuilegium, & gratia; *vt docet Suar. lib.* 8. *de legib. cap.* 19. *au.* 8. *apud Peregr. Compend. v. Confessarius, in Schol.* § 2. vnde confirmatis priuilegiis vnius religionis in forma specifica, vt dixi de priuilegiis Theatinorum, censentur etiam confirmata eodem modo priuilegia aliarum religionum, quæ cum illis communicant in priuilegiis. *Ita Rodr. cum suo Compend. resol.* 116. *nu.* 10. *Mirand. tom.* 2. *quæst.* 42. *art.* 5. *concl.* 2. *Suar. cit. à num.* 9. *& sequent. Portel. v. Priuilegiis confirmatio n.* 34. *Peregr. loco citato.*

321 Nota prædicta procedere, quando confirmatio est vniuersalis quo ad priuilegia, nam si Papa confirmat priuilegia propria tantum vbi religioni, non loco censetur confirmare priuilegia aliarum religionum, cum eius voluntas non operetur vltra suam intentionem, & plus confirmaret, quam intenderet, *vt ex Suar. docet. Portell. cit. numero* 35. In casu autem nostro Greg. XV. confirmauit priuilegia Theatinorum non tantum propria, sed etiam communia aliarum religionum eisdem alias communicata, ibi: *Gratias & indulta principaliter, vel per communicationem.* Similem fecit Vrbanus VIII. Minimis, vt supra dixi, in forma specifica, & de plenitudine potestatis, sed apposuit restrictiones, ideò expeditius est vti illo Theatinorum.

Dices, ex prælibatis infertur Regulares Confessarios hac tempestate posse absoluere à casibus reseruatis Episcopis; quia licet priuilegium alia reuocatum fuerit præsertim à Clem. VIII. iuxta quod dixi *tom.* 1. *Resol.* 6. *præsertim* 9. 11. *&* 17. tamen censetur restitorum per confirmationem factam à Greg. XV. vt supra.

322 Confirmatur, quia hoc priuilegium non aduersatur Tridentino, cum nullibi in eo prohibeatur religiosis absolutio ab illis; neque etiam in *cap.* 7. *sess.* 14. vbi

vbi tantum decernitur fuisse antiquam in Ecclesia Dei consuetudinem reseruandi casus Episcopis, & nullam esse absolutionem datam à non habente potestatem super illos, & sic nihil agitur contra priuilegia regularium.

323 Reuera res ita se haberet, nisi præsens Pontifex optimus maximus sustulisset de nouo hoc priuilegium per decretum à Sacra Congregatione editum de cuius mādato die 17. Nouemb. 1628. quod extensum habet apud Sinodum Comensem pag. 159. & Cremonensem pag. 120.

324 Sed quid dicendum de indulgentijs à Paulo V. reuocatis, an reualidatæ fuerint per confirmationem prædictam Theatinis factam omnium priuilegiorum? seu per aliam amplissimam eiusdem Pauli V. Opinio est negatiua Portelli v. Indulg. n. 12. multis probantis, quibus respondet *Compend. ref. 77. n. 45.* sequens opinionem affirmatiuam, nempe restitutas fuisse antiquas indulgentias. Et ita à nobis dicendum esset ob supra adductas rationes.

325 Sed quoniam limitantur non habet locum, quando reuocatio petitur à priuilegiariis, in quorum fauorem cedit, vt in casu nostro de indulgentiis reuocatis à Paolo V. quarū reuocatio petita fuit à regularibus, vt dicitur in eius Bulla, ibi: *Et ex indicto eorumdem etiam regularium, vel aliquorum ex illis nobis propositurus, valde expedire pro eorum maiori securitate, & beneficio.* Ideo non centenuit reualidatæ per subsequentes confirmationes. Præterquamquod reuocatio rigorose accepta, & odiosa non habet locum, vbi fit intuitu maioris beneficij, & æquiualentis beneficij, quod de nouo, securius, & firmius conceditur, quam quod antea erat concessum, sed potius noua concessio attendenda est, quæ fieri commode, & sincere non potuit nisi posita antiquarum reuocatione, quæ non intenditur per se, sed intuitu perfectioris, & solidioris priuilegij de nouo concessi.

326 Quæres 60. De significatione sequentium terminorum, pro intelligentia priuilegiorum. *Religio, Religiosus, Eremita, Anachorita, Cenobita, Monachus, Monacha, Sanctimonialis, Monialis, Frater, Soror, Monasterium, Conuentus, Cenobium, Collegium, Collegiata, Eremitorium, Regularis.*

Religio hæc vox in generali sua significatione impor-327 tat cultum hominis Christiani erga verum Deum, dicitur siquidem *Religio* à religando, eo quod fideles per baptismum religet, & contingat ad diuinum cultum, ex Lactant. lib. 4. *Hoc inquit, vinculo pietatis adstricti Deo, & religati sumus, vnde ipsa religio nomen accepit, non vt Cicero interpretatus est à relegendo. lib.* enim 1. de Natura Deorum, à relegendo deducit, illis verbis. *Qui omnia, quæ ad cultum Deorum pertinerent, diligenter pertractarent, & quasi relegerent, sunt dicti religiosi à relegendo.* Cui videntur adhærere Poetæ, dom deriuatione à *Lego* secundam breuiant hoc modo apud Virgil. *Religione patrum multos seruata per annos.* Sine ergo fideles dicantur religiosi à relegendo, quia debent non semel, sed plurica relegere diuina mandata si volunt ad vitam ingredi, siue à religando, eo quod per fidem Christi in baptismate acceptam obligantur speciali quodam cultu erga Deum præter alios homines, qui non fideles, vtrumque bene dicitur. In eo igitur sensu omnes Christi fideles dicuntur religiosi à religione per baptismum accepta, de qua sermo est in pluribus locis Sacræ Scripturæ, præcipuè Iacobi I. *Religio munda, & immaculata apud Deum, &c.* Act. 2. *Erant autem in Ierusalem habitantes Iudæi viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est.* & in iure canonico c. *Sicut* 13. *& fin. dist.* 96. *& c.* 1 *dist.* 97. *c. Gaudemus* 8. *de diuort. Clem* 1. *de testib.* & alibi in quib. nomen religionis sumitur pro Christianitate. Nomen vero religiosi pro Christiano c. *Si qua vidua dist.* 28. *cap. Bonis principes* 14. *dist.* 96.

328 Huiusmodi autem Christiani, & religiosi diuiduntur in tres classes. Primæ classis vocantur laici, seu seculares, qui in populo viuunt curis secularibus implicati, de quibus Hieron. relatus *cap. Duo* 7. 12. *q.* 1. de his satis. Secundæ classis vocantur clerici, qui speciali modo inseruiunt Deo in ministerio Ecclesiæ, non tamen in communi viuunt sub obedientia alicuius capitis, de quibus *cap.* 1. *dist.* 21. *Duo* 7. 12. *quæst.* 1. *cap. Nullus* 117. 1. *q.* 1. *iuncta Glos. Religiosis.* Tertiæ nuncupantur presse, & propriè religiosi, qui specialiori, & strictiori modo Deo cultum exhibent sub professione trium votorum solemnium in communi viuentes, de quibus toto titulo de Regul. quod nomen antiquissimum est, vt testatur *Bellarm. tom.* 2. *controu. lib.* 2. *de Monach. cap.* 1. *fine.* Triplex hoc genus religionis deducitur ex triplici etimologia eiusmodi nominis *Religio*, nam quatenus procedit à religando instituitur prima classis religiosorum, quæ Christiana fide primo ligantur in Baptismate Christi; prout verò prouenit à relegendo oritur secunda classis religiosorum, qui primo religati per baptismum, nemo enim fieri potest clericus, nisi sit vnda sacri baptismatis renatus, & religatur, per promotionem ad ordinem clericalem attente relegunt, & meditantur munus, & officium Ecclesiasticum, ad quod assumuntur, ad inseruiendum Deo in ministerio Ecclesiastico de quo duplici sensu etimologico superius dictum fuit num. præcedenti; remanet tertium, à quo procedit tertia classis religiosorum, in eo ergo sensu Religio dicitur à relinquendo, vt quis sit religiosus hoc tertio modo, necesse est, quod mundum relinquat, & conuersationem huius seculi, vnde mortui mundo dicuntur *cap.* 8. 16. *quæst.* 1. & alieni esse à conuersatione populi, *cap. Si cupis* 5. *eod.* atque religiosus extra monasterium est sicut piscis extra aquam, *cap. Placuit* 8. 16. *quæst.* 1. De hac re multa *Graffius part.* 1. *decis. lib.* 3. *cap.* 5. *initio. Tabiena ver. Religio numero* 1.

Religiosus hoc nomen generale est, *Glos.* 1. *Clem.* 3. 329 *de procur.* ita quod eo vocabulo venit omnis professus siue monachus, siue canonicus regularis, seu alius non Mendicans, siue Frater, aut Mendicans, *Glos.* 1. *c.* 2. *de testam in* 6. siue sit in ordine clericali, siue non, & in numero conuersorum *cap. Ex multa* 9. *de voto;* & dicta procedunt tam in odiosis, quam in fauorabilibus, cum in neutro casu perdant nomen religiosi, & professionis.

Militares sub eo nomine *Religiosus* etiam in materia 330 odiosa veniunt ex significatione vocabuli, cum & ipsi sint verè religiosi sub tribus votis, vt multis probat *Nau. consil.* 10. 11. & 12. *de regul. vbi n.* 2. in terminis dicit sub nomine religiosi venire militares Ierosolymitanor in specie, *Angel. v. Religiosus n.* 7. dico ex significatione vocabuli, quia ferunt nonnulli cum *Rodr. tom.* 1. *qu.* 1. *art.* 6. habere priuilegia, vt non veniant sub eo nomine in pœnalib. vnde obseruaui in Trident. præsertim *c.* 11. *sess.* 14. & *c.* 22. *sess.* 25. vbi agitur de odiosis, Militares in specie exprimi cum particula *Etiam* quæ implicat magis dubitabilia, quasi insinuet extare huiusmodi priuilegia eosdem eximentia à nomine *Religiosi* in odiosis.

Nouitij in fauorabilibus veniunt sub eo nomine, 331 quia sunt in via status religiosi, ad quem acquirendum fatigantur, & qui est in via reputatur ac si esset in termino *arg. l. Ex eo tempore ff. de milit. testam. Rodr. tom.* 1. *quæst.* 21. *art. fin. tom.* 1. *tamen* 3. *qu.* 51. *art. fin. & Portel. v. Nouitius n.* 53. dicunt nouitios gaudere tantum priuilegio canonis, non aliis, nisi exprimantur, oppositum sentiunt multi, quos pro se citat *Diana resol.* 73. *de regul. Vecchius disp.* 9. *dub.* 16. *nu.* 1. *&* 6. *Sanch. lib.* 6. *cap.* 10. *numero* 16.

Tertiarij vtriusque sexus, viri collegialiter viuen- 332 tes cum claustralibus, & fœminæ votum castitatis promittentes extra manentes, vel cum monialibus, veniunt sub nomine *Religiosi* in fauorabilibus, ex constit. Leon. X. Dum intra, in Concilio Later. & ex declaratione Sacræ Congreg. vt dixi *Resol.* 51. *de sepult. num.* 209.

& alibi. *Ita Angel. Religiosus n.* 1. *Silaest.n.*1.*Rodr.tom.* 2.*q.*63.*art.*5. *Gratian. ex Felino tom.*3.*c.*413. *n.*38. *Diana tract.*2.*de Immun. resol.* 80. Moniales veniunt sub eodem nomine Religiosi, quia in hio masculinum concipit fœmininum, & colligitur *ex cap. Qui religiosis* II. 18. *q.* 2. *Graff.prax.lib.* 2.*cap.* 5.*n.*3. *Glos.v. Quicumque Clem.*1.*de decim. iuxta Glos.* 2. *cap.Generalis* 13. *de elect. in* 6. consequenter gaudent virorum priuilegiis, ex const. Dudum per nos Leo X. vt probaui supra *q.* 58. *n.* 319. In odiosis vero non veniunt, ex præcitatis, ne odia amplientur, contra vulgata iura, vnde censuræ, & pœnæ latæ contra religiosos non afficiunt religiosas fœminas, neque contra moniales illatæ inficiunt viros

354 *Glossa. cecidisse Clem.* 2. *de statu mon.* Clerici seculares ab eo nomine *Religiosus* excluduntur non solum in odiosis, sed etiam in fauorabilibus, *Clem.*1.*de decim. iuncta Glos.* 1.*Clem. de priuileg. ibi Glos.& v. Religiosos Clem. eupientes, de pænis. cap.*1.*de sepult. in* 6. in quibus locis & alibi in pænis infligendis distinguuntur tam expressione vocabulorum, quam pænarum, quare censuræ latæ contra religiosos non comprebendunt clericos, *Sair.lib.*4. *de cens. cap.*13.*n.* 22. *& alij communiter, ita ex Nau. concil.*6. *de regul. docet Nad.v. Clericus n.*2.

Sed dubium est an religiosi comprehendantur sub nomine *Clerici*, tam in odiosis, quam in fauorabilibus?

335 Dico, quod religiosi veniunt sub nomine *Clerici* in fauorabilibus, quo ad eam materiam, quæ illis applicari potest, sine præiudicio status religiosi, nequaquam vero in odiosis. Illud suadetur, Tum ex etimologia nominis, nam clericus, seu cleros à Græco latine fors appellatur, propterea clerici vocantur, quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus sors, id est pars clericorum est, & quia vel ipse pars Domini est, & Dominum partem habet *cap. Clericus* 5.12. *q.* 1. *& cap. Duo sunt* 7. *ead.* cleros latine sors dicitur, inde huiusmodi homines Deo deuoti, & conuersi vocantur clerici .i. sorte electi; sed religiosi maxime in sortem Domini vocati, & electi sunt, cui magis inseruiunt in statu perfectiori, ergo proprie veniunt sub nomine Clerici, consequenter digni sunt fauoribus clericorum: Tum quia clerici dicuntur in ordine ad diuinum ministerium in Ecclesia Dei; sed religiosi magis sunt intenti diuinis obsequiis, ergo digni sunt fauoribus clericorum. Tum quia clerici nomen magis conuenit religiosis, quam secularibus, docet Panorm. *in cap. De off. ordin.* illis verbis. *Nota Glosam, quare clerici, qui non sunt alicuius religionis, dicuntur clerici seculares, participant enim religiosis, & in hoc appellantur clerici. Item participant laicis, & hoc respectu vocantur seculares*: apud Penoitum lib. 2. Histor. Canon. Regul. cap. 1. n. 11. vbi de hac re plura, quod regulares proprie dicuntur clerici ex instituto suæ fundationis, non sic Monachi, qui solum ex priuilegio effecti sunt clerici. *Ita Panor. cit. super cap.* 1. *Ne cler. vel mon. Sila.v. Clericus n.* 1. *Sanch. lib.* 7. *cap.* 13. *n.* 33. *&* 46. *Tabien. n.* 3. *Ang.n.* 1. *Portel. part.* 2. *casu* 2. *n.*8. *ex Regula S. Francisci cap.* 3. *Sair. lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 29. *Bonac. p.* 5. *de suspens.* §. 4. *n.*1. *Huius*, quod religiosi non comprehendantur sub nomine *Clerici* in odiosis ratio esse potest, præter illam communem, quia sunt in statu digniori. Confirmatur quia in iure distinguuntur quo ad pænas, vt supra dixi. *Ita praecitati, ex cap.*1. *de sepult. in* 6. *cap. Accasarus* 8. *ad finem, de heret. in* 6. quicquid dicat Compend. *resol.*26.*n.* 45. contra quem est *Sanch. lib.* 6. *cap.* 16.*n.* 106. Prædicta de clericis fauore religiosorum extenduntur etiam ad nouitios, tertiarios, & moniales, quod suadet eadem ratio, cum omnes isti in sortem Domini sint vocati.

356 *Regularis* hoc nomen ex etimologia importat eum, qui ad viuendum regulariter est adstrictus; & non differt à Religioso quo ad rem, cum vterque quo ad professionem teneatur viuere secundum regulam, quam professus est. Quare easdem significationes habet, vocabulum *Religiosus* importat, vnde sub eo nomine venit Monachus, Canonicus, Frater, iam clericus quam conuersus. *Ita Angel.v. eod. & Sila. sub. eisdem verbis, Tabien. qui nonnihil addit. Bellarm. tom.* 2. *controuers. lib.* 2. *cap.* 1. *de monach.* §. *Ex quo.*

Eremita idem quod Anachorita, Bellarm. cit. cap. 3. qui proprie solitariam vitam degit, & si sermo sit de veteris Eremitis, illi dicuntur, qui prius in cænobio laudabilem vitam exercuerunt, & postea de licentia superioris in remotissimis locis a conuersatione aliorum se recondunt, à quibus non exeunt, sed ibidem fere continuo inhabitantes feruentius, & deuotius vitam solitariam peragendo, diuinis contemplationibus se tradunt, vt sanctis patribus citatis docet *Bellarm. cap.* 39. §. *Secunda ratio.* Non omnes Eremitæ sunt veri religiosi, sed tantum illi, qui solemniter vouent, *Flos. v. Solitudinem cap. Scripsit* 22.§. *Ecce* Veri Eremitæ sunt Camaldulenses in eo loco habitantes; item Cartusiani, huiusmodi enim solitarie viuunt in propriis cellis sub obedientia suorum superiorum, & isti omnes cum aliis cujuscumque sint instituti, cum sint vere religiosi gaudent priuilegiis tum fori, tum canonis more aliorum; item & qui subsunt speciali modo sub obedientia Episcopi. Vt videre est *apud Sanch. lib.* 7. *cap.* 8. *a.*40. *Bossium sect.* 4. *de Iubil. casu* 22. *à n.* 58. *ad* 30. *Rodr. tom.* 2. *q.* 62. *art.* 20. *eam suo Compend. resol.* 61.

338 An Tertij ordinis regulares, qui dicuntur viuere sub habitu Eremitico à Nicolao V. de anno 1447. à Sixto IV. Iulio II. & demum à Paulo III. de anno 1549. vt videre est in libro Priuil. eiusdem ordinis, veniant sub eo nomine *Eremita*? e. g. an manentes intra eorum claustra lucrentur indulgentias Iubilæi anni sancti, licet non accedant ad vrbem, iuxta dispositionem Bullæ incip. Pontificia, die 28. Ianuar. 1625. Vrbani VIII. extensæ *apud Bossium sect.*4. *de Iubilaeo casu* 22. *n.*57. quas lucrantur Moniales, & Eremitæ sub perpetua clausura.

Dico quod non, quia non sunt sub perpetua clausura, vt Moniales, & Eremitæ, sed more aliorum regularium foras exeunt, consequenter easdem possunt lucrari accedendo Romam. Neque Tertiarij dicuntur ex eorum instituto Eremitæ, sed per quandam anologiam, quia antiquitus initio sui ordinis loca accipiebant extra ciuitates in locis remotis à turba populorum, & ciuium, vt quietius Deo famulari possent. Vide quæ dixi *tom.*1. *consil.*35. *num.*62. Nequaquam ergo veniunt sub eo nomine, neque loci ratione, quia monasteria habent quamplura in ciuitatibus; neque respectu habitus, cum gestent decentem habitum cum caputio, more aliorum regularium, quem caputium non deferunt Eremitæ vulgi; neque ratione vitæ & instituti, cum non sint sub perpetua clausura, sed cum aliis conuersentur, concionando, confessiones excipiendo, & alia vitæ actiuæ, quæ non sunt Eremitarum, spiritualia præstantes.

339 *Cænobita* dicitur religiosus vitam in commmuni cum aliis ducens à Cœnos, & Bios hoc est à communi vita. Authent. de Monachis ibi: *In iis quæ vocantur Cænobia i. in communi vita esse volumus* Cap. *Definimus* 21. 18. *q.* 2. *cap. Perniciosam* 25. *eod. cap. Cum dilectus* 8. *de consuet.* Inde denominatur Cœnobium conuentus, in quo religiosi plures sub communi vita degunt, *Remigius de Gonni Amplias.* 3. *de Immun n.*13 *Graff. pr. lib.* 3. *c.* 3*n.* 7.

340 Monachus, quod nomen conflatur ex Monos & Achos, importat vnum, & tristem, *ex cap. Placuit* 8. 16. *q.* 1. aut vitam solitariam agentem, *cap* 1. *eodem Bellarminus tom.* 2. *contron. lib.* 2. *cap.* 1. *de Monach.* §. *Ex quo* concludit eos dici Monachos, qui vitæ contemplatiuæ dant operam, cuiusmodi sunt religiosi non Mendicantes v.d. Sanctorum Basilij, Benedicti, Cistercienses, &c. ad differentiam Mendicantium, qui cum vita contemplatiua miscent actiuam in beneficium animarum Christi fidelium.

Sub

341 Sub eo nomine *Monachi* veniunt omnes religiosi tam clerici, quam conuersi, professi, non professi in materia fauorabili, iuxta proportionaliter dicta de verbo Religiosus. In materia verò odiosa sub eodem nomine veniunt solum supradicti propriè Monachi, & præcipue S. Benedicti, *Graff. part. 1. lib. 2. cap. 24. nu 16.* & non Fratres Mendicantes, *Graff. tom. 2. consil. 4. diff. 1. de regul. nu. 1. ex Decio, in cap. Causam 9. de iud.* quamuis, vt ibidem aduerti isti termini *Monachi, & Fratres* confunduntur. Neque sub eo nomine veniunt clerici, neque alij regulares *Nauar. tom. 2. com. 3. de regul. num 40. Lessius lib. 2. cap. 41. nu. 2. quicquid Silu. Religio 7. n. 4.* Neque Canonici Regulares, vt apertè colligitur *ex tit. De statu monachorum, & Canonic. regul. Glos. ver. Monachus. Clem. 1. eod. Tabien. Silu. & supradicti Glos. Regimen. cap. 5. de statu mon. Rodr. tom. 1 quæst. 1. art. 3.*

342 *Nau. tom. 2. com. 1. de regul. num. 8. in fine* Nouitij sub eo nomine non veniunt, nisi in fauoribus, *Graff. part. 1. lib. 3. cap. 18. numero 75.* quia hoc nomen proprie professione acquiritur, *ex capit. Præsens 20. quæst. 3. capit. Si seruus.* Idem dic de monachabus, veniu in fauoribus sub nomine monachi iuxta dicta de fœminis religiosis respectu virorum religiosorum.

343 *Monacha* nomine veniunt propriè moniales militantes sub ordinibus monachorum, & non Mendicantium, *ex c. Definimus 21. c. In nullo 22.* quæ procedunt in odiosis, nam in fauorabilibus sub eo nomine veniunt quæcumque moniales.

344 *Sanctimonialis* hoc nomen prouenit secundum aliquos à sanctitate, Mono. 1. monacha, quam decet sanctitas; sed melius componitur ex sanctitate, & munio, munium siquidem importat debitum, & officium exercendi, & conseruandi sanctitatem, & cultum erga Deum, eo modo, quo dicitur Matrimonium 1. officium matris alere filios; & in hoc sensu sub nomine Sanctimonialis venit quælibet religiosa siue virgo, siue corrupta, per votum professionis Deo dicata in aliqua ex approbatis religione, *cap. Sanctimonialis 23. dist. 23. cap. Sanctimoniales 10. 20. qu. 1. cap. Perniciosam 25. 18. quæst. 2. Cap. Monasteria, de vita, & honest. Graff. pr. lib 2 cap. 5. num. 8.* Et quamuis textus allegati sint Summor. Pontif. qui erant ante annum 1200. à quo cæperunt religiones Mendicantium, ac proinde huiusmodi vocabulum non videatur includere Sorores Mendicantium tamen subsequentes Pontifices attendentes magisterium rei, quam vocem termini religiosas etiam Mendicant. eodem nomine cohonestarunt, ita quod nulla est differentia inter Sanctimoniales, & fœminas religiosas cu-

345 iuscumque ordinis sint. Monialis sub nomine, sanctitate postea refrigescente, venerunt sanctimoniales, quod idem in re omnino significat; & nulli dubium, sub eo nomine venire omnes religiosas tam virgines, quam viduales sub quauis regula professas tam in ordine non Mendicantium, quam Mendicantium, vt apertè colligitur ex titulo, de statu regul. in 6. vbi de clausura omnium sanctimonialium, & in Tridentino Sess. 25. de reformatione Regularium, & Monialium, *Graff. tom. 1. consil. 12. de sent. excom. nu. 26. & in praxi lib. 1. c. 5. nu. 8.* Tam in fauoribus quam odiosis etiam Sorores expressæ eo nomine ex eodem *Graff. prax. lib. 3. capit. 5. num. 8. & 39. Lupo de casibus reseru. Bergomi Casu. 13. n. 4. ad 7.*

346 In fauorabilibus tantum veniunt primo Nouitiæ Graff. *prax. lib. 2, cap. 5. nu. 7. & tom. 1. consil. 12. de sent. excomm. num. 26. Lupus ad casum cit. 13.* Secundo veniunt mulieres quædam collegialiter viuentes, licet non sint propriæ religiosæ, *Bossius sect. 4. de Iubil. casu 22. numero 58. ex Nau. consil. 81. de regul. Lupus cit. numero 4.* Tertio veniunt Tertiariæ virgines sub simplici voto castitat. degentes apud consanguineos, iuxta constit. Leonis X. & declar. S.C. *apud Nald. v. Clausi. n. 7.*

347 *Fratris* nomen tripliciter accipi potest. I. pro eo, quod cognatione consanguinitatis ita appellatur cum aliis ab eodem stipite procreatis. II. cognatione spirituali per baptismum, sub qua ratione plenæ sunt Sacræ Scripturæ III. ad rem nostram, pro eo qui professione sit propinquus aliis consortio communis vitæ sub regula à sede apostolica approbata. Sub hoc nomine veniunt propriè soli Mendicantes ex vsu nostrorum temporum, nam etiam Monachi multo tempore ante vocabantur *Fratres*, vt videre est *c. fin 16. q. 6. cap. si quis 38. de priuil. c. Cum dilectus 8. 8. de consuet. & alibi, c. Nimis, de excess. prælat.*

348 Sub nomine Fratrum in materia pœnali non veniunt monachi, sed tantum in fauorabili, secundum *Abbatem, & Decimum in capit. Causam, de elect. cum Graff. pr. lib. 2. capit. 5. numero 39. & alibi vt supra dixi sub nu. 341. Gemin. in cap. Cum singula, de præbend. nu. 3.* ad illa verba: *Monachi vel religiosi. ex Megal. part. 3. lib. 4. cap. 2. n. 302.*

349 Nouitij, & Tertiarij veniunt sub nomine Fratrum in fauoribus; sicut etiam moniales, Sorores, & monachi, iuxta superius dicta de verbo Religiosus.

350 *Sororis* nomen triplici item modo accipi potest, sicut de nomine *Fratris* dixi, ita quod dicta de illo huic proportionaliter applicari possunt. Est igitur Soror quæcumque religiosa professa in aliquo ordine Mendicantium, sumpto presse, & propriè vocabulo, & præcipue eodem nomine cohonestantur moniales Sanctæ Claræ, & de Tertio Ordine, vt videre est in tribus Regulis pro secundo ordine, & in duabus pro Tertio, in quibus passim exprimitur hoc nomen *Soror* In materia autem odiosa sub hoc nomine non veniunt religiosæ aliorum ordinum non Mendicantium, sed tantum impropriè, consequenter solum in fauorabili. Quod si aliquando Moniales non Mendicantium in pœnalibus exprimantur, sub nomine Sororum, hoc non accidit simpliciter, sed ex circumlocutione verborum, & adiectis, vt colligitur ex *cap. Vn. de statu regul. in 6.* ibi: *Inhibemus ne in monasteriis ordinum non Mendicantium aliqua recipiantur de cætero in Sorores.* Præterquam quod est antiquissimum nomen, vt videre est *Cap. In decima 24. 18. q. 2.* tamen tunc non erat in vsu, sicut temporibus ordinum Mendicantium.

351 Idem considerandum de nomine hoc *Fratris*, quod ex antecedentibus, & subsequentibus quandoque accipitur pro quibuscumque religiosis siue Mendicantibus siue non Mendicantibus, de quo exemplum habes in extr. com. a. de regul. ibi: *Superioribus ipsis nihilominus iniungentes, ne quibusuis sui ordinis Fratribus.* Sub quo nomine venit quiuis religiosus, siue monachus, siue Frater, vt colligitur ex præcedentibus. Idem proportionaliter dic de aliis nominibus.

An sub nomine religiosorum veniat eorum prælatus? Item sub nomine monialium, seu sororum veniat Abbatissa, seu Priorissa?

352 Respond. Sub nomine religiosorum, seu Monachorum non venit Prælatus, seu Abbas in odiosis, sed tantum in fauoribus. Quod idem dicitur de Abbatissis, & Superiorissis respectu suarum subditarum, ratio est, quia diuersi sunt superiores, & subditi, & cum ex diuersis non fiat illatio, ex vulgatis iuribus, nulla sufficiens ratio videtur suadere, & ex vnis fiat illatio ad alios, maxime cum, vt colligitur ex diuersis textibus iuris, & Bullis Pontificiis, in pœnalibus fiat expressa, & distincta mentio de vtrisque cap. Veniens 19. cap. Sicut 39. de sim. ibi *siue sit subdita, siue prælata*, Clem. 1. de reser. ibi: *Abbates, aut alij religiosi.* Ita Glos. *v. Monachi cap. Conuenientibus 1. q. 7. & in cap. fin. de sim. Nau. cons. 75. dub. 15. Nald. Abbas. 1. Portel. n. 5. Arm. n. 11. Bonac. q. 4. de Claus. p. 6. n. 22. Diana resol. 48. de regul. nor. 3.* oppositum tenet *Sanch. l. 6. c. 8. n. 84.* Ex quibus inferunt, censuras, seu alias pœnas, & limitationes latas contra subditos comprehendere superiores, nisi tale circumlocutione

vtantur legislatores, aut ex antecedentibus, & subsequentibus colligatur oppositum. *Monasteriorum* conflatum ex Monos, & Achos importat stationem, seu habitationem solitariam, & segregatam à curis, & conuersatione secularium; locum, vbi degunt religiosi vacantes diuino cultui quo ad vitam contemplatiuam, in quo sensu sumitur eisdem modis, quibus *Monachi* vox, de quo vtroque vocabulo frequenter 16. *q.1. & tit. de statu monach.*

352

354 Quamuis nomine *Monasterij* habito respectu ad etimologiam vocis includat habitaculum, tantummodo Monachorum, & Monacharum non Mendicantium, nihilominus ex vi significationis propriæ, & vsu legislatorum venit quoduis Cœnobium, & locus, in quo religiosi degunt, siue non Mendicantes, siue Mendicant. Fratres, & Sorores, vt videre est in regula primi ordinis S. Francisci *cap.2. &* 12. & in secunda, quæ est monialium sæpius; & in tertia mei ordinis initio, *& c.5 & patet ex c. Exiit, de verb signif.*

355 Nomine Monasterij quo ad eius partes materiales, ex quibus non licet egressus vel ingressus sine licentia venit claustrum, domus, cameræ, claustra, dormitorium, refectorium, officinæ interiores, ex citato *cap. Exiit §. Nos vtique, de verb.signif. Rodr. tom.1.q.75.art.1. Sanch.lib.6.cap.16.n.15. Bonac.q.4. de claus.p.1.* qui licet loquantur de clausula Monialium, faciunt tamen etiam pro viris religiosis, qui & ipsi tenentur ad clausuram, à qua exire nequeunt sine licentia suorum superiorum saltem sub veniali, nisi adsit speciale præceptum; vel contemptus D. *Thom. 2.2.q.186.art.9. Nau.tom.2.com.3. de regul.n.35. apud. Graff. & pract.l.1.c.5.nu.5 Barbosa ad c.4. sess 25.num.3.*

356 In ordine ad immunitatem confugium ad loca regularium veniunt omnia loca prædicta, & alia, quæ habitantur à religiosis, vel famulis contigua externis muris clausuræ, item cæmeterium, & atria adherentia, *vt docet Genui de immun. Ampliat 3. numero* 10. *&* 11.

357 Ecclesia venit sub nomine monasterij in fauorabilibus tantum, in quibus iura semper vtrumque exprimunt, cum de odiosis agunt, vt videre est pluribus in locis, præsertim *tit. de relig.domib. c.6. & 8 c.2. de suppl.negal. prælat.in 6.c.fin.de sent.excom.in 6.* Item dic, sub nomine Ecclesiæ venire monasterium, expresse *Gratian.§. Quod autem, ad cap. Abbati 16. dist. 54.* non autem in odiosis, *Glos.v. Monasterium cit.c.2, de supplend. Rodr.tom.1.q.3. art.3. Soarez.v.Ecclesia.*

358

359 Monasterij nomine in fauoribus venit prælatus, non lo odiosis. Glos, *In eisdem fin. clem.2. de ætate, per cap. Nenit de iis qui fiunt à prælat. docet Nauar. cons.* 12. *de elect.n.2.*

360 Nota, quod Monasterium, & Conuentus in hoc videntur differre, quod illud monachorum, iste verò Fratrum, *Graff.pr.l.3.c.2.n.16. arg.* Decreti Clem. VIII. de casib. reseruat.

361 Item Monasterium potest dici vnius, vel alterius religiosi habitatio. Cœnobium verò plurium. *Graff. prax. l.3.c.5.n.7.*

362 Conuersi professi non veniunt sub nomine, Monachi, sed tantum Religiosorum, & Regularium, cum sint verè religiosi sub tribus votis *cap. Ex eo §. 1. de elect. in 6. Nau.consil.10. de regul. num.5.* ipsi enim regulam seruant, Ita Butrius *in cap. Non est, de regul.n.3. Ioan. de Anan. ibid. nu.4. Abb. nu. 3. Gemin. in cap. Per exceptionem, de priuil. in 6. Zabar. in clem. 1. de decim. nu.4.*

Quæres 61. An Ecclesiæ monialium regularium, quæ modo subiectæ sunt Episcopis sublatæ à superioribus regularibus, intelligantur etiam subiectæ iuribus Parochialibus, sicut sunt oratoria, & reliquæ Ecclesiæ, seu capellæ constitutæ intra terminos Parochiæ. Videtur affirmatiuæ respondendum.

363 Primo, quia de iure communi omnes Ecclesiæ ædificatæ intra fines Parochiæ sunt subiectæ Parochiali, *cap. Omnes 16 q.7. vbi Glos. alia iura citat. cap. Monasteria 18.q.2.* in quibus licet sit sermo de Episcopis, locum tamen obtinent etiam respectu Parochorum, *ex capit. Constitutus, de relig. domibus cap. Dilect. de capell. mona.*

Secundo, in exemptionibus à Papa regularibus concessis non veniunt Ecclesiæ, sed tantum personæ, monasteria, & eorum claustra *ex cap. Ex ore 17. de priuileg.* vbi dicitur, quod ex exemptione monasterij non infertur exemptio Ecclesiæ; & dato etiam, quod Ecclesia aliàs fuisset exempta, nunc tamen non est, quia Ecclesia, & monasterium non dicuntur exempta ratione, sui sed personarum, cum ergo moniales non amplius exemptæ sint, neque eorum Ecclesia libera erit à iuribus episcopalibus, & parochialibus, destructo enim principali, destruuntur, & accessoria, ex vulgaris iuribus. Confirmatur, quia religiosus notoriè, & cum scandalo delinquens intra propriam Ecclesiam, si non punitur à suo superiore ab Episcopo requisito; puniri potest ab ipsomet Episcopo, tamquam quid eliquit in loco non exempto, sed subiecto. Decisum fuit, referente *Barbosa ad. capitulum fin. de statu mon. & 3. capit. 14. sess. 25. numer.6.*

364

365 Tertio, Moniales in tantum gaudent priuilegiis regularibus concessis, in quantum superioribus regularius subiiciuntur ordinis, quem professæ sunt, à quibus si liberentur, perdunt priuilegia, & exemptiones. *Ita Portel. in suis Responsis p.2. casu 14.n.2. & Confirmatur per Rodr. tom.3.q.71.art.1.9. Colligitur,* dum asserit, Tertiarios non gaudere priuilegiis, nisi subsint regularibus superioribus.

Quartò, Parochus iura prætendens parochialia in Ecclesia dicta monialium ordinis Carmelitarum sub nomine S. Mariæ Magdalenæ veteris, pluries functus fuit in ea iuribus suis, monialibus, neque confessore contradicentibus, ergo ex hoc capite, si nullum ius antea habebat, saltem de nouo acquisiuit, quælibet enim res facile reducitur ad suum antiquum, principium, & resumit antiquam naturam *cap. Ab exordio dist.35. l. Si vnus, §. Pactus ne pereat ff. de pactis,* vnde ad propositum *Papon.lib.1. consil.1. num.13.* dicit, quod facilis est reductio exempti ad subiectionem ordinarij, cui aliàs de iure communi subiectus erat, quælibet enim res vt dixi, facile reuertitur ad suum pristinum principium, & naturam; ex quo cum antiquitus Ecclesiæ omnes in parochiali existentes territorio essent subiectæ iuribus parochialibus, ex probatis supra primo loco, mirum non est, si hæc dicatur reducta per illos actus, quos iure parochiæ ibi exercuit parochus.

Quinto addamus rationem ex medio Logico: Nullum indiuiduum continere potest sub genere, quin etiam subiiciatur suæ speciei; modo hæc Ecclesia se habeat, vt ita dicam, tanquam indiuiduum sub genere Ecclesiæ episcopalis, ergo necesse est, quod etiam sit sub Ecclesia parochiali, tamquam indiuiduum sub sua specie. Quibus tamen non obstantibus.

366 Respond. Parochus S. Sepulchri nullum ius habet parochiale in Ecclesia prædicta licet existat, & sita sit intra confines Parochiæ, & licet sit in Parochia, non est tamen de parochia, neque sub parochia, sed censetur ac si esset sita extra parochiam. Probatur, quia intra Ecclesias regularium Parochus nullum munus parochiale exercere potest, non deferre stolam associando cadauera perficiendo exequias, quia in Ecclesia vnita monasterio, eo magis quæ est monasterij non habet parochus iuris assistentiam ex eo, quod sit intra limites suos, *Abb. in capit. Dilectus de capell. nu.3. & 11. & in cap. Ad audientiam el.1. de Eccles.ædif.n.8. & in cap. Cum venerabilis, de except.num.46. Calderin.consil.6. de relig.domib.n.1. decis 87. in vna Veron.iurium parochialium Vener.23.Mart.1629. relata à Tambur. de iure Abbat. tom.3.num.3. & tom.1. disp.15. quæst.17. fine. Barbosa v. Clericus in suo Bullario, cum aliis retulo resol. 51. de sepult.num.63. & 64. & sequent.* Quod autem illa

Ecclesia

Ecclesia sit exempta à iuribus parochialibus, non obstante Episcopali iurisdictione, cui subsunt moniales etiam cum Ecclesia, Monasterio, & reliquis, vt asserunt, probatur simpliciter, quia moniales gaudent priuilegiis virorum regularium licet modo subsint Episcopis, supra *ex num.69.* non obstante priuatione exemptionis, quia cum hæc priuatio sit odiosa non est extendenda, sed restringenda ad subiectionem iurium Episcopalium tantum, & non etiam parochialium, & cum ex diuersis non fiat illatio, non est arguendum à iurisdictione Episcopi ad iura parochialia. Confirmatur per responsionem primam, & secundam datam à S.C. super constit. incip. In se restabili, de exemptorum priuilegiis circa monialium monasteria, in earum enim prima quærentibus, an liceat Episcopis visitare altaria regularium, quibus iura animarum secularium non incumbit, &c. respondit non licere in vim dictæ constitutionis; in secunda vero quærentibus, an Episcopi possint regularibus præscribere, vt certis tantũ in locis, ac tẽporibus, ac certarum personarum confessiones audiant, &c. respondit, in hac parte nihil noui iuris constitutionem induxisse; ex quibus infertur multò minus Parochum aliquod ius in ea Ecclesia acquisiuisse ex eo, quod dictæ moniales subiectæ fuerunt iurisdictioni, & regimini Episcopi.

Primæ obiectioni respondetur, illos textus habere locum in Ecclesiis non exemptis, constat autem Ecclesias regularium esse exemptas, vt probaui *res.7.q.4.*

367 Secundæ patet ex probatis in ea resol. etiam Ecclesias regularium ratione sui esse exemptas, stat enim quod Ecclesia dicatur exempta in gratiam, & fauorem personarum, & talis etiam sit ratione sui, ita quod exemptio ablata ab vno, remanet in alio. Neq; tex. citatus probat intentum aduersarij, nam ibi exemptio præcise refertur ad monasterium, nõ ad Ecclesiam, seu capellas, quæ nũquam fuerunt exẽptæ, sicut in casu nostro exẽpta est Ecclesia prædicta cũ sit regularis. Ad confirmationẽ dico, ex eo quod delinquens in Ecclesia dicitur deliquisse extra monasterium, non bene infertur Ecclesiam esse subiectam Episcopo, & non exemptam à iurisdictione Episcopi, cum certum sit iure priuilegij Ecclesias regulares esse exẽptas à iurisdictione Episcopi, ex probatis, & citatis, sed ibi Ecclesia sumitur vt locus contradistinctus à monasterio, nam in eo *cap.14. sess.25.* habetur, quod regularis degens intra claustra, & extra ea notorie delinquens cum scandalo populi, Episcopo instante à suo superiore, intra tempus ab Episcopo præfigendum, seuere puniri debet, &c. nota particulam. *Extra ea nimirum claustra*, excludere Ecclesiam à claustris, consequenter delinquentem in Ecclesia supponi adhuc directo non ex vi subiectionis Ecclesiæ Episcopo, sed ex eo, quod Ecclesia non venit sub nomine claustri in eo loco. Vnde si Ecclesia ambiretur claustro comprehenderetur sub nomine claustri, vt putabo infra *resol.68.q.4.*

Tertiæ, probaui supra num. 69. Moniales à regularibus superioribus remotas, & sub iurisdictione Episcopi constitutas adhuc gaudere priuilegiis regularium.

Quartæ, ille parochus ad eam probatur accessisse tantum vt mercenarius seu vt persona priuata, & ex vrbanitate; quæ autem fiunt ex vrbanitate, ius neque obligationem inducunt, aut iuri publico præiudicant, neque in priuato, nec in petitorio, neque in possessorio. *l. Qui iure familiaritatis ff. de acquir. possess. ibi Bart. Bald. Paul. Alex. & alij, quos citat Bariola consil.29. §. Respondetur primo.*

368 Quintæ, non valet argumentum à natura ad artem, & si etiam hæc imitatur illam, *Instit. de adopt. §. Minorem, Nau. consil. 4. de cognat. spirituali, Menoch. lib. 4. de præsumpt. præsumpt. 2. num. 22.* nihilominus cum moralia omnino dependeant à voluntate, constitui possunt arbitrio hominis; quamquam alioqui quis dicere posset in præsenti casu omnes capellas, & Ecclesias non parochiales iure communi esse subiectas immediate parochialibus, & istas subesse matrici, seu cathedrali, iure vero priuilegij aliter rem se habere.

Sed quoniam postea audiui dictum Parochum prætendere iura parochialia in ea Ecclesia quamuumuis exempta, iure specialis priuilegij alias concessi parochis pro tempore existentibus, tenetur illud ostendere in forma probante, aliter impediri potest ab huiusmodi iuribus, & contra ipsum priuilegium non exhibentem ferenda est sententia. Neque defectu priuilegij forsan personalis, se tueri poterit prætextu consuetudinis, quæ à S. C. pluries reprobata fuit; 369 *teste Tambur. tom. 1. disp. 15. q.17. fine.*

Quæres 62. Reu. Fratres Tertij Ordinis S. Francisci in ciuit. Bononiensi, & in diœcesi conuentus habentes vendunt granum, canepam, & alia, quæ superfluunt, vt ex pecuniis possint subuenire sibi, An teneantur soluere gabellas, & datia, siue vendant in diœcesi Bonon. vel extra, & cogi possint id per Gabellarios?

370 Resp. Non tenentur soluere gabellas, neq; alia onera neque ad id cogi possunt exactione, aliter gabellarij exigentes sunt ipso iure excommunicati, non obstante consuetudine, etiam quod alias soluerint, siue vendant intra districtum, siue extra statum etiam Ecclesiasticum.

371 Primo, quod regulares Tertiarij exempti sunt à gabellis, est omnino certum tum iure communi *cap. Non minus 4. cap. Aduersus 7. de immun. item cap. 1. & 3. eod. in 6. cap. Quamquam, de censib. in 6.* quæ iura innouata fuerunt in Tridentino cap. 20. sess. 25. & singulis annis idem prohibetur in Bulla Cœnæ Domini excommunic. 18. In prædictis omnibus locis prohibetur exactio à personis Ecclesiasticis, inter quas sine dubio sunt religiosi Tertij ordinis S. Franc. supra q.47. per totam, ergo exempti sunt à gabellis, & huiusmodi. Tum iure priuilegiorum à diuersis summis Pontificibus illis concessorum à Nicolao V. Bulla incip. Apostolicæ sedis. A Sixto IV. Bulla incip. Sacrosancta. A Leone IV. Bulla incip. Dudum felicis. A Clem. VII. Bulla incip. Ad vberes. A Pio IV. Bulla incip. Ex Clementi. Et reliqui omnes confirmantes, innouantes, & de nouo concedentes priuilegia exemptionis vtriusque fori, omnium suorum bonorum tam stabilium, quam mobilium fructuum, prouentuum, & redituum. *Ita Rodr. tom. 2. quæst. 65. art. 5. cum suo Compend. resol.63. n.31. Portel. v. Tributum n.8.*

372 Secundum, quod gabellarij sint excommunicati habetur expresse *cap. Aduersus 7. de immun. & cap. Quamquam de censib. in 6.* vbi particulares exigentes sunt excommunicati, & communitates interdictæ, à quibus censuris absoluendi non sunt, nisi prius exacte satisfecerint, alia infligitur Bulla Cœnæ Domini, & ea reseruata simpliciter est.

373 Tertium, quod neque; Gabellarij status Ecclesiæ possint exigere sub prædictis pœnis probatur, quia prædicta iura indistincte sunt contra omnes officiales, & exactores, huiusmodi enim immunitas est de iure diuino, vt expresse dicitur cap. Quamquam de censibus. in 6. cap. 20. sess. 25. Marlinus in via Albanensi Gabellæ die 28. Iunij 1630. & hoc exprimitur in Bullis Pontificum, præsertim Pij IV. incip. Ex clementi, & Pij V. incip. Dum ad vberes, in quibus exprimitur, exemptionem concessam fuisse religiosis per vniuersum orbem existentibus, immunitas enim sicut non dependet à loco, ita neque indulgetur dependenter ab illo, & sic prouenit à iure diuino, quod vbique terrarum seruandum est, ita exemptio, & immunitas extenditur per omnia loca *Megal. 1. 2. lib. 2. cap. 17. num. 89.*

374 Quartum, quod consuetudo non obstet, constat ex eo quod immunitas prouenit à iure diuino, contra quod nullius momenti est consuetudo cap. fin. de consuetud. & ideo reprobatur *in præcitato cap. Quamquam de censibus.*

375 Quintum, quod prædicta procedant, in quouis loco vendant suos fructus vendant, probatur ex natu-

ra exemptionis, quæ à iute diuino proueniens, à iure papali confirmata, quæ per vniuersum orbem extenduntur, necesse quoque est, quod Ecclesiastici, & religiosi vbique terrarum illa gaudeant, & consequenter, quod possint sua bona vendere etiam extra loca, vbi morantur, neque enim quo ad illa subduntur potestati laici, quæ prohibet extractionem fructuum extra proprium statum, cui interdicto vt laicali Ecclesiastici minime subduntur.

Neque prædictis obstat licentia accepta à Magistratu, in qua exprimitur huiusmodi onus soluendi datia, & gabellas, quia id intelligendum est de secularibus, siquidem huiusmodi licentia extrahendi, & vendendi non imponit tale onus, sed tantum impositum admonet soluendum esse ab illis, à quibus de iure soluendum est, cum ergo de iure regulares non teneantur, neque ideo coguntur, neque obligantur ad solutionem.

Non obstat exceptio negotiationis *ex cap. Quamquam cit.* quia religiosi, sicuti alij vendentes grana sua, & alios fructus sibi superfluos, vt sibi in aliis necessitatibus subueniant non dicuntur negotiari, Abbas. Decius illum citans *in cap. Ecclesia S. Mariæ de constitut. num.* 273. *& in consil.* 473. quos, & alios citat Megal. 1. 2. *cit. n.* 63.

Quæres 62. An priuilegiatus possit vti suo priuilegio contra alium priuilegiatum super ea re, quæ controuertitur? Ratio dubitandi est, quia habetur axioma in contrarium: Priuilegiatus contra pariter priuilegiatum non vtitur priuilegio suo, *l. sed & milites ff. de excusat. tutor. alia iura, & Doctores citant Barbosa axiom.* 190. *Tambur. tomo primo, disputat. decimo septimo, quæstione* 4. declaratur quæstio hoc exemplo: Clemens IV. concessit priuilegium Minoribus, vt nulla alia religio possit recipere, aut construere conuentum infra spatium 300. canarum ab illorum monasteriis; per communicationem Augustiniani v. g. gaudent eodem priuilegio, vnde si Minores, quibus primo concessum fuit priuilegium, velint ædificare suum conuentum vicinum monasterio Augustinianorum, quæritur, an eodem priuilegio Augustiniani possint impedire, ne Minores ædificent intra illud spatium?

Respond. Priuilegiatus vtitur priuilegio contra alium priuilegiatum, *Primo* quando priuilegia sunt diuersa, & imparia, tunc enim maius priuilegium præfertur minori priuilegio, ita Caecialup. *in l. Omnes populi ff. de iust. & iure, num.* 121. *Crottus in l.* 1. *ff. solut. matrim. num.* 22. Oddus *quæst.* 18. *art.* 4. *Secundo,* quando vnus est dupliciter priuilegiatus, alter non, tunc iste cedit illi. Ita Cephalus *consil.* 148. *num.* 18. apud Tuschum *lit. P, concl.* 761. *num.* 12. *Tertio*, quando agitur de damno vitando, & lucro acquirendo, tunc præfertur ille, qui damnum passurus est, Bart. *in Authent. Quas actiones, C. de sacrosanct. Eccles. num.* 3. *Quarto*, priuilegiatus in specie præfertur priuilegiato in genere, Bartol. *in cit. auth. Anchar. in cap. Auditis de restit. in integr. Barbosa cit. num.* 4. *Quinto*, quando vni assistit ius commune, & non alteri, tunc ille huic præfertur, ita Lucas *de Penna C. de silent. lib.* 12. *l. quarta Vers. quid ergo si vnus*, Couar. *pract. quæst. cap.* 7. *§. Sexto, idem probatur.* Ex his patet, priuilegiatum vti posse suo priuilegio contra alium, quando non est æqualiter priuilegiatum cum illo, sed reperitur aliqua diuersitas inter vtrumque priuilegium.

Priuilegiatus vero tunc non vtitur suo priuilegio contra alterum priuilegiatum, quando vtrumque priuilegium æquale est, & æque fauorabile, atque præterea concurrit in actu, & exercitio. Ita docent quamplures allegati à Barbosa *dicto axiom.* 190. *num.* 1. Ratio huius deduci potest ex ratione Philosophica, apud Aristotelem *libro* 1. *de Generat. cap.* 7. *text.* 50. vbi dicit, quod simile non agit in omnino simile; Vide Rubium *libro* 1. *de Gener. cap.* 9. *de act. quæst.* 5. *Complut. disput.* 8. *de Generat. num.* 5. Poncium *disput.* 3. *de Gener. quæst.* 1. impugnantem rationes Complutensium. Habentes ergo simile omnino priuilegium non possunt pugnare ad inuicem per illud priuilegium. Quare in exemplo allato Augustiniani impedire non poterunt ædificationem Minorum intra illud spatium, contra id, quod docet Rodr. *tom.* 1. *quæst.* 9. *art. fin. vbi de hoc axiomate, §. Infertur secundo, Porcellus v. Priuileg. communic. num.* 24. Respondetur tamen Augustinianos posse vti priuilegio illo contra minores, quia quando agitur de damno euitando, & lucro captando axioma locum non habet ex supradictis in tertia limitatione, si autem conuentus Minorum construatur prope Augustinianos, isti patientur damnum in eleemosinis, &c.

RESOLVTIO LIII.

De Contractibus Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Contractu non obligatur ciuiliter.*
2 *Neque naturaliter contra voluntatem superioris:*
3 *Damnum inferens tenetur resarcire.*
4 *Monasterium non tenetur, nisi pro vtilitate accepta.*
5 *Conueniri non potest ex contractu.*
6 *Contractus sine licentia nulli sunt.*
7 *Conseruator non est iudex pro debitis ciuilibus religiosorum.*
8 *Contrahere non potest sine licentia sui superioris.*
9 *Mutuo accipere non potest, nisi in scholis.*
10 *Macedonianum priuilegium habet locum in vtroque foro.*
11 *Donare non potest.*
12 *Restituere tenetur mutuó acceptum.*
13 *Probatur teneri.*
14 *Velle, & nolle quomodo careat.*
15 *Mutuo quando non teneatur monasterium.*
16 *Bona non perfecte incorporata subiecta sunt debitis religiosi.*
17 *Bona autem ista sunt, quorum vsus religioso permittitur.*
18 *Promissis stare tenetur, cum non sit donatio.*
19 *Restitutionem superior impedire non potest.*
20 *Conseruator iudex in causis ciuilibus contra regulares.*
21 *Alienatio non omnis prohibita est.*
22 *Pecuniæ summa residuum pretij venditi non est quid immobile.*
23 *Nihil habens nil restituere tenetur.*
24 *Procurare tamen debet restitutionem cum licentia superioris.*
25 *Contrahere non possunt religiosi sine licentia.*
26 *Contractus eorum nulli sunt.*
27 *Naturaliter non obligantur.*
28 *Opinio contraria refertur.*
29 *Pupilli, & Minores vtiliter contrahunt.*
30 *Seruo non semper æquiparatur religiosus.*
31 *Velle, & nolle caret potissimum quoad contractus.*
32 *Reualidare potest superior contractus.*
33 *Conuentus accedente consensu.*
34 *Quod in eius est optione.*
35 *Damnatos tamen non potest confirmare.*
40 *Conuentus non tenetur ex contractu religiosi.*
41 *Nisi factus sit locuples aut*
42 *Approbaris contractum.*
43 *Contrahens bona fide ad illatum damnum non tenetur.*
44 *Vsque vero ad illatum mala fide.*
45 *Debita soluere tenetur, ipse &*
46 *Conuentus eius nomine, ex bonis illatis.*
47 *De bonis etiam post professionem aquisitis.*
48 *Mutuas accipit pecunias causa study, aut negotij.*

49 Superior

49 Superior m accipiens pro monasterio obligat illud.
50 Si expend ale, ex hoc non obligatur conuentus.
51 Nisi contrac itum habuerit à necessitate conuentus.
52 Prælatus cum capitulo in contrahendo est maior.
53 Tutoribus com antur respectu rerum, non subditorum.
54 Capitu duo p esso in diuerso ordine.
55 Conseruator in litium, non contractuum.
56 Religiosus non est contrahere, quia proprium non habet, non qu iner.
57 Alienationes ex iuntur cum licentia superioris maioris.
58 Qui est General xpresse in meo ordine,
59 Prouincialis iten
60 Qui potest punir ntrafacientes.
61 Licentia hac nec ia iure priuilegij, non iure communi.
62 Contractus quidam n requirunt consensum conuentus.
63 Repudiat solus hær tatem, vel legatum nondum udita.
64 Si interueniunt aliq pacta fiunt cum conuentus consensu.
65 Census ereantur conse conuentus.
66 Instrumenta solent se er fieri cum conuentu.
67 Locationes fieri solent solis officialibus etiam vltra triennium.
68 Maiores ad contrahendum non egent licentia sui maioris.
69 Licentia hec non est actus iurisdictionis, sed superioritatis, & approbationis.
70 Maiores superiores non habent immediate administrationem bonorum.
71 Vicegerentes habent ius contrahendi cum conuentu.
72 Subrogatus sapit naturam eius in cuius locum subrogatur.
73 Vicarij prælatorum absentium possunt contrahere.
74 Fideiubere non potest actiue, neque passiue.
75 Fideiubere quid sit?
76 Fideiubere non potest superior.
77 Nisi de consensu conuentus.
78 Fideiussio species alienationis.
79 Fideiussio nulla sine requisitis sub n. 77.
80 Principalis tamen tenetur.
81 Fideiussor pro religioso tenetur, quando se principaliter obligauit.
82 Voce carens excluditur à contractibus.
83 Professi omnes statim habent ius consentiendi.
84 Decreta Clementis VIII. non obstant.
85 Tertiarij statim ac sunt professi non vetantur consentire.
86 Renunciationes fiunt sine solemnitatibus iuris ciuiles.
87 Cogere potest nolentes ferre vocem in contractibus.
88 Conuentus cum suo prælato debet consentire in contractu de iure.
89 Puniendi contumaces modus traditur.
90 Excommunicatio vltimo adhibetur.
91 Census non est subiectus restauro.
92 Emphiteusis an transeat ad religionem?
93 Professione transeunt omnia bona.
94 Census admittit formam cameræ.
95 Forma cameræ ducalis non adijcitur clerico.
96 Renunciatio an requirat consensum eius, cui fit?
97 Negotiari non possunt per se.
98 Neque per tertium.
99 Ex necessitate possunt.
100 Successor stat contractui prædecessoris.

QVidam Regularis professus in religione Mendicanti debet libras bis mille cuidam seculari, mille sibi accommoditas, & mille promissas liberaliter propter seruitutem sibi exhibitam tempore contagij in ciuitate Parmensi, sed sine licentia sui superioris. Quæritur nunc si hujusmodi regularis tantam poterat donare pecuniæ quantitatem? Item, quia fecit suo creditori instrumentum, in quo ei promisit dictas libras bis mille cum obligatione soluendi quinque pro centenario, quousque debitum soluerit vniuersum, quod etiam fecit sine licentia sui superioris. Quæritur an possit cogi ad solutionem illorum quinque pro quolibet centenario? Et an Conseruator illius monasterij, cuius est filius, possit dicto creditori assignare tantam partem bonorum stabilium, quæ à dicto regulari ad suum monasterium prouenerunt, quanta est portio debiti ab eodem regulari contracti absque facultate S. C. Ad difficultatem propositam.

1 Respond. 1. Quod religiosus ex contractu inito absque licentia sui superioris non obligatur ciuiliter, nec talis contractus in foro exteriori vllam parit actionem. Tum quia religiosus perpetuo nec habet velle, nec nolle, quod necessario requiritur ad contrahendum. *l. Stichum. §. Naturalis. ff. de solut.* Tum quia id expresse est religiosis vetitum, *cap. Non dicatis 12. q. 1. & cap. 2. de testam. in 6.* Ita Hostiens. *in sum. lib. 3. tit. de fideiuss. n. 3. Panorm. in cap. Ex rescripto de iureiur. n. 1. Fel. lin. ibid. Molin. tom. 1. tract. 2. disp. 140. & alij multi.*

2 Et licet sit probabile, quod oriatur ex tali contractu absque superioris licentia inito obligatio naturalis, quæ in foro animæ ligat, hoc tamen est intelligendum, dummodo non fiat contra voluntatem vel tacitam, vel expressam superioris, *Rebell de cont. part. 2. lib. 1. q. 2. sect. 1. n. 5.* Quocumque vero modo hoc accipiatur, potest prælatus hos contractus absque sua licentia initos irritare, & omnem auferre obligationem etiam naturalem, *Abbas part. 1. cons. 102. Nau. comment. 2. de regul. n. 42. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 11. q. 5. Rebell. cit.*

3 In omnium tamen sententia, contrahendo religiosus si aliquod damnum proximo intulit, tenetur illud resarcire, curando sc. quantum ipsius status patitur obtinere aliquid à prælato, quo suæ dispositioni libere dimisso parti iniuste læsæ satisfaciat, *Molin. cit. Less. lib. 2. cap. 41. dub. 11 n. 90. Esllmc. tom. 2. tract. 33. cap. 3. n. 61. Cened. de pauper. dub. 32.*

4 Dicitur II. Monasterium non teneri ex contractu sui religiosi professi, nisi illi contrahere sit à superiore concessum, vel ex tali contractu aliquod emolumentum monasterio adueniat, nam tunc tenetur ad illud, in quo factum est locupletius. Tum quia monachus nihil habet quod suum sit, sed omnia sunt monasterij; ergo suo contractu iuri monasterij præiudicare non potest: est textus in cap. Quod quibusdam, de fideiuss. qui textus de omnibus contrahentibus intelligitur. Tum quia quando ex contractu talis religiosi aliquod emolumentum monasterium recipit illud restituere tenetur, vt colligitur ex l. 1. §. Si cum impubere ff. de pecul. & clare ex cap. Quod quibusdam cit. illis verbis. *Nisi forte in vtilitatem.* 5 Et sic monachus ratione contractus initi conueniri non potest, quia nec proprium habet, nec voluntatem *cap. Nola §. Nulli liceat, 12. q. 1.* 6 & dicti contractus sunt nulli. *D. Anton. part. 3. tit. 16. cap. 6. §. 7. Gabriel com. opin. tom. 1. tit. 11. n. 60. Sanch. cit. 6. cap. 12. n. 2.* sicut accidit in contractu pupilli celebrato absq; tutoris authoritate. *l. Iulianus §. Si quis à pupillo ff. de act. empt. Instit. de auth. tut. in fine*, quem lex non approbat, immo nullum decernit,

Ea quibus colligitur, religiosum, qui mutuo accepit mille libras absque licentia superioris, grauiter peccare, nec monasterium teneri ad soluendum mutuum, si nullum commodum accepit ex tali contractu. Similiter grauiter peccasse donando mille per seruitium tempore pestis, cum hoc fecerit absque licentia superioris; & monasterium ad nihil tenetur nec ciuiliter, nec naturaliter, si superior actum non approbauerit, quod caute debet facere propter pœnas inflictas contra alienantes, &c. Potest tamen esse, quod ignorantia, vel inaduertentia talis religiosi, & quod necessitas tempore pestis fuerit tanta, quod excusatione, & misericordia dignus sit. Quicquid autem in hoc casu fiet debet approbari à superiore, vel conuentu, alioquin non video, quomodo à peccatis, & pœnis possit iste esse immunis, & quomodo tales obligationes sine licentia superioris tactæ possint sustineri.

Dicitur

Dicit. III. cum patre Ioanne della Crus de statu relig. lib. 2. cap. 10. dub. 8. concl. 2. Religiosi non possunt conueniri pro debitis ciuilibus coram iudice Conseruatore, quidquid aliqui improbabiliter dicant, quod patet ea priuilegio concesso Cartusianis à Nicolao V. & relato à *Rodr. tom. 1. q. 65. n. 3.* vbi statuitur, quod isti religiosi, & consequenter alij per communicationem non possint ad prædicta compelli per suos iudices conseruatores. Debent ergo religiosi à creditoribus etiam secularibus conueniri coram suis prælatis cum sint iudices ordinarij illorum, Additque Crus, si obijcias quandam declarationem Cardin. die 19. Iunij 1573. vbi sic habetur regulares non possunt conueniri à suis creditoribus coram Episcopo, bene coram Conseruatore in casib. permissis in Concil. Trident. sess. 14. cap. 5. *vt refert Farin. super Concil. cit.* Ad hoc respondet, non obstare, quia in hoc Concilium expresse eximit à statutis in illo loco regularia, & eorum personas, & tantum vult in suo robore manere, quæ statuta sunt de religiosis, sess. 7. cap. 14. immo causas mercedum, & miserabilium personarum, quæ intelliguntur ex eodem Concilio de regularibus extra monasterium degentibus. Quare Conseruator in proposito casu contra regularem nullatenus procedere potest. Saluo &c.

Supra narratus casus confirmatus fuit à quindecim Theologis iuxta subiectas illorum subscriptiones.

Ego Frater Ioannes Paulus Nazarius à Cremona Sacræ Theologiæ Magister ordinis Prædic. suprascriptas Responsiones ab Authore Anonymo datas confirmo tamquam veras, & addo primo religiosum teneri ad impetrandum, si fieri potest, licentiam satisfaciendi suo Creditori ex pecunijs, & alijs bonis mobilibus, quæ cum licentia suorum superiorum tenet in communi deposito, vel apud se, dummodo non sint incorporata conuentui; secundo dico dictum religiosum non teneri ad soluendum quinque pro centum suo creditori, si creditor nullum habet interesse lucri cessantis, aut damni emergentis. Ita sentio, saluo, &c.

Ego F. Raphael Grilenzonius de Bononia S. T. M. conuenio in omnibus cum admodum R. P. Magistro F. Ioanne Paulo Nazario.

Ego F. Ioannes Baptista Spadius S. T. M. ordin. Præd. concordo cum responsionibus admodum Reu. P. Nazarij.

Idem assero ego F. Paulus de Saona Magister, & Regens Conuentus S. Dominici Bononiæ.

Ego F. Bonauentura Min. Conu. S. Franc. Bononiæ publicus S. T. Professor idem, quod suprascripti Patres testantur affirmo.

Quod à PP. suprascriptis solidis firmatur fundamentis, ego pariter F. Ioannes Baptista Fontana de Bononia S. T. D. ordin. Min. Conu. S. Franc. saluo semper, &c. confirmo.

Ego F. Felix à Bononia ord. Min. Conuent. D. T. confirmo, quod à suprascriptis doctorib. Theologis asseritur.

Ego F. Petrus Thomas Saracenus S. T. M. & Doctor Colleg. Bonon. ac sanctissimæ Inquisitionis qualificator, visis supradictis attestationibus assentio, atque manu propria subscribo apud Carmelitas.

Ego F. Michael Vernitius à Bononia S. T. M. in conuentu S. Martini Maioris Studij Regens supradictis visis doctissimis subscribo.

Ego Ioannes Baptista Riccilius Soc. Iesu Sacræ Theologiæ Lector in Collegio Bonon. S. Luciæ responsioni prædictæ tamquam quo ad aliqua certæ, quo ad aliqua probabiliori mea manu subscribo, saluo semper, &c.

Ego Magister Gabriel Foselius Anconitanus Ordin. Erem. S. Aug. in conuentu S. Iacobi de Bononia supradicto casui eamdem cum Petro Ricciolio subscriptionem affigo, saluo, &c.

Ego M. F. Ioannes Antonius Bonon. Ordinis Eremit. in conuentu S. Augustini de Perusia Regens supradicto casui eamdem subscriptionem affigo, saluo, &c.

Ego F. Henricus Burgus S. T. in conuentu Seruorum Bonon. Regens suprascriptorum grauissimorum Patrum sententiæ subscribo, saluo, &c.

Ego F. Ioannes Baptista Merat S. T. P. conuenio cum patre Ricciolio, saluo, &c.

Casus suprascriptus continet quatuor dubia. I. An potuerit ille religiosus mutuo accipere mille; II. An conficere instrumentum cum pacto, quo se obligauit soluere interesse, hoc est, quinque pro quolibet centenario? III. An donare mille creditori tuitionem sibi exhibitam tempore pestis? IV. An Iudex Conseruator potuerit se intromittere in hoc, quod creditori assignauit tot bona ad monasterium pertinentia ex bonis dicti religiosi, quot sunt credita, aliendo quamdam proprietatem sine licentia S. C. Et in his prioribus dubijs nunquam adfuit superioris consensus, vt supponitur.

9

Certum est, & nequaquam in dubium reuocatur, religiosum professum non posse contrahere, donare, mutuo accipere, aut instrumento se obligare, sine licentia sui superioris, vt constat iure communi cit. *cap. Non dicatis 11. 12. q. 1. ibi Gloss. v. Possidere*, ratio est, quia religiosus per votum paupertatis abdicat à se proprietatem. *cap. Cum ad monasterium, de statu monach.* & cedit bonis suis, qui autem cedit bonis suis, contrahere, neque agere potest, neque conueniri. *l. Is qui 4. ff. de cess. bonor. l. Item si vnus 19. ff. de recept. arbitr. Megal. 22. lib. 1. cap. 5. n. 144.* & in terminis Regula huius religionis cap. 10. hæc habet. *Neque possit quispiam agere, negotiari, emere, vendere, vel commodare quicquam Ministri venia non impetrata.* Et in specie, quod ad primum dubium, religiosus mutuo accipere non potest, nisi sit in scholis de licentia sui superioris extra suum monasterium, & ad sui sustentationem. *Glos. V. Possidere cit. cap. Non dicatis*; præfatus autem religiosus non erat in Scholis, nisi forsan huius sæculi. Consequenter non potuit se obligare, & ideo neque ad aliquid teneri, neque creditor contra illum agere potest, quia gaudet priuilegio Macedoniani, quod filijs familias indulget, ne possit contra eos creditor agere. *l. 1. & seq. ff. & C. ad Maced.* & hoc non in vtroque foro habere locum in filio familias docent multi *cum Sanchez. lib. 7. cap. 31. n. 22.* apud quem probabilis est opinio idem procedere etiam respectu religiosi, ergo cum creditor contra eum actionem non habeat, neque iudex Conseruator potest illum cogere ad solutionem.

10

Vnde quod ad secundum, neque potuit se instrumento obligare ad solutionem fructuum, cum non teneatur ad sortem principalem; & quia sine consensu, quo caret religiosus, qui non habet velle, neque nolle, ex vulgatis iuribus, nulla consistit obligatio. *l. 1. ff. de pactis. l. consensu ff. de act. obligat. l. Stichum §. Naturalis ff. de solut.* & quia instrumentum dicitur contractus; *l. Si ita 65. §. Cum pecuniam mutuam ff. de donation.* quia sine consensu duorum ad minus fieri non potest, *M. Anton. lib. 1. resol. 44. n. 15.* ex probatis autem religiosus non potest contrahere, ergo neque instrumentare, immo illud instrumentum videtur fæneratitium, cum fundetur in mutuo, ex quo nulli fructus prouenire possunt, iuxta illud. *Mutuum date, nihil inde sperate.*

Quod ad tertium de donatione, certum est largitionem munerum esse sub grauissimis pœnis interdictam religionis in Const. Clem. VIII. de quo non est dubitandum, nequaquam potuisse dictum religiosum donare tam magnam pecuniæ summam.

11

Hæc ergo cum certa sint iuxta etiam dicenda, tota difficultas in eo posita est, an dictus religiosus teneatur ad restitutionem pecuniæ mutuo acceptæ, & stare promissis de donatione, & casu quo teneatur in foro conscientiæ, si nolit, quomodo cogendus sit ad vtrumque supradictus Author anonymus videtur respondere neque in foro animæ teneri, ex eo quod asserit, hunc religiosum non contraxisse obligationem ciuilem, neque naturalem, quia religiosus ille vtrumque egit contra

voluntatem

voluntatem sui superioris, qui neque tacite præsumitur in tam grandi summa pecuniæ consentire, ex quo neque conuentus tenetur, cum nihil emolumenti ad ipsum peruenerit. His tamen non obstantibus.

12 Ego dico, dictum religiosum teneri ad restitutionem pecuniæ mutuo acceptæ, & stare promissioni, si ea licentia suorum superiorum habet vsum proprium eorum bonorum, quæ intulit in monasterium, & hoc cum licentia sui superioris, qui non potest illi impedire hanc restitutionem, & promissionis executionem; quod si nolit ipse, neque superior consentire, & satisfacere, creditor ex contracta naturali obligatione auxilio iudicis Conseruatoris potest agere contra conuentum, quatenus habet ex bonis dicti religiosi; & Conseruator assignando in solutum aliquam proprietatem ex bonis dicti religiosi nullum dicitur facere actum alienationis, prohibitæ. Quod si conuentus nihil illius habet, ad nihil tenetur, religiosus tamen, si est prædicator, confessarius, vel aliquid acquireret tenetur ex acquisitis cum licentia superioris quantum fieri potest, resarcire damnum illatum proximo.

13 Prima pars, quod teneatur ad restitutionem mutui probatur. Tum quia religiosus non minus obligatur ad obseruationem iustitiæ, quam quilibet alius secularis, est enim iustitia virtus communis præcipiens vnicuique tribuendum esse, quod suum est, & summum bonum est colere iustitiam *cap. Si seculi 9.12. q. 2.* quod maxime ad religiosos, qui ad perfectionem tendere debent, spectat. Tum quia per professionem religiosus non eximitur ab obligatione legis naturæ, qualis est hæc de restitutione omnes æqualiter obligante, siue religiosus, siue sæculares, siue fideles, siue infideles.

14 Tum quia religiosus & si careat velle & nolle, hoc tamen absolute non est verum, sed intelligitur respectu actuum ciuilium, & aliorum aduersantium obedientiæ actuum naturalium, & aliorum, qui religioni non & regulæ quam professus est, non autem respectu præiudicant, vnde naturaliter potest se obligare, vt *Megal. 2. 2. de contract. lib. 2. cap. 5. n. 150.* seu verius manet obligatus ex illato damno contra *Panor. Felinum, Abbatem in cap. Ex rescripto, de iureiur. & supracitatum Anonymum.* Tum quia religiosus in tantum caret velle, & nolle, in quantum dependet à voluntate superioris, ita quod caret iniis, quæ superiori aduersantur secundum regulam, *Sigism. dub. 41. de elect. n. 13.* regulatur ergo voluntas subditi à voluntate superioris, cuius voluntas talis esse præsumitur, qualis de iure debet esse, *Bald. in l. Ex facto ff. de vulgar. & pupill Dec. cons. 33. n. 5.* & præsumitur velle, quod iura volunt. §. omnes in Auth. de iudic. sed iura omnia volunt, vt accipiens mutuum illud restituat, cum illud nolle restituere habeat rationem furti, ille enim furtum committit, qui alienum retinet contra voluntatem domini. *l. Pœnale 11.14. q. 5. l. 1. ff. de furtis,* ergo superior tacite saltem ab initio contractus voluit vt mutuans seruaretur indemnis, neque enim præsumitur superior velle damnum alterius. Consequenter aliquo modo superior dicitur concurrere ad illum contractum, in quantum enim præsumitur nolle damnum proximi; censetur approbare valorem illius mutui, ne irrationabiliter lædatur creditor. Tum quia sequerentur multa absurda, si religiosus non teneretur ad restitutionem, & quod furtum eius non esset obnoxium restitutioni; & quod in eo iustitia locum non haberet; & quod liberius posset male agere, dicendo possum accipere mutuo, quia peccatum pœnitentia delebo, ita quod regula. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, locum non haberet; in casu autem nostro, mutuum quod non restituitur dicitur ablatum domino. In terminis autem nostris, quod religiosus teneatur ad restitutionem, neque possit vti priuilegio Macedoniani docet *Sanch. lib. 7. cap. 31. n. 22. ad finem, cum Fabro §. Quæ diximus, in fine, consist. Quod cum eo, Cabellos opin. commun. q. 446. n. 19. Megal. cit. n. 149. & 150.* ex eo quod naturaliter obligatur, & magis ad rem idem *Sanch. n. 37. & 38.* de ea naturali obligatione, & restitutione damnorum, citando *Molinam tom. 1. disp. 140. §. Potius distinguerem, Less. lib. 2. cap. 41. dub. 11. n. 90. Nau. cons. 6. de furtis,* dicit religiosum erubescentem mendicare, & ideo furantem teneri ad restitutionem, ergo idem dicendum de religioso isto, si non restituat mutuum.

Ex his patet, obiecta in suprascripto casu habere locum in foro externo, vel tantum probare illicitum contractum, non tamen inualidum iure naturæ, ex 15 quo oritur obligatio restitutionis; & quod dicunt doctores in cit. cap. Quod quibusdam, monasterium non teneri ex mutuo contracto à religioso, nisi in eius vtilitatem versum sit, habere locum in illis religionibus, 16 in quibus religiosus nihil secum intulit, vel acquisiuit, huiusmodi enim bona acquisita à monasterio intuitu personæ subiecta sunt, & obligata pro debitis ipsius religiosi, apud quem solet manere de permissione superiorum vsus, & proprietas apud conuentum; & illud probatur, quia bona acquisita intuitu personæ religiosi 17 absolute, & simpliciter non incorporantur religioni, sed reuocabilia sunt, si transeat ad secundum monasterium, quia sunt accessoria personæ, quam sequuntur, vt docent quamplures doctores, quos contra se citat *Sanch. lib. 7. cap. 32. n. 4.* ergo ex hoc capite magis sunt obligata pro persona, quam pro conuentu, cuius non sunt irreuocabiliter. Neque à prædictis dissentiunt præcitati, & subscripti in casu cum patre Nauario, dum ait illum religiosum teneri ad restitutionem, cum licentia sui superioris, ex pecuniis, & aliis bonis, quæ in communi deposito, vel apud se habet, dummodo non sint incorporata conuentui, qualia sunt, quæ simpliciter, & immediate possidet conuentus tam quo ad proprietatem, 18 quam ad communem vsum.

Secunda pars, quod teneatur stare promissioni, probatur ex eo, quod illa proprie non est donatio, neque remuneratio, sed simpliciter & proprie est promissio salarij, & mercedis seruitutis tempore contagij, quæ eo tempore via æstimari potest, cum seruitus præstetur cum probabilissimo periculo propriæ vitæ, & mirum non est, si tantum promisit ob seruitutem vnius mensis, vt mihi dixit ille religiosus satis ex sua natura etiam liberalis. Cum ergo secundum omnia iura dignus sit mercede sua operarius potuit saltem iuste, si non licite, se naturaliter obligare ad solutionem mercedis ob seruitium acceptum, maxime tunc cum vnusquisque abhorret etiam proprium consanguineum. Et in hoc grauissimæ necessitatis casu præsumitur tacitus consensus, & approbatio superioris, si non in totum promissum, saltem in medietatem. Et sic patet ad obiecta hac parte, illam promissionem non fuisse contra Bullam de largitione munerum, cum hic nulla interueniat donatio, sed so- 19 lius mercedis debitæ promissio.

Tertia pars, quod superior non possit illi impedire hanc restitutionem, immo ad eam concurrere suo consensu, suadetur. Tum quia non potest impedire ea, quæ secundum ius naturæ debentur, cuiusmodi est restitutio alieni, & solutio mercedis. Tum quia id non aduersatur statui religioso. Tum quia superior habet ius præcipiendi solum in iis, quæ sunt expressa in regula, & constitutionibus, vel quæ sunt secundum regulam, *vt docent Suar. tom. 4. de relig. lib. 2. cap. 8. n. 12. Caiet. 2. 2. q. 62. art. 3. Castell. in praind. de elect. §. 9.* sed restitutio alieni, & solutio mercedis potius sunt secundum regulam, quam præter aut contra, ergo potius habet præcipere subdito, vt restituat, quam illum impedire à 20 restitutione contra omnia iura.

Tertia pars, quod sc. si nolit restituere, creditor potest implorare auxilium iudicis Conseruatoris, qui habet facultatem ius dicendi in similibus causis, probatur per constit. *Sanctissimus Greg. XV. Ad hæc statuit sanctitas sua, vt coram ipsis Conseruatoribus regulares, ac personæ suprascriptæ conueniri quidem, aut trahi debeant,*

sed

sed alios conuenire, aut trahere non possint. Et ante ipsum Pius V. constit. Ad hoc nos, apud Confect. pag. 210. & in vtroq; loco cum clausula derogatoria quarumcumq; constitutionum, & priuilegiorum. Et sic locum non amplius habent allata ex Cruz, neq; suo tempore habebant, & miror non vidisse citatam Bullam Pij V. directe concessam suo ordini, ad quod si Scriptor casus respexisset illum pro se non adduxisset.

21 Quarta pars, quod assignatio facta creditori de proprietate quadam, quæ fuit lib. 1500. non sit alienatio à iure prohibita, probatur, quia in iure non prohibetur quæuis alienatio, sed dumtaxat ea, quæ est voluntaria, non autem ex necessitate facta. *l. Peto §. Prædium ff. de legat. 2. l. Et ideo ff. de cond. furt. l. Cum postulassē §. fin. ff. de damn. infect. l. Alienationis ff. famil. ercisc.* prædicta autem assignatio non fuit voluntaria, sed necessaria ad soluenda debita, vnde alienans necessario causa æris alieni non dicitur alienare, sed creditori satisfacere, *Tiraq. de leg. connub. glos.* 8. *n.* 194. *Menoch. de arbitr. casu* 171. *n.* 67. *centur.* 2. *Craueta cons.* 5. *n.* 1. *Mar. Anton. lib.* 1. *resol.* 14. *n.* 9. vnde & res ecclesiæ subhastantur pro debitis cap. Hoc ius 30. 10. q. 2. Præterea regularibus prohibita est alienatio eorum bonorum, quæ irreuocabiliter sunt incorporata religioni, non autem quæ habet intuitu religiosi non perfecte, & irreuocabiliter incorporata, cuiusmodi sunt dicta bona alienata, quorum vsum ex permissione superiorum

22 dictus religiosus habebat. Neque illa summa pecuniæ computatur inter immobilia, quia non est subiecta censui, neq; destinata ad emendam aliquam proprietatem; neq; obstat quod sit fructuosa quinque pro centenario, quia hoc non habet ex se, sed respectu prædij ex parte reseruati ipsi venditori, donec totum ipsum tradatur.

23 Quinta demum pars, quod religiosus ad nihil teneatur, si nihil intulit religioni, constat ex eo, quod impossibilium nulla est obligatio, & qui nihil habet nihil dare potest; & monasterium pro eo satisfacere non debet, cum ad illud nihil illius religiosi peruenerit, ex

24 quo possit fieri restitutio. Debet tamen religiosus procurare, & quantum ipsius status patitur obtinere facultatem à suo superiore, vt quod suæ dispositioni libere dimittitur parti læsæ, quantum fieri potest, satisfaciat. *Molin. tom.* 1. *tract.* 2. *disp.* 140. *Less. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 11. *n.* 90. *Filliuc. tom.* 2. *tract.* 33. *cap.* 3. *n.* 60. *Cened. de pauper. dub.* 32.

Quæres autem. 1. An religiosi possint celebrare aliquos contractus propria autoritate?

25 Resp. Non possunt, quod probatur autoritate *cap. Peruenit* 26. *dist.* 86. *cap. Non dicatis* 12. *q.* 1. *cap.* 1. *& 6. Ne cler. vel mon.* in quibus locis clericis, & monachis prohibentur negotiationes, quia nemo militans Deo, debet se implicare negotijs secularibus. Ratione desumpta à definitione contractus, qui est vltro, citroq; obligatio l. Labeo 19. ff. de verb. & rer. signif. idest, talis actus est, ex quo per consensum vtriusq; contrahentium nascitur ex vtraque parte obligatio; sed religiosi carentes consensu, qui procedit à velle, sicut dissensus à nolle, quibus carent; ex *cap. Si religiosus* 27. *de elect. in* 6. *cap. fin. de testam. & sepulturis eodem*, suam voluntatem, maxime in ijs, quæ concernunt negotia secularia, per votum obedientiæ abdicarunt transferentes in potestatem superioris. Deinde, qui negotiari volunt non debent carere proprijs, tanquam materia, circa quam negotiatio versatur contractuum, nihil enim nisi à proprio domino, aut administrationem habente contrahendum est, aut alienandum, ex volgatis iuribus. Præterea religiosus comparatur seruo ex cap. *Multos dist.* 54. *vnde Bald. in l. Seruus C. com. de success. & Bartol. in l. Cum fundus*, dicunt omnia iura loquentia de seruis, habere locum in religiosis, in ijs, quæ ipsis aptari possunt; sed seruus non potest contrahere §. *Item* inutilis *Instit. de Inutil. stipul. l. Serui ff. de act. & obligat.* neque se obligare actiue, neque passiue, ita quod nec ipsi, nec contra ipsum actio concedatur; *l. In persona, l. quod attinet ff. de reg. iur.* Demum religiosus mortuus est mundo, præsertim quo ad negotia secularia, cap. Placuit 8. *cap. Sunt nonnulli* 25. 16. *q.* 1. ergo negotiari non possunt. Ita docent omnes.

Quæres 2. An attentati contractus à religioso sine licentia, sed propria autoritate validi sint; Et inde oriatur obligatio saltem naturalis? Respond. Inualidi sunt,

26 quod probatur; Tum quia contractus non fit sine consensu. *l. 1. de pactis. l. Consensu ff. de act. & obligat.* sed religiosus caret consensu, cum non habeat velle, neque nolle ex vulgatis iuribus. Tum quia quod ad hæc simpliciter caret velle, maxime cum à se abdicarit proprietatem, dominium, & administrationem bonorum, quibus cessit per votum paupertatis, respectu quorum proprie dicitur non habere velle, sed ad illa esse incapax, ita quod dicitur voluntate carere non solum quatenus potest à superiore reuocari, sed etiam simpliciter ob proprij abdicationem, ex *cap. Non dicatis* 11. 12. *q.* 1. *& cap. fin. de testam. in* 6. ita quod mortuus mundo dicitur quo ad negotia secularia *cap. Placuit* 8. 16. *q.* 1. *l. Deo nobis C. de sacros. eccl. Authent. Ingressi C. de sacros. eccles.* in quibus locis prohibetur religiosis inire contractus, ac quascumque negotiationes. Sed contractus attentati contra legem prohibentem nulli sunt, ex l. Non dubium C. de leg. ibi: *Nullum pactum, nullam conuentionem, nullum contractum inter eos volumus subsequutum, qui contrahunt, lege contrahere prohibente.*

27 Neque proinde oritur ex illis aliqua obligatio siue ciuilis, siue naturalis, quod de ciuili omnes concedunt, de naturali probatur, Tum quia est effectus ipsius contractus, cum sit vltro citroque obligatorius, vtrinq; enim obligatio oritur, ergo causa non existente, nullus potest esse effectus. Tum quia obligatio nulla nascitur ex actu, cui lex resistit. l. Quod pupillus ff. de cond. indeb. Tum quia idem duobus in solidum se obligare non potest respectu eiusdem, cum idem non possit esse sub dominio duorum in solidum. l. Sicut certo §. Si duobus vehiculum ff. commod. sed religiosus per professionem est obligatus religioni secundum personam suam, & bona quæ intulit, vel acquirit eidem, est enim professio contractus onerosus, in quo vterque vtriusque obligatur, *Nau. cons.* 26. *de Regul. Azor. lib.* 12. *cap.* 4. *q.* 5. Ita docēt *Abbas in cap. Ex rescripto de iureiur. ibi Alex. de Neuo n.* 6. *Felin. n.* 1. *Zasius in l. Naturaliter* 13. *ff. de cond. indeb. n.* 2. *Cagnolus in l. In personam ff. de reg. iur. Cuccus lib.* 3. *in instit. Maior. tit.* 3. *n.* 37. *Molin.* 1. *de iust. disp.* 140. *quos cum alijs* refert contra se *Sanch. lib.* 7. *cap.* 31. *n.* 36. *Megal.* 22. *cap.* 5. *n.* 149. ait procedere quando bona fide contraxit, putans se id posse facere sine licentia superioris, quia ignorans, & errans non consentit l. Si quis per errorem ff. de iur. om. iud. consequenter ad nullam restitutionem teneri religiosum contrahenti licet inde damnum patienti, quia huiusmodi damnum nec directe, nec indirecte intentum fuit à religioso, cum sit tantum materialis læsio, & inculpabilis ex bona fide contrahentis; quod si mala fide contraxit, asserit teneri, ac ille, qui furtum commisit, ad quod quisque lege naturæ tenetur, & pro se citat Molinam.

28 Opinionem oppositam asserentem huiusmodi contractus non esse irritos, qui sunt fauore religionis, & in eius vtilitatem esse validos, ita quod monasterium, potest illos approbare, & ratos habere, aut etiam improbare. Eos vero, qui sunt in præiudicium religionis, esse inualidos. *Docent cum Sanch. lib.* 7. *cap.* 31. *n.* 28. *Innoc. in cap. Olim.* 2. *de priuil. ibidem, Ioan. Andr. n.* 7. *Hostiens. n.* 13. *Anton. n.* 14. *Silu. v. Religio.* 8. *q.* 4. *Rosella, v. Monachus n.* 8. *Tabien. q.* 11. *Nauar. tom.* 2. *com.* 2. *n.* 32. *&* 65. *de regul. Molin. tom.* 1. *disp.* 140. *& tom.* 2. *disp.* 264. Consequenter inferentes obligari religiosum naturaliter, licet ex hoc non remaneat obligatum monasterium, nisi legitime ratificetur contractus à conuentu cum superiore, vt alijs citatis tradit

Sanch.

Sanch. cit. n. 37. cum Nau. cit. n. 42. ad finem. Silu. q. 3. Rosella n. 7. Armilla n. 12 Tabien. q. 10. Lessio lib. 2. cap. 2. n. 6 probantibus I. Quia id generale est in omnibus contractibus celebratis ab ecclesia absque licentia, & solemnitate, vt fauore ecclesiæ non claudicent, vtrinque vero respectu aliorum contrahentium, ita quod non possint resilire, sicut potest ecclesia si velit, à simili de pupillo, & minori contrahentibus sine tutore, & curatore, *l. Iulianus §. Si quis à pupillo ff. de act. empt. Instit. de autor. tut. §. Autoritas*, vnde ecclesia comparatur pupillo, & minori *cap. 1. & 3. de in integrum restit. cap. Significauit 48. de appel. l. fin. C. de restit. in integr.* II. quia religiosus in votis, & iuramentis sine licentia factis se obligat Deo, ergo & in contractibus homini factis. III. quia religiosus æquiparatur seruo, ex ijs, quæ attuli q. 1. sed seruus naturaliter obligatur contrahendo sine licentia sui domini, l. Naturaliter ff. de condit. indeb. IIII. Religiosus non omnino caret velle, cum in multis illud habeat, *vnde Nau. tom. 2. com. 2. de Regul. n. 42. Sigism. dub. 41. de elect. Megal. 2. a. lib. 2. cap. 5. a. 15.* asserunt eam regulam procedere quo ad actus externos, non quo ad internos, & naturales, quia interne religiosus potest velle etiam contra voluntatem superioris. Quibus tamen non obstantibus firma maneat prior opinio contractus à religioso initos sine licentia sui superioris esse inualidos, neque proinde ex illis oriri obligationem naturalem in religioso contrahente. Itaque respondetur.

29 Ad primum, non habere locum in casu nostro, in quo agitur de religioso priuato, non autem de prælato, aut conuentu contrahente: nec valet paritas religiosi, & pupilli, seu minoris, quia illi habent velle, quo viiles sibi ipsis contractus inire possunt etiam sine tutoris, aut curatoris authoritate, ex citatis legibus, quo carent religiosi, qui propter hoc redduntur incapaces ad contrahendum vtiliter, seu valide. Ad secundum assigno differentiam, quia religioso non negatur vouere, cum id sit illi quid licitum, modo intendat subdere illud voluntati, & imperio sui superioris, eidem vero negotiatio negatur tanquam illicita; præter quam quod dici potest, votum factum sine licentia sui superioris esse nullum, & irritum, vt *docent Ricard. in 4. dist. 38. art. 1. q. 11. concl. 7. Maior q. 4. Host. in sum. tit. de Voto §. Qui vouere possit, n. 7. Angel. v. Votum 2. n. 3.* cum alijs apud illos. Ad tertium, disparem esse rationem inter seruum, & religiosum, qui renuntiauit propriæ voluntati maxime in rebus secularibus, non sic seruus, qui propriæ voluntatis dominus est; neque religiosus in omnibus æquiparandus est seruo, cum in multis ab inuicem discrepent *Nau. tom. 2. com. 2. de regul. n. 62.* Ad quartum dico, illud axioma, quod religiosi non habeant velle, proximum habet locum respectu negotiorum, & contractuum, ex *cap. Non dicatis, cap. fin. de testam. in 6. & alibi*; neque naturalis obligatio ex contractu dicitur actus internus, sed externus, fundatus in externa.

Quæres 3. An, & quomodo contractus inualide celebrati propria authoritate à religiosis reualidari possint a superiore.

30 Respond. Superior contractum à suo subdito celebratum sine licentia ratificare potest, & reualidare, si vult, cum sui conuentus consensu, quando non fuit damnosum monasterio; alter tamen contrahens, si non acceptet, & ratam habeat huiusmodi reualidationem, potest resilire a contractu.

31 Prima pars de ratificatione superioris probatur, Tum quia ille potest ratificare gestum ab alio, qui eidem potest committere tale gestum, *Glos. fin. cap. 3. de iis, quæ fiunt à prælat. Tum* quia nullitas contractus defectu consensus tolli potest per subsequentem consensum præstandum a superiore, qui sicut suis subditis potest dare licentiam contrahendi, ita & ipse præstare consensum. Procedunt de superiore locali regulariter, nisi in aliquo speciali casu requiratur etiam authoritas superioris maioris, vt in contractibus alienatio-

nis, vt dixi tom. 5. consil. 26. Et in hoc non est difficultas, sic *docent Lessius lib. 2. cap. 17. dub. 8. fine, & cap. 45. n. 90. Nau. tom. 2. com. 2. de regul. n. 65 fine, cum Panor. in cap. quanto, de off. ordin. & alij communiter.*

32 Secunda pars de consensu conuentus suadetur, quia ratificatio contractus inualide à priuato religioso celebrati inducitur ad eum effectum, vt ex contractu valido in vtroque contrahente oriatur obligatio; quæ tamen oriri non potest in priuato religioso, neque prælato vt sic, cum censeantur priuatæ personæ, & superior tamquam caput debeat concurrere, & consequenter simul cum suis membris, non enim datur caput sine membris, sed redundare debet simul in prælatum & conuentum intuitu personæ primo contrahentis, ergo ergo vtriusque ratificatio necessaria est. Ita docent *Glos. v. Earundem rerum l. Si quis 7. C. Vnde vi Nau. tom. 2. com. 2. de regul. n. 62. Silu. v. Religio 8. q. 3. Armil. v. Monachus n. 14. Less. lib. 2. cap. 41. n. 91. Angel. v. Monasterium n. 1. Sanch. lib. 7. cap. 31. n. 11. & 12.* dum dicunt alicui priuato religioso posse tradi administrationem, quod non fit sine consensu monasterij per publicum instrumentum.

33 Dixi, *si vult*, nam in optione est superioris, & conuentus illum ratificare, siue sit vtilis, siue damnosus parti. Si vero fuit celebratus ab habente legitimam administrationem, cum sit validus, alia non indiget approbatione, sed illi standum est à superiore, & conuentu, cum illis displicere non debeat, quod semel placuit.

34 Adieci, *quando non fuit damnosus monasterio*, neque enim conueniens est, vt prælatus ratificet præiudicialia conuentui suo, illi enim prodesse debet, non obesse siquidem prælatus ex officio, consequenter ex iustitia tenetur bene administrare bona monasterij, *ex cap. cap. Quicumque 12. q. 4.* Quando autem administratio à prælato, & conuentu concessa fuit alicui particulari religioso in eo casu, approbatur factum, licet aliquatenus præiudiciale, quia superior cum conuentu potest nocere suæ ecclesiæ l. *Iubemus nullam* 14. *C. de sacros. eccles. vnde* quod dicitur *cap. Si Episcopus 3. 16. q. 6.* delictum personæ non esse conuertendum in damnum ecclesiæ, quæ est regula 76. in 6. habet locum, quando persona propria authoritate contractum init præiudicialem ecclesiæ. *Sic docent prælibati cum Sanch. lib. 7. cap. 31. n. 12. & 14.*

35

36 Tertia pars de altero contrahente, qui non tenetur stare contractui alias nullo, posita etiam ratificatione, nisi illam acceptet, constat ex eo, quod illa ratificatio non se extendit vltra suas vires, & cum tantum contineatur intra limites prælati, & conuentus non potest afficere, neque obligare alterum contrahentem, ex quo non tenebatur initio cōtractus attentati, nascitur enim obligatio ex consensu duorum. *l. 1. ff de pact. l. consensu ff de act. & obligat. Megal. 5. a. lib. 1. cap. 3. o. a.* sed in ea ratificatione, & approbatione non interuenit consensus alterius contrahentis, ergo is nequaquam obligatur, neque enim res inter alios acta tertio nocere debet, ex vulgatis iuribus, *Less. lib. 2. cap. 41. n. 90. §. Contraria.*

Quæres 4. An superior possit dare licentiam suo subdito ineundi aliquos contractus?

37 Resp. Potest, modo non sint contractus alienationis prohibiti iure communi, vt patet expresse c. Non dicatis 11. 12. q. 1. ibi: *Certum est, eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine superioris licentia debere.* Quæ & si sint verba D. Augustini, qui non fuit legislator, nihilominus vim habent legis, ex præcedente ratione ex eo quod Fratres non solum facultatibus, sed etiam voluntatibus propriis renuntiarunt in ipsa ordinis susceptione. i. in professione solemni religionis, quæ ordo vocatur, cū in ea ordinate viuatur. Et in meo ordine c. 10. Regulæ fit mentio huiusmodi licentiæ illis verbis: *Neque possit quispiā agere, negotiari, emere, vendere, vel cōmodare quicquam Ministri v... non impetrata.* Nōmine emptio-

nis,

nis, vel venditionis venit ea, quæ est rerum mobilium, vt exemptio libri, vestis, &c. nomine Ministri venit superior localis, non excludendo maiores. Veniæ vocabulum importat licentiam *Glos. ver. Nisi venia cap. Episcopus 56. 12. q. 2.* seu dispensationem eius, qui inhabilis est, *Glos. v. In ætate, in fine, cap. Cum dilectus 32. de elect.* In his ergo rebus mobilibus, & parui momenti, in quibus non interuenit instrumentum solus superior potest licentiam concedere suo religioso agendi, emendi, vendendi, & similia.

Quæres 5. An religiosus, seu monasterium, si ille intulit aliquod damnum alteri contrahendi, teneatur ad restitutionem.

40 Respond. Monasterium, quando non fuit factum locuples, aut non approbauit contractum sui religiosi priuati, non tenetur. Religiosus verò sic propria authoritate contrahens, putans se id posse facere, non tenetur resarcire damnum inde per accidens prouenniens, sicut qui mala fide contraxit, factus sit locuples ex contractu, in his enim duobus casibus locupletionis, & illati damni cum mala fide tenetur resarcire damnum, & restituere acceptum eo meliori modo, quo potest.

41 Prima pars de conuentu, qui non tenetur nisi ratione locupletionis suadetur, quia nemo locupletari debet cum alterius iactura, & iniuria *Reg. 48. in 6. Reg. Iure gentium ff. de reg. iur. cap. Suam ad nos 9. de Pœnis l. Num hoc naturæ ff. de cond. indeb.* Et illud plus, quod habetur sine iusto titulo, possidetur iniuste, ergo tamquam alienum restituendum est. *Ita Agel. ver. Monasterium n. 1. Armilla ver. Monachus nu. 14. Rosella num. 10. Tabien. nu. 14. Silu. v. Religio 8. num. Sanch. lib. 7. cap. 31. n. 11. Megal. 2. 2. lib. 2. cap. 5. nu. 145. Lessius lib. 2. c. 41. numero 90.*

42 Secunda pars, quod monasterium teneatur, quando contractum approbauit, ostenditur, quia approbando contractum, consensit etiam in accessoria contractui, seu in independentia ab illo, si tamen prælatus cum monasterio præhabuit cognitionem illati damni, obligatio enim non contrahitur, nisi præcedat scientia. l. *De his ff. de transact. Riccinl. libro 3. de iure existent. extra grem. Eccl. cap. 2. numero 2.* quia nemo obligatur, nisi habeat intentionem se obligandi *l. 3. ff. de act. & obligat.* sed ignorans illatum damnum non potest habere intentionem illud resarciendi, cum voluntas in solum præcognitum feratur. *Ita Glos. in l. Si quis in tantum. C. Vnde vi Nau. tom. 2. com. 2. de regul. n. 62. cum. supracitatis cum Sanch. l. 7. c. 37. n. 12.* Quod à fortiori procedit respectu habentis administrationem à prælato, & conuentu, nisi excesserit limites facultatis factæ, ex præcitatis.

43 Tertia pars, quod priuatus religiosus contrahens bona fide sine licentia, non teneatur ad damnum præter intentionem secutum, *traditur à Megal. quem supra citaui sub q. 2. n. 27.* Intellige nisi factus sit locuples, vel aliquod acceperit, tunc enim tenetur restituere, ex allatis rationib. supra pro probatione primæ partis.

44 Quarta demum pars, quod illatum damnum mala fide teneatur resarcire, probatur rationibus allatis supra initio sub n. 13. *ad* 18. Et ita docent omnes *cum Nauar. tom. 2. com. 2. de regul. numero 62. P. Nauar. lib. 3. cap. 1. numero* 204. Si enim procurare debet restitutionem pro monasterio, cui intulit damnum, à fortiori pro seculari, cui damnum dedit ex suo contractu. *Sanchez lib. 7. cap. 31. numero 38. vbi citat Molinam tom. 1. disp. 140. Leonardum Lessium lib. 2. cap. 41. numero 90. Megal. 2. 2. lib. 2. cap. 5. n. 149. ad finem* Qui verò aiunt ad nihil teneri religiosum, *vt Tabien. v. Monachus n. 11. Armilla n. 12. Silu. v. Religio 8. q. 3.* & ratione, quia religiosus nihil proprij habet, proceditin religionib. reformatis e.g. in Capucinis, quib. certi redditus, & eleemosinæ non conceduntur à superioribus pro vestitu, libris, & aliis emendis.

Quæres 6. An religiosus teneatur ad restitutionem debitorum ante ingressum contractorum, & ad damna illata?

45 Respond. Tenetur, si habet in bonis, siue bona habuerit ante ingressum, siue ipse acquisierit post professionem conuentui, quouis titulo, hæreditatis, legati, aut alios iure; imò si nihil horum habet, tenetur labore, & industria satisfacere semper de licentia sui superioris.

46 Prima pars, quod teneatur ipse, seu verius conuentus probatur, Tum quia eius bona semper remanent obligata pro ære alieno ad quemcumque transeant, vt omnes docent. Tum quia professione debita non extinguuntur. Verum quidem est, quod conuentu non tenetur vltra vires bonorum acquisitorum; vt docent *Abbas cap. In præsentia de probat. n. 77. Rosella Abbas in fine, cum Sanch. l. 7. c. 31. n. 2. & 3.* vbi in contrarium citat *Angelum v. Religiosus n. 59. Tabien. v. Religio q. 39. Silu. v. Religio 6. qu. 2.* qui duo in pluribus fere formalia verba Angeli rescribunt; Caute autem agant superiores in successione bonorum eorum, qui volunt ingredi religionem, procurando vt prius restituant, vel saltem fiat publicum inuentarium eorum bonorum, quæ ingrediens secum defert, vt casu adueniente, possint superiores certiores facere creditores de quibus bonis reintegrandi sint.

47 Secunda pars, quod de bonis post professionem acquisitis à monasterio intuitu professi sit satisfaciendum, probatur, Tum quia in huiusmodi relictis se habet vt vsufructuarius; Cũ proprietas sit monasterij, & religiosi vsus, quod maxime procedit, quando relinquitur cum clausula, vt nõ molestetur à superiore quo ad vsum, alias relictum fiat alterius. Tum quia professione manet adhuc obligatio satisfaciendi, cum sit de iure naturæ, quod professione non tollitur, ergo satisfaciendum est creditoribus ex bonis post ingressum acquisitis. Hanc opinionem docent *Felin. in c. Cum I. & A. de sent. & re iud. n. 10. Bertrand. cons. 22. n. 5. vol. 7. Menald. cons. 30. n. 6. & 8. vol. 2. Azor tom. 1. l. 12. c. 10. q. 8. & cum eis Sanch. l. 7. c. 31. nu. 4.*

Quæres 7. An religiosus extra manens de licentia sui superioris, pro suis expensis possit obligare monasterium accipiendo mutuo pecuniam, licet ad id non habeat specialem facultatem à suo superiore.

48 Resp. Si sit extra causa studij, & negotij conuentus potest mutuo accipere ex quo obligatur monasterium. Tum quia illud tenetur alere religiosum tanquam suum filium. Tum quia pater tenetur expensis filij factis existentis in studio de licentia patris. l. *Sed Iulianus §. Proinde si accepit ff. ad Maced.* Sic docent canonistæ in *c. 2. Ne cler. vel mon. ibi Glos. v. Licentia, cum Ioan. Andr. n. 4. Archid. n. 9. Domin. n. 9. Franch. n. 6. quos pro se citat Sanch. li. 7. c. 31. n. 15. Nau tom. 2. com. 2. de regul. n. 65. Graff. part. 2. lib. 3. cap. 19. n. 41. Silu. ver. excom. 9. casu 25. n. 55. fine, Surd. de alimen. tit. 8. priuileg. 97. nu. 25. & 6. Megal. 2. 2. lib. 2. c. 27. nu. 14.* Sanchez duas apponit limitationes, primam, nisi pecunia accepta excedat expensas singulis annis assignatas, à simili de filio, ad cuius expensas excedente; non tenetur pater excitata lege, Sed Iulianus, nisi excesse fuerit rationabilis, puta causa infirmitatis ex n. 18. Secundam, nisi aliunde habeat expensas, quia tunc monasterium non remanet obligatum, sed ille, qui expensas promisit, *vt docent cum Glos. doctores supra allegati.*

Quæres 8. An superior nomine conuentus, sed sine illius consensu mutuas accipiens pecunias pro seruitio conuentus, obliget monasterium, si acceptas pecunias pro se expendat, sine vtilitate, & commodo monasterij?

49 Respond. Recipiens pecunias, & eas expendens in beneficium conuentus obligat monasterium, non autem si ea expendat ad proprios vsus, quamuis eas acceperit nomine conuentus, nisi in scriptura mentio fiat de illis expendendis in vtilitatem conuentus.

Primum de expensis in beneficium conuentus, constat. Tum quia ex alieno nullus debet locuples fieri.

fieri. Tum quia si sentit commodum, æquum est vt seotiat etiam incommodum.

50 Secundum de expensis in proprium vsum non necessarium suadetur, quia ex quo conuentus non sensit emolumentum, neque ratio dictat, vt sentiat onus, & grauamen. Debet tamen Prælatos procurare restitutionem quantum fieri potest, sine detrimento conuentus, si habet aliquos redditus, iuxta superius dicta. *Sic docet Tapia, Auth. Ingressi c. 18. n. 5. C. de sacros. Eccles.*

51 Tertium de acceptis nomine monasterij ad illi subueniendum, sed postea male expensis à superiore obligat conuentum, *docet Sanch. lib. 7. c. 31. n. 13.* quia ex illa mutui acceptione legitime facta translata fuit obligatio in monasterium.

Quæres 9. An superior cum suo capitulo in omnibus sui conuentus contractibus debeat vti solemnitatibus minorum, nempe eos celebrare cum autoritate Curatoris, & decreto iudicis, vt in iure pro secularibus minoribus cum autoritate curatoris decernitur *l. Clarum 4. l. Veterem S. C. de præstanda autor.* & cum decreto iudicis *l. Si prædium 16. C. de prædus l. Si curatorem 3. C. de in integr. restit. & alibi.* Et videtur quod sic I. quia Ecclesia comparatur minori, *cap. 1. & 3. de in integr. restit. & cap. Significauit 28. de appellat. l. fin. C. de sacros. eccles.* II. quia ex eo, quod commune negligitur *l. 2. C. Quando, & quib. lib. 10.* bene necessariæ sunt huiusmodi solemnitates, vt diligentiori modo cautius consulatur rebus Ecclesiæ III. Inter capitula religiosorum, vt plurimum, aliqui sunt minores ætate, quorum fragile, & infirmum est iudicium, & multis captionibus suppositum, & multorum insidiis expositum, *l. 1. ff. de min. 25. ann.* quibus ideo datur curator, & iudex, consequenter dandum est etiam religiosis, qui professione non eximuntur à subiectione eius debilis, & infirmæ ætatis, & licet in capitulo alij sint maiores, nihilominus id non obstat, quin requiratur ea solemnitas, quia eorum maioritas non potest supplere minorum imperfectionem. IV. Prælati comparantur tutoribus, & curatoribus respectu sui capituli, *Glos. cap. 3. de in integr. restit. Glos. 5. Redde rationem cap. 24. de accusat.* ergo ex parte subditorum saltem requiritur decretum iudicis. V. Prælati locales cum suo capitulo nullum contractum inire possunt sine licentia Prælatorum maiorum Prouincialis nempe, aut Generalis, vt ex multis constitutionibus Summorum Pontificum habetur, vt videre est *apud Rodr. tom. 1. q. 27. art. 3.* illa autem licentia est decretum iudicis, & in mea Religione cap. 27. Regulæ, licentia petenda est à Patre Generali VI Conseruator in contractibus religiosorum cum secularibus habet interponere decretum, cum sit illorum iudex delegatus à Sede Apostolica, vt constat, ex supradictis initio, sub n. 20. Hæc, & similia mihi obiecta fuerunt in causa graui nostri conuentus N. à quodam Doctore, cum quo agebatur cessione cuiusdam hæreditatis, sed bene sciebat talem solemnitatem non esse necessariam, eam tamen simulabat, vt diutius in longum protraheret solutionem debiti contracti. His ergo non obstantibus.

52 Respond. Nequaquam requiritur dicta solemnitas, sed contrahere possunt cum quouis, siue seculari, aut ecclesiastico, quod probatur. Tum quia vnumquodqua monasterium habet prælatum, & capitulum, per quos expedienda sunt illius negotia; sed prælatus semper est maior, cum excedat annum 25. & capitulum pariter, cum in iure dicatur senatus, *cap. Ecclesia 7. 16. q. 1.* Tum quia prælatus ex officio habet procurare negotia sui conuentus, *cap. Edoceri 21. de rescr.* & respectu illius est tutor, & curator, *Glos. cap. 3. de in integr. rest.* & dicitur procurator *cap. fin 12. quæst. 1. Decal. in cap. cit. Edoceri, Rota Rom. vol. 2. decis. 14. num. 5.* Sed talis est respectu bonorum suæ Ecclesiæ, cuius dominus non est, sed administrator, & procurator *cap. Fraternitatem, de donat.* non autem respectu suorum subditorum. Tum quia prælatus est caput, eius vero subditi, & capitulum membra, *cap. Nouit. 4. de iis, quæ fiunt à prælat.* sed caput, & membra eodem iure censendi sunt, *Glos. 5. Quæ non probantur, cap. Ex ore 17. de priuil. per cap. 1. & 5. dist. 12. cap. Cognouimus 12. quæst. 2. cap. Si quis Episcopus 2. q. 7.* ergo subditi maiores sunt sicut est prælatus. Tum quia superior dat licentiam contrahendi, *ex cap. Non dicatis, de qua supra quæst. 4. num. 38.* ergo à fortiori ipse cum capitulo contrahere potest. Tum quia alienationes concessæ fiunt à solo prælato cum suo capitulo, *cap. sine exceptione 51. 12. q. 2. cap. 1. & fin. de reb. eccl. non alien.* in quibus locis nulla fit mentio alicuius ex supradictis. Tum quia in rebus ecclesiasticis quilibet est sui iuris, *Glos. Quamuis cap. Ex parte 14. de restit. spoliat.*

Primo in contrarium argumento respondetur habere locum in casibus in iure expressis, cuiusmodi est casus si in aliquo contractu fuit læsa potest petere restitutionem in integrum, ibi *Glos. Thomaset. reg. 182.* quod autem debeat vti solemnitate minorum in suis contractibus nullo iure cauetur. Ad secundum, bona religiosorum quamuis communia non ideo negliguntur, quia cum ex illis omnes alantur, vnusquisque eorum habet proprium interesse, ideo potius conseruantur, & custodiuntur, & religiosi plures sunt in quouis conuentu, qui facile sibi ipsis consulere possunt, quod non accidit in minoribus, qui soli sunt, & idcirco illis ius prouidit de dicta solemnitate, & non religiosis. Ad tertium, non obstat, quod aliqui sunt minores ætate, quia hi à maioribus instruuntur de iis, quæ agenda sunt, & reputantur maiores cum aliis, quia est inconueniens idem corpus capituli censeri diuerso iure *arg. cap. Cognouimus 29. 12. q. 2. cap. Cum in tua 30. de decim.* cum idem iudicium faciendum sit de parte, quod fit de toto, *l. quæ de tota 75. ff. de rei vend. cap. Pastoralis 28. Item cum tertium ff. de off. deleg.* Corpus autem capituli est maius ex allatis in probatione. Ad quartum, prælati 53 comparantur tutoribus, curatoribus, & procuratoribus respectu bonorum monasterij, non respectu subditorum, vt dixi supra. Ad quintum, quamuis ex Pontificum constitutionibus prohibeatur alienatio sine licentia superiorum maiorum, non ideo tamen hinc infertur eorum licentiam haberi loco curatoris, aut iudicis, sed ad contractum concurrunt tanquam habentes ibi interesse sicuti capita maiora totius Prouinciæ, aut Religionis, cui non obstat *cap. Quoniam 14. de off. ord.* 54 quod capita duo monstra sunt in eodem, quia intelligitur in eodem ordine, præterquam quod dici potest superiorem maiorem esse caput, minorem vero esse illius membrum, quando ambo concurrunt in eodem negotio. Quod non habeat vices iudicis decernentis vi- 55 detur ex eo probari, quia iudex præter decretum minoribus sanctum nullum aliud habet de interesse in reb. minoris, prælatus autem maior Religionis in contractu, & rebus monasterij idem interesse habet, quod religiosi de familia constituti. Ad sextum de Conseruatore dico illum esse iudicem non contractuum, sed litium, & causarum, iuxta quæ dixi sub num. 20.

56 Neque religiosis priuatis prohibentur contractuum initio ex eo quod sunt Minores vel nomine, vel ætate, sed præcise ex eo, quod sunt incapaces dominij, & proprietatis ob eorum abdicationem voto paupertatis, non enim possunt aliquem proprietatis actum præstare, quod contrahentibus necessarium est, non ergo debent secularibus negotiis se implicare, qui diuinis obsequiis sunt mancipati, nisi facultatem habeant à suo superiore, & quod tale sit negotium resultans in vtilitatem, & commodum monasterij.

Quæres 10. An in Religione T. O. in omnibus contractibus expediendis a superiore, & conuentu,

ita sit necessaria facultas Generalis, vt sine ipso, cum solo Prouinciali, aut etiam sine isto illos expedire non possint?

57 Respond. Contractus alienationis expediri non possunt sine licentia Generalis, aut Prouincialis, *Rodriq. tom.1.quaest.27.artic.3.Bonacin.T.V.pari 4.de alienat. numero quarto. Nauarr. consil.5.& 7.de reb.Eccl. non alien. Graff. tom.1. consil.22. de reb.Eccl. non alien numero 23.*

58 V. de quod dixi *tom.1.consil.27 numero 28.* Hoc constat

59 in meo ordine *cap. 27.* vbi requiritur licentia. Generalis in venditionibus, translationibus, mutuis, & aliis obligationibus; per hoc tamen non excluditur licentia Prouincialis, cum in sua prouincia habeat omnem facultatem, quam habet Generalis in tota religione, nisi prohibeatur, nulla autem extat prohibitio, quin possit eam licentiam concedere, ergo non

60 excluditur per expressionem solius Generalis. Confirmatur, quia Prouincialis potest punire alienantes sine licentia, ergo ius habet circa alienationem in sua prouincia.

Difficultas est, an haec licentia maioris superioris sit inducta à iure communi, an ex specialibus Bullis Pontificum emanatis ad instantiam aliquarum religionum? Non videtur inducta nisi per Bullas extra ius commune, in quo non reperitur huiusmodi decretum, vt videtur colligi ex Clem 1. de rebus ibi. *Aut si consensum non habeat, praelati proprij assensu ad hoc nihilominus accedente.* Et cum omnes conuentus, & monasteria regularium habeant praelatos suos locales idcirco ius commune non requirit alterius superioris auctoritatem. Nec obstant iura requirentia illam, vt videre est *cap. Abbatibus 40. cap. Placuit 50.* quia loquuntur de Abbatib. & aliis rectoribus ecclesiarum, quae non habent capitulum, & *docet Glos. v. Proprij dicta clem.*

61 Licentia ergo superioris maioris est necessaria in contractibus, in quibus contingit alienatio aquisitorum, cuiusmodi sunt contractus venditionis, donationis, mutui, cambij, census, permutationis, emphiteusis, seu liuelli, hypotecae, cessionis, transactionis, & similium, quae sunt species alienationis, & colligitur ex constit, Cum saepe, Leo X. *apud Confess. pag. 150. & ex dicta reg. cap. 27.*

62 In quibusdam vero aliis non est necessaria huiusmodi maiorum licentia, sed superiores locales cum suo conuentu, & interdum sine eo, sed se soli possunt contrahere, de rigore iuris; vnde solus repudiare potest

63 haereditatem, legatum, aut aliud quouis modo relictum, siue sit mobile, siue immobile, per ea quae probaui *tom.1. res.27.n.46.& 47. & docent Graff. tom.1 consil.5. de celebr. miss. n. 1. vbi citat Alex. in l. Legatum ff. deleg. 1.n. 2. & 3. Vinc. de Franchis decis. 14. Iason in dicta leg.* qui dicunt id ab eo fieri posse solo, & sine solennitate à iure requisita; neque obstat Paulina, ex *Puteo lib. 2. decis. 319.* neque consequenter decretum nouissimum Vrbani VIII. extensum à me tom. 1. consil. 27. sub. n. 15. quia refertur ad Paulinam dictam,

64 iuxta quam interpretandum est, vbi idem n. 16. Verum quidem est, quod si in repudiatione contingant aliqua pacta, & conuentiones, vt solet euenire, in eo casu non videtur sufficere factum superioris, sed requiri etiam consensum capituli, non de iure, sed ex potiori cautione alterius contrahentis, qui in suo contractu vult esse cautus consensu ampliori totius conuentus, & commuoiter id seruatur in omnibus contractibus alicuius momenti, quamois alias in rigore

65 iuris sufficeret solus praelati consensus. Hoc idem seruatur in emptione census, vt instrumentum celebretur de consensu etiam capituli, hoc potiori ratione loquendo de pecunia, quae necessario implicanda est in stabilibus, pro annuis censibus acquirendis, quia census inter immobilia computantur, Clem. Exiui,

66 post med. de verb. signif. Idem dic similibus; in quibus instrumenta conficiuntur, requiritur enim totius conuentus consensus.

67 In locationibus domorum, & praediorum vsus apud quasdam religiones obtinuit, vt fiant à solo superiore, aut eius procuratore, etiam vltra triennium, non obstantibus constitutionibus, & decretis Summorum Pontificum, his enim nostris temporibus fere nulli inueniuntur conductores ad triennium, vel quia domus; & praedia sunt in vili pretio, aut parum reddunt, vel sunt inculta, ideo necessarium est regularibus vltra triennium extendere locationem, ne praedia remaneant inculta, & domus desolatae, & deteriorentur, ad euitanda igitur huiusmodi pericula protrahuntur locationes ad placitum conductorum ad quinquennium, septennium, nouennium, &c. quibus si sint facta à toto conuentu, stare debet successus, quod idem dicitur de factis à superiore, vel eius procuratore habente mandatum, quia repraesentant totum corpus monasterij.

Quaeres 11. An quando Prouincialis, seu Generalis volunt contrahere, in illis casibus, in quibus necessaria est licentia maioris superioris, Prouincialis egeat licentia Generalis, & is licentia sedis Apostolicae, cui immediate subditur?

68 Respond. Non indigent, sed eadem licentia, quam aliis concedunt, possunt erga se vti, & contrahere, quod suadetur à simili de eo superiore concedente facultatem suo subdito accedendi ad studia extra monasterium, qui eadem pro se vti potest; similiter superior non indiget licentia sui maioris, vt sit executor testamentarius, quam suis subditis indulgere potest, *ex cap. fin. de testam. in 6.* sic illis duobus casibus *Silu. de primo v. Excommun. 9. §. 25. de secundo v. Testamentum 2. q. 2. §. Primum, quem citat Nald. v. Licentia n. 5.* Et de accessu ad moniales, eadem facultate sibi vti potest, quam aliis confert, docent *Corduba apud Serbum vi Accedere ad mon. & Rodr. tom.1.q.45. art.fin. quos cum multis aliis pro se citat Sanch. lib. 8. disputatione 3. initio.*

69 Neque enim ista licentia est actus iurisdictionis, nisi impropriè, sed solum est quaedam approbatio, & conditio, sine qua non licentiatus agere non potest, quod non impedit, quin superior eadem pro se vti possit. Neque hic necessaria est aliqua personarum distinctio indiuidua, cum non sit actus iurisdictionis, sed superioritatis, & approbationis, ex communi apud citatos. Confirmatur, quia ex probabiliori sententia apud Sanch cit.n.9. superiores regulares etiam locales possunt secum dispensare in iis omnibus in quibus possunt cum suis subditis, ergo à fortiori Prouinciales, qui aliis dant licentiam ineundi contractus, possunt seipsos ad eosdem dirigere sine licentia sui superioris, cum is sit actus approbationis prouenient ex superioritate, non actus dispensationis, & iurisdictionis, qui in se ipsum exerceri non potest, quando iurisdictio est contentiosa ex citatis doctoribus.

70 Adde, quod superiores maiores non sunt immediate administratores bonorum suorum monasteriorum, sed mediantibus localibus, quibus proxime cura est de illis disponere cum illorum licentia, & approbatione, consequenter nescio qua ratione possint contrahere tanquam proximi, & vt faciunt superiores locales, videtur enim frustra, quod duo immediatae capita dentur in eodem ordine, contra *cap. In plerisque 54. de off.ordin.* concurrunt ergo semper vt maiores, & sic non egent licentiari, aut aliis se subiicere. Quod si ipsi habeant aliquas proprietates destinatas ad sustinenda onera sui officij, eo casu videntur egere licentia sui superioris, quia proximus superior habet semper contrahere cum licentia sui maioris, in quo casu etiam reputatur ac si esset superior vel localis, imo est respectiuè ad ea bona, circa quae ideo contrahere non potest sine licentia sui maioris. Et in hoc habeant locum, *quae dicit Bonac. T.V. de alienat. p.4.n.4.*

Quaeres 12. An conuentus carens superiore ob mortem,

tem, vel aliam causam, habens solum Vicarium, vel alium substitutum loco eius per modum prouisionis, interim cum eo possit inire eos omnes contractus, quos superior localis posset celebrare, si viueret?

71 Respond. Non solum vicesgerentes præmortui ab officio, aut eius, qui suum officium absoluit possunt eos omnes contractus agere cum conuentu, quos prælatus, quando viuebat, potuisset celebrare; verumetiam Vicarius, seu Subprior viuentis prælati, si tamen valde distat, abest per multum tempus, potest cum monasterio simul inire contractus.

72 Primum de præsidente probatur, quia succedit in omnia iura, & facultatem, quam habebat præmortuus prælatus, per eam regulam, quod subrogatus sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur, *cap. Ecclesia 3. l. lite pend. l. Sicuti §. qui iniuriarum ff. si quis caution. l. 1. §. Hac actio ff. si quis testam. liber.* & procedit proprie in casu nostro de substituto in locum præmortui, *ex Decio in cap. Quoniam Abbas, de off. deleg. n. 21. tradit Sayrus. de elect. dub. 77.* Vicarij ergo isti eamdem potestatem habent, quam habebant prælati, in quorum locum suffecti sunt, vt docent præcitati & post citandi. Similes sunt illi Vicarij, qui habent immediate regimen conuentuum paruorum, vbi pauci sunt religiosi, hi enim in suis conuentibus partis tantam potestatem habent, quam alij in magnis conuentibus, & vocantur omnes prælati, de quibus vide præcitatos, *& Rodr. cum suo Compend. resol. 139. n. 1. Portel. v. eod. Lezan. tom. 1. cap. 18. n. 4. vbi citat Rodr. tom. 1. q. 10. art. 2. & 3. Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. lib. 2. cap. 22. n. 6. Mirand. tom. 2. q. 20. art. 1.*

73 Secundum de Vicario conuentus, aut subpriore suadetur, Tum quia tunc æquiparantur præsidenti, ac si monasterium vacaret, & esset sine prælato, in similibus enim abesse, & mortuum esse æquiparantur *arg. l. Mulieris §. fin. ff. de verb. signif. cap. Si delegatus, de off. deleg. in 6.* Tum quia isti in absentia superioris habent eamdem potestatem cum illo, vt docent Rodr. & eius *Compend. resol. 139. n. 1. Mirand. tom. 2. q. 20. art. 2. concl. 3.* Demum vtraque pars conclusionis probatur *per cap. Abbatibus 40. 12. q. 2.* vbi omnibus ministris Ecclesiæ prohibetur alienatio sine licentia Episcopi, ergo omnes prælati licentiam habentes à suis maioribus possunt alienare, adhibitis solennitatibus à iure requisitis.

Quæres 13. An religiosus, aut conuentus possit fideiubere pro extraneis, vel pro se aliorum fideiussionem petere?

Respond. Religiosus non potest fideiubere, neq; eamdem fideiussionẽ petere ab extraneis pro se; sed ad id requiritur consensus prælati cum maiori parte capituli, & præterea quod fideiussio cedat in vtilitatem conuentus, cuius bona obligantur, aliter facta, vel accepta fideiussio sine illorum consensu, & vtilitate conuentus, nulla est, licet principalis remaneat obligatus.

74 Primum, quod religiosus de se non possit fideiubere, neq; eã fideiussionẽ pro se petere ab alijs, suadetur, Tum quia vtrumque est actus dominij, & proprietatis, quæ religiosis interdicta sunt exerceri sine licentia sui superioris. Tum quia fideiussio tam actiua, quam passiua, supponit contrahentem habere proprietatem, & administrationem bonorum absolutam, quibus tamen

75 carent religiosi ob votum paupertatis emissum in eorum professione; fideiubere namque est propria obligare bona, & alienam obligationem in suam fidem recipere, *Instit. de fideiuss.* Præterea qui petit ab alio fideiussionem debet habere bona, per quæ indemnem seruare possit sibi fideiubentem, si casus occurrat exoluendi pro principali, quod passim accidere solet; quare non sine ratione legislator titulo de fideiussoribus subiecit alterum de solutionibus, insinuando fideiussorem debere esse paratum ad soluendum creditori eius, cui fideiussit. Ineptus ergo est religiosus ad fideiubendum cum bonis careat tamquam fundamento, & basi huius contractus, & ideo hoc prohibetur expresse cap. Quod quibusdam 4. de fideiussor. quod procedit etiã inde superioribus, cùm non sint domini bonorum monasteriorum, sed tutores, curatores, procuratores, tantum. *Ita Angel. v. Fideiub. numero septimo ex eo Silu. numero quarto Tabien. n. 4. & infra citandi.*

76

77 Secundum, quod de consensu prælati, & maioris partis religiosorum, seu potius conuentus possit fideiubere, decernitur aperte eodem citato *cap. Quod quibusdam, & docent prædicti cum Sanch. lib. 6 cap. decimoquarto, quasi quarta. Lessio lib. 2. cap. 28. numero 20. Rodriq. cum suo Compend. resolut. 25. numero septimo. Lezana tom. 1. cap. 9. numero decimo octauo. Bonac. de contract. part. 2. de fideiuss. §. Tertio.* Duo tamen requiruntur; primo consensus superioris, & maioris partis sui capituli, nempe superioris localis, & capituli localis, vt expresse dicitur eo capite; Secundo, necesse est, quod id cedat in vtilitatem monasterij, vt ex eodem capite infert *Gloss. v. Fideiubeat, & alij ex cap. 2. de postulat. cum Sanch. cit. numero 38. & illic Hostien.* Sed raro videtur contingere huiusmodi vtilitas monasteriis, cum fideiussio, vt plurimum soleat nocere fideiubenti, qui tenetur soluere pro principali carente bonis, & si habet in bonis, nihilominus vsus habet, vt creditor primo molestet fideiussorem, qui postea habet actionem contra principalem ad sibi damnum resarciendum, ex quo apparet fideiussorem potius damnum, quam vtilitatem referre. Deinde fideiussio mihi

78 videtur prohibita, quia est quædam species alienationis, cum per eam monasterium aliis obliget sua bona, & sic facile transibilia ad extraneos, prohibita autem alienatione, censentur vetiti omnes illi actus, per quos aliis acquiritur ius rei *l. Sancimus 7. Cod. de reb. Eccl. non alien.* sed per fideiussionem acquiritur ius creditori super bonis fideiubentis, vt clarum est, ergo fideiubere est species alienationis, & sic prohibita religiosis.

79 Tertium, quod fideiussio nulla sit facta sine prædictis requisitis, suadetur quia præscriptæ duæ conditiones sunt de solemnitate essentiali, sine qua existere non potest & colligitur ex citato cap. ibi: *Non teneatur conuentus pro his aliquatenus respondere. Gloss. ibi v. Fideiubeat, v. In vtilitatem,* alios quamplures citat *Sanch. libro 6. cap. 14. numero 41. Compend. resolut. 35. num. 7.*

80 Quartum denique quod nihilominus teneatur principalis, clarum est, quia eius obligatio est principalis, & primaria, quæ in suo esse non dependet à fideiussione tanquam posteriore.

Quæres 14. An fideiussores, qui se obligauerunt pro religioso, qui reuera non poterat contrahere, quia non habebat licentiam à suo superiore remaneant obligati, religioso non obligato, contractu existente nullo?

81 Respond. Siue contractus inducat obligationem naturalem, siue non, vt tenui supra *num. 27.* fideiussor tenetur, quando adhibitus fuit in contractu ac si esset principalis se obligans, vel etiam quando accessit, vt contractum manuteneret, dato quod superior nollet illum approbare, quia in his casibus fideiussor primo, & immediatè se constituit principalem debitorem in euentum, quo religiosus non soluat. *Ita Nauar. tom. 1. de regul. numero 42. §. Sexto. Sanch. libro 7. cap. 31. à numero 46. & 47. Compend. resolut. 107. num. 2.* Si vero fideiussor fuit vulgaris sine dictis cautionibus ad nihil tenetur, contractu nullo, quia tunc locum habet regula, Principali non subsistente, neque accessorium; sed raro accidit huiusmodi debilis fideiussio, quæ nihil prodest.

Quæres 15. An religiosus carens voce actiua possit nihilominus præstare suum consensum in contractibus?

82 Respond. Non potest, quia sic priuatus censetur carere voce in omni genere negotij, quod capitulariter, &

& collegialiter agitur, *ex Clem.2. de etate, & v. Inibi elem. 1. de regul. Nau.consil. 6. de verb. signif. expressus Graff.tom.2. consil. 2. artic.1. de regul.n.* 11. vbi ait priuatum voce non habere vocem capitulariter in expediendis negotiis, puta in alienationibus, electionibus, professionibus, & aliis tractatibus; vt in specie de nouitiis recipiendis *docui cap.3. de profess.q. 26. cum eodem Graffio, & Vecchio dis.* 12. *dub.* 5. Confirmatur, quia in omnibus instrumentis contractuum habetur similis clausula. *Qui quidem omnes legitime congregati, & habentes vocem in capitulo.* ergo signum est voce carentes non posse congregari in capitulo ad negotia monasterij.

Quæres 16. An omnes professi indistincte habeant vocem in communibus negotiis conuentus, statim ac sunt professi? De Nouitiis certum est, illos non posse se ingerere, cum nondum sint incorporati in religione, consequenter neque membra, neque partes capituli esse possunt. Respond. Habent de iure communi, nisi obstet aliqua prohibitio. Probatur, quia statim ac sunt professi habent vocem ad electionem, *cap. Ex eo §. In Ecclesiis* 32. *de elect. in* 6. *& probaui tom.*1. *cons.*26.*num.*80. professio enim facit religiosum habilem ad vocem, ex eo quod cum aliis incorporatur religioni, & fit membrum capituli, consequenter cum aliis agere potest, ergo à fortiori eandem habent respectu aliorum negotiorum, cum sint minoris considerationis electione, cum in ea agatur de electione personæ, quæ sit apta ad gubernandum non tantum subditos, quam bona monasterij; expeditiones vero aliorum negotiorum versantur tantum circa bona monasterij; ita quod vox in electione respicit personam, & res, circa vero alia negotia tantum res, consequenter maioris ponderis est electio, quam consensus in contractum.

83

84

Non obstant decreta pro educat. Nouit. §. *Ad hoc tamen*, illis verbis: *Quibus in locis degant sub regulis, & modo viuendi adhuc arctiori, quam seruent, antiquiores professi, ita quod in negotiis monasteriorum, aut conuentuum non se intromittere, nec communibus tractatibus interesse, nec alicuius exterioris obedientia officium exercere debeant.* Quia quod ad hoc vsu approbata non fuerunt, præterquam quod non loquuntur simpliciter, sed tantum respectu illorum conuentuum in quibus recenter professi vel adhuc retinentur intra locum nouitiatus cum aliis nouitiis, aut extra in alio loco dicto Professorio; quod in mea religione non seruatur, non ex negligentia superiorum, sed defectu locorum, & paupertatis, nam religio non potest in eodem loco tot sustinere onera, quæ alias potest sufferre in diuersis conuentibus.

Dixi, *Nisi obstet aliqua specialis prohibitio*, quæ in aliquibus religionibus aduersatur; in mea autem nihil huiusmodi obstat, sed in tractandis negotiis superior procedit cum consensu maioris saltem partis cœnobij; seu cum consensu, & consilio familiæ suæ; sed de familia, & cœnobij pars est vnusquisque indifferenter habitans statim ac profecit, ergo vnusquisque eorum statim secuta professione habet ius, & vocem in negotiis religionis.

85

Quæres 17. An nouitius minor vigintiquinque annis in renuntiationibus, & aliis contractibus agendis iuxta decretum 16. sess. 25. egeat authoritate curatoris, & decreto iudicis? an vero sufficiat sola licentia Episcopi, vel eius Vicarij? Videtur requiri vtrumque cum clarum sit minorem non posse contrahere maximè in sui præiudicium, renuntiando, donando, aut alienando sine curatore, & decreto iudicis. *Instit. de Curat. l. si prædium, Cod. de prædiis* & aliis *reb. minor. l. Prædia. l. Prædiorum, & titul. de prædiis*, & aliis *reb. minor. non alien. & titul. de minor.* 25. *annis, & alibi.* Præterea nouitius in condendo testamento debet seruare solemnitates iuris communis, seu legis ciuilis, non enim sufficit solum Episcopi decretum, ergo dicendum idem in aliis contractibus alienationis, &c. & sic docent nonnulli *apud Sanch. lib.7. cap.6. num.*18. *qui num.*19. concludit, donationem factam à minori intuitu ingressus, etiam fauore personæ priuatæ valere sine requisitis solemnitatibus à iure ciuili, cum quo.

Respond. Sufficere solemnitates Tridentini, quæ in duobus consistunt, vt fiat cum licentia Episcopi, vel eius Vicarij, & infra duos menses ante professionem, in quolibet enim die illorum duorum mensium fieri potest ante professionem. Probatur duobus textibus, vno iuris canonici *cap. De his* 4. ibi: *Liberum est eis tunc bona sua non solum religiosis, sed etiam quibuslibet priuatis conferre personis. de sepult.* Illud autem verbum, *Liberum est*, importat aliquid fieri posse sine licentia, & requisitione alterius *argument. cap.2. de tempor. ordin. in 6. cap. Cum plures.* 8. *de offic. delegat. in 6. in Clement.2. de sepult. v. libere.* Importat factum sine contradictione, præscriptione, & appellatione, *Gloss. v. eodem cap.1. de censib. in* 6. Importat quandam prærogatiuam absolutam, & dominium, *ex cap. Cum olim in fine de elect. Gloss. ad finem. Addit. extr. 2.com. de sepult.* & liber consensus vocatur, qui alieno arbitrio non reseruatur, *cap. Super eo* 5. *de condit.* Et libere agere dicitur, qui alterius consilium expectare non tenetur, *Curt. iun. consil.2. num.3. Iason. consil.*130. *vol.4. apud Verallum part.1 decis.*296. *num.*6. ex quibus apertè infertur, minorem volentem ingredi, vel iam ingressum in dispositione suorum bonorum non indigere alia solemnitate, quam requisita à Tridentino. Altero iuris ciuilis Auth. de Monachis illis verbis. *Illud quoque decernimus, vt qui Monasterium introire voluerit, antequam Monasterium ingrediatur licentiam habere, suis vti quo voluerit modo*, Quæ postrema verba legis solemnitatem remouent, *ex l.1. ff. de milit. testam.* Confirmatur, Tum quia, nouitij sunt personæ Ecclesiasticæ, ergo sufficit si in dispositione suorum bonorum seruent solemnitates Tridentini. Tum quia hæ succedunt loco ciuilium. Tum quia in religione habent superiores, & religiosos sapientiores consultores, vt de hac re *Nauarr. consil.*82. *de regul. numero quinto. Ita Sanch. libro 7. cap.6. numero decimonono Beroius in cap. In præsentia, de probat. numero* 135. *ibid. Abbas numero* 54. *Rosella v. Legare, numero decimoseptimo. Angel. v. Minor. numero 2 Silu. fine, Tabien .*92. *Armill. Ludou. Lezaz lib.2. de contract. cap.* 39. *quæst.*3. *not.*5.

86

Ad duas dubitandi rationes iam patet ex dictis in casu nostro solemnitatem iuris ciuilis non esse necessariam, cum eius loco succedat solemnitas Tridentini. De testamento autem cum nihil disponatur in Decreto Tridentini, vt declarauit S. Concil. die 22. Ianuar. 1598. *apud Farinac. decis.*211. & testatur de communi *Sanch. lib.7. cap.5. numero decimotertio. Compend. resolut.* 201. *numero* 48. *Lezana tom.1. cap.24. numero* 36. *Portell. v. Nouitius* 43. consequenter faciendum iuxta solemnitatem iuris communis, vt docet communior, & probabilior opinio, ad euitandas lites, & expensas, *vt docet Nauarr. tom.2. com.2. de regul. numero* 52. *Molin. tom.3. disputat.*139. *Sanch. libro 7. cap.3. numero decimooctauo. Vecch. disputat.* 8. *dub.* 10. *numero secundo*, quamplures alij docent nouitium posse testari sine solemnitatibus cum priuilegiis militum, vt videre est apud præcitatos.

Quæres 18. An nolens præstare suum consensum in contractum licitum, & iustum simul cum alijs, ad id cogi possit à superiore in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pœnis etiam excommunicationis.

Respond. Potest cogere, probatur, Tum quia superiores habent ius, & obligationem vocandi suum conuentum ad peragenda negotia quorumcumque contractuum *ex cap. Alienationes* 36. *cap. Placuit* 50. *cap. Sine exceptione* 12. *q.* 2. *cap.* 1. *cap. Vt super* 8. *cap. Ad nostram* 11. *de reb. eccl. non alien. cap.1. 2. cap. Nouit.* 4. *cap. Quanto* 5. *cap. Tua* 8. *de his, quæ fiunt à prælatis sine*

87

88

sine, ergo nolentes cogere possunt, quia nulla iurisdictio est sine coactione, *cap. Pastoralis* 28. *Ex literis* 29. *de offic. deleg. l. fin. ff. de off. eius, cui mand. est iuri.* Tum quia non est maior obligatio in prælato vocandi suum capitulum in negotijs monasterij, quam in subditis consentiendi; sed superior tenetur peragere negotia sui conuentus, cum illius sit procurator cap. Fraternitatem 2. de donat. ergo & subditis consentire. Tum quia agitur de bono totius monasterij, ergo habent omnes concurrere, ex vulgaris iurib. quod omnes tangit ab omnibus approbari debet.

89 Prælatus autem se prudenter gerat in his, & similibus negligentijs, & inobedientijs, placidis, & suauibus verbis subditum reducendo ad obedientiam, quibus si non prodest, vtatur comminatione temporalis pænæ, verberationis, carceris, si adhuc resistat, tamquam contumax formalis feriatur formali præcepto obedientiæ, cui si non acquiescat, tamquam sui immemor, & obedientiæ, quam promisit, tradatur satanæ illum percutiendo pæna excommunicationis, ita enim gradatim procedendum est, ita quod neruus ecclesias-

90 ticæ disciplinæ sit postremo adhibendus, à pæna enim excommunicationis non est primo incipiendum, Ant. de Butrio in cap. 1. de testib. cog. inquiens, quod incipere statim à sententia excommunicationis est vehementer errare, & signum ignorantiæ, vt ex ipso refert *Graff. tom. 1. consil. de excess. prælat. n.* 17. incipiendum ergo est a minimis *Glos. fin. cap. Nouatianus* 6. 7. *q.* 1. *per cap. fin. dist.* 48.

Quæres 19. An venditur census, non obstantibus damnis, quæ in suis agris, super quibus fundatus est census, occasione belli passus est, adhuc ordinariam pensionem annuatim soluere teneatur, ita quod Restaurum, vt aiunt, petere non possit?

Respond. Tenetur. Tum quia Censuarius non ven-

91 dit fructus, quos ager designatus si singulis annis ferre potest, sed ius exigendi taxatam pensionem ex agro, & fundo designato; Silu. *Vsura* 2. *n.* 32. *Less. lib.* 2. *cap.* 21. *n.* 14. aliter omnes fructus fundi designati tradere teneretur; ergo cum ius illud exigendi certam pensionem semper duret inuariabile, fundo perseuerante, censualista singulis annis habet facultatem exigendi pensionem sibi debitam, siue adsint fructus, siue non. Tum quia si census esset facultas immediate ad fructus præcise agri designati, omnes fructus essent emptoris, & cum modo sint minores, modo maiores, & variabiles, industria, & cœlo comitantibus, pensio proinde mutabilis esset, & non certa contra praxim consuetam rationabilem, quæ statuit septem cum dimidio pro quolibet centenario, quod euidentissimum est argumentum in constitutione census non haberi respectum ad speciales fructus agri designati. Tum quia si census immediate fundaretur super fructus, in quibus emptor haberet fundatam suam intentionem, sequeretur, excessum fructuum esse ipsius censualistæ, & non censuarij, quod tamen nemo asserit, sed de facto, & de iure sunt ipsius venditoris, & censuarij domini directi fundi, & fructuum per se, qui sicut sentit commodum, ita & ratio postulat, vt patiatur etiam incommodum, ne alterius iustitia lædantur. Tum quia fundus, super quo census stabilitur, sufficit si sit potestate frugifer, cum alijs de communi docet *Nau. com. de Vsur. n.* 113. *Bonac. de censib. n.* 20. §. *Addo*, *Beia part.* 3. *casu* 31. §. *Secundum*, licet sentiat oppositum in terminis, *p art.* 1. *casu* 25. §. *De conclusione.* Ita docent *Nau. com. de Vsur. n.* 117. *Reb. de cens. q.* 5. *n.* 11. *Azor de censib. c.* 6. *q.* 6. *Sot. li.* 6. *q.* 5. *ar.* 3. *quos &, & alios pro se citat Bonac. de censib. n.* 27.

Aduersarij opponunt diuersa ad duo potissimum reducibilia. Primo dicunt obstare Bullam Pij V. prohibentis pactum casuum fortuitorum, ergo ad hos debitor non tenetur. Secundo, Res, domino suo perit, sed pensio ex fructibus est censualistæ, ergo illi perit. Adde inconueniens, censum fructualem infixum esse personæ non fundo.

Respondeo ad singula. Ad primum, illam prohibitionem referri ad casus rei, non fructuum, nam tota re casu, & inculpabiliter sublata tollitur obligatio soluendi censuariam pensionem, non vero si desint fructus: Ad secundum, habere locum, quando dominus rem actu possidet, & perfecte, vt docet Beia part. 3. casu 24. §. Et si, clarum autem est, emptorem census non possidere perfecte emptum. Ad tertium, non sequi, eo quod vitalicius non est census noster, sed affixus fundo cum iure exigendi determinatam pensionem.

Quæres 20. An emphiteusis iure legati, vel professione transeat in religionem. Emphiteusis autem est concessio alicuius rei immobilis quo ad dominium vtile alicui facta cum onere certæ pensionis singulis annis soluendæ, duratura non minus decennio. Emphiteuta vocatur ille, cui immobile concessum fuit pro se tantum, vel etiam pro suis successoribus, iuxta conuentiones in instrumento conscriptas. Et vulgariter vocatur Liuellus, liuellans, qui rem concedit, Liuellarius eamdem accipiens; finis autem huius contractus, vt res melioretur. Duplex autem est, alia laicalis constituta à laico, vel etiam ecclesiastico, sed de re sub iure laicali. Ecclesiastica vero creata super re subiecta Ecclesiæ.

Respond. Emphiteusis vtraque transibilis est iure le- 92 gati, vel professionis ad religionem capacem stabilium, & successionis, cum ea differentia, quod laica transit irreuocabiliter, ecclesiastica reuocari potest infra biennium. Quod vtraque transire possit iure legati, probatur, quia si in inuestitura expresse non prohibeatur transitus, nil videtur obstare, quin transeat, cum hoc non repugnet naturæ contractui. *Ita docent Bald. Salicet & Specul. apud Silu. v. Emphiteusis n.* 24. *Clarus q.* 35. *Nata consil.* 114. *n.* 15. *Megal.* 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 57. *alios citans.* Negatiua referunt citati, ea ratione, quia dominus directus esset peioris conditionis, pereunte laudemij spe; quæ nihil obstat, quia cum potuisset præuidere, sibi imputet; præter quam quod dici potest, posse religionem illam vendere alijs, & sic non amittitur spes laudemij. Quod professione transferatur illud vtile dominium in monasterium, probatur, 93 quia professione transeant omnia bona *Auth. De Monach.* §. *Illud quoque Auth. Ingressi C. de sacros. eccl.* quod procedit quoad vtile dominium, & possessionem, vt *docet Megal.* 1. 2. *lib.* 2. *cap.* 27. *n.* 19. *Nau. com.* 2. *de Regul. n.* 46. ergo nulla ratio excipiendi liuellum. *Sic docent Ang. Religiosus* 53. *Silu. Religio* 6. 9. 1. *dicto* 2. *Tabien.* 9. 34. *Azor. lib.* 12. *cap.* 8. 94. *Sanch. alios citans lib.* 7. *cap.* 15. *n.* 56. *Less. lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 83. §. *Pars modo.* Potest tamen dominus directus, si vult, cogere monasterium, vt iura sua vendat aliis, vt restituatur ad spem laudemij, si est ecclesiastica, cum alijs *Tambur. tom.* 3. *disp.* 11. *q. num.* 39.

Quæres 21. An in contractu census imponi possit obligatio censuario soluendi pensionem in forma cameræ tam Episcopalis, quam Ducalis, seu Regiæ illi personæ ecclesiasticæ, quæ censum super suis bonis creauit? Duo petit casus; vnum, an obligatio in forma cameræ adjici possit huic contractui; alterum, an sic clericus possit obligari etiam respectu fori laicalis? Quod ad primum negat *Nauar. com. de Vsur. n.* 116. *& cum eo Megal.* 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 78. *qui pro se citat Filiarcum de off. sacerd. libro quinto cap.* 17. §. *Non possunt etiam*; probant duobus argumentis, Tum quia census creatur in alia forma, quàm constituatur in Bulla Pij V. Tum quia Bulla prohibet omnia pacta, ad quæ quis alias de iure communi non tenetur, cuiusmodi est pactum in forma cameræ, per quam incurruntur, multa incommoda, ad quæ non obligat iste contractus, Secundum formatur, Tum quia per obligationem in forma cameræ etiam ducalis clericus non dicitur trahi ad iudicem secularem, sed tantum vrgeri ad solutionem sine aliquo ordine iuris, & litigij. Tum

quia hæc obligatio importat repentinam receptionem pignoris, vt statim fiat solutio creditori; exequutio autem pignorum fit sine licentia alicuius iudicis, sed solum ex vi instrumenti vt pacti iniri, ergo. Quibus tamen non obstantibus,

94 Respond. Obligatio in forma cameræ iuste apponitur censibus; non tamen ecclesiasticus obligari potest sub ducali foro, sed tantum ecclesiastico. Primum suadetur, Tum ex verbis Bullæ Pij V. ibi *Pacta continentia morosum census debitorem teneri ad interesse lucri cessantis, vel ad cambium, seu certas expensas medio iuramento creditoris liquidandas, aut rem census subiectam, aut aliquam eius partem amittere, aut aliud ius eo contractu, aut aliunde acquisitum perdere, aut in aliquam pœnam cadere, ex toto irrita sint, & nulla.* Ex quibus nulla ratione id colligi potest, cum obligatio in forma cameræ non importet lucrum, expensas, amissionem alicuius rei, aut pœnam, sed breuiorem, & expeditiorem debiti solutionem, immo & cum minori dispendio. Tum quia huiusmodi obligatio habet adnexam immediate executionem solutionis mediante pignoris ablatione, quæ non obstant aliis speciebus emptionis, ergo neque huic. Tum quia petitur fideiussio in censibus, vt quæ non repugnat contractui emptionis, vt videre est *l.1.& 2.ff.de fideiuss.& docet Solis lib.1.de censib.cap.4.n.5.ad finem*, & communior doctorum pars, quos citat *Bonac.de censib.n.29.* quod est pro securitate emptoris, vt seruetur indemnis; sed hoc idem præstat obligatio in forma cameræ, quæ non repugnat adiecta cuilibet alij solutioni, ergo neque huic, cum id sit debitorem, & censuarium sibi facere cautiorem, & securiorem ad cito soluendum, & cum minori dispendio. Quare id non est nouam formam inducere in censibus, sed antiquæ cautionem nouam adhibere, non quoad essentiam, & substantiam census, sed quo ad accessoria ipsi solutioni, quæ prohibetur facienda sub hac accidentali forma, sicut prohibetur fieri anticipate, vel repetenter. Secundæ rationi satisfactum fuit per primam ex nostris, ibi enim prohibentur pacta aduentitia quæ nullam habent connexionem cum solutione, sicut habet obligatio in forma cameræ, quæ illam modificat, & restringit ad celeriorem executionem, inseruato ordinis iure contra morosum debitorem.

95 Alterum, quod clericus non possit obligari, neque se obligare in forma cameræ ducalis, probatur, Tum quia iudex laicus non est competens respectu clerici, *cap.* Inolita 39. vbi clericus clericum ad laicalia iudicia trahens perdit causam, & à communione est efficiendus extraneus, & *cap. Placuit* 40.11.q.1. qui duo textus pro hac eadem re citantur *cap. Si diligenti* 12. *de foro comp.* Tum quia adest excommunicatio Bullæ Cœnæ Domini contrahentes personas Ecclesiasticas ad forum laicum, quouis modo, siue directè, siue indirectè; ex quo patet ad opposita, nam vrgeri, & recipi pignora ab executore laico non fit id, nisi virtute iudicis laici, consequenter contra præcitata iura, & Bullam.

Quæres 22. An in renunciatione facta à nouitio, in qua omnia sua bona renuntiat consanguineis eo pacto, & conditione eosdem obligando, vt sibi singulis annis certam pensionem soluant, requiratur consensus consanguineorum, ita quod renunciatio teneat fauore consanguineorum, pactum vero, & obligatio soluendi eam pensionem nulla sit, nisi accedat consensus consanguineorum expressè obligantium ad solutionem dictæ pensionis? Ratio dubitandi est, quia obligatio nascitur ex consensu duorum, *l.1.ff.de pactis. l.Consensu ff.de act.& obligat.* maximè quando extenditur ad absentem, qui illam ignorat, obligatio enim non contrahitur, nisi præcedat scientia *l.De his ff. de transact. Ricciul.lib.3.de iure gent.extra cap.2.n.2.*

96 Respond. Renunciatio cum pacto obligante illum, in cuius fauorem fit, nulla est, quando renuntiatarius non adimplet obligationem vllo modo declarando se nollè oneri se subiicere soluendi pensionem, ratio est, quia renuntiatio facta sub conditione suum effectum non sortitur, nisi conditione adimpleta, ex vulgaris iuribus, sufficienter autem adimpletur promissione soluendi pensionem. Quod si se immiscuit in re renuntiata virtualiter quoque promisit soluere pensionem, consequenter conditio fuit adimpleta, & renuntiatio habuit suum effectum dominij in persona renuntiatarij, quando ante illius receptionem protestatione non reiecit pensionis solutionem, in quo casu renuntiatio reuertitur ad suum renuntiantem, & Religionem, quia perinde est, ac si ea facta non fuisset. Posita vero promissione verbo, vel facto immiscionis statim tenuit renuntiatio de conditionali effecta pura, & absoluta, consequenter renuntiatarius velit nolit cogitur ad solutionem pensionis. Quod renuntiatio sit nulla respectu protestantis se nolle soluere pensionem, id non habet locum in patrem, qui per ingressum filij, licet amittat patriam potestatem in professum, ex probatis à me cap.5.de effectibus profess.q.19. non tamen perdit bona filij propria quoad dominium, cum neque etiam amittat vsumfructum aduentitiorum, vt aliis citatis docet *Megal.1.2. lib.2.cap.3.q.4.* prætterquam quod filius de bonis vt paternis, Patre viuente, nil disponere possit, sed tantum rogare patrem, vt sibi soluat nescio quid singulis annis.

Ex dictis patet, sufficere si consensus in renuntiatione accedat posterius promissione formali, vel virtuali immiscione in reb. renuntiatis, &c.

Quæres 23. An Ecclesiastici, & religiosi possint negotiari? Caiet.v. Clericus, Rodr.tom.2.sum.cap.1.n.2. Michaël de Palatio de contr.lib.2.cap.10. asserunt posse, si absit scandalum, & turpitudo. Reliqui omnes doctores negant posse, quia sacri Canones apertè id prohibent tanquam aliquid indignum statui clericali, quorum est Deo inseruire, & non inhiare turpia lucra, finis enim negotiationis est lucrum Ecclesiasticis turpe, ibi: *Non turpis lucri gratia.* Hos doctores vide *apud Megal.de contract.lib.2.cap.5.à num.154. Diana part.2.tract.8. de contr.resol.72.* vbi cum multis tenet negotiationem exerceri posse per tertium, in quo casu tenet, neque peccatum veniale esse negotiari per tertium, quia prohibitio est solum per seipsos clericos negotiari. Alij cum Molin. de contr. disp.342. dicunt clericos in minoribus constitutos peccare solum venialiter, secus si sunt religiosi, quamuis in minoribus constituti, apud *Megal. gal.n.155.* Ego autem,

97 Respond. Ecclesiastici siue seculares, siue regulares siue in sacris, siue non præsertim religiosi ex vi prohibitionis sine peccato mortali non possunt negotiari neque per se; neque per interpositam personam, nisi data necessitate seipsos vel parentes sustentandi.

De prohibitione negotiandi sub mortali patet *ex cap. per totam dist.88. Vnde cap.2.3.* & aliis, qui nolunt à negotiatione abstinere, mandantur deiici ab officiis Ecclesiasticis; & cap. Perlatum 4. isti dicuntur annihilare reuerentiam sacerdotalem, *cap. Negotiatorem 9.* quasi quamdam pestem fuge, hæc autem sunt argumenta peccati mortalis, *cap. Peruenit 26. dist.86. cap.1.2.6. Ne cler. vel.mon.cap.fin.de vita,& hon.*

98 Quod non possint per interpositam personam probatur. Tum quia quod alicui non licet suo nomine, nec alieno licebit 67. reg. in 6. Tum quia cum quid vna via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti reg.84. in 6. Tum quia motiuum prohibitionis præcipuum fuit lucrum, & auaritia ex citatis textibus, quæ duo maximè damnantur in clericis, præcipue religiosis ob eorum votum paupertatis, auaritia enim hominem cæcum facit cap. Auaritiæ de elect. cap. Virum, cap. Sicut dist.46. maxime ecclesiasticum, qui nesciat prosequi bonum, & declinare a malo, & omne lucrum in ecclesiastico vocatur turpe, & damnabile ex citatis textibus: Sed huiusmodi motiuum non cessat, si ecclesiasticus per tertium negotietur, quia adhuc animum adiicit auaritiæ, & lucro, alias certe non negotiaturus per tertium, si sciret nihil se lucraturum. Præterea licet negotiatio retrahat Ec-

clesiasti

Ecclesiasticum à diuinis obsequiis, id tamen non est principale motiuum, quia clerici, & monachi ab ineunte Ecclesia, suis persolutis Deo cum gratiarum actione officiis, & obsequiis, se exercebant in operibus manualibus, & illis licitum erat negotiari pro subleuandis propriis eorum indigentiis quod fecerunt Apostoli, & monachi S. Benedicti *cap. 1. cap. Secundum, Ne cler. vel mon. cap. Clericus 2. & 4. dist. 91.* ex quibus infertur neque per tertium negotiari posse, quia etiam in hoc casu intenditur lucrum, & auaritia. Sic docet *Megal. de contr. l. 2. c. 5. n. 157. Genuens. in praxi c. 62. n. 6. vbi citat gloss. in clem. de vita, & honest. Riccius in praxi part. 3. ref. 205.* & alij contra Molinam, *Lessium, Malderum, Medinam, & Dianam, quos prose citat. ref. 72.* ad finem de contractibus asserentem ex vi solius prohibitionis etiam sine veniali culpa, posse clericos, & religiosos negotiari per alios, quod non videtur posse substineri ex probatis, cum idem motiuum prohibitionis vigeat tam negotiantes per alios, quam si secularia negotia per se tractarent.

99 Dixi demum esse peccatum graue negotiari per se, vel per tertium, nisi data necessitate, in quo casu clericus, & conuentus, non autem particularis religiosus, qui non dicitur indigere, quia ei conuentus subuenit, exercere possunt negotiationem, præsertim aliorum prædia conducendo, & similia, vt aperte colligitur ex citatis *cap. præsertim cap. 1. & cap. Secundum, Ne cler. vel monach.* prout expressius *retuli ref. 55. q. 13. n. 30.* Quare clerici, qui non possunt habere redditus suorum beneficiorum, vel pensiones liuellorum, censuum, & similium possunt conducere prædia & fundos talium pensionum, vt sibi meliori modo, quo possunt, consulant.

Quæres 24. An prior successor teneatur stare contractibus celebratis a suo prædecessore?

100 Resp. Tenetur, quando ea celebrauit iuxta statuta sui ordinis, nimirum concurrente toto, seu maiori parte conuentus, quia in hoc casu conuentus ipse reputatur celebrasse, & cum non sit diuersus à seipso, sed semper idem maneat, non potest venire contra factum suum, neque illud impugnare. *l. Post mortem ff. de adopt. l. Sicut C. de act. & obligat.* Confirmatur, quia successor reputatur vna persona cum prædecessore, *Glos. ver. Vincerет cap. Significauit de rescr. Glos. v. contra. cap. Dilecti 17. de foro compet.* Neque enim debet esse melioris conditionis, quam suus auctor. *l. fin. §. 1. ff. Ad velleia. l. In his §. Non debeo ff. de reg. iur. M. Anton. Peregrin. consil. 31. num. 10.* esset autem si non teneretur stare contractui. Ita docent *Sila. v. Dignitas num. 4 & v. Locatio a. 2. Bonac. de locat. p. fin. num. 10.* Intellige si non est contra formam præscriptam iure communi, vel statuta ordinis. Facto autem à solo prædecessore speciale mandatum, vel sindicatum non habente stare non tenetur, quia eo casu censetur factum à non habente facultatem, cum tunc superior reputetur religiosus priuatus, qui non potest contrahere.

RESOLVTIO LIV.

De Nouitiis.

SVMMARIVM.

1 *Vestiri potest extra locum deputatum.*
2 *Tempus peractum primo loco nouitiatus computatur.*
3 *Nouitiatus peragitur sola intentione virtuali.*
4 *Itineris tempus a primo nouitiatu ad secundum computatur.*
5 *Diuidi potest cum sola licentia superioris, non*
6 *Prioris deputati, sed*
7 *Prouincialis, aut Generalis.*
8 *Fides prioris loci optima est. 236.*
9 *Expulsio iniusta non interrumpit nouitiatum.*
10 *Interrumpitur solum ex culpa.*
11 *Magister cum solo priore non reiicit nouitios.*
12 *Magister est solum educator non superior.*
13 *Eiectio fit à superiore maiore cum consensu conuentus.*
14 *Eiectio nouitiorum pœna grauissima.*
15 *Percussio leuis non sufficit ad eiiciendum nouitium.*
16 *Defectus vitiosi expellentes nouitium referuntur.*
17 *Delicta grauia ad expellendos nouitios.*
18 *Defectus naturales referunt.*
19 *Ignorantes admittantur ad laicalem vitam.*
20 *Ignorantes sunt in triplici gradu.*
21 *Quinam admittantur ad religionem.*
22 *Maior viginti quinque annis non admittitur ad clericatum, si est ignarus.*
23 *Amentia impedit ingressum.*
24 *Furor, & amentia in quo differant?*
25 *Amens in certo genere habilis est.*
26 *Amentia inualide recipitur.*
27 *Amentia superueniens non interrumpit nouitiatum.*
28 *Interrumpi debet humano modo.*
29 *Probatio dementis non suppletur.*
30 *Contra Sanchez.*
31 *Demens multo tempore dimittitur.*
32 *Demens neque furiosus valide profitentur.*
33 *Nisi desit furor tempore professionis.*
34 *Ratificatio habet locum, vbi nouitiatus subsistit.*
35 *Amentia, & furor quomodo probentur?*
36 *Illegitimus quomodo excludatur à religione.*
37 *Sacrilegi etiam ex militaribus.*
38 *Illegitimus non est ex altero voto simplici adstricto.*
39 *Muti, & ceci possunt recipi.*
40 *Corpore vitiati quando admittantur.*
41 *Clericorum duo genera in religione.*
42 *Puellæ dua reiicienda non sunt ex defectibus initio notis.*
43 *Nouitius recedere potest.*
44 *Examinatus habet ius ad beneficium.*
45 *Examinatus item in confessarium.*
46 *Reclamandi habet ius expulsus.*
47 *Abbatissa sola non potest expellere nouitiam.*
48 *Abbatissa vnicum habet votum æquale aliarum.*
49 *Nouitiarum infirmarum professio infra probationem non tenet si conualescant.*
50 *Peirini contraria opinio reiicitur.*
51 *Professionem infirmarum non tenere declarauit S. C.*
52 *Nouitiarum hoc priuilegium communicatur viris nouitiis.*
53 *Renuntiatione perditur titulus institutionis, explicatur. 58.*
54 *Nouitiatus fit cum intentione si non formali saltem virtuali 59.*
55 *Nouitiatus non fuit interruptus illius renuntiatione.*
56 *Renuntiare multum incommodi affert.*
57 *Consensum nouum exigit qui renuntiauit, si vult remanere.*
60 *Recedens sponte dimittitur à solo conuentu cum Priore.*
61 *Pauperes, & ignobiles magis expedit recipere.*
62 *Religio tantum à Christo initium.*
63 *Apostoli veri religiosi.*
64 *Religiosi successores Apostolorum.*
65 *Apostoli pauperes, & ignobiles.*
66 *Seruo æquiparatur in multis.*
67 *Religio status arduus.*
68 *Subiectio eius maior serui.*
69 *Atque vxoris.*
70 *Nobilis inclinat ad imperandum.*
71 *Nobilis innata superbia, & ambitio.*
72 *Diues sapiens apparenter.*
73 *Pauper absolute sapiens.*
74 *Paupertas non inflat.*
75 *Magister nouitiorum esse non potest priuatus voce.*
76 *Illegitimus potest esse magister nouitiorum.*

77 *Informationes*

77 *Informationes nouitiorum introduxit Sextus V.*
78 *Informationes in meo ordine recipiuntur à Prioribus.*
79 *Registrantur præciso in libro Prouinciæ volentes ingredi.*
80 *Informationes ex Sexto V. fiunt maiorum sexdecim annorum.*
81 *Nouitij vnius prouinciæ non recipiuntur in aliena quoad informationes.*
82 *Informationes non recipiuntur de conuersis.*
83 *Conuersi probari possunt in quouis conuentu.*
84 *Informationes recipiuntur etiam à clericis quibusuis.*
85 *Clerici cur dicantur seculares?*
86 *Militares egent informationibus.*
87 *Informationes non recipiuntur de notis.*
88 *Informationes recipiuntur vel per extraneos vel per conuentum.*
89 *Prima tonsura fit quis clericus.*
90 *Nouitius recedens est habilis ad clericatum.*
91 *Nouitij deputati ad chorum clerici sunt.*
92 *Clericus dicitur qui mancipatur diuinis obsequiis.*
93 *Tonsuratio duplex.*
94 *Clericorum duplex genus.*
95 *Nouitij conuersantur quandoque cum professis.*
96 *Nouitij interesse debent in Refectorio dum quis punitur*
97 *Nouitiatus est præparatio, & via ad professionem.*
98 *Expellendus interum de facto se habitu exuens.*
99 *Iuuenes infra 16. sine consensu capitulari vestiuntur.*
100 *Prior licentias extra per tempus nouitium.*
101 *Nomen ingredienti mutatur.*
102 *Filiatione carens expellendus non est.*
103 *Dozenam non soluens expelli potest.*
104 *Criminosi adhuc prohibentur recipi.*
105 *Peccatum non est omissio informationum quando carent criminibus.*
106 *Religiosus vocatur nouitius.*
107 *Ecclesiastica persona est. 111.*
108 *Familia est loci, vbi peragit nouitiatum.*
109 *Priuilegium fori persona habet.*
110 *Exemptus est quoad sua bona.*
111 *Ecclesiasticus est. 107.*
112 *Canonis priuilegio gaudet.*
113 *Extra locum manet post 15. annum probationis.*
114 *Concilij cap. 15. & 16. sess. 25. exponitur.*
115 *Professio ex causa deserri.*
116 *Informationes omittens non subditur pœnis, si defectibus caret.*
117 *Manet extra maiori parte anni, si res id petat.*
118 *Dormire solus timens dimittitur.*
119 *Diana de confessione nouitij extra refellitur.*
120 *Nouitius quomodo non tenetur obseruantiis regularibus.*
121 *Sacerdos proprius confessionis est domicilij pœnitentis.*
122 *Decretum de confess. nouit. est præceptiuum.*
123 *Lex sine verbis præceptiuis alias data est præceptiua.*
124 *Nouitij ante 16. non subduntur dispositioni Sixti V.*
125 *Informationes recipi possunt infra annum probationis.*
126 *Conueniuntur nouitius pro debito coram Conseruatore.*
127 *Criminosus ingrediens puniri potest à laico.*
128 *Bulla Sixti V. reducta ad ius commune quoad professionem tantum.*
130 *Criminosis adhuc prohibetur ingressus.*
131 *Nouitius cogitur delinquens à prælato.*
132 *Iudex laicus non punit nouitium egressum.*
133 *Candidi Dominicani opinio refellitur.*
Excommunicari potest nouitius.
134 *Excommunicatus non fertur pro præteritis.*
135 *Suffragium negare nouitio p. m.*
136 *Circumstantia Luxuriæ nouitij non mutat speciem.*
137 *Retrahere aliquem à religione p. m.*
138 *Negans ex arbitrio ingressum nullum peccatum.*
140 *Raptus quid sit.*
141 *Raptores nouitiorum quibus pœnis afficiantur.*
142 *Nouitij post pubertatem inuitis parentibus recipi possunt.*
143 *Non autem, existentibus in graui necessitate.*
144 *Cogentes masculos ad ingressum non sunt excommunicati.*
145 *Cogentes fœminas vtique.*
146 *Diana refellitur de cogentibus ad honestum finem.*
147 *Impediens professionem sine causa est excommunicatus.*
148 *Ingressus, habitus, & professio quid spirituale.*
149 *Pro ingressu nihil recipi præter expensas & vestitum.*
150 *Dantes & recipientes pro ingressu incurrunt censuras.*
151 *Parentes cogi non possunt ad solutionem promissi pro ingressu.*
152 *Dimisso datur pretium sui habitus.*
153 *Mutuum tradi non potest conuentui de bonis nouitij.*
154 *Sponsalia etiam iurata dirimuntur primo ingressu.*
155 *Non vero deflorata virgine.*
156 *Magister nouitiorum ex causa abesse potest.*
157 *Probationis annus inuite peractus tenet.*
158 *Media quomodo dicantur regulari à fine?*
159 *Dotem, seu salarium casu amissa non soluens non expellitur.*
160 *Expensas soluere tenetur pro anno probationis.*
161 *Dubius in recipiendo nouitium quid agat?*
162 *Superior solus non recipit nouitium aliis etiam iniuste resistentibus.*
163 *Vota æqualia inter partes aduersas nulla sunt.*
164 *Peirini opinio reiicitur.*
165 *Superior negantibus etiam iniuste non potest recipere nouitium.*
166 *Licentia petita habetur pro obtenta, si non id declaret*
167 *Superior solus in casu necessitatis nouitium non recipit*
168 *Secreto nouitios recipere optimum.*
169 *Facultas recipiendi nouitios perpetua dari potest Priori*
170 *Scholas extra adire non possunt.*
171 *Nouitiatus tamen cum professione tenet, si adeant.*
172 *Magister secularis illis dari potest.*
173 *Transeuntes faciunt nouitiatum.*
174 *Non tamen tenentur illud facere in loco deputato.*
175 *Decreta Clementis de loco deputato non comprehendunt transeuntes.*
176 *Scholarum piarum nouitij probantur exercitio docendi.*
177 *Experientia fit ex diuturnitate actuum.*
178 *Liber professionum semper remanet in eodem loco.*
179 *Litteræ testimoniales non dantur expulsis.*
180 *Receptio nouitij ad habitum à solo superiore nulla.*
181 *Ratificari tamen potest per assensum Fratrum.*
182 *Nouitiatus in octo casibus nullus est.*
183 *Nouitiatus incipit in decimo quinto anno.*
184 *Nouitiatus nullus defectu integritatis.*
185 *Nouitiatus currit ad momentum, & Mathematice.*
186 *Vel solum moraliter integrum secundum aliquos.*
187 *Moraliter spectari potest post factam professionem.*
188 *Nouitiatus nullas interruptione.*
189 *Dictio Per continuum tempus.*
190 *Etiam in dubio.*
191 *Interrumpitur nouitiatus in duobus casibus. 196.*
192 *Conditiones tres requiruntur vt interrumpatur.*
193 *Exitus actualis extra conuentum.*
194 *Depositio habitus atque*
195 *Animus deserendi statum religiosum.*
196 *Interrumpitur secundo per expulsionem.*
197 *Ad quod requiruntur tres conditiones.*
198 *Legitima causa expulsionis.*
199 *Iuxta ordinis statuta, atque*
200 *Exitus per aliquod tempus.*
201 *Saltem duorum dierum.*
202 *Deserens nouitiatum non statim illum rumpit.*
203 *Continue aliquid fit licet interposita mora:*
204 *Quindenij absentia non rumpit nouitiatum.*
205 *Fugientem nouitium non tenentur recipere.*
206 *Suar. argumentis respondetur.*
207 *Nouitius reuersus recipitur à quibus expulsus fuit.*
208 *Absens ex fuga per longum tempus reputandus ac si primo veniret.*

209 Nouitiatus fit etiam in toto Monasterio deputato.
210 Manens extra de licentia non rumpit.
211 Nouitij tempore capituli transmittuntur ad aliam conuentum.
212 Licentia licet illegitima non vitiat continuationem.
213 Petrinus dubitat de permanentia extra.
214 Forma quandoque suppletur per æquipollens.
215 Habitus necessarius ad nouitiatum.
216 Nouitiatus nullus factus extra locum deputatum.
217 Nouitiatus incipitur in loco deputato licet ibi non perficiatur.
218 Receptio, & professio extra fieri possunt.
219 Nouitiatus intrusi nullus. Retrotrahitur tamen.
220 Informationes omissæ olim vitiabant nouitiatum.
221 Non autem post Bullam Clementis.
222 Amentia vitiat nouitiatum.
223 Infirmitas continua cum vsu carnium vitiat apud C. & M.
224 Octo casus vitiantes nouitiatum epiloguntur.
225 Nouitiatus tempore belli extra finitur.
226 Forma in casu impossibili suppletur per æquipollens.
227 Professio sequitur nulla ex nullitate nouitiatus.
228 Conuersus non transit, ad statum clericalem etiam in nouitiatu.
229 Clericus nouitius fit conuersus.
230 Nouitiatus non interrumpitur si clericus fiat conuersus, nec è contra.
231 Asperitates omnes non sunt probandæ.
232 Rescriptum iuxta ius commune, & stricte capitur.
233 Querelatus de armorum delatione non includitur in Bulla Sixti V.
234 Neque de adulterio, & incestu, vtique de sodomia.
235 Episcopo exemptus est nouitius.
236 Acceptatio ad profitendum ab vtroque conuentu, quando nouitiatus diuiditur.
237 Priuilegium nouitiorum laicorum nouitiandi in quouis conuentu.
238 Cui derogatum non fuit per annullationem viuæ vocis oraculorum, neque per Breue.

IN prouincia Bononiensi Religio N. habet duos conuentus a sede apostolica pro nouitiis ad probationem recipiendis destinatos, in quorum quidem vno iuuenis illius partis in gratiam parentum, & amicorum, vestitus fuit habitu nouitiorum, non tamen animo, vt ibi peragerer annum probationis, sed vt post aliquot dies perduceretur ad secundum conuentum sibi destinatum pro nouitiatu, interim tamen ipso die habitus recepti introductus fuit ad locum nouitiatus, vbi more aliorum nouitiorum sub disciplina Magistri vixit fere per mensem. Hinc oriuntur nonnulla dubia. I. An nouitius vestiri possit in vno conuentu cum animo vt deinde in alio peragat annum Probationis? II. An dies nouitiatus peracti primo loco, vbi habitu indutus fuit, computandi sint pro initio anni nouitiatus, an vero annum incipiat in secundo, vbi continue permanere debet? III. An tempus itineris à primo ad secundum conuentum computetur in probatione? IV. An diuidi possit annus probationis diuersitate locorum etiam sine causa? V. An patres prioris conuentus debeant dare iudicium idoneitatis pro informatione secundi conuentus, ad quem transit nouitius ad perficiendum annum probationis? an vero sufficiat solum iudicium Patrum secundi conuentus. Ad singula distincte respondendum est.

1 Primo quidem respondi alias in Tract. de profess. regul. cap. 4. quæstione 24 nouitium posse vestiri in quouis conuentu siue deputato, siue non deputato, & postea mitti ad conuentum designatum pro probatione, & hoc probaui multis ibi, quo remitto lectorem; quia actio vestiendi nouitium non spectat ad annum probationis, si quidem ea actio transitoria est parum conducens ad cognoscendos mores nouitij à religiosis, & ab ipso religionis asperitates, in quibus consistit finis nouitiatus; annus verò probationis consistit in permanentia nouitij in loco deputato, in quo habet probare, & probari; receptio ergo ad habitum præuia est dispositio ad probationem, quæ non fit sine habitu.

2 Secundo, illi dies peracti in loco deputato primi conuentus computandi sunt, quia reuera habent omnia requisita ad nouitiatum, nam ille locus est deputatus, vt suppono, & ibi se gerit vt nouitius sub disciplina magistri, & consequenter cum non differat ab aliis in regulari vita, eodem iure cum illis censeri debet *arg. l. Illud ff. ad legem Aquil.* & sicut nouitiatus prodest aliis, ita & ipsi. Procedit siue introductus illuc fuerit, vt nouitiatum incipiat, siue non; non enim requiritur formalis intentio, sed sufficit habitualis, seu virtualis, & factum ipsum, quia annus probationis consistit in facto,

3 & experientia ex parte quidem nouitij, vt experiatur asperitates religionis, & religio illius mores *cap. Monasterium 6. 19. q. 3. cap. Ad apostolicam, de regul.* Neque his obstant dicta à Nauar. *consil. 19. num. 4. & consil. 26. n. 17.* requirente ad nouitiatum intentionem, & animum vtriusque nimirum monasterij, & nouitij, quia sufficienter adest ea actu introductionis in locum deputatum, parum enim refert, voluntas verbo, an facto exprimatur, *Gloss. cap Si quis vxorem 11. 27. q. 2. per cap. 1. dist. 43.* cum voluntas vtroque modo sufficienter exprimatur *l. Paulus respondit, ff. rem ratam hab.* imò quandoque magis factis, quam verbis ostenditur. *l. Si tamen, §. Ei qui, ff. de adil. edict.* maxime quando factum est determinatum ad quid certum præsumendum *Mar Anton. lib. 2. resol. 11. n. 65. & 89. cum Mascard. de probat. concl. 45. n. 5.* In casu autem præsenti nouitiatus magis ostenditur facto, & experientia, quam verbis, & introductio in locum deputatum ad aliud non videtur nisi ad probationem nouitij; vnde, & hoc solo facto & experientia mutator, & pro nihilo haberi potest contraria voluntas, cum facta potiora sint verbis. *l. De pupillo §. Meminisse ff. de noui oper. nunt.* & facit, quod protestatio contrarium facto non fauet protestanti, sed agenti, contra ipsam. Dixi, *in loco deputato*, quia indoto in loco non deputato non computatur tempus à die receptionis habitus, sed à die introductionis in locum deputatum, vt probaui sub illo cap. 4. q. 26.

4 Tertio, tempus intermedians itineris à primo ad secundum locum nouitiatus computatur, quia in itinere existens cum licentia superioris reputatur ac si esset intra claustra. Ita terminis *Nauar. cons. 32. n. 3. per Panor. in cap. Ex rescripto de iureiur. & ex cap. Insinuante, qui cler. vel mon. Vecch. de Nouitiis disp. 11. dub. 3. n. 3. Bonac. q. 2. de claus. p. 10. diff. 2. §. 2. n. 6. Et dixi latius in Tract. de profess. regul. cap. 4. q. 14.*

5 Quarto, diuidi potest nouitiatus etiam sine causa transferendo nouitium sub vno conuentu deputato ad alium, quia interruptio nouitiatus non est, sed translatio à loco ad locum, quæ non aduersatur nouitiatui, modo vterque locus sit deputatus, immo ipsamet transmigratio videtur continere legitimam causam, ex quo nouitius magis probatur, & probat, loci enim mutatio interdum est in vtilitatem propriam cap. Valet 9. dist. 81. ibi: *Plerunque enim dum mutatur locus, mutatur mentis affectus*; interdum in vtilitatem aliorum, cap. Mutationes 34. 7. q. 1. ita quod idem accidit in mutatione nouitij, qui transmigratione ab vno ad alium locum maiorem habet occasionem experiendi asperitates religionis, & mores, ac disciplinam aliorum religiosorum. *Vide quod dixi loco citato cap. 4. q. 15. Colligitur ex Nau. qui cons. 17. & 29. de regul.* asserit nouitium translatum ab vno ad aliud monasterium sine licentia interrumpere nouitiatum, ergo tenet nouitiatus si translatio fiat cum licentia; arg. à contrario sensu.

6 Licentia autem huiusmodi transitus à neutro superiore locali dari potest, quia neuter in neutrum habet imperium, cum sint pares, *cap. Innotuit 20. de elect. l. Nam magistratus, ff. de recep. arbitr.* sed danda est à superiore maiore

maiore vtriusque loci, & si fiat trãsitus ad aliam prouinciam spectare tunc ad patrem Generalem; quamquam & in mea religione cap. 20. Regulæ sicut Prouincialis potest recipere in sua alienum religiosum alterius prouinciæ cum dimissoriis literis sui Prouincialis, ita pari ratione nouitium exhibentem literas patentes Prouincialis illius Prouinciæ à qua recedit.

8 Quinto, si nouitius per paucos dies, vel mensem alterum mansit in priori loco non est necessaria, licet multum vtilis fides testimonialis Fratrum prioris conuentus de vita, & moribus nouitij. Alias si mansit per plures menses videtur necessaria pro informatione Fratrum secundi loci, qui aliter possunt suspicari de vita & moribus in priori conuentu peractis. Probaui sufficienter citato *cap. 3. q. 55.* infra 2;6.

Quæres autem I. An Magister nouitiorum annuente tantum Priore potuerit propria autoritate expellere nouitium à religione, eo quod sibi relatum fuit, quemdam nouitium pila lignea serio percussisse alium connouitium, cum quo recreationis gratia ludebat. Quo audito pater Prouincialis certificatus, testibus fide dignis, quod non dedita opera, sed casu eam percussionem accidisse, iussit, vt nouitius reuocaretur, & denuo admitteretur ad habitum in numero nouitiorum, quod factum fuit, sed adueniente tempore professionis, difficultatem faciebant circa interruptionem nouitiatus ex præfata expulsione, quamuis postea vt iniusta cognita, maxime quia per mensem aberat. Quæsitum fuit I. An per illam expulsionem inualidam, vt constitit, interruptus fuerit annus probationis? II. An Magister cum solo Priore potuerit illum expellere inconsultis superiore maiore, & familia suorum Fratrum? III. An dicta causa percussionis in ludo licito, si accidisset serio, fuisset sufficiens ad expellendum nouitium.

9 Primo Respond. Non fuit interruptus, quod probatur, Tum quia ad interrumpendum probationis annum non sufficit quæuis causa, sed culpabilis necessaria est, cum & ipsa interruptio pœnalis sit, & præiudicialis nouitio, consequenter ex aliqua culpa pendere debet ex parte nouitij; sed ex illius parte nulla inuenitur causa culpæ, vt patet in proposito casu. Tum quia culpa carens non debet reuocari in damnum *cap. 2. de constit. l. Gracchus. C. de adult.* Tum quia sententia expulsionis nulla fuit, & sine prudentia data à non iudice competente, vt patebit infra; sententia autem nulla nullum parit effectum l. 4. §. *Condemnatum ff. de re iud.* vnde dicitur in cap. Non debet pœnam sustinere canonicam, in cuius damnationem non canonica prolata sententia 11. *q. 3.* ergo non potuit parere effectum interruptionis nouitiatus. Tum quia, cuidam clerico, qui grauiter infamatus de homicidio priuatus fuerat, & eiectus à clero, detecta iniustitia, & calumnia restitutus fuit ad ea omnia, quæ amiserat, *cap. Super causa 11. 2. q. 4.* consequenter restituendus est nouitius in pristinum statum, ac si nunquam expulsus fuisset, & eo magis cum non de homicidio, sed de leui percussione inique denuntiatus fuit. Sic docent in fere simili casu *Galuanus cons. 12. n. 30. & ex eo Vecchius disp. 11. de Nouitiis, dub. 3. n. 9.* qui licet limitent ad protestationem factam à nouitio accedendi ad superiores, tamen ea protestatio necessaria non est, cum superius adductæ rationes absolute probent non vitiari nouitiatum.

10 Colligitur ergo ex dictis nouitium inique expulsum habere ius ad redeundum, & tempus, quo extra mansit expulsus, computandum esse in anno probationis, eo quod nouitiatus non fuit interruptus. De iure redeundi quod habet iniuste expulsus *docui cap. 3. qu. 22. per decisionem Rotæ 215. coram Coccino.*

11 Secundo Respond. Magister cum solo Priore non potuit expellere nouitium, sed requirere debent facultatem superioris Prouincialis, quod ex Tridentino, & rationibus probaui, nam loquitur in numero plurali *sic: Superiores nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è monasterio eos eiiciant.* subintelligi inhabiles, *cap. 3. q. 22. & 46.* Magister autem propriè superior, neque prælatus est, cum solum educator nouitiorum, vt patet sanctias, *Lezana tom. 2. cap. 13. n. 47. & 48. & ego cap. 4. q. 62.* Illa autem pluralis locutio insinuat non sufficere solum superiorem localem in re tam graui; sed requiri authoritatem superioris maioris. Neque hoc sufficit meo iudicio, sed requirendum præterea iudicium subditorum commorantium in eodem conuentu cum nouitiis, illi enim cum habeant cognitionem vitæ, & morum nouitiorum cum quibus quotidie conuersantur, *arg. c. Quosdam 7. c. Quanto 8. de præsumpt.* bene possunt informare superiorem maiorem de illorũ aptitudine vel ineptitudine ad religiosum statum; & præterea cum agatur de re grauissima, qualis est status religiosus acquirendus, vel perdendus, ideo in huius iudicio ferendo cautius, & maturiori consilio procedendum est, & sic cum subditorum consilio, illud enim iudicium est integrum, & perfectum, quod plurimorum sententiis comprobatur *cap. Extra conscientiam dist. 64. cap. Prudentiam 21. de off. deleg. Clem. 1. de sent. excom. §. Quod* etiam confirmatur, quia expulsio nouitiorum est pœna grauissima, cum agatur de exclusione a statu perfectionis, ad quem nouitij habiles habent ius; & ad hoc faciunt dicta cap. 3. q. 22. ergo non temere iudicandum est de illorum eiectione, sed magna consideratione adhibitis prudentium consiliis deliberandum est de huiusmodi negotio magni momenti. Vnde in Dominicana religione neminem reiiciunt sine consilio Patrum, *Serossa in suis solut. quæst. 31. n. 6.*

15 Tertio Respond. Ea leuis percussio, & quælibet alia similis parui momenti, non sufficit ad expellendum nouitium à religione, sed grauis causa necessaria est, ex probatis *cap. 3. q. 45. & faciunt adducta eodem cap. q. 22.* Confirmatur autem in specie de illa leui percussione, quod non fuerit vitiosa, sed in bonum accipienda erat. Tum quia dabat operam rei licitæ, & concessæ à Magistro recreationis gratia. Tum quia factum concessum non præsumitur mala intentione gestum. *l. Si non conuictus C. de iniur. §. 1. C. ad leg. Cornel. de Sicar. cap. 1. de præsumpt.* actus enim indifferens, sicut est proiectio pilæ in ludo non præsumitur malus, *cap. 1. de iureiur. l. Merito ff. pro soc. l. Si procurator, ff. de condit. indeb.* cum vt talis interpretandus sit potius in bonum, quam in malum sensum, abbas in cap. Cum in, de testibus *Farin. in praxi crim. pars 3 q. 85. Mascard. de probat. concl. 496.* Tum quia illi erant amici, & simul ludebant, amicitia autem tollit omnem malam suspicionem, *Glos. in l. 1. C. de sicar. Iason. in l. 1. ff. de leg. Felin. in cap. fin. de homic. Mar. Anton. lib. 3. resol. 40. n. 6.* Quare Magister nouitiorum non debebat ita facile credere aliis connouitiis, maxime iuuenibus, qui loquuntur, antequam mente præconcipiant quod ab illis dicendum sit.

Quæres 2. An aliquæ possint assignari causæ graues, quibus mediis nouitij expelli possint à religione? Vel necessario expellendi sint? Nomine causarum intelligo eos defectus, seu impedimenta, siue sint vitiosa, siue non, quæ possunt esse causa expulsiua nouitiorum à religione.

16 Respond. Quod ad defectus vitiosos, seu delicta, & crimina, sequentia censeri grauia, & sufficientia ad expellendum nouitium. I. Homicidium, seu quælibet grauis, & enormis percussio, iuxta declarationem Ioannis XXII. apud Confect. pag 24. II. assuefactio ad rixas, iurgia, & discordias, huiusmodi enim multum præiudicant regulari disciplinæ, ideo extirpanda per eiectionem illorum, qui pacem, & concordiam labefactare possent. III. Prauus habitus blasphemiæ, multum enim dedecent religiosum statum huiusmodi colloquia mala, verba enim religiosorum debent esse orationes sanctorum, verba ædificationis, & benedictionis, non destructionis, aut maledictionis. IV. graues

uea causas censeo vndecim delicta pro casibus reseruandis à superioribus regularibus, descripta à Clem. VIII. in suo decreto, de quibus ego dixi per distincta consilia *tom. 1. à consil. 37. vsque ad finem.* Quod idem dicendum est de aliis similibus, & grauioribus, ex quibus cognosci potest, quænam leuiora excusantia ab expulsione. Pro qua re vide practicam Crimin. Francisci Aretini, & Ghiller. *de iudice regular. cap. 10.*

17 Magna autem consideratione procedendum est in cognitione horum delictorum, & diligenti circumspectione vtendum est in ferendo iudicio, an hoc, vel illud delictum hic, & nunc sit graue, & sufficiat ad excludendum nouitium, quamuis enim delictum in se graue sit, tamen ex circumstantijs personæ, temporis, loci, & causæ accidere potest, vt tantum leue sit; ex his enim potissimum leuitas, & grauitas dignoscitur delictorum. *cap. Occidit 13. 23. q. 8.* omnes enim circumstantiæ inquirendæ sunt, *Glos. ibidem per cap. Cum causam de testib.* quia causa facti potius est inquirenda, quam ipsum factum *cap. 1. 15. q. 6.* vnde delictum, quod in viro reputatur graue ratione maioris ætatis, in iuuene iudicatur leue ratione minoris ætatis, delictum enim ætate minuitur *cap. 1. 2. de delict. puer. Feder. de Senis cons. 168. Graff. de arbitr. lib. 2. arbitr. 91 n. 7.* quod potissimum habet locum in casu nostro, nam vt plurimum nouitij sunt iuuenes à 15. ad 20. in his igitur qualitas delictorum ab ætate mensuranda est, & in dubio relinquitur arbitrio prudentis viri, nempe superioris maioris adhibito consilio, iuxta superius dicta. Percussio calce, pugno, aut manu in conuouitium leue crimen est, in superiorem vero, aut magistrum graue delictum arbitratur ex conditione personæ offensæ à suo subdito, & ita dignus est expulsione. Furtum de pane, vino, & similibus cibarijs alias ianuis apertis leue crimen, sed cum effractione, vel clauibus adulterinis graue delictum. Egressio è loco nouitiatus iuxta clausuram vel circa de die leue delictum, nocturna vero extra conuentum graue æstimatur, obseruatio enim clausuræ magna est in consideratione apud religiones, & cum magno rigore præcipitur in vnaquaque religione, & postremo à Clem. VIII. in Decretis pro reformatione regularium à n. 18. ad 22.

18 Respond. Quo ad secundum de defectibus non vitiosis, sed naturalibus, cuiusmodi sunt Ignorantia, dementia, illegitimitas, cæcitas, surditas, clauditas, &c. Ista impedimenta excludunt nouitium à religione, cum istorum ingressus odiosus sit, & præiudicialis religioso statui.

19 Ignorantia licet non impediat volentes ingredi ad statum laicalem, impedit tamen volentes accedere ad

20 statum clericalem, cum ad hunc non sint idonei, sed inhabiles ex iuribus citandis. Quis autem dici potest ignorans tribus modis. I. Qui nulla penitus habet principia litterarum, sed earum prorsus est ignarus cap. 1. dist. 36 cap. Præcipimus 7. dist. 34. ibi: *Aut ignorantem literas* cap. Non confidat 53. dist. 50. ibi. *Sine literis*, cap. Pœnitentes 3. dist. 55. ibi *Inscij literarum.* II. Illiteratus dicitur, qui tantum scit legere, & scribere, sed non intelligit, quod legit, de quo vulgatum Catonis. Legere & non intelligere est negligere, & legere sine intelligere parum est, *Glos. v. Ac intelligere, ext. 2. Ioann. XXII. de verb. signif. per iura ibi citata.* III. Illiteratus dicitur ille, qui legere scit, & aliquid intelligit, vel saltem dat spem proficiendi in literis, *Glos. Reputamus prebend. vnde Rota Romana. vol. 2. alijs citatis decis. 16. n. 4.* ait scientem parum, sed cum spe plus proficiendi, esse habilem ad beneficia non requirentia scientiam, vel magnam curam, vt in Abbatia Monachorum. *Imol. in clem. 1. de atat.*

21 Nouitius primo, ac etiam secundo si caret spe proficiendi non est recipiendus ad statum clericalem, quia est inhabilis, cum postea non possit ordinari, cum de ipsius aptitudine desperetur, nisi forsan vellet manere in religione cum sola corona more clericorum, sed non ascendere ad ordines, eo casu accipi potest in numero clericorum, sed non ad illorum officium ob ignauiam? In tertio sensu recipi potest, cum sit habilis, & sit debilis, tamen cum spe proficiendi in litteris si sit minor viginti quinque annis, vt in terminis Clem. VIII. ex Instit. super educat. nouit. §. Quisque, ibi. *Eam vero literarum scientiam calleat, aut illius addiscenda spem indubiam præseferat, vt minores, & suis temporibus maiores ordines, iuxta decreta Sacra S. C. T. suscipere valeat. Sed siquis annum vigesimum quintum excedens*

22 *ad habitum regularem admitti postulauerit, & talis eruditionis expers inuentus fuerit in conuersorum tantum, quibus literarum scientia non est necessaria, numerum referatur.* Minor ergò viginti quinque annis nesciens construere, sed tantum vix legere, nisi ostendat spem indubiam proficiendi in literis, recipiendus non est ad statum religiosum clericorum. Vnde maior viginti quinque annorum non videtur præseferre hanc spem addiscendi, eo ipsò, quod eis ignorantibus prohibetur accessus ad statum clericorum.

23 Amentia, quæ est carentia vsus rationis, impedit ingressum, & professionem in religione, ingressus enim ad probationem, & professionem faciendus est cum iudicio rationis, quo caret stultus, & furiosus, qui in hoc comparari possunt, cum vterque careat vsu ratio-

24 nis cum ea differentia, quod furiosus impetu furoris ducitur in suis actionibus, quo caret mente captus, *Bald. in l. Qui furiosi C. de nupt. numero 2. Alex. lib. 2. cons. 14. numero 2. Iason in l. Fuit supra C. qui testam.* æquiparantur ergo amens, & furiosus. l. Si *pater, ff. de cur. fur. Megal. t. 2. lib. 2. capit. 7. numero 41.* De inualiditate nouitiatus, & professionis habetur *capitulo. Sicut tenor de regul. Angel. ver. Nouitius numero 8. Silu. ver. Religio 5. cap. 2. Mirand. tom. 1. quæstione 17. art. 5. concl. 3. quos pro se citat Vecchius disp. 2. dub. 7. de probatione, & de professione disputat. 13. dub. 1. numero 10. Sanchez libro quinto cap. 4. n. 53. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 3. num. 2.* Dicta procedunt absolutè de amente, & furioso simpliciter.

Super prædictis proponi possunt sequentia dubia. I. An amens in aliquo certo genere recipi possit ad religionem? II. An amens tempore ingressus si admittatur dicatur esse in probatione pro eo tempore, an vero nouitiatum incipiat, post cessationem furoris, seu amentiæ? III. An post ingressum superueniens dementia interrumpat nouitiatum? IV. An dementia superueniente tempore professionis admitti possit ad profitendum? V. An ratificatio habeat locum in ijs, qui probati fuerunt, vel professerunt in amentia? VI. Quomodo probanda sit dementia ad liberandum nouitium à iugo religionis, quam professus fuit?

25 Primo, Amens in aliquo certo genere, sed in alijs ratione vtens admitti potest ad probationem, & professionem, quia in his non caret vsu rationis, cum bene percipiat quid experiatur, & ad quod se obliget, vt suppono, & docet *Sanch. lib. 5. cap. 4. n. 53.* Et similes personæ potius simplices, & leues, quam amentes vocandæ sunt.

26 Secundo, receptio amentiæ nulla est, neque subsequens probatio, vt quæ nullum supponit nouitiatum ex inualida receptione. Vnde amentia, seu furore cessante denuo recipiendus, vel saltem admonendus de inceptione nouitiatus, aut saltem superiores non debent illum admittere ad profitendum nisi post annum probationis incipiendum à tempore cessationis dementiæ, *Vecch. disp. 2. dub. 7. n. 3.*

27 Tertio, superueniens dementia nouitio iam recepto non interrumpit nouitiatum, siue proueniat ex frænesi infirmitatis, siue ex alio euentu extraordinario. Neque proinde supplendum est illud tempus, quo nouitius fuit in furore per vnum, vel alterum mensem.

28 Illud de continuatione nouitiatus probatur Tum quia interruptio nouitiatus non potest contingere

nitu per aliquem actum humanum modo humano factum, res enim per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, nascitur autem per humanos actus voluntarios, & liberos, ergo per eosdem interrumpendus est, sed amens, & furiosus non dicuntur voluntarie, & libere agere, cum careant vsu liberi arbitrij, ex quo habet esse voluntarium, & liberum, ergo per illorum furorem, & stultitiam non interrumpitur nouitiatus. Tum quia continue fuit sub obedientia superioris, & magistri, & si extra, de illorum licentia, quod non frangit nouitiatum; immo & si aufugisset, illi nequaquam imputanda est ad vitium, & fractionem nouitiatus *arg. cap.* aliquos 5. 15. *q.* 1. quia factum non imputatur furioso. Tum quia hic nulla culpa est assignabilis, per quam discontinuetur nouitiatus, neque aliunde quam culpabiliter vitiari potest. Tum quia est formaliter nouitius, gaudet enim priuilegio canonis Tum quia demens se habet vt dormiens, qui non interrumpit annum, neque probationem. Sic etiam docet *Sanch. lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 55.

29 Hoc de probatione non supplenda respectiue ad tempus furoris, suadetur, Tum quia subsistit nouitiatus, ergo & probatio, quæ in eo fundatur. Tum quia nouitius non tenetur actu continue experiri, sicut enim non habet probare omnes in singulari austeritates, vt docent *Rodr. tom.* 3. *q.* 15. *art*, 10. *Nauar. cons.* 32. *n.* 5. *& ipse Sanchez lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 52. ita neque ingiter in illis manere. Tum quia ægrotans toto nouitiatus anno non tenetur reficere annum probationis, sed potest profiteri, vt tenent tres præcitati, ergo & demens à fortiori, qui per vnum aut alterum mensem tantum mansit in furore, & non per totum annum, vt ille ægrotans, est enim furor & dementia species infirmitatis, & morbi. Tum quia virtualiter fuit in probatione, ea eo quia etiam tunc fuit subiectus Imperio superioris.

30 Sanchez *lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 55. *quem sequitur Peyrinus de prælato q.* 3. *cap.* 1. §. 2. *num.* 39. concedit quidem neque per amentiam ex frænesi, neque ex alio extraordinario euentu interrumpi nouitiatum, sed negat in secundo casu nouitium esse in probatione, vnde vult supplendum esse illud tempus probationis, quæ defuit in tempore furoris, si notabile tempus fuit e.g. per mensem, duabus rationibus, vna quidem, quia amens non potest experiri disciplinam regularem, neque subesse superiori pro eo tempore; altera vero, quia sicut tempus pubertatis inæpta est ad probationem defectu pleni vsus rationis, in quo neque malitia supplet ætatem, ergo à fortiori tempus amentiæ, & furoris, in quo nouitius penitus caret vsu rationis. Respondi jam ad primam; non requiri continuam probationem, & experientiam, sed sufficere virtualem fundatam in anno nouitiatus non interrupto, cum formaliter adhuc sit sub obedientia superioris, aliter neque dormiens subesset superiori. Ad alteram dico, esse differentiam, nam pubertas simpliciter excludit nouitiatum, non vero dementia superueniens, si illius annum intactum relinquit, respectu cuius probatio in eo virtualiter subsistit tempore furoris, seu amentiæ.

31 Dixi in responsione per vnum, vel alterum mensem, quia si per plures menses duraret, multum expediret religioni dimittere illam ad suos parentes, quia illius persona plus detrimenti, & damni esset religioni, quam vtilitatis. Et sic tollitur responsio *Compend. Rodr. resol.* 101. *n.* 42. §. *Vnde*, dicentis supplendam esse probationem, quando per magnam partem, seu maiorem anni, non vero si per mensem maneat nouitius in furore, si expediat magis eum dimittere, quam retinere.

32 Quarto, demens, neque furiosus tempore dementiæ admitti potest licite, nec valide ad profitendum, cum careat vsu rationis necessario ad profitendum, *cap. Sicut tenor* 15. *de Regul. & ex cap. Gonsaldus* 1. 17. *q.* 2. *Vecchius disp.* 13. *dub.* 1. *n.* 10. *vbi citat Rotam decis.* 107. *n.* 13. Confirmatur, quia amens, & furiosus non possunt contrahere matrimonium, *cap. Neque furiosus* 26. 32. *q.* 7. ergo neque professionem, quæ est matrimonium spirituale.

33 Sed quid dicis? si eo die, quo profitetur, non sit amens, sed fuerit ante, vel post, an teneat professio? Dico, meo iudicio, si per quindecim dies ante, vel post non erat furiosus, iudicari posse eius professionem validam, quam eo tempore non erat mente alienatus ex eisdem capitibus, quæ decernunt tempore amentiæ non valere professionem, ergo vtique extra illud tempus. Si vero intra eamdem hebdomadam incidit in furorem dubitari potest de valore professionis, quæ requirit plenum rationis vsum, qui videtur deficere eo tempore propter nouissimum, & vicinum furorem, furor enim de præsenti præsumitur in futurum durare, vt *docet Paris. cons.* 87. *n.* 12. *Couar. de sponsal. part.* 2. *cap.* 2. *n.* 6. *Farin. de pœnis temp. q.* 94. *n.* 5. *Rota Rom. vo.* 2. *decis.* 106. *n.* 26. licet enim quandoque videatur vere loqui, tamen apparenter loquitur *Glos. v. Furore cap. Dilectus, de Spons. Mar. Anton. lib.* 1. *resol.* 44.

34 Quinto, ratificatio habet locum in ijs, qui aliquid veri nouitiatus peregerunt, vt colligitur *ex cap. Sicut tenor.* 15. *de Regul.* Neque vero iste censetur tacite professus perseuerando in religione, *contra Host. Ioan. And. Anchar. Cardin. & alios in dicto capite*, nisi faciat aliquem actum inducentem professionem tacitam, vt docent *Siln. v. Religio* 5. *q.* 2. *Rosell. v. Nouitius* 12. *Angel. n.* 9. *Sanch. lib.* 5. *cap.* 4. *n.* 53. Quod si tempore probationis semper mansit in dementia, seu furore non datur locus ratificationi, quia iste æquiparatur ei, qui nunquam statum regularem expertus fuit, cui non potest fauere ratificatio.

35 Sexto, quomodo probandus sit furor, aut dementia professi, vt excludatur, & liberetur à iugo religionis? Rota Rom. *vol.* 2. *decis.* 107. *ait n.* 8. probari posse per alios religiosos, cum quibus conuersatus fuit stultus, nam vicinis, & cum quibus conuersamur præsumuntur nota facta nostra, *ex cap. Quosdam* 7. *cap. Quanto* 8. *de præsumpt. & n.* 24. dicit, dementiam probandam adfuisse tempore professionis, quod censetur probatum, si constet de amentia ante, & post professionem, quia probatis extremis, præsumitur de medijs, vt de furore argumentatur *Anchar. cons. n.* 5. *Rum. inter consilia Curtij Inn. cons.* 292. n. 26. *lib.* 3. *ex citata Rota n.* 25. & qui apparet demens post, præsumitur talis fuisse ante, *Alex. lib.* 5. *cons.* 92. *n.* 23. *&* 24. quia ex præsenti præsumitur in præteritum; dementia autem probatur ex eo, quod proprium nomen ignorat. *l. fin. ff de hæred. instit.* & ad eum qui vult excludere professum spectat probare dementiam, *Glos. in cap. Gonsaldus* 1. 17. *quæst.* 2.

36 Illegitimitas olim excludebat à religione natos ex incestu consanguinitatis, & affinitatis intra tertium gradum, aut ex alterius sacrilegio ex voto castitatis, etiam legitimatos. Alios vero illegitimos non excludebat, suffragantibus eorum meritis, præmissis informationibus debitis, ex const. incip. Cum de omnibus Sixt. V. qui in alia incip. Ad Romanum, declarat in priori non comprehendi legitimatos per subsequens matrimonium. Gregorius vero XIV. prædictas constitutiones reduxit ad terminos iuris communis, hoc est, illos fecit habiles ad religionem sicut erant ante de iure communi, si tamen eorum merita, & virtutes supplerent defectum natalium, ex constit. Incip. Circumspecta. Eas habes extensas *apud Quar. v.° Monasteria, Rodr. tom.* 3. *q.* 54. *Mirand. tom.* 1. *q.* 19. *art.* 3. *agunt Vecchius disp.* 2. *dub.* 12. *Lezana tom.* 1. *cap.* 24. *n.* 21. *Portel. v. eod. n.* 4. *Ego cap.* 2. *à quæst.* 52. *Compend. resol.* 76 *n.* 10. cui ibi sub nomine sacrilegorum excludit natos ex regularibus militaribus coniugatis, quia inquit, Sixtum loqui de promittentibus absolute votum castitatis, eo quod constitutio hæc cum sit odiosa, restringenda est.

Sed

37 Sed teneta nulla est differentia inter natos ex regularibus quibuscunque nam omnes æque vocantur sacrilegi, cum illud vitium contrahatur simpliciter ex prohibitione: venereorum illicitorum, non autem ex eo quod voueatur maior, vel minor castitas, & ab aliquibus tota simpliciter castitas, & non ab aliis nempe Militatibus non Maltensibus, qui vouent castitatem cum sola abstinentia à venereis illicitis extra matrimonium. Deinde ut vtrisque par est sacrilegium, circumstantia aperienda in confessione, *vt docent Rodr. tom. 1. quæst. 13. art. 2. Aiala in libello ord. S. Iacobi, Lezana tom. 2. cap. 5. n. 11. Diana resol. 30. de regul. §. Ex his*, vbi alios citat. Adducta ratio Compeod. ex probatis tollitur, quia par sacrilegium est in vtrisque ergo nulla ratio suadet, restringendam esse constitutionem ad non militares, cum neque per quod diximus extendatur, sed intelligatur in propria verborum significatione; & sic docet *Villal. contra dictum compend. Vide dicta resol. 12. n. 13. ad 19.*

38 Proles suscepta ex altero voto castitatis simplicis adstricto, non est illegitima, siue sit inter coniugatos, siue inter solutos, si legitimetur per subsequens matrimonium, non comprehenditur sub constitutione Sixti V. licet enim ex circumstantia peccati sit sacrilega cum sit ex violatione voti castitatis, non tamen illegitima, neque sacrilega hac ratione, quia Papa per eam constitutionem non intendit prouidere nisi circa sacrilegium ex professione regulari, aut ordinis sacri, constitutiones enim sicut non derogant specialibus statutis, & consuetudinibus locorum, ex cap. 1. de constit. in c. nisi de illis mentionem faciant, ita neque aliquid intendunt disponere contra leges priuatorum, nisi in iis se explicent: præterea illæ constitutiones emanarunt in odium Ecclesiasticorum, qui proprij voti abstinentiæ a vatis obliti luxuriabant procreatione filiorum damnata cum spe alendi eos apud Religiones, cum graui iactura status religiosi, ideo cupiens huiusmodi incommodis occurrere, & compescere illorum libidinem, sua constitutione illegitimis ingressum ad statum regularem interdixit. Vide *cit. resol.* 12.

39 Alij denium corpore vitiati, vt cæci, claudi, muti, surdi &c. quamuis ex his nonnulli non prohibeantur ab ingressu, tamen melius est eosdem non recipere, cum Religioni plus incommodi sint allaturi, quam vtilitatis, & nullatenus cæci, & mutui admittendi essent, cum sint omnino inutiles ad religionem, nisi secum deferant victum, & vestitum, & eorum professio tenet, si recipiantur, quia non carent consensu, & iudicio, quibus valide proficere possunt, nam cæcitas consensum, neque vsum rationis impedit, mutitas vero licet impediat loquutionem, nutibus tamen, & signis externis mutus sufficienter potest se obligare exterius eisdem notum faciendo suum votum. Confirmatur quia cæcus, & muti possunt proficere matrimonialiter, ergo, & spiritualiter, docet *Sanch. lib. 1. disput. 8. num. 12. Ita Vecchius disp. 13. dub. 2. n. 2. vbi quamplures citat, Sanch. lib. 5. cap. 3. num. 2.* vbi subdit cæcum simul & penitus surdum esse incapacem professionis, quia non percipere potest ea quæ spectant ad statum religiosum, & consequenter neque se obligare ad obseruationem status religiosi. Procedunt dicta, nisi adesset statutum in aliqua Religione, vt nulla esset professio, nisi emitteretur per certa verba determinata, quod in aliqua Religione extare nondum audiui, neque credo inueniri.

40 Nota, corpore vitiatos, qui irregulares sunt ad ordines, non esse admittendos ad statum clericalem, nisi præuia dispensatione, quia cum impediantur à susceptione ordinum ob irregularitatem, ad illos disponi non debent per ingressum Religionis, siquidem qui prohibetur ab aliqua re obtinenda, arceri debet à mediis conducentibus ad illius consequutionem; & quod vna via prohibetur, alia admitti non debet, ex vulgatis

41 iuribus. Verum quidem est, quod in religionibus solent distingui duo gradus clericorum, alij tales sunt ex signo tonsuræ tantum sine spe ascensus ad ordines, quales sunt illi, vel qui carent scientia, vel qui sic petunt admitti humilitatis gratia, & hi recipi possunt, licet corpore vitiati, modo omnino inutiles non sint, & deferant secum victum, & vestitum. Alij vero tales sunt ex ordinatione, qui præter delationem tonsuræ recipiuntur, & admittuntur ad ordines, vt se exerceant in choro, & Ecclesia in diuinis exercitiis; & istos optimum est non admittere ad probationem, nisi prius obtineant dispensationem ad ordines, ne forte post professionem, ex aliquo accidenti non valentes eam impetrare, otiosi, & inutiles remanerent cum dispendio religionis.

Quæres 3. In quodam conuentu monialium receptæ fuerunt duæ puellæ, vna deputata ad Chorum, quæ carebat oculo, & altera destinata ad seruitia domus, quæ altero pede, & brachio claudicabat, & vtriusque defectus prælibati erant satis noti monialibus, receptæ fuerunt ad habitum probationis de consensu omnium monialium; tempore professionis vtriusque adueniente, Abbatissa vtramque proposuit ad profitendum, vna pars monialium vtramque iudicauit idoneam, altera vero claudicantem censuit ineptam, & quia secunda pars numero erat maior, nouitia conuersa habuit exclusiuam; deputata vero ad chorum reputata fuit idonea ab omnibus monialibus, excepta Abbatissa, quæ eam intendit expellere, ea ratione præcise, quia indecens est, eam choro inseruire cum aliis eo defectu, sed aliæ moniales illi fauentes nolunt, vt expellatur, quia illi defectus impediunt solum viros à diuinis obsequiis, non vero fæminas, vt quæ ordinibus non sunt initiandæ. Vtraque vero Nouitia prætendit habere ius ad professionem, quia non adducunt moniales aliam rationem excludendi illas, nisi illos defectus, qui cum essent notorij ipsis monialibus, non videntur obstare in fine, si nec in principio, cum illas acceptarint ad habitum probationis, quod est via ad professionem, ergo & habent permanere in ea approbatione, si nihil aliud obstet. An dictæ nouitiæ reclamantes admittendæ sint ad professionem, an reiiciendæ in domos parentum? Et an Priorissa seipsa, non obstante acceptatione facta ab aliis monialibus, possit excludere nouitiam ad chorum deputatam? Tertio, An Abbatissa quæ est ex parte priori minori numero ex hoc quod est superiorissa inducat potiora iura, & superet aliam partem maiorem numero, vel saltem æquet alteram partem ad fauorem nouitiæ, ne excludatur.

Respond. Neutra est reiicienda prætextu eorum defectuum, si nihil aliud obstet. Neque Abbatissa seipsa nouitiam aliquam excludere potest; neque illius votum tantæ virtutis est, vt æquet vota aliarum, vel ea superet cum minori parte.

42 Primo, quod neutra sit reiicienda, probatur. Tum propter adductam rationem. Tum quia Abbatissa, & moniales per receptionem ad nouitiatum iudicarunt illas idoneas ad religionem, ergo illud iudicium debet perseuerare etiam in professione, cum defectus illi, qui forsan poterant obstare, non sint mutati, sed remanserint naturaliter, sicut erant ante tempore primæ receptionis. Tum per illam communem regulam 21. in 6. quod semel placuit, & approbatum fuit, non debet amplius displicere, neque reprobari, nisi noua superueniente causa, ex cap. Pastoralis 4. de except. vnde nouitius approbatus ad profitendum, aliquo eius errore detecto, graui tamen, reprobari potest, *Portel. part. 1. casu 5. num. 5.* sed in hoc casu nulla superuenit causa, aut defectus, sed quod erat ante notorium omnibus idem omnino immutabiliter remanet, ergo non potest reprobare. Tum quia etiamsi approbatio fuerit pro anno nouitiatus facta, & sic non videatur habere vlteriorem vim, cum limitata causa limitatum producat effectum, tamen res ita se non habet, nam ea

approbatio absoluta non est, sed relatiua ad professionem, sub ea conditione, si puellæ approbatæ pro nouitiatu se bene gesserint, recipientur etiam ad professionem; sed conditio fuit adimpleta, cum se bene gesserint ergo admittendæ sunt ad professionem. Tum quia nouitiatus est dispositio, & via ad professionem, *Nau. cons.20. de priuil. num.7. Becan. cap.43. de sacram. q.21. num.3.* ergo præcedens approbatio nouitiatus ordinatur etiam ad professionem. Tum quia licet nouitij sit

43 in optione retrocedere si velit, *cap. Illud 20. quæst.1. cap. Super eo 9. cap. Statuimus 23. de regul.* vbi clare id definitur, nisi nouitius sit adstrictus voto remanendi, quia nouitiatus non includit obligationem profitendi; *Becan. cit. num.4.* nihilominus cum id sit in solius fauorem nouitij, vt dicitur eodem cap.23. & non Religionis, reiiciendus non est sine causa, est enim nouitius dominus sui ipsius, & sic potest cedere iuri suo, non sic superior & religio, quæ illum expellendo priuat magno bono, ad quod aliquale ius habet, sicut ille, qui se examini exposuit, si se bene gessit in responsis, ius habet, vt admittatur vel ad beneficium, vel ad munus confessarij, & hoc ex iustitia, vt docent communi-

44 ter Doctores, de beneficio, ex sess.24. cap.18. ibi: Et non alteri collatio Ecclesiæ fiat, de confessarij mune-

45 re, *docent Suar. Fagundez, Filliuc. cum aliis, quos pro se citat Bossius sect.3. de Iubil. casu 2. num.15.* Rationes cur possit recedere nouitius, & non expelli idoneus, habes *apud Suar. tom.3. de Relig. lib.4. cap.3. num.7. quem pro*

46 *se citat Diana resol.19. de regul.* Tum quia nouitius idoneus habet ius reclamandi, vt recipiatur ad professionem, *Vecch. disput.12. dub.3. n.9. Et docet cap.3. q.22. per decisionem Rotæ.* Quare dictæ nouitiæ reclamare possunt, procurantes, vt admittantur ad professionem.

Procedunt dicta, quando eædem moniales sunt ad professionem, quæ ante erant in receptione ad probationem, alias subsequentes ad professionem variare possunt. Quod idem dic de viris nouitiis, in quibus tamen vix casus accidere potest, quod iidem sint ad professionem, qui ad probationem. Aduertant tamen, nouitium introductum, & habentem euidentem defectum, aut tunc esse repellendum, aut sustinendum ad professionem cum tali defectu naturali, si se bene gessit, videtur enim illi fieri iniuria retinendo illum vsque ad finem anni, & postea reiiciendo illum præcise prætextu illius notorij impedimenti, quia turpius eiicitur, quam non admittitur hospes, *cap. Quemadmodum 25. de iureiur.*

47 Alterum, de Abbatissa sola non valente nouitiam reiicere, suadetur ex iis, quæ dixi *cap.3. quæst.2.* quia id est negotium totius monasterij, ab eo consequenter cum Abbatissa expediendum; & cum sola non admittat ad probationem, neque multo minus ad professionem, quod est maioris considerationis.

48 Demum illius votum eiusdem rationis est cum votis aliarum monialium, cum neque de iure communi, neque ex statuto suæ Regulæ illius suffragium valeat pluris, quam aliarum monialium, sed solum ibi est caput negotium proponens suis membris, quæ sunt moniales.

Quæres 4. An professio emissa à nouitio existente in articulo mortis teneat, si postea conualescat, ita quod non teneatur amplius profiteri.

49 Respond. Alias in meo Tract. de Profess. regul. *c.4. quæst.49. & 50.* Huiusmodi professionem non habere effectum suum nisi morte secuta, quod probaui duabus rationibus, prima desumpta ex conditionali, quæ vt sic nihil ponit inesse, *l. Cedere diem ff. de verb. signif. l. Si quis omissa ff. eod.* vnde neque actus eius contemplatione factus valet, nisi conditione existente, & nihil operatur ante illius euentum, excitatis legib. *& cap. Si pro te 13. de rescr. in 6. & cap. Præterea 40. de appellat. Barbosa Vaz. lit. C. num.31. Puteus lib.2. decis.283.* ergo professio eo modo facta non recipit vires nisi in puncto mortis; altera accepta ex verbis ipsius summi Pontificis Pij V. illis verbis. *Ita tamen quod ipsæ moniales nouitiæ sic decedentes indulgentiam, & alias gratias, quam moniales verè professæ decedentes consequuntur.* Ecce, quod profitentes huc modo consequuntur indulgentias, sicut aliæ vere professæ cum decedunt, ergo dicta professio non est vera professio, sed talis solum in ordine ad indulgentias contemplatione mortis, ergo nouitia non moriente professio non tenet, sed adhuc prosequi debet nouitiatum, & post annum probationis proficere. Contra plures cum *Diana part.2. resol.17. de dub. Regul. & part 5. tract.3. resol.139. Scrofa in suis Solution. q.37. n.8.*

50 Peirinus ad hanc constit. incip. Summi Sacerdotis Pij V. quam extendit tom.2. priuil. & confect. ante ipsum, pag.219. in suo notabili primo asserit, factam professionem à moniali in tali articulo cum conditionibus, & solemnitatibus requisitis ibi, de quibus ego loco citato, dixi validam esse, licet postea non moriatur, quod probat. I. quia nil deest nisi temporis complementum nouitiatus, quod per illud priuilegium supplet Papa. II. quia sicut matrimonium in articulo mortis contractum vere matrimonium existit, ita pariter professio nouitiæ in articulo mortis emissa. Et pro se citat Confect. tit.23. cap.23. referentem posteriorem rationem, & Sanch. lib.5. cap.4. n.16. Ad quorum rationes dico ad primam, non apparere, Sanctitatem suam reliquum nouitiatus tempus supplere, sed tantum indulget, vt possit proficere in articulo mortis non obstante anno incompleto probationis ibi: *ante tempus requisitum.* Si vero nouitia conualescat nihil disponit, consequenter iste casus relinquitur dispositioni iuris communis, l. Commodissime ff. de liber. & posthum. quod vult, vt professio non emittatur nisi post annum probationis expletum cap.15. Sess. 25. in Trident. & cum non fuerit vere articulus mortis, vt probat conualescentia, non potuit habere locum Sanctitatis suæ priuilegium; neque obstat quod verus articulus adhuc dicatur, quamuis mors non sequatur, quia Papa propriè exigit vt sequatur mors, vt colligitur ex illis verbis. *De alicuius medici consilio ab hoc sæculo transitura conspicitur.* Et licet addatur, *In articulo mortis.* Refertur hoc ad tempus emittendæ professionis, quæ suas vires acquirit, cum decedit sic professa, vt ex præcedentibus verbis constat. Ad posteriorem esse dissimilitudinem, nam in matrimonio mors est causa inductiua ad contrahendum matrimonium absolutè, in professione vero est conditio, sine qua locum professio non habet. Itaque professio est sub conditione, matrimonium vero absolute contractum.

Nostram responsionem docuit *Beia casu fin. part.4.* vbi eam multis probat, oppositum senserunt *Sanch. lib.5. cap.4. num.16. Confect. tit. fin. cap.13. Compend. Peregr. 5. Nouitius, Lezana tom.1. cap.25. de monial. num.39.* referens eorum opinionem maxime Peyrini, cum quo bene reddit rationem, cur non fuerit reuocatum hoc priuilegium à successoribus, maximè à Gregorio XIII. qui omnia priuilegia regularium aduersantia Tridentino annullauit, quia lex intelligitur disponere de casibus communiter accidentibus, non autem respicere ad eos, qui accidunt raro *l. Nam ad ea ff. de legib. & asserit à S.C.* decisum fuisse, prædictam

51 professionem sic emissam in articulo mortis non suffragari, si conualescat monialis, sed debere prosequi reliquum probationis, & profiteri more aliarum, quæ non sunt aliqua infirmitate detentæ.

52 Quamuis hoc priuilegium sit pro Monialibus, communicatur tamen etiam viris nouitiis, vt ducet *Peir. cit. n.3. & Peregr. 5. Nouitius,* quia non est maior ratio cur moniales communicent in priuilegiis virorum & viri non participent fauores monialium, cum priuilegium neutri sexui repugnat, & dixi de hac communicatione priuilegiorum promiscue ab vtroque sexu consil.52. q.58. n.319.

Quæres

Quæres 5. An nouitius, qui petiit licentiam dimittendi habitum, & recedendi ad seculum, & obtinuit; sed nihilominus illo die, & sequenti mansit simul cum aliis nouitiis, & cum habitu etiam expectando suos consanguineos, qui eum domum reducturi erant, sequenti nocte facti pœnitentia ductus, amicorum, & consanguineorum persuasione, & consilio propositum mutando, & petendo retineri in probatione cum intentione, & bona voluntate perseuerandi in Religione, interruperit nouitiatum, ita quod si velit remanere teneatur non solum reficere nouitiatum à capite, verum etiam ex parte conuentus requiratur nouus consensus ad illum retinendum, & ad quos id spectet? Videtur, quod interruptus fuerit nouitiatus, ita quod amplius prosequi non possit; quod probatur. Tum quia renuntiatione perditur titulus institutionis, *Nau. tom. 3. in cap. si quando, de rescr. num. 23. per cap. Quam periculosum 7. qu. 1. & l. Quaritur §. Si venditor ff. de edic.* ergo & nouitius renuntiando nouitiatui illum sine dubio interrupit, cum amiserit institutionem probationis. Tum quia renuncians non potest redire, aut repetere, quod renuntiauit, cap. Si usus 13. q. 4. siquidem renuntiantibus actiones suas non est dandus regressus, *ad eas l. Quaritur, cit. Nauar. cons. 21. de temp. ord.* & suum officium renuntians ad illud amplius redire non potest, *cap. Ex transmissa 3. de renunt.* Tertio, quia nouitiatus formaliter fieri debet, hoc est, cum intentione illum faciendi, *Nau. 19. & 26. de Regul. num. 17.* ergo intentio opposita illum non prosequendi, sed reuertendi ad seculum illum efficaciter intercidit. Quibus tamen non obstantibus.

Respond. Nouitiatus non fuit interruptus; verum quidem est, quod requiritur nouus consensus intentionis, vel saltem interpretatiuus eorum, qui nouitium petenti licentiauerunt. Procedunt siue habitum dimiserit, siue non.

Illud de non interruptione suadetur. Tum quia per breuem recessum licet irrationabilem non interrumpitur, ex probatis a me de Profess. regul. cap. 4. q. 11. fauendum siquidem est animæ eius, qui periclitatur, renuntiare enim est multum incommodum ingredientibus, & sic facile recedunt, quare expedit fauore ingrediendum per tam breue tempus non interrumpi annum probationis, ad quod facit illud. *Factum non dicitur parum durans.* Cap. Nam 3. *de verb. signif. Gloss. cap. D. uertium 21. dist. 1. de Pœnit. Angel. cons.* 34. procedit autem, quando actus habet tractum successiuum, *Menoch. cons. 334. num. 19.* paria enim sunt non facere, vel in facto non perseuerare, *l. Quicquid calore ff. de reg. iur.* & facit ad rem nostram, cum nouitiatus habeat tractum successiuum; maxime quando dubitatur de obligatione, & alia qualitate pendente abs tractu successiuo temporis, vt in casu nostro, tunc reputatur non factum, *Gloss. 5. Statim pœnituit, cap. Ad nostram 6. de regul. ex Ioanne Andrea,* petita ergo licentia, & obtenta, cum parum & fere nihil durauerit respectiuè, reputatur ac si de illa nihil actum fuisset, consequenter nouitiatum interrumpere nequaquam potest. Tum quia illis duobus diebus adhuc remansit in re nouitius, cum detulerit habitum, & in loco nouitiatus permanserit sub disciplina Magistri, immo etiam si mansisset inter professos, quia totus conuentus idem reputatur cum loco nouitiatus, quælibet enim pars est locus nouitiatus respectu totius monasterij, dicitur esse in suo toto, Reg. 80. in 6. Tum quia non sufficit verbum, & propositum, vbi facto opus est, *l. Non omnes ff. de re mil. cap. 1. & 2. de sequestr. poss.* ad interruptionem vero nouitiatus requiritur factum consistens in actuali recessu; quod in casu nostro non euenit. Tum quia renuntiatio inconsiderate facta, & cum parum prudenti iudicio, & ratione non tenet, neque aliquos parit effectus præiudicantes renuntianti, *cap. Super hoc, de renunt. & facit cap. Ad nostram cit.* maximè cum hæc renuntiatio nouitiatus dicatur potius illicita, quæ non præiudicat, *Gloss. 5. Aduocati cap. 1. 17. q. 2.* Procedunt licet etiam habitum dimisisset, quia non ideo exiuit à monasterio, & sicut dimissione habitus in cella interdiu quandoque vel noctu non vitiat annum probationis; ita neque in hoc casu immo etiamsi de facto recessisset, quia breuis illa habitu dimisso, iuxta probata loco citato non interrumpit nouitiatum, ergo neque recessus concessus: *Faciunt à fortiori, quæ dico infra quæst. 78. §. Interrumpitur.*

De nouo consensu saltem interpretatiuo retentionis suadetur, quia non amplius adest intentio, & voluntas perseuerandi in nouitiatu per illam licentiam reuertendi ad seculum obtentam; ergo vt nouitius prosequatur annum probationis, necesse est, quod renouetur ex parte vtriusque, ex parte autem nouitij aperte est renouata per illum actum pœnitentiæ patefactum conuentui, ex parte vero conuentus sufficienter approbatur, & renouatur per non expulsionem illius à Religione, permanendo in eodem statu probationis noto conuentui, dum illum videt sub disciplina Magistri cum aliis connouitiis perseuerantem in probatione.

Priora autem duo argumenta de renuntiatione procedunt, quando renuntiatio est vltimo perfecta; tunc enim perditur titulus institutionis, ita quod renuntians amplius non habet ius redeundi ad id, quod renuntiauit; in casu autem nostro Nouitius non perfectè, & complete renuntiauit nouitiatui, ad cuius renuntiationem necessaria sunt duo, depositio habitus, & recessus temporaneus à Religione, neutrum accidit in casu supradicto, consequenter argumenta contraria nihil probant contra præceptum. Ad tertium de intentione faciendi nouitiatum, dico, quod intentio illa si non formaliter perseuerat, virtualiter saltem mansit in retentione habitus, & vita regulari sub disciplina Magistri; neque si exiisset, per aliquod breue temporis spatium, ea intentio ita contracta fuisset, vt omnino nouitiatum interruptione vitiasset, quia licet in se non amplius extitisset, remansisset tamen in virtute præcedentis nouitiatus, qui moraliter non disiungitur à subsequenti, ratione saltem virtualis voluntatis, & affectus ad Religionem licet mortificatæ per illum actum formalem recedendi, moralia enim non ita rigorose iudicanda sunt, sicut naturalia.

Quæres 6. Ad quonam spectet licentiare nouitium petentem regressum ad seculum? Supra dixi num. 11. & 13. expulsionem indigni fieri à superiore locali de licentia sui superioris cum consensu sui capituli, ob rationes ibi adductas, an hæc eadem responsio habeat locum in casu præsenti? & videtur sic, quia militant eadem motiua.

Respond. Sufficit superior localis de consilio sui capituli, cum quibus bene considerare debet an licentiandus, quo concluso, præmissa monitione de recessu à statu valde bono, & perfecto ad statum satis periculosum, & imperfectum dimittatur cum benedictione Dei; suadetur, Tum quia receptus fuit à superioribus de consensu aliorum, ergo & licentiandus de consensu aliorum, ex illa regula. Res, per quas causas nascitur per easdem dissoluitur. Tum quia dimissio hoc modo fit saniori modo, consilio enim gesta firmitate nituntur, *Gloss. 5. consilio cap. 1. dist. 80. per l. 3. C. de repud.* & licet non sit multum in certis consulendum, *Secundum Arist. 3. Æth. apud Nau. com. 7. de regul. num. 7.* tamen inutile non est, cum quandoque consilio mutetur propositum eius, qui petit exitum à Religione ad seculum. Rationes adductæ non faciunt pro hoc casu, quia ibidem vrgent ratione expulsionis, quæ est pœna grauissima, ideo exigitur autoritas maioris superioris, cum de iure grauiora maioribus reseruentur; in prælibato autem casu de nulla pœna agitur, sed de voluntario recessu à Religione ad seculum, ex quo constat disparitas ad rationem dubitandi.

Quæres 7. An magis expediat recipere ad Religio-

nem pauperes, quam diuites? item ignobiles magis quam nobiles? Posterius videtur magis expedire, diuites enim multum prodesse possunt religionibus, nam diuitiæ bonæ sunt, *gl. Necessitatem cap.* 1. 21. *quæst.* 1. & Episc. expedit habere subditos diuites, ibid. & potius eligendi sunt diuites, quam pauperes, *in Auth. de defens. Ciuit. §. Quibus.* Nobiles vero cum sint bene nati, & bene etiam educati meliores sunt, & facile ad virtutes perueniunt, Plato in Alcib. virtutes autem religionem illustrant; ignobiles autem rudîter educati, ineruditi etiam manent, animum ad vilia, & deteriora propensum habentes, & sic nihil religioni prodesse possunt.

61 Respond. Expedit magis recipere pauperes, & ignobiles, quam diuites, & nobiles, quod probatur, Tum quia in sacris Scripturis pauperes, & ignobiles multum laudantur, non sic diuites, & nobiles, qui mendaces, ambitiosi, potentes, auari, & pauperum oppressores vocantur. Tum quia religio ab exordio nascentis 62 Ecclesiæ initium sumpsit à Christo, & Apostolis, iuxta illud *Per quos Religionis sumpsit exordium.* Fuerunt enim 63 Apostoli veri religiosi, cum & ipsi professionem vouerint more aliorum, *ex cap. Dilectissimus* 2. *& cap. Scimus* 9. 12. *q.* 1. *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 4. *& ex eo Nau. tom.* 2. *com.* 4. *de regul. n* 30. *§. Secundo, & expressius docet Gabriel Penottus lib.* 2. *cap.* 7. *Histor. suæ Relig. Canon. regul.* vnde & religiosi vocantur successores Apostolorum, *Gloss. 5.* 64 *Apostolorum cap. Videntes* 12. *q.* 1. *Glos.* 5. *Tenens cap.* 4. *dist.* 5. *de consecr. ex cap. Ex authoritate* 16. *q.* 1. Sed Chri-65 stus elegit Apostolos pauperes, & ignobiles *Glos. Non multos, cap. Venerabilis* 37. *de præbend.* Vnde Apostolus ad Corint. 1. cap. 1. *Videte*, inquit, *vocationem vestram, Fratres, quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles.* Ad quod S. Ambros. lib. 5. in Lucam ad cap. 6. Inquit. *Aduerte cæleste consilium, non sapientes aliquos, non diuites, non nobiles, sed piscatores, & publicanos, quos dirigeret, elegit.* Ergo & in Religione ad exemplum Christi Redemptoris expedit recipere magis pauperes, & ignobiles, quam diuites, & nobiles. Confirmatur, quia omnis Christi actio est nostra instructio, & eum imitari debemus, exemplum enim dedit nobis, vt quemadmodum ipse fecit, ita & nos faciamus, & sequamur eius vestigia Ioan. 13. & 2. Petri 2. Tum quia paupertas, & ignobilitas non sunt de genere malorum, *cap. Illa* 6. 15. *q.* 1.

66 Tum quia religiosi in multis æquiparantur seruis, ex quo Bald. in l. Seruus, C. com. de success. & Bartol. in l. cum fundus, dicunt omnia iura loquentia de seruo, habere locum in religiosis in iis, quæ ipsis aptari possunt; serui autem ex sua conditione pauperes, & ignobiles sunt; diuites vero & nobiles cum religiosis nulla comparatione conueniunt, ergo isti minus sunt expedi-67 tiores, quam illi. Tum quia Religio est status arduus, in quo professus se totum tradit, & subiicit voluntati 68 superioris, respectu cuius velle, neque nolle habet, ita quod religiosus magis est subiectus superiori, & eius seruitus est strictior, quam serui erga dominum, *Nauar. consil.* 14. *de statu Mon. num.* 11. *ex cap. Multos dist.* 54. 69 & plusquam sit vxor marito, *Graff. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 37. *num.* 1 *per iura ab eo citata*; sed diuites, & nobiles, quippe qui sunt assueti commodis, & deliciis huius seculi, & aliis imperare, non ita facile trahuntur ad subiectionem, & obedientiam, sicut pauperes, & ignobiles alias assueti seruituti, & variis incommodis subiecti; neque enim illi voluntariam paupertatem ita diligere possunt, sicuti pauperes, & ignobiles, cum isti iam experti sint, quod sit indigere, & pati, quod illis cum arduum, & difficile se præbeat, facili negotio cedunt excusatione complexionis delicatæ, ex quo inducitur dispensatio in illis contra ordinationes regulares, *cap. Cum ad mona-70 sterium* 6. *de statu mon.* experientia constat, diuitibus, & nobilibus innatam esse quandam propensionem imperandi pauperibus, vnde Prouer. 22. 7. dicitur, quod diues pauperibus imperat; & diuites per potentiam opprimunt pauperes, & eos trahunt ad sua iudicia, Iacobi 2. 5. Itaque seruitus, & obedientia est pauperum, & ignobilium; imperium vero, & dominium diuitum, & nobilium, ergo illi aptiores sunt ad Religionem, quam isti, religio enim requirit humilitatem, subiectionem, & obedientiam in suis filiis, non elationem, potentiam, & imperium, innatum enim est in nobilibus, vt docet Arist. 1. Rethoricæ *cap.* 15. vitium superbiæ, & 71 ambitionis, quod quidem ab eis remouendum est per virtutem, & exercitium humilitatis, & mortificationis, quibus remediis non egent pauperes, & ignobiles, & si quid huius vitij conscij sunt, facile extirpatur, cum non sint ita propensi sicut illi.

Ad rationem dubitandi de diuitiis, & virtutibus potius obstat, si quidem diuites intro ferentes suas diuitias causa, vt plurimum, sunt murmurationis aliis, cum respectu diuitiarum quandoq; superiores videantur acceptores personarum, & diues ingressus habeat ansam inhiandi suas facultates, & si in religione sit vsus, quo diues dependenter à superiore vti valeat fructibus suarum facultatum, animum non adiicit ad virtutum acquisitionem, sed potius ad otium, & commoda, & sic parum proficit in via perfectionis; quæ & similia obstacula cum absint à pauperibus facile animum, & mentem inclinant ad virtutem, cuius exercitio otium propulsant, dies fructuosos de virtute in virtutem producendo. Præterea obseruaui in sacra scriptura, diuitem vocari quidem præditum sapientia, sed appa-72 renter, & sibi ipsi Prou. 28. 11. ibi: *Sapiens sibi videtur vir diues*, dicit *sibi* & non aliis, quia à nullo talis reputatur, vt ergo innatam sibi propensionem ambitionis notam faciat, sibi iudex est superbus. Subdit, *Videtur* quia cogitur verum fateri, se vere sapientem non esse, sed tantum apparere, & videri; & verbum *Videor* cum sit dubitatiuum *secundum Rotam vol.* 3. *decis.* 15. *n.* 3. *lib.* 2. intendit diues saltem sub dubio, si non clare, suam defendere inflationem, & superbiam, per ostentationem scientiæ, quæ inflat, & sic eius sapientia potius ad no-73 ctem tendit, quam ad lucem. Quando vero de pauperis sapientia loquitur illum nominat absolute sapientem vere, & absque vlla dubitationis hæsitatione, vt videre est Eccles. cap. 9. num. 15. *Inuentus est in ea vir pauper, & 74 sapiens.* Paupertas ex sua conditione hominem non potest inflare, & superbire, quia ad ima, & inferiora protegit hominem, & ideo pauper, qui ob suam humilitatem, & abiectionem erat derelictus, & absconditus dicitur inuentus non solus, & sine aliquo virtutis fructu, sed cum sapientia. Itaque sapientia in paupere vera est, & realis, in diuite vero apparens tantum, & ficta ex hominum adulatione, & reuera ita est, quandoque enim filius diuitis, & magnatis tollitur vsque ad astra, & vix scit legere, pauperis vero aut non nominatur, aut expressione deprimitur, cum interdum hic illius magister esse possit. Hæc tamen dicta sint pace diuitum ingressorum, si enim præcellant pauperibus æmulatione virtutum duplici sunt digni corona, & honore.

Quæres 8. An priuatus voce passiua possit eligi in Magistrum, vel Socium eius nouitiorum.

75 Respond. quod non, quia ex voce priuatus non potest eligi electione proprie dicta, quæ capitulariter fit, *ex cap. Super eo, de elect. Rodr. tom.* 2. *quæst.* 56. *art.* 2. *§ Vt circa, Sigism. dub.* 94. *num.* 2. *&* 4. Sed magister nouitiorum cum Socio eligitur per capitulum Prouinciale, vt expresse habetur in constitut. Nouit. Clem. VIII. Confirmatur, quia inconueniens est, eum fieri magistrum, qui indiget disciplina, & aliquo vitio notatus est, qui enim caret voce passiua, supponitur inculpatus aliquo graui vitio, consequenter isti nouitiis bonam educationem præbere non possunt, qui male se gesserunt. Eorum vero, qui carent actiua, valida est electio, quia prohibentur agere, non pati electionem de se factam.

Quæres 9. An illegitimi possint esse Magistri, seu Socij nouitiorum? Videtur quod non, quia isti assumunt

assumuntur ad hunc gradum per electionem, vt patet ex præcedenti prohibitione; sed illegitimi non sunt capaces electionis, cap. Innotuit 20. cap. cum Vintoniensis 25. de elect. & attentata est nulla c. 1. & fin. de fil. presbiter. & in 6. & dist. 56. Sigism. de elect. dub. 72 n. 1. Et licet prædicta videantur habere locum, vbi electus recipit prælaturam, aut dignitatem, nihilominus id procedit etiam vbi agitur de cura animarum, nulla electio illegitimus potest assumi ad curam animarum, vt ipse sit ordinarius curatus, cap. pen. & fin. de fil. presbit. gl. v. Matrimonio cap. Cum in cunctis 7. de elect. Sed magister nouitiorum debet educare nouitios, & illis ministrare sacramenta habendo curam animarum eorum, vnde & Parochus illorum dici potest. Quibus tamen non obstantibus.

76 Respond. Illegitimus potest eligi in magistrum, seu Socium nouitiorum, probatur, quia eius officium non est prælatura, neque dignitas, neque propter curam animarum, à quibus arcetur illegitimus, vt probant obiecta, quod non sit prælatura eius officium, quia non habet iurisdictionem proprie dictam super Nouitios, sed solum quandam potestatem œconomicam, & educationis, vt probaui cap. 4. de Nouitiatu q. 61. Quod non sit dignitas constat ex eo, quod non habet iurisdictionem neque administrationem Rodr. tom. 1. qu. 13. art. 20. Mirand. tom. 2. q. 3. art. 8. concl. 2. ex Sila. v. Prælatus qu. 3. quod propter non habeat curam animarum constat ex eo, quod immediatus superior conuentus Abbas, seu Prior, Guardianus sunt vere Parochi, & iure ordinario omnium religiosorum de sua familia, consequenter Nouitiorum, respectu quorum Magister est tantum delegatus, & ex commissione fungitur eo officio vt colligitur ex illis verbis: Magistro soli Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur. Et ex his patet ad obiecta procedere vbi agitur de prælaturis, & dignitatibus, quæ in Magistro nouitiorum educatore locum non habent. Ita docent præcitati. Reuoco per id quod dixi resol. 21. n. 34.

Quæres 10. Circa modum recipiendi informationes nouitiorum de duobus. Primo, an subsistat praxis registrandi tantum nomina volentium ingredi religionem in actis capituli, vel congregationis, persona, neque eius requisitis visis, sed videndis à deputatis antequam habitu probationis induantur? Secundo an huiusmodi praxis registrandi tantum nomina in libro capituli fieri possit non tantum pro recipiendis propriæ prouinciæ, sed etiam alienarum prouinciarum? Difficultas non procedit de capitulo Generali, in quo omnes cuiuscumque prouinciæ recipi possunt, cum illud capitulum amplectatur, & tractet omnia negotia cunctarum prouinciarum, & conuentuum; sed de capitulis Prouincialibus.

77 Notandum est, vsum informationum de vita, & moribus volentium ingredi religionem introductum censetur fuisse à Sixto V. Const. Cum de omnibus probandum in capitulis Generalibus, vel Prouincialibus illis verbis. Deque his omnibus in Generali, vel Prouinciali capitulo plena, & indubitata fide facta tam superioris Generalis, seu prouincialis, quam definitorum consensu approbati, & ad habitum regularem admissi fuerint. Ex quibus verbis clare apparet prædictam registrationem vt sic nullius esse momenti, sed contra mentem legislatoris, qui petit approbationem informationum, quod esse non potest, nisi à Patribus videantur & examinentur afferendæ informationes in capitulis. Et quia non omnes religiones habent huiusmodi capitula aut si habent, raro congregantur, ideò idem Sixtus V. in alia incip. Ad Romanum, statuit, vt in illis religionibus, in quibus non quotannis capitula celebrantur, saltem duo monasteria, vel domus regulares deputentur, quorum superiores in simul congregati huiusmodi informationes receptas approbent; aut si pauci tas, vel nimia distantia id non patiatur, per capitulum Generale, vel Prouinciale id munus demandetur tribus saltem patribus ex antiquioribus. In mea autem religione, cum singulis annis congregentur Patres Definitores cum Prouinciali non videtur habere id locum. Cum tamen Gregorius XIV. constit. Circumspectas; statuerit, vt in illis religionibus, in quibus est vsus perpetuæ filiationis, receptio nouitiorum in vnoquoque monasterio spectet ad superiorem localem cum suo conuentu, in quo religionem ingredi volens recipiendus est in filium, dummodo tamen receptus ad habitum probationis antequam professionem faciat, probetur vt supra in capitulis, vel dietis, seu congregationibus. Et idem repetitur à Clem. VIII. in suis Instit. de Nouitiis §. Quia verò. Hoc idcirco statutum est conforme institutis nostræ religionis in qua practicatur Filiatio, nouitij recipiuntur a superiore locali cum maioris partis sui conuentus consensu, vt videre est cap. 8. & probaui tom. 1. Resol. 29. q. 2. Ideo Reu. pater frater Matthæus de Monesano Generalis de anno 1619. ad hoc obtinuit responsum à Sacra Congregatione, ad superiores locales cum suo cõuentu spectare recipere nouitios, registratū fol. 46. in l. Prouinciæ nostræ Bononiæ, cui nunc præsumus hoc anno 1641. in hæc verba, Sacra Congr. Cardin. Consil. Trident. interpretum censuit, si quem admodum proponitur dictæ religionis monasteria sint instituta, vt eis quædam perpetua filiatio constituatur, nouitios ab eorundem monasteriorum superiore, de sui capituli consensu recipi posse, vt disertis verbis statuitur constitutione sanctæ memoriæ Gregor. XIV. edita ibid. Martij anno sui pontificatus primo. 78

79 Respond. Ergo ad primum quæsitum, illum vsum registrandi in libro Prouinciæ volentes ingredi religionem, esse legitimum, & nihil aliud esse, quam licentiam concedere superioribus localibus recipiendi, & probandi requisita volentium ingredi religionem, vt aperte colligitur ex dictis in Bulla Gregorij XIV. & Responsione S.C. Quare superiores locales, habita licentia à capitulo, seu congregatione, cum sui capituli consensu poterunt recipere informationes nouitiorum, & cum illis in forma probante de licentia Prouincialis transmittere ad loca deputata pro nouitiatu. Et de hoc egi in meo tract. de profess. regul. cap. 3. q. 76. Immo cum sola licentia Prouincialis extra capitulum infra annum nostra religio potest nouitios recipere, tum ex citata Responsione, tum ex cap. 8. Reg. & ex communicatione priuilegiorum Clem. VIII. & Pauli V. vt videre est apud Mirand. tom. 3. q. 21. art. 1. Petr. tom 2. priuileg. const. 2. Sixti V. de Prælat. q. 3. cap. 1. n. 8. & ex illis Lezana tom. 1. cap. 14. n. 14.

Quæ procedunt de quibusuis nouitiis etiam decimum sextum annum excedentibus, vt videre est in constit. Clem. VIII. ad verbum relata apud Mir. tom. 1. q. 21 art. 1.

80 Dixi in meo tract. de profess. regulari cap. 1. q. 62. informationes iuxta Bullam Sixti V. non esse recipiendas à minoribus sexdecim annis, vt ibidem claris verbis dicitur; & citaui Rodr. tom. 3. q. 10. art. 13. & q. 54 art. 6. §. Ex quibus, Sanch. lib. 7. disp. 17. n. 30. fine, quibus ex Peyr. de Prælat. q. 3. cap. 1. n. 10. adde Mirand. tom. 1. q. 21. art. 1. concl. 3. Nald. v. Nouitius n. 1. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 10. n. 11. Bellam part. 4. casu 19. Citatus tamen Peyrinus affirmat etiam de constitutis in minori ætate informationes esse recipiendas, ex intentione Clem. VIII. institut. pro recep. & educat. nouit. §. Primum, ibi: Vltra diligentem inquisitionem, quæ habenda erit de cuiuscunque natalibus, corporis habitudine, moribus, & vita anteacta, ac præcipue eorum, qui sextum decimum ætatis suæ annum excedent, an criminosi, aut ere alieno grauati, vel reddenda alicuius administrationis rationi obnoxij sint iuxta formam constitutionis fel. record. Sixti V. Vbi, inquit Peyrinus, particula illa Præcipue exprimit casum minus dubium, ex Barbosa, & Rodr. atque Menoch. consequenter diligens perquisitio habenda est non solum de excedentibus sextum decimum annum, verum etiam de nondum habentibus

eam ætatem, sed infra eam existentibus, quod est casus minus dubitabilis. Quod concedo respectu informationum recipiendarum, non quo ad formam traditam à Sixto V. quæ solum seruanda est respectu maiorum illius ætatis, non minorum, respectu quorum quæcumque informationes de ipsis receptæ etiam extra capitulum sufficiunt sine dicta solemnitate quod debeant examinari, & probari in capitulis a Definitoribus cum superiore maiori; neque enim Papa Clemens VIII. per sua decreta de nouitiorum educatione intendit ampliare constitutionem Sixti V. sed tantum decreuit, vt ea obseruetur, ibi: *Iuxta formam constitutionibus fel. record. Sixti V.* non obseruaretur autem, si informationes de nouitiis reciperentur secundum formam ab eo traditam, secundum quam illas mandat recipi tantum à maioribus sexdecim annis, ibi: *Ordinamus iuuenes, aut viros adultos maiores sexdecim annis non aliter in aliquam religionem recipi posse.*

81 Respond. Ad secundum, eam praxim registrandi nomina volentium ingredi vnam prouinciam in alia, vbi fit capitulum, esse nullius momenti. Probatur, Tum quia illa registratio vel importat licentiam recipiendi informationes in aliena prouincia; vel in propria capituli de nouitio alienæ prouinciæ; vel includit approbationem informationum iam factarum de nouitio. Primum dici non potest quia Prouinciale capitulum e.g. Bononiense nullum ius, & potestatem, superioritatem habet erga capitulum e.g. Mediolanense, cum par in parem non habeat imperium, *cap. Innotuit* 20. *de elect. l.* Nam & magistratos ff. de arbitr. neque enim vna prouincia est caput respectu alterius, sed vna quæque habet suum caput; ergo vnum capitulum non potest concedere facultatem alteri capitulo vel conuentui extraneo recipiendi nouitios, cum non se habeant ad inuicem vt superior, & subditus, siquidem licentia est superioris ad subditum, & ridiculum est, quod capitulum vnum delegat suam potestatem alteri capitulo, cum per se, & citius negotium absoluere possit. Neque secundum dicendum est, quia cum prouincia e. g. Bononiensis nullum ius, neque imperium habeat super Prouincia Mediolanensi, non potest recipere, neque approbare volentes ingredi monasteria prouinciæ Mediolanensis, alias perturbatur ordo prouinciarum, si enim iurisdictio vnicuique non seruatur ordo confunditur, cap. Peruenit 36. 11. q.1. Neque demum includit illa registratio nominis approbationem requisitorum, cum capitulum nullam habeat notitiam de persona volente ingredi, vt suppono ex pura registratione nominis, ergo talis acceptatio friuola, & ridicula est, atque irrationabilis. Tum quia vnum quodque capitulum Prouinciale suos approbare debet, vt colligitur ex citata constit. Sixti V. ibi: *Deque his omnibus in generali, vel prouinciali capitulo plena, & indubitata fide facta, tam Superioris Generalis, seu Prouincialis, quam Definitorum consensu approbati, & ad habitum regularem admissi fuerint.* Sunt autem officiales Prouinciales, cuiusmodi est Prouincialis cum suis definitoribus vnius prouinciæ tantum, & non plurium, cum vnaquæque proprios habeat officiales, ad quos spectat tractare negotia propriæ prouinciæ, & non aliarum, neque superiores vnius prouinciæ possunt communicare in his cum superioribus alterius prouinciæ, quia Papa id non exprimit in supradictis Bullis, consequenter prædictum modum approbandi informationes nouitiorum tradit obseruandum in vnaquaque prouincia à propriis officialibus illius prouinciæ, in qua seculares volunt ingredi in illius monasteria.

Quæres II. An prædictæ informationes, de quibus in Bulla Sixti V. recipiendæ sint de nouitiis conuersis, an solum de ingredientibus sub nomine clericorum?

82 Respond. Constitutio Sixti V. videtur solum loqui de volentibus ingredi vt clericis, vt colligitur ex initio Bullæ. *Cum de omnibus ecclesiasticis ordinibus in ea, qua conuenit puritate, & dignitate conseruandis.* sed conuersi non sunt de ordine, neque dignitate ecclesiastica, ergo excluduntur. Confirmatur ex altera illius Bulla incip. *Ad Romanum*, apud Quaranta v. Monasteria & conuentus ibi: *In oblatis autem, & conuersis professionem emittentibus satis erit, si quo ad mores, & statutum personarum, ipsa inquisitio fiat.* Non est ergo illa inquisitio rigorosa de illis facienda. Et in Instit. de educat. nouit. Clem. VIII. dicitur. *Ipsi autem conuersi non recipiantur ante vigesimum ætatis suæ annum, & noti saltem præcipua doctrina Christianæ capita nouerint.* Et non replicantur perquisitiones, de quibus paulo ante dixerat respectu clericorum. Et de eorum nouitiatu dicitur ibidem §. Cum autem *Conuersis ipsis à clericorum nouitiatu separatus ad dormiendum locus, quantum commode fieri poterit, assignari præcipitur. Illi tamen hac separatione non obstante Magistro Nouitiorum, seu superioribus monasteriorum subditi esse, & obedientiam præstare debebunt.* De illorum professione dicitur §. Tempore. *Quo vero ad conuersos vigesimum primum excesserint ad professionem admittantur. Sed qui ad habitum conuersorum recepti fuerint ad clericorum statum transire etiam durante tempore probationis non possint.* Et infra §. *Conuersus vero literarum ignorans professus in eorumdem testium, qui se subscripserint præsentia, propria manu signum crucis apponat.* In mea autem religione

83 ne conuersi recipiuntur pro quolibet conuentu in quo possunt probari, licet non sit ex deputatis, vt practicatur virtute priuilegij & id ratio suadet, quia in locis deputatis quibusdam non est occasio quærendi eleemosinas, in quo genere exercitij conuersi potissimum probandi sunt. *Vide quæ dixi Resol. 26. num. 81. Iterum infra sub num. 237. q. 75.*

Quæres 12. An informationes iuxta Bullam Sixti V. recipiendæ sint de clericis, & sacerdotibus secularibus volentibus ingredi religionem? Videtur, quod non ex verbis ipsius Bullæ, quibus mandatur, vt criminosi induti habitu religionis contra tenorem dictæ Bullæ, exuantur habitu, ita quod licitum sit iudicibus, & curiis secularibus contra illos procedere etiam habitum religionis adhuc gestantes; sed ecclesiastici non subduntur iudicibus secularibus, neque etiam per hanc Bullam, ergo sermo est tantum de secularibus laicis.

84 Respond. Sermo est de omnibus secularibus tam laicis, quam clericis, & sacerdotibus, quod probatur. Tum quia sic colligitur ex verbis Bullæ ibi: *Quare volumus, vt cuiusque iuuenis, aut viri maioris sexdecim annis è seculo ad religionem transeuntis approbatio, &c.* Sed non solum laici, verum etiam clerici dicuntur transire è seculo, siquidem isti sunt de seculo, & viuunt in seculo, *ex Glos. v. Seculares cap. Licet 12. de off. ordin.* vbi dicit, clericos vocari seculares, quia ad modum laicorum, qui vere seculares dicuntur, possunt proprium habere, & inde facere pro sua voluntate; vbi Panor. *Nota*, inquit, *Glosam, quare clerici, qui non*

85 *sunt alicuius religionis, dicuntur clerici seculares, participant enim religiosis, & in hoc appellantur clerici, item participant laicis, & hoc respectu vocantur seculares*, ergo vtrique subduntur Bullæ Sixti V. Tum quia etiam clerici seculares possunt esse criminosi, & obnoxij reddendis ratiociniis, consequenter ex Bulla illos comprehendit. Tum quia ratio dubitandi verbis Bullæ nequaquam desumitur, in ea enim habentur hæc verba. *Licere quibuscumque iudicibus, curiis etiam secularibus, &c.* Quæ satis clare demonstrant in Bulla comprehendi quoscumque iudices, & sic Ecclesiasticos respectu clericorum; quod firmatur ex dictione, *Etiam*, quæ ampliatiua est, ex clem. 1. de testam. initio. *Ita docent Mir. tom. 1. q. 21. art. 2. concl. 6. & ex eo Vecchius disp. 6. dub. 6. nu. 2.*

Quæres 3. An informationes recipiendæ sint à religiosis Militaribus tam Maltensibus, quam aliis? Et videtur quod non, de mente Summi Pontificis, nam dicit recipiendas esse à maioribus sexdecim annis à seculo ad

religionem

ligionem transeuntibus, & ab iis qui tuto in seculo viuere non possunt, sed Militares non dicuntur amplius de seculo, neque in seculo viuere, cum proprie sint religiosi, consequenter mortui seculo, & de Maltensib. omnes docent, eos vere esse religiosos sub professione trium votorum, sicut cæteratum religionum claustrales, vt ego probaui *Tract. de profess. Regul. cap. 1. q. 10. & de reliquis Diana part. 3. res. 61. tract. 2. & part. 4. tract. 1. res. 86. Doctores citans.*

86 Respond. Qui manent intra claustra transeunt sine dictis informationibus, quia isti nullo modo transeunt à seculo ad religionem, sed à religione ad religionem immediate, sic autem transeuntes non sunt subiecti dictis informationibus, vt probaui loco *cit. capit. 2. de Profitente quæstione 63.* & docent præcitati. Qui verò extra claustra morantur cum secularibus subiiciuntur informationibus, vt probatum est per rationem dubitandi, & persuasi *loco citato quæst. 63.* Sic docet Vecchius *disp. 6. dub. 6.* indistincte de quibuscumque Militaribus.

Quæres 14. An huiusmodi informationes recipiendæ sint de iis, de quibus certa notitia est, illos esse legitimos, & carere prædictis criminibus, neque esse obnoxios debitis, & ratiociniis, e.g. quia vel habitarunt fere semper cum religiosis, cuiusmodi sunt Tertiarij, & coloni, cæterique famuli, & studentes, vel quia domicilium habent prope conuentum.

87 Respond. De his necessario recipiendæ non sunt informationes, sed sufficit, quod superior, cui notus est volens religionem ingredi, fidem faciat cum suo conuentu volentem ingredi esse liberum a prædictis criminibus, debitis, & ratiociniis. Probatur tum ex verbis ipsius Bullæ ibi: *Non aliter in aliquam religionem recipi posse, nec debere, nisi prius de eorum parentibus, patria, deque anteacta vita, & moribus diligenter inquiratur, & ex accurata informatione, & fide digna relatione compertum, & exploratum sit, eos, neque aliquorum criminum, &c.* Sed quibus iam compertum est, & exploratum per continuam conuersationem, tali informatione non egent, cum illam iam habeant, qui enim cum aliis conuersatur scit mores eorum cum quibus conuersatur *cap. Quosdam 7. cap. Quanto 8. de præsumpt.* Vicini enim sciunt facta vicinorum *l. Dominus ff. Locat. Thomasct. reg. 305.* Tum, quia nota probatione, neque examine indigent *cap. De manifesta 17. 2. q. 1. cap. Bona memoria 23. §. Contra, de elect. cap. 2. dist. 4. cap. 4. dist. 47.* in quibus & aliis locis mandantur probari, & examinari ignoti pro ordinibus, & officiis Ecclesiasticis ergo dicendum in casu nostro. Tum quia certiorari vlterius non oportet eum, qui certus est Reg. 31. in 6. ergo cum Patres illius conuentus, vbi secularis se præsentat pro pro ingressu religionis, certam cognitionem, & notitiam habeant illum non carere debitis requisitis, frustra de illo inquisitionem facere dicuntur. Quod si obiicias, id non constare Patribus in capitulo Prouinciali. Occurritur respondendo, sufficere si superior localis simul cum suo conuentu illius loci, vbi ingressurus notus moratur, fidem exhibeat, illum habere omnia requisita. Ita docet pro foro conscientiæ *Vecchius disp. 6. dub. 1. n. 6. vbi alios pro se citat in simili casu, alios citat. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 5.*

Quæres 15. Quomodo recipiendæ sint primo informationes, vt deinde probentur in capitulis iuxta Bullam Sixti V.

88 Respond. Superior loci, vbi se præsentauit iuuenis volens religionem ingredi, duob. modis se habere potest in eis recipiendis. Primo namque potest committere parentibus, seu consanguineis, vel amicis ingressuri, vt perquirant in curia criminali, an ibi sit accusatus tam ecclesiastica, si sit clericus quam seculari si sit laicus, & inde extrahant fidem authenticam illum esse exemptum ab illis criminibus, de quibus in Bulla; similiter si aliorum fuit procurator, tutor, factor &c. exhibeant liberationem in forma authentica, vel saltem subscriptam ab eis, quibus se liberauit; Item ab amicis se non habere debita, si erat sui iuris; de Natalibus fidem baptismalem, quæ etiam sufficit, licet non legalizata, quando facta fuit per notos, & eiusdem loci. Et de his hominibus fides fit in capitulo, vbi approbantur à parte Prouinciali cum suis definitoribus, licet aliqui desint, vel aliquis discrepauerit à consensu definitorum, vt dicitur in secunda Bulla: *Ad Romanum* eiusdem Sixti, §. Neque verò. Secundo modo potest superior per seipsum adhibitis duobus, vel tribus sui conuentus patribus inquirere priuatim ab amicis, seu aliis personis notis volenti religionem ingredi, vtrum patiatur aliquem ex defectibus recensitis in Bulla Sixti V. exigendo etiam iuramentum, & redigendo omnia in scriptis. Prior modus securior, secundus probabilis; neque his obstat Bulla Sixti V. qui de modo primum recipiendi eas informationes, & per quos nil determinat, sed tantum quod examinentur, & approbentur in capitulo à Prouinciali cum suis Definitoribus. *Vide Rodr tom. 3. q. 10. art. 2. Mirand tom. 1. qu. 27. art. 3. 4. & 6. Vecchium disp. 6. dub. 3. Peyrinum de Prælato q. 4. cap. 1. §. 1. n. 29. 30. ad 32.* 89

Quæres 16. An nouitij in prima receptione habitus probationi sint vere clerici? an tales efficiantur professione? an solum receptione tonsuræ ab Episcopo, vel Abbate suo? Probatur, quod efficiantur clerici solum receptione primæ tonsuræ ab Episcopo, vel suo Abbate, per tex. in cap. Dum contingat 12. de ætate ibi: *Per primam tonsuram iuxta formam Ecclesiæ datam à talibus clericalis ordo confertur.* Sed hæc datur à solis Episcopis, vel Abbatibus respectu sibi subiectorum, vt de se constat; neque hæc est professio, nec receptio habitus probationis, consequenter non ex illis, sed tantum ex tertio quis euadit clericus. Tum quia recedens in anno nouitiatus est habilis ad clericatum, & beneficia cap. Postulasti 21. de Regul. ergo signum est receptionem habitus non includere clericatum, alias non diceretur habilis nouitius recedens ad clericatum, sed esset actu clericus. Tertio, quod detur etiam professione probatur *per cap. Constituit 39. 16. qu. 7. replicatum cap. fin. 20. q. 3. cap. Monasterii 6. 19. qu. 3. cap. 1. 20. qu. 2. cap. 1. & 2. de regul.* in quibus locis ingredientes religionem dicuntur tonsurati, consequenter idem est professio, quod tonsura ergo professione quis efficitur clericus, quos textus retuli *cap. 1. de profess. Regul. quæstione 1.* vbi dixi Professionem vocari tonsuram, seu illum tonsurari, qui facit professionem. Quibus tamen non obstant. 90

91 Respond. In receptione habitus probationis nouitius efficitur clericus tonsione capillorum, & confectione coronæ, quod probatur, Tum ex Institut. super recept. & educat. nouit. Clem. VIII. §. Cum autem, ibi: *Licet clericorum bene instituendorum cura debeat esse præcipua, Conuersorum tamen religiosa instructio.* Ibidem infra. *Conuersis ipsis à Clericorum nouitiatu separatus ad dormiendum locus assignari præcipitur.* Item §. Tempore, ibi: *Quo ad Clericos decimum sextum, quo vero ad Conuersos vigesimum primum excesserint.* Et ibidem pluries distinguit nouitios in Clericos, & Conuersos; certum autem est, non omnes religionem ingredientes esse Clericos, sed, vt plurimum esse meros laicos, & seculares, consequenter si Papa nouitios vocat Clericos, inferendum est in receptione habitus probationis, & confectione coronæ super illorum capita ipso iure fieri clericos, aliter frustra, & inscite eosdem vocaret sine rationabili causa Clericos. Tum quia secundum Hieronymum ad Nepotianum, relatum in *cap. Clericus 5. 12. quæst. 1.* dicit Clericus, qui Christi seruit Ecclesiæ, & verbum Græcum est, quod latine sors appellatur, propterea clerici dicuntur, quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus sors, idest, pars clericorum est, & quia vel ipse pars Domini est, & Dominum partem habet; sed nouitij inseruiunt Ecclesiæ Christi, & sunt pars ipsius Domini, & Dominus illorum est pars, mancipantur 92

cipantur enim diuinis officiis, & Ecclesiasticis obsequiis, vt de se patet, ergo clerici sunt ipso primo religionis ingressu confectione coronæ, quam ideò Sixtus V. in sua Bulla incip. Cum de omnibus, §. Sed ne iis, vocat Clericalem caracterem, apud Quatant. pag. mihi 295. Tum quia ex cap. Duo sunt 7.12.q. 1. assignantur duo genera Christianorum, quorum vnum mancipatum diuinis officiis vocatur clericorum, alterum laicorum; Nouitij autem mancipantur diuinis officiis, nam inseruiunt Ecclesiæ, & choro, ergo sunt de genere Clericorum. Tum quia *cap. Clero* 1. *dist.*21. generaliter clerici vocantur omnes, qui in Ecclesia Christi deseruiunt, quorum gradus, & nomina sunt hæc Ostiarius, Psalmista, Lector, &c. Sed nouitij Psalmodiam præcipuè in choro cum professis recitant, ergo clerici sunt. Tum quia nondum habens primam tonsuram, inseruiens tamen alicui Ecclesiæ cum habitu ex opinione *Gabriel. lib.*1. *præsump. concl.*52. *numero* 4. *apud M. Anton. lib.* 3. *resol.* 16. *numer.* 23. vocatur clericus gaudens priuilegio canonis. Tum demum quia eo nomine etiam vocantur iure antiquo *cap.* 2. *de Regul.* ibi: *in clericatu permaneat.* Infra. *Post legitimos annos per vim clericus factus est.* f. Monachus, explicat glosa ibidem.

93 Ad obiecta respondeo assignatione duplicis Tonsurationis, nam vna vocatur Prima Tonsura, quæ est præparatio ad suscipiendos ordines ex cap. Cum inter vos 13. de sent. & re iud. ibi: *Præsentatione ad ordines, & Tonsuratione. cap.* Ex literis 6. de transact. ibi: *In clericum tonsuratum*, alibi sæpius Altera dicitur clericalis tonsura, quæ tonsione capillorum superiorum & inferiorum, confectione coronæ speciali modo hominem in primo religionis ingressu ad diuina seruitia in ecclesia, deputat, per eam ingressus constituitur sub numero clericorum, & distinguitur non solum à laicis secularibus, verum etiam à conuersis religiosis tam aliis nouitiis, quam professis, qui talem non habent tonsionem nisi in parte inferiori, eo quod proxime non sunt destinati ad diuina obsequia in ecclesiis, sed tantum ad seruitia monasterij, ad quod facit *Glos.v.*

94 *Et tonsuram, Clem. Quoniam de vita.* Hinc duplex genus Clericorum oritur, alij namque dicuntur & sunt tales per primam tonsuram præparatiue ad ordines, eam enim præcipue recipiunt, vt ordinibus initientur, de quo genere clericorum in argumentis primo loco allatis sermo est, & vbi agitur de receptione ordinum, à quo genere clericatus excluduntur professi prima tonsura carentes, licet sint in numero deputatorum ad chorum, & in hoc sensu loquitur etiam tit. *Ne clerici, vel Monachi, & cap. Vt clerici* 3. *de regul.* Alij vero vocantur clerici per tonsurationem secundo modo superius dicto, more religioso, per quam deputantur ad diuina officia, & exercitia spiritualia in ecclesiis suorum ordinum, sic funguntur officio Psalmistæ, Lectoris, Cantoris, &c. & huius generis sunt nouitij coronati. Ad hos consequenter, *Franc. loquitur in cap. Porto, de sent. excom.* dum clericos vocat illos, qui se alicui religioso loco cum mutatione habitus diuinis obsequiis mancipati obligant.

Allata in tertio argumento non obstant, quia in citatis locis sermo est de professione, quæ tunc veniebat sub nomine tonsuræ, quæ illam indicabat.

Per supradicta confirmatur nostra responsio data cap. 5. de effect. profess. q. 56. de Nouitiis præcedentibus laicos etiam professos ex titulo clericatus, qui est dignior titulo conuersatus.

Quæres 17. An conueniens sit, seu potius necessarium, vt nouitij in Refectorio, in quo vitam communem cum professis viuere debent, dum superior reprehendit, punit, redarguit, vel publicat aliquod statutum contra transgressores, vt fieri solet, remaneant, & videant quid agitur à superiore, an vero casu dimittendi sint intra locum nouitiatus, ne sciant, aut videant facta siue bona, siue mala professorum. Videtur negatiue respondendum. Tum quia pueri, & iuuenes ex his facile scandalizantur, ergo dimittendi sunt, nihil enim cum scandalo faciendum est *cap.* 2. *de præscript.* immo tunc desistendum est à iure suo *Glos. v. Nihil, ex cap. Ad aures* 5. *de temp. ordin.* & multa dimittuntur propter scandalum cap. 2. & 3. de cler. egrot. & cap. 4. de statu monach. Tum quia in Institu. pro Nouit. Clem.

95 VIII. §. Non liceat, ordinatur, ne Nouitij, durante anno probationis vna cum professis commorentur, nisi in choro, ecclesia, processionibus, & in cænaculo causa refectionis, ergo extra hos casus, & definita refectione dimittendi sunt, gratiis Deo actis priuatim. Quibus tamen non obstantibus.

96 Respond. Superiores non debent illos dimittere in similibus casibus, sed retinere vsque ad extremum discessum totius conuentus, actis de more Deo gratiis ad omnibus communiter, & sic interesse reprehensionibus, castigationibus, publicationibus ordinationum. Quod suadetur, Tum quia similia exempla correctionis, & punitionis multum prosunt etiam ipsis nouitiis, exempla enim præsentia nos præcauere faciunt in futurum cap. Quia 4. dist. 82. Tum quia pænæ sunt in exemplum aliorum *cap. Cum quidam* 12. *cap. sicut* 13. *de desponsat. cap. Ea qua* 8. *de statu mon.* vbi dicitur, quod publice delinquentes puniantur, ita quod pæna ipsorum sit aliis in exemplum, vnde bene dicitur *cap. Quapropter* 46. 2. q. 7. quod transgressionis vltio sit cæteris interdictio delinquendi. Tum ex fine nouitiatus, qui inductus fuit teste Innoc. III. in cap. Ad apostolicam 16. de regul. illis verbis: *Vt ille asperitates istius, & istud mores illius valeat experiri*; sed si nouitius dimittatur tempore correctionum, castigationum, & ordinationum, quomodo poterit experiri austeritates religionis; & facit cap. Præsens 4. 20. q. 3. ibi: *Quia si eo tempore tam dura obseruantiæ monasticam intellexisset Regulam nunquam filium Lambertum coegisset portare cucullam.* Necesse ergo est, vt nouitij modo experiantur correctiones, modo easdem exemplo aliorum intelligant, vt eo animo motiua habeant ad deliberandum velint ne manere, an recedere, eo quod eam vitam ducere poterunt, vel non poterunt.

Ad opposita ad primum de scandalo dicitur, nullum sequi scandalum verum, quo sit causa ruinæ spiritualis proximi; Prælatus enim, qui tenetur subditorum excessus corrigere, cap. Vt famæ de sent. excom. nullius ruinam intendit, sed solam proximi correcti emendationem, quæ est finis correctionis, hoc solum bene agitur, inquit Glos. v. Correctionem, in proœm. 6. vt vita hominis corrigatur. Et in his scandalum, nisi Pharisaicum, & irrationabile, locum non habet, arg. cap. Nisi cum pridem 10. de renunt. Ad secundum ex Instit. Clem. VIII. nihil contra nos, sed potius oppositum colligitur, debere nouitios interesse rebus onerosis, sicut præsentes sunt fauorabilibus corporis, & sic ibi semper remanere vsque communem gratiarum Deo actionem peractam, vt ad vnguem professorum mores bonos addiscere, vt eosdem imitentur, & malos, vt ab illis abhorreant.

Quæres 18. An nouitius de facto semel, & iterum exuens se habitu religionis, vel tædio vitæ regularis affectus, vel ægrè ferens correctiones, seu mortificationes, & dicens conquerendo cum aliis connouitiis, se nolle remanere in religione, possit dimitti, quamuis alias pænitentia ductus postulet admitti ad professionem? Videtur quod non, per illa verba Christi

97 Domini. *Et eum, qui venit ad me non eiciam foras.* Præterea ex nouitiatus est quædam dispositio, & via ad professionem, *Nau. conf.* 20 *de priuileg. n.* 7. *Becan. cap.* 43. *de sacram. q.* 21. *n.* 3. ergo habet ius ad professionem consequenter non potest reiici. Quibus tamen non obstantibus.

98 Respond. Quod potest expelli per superius allegatas causas, quod probatur; Tum quia ex præmissis patrum, & fere nihil inclinat ad vitam regularem, cum tædio

tædio habeat correctiones, mortificationes, clausuram, & eiusmodi, quæ multum spectant, & necessaria sunt ad vitam religiosam. Tum quia id videtur colligi ex Trident. sess. 25. cap. 16. ibi: *Finito tempore nouitiatus, superiores nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant.* Sed nouitius in casu nostro sine dubio non est habilis ad vitam regularem, vt ex præmissis habetur. Tum quia non venit proprie ad Christum, cum non diligat, & sequatur de voto, & ex affectu cordis religiosam disciplinam, ergo eiiciendus est foras. Tum quia per nouitiatus effectum modo irregulari, & indebito nullum ius acquisiuit, neque enim se bene disposuit anno probationis, vt mereretur admitti ad professionem. Et ita tenet *Peyr. de Pral. q. 3. ca. 1. §. 3. n.* 117. à fortiori, dum asserit acceptatum ad profitendum, expelli posse, noua superueniente causa etiam veteri noniter cognita, ad quod probandum alias adducit rationes, citando *Vetchium disp. 12. dub. 7.*

Quæres 19. An iuuenes infra septemdecim annos ætatis recipi possint ab iis ad quos spectat v.g. in religione Tertij Ordinis à Priore cum conuentu, sine consensu capituli Prouincialis, & consequenter extra capitulum quouis anni tempore, & informationibus non transmissis ad capitulum iuxta Bullam Sixti V.

99 Resp. Iuuenes intra illud tempus recipi possunt à solis Prioribus cum consensu sui conuentus, & quouis tempore de licentia Prouincialis mitti ad nouitiatum absque approbatione capituli Prouincialis, vel Generalis, ratio est, quia Bulla Sixti V. loquitur tantum de maioribus sexdecim annis, de quibus recipiendæ informationes transmittendæ sunt ad capitulum Generale, vel Prouinciale, vt ibidem a superioribus examinentur & probentur, vt clarè colligitur ex eiusdem Bulla, de qua dixi supra sub n. 77. & 81. Neque enim dicitur in ea Bulla, vt non transmittantur nisi de licentia capituli, sed solum, informationes examinentur & approbentur in capitulo, quare cum minores septemdecim annorum non indigeant informationibus Sixti V. neque consequenter huiusmodi iuuenes indigent aliqua licentia eiusmodi capituli, sed immediatè cum licentia Prouincialis transmitti possunt ad locum pro nouitiatu deputatum.

Quæres 20. An superior localis vbi nouitiatus est deputatus, rationabili causa subsistente possit dare licentiam nouitio manendi per aliquot dies, vel menses apud parentes, vel amicos?

100 Resp. Prior localis hanc facultatem dare potest, quia nouitius est illi immediate subiectus, ergo legitima subsistente causa potest licentiare nouitiorum, quod est signum subiectionis. Confirmatur quia hanc gratiam professis facere potest, ergo & nouitiis, cum vtrique illi subiiciantur. In quo præstando vnusquisque spectet, quid circa hoc statutum sit in religione; apud Minores de Obseruantia spectat ad Prouincialem, *Rodr. tom. 3. q. 15. art. 8. & 10. Mirand tom. 1. q. 22. art. 5.* In mea religione nihil speciale, sed ex c. 7. potest colligi spectare ad Priorem, vt dixi c. 4. de profess. *q. 14. in fine. Vide infra n.* 117.

Quæres 21. An religionis ingressu necessaria sit nominis mutatio? an vero antiquum, & paternum retineri possit? Ne dum necessaria videtur nominis mutatio, sed prohibita l. 1. C. de mutat. nom. præterea mutatio nominis est quid nouum, nouitates autem sunt vitandæ cap. 3. de consanguin. & discordiam generant *ca. Cum consuetud. 9. de consuet.* consequenter inducendæ non sunt.

Respond. Nominis mutatio ingressu religionis licet

101 non sit necessaria, cum nullum de hac re extet statutum de iure communi, nihilominus regulariter ingredientes sibi nomen mutant, vel à superiore illis mutatur ex eorum beneplacito, quod conueniens est; & quia ingrediens à mundo conuertitur speciali modo ad Deum, ergo ista conuersio per aliquid exterius manifestari debet, quod accidit mutatione nominis, nam prisci nominis retentio arguit præteriti affectus conseruationem arg. l. An nullo ff. de feriis. Tum quia quando fit transitus à statu imperfectiori, seu minus perfecto ad magis perfectum, seu ad perfectum fit mutatio nominis, vt patet exemplo Hebræorum, quibus nomen mutatur cum ad fidem transeunt, *Riccull. lib. 2. de iure person. extra Eccl. grem. cap. 45.* Item exemplo Christi, qui Apostolis nomina vocauit, vt de Petro *cap. 1. Ioann.* de eodem, & filiis Zebedei Marci 3. & in lege veteri Abram dictus Abraham Gen. 17. & Iacob Israël nominatus, quando vidit Deum, Genes. 32. & electo Papæ nomen mutatur. Vide Iordanum in suo Tract. de maioribus causis *episc. refer. ad sedem c. 9. n.* 16. Qui autem religionem ingreditur sine dubio transit ab imperfectiori statu secularium ad perfectum religionis. Demum in singulis religionibus practicatur, vt modo appareat ingredientem non solum renuntiasse pompis eius, rebus, & facultatibus, sed etiam vitiis, & motibus inordinatis, quæ religioni aliquod detrimentum afferre possent. Confirmatur, quia à quibusdam sanctis patrib. vocatur secundum baptisma professio regularis, prout retuli *c. 1. de profess. regul. q. 40.* Sed in primo imponitur nomen, ergo & in hoc secundo.

Neque opposita repugnant, non in locis citatis mentio est de mutatione nominis ementiti, & fraudulenta in fraudem, & sine licentia, aut potius ad malum finem, non verò mutatio ad bonum finem, vt in casu nostro, vt in simili docent Doctores super citatas leges, *& Glos. in proem 6. Decret. Nauar. consil. 6. de crim. falsi.*

Quæres 22. An qui caret filiatione ex hoc præcise, sed in reliquis idoneus, reiici possit, vel sit reiiciendus, si extet in religione statutum, vt illa carens nullo modo acceptetur ad profitendum, sed reiiciatur? Videtur reiiciendus quia reiicitur laborans morbo gallico, circa quod statutum factum de expellendo illos tenet ex opinione eorum, quos retuli *resol. 8. numero* 61. & supra dixi de aliis defectibus, quorum in culpa non est ipse nouitius, ergo & propter hunc defectum expelli potest.

102 Respond. Nouitius ingressus sine Filiatione expellendus non est, nisi aliud impedimentum obuiet. Neque religio simile statutum condere potest, vt Filiatione carentes eiiciantur. Primum suadetur, quia expulsio à religione est pœna, & quidem grauissima, supra *n.* 14. quæ nulli infligitur, nisi præcesserit culpa, ex vulgatis iuribus, sed nouitius nullam contraxit culpam, cum in eius potestate non sit Filiatio, & quandoque quid sit hoc ignorans, id enim illi procurare spectat ad superiores, vel alios eum introducentes in religionem, quare cum ipse non fuerit in culpa, sed superiores, isti puniendi sunt, non nouitius. Deinde nouitij introducti in locum non deputatum ex hoc expellendi non sunt, sed mittendi ad legitimum locum approbatum pro nouitiatu, cum defectus loci deputati non sit culpa nouitij, sed superiorum religionis, vnde secuta etiam professione, Papa non intendit, vt expellantur, sed omnino retineantur, eo quod ipsi non fuerunt transgressi Decreta Papalia, ex quo consequenter ratio dictat illos expellendos non esse, sed ad nouam professionem omnino admittendos vt pluribus docui resol. 8. per totam; ergo neque expellendus est ille, qui caret Filiatione, quæ se tenet ex parte superiorum, sicut loci deputatio. De Filiatione ago resol. 59. Secundum constat ex eo, quod statutum pœnale debet tenere suos authores illius transgressores, & vltra illos non se extendere; modo illius transgressores non possint esse nisi superiores regulares cum suis subditis, quorum inter est receptio nouitiorum ad Filiationem, ergo illud statutum nequaquam condi potest afficiens ipsos nouitios ad expulsionem. Neque obstant initio obiecta, ex disparitate; nam adducti defectus se tenent ex parte ipsius nouitij, non sic iste ex probatis, consequenter diuersas postulant responsiones.

Quæres 23.

Quæres 23. An nouitius Salarium promissum aut la donzena, vt aiunt, non soluens propter hoc expelli possit à religione?

103 Respond. Affirmatiue cap. 3. de admitt. ad profess. q. 23. quia à Tridentino non prohibetur petitio salarij sess. 25. cap. 16. Contra *Galuan. & Peyrin. de Prælat. q. 5. ca. 1. n. 106. Vecch. disp. 12. dub. 2. n. 2. Tambur. 3. disp. 6. q 9. num.* 7. & iure exigendi expensas docet *Sanch. lib. 6. cap. 10. n. 5. & lib. 7. cap. 5. n. 15. Faustus lib. 5. Thesaur. q. 191.* Omnibus tamen modis procurandum est, vt saltem promittatur, si habet in bonis, ne extraneis maledicendi occasio detur.

Quæres 24. An receptio, & probatio nouitiorum criminosorum, seu alias obligatorum, iuxta quod dicitur in Bullis duabus Sixti V. & vna Gregor. XIV. adhuc sit prohibita, & illicita, non obstante Bulla Clem. VIII. incip. In suprema, *apud Quarant. v. Monasteria, & conuentus, Mirand. tom. 1. q. 19. art. 3. Vecchius disp. 2. dub. 12.* extensa à dictis authoribus, in qua sua Bulla Clem. VIII. illas tres Bullas præcitatas, quoad eam partem, per quam eorum, qui formam in eisdem constitutionibus præscriptam de cætero non seruauerint, & quo ad alios casus ibidem expressos, in quibus receptorum professio nulla declaratur ad terminos iuris, & sacrorum canonum reduxit, remanentibus pœnis contra superiores, qui in admittendis nouitiis ad habitum & professionem, in illis præscriptam formam non seruauerint, aut quouis modo contrafecerint. Nam si adhuc extant pœnæ contra superiores recipientes, ergo & nullitas professionis contra receptos, videtur enim irrationabile, quod criminosus licite possit petere ingressum, & superiores illicite admittere, præterea pœna arcet hominem ab aliquo agendo, si attentetur sine dubio reus est transgressionis, ergo criminosus licite petere non potest ingressum. Deinde si criminosus licite admittitur, ergo & superiores illum licite admittunt, valet enim consequentia à sensu passiuo ad actiuum, & è contra, vt dico resol. 56. n. 175. ad quid ergo adhuc subsistunt illæ pœnæ, cum admittens non dicatur transgressor. Nec dicas pœnas infligi contra superiores, quatenus omittunt informationes, huiusmodi criminosas recipientes parum prudenter, & inconsiderate, non vero contra illos, quatenus præcise eosdem recipiunt ad habitum, & professionem. Nam hoc non soluit difficultatem, sed potius infertur, huiusmodi informationes frustra recipi, & esse inutiles, si adhuc possunt recipi criminosi: Quare dicendum, neque superiores illos posse recipere, neque eosdem licite ingressum petere, vt voluerint priores Papæ, respectu quorum prohibitio non fuit simplex, sed efficax cum decreto irritante; nihilominus.

Respond. Clem. VIII. præcise abstulisse decretum
104 irritans, & prohibitionem efficacem reduxisse ad simplicem, & inefficacem in ordine ad valorem professionis, iuxta illud commune axioma. Multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent, consequenter illicita est receptio habitus, & illius amissio, quo ad has actiones transeuntes, Criminosi ergo adhuc prohibentur admitti ad religionem.

Quæres 25. An omissæ informationes eius, qui reuera cognoscitur carere vitiis, & defectibus, de quibus in prædictis Bullis Sixti V. inducant peccatum mortale?

Respond. Negatiue *Diana part. 2. resol. 82. de dub.*
105 *regul. ex Vecchio disput. 6. dub. 1. n. 6.* quod ibi probat sufficienter, & faciunt dicta superius *n. 87. Tambur. tom. 3. disp. 6 q. 5.*

Quæres 26. An nouitius vocandus sit religiosus, & de familia loci, vbi nouitiatum peragit?

Respond. Est religiosus, & de familia loci, vbi pera-
106 git nouiciatum. Primum suadetur, quia licet religiosus in hoc esse constituatur per professionem, *cap. Consaldus 1. 17. quæst. 2. Glos. cap. De viduis 7. 27. q. 1.* & sic omnes docent, nihilominus cum nouitius sit proxime in via ad professionem dicendus est religiosus si non perfectè & irreuocabiliter, saltem initiatiue, & perseueranter, eo quod nouitiatum ingreditur, vt anno probationis expleto proficiendo perpetuo remaneat in religione. *Sic ex cap Religioso 21. §. Quamuis, de sent. excom. in 6. doctores.* Est enim persona Ecclesiastica Nau, consil. 5. de foro compet. *Graff. tom. 1. consil. 8. de voto n. 12.*
107 & datio habitus est actio spiritualis, cum per ipsum fiat persona Ecclesiastica ex eodem *Nauar. consil. 86. de simon.* non est autem clericus secularis, ergo religiosus, cum non detur medium, *cap. Duo sunt 7. 12. qu. 1.* Secundum constat ex eo, quia professi ibi sunt de familia, seu domicilium contrahunt, vbi à superiori-
108 bus designantur permansuri regulariter, & non per modum prouisionis, sut in subsidium alterius absenti incidenter *Panorm. in capit. Nullus, de Paroch. eh Lazario in Compend. Nauar. ver. Domicilium, Armill. ver. eodem., Graff. tom. 2. consil. 2. de Pœnit. diff. 5. numero 5. ad 8. licet rem nimius restringat, Sanch. lib. 4. cap. 39. numero 20. qui cum Nald. v. ordo*, loquitur in terminis de nouitiis, cum quibus est Diana *part. 1. tract. de Immun. resol. 37.* sustinendo eorum bona esse exempta à Gabellis, cum ergo nouitij sint designati in conuentu deputato non secus, ac constituuntur professi, cum quibus commune habent domicilium, ibidem de familia dicuntur.

Quæres 27. An nouitij gaudeant priuilegio fori tam quo ad personam propriam, vt non possint citari, neque cogi ab aliquo iudice seculari, aut ecclesiastico, quam quod ad eorum bona, ita quod sint exempta ab oneribus eorum bona, eo modo, quo exempta sunt bona aliorum religiosorum, & professorum?

Respond. Omnes concedunt esse exempta quo ad eorum bona nonnulli male negant.

Primum de exemptione personæ, quia receptione habi-
109 tus fiunt de foro regulari, superior enim regularis, sub cuius probatione sũt, est illorũ ordinarius iudex, & prælatus, Nau. cõsil. 5. & 6. de foro compet. In religione contrahunt domicilium ex probatis quæst. præced. ergo fiunt de foro regulari, nam aquisitione noui domicilij aaquiritur nouus forus eius ordinarij, in cuius territorio habitatur, cap. Licet, de foro compet. Quod acquirant forum intra religionem pluribus docui *in meo Tract. de profess. regul. cap. 4. q. 54. Vide quæ dixi resol. 7. q. 39. Peyrin. de Prælato q. 3. cap. 1. §. 7.*

Secundum de exemptione bonorum probatur ex eo
110 quod est persona ecclesiastica ex allatis præcedenti quæstione, & infra q. 28. & supra n. 91. Ita docent *Molin. tom. 3. tract. 2. disp. 671. n. 2. Malder. 2. 2. tract. 1. cap. 6. dub. 8 Faustus in Speculo disp. 33. q. 14. n. 2. Barbosa in Collectan. tom. 1. lib. 3. tit. 49. cap. 7. n. 11. Sanch. lib. 6. cap. 10. n. 16. alios plures præter citatos pro se refert Diana part. 1. tract. de Immun. resol. 37. ego cap. 4. de Nouitiatu q. 1. v. Nouit. & melius c. 5. quæstione 43*

Quæres 28. An nouitij sint personæ ecclesiasticæ? Superius n. 41. distinxi duorum genera clericorum, quorum alij deferunt clericam, sed ordines non recipiunt, vel ob defectum scientiæ, vel quia nolunt; alij vero promouentur ad ordines; & num. 91. probaui per tonsionem receptam ingressu religionis euadere clericos consequenter nouitij, quibus ingressu religionis tondentur capilli qui in modũ coronæ fiunt, & vocantur clerici, consequenter vocatur etiam ecclesiastici, quia omnis clericus est persona ecclesiastica. Remanet ergo difficultas respectu conuersorum, & Tertiariorum collegialiter viuentium.

Respond. Non solum coronam gestantes nouitij
112 ad chorum deputati sunt personæ ecclesiasticæ ex probatis, sed etiam conuersi, & Tertiarij. De conuersis probatur, Tum quia speciali modo deseruiunt ecclesiæ licet non ita intime, & immediate sicut clerici. Tum quia vt quis sit Ecclesiastica persona non est necessaria promotio ad ordines, vt probaui locis citatis, Tum

quia

quia & isti deferunt semicoronam, & tonduntur ad partem posteriorem inferiorem. Quod idem eisdem rationibus patet de Tertiarijs collegiatis. Confirmatur de omnibus nouitijs, & Tertiarijs, quia omnes gaudent vtroque priuilegio, quo à posteriori argumento probatur illos esse sub numero ecclesiasticorum, de priuilegio fori præcedenti quæstione, canonis vero in sequenti. Quod nouitij sint personæ ecclesiasticæ docent *Nau. consl. 5. de foro compet. & doctores, quos ego citaui capitulo quarto quæst. 46. & capitulo quinto, quæstione 43. de Conuersis Glos. v. Electionibus, capitulo, Ex eo, de electionibus in 6. Nau. consilio vigesimo quinto de priuilegiis.*

Quæres 29. An nouitij tam clerici, quam laici gaudeant priuilegio canonis?

112 Respond. Gaudent, expressis verbis *cap. Religioso 21. §. Quamuis, de sententiis excommunicat. in 6. Nau. capitulo 27. numero 79. Sair. libro tertio, capitulo 27. nu. quinto vbi quamplurimos citat, Bonacina disputatione secunda de censur. quæst. quarta pag. prima, numero sexto, Megal. libro quarto de censuris, capitulo primo, num. 39. & 40. Portel. v. Nouitij num. 53.* vbi dicit nouitium directe, ac proprie gaudere solum priuilegio canonis, non vero aliis professis concessis, nisi in illis fiat mentio nouitiorum concedit tamen gaudere indulgentijs, sed à veritate deuiat ex supra probatis. Procedunt licet nondum aptus sit ad probationem, quæ incipit in anno decimo quinto *Sanch. libro quinto, capitulo 4. numero vigesimo quarto* quicquid dicat *Pasqualigus decis. 424.* de suis Hospitibus, quia per assumptionem habitus videntur esse ecclesiastici cum subdantur tunc superioribus, & experiantur modum viuendi religionis. Faciunt quæ dixi sub numero 92. ad finem.

Quæres 30. An peracto nouitiatus anno in quinto decimo possit nouitius cum licentia suorum superiorum, pergere ad conuentum, in quo filiationem habuit, vel in alio remanere per totum annum suæ ætatis decimum sextum, & postea ibidem, vel reuertendo ad primum locum nouitiatus professionem emittere? quod est etiam quærere, an nouitius teneatur continuare, & remanere in loco nouitiatus, & quatenus nouitius vsque ad professionem. Et videtur affirmatiue respondendum auctoritate Trident. sess. 25. cap. 16. ibi: *Finito tempore nouitiatus, superiores, nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant.* Ecce mens sacri concilij est, ne nouitiatus disiungatur à professione. Et præcedenti cap. 15. dicitur, quod: *Professio non fiat ante decimum sextum annum expletum, nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur.* Vides quod professio sequitur annum probationis, ergo nouitius expleto nouitiatu in anno decimo quinto, debet ibi perseuerare adhuc in probatione donec adueniat tempus emittendæ professionis, & hanc tenet Vecchius disp. 11. dub. 3. num. 5. cuius opinioni fauet multum Breue Sanctissimi Vrbani super professionibus, de quo resolut. 8. nu. 21. & decreta Clem. VIII. expresse statuentia receptionem tam ad habitum, quam ad professionem faciendam esse in locis deputatis, ergo non extra.

113 Respond. Nouitius per totum annum suæ ætatis decimum sextum, supposito legitimo nouitiatu potest manere in alio conuentu, & ibidem eodem anno expleto proficere, nisi aliud obstet, quam locus fœderetur, quia ex citatis capitibus Tridentini ad profitendum requiruntur duo actus probationis, & admissio ad profitendum; sed hæc duo habet nouitius in fine anni decimi quinti, cum per annum steterit in probatione, vt suppono, & idoneus ad profitendum iudicatus fuerit, quibus duobus requisitis non obstat permansio post illud tempus in alio conuentu, vt palam est, ergo profiteri licite potest. Nec obstant 114 allati textus sacri Concilij, in quibus præcise co[illegible]netur, vt nouitius ad profitendum admittatur, si iudicatus fuerit idoneus, & expleuerit annum decimum sextum suæ ætatis, & annum vnum integrum probationis; neque enim adest aliqua particula, quæ continuat probationem cum professione, vel indicet statim esse proficiendum finito probationis anno iterum resol. 57. q. 115 5. Deinde professio differri potest ex causa post annum decimum sextum, vt docui in meo Tract. *de profess. cap. 2. q. 68. cum Nau. consil. 30. de regul. Diana resol. 128. de Regul. alios citat Barb. ad cap. 15. sess. 25. n. 41.* ergo non est necessario annexa anno probationis; neque necessario emittenda est in loco nouitiatus, vt probaui in eodem tract. *cap. 4. q. 24. resol. 8. n. 19.* in quibus locis probaui valere professionem factam extra nouitiatum. Ita docet *Mirand. tom. 1. q. 22. art. 3.* & à fortiori diceret hoc *Portel. pars. 2. casu. 7.* dum dicit expulsum, defectu informationum, in alio loco valide profecisse.

116 Quæres 31. An superiores omittentes informationes nouitiorum eorum, qui vere carent illis criminibus, & impedimentis peccent mortaliter, & incurrant pœnas in Bullis Sixti V. contentas? Non peccare mortaliter dixi q. 25. superius, consequenter neque dictis pœnis subijciuntur, pœna enim supponit culpam, & ita docent *Rodr. tom. 3. q. 54. art. 4. Portel. v. Nouitij n. 6. & ex illis Diana parte secunda, resolut. 83. de dub. regul.*

Quæres 32. An nouitius de licentia superioris possit morari extra conuentum deputatum, vel apud parentes, vel in alio conuentu, ad curandam infirmitatem, vel graue negotium, & hoc per maiorem etiam partem anni, si morbus, aut negotium tantum tempus exigat absque interruptione nouitiatus?

117 Respond. Potest etiam non obstantibus constitutionibus Clementis, & Breui Vrbani, quia certum est apud omnes per aliquod tempus posse nouitium manere extra vt probaui *cap. 4. q. 14* & suppono supra *q. 20. n. 100.* ergo per illud totum tempus quod expostulat causa, per quam concessio facta illi fuit manendi extra, causa enim legitima sicut iustificat licentiam, ita & legitimum facit tempus licet diuturnum. *Ita docent Sanch. lib. 5. cap. 4. n. 28. cum Nau. consil. 42. de regul. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 2. q. 8. Diana illos citans resol. 84. de dub. regul.* asserentes posse morari maiori parte anni, contra Rodr. cum suo Compend. *resol.* 101. *n.* 44.

Quæres 33. An ejici possit nouitius ex eo præcise, quod formidat, & timet dormire solus in lecto, neque ad id cogi potest terroribus, minis, neque castigationibus?

118 Respond. Potest, quia religiosi debent dormire soli, ex constitutionibus singularum religionum, sic S. Benedictus in Regula sua cap. 12. Carmelitæ cap. 3. & in Regula mei ordinis cap. 11.

Quæres 34. An nouitius confiteri possit valide à confessarijs extraneis & non deputatis, atque valide absolui tam à non reseruatis, quam à reseruatis? Diana acerrimus defensor partis affirmatiuæ plures pro se adducit doctores, qui sunt *Molfes tom. 1. tract. 7. cap. 14. n. 81. Ortiz. in sum. cap. 5. n. 11. Homob part. 1. exam. tract. 5. cap. 2. q. 13. Rodr. tom. 1. q. 27. art. 11. Portel. v. Nouitius 36. Petrus Fays in add. part. 3. q. 8. art. 5. disp. 6. Villal. tom. 1. tract. 9. dist. 56. n. 6. Mirand. tom. 2. q. 34. art. 16. Riccius tom. 4. resol. 241. Hos citat in tract. de dub. regul. resol. 4. & alios addit part. 4. resol. 5. nimirum Nauarrum, Henr. Faustum, Bariolam, Quibus addo Candidum de confess. sacr. art. 58. dub. 7.* Et totus intentus est respondere argumentis sui Aduersarij patris Peregini. Rationes autem eius, & responsiones videntur reducendæ ad sequentes.

119 Prima quia religiosi non sunt nouitij ex resolut. 27. de paupertatibus religiosorum consequenter in ordine ad sacramentum pœnitentiæ nouitij ante professionem sunt ad instar secularium, qui confitentur cum approbatis ab ordinario loci,

120 Hæc ratio solum probat nouitium esse instar secularium, quoad ea, quæ præcise pendent à professione, sicut enim seculares neque per imaginationem, vt aiunt, tenentur præceptis, & ordinationibus religiosorum, quia illis non se subdiderunt, cum professionem non emiserint, ita neque nouitij eisdem subiiciuntur, & in hoc pares sunt secularibus; in iis vero, quæ professi communia habent cum cæteris Christi fidelibus, non minus obligantur nouitij, quam professi, seu seculares, sed omnes indifferenter obligantur ex præceptis, & iuribus Ecclesiasticis, demus exemplum in ieiuniis, in obseruantiis dierum festorum, ad quæ omnes fideles indifferenter tenentur de iure communi; pari ratione in casu nostro præceptum iuris communis, *cap. Placuit dist. 6. de pænit. cap. omnis, de pænit. & remiss.* de confitendo proprio sacerdoti, & decretum Trident. *sess. 14. cap. 7. de reseruat.* casuum æque, & indifferenter obligat, & afficit omnes Christi fideles tam seculares quam ecclesiasticos, tam nouitios, quam professos, aliter transgrediens huiusmodi præceptum nullam facit confessionem, dicit enim textus in cap. Omnis 12. de pænit. ibi: *Cum alter ipso*, id est, non proprius sacerdos, *illum non possit absoluere, vel ligare.* Quæ verba important nullitatem confessionis, cum alienus confessarius careat iurisdictione respectu extranei, vt omnes docent super dictum cap. Et in cap. Placuit. dist. 6. de Pænit. Proprius autem Sacerdos nouitij sine dubio est ille, de quo in constitutionibus Clement. VIII. ergo si extra deputatum confiteatur nullam facit confessionem. Confirmatur quia de iure communi quilibet debet habere proprium sacerdotem, modo nouitij proprius non est, quem ipse habebat in seculo, quia illum perdidit derelictione domicilij, vt faciunt omnes seculares acquirentes illum in loco, vbi

121 de nouo contrahunt habitationem, vel domicilium, quilibet enim dicitur habere proprium sacerdotem illum parochum, in cuius parochia habitat, & quoad sacramenta sit illi subditus, vt communiter tradunt super tit. de Paroch. ergo pro proprio sacerdote debet habere deputatum sibi à superiore regulari, consequenter si alteri confitetur extra ordinem peccat mortaliter, & nullam facit confessionem. Idem dic proportionaliter de reseruatione casuum, de quibus satis dixi cap. 4. quæst. 52. & resol. 38. num. 4. Et si nouitio licitum est confiteri extraneo sine peccato, qua ratione ex hoc superiores possunt illum à Religione expellere, secundum ipsum Diana in sina resol. 4. de dub. regul. nouitium enim expellere est pæna grauissima, quæ necessario culpam supponit ex probatis à me supra à numer. 9. & sequent. hic autem nulla est culpa, cum iure suo vti possit secundum ipsum Dianam.

Secunda, quia verba decreti de confessario pro nouitiis neque sunt præceptiua, neque æquipollentia præcepto, sed tantum consilium continent. Quod præceptum non contineat illud decretum. *Ipsi autem Magistro soli Nouitiorum confessiones audiendi cura committatur.* Est clarum quia sunt verba modi imperatiui, quæ præceptum non continent, vt firmat authoritate plurium doctorum. Neque hoc decretum habet æquipollentia verba, cuiusmodi sunt verba necessitatis, vt *Teneantur, Debeant, necessario, etc.* Subdit tertio præceptum dubium non obligare ex Henriq. Suar. Sanch. & aliis, quia in dubio stat possessio pro libertate, casus autem iste est dubius, cum vtrinque sint rationes, & fautores.

122 Contra est, quia illud statutum de confessione facienda Magistro nouitiorum non est consilium, sed præceptum si non formaliter, vel æquipollenter, saltem virtualiter, quia est de re alias præcepta, nempe vt quilibet confiteatur proprio sacerdoti, qualis respectu nouitij est Magister, vel quiuis alius à superiore deputatus; modo decretum continens id, quod ius commune interpretandum est secundum ius commune, ita quod tantam importat vim, & obligationem, quantam Ius commune, cap. Cum dilectus, de consuet. iuncta *glos. Nec iuris communis, l. Si serui 2. C. de Noxal. ait Bartol. in l. Omnes populi ff. de inst. Curt. iun. cons. 7. num. 8. Cephal. vol. 2. cons. 210 num. 13. & ex aliis M. Ant. lib. 2. resol. 21. num. 8.* Sed hoc decretum pro nouitiis quod confiteantur Magistro est conforme iuri communi, quod vnusquisque confiteatur proprio sacerdoti, & non alieno, tam reseruata, quam non reseruata, ergo non consilium, sed præceptum est. Nec obstant, quæ dixi *resol. 4. num. 11.* esse consilium in Religione, respectu exterorum præceptum. Confirmatur per doctrinam *D. Thomæ 2.2. quæst. 186. art. 9.* communiter receptam, *& à Nauar. relatam cap 23. num. 4. & à Megal. part. 1. de Pænit. lib. 5. cap. 4. num. 5.* approbatam, nimirum, legem licet non contineat verba præ-

123 ceptiua, neque illis æquipollentia, adhuc obligare ad culpam mortalem, quando in ea agitur de materia alias præcepta *per Gloss. v. Exhortamur Clem. 1. de testib.* Sed in illo decreto agitur de materia alias iure communi præcepta, vt nimirum quilibet confiteatur sua peccata proprio sacerdoti. Deinde superior sub pæna graui, cuiusmodi est priuatio omnium officiorum tenetur exequi quæcunque & singula ordinata in dictis Institut. de educat. nouit. quod sicut arguit culpam grauem in superiore, ita & in nouitiis, aliter si nouitius non teneretur accedere ad deputatum confessarium, ad quid obligaretur superior ad huiusmodi commissionem, & deputationem, nemo enim ad inutile tenetur, *cap. 4. §. Ex his omnibus 23. quæst. 6.* & cum nouitius subditus, & prælatus superior correlatiua sint adinuicem, non debent ad imparia iudicari, sed eorum idem debet esse iudicium, ita quod dispositum in vno, intelligatur & in altero, *l. fin. ff. de acceptil. l. Si quis seruo C. de furt.* Quod addit rem esse dubiam, contra ipsum est, quia in materia sacramentorum via tuta sequenda est, vel saltem probabilior opinio ex communiori doctorum; cum autem ipse rem faciat dubiam, & non opinionem, vt sequitur ex eius verbis, omnino audiendus non est, quia certum est per illud decretum Magistrum nouitiorum esse proprium sacerdotem nouitij, ergo quilibet alius extraneus erit.

Tertio dicit Diana illud decretum non importare formam essentialem, sed modum, conuenientiam, & decentiam, quibus Magistro competit huiusmodi spirituale officium in vtilitatem nouitiorum, ac proinde daram ab aliis absolutionem nouitiis tenere, & putat verisimiliter Clementem VIII. cognitionem habuisse huiusmodi opinionis, posse nimirum nouitios extra confiteri, quod si voluisset contrarium determinare, quod probabile non est, vsus non fuisset in determinatione verbis tam obscuris, & sub tantis verborum inuolucris, concludendo, & solum Peregrinum inter tot, qui post illum Papam scripserunt, esse singularis opinionis.

Contra est, illud decretum continere formam essentialem, cum in eo agatur de iurisdictione proprij sacerdotis, quæ cum sit de essentia huius sacramenti, sine dubio importat formam essentialem, & faciunt hactenus dicta, hoc decretum esse idem, quod commune. Neque de iure est, quod Papa sciat opiniones doctorum in condendis suis constitutionibus, cum ab illis eius autoritas non dependeat, neque eas præsumitur scire argum. cap. 1. de constit. in 6. & cum non agatur de aliquo fidei articulo determinando non est cur recurratur ad Doctores; & cum opiniones doctorum legem non faciant, parum de illis curat Papa in similibus. Neque præfatum decretum obscurum est, neque sub multis inuolutum verbis, sed paucis, & claris verbis. Magistro nouitiorum datur cura excipiendi confessiones nouitiorum. Demum post Clementem VIII. non vnicus Peregrinus, sed multi peregrini huius fuerunt sententiæ, quos & ipsa *Diana citat alio in loco resolut. 4.*

de

de dub. regul. quibus adde Peyr. de Prælato quæst. 3. cap. 1. §. 7. num. 201. Neque mirum est, si aliqui post Clementem scribentes ad id non aduerterunt, quia impossibile est aduertere omnia, præterquam quod rationes à me allatæ absolute probant independenter etiam à dicto Decreto, quod tamen conclusionem efficaciter firmat.

Demum subdit alia pater Diana, quæ magis specialia sunt pro eorum Religione inter se altercantium, videant ipsi. Prædicta recensui non tam vt defenderem optimam Peregrini opinionem, quam etiam vt meam tuerer, sufficienter locis citatis à me probatam.

Quæres 35. An iuuenis nondum excedens sexdecim annos vestiri possit quouis anni tempore absque eo quod informationes de eo habitæ probentur in capitulo generali, vel Prouinciali, iuxta constitutiones Sixti V. de quibus supra sub *quæst. 10. numer. 77.* Quod est etiam quærere, an nouitij, qui nondum excesserunt annum decimum-sextum subiecti sint dictæ constitutioni.

124 Respond. Quouis anni tempore vestiri possunt huiusmodi nouitij, quia Sixtus V. in sua Bulla loquitur de illis, qui excesserunt annum decimum-sextum, de quibus informationes recipiendæ probandæ sunt in capitulis prouincialibus, vel generali, iuxta quod dixi loco citato, præsertim num. 80. Excipiuntur illegitimi recipiendi ad statum clericorum, quorum informationes receptæ examinandæ, & probandæ sunt in capitulis, vt colligitur ex Bullis dicti Sixti, & Gregorij XIV.

Quæres 36. An qui excesserunt annum decimum-sextum vestiri possint habitu nouitiorum, & infra annum nouitiatus recipi, seu examinari, & approbari possint eorum informationes, ita quod eorundem probatio, & nouitiatus debeat pro bono, & legitimo reputari, non obstante, quod nouitius ante introductus fuerit in nouitiatum pro probatione.

125 Respond. Informationes examinatæ postea, non impediunt cursum nouitiatus, qui reputari debet bonus, & legitimus. Tum quia legitimus nouitiatus censetur ille, qui fit in loco deputato, in quo nouitius probat, & probatur ex constit. Clement. VIII. & cap. Ad apostolicam 16. de regul. Tum quia & si Sixtus V. in Bulla, Cum de omnibus, apertè annullet receptionem habitus, nisi prius receptis informationibus, tamen id temperauit in sequenti constit. Ad Romanum, vt in illis Religionibus, in quibus singulis annis capitulum non fit, certi patres congregati ad hunc effectum possent infra annum sumere de nouitio informationes; Quod & Gregorius XIV. in Bull. Circumspecta, concessit illis religionibus, in quibus est vsus filiationis, vt in mea Religione, prout dixi supra num. 78. Ita colligitur *ex Miranda tom. 1. quæst. 21. art. 1.* vbi adducit nouam Bullam Clem. VIII. de hac re, quam paucis recenset *Portel. v. Nouitij informationes num. 1. Peyr. tom. 2. de Prælato quæst. 3. cap. 1. num.* 8. asserentibus non esse amplius necessarium, vt approbentur in capitulis, sed quouis tempore recipi, & approbari posse à patribus deputatis ad id officium.

Quæres 37. Coram quo iudice conueniendus sit nouitius pro debitis? *Peyr. de Prælato quæst. 3. cap. 1. §. VII. num. 196.* respondet debitum exigendum est 126 coram suo superiore regulari, non coram iudice ecclesiastico, illi enim quoad vtrumque forum subditur, & pro se citat *Rodr. tom. 2. quæst. 2. art.* 10. vbi ait, superiorem, & prælatum regularem esse iudicem competentem nouitij quo ad causas tam criminales, quam ciuiles. *Sanch. lib. 6. cap. 10. num. 12. Azor. tom. 1. lib. 12. cap 3. quæst. 2.* Negant ergo isti creditorem posse suum creditum exigere coram iudice seculari, aut ecclesiastico non regulari superiore nouitij, ob eam rationem, quia pro vtroque foro, & quoad vtramque causam pro iudice habet superiorem regularem.

Respond. Conueniendi sunt nouitij coram iudice 127 conseruatore eo modo quo professi, quia illi non excluduntur ac si essent professi, priuilegia enim conseruatorum se extendunt etiam ad nouitios, & alios perpetuos commensales, vt videre est constit. Ad hoc nos, Pij V. apud Confect. præsertim pag. 210. & in summ. tit. 4. cap. 7. & nouissime in constit. incip. Sanctissimus in Christo Gregor. XV. quod personæ religiosæ cuiusuis qualitatis, seu conditionis conueniantur coram conseruatore. Non nego tamen opinionem præcitatorum, posse creditorem petere à superiore regulari suum creditum contra nouitium, quem cogere potest ad solutionem.

Quæres 38. An nouitius post ingressum puniri possit à iudice laico pro aliquo crimine commisso, dum erat in seculo? Respondi resol. 8. quæst. 39. num. 115. Si delinquens accusatus fuit, vel inquisitus antequam ingrederetur subiici iudicio laico, si ingressus erat secularis, vel Episcopalis, si clericus erat, iuxta dispositionem constitutionum Sixti V. non solum puniri posse in rebus, sed etiam in persona, ob rationes ibi adductas, Verum cum per constit. Clem. VIII. incipiend. In suprema, *apud Quar. v. Monasteria, pag. 314. Vecchium disp. 2. dub. 12.* Bullæ duæ *Sixti V.* reductæ fuerint ad terminos iuris, quoad valorem professionis.

128 Respond. Nouitius criminosus Religionem ingressus licet per Bullam Sixti V. puniri potuisset à iudice laico, vel ecclesiastico, si fuisset clericus, non solum realiter seu quod ad bona sua, sed etiam personaliter; tamen modo attenta constitutione Clem. VIII. præcitata puniri non potest personaliter licet etiam in fraudem ingressus fuerit, vtique vero realiter, supposita fraude, & quod fauore Religionis non renuntiauerit. Probatur quod non possit puniri corporaliter, quia in hoc casu neque puniri potest clericus, ex probatis Resolut. 67. num. 96. ergo à fortiori neque religiosus, qui accedit ad statum perfectiorem, & consequenter remotiorem à potestate laica. Confirmatur, quia ideo puniebatur ex vi Bullæ Sixti V. quia nulla erat subsequens professio, ibi: *Ac propterea attenta nullitate habitus, & professionis licere quibuscumque iudicibus.* Mo-129 do autem tenet, & ingrediens habilitatur, licet adhuc esset prohibitio illos recipiendi. Ita docent omnes ferè *cum Vecchio disput. 11. dub. 12. Portel. v. Nouitius num. 17. alios citans Tambur. tom. 3. disput. 6. q. fin. Peyrin. de prælato quæst. 3 cap. 1 num. 198. Marta de iurisd. par. 4. cent. 2. casu 121. num. 22.* nun præsumi fraudem. Quod neque puniri possit in rebus præcisa fraude, seu renuntiatione, constat ex eo, quia in eo casu non est Religioni præiudicandum, ex quo etiam apparet exclusio fraudis ex facta renuntiatione.

Respondent communiter Doctores *cum Vecchio dispu. 11. dub. 12. num. 4. Peyr. de Prælato quæst. 3. cap. 1. §. 7. num. 198. Thesaur. de pœnis Eccles. part. 2. v. Criminosi*, illum in fraudem iudicis ingredi, qui cœpta accusatione, vel inquisitione, seu processu ingreditur; meo iudicio ingressus præsumitur fraudulentus, cum quis post perpetratum crimen statim ingreditur, quia bonum Religionis non videtur illum mouisse, sed sola occasio declinandi iudicium fori secularis, ne puniatur, sed immunis remaneat à pœna per ingressum in religionem, actus enim subsequens præsumitur factus ex præcedenti causa *l. Quædam C. de rei vend. l. 1. C. de acquir. possess. Crauetta consil. 234. Mar. Anton. lib. 3. resol. 19. numer.* 8. Neque obstat, quod ingrediendo Religionem dicatur vti iure suo, ac proinde nihil cum fraude facere, quia in hoc casu nullo iure suo vtitur, sed 130 facie contra ius ex citatis Bullis Sixti interdicentibus ingressum criminosis, quibus non derogauit Clemens VIII. vt supra; & cum factum prohibitum, cuiusmodi est ingressus criminosi, præsumatur mala intentione gestum, *l. Si non conuictus C. de iniur. l. 1. C. ad legat. Cornel. de sicear. cap. 1. de præsumption.* ideo post patratum crimen ingrediens censetur

id fecisse, vt fugeret iudicium laicale. *Vide resol. 67. num. 96. ad. 99.*

Quæres 39. An nouitius post ingressum committens aliquod grauecrimen possit à superiore regulari, vel ab Episcopo processari, & puniri secundum terminos iuris? vel detur ei optio recessus, seu pœnæ perpetrati criminis; Faciunt quæ dixi cap. 4. de Nouitiatu q. 53.

131 Respond. Nouitius quod ad delicta tempore nouitiatus commissa subditur superiori regulari, à quo solo puniendus est, siue velit recedere, siue permanere, etiam pœna perpetu carceris, aut triremium.

Primum quod nouitius sit subditus superioris regularis ratione delicti, probatur, Tum quia in loco nouitiatus contraxit domicilium, ibique citari potest *Panor. in cap. Nullus de Paroch. ex Lazario Compend. Nauar. v. Domicilium, ibid. Armill. n. 2. Tabien. Sanch. lib. 4. cap. 39. n. 20. Graff. tom. 2. consil. 2. de Pænit. diff. 3. n. 5. ad* 8. ergo ibidem vere est subditus prælato regulari, ac sicuti est secularis habens domicilium sub principe, vbi delinquit. Tum quia licet alias non haberet domicilium, ratione cuius puniri non posset, quod tamen falsum est, adhuc prælato regulari fieret subditus ratione perpetrati delicti, consequenter absolute puniri posset à superiore regulari, in cuius quasi territorio deliquit, monasterium enim vocatur territorium, *Card. in Clem. 1. de statu mon. & ex eo Verall. part. 2. decis.* 225. *n.* 3. quis enim præcise ratione perpetrati delicti in alieno territorio fit de illius foro ad hoc vt puniri possit *cap. fin. de foro comp. ibi Glos. v. Ratione delicti*, quod iurisdictionem dat alias non habenti, procedit quo ad actuale iudicium, ibi enim capi, carcerari, processari, & puniri potest cap. 1. de Raptor. ibi Glos. iuribus citatis. Tum quia etiam respectu nouitiorum est prælatus, & iudex pro foro externo, sicut est super professis *Rodr. tom. 1. q. 17. art. 11. cum suo Compend. resol.* 114. *n.* 14. sed nulla est iurisdictio fori externi sine coactione *cap. Pastoralis* 28. *de off. deleg. ibi Glos. v. Si ergo coerctionem, per l. fin. ff. de off. eius cui mand. cap. Ex literis* 29. *eod.* Ita docent *Rodr. tom. 2. quæst. 2. art. 10. Nau. consil. 5. de foro comp. Azor. part. 1. lib. 12. cap. 2. quæstione 11. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 16. num. 8. Zanard. parte 1. Direct. cap. 26. quos & alios citat Vecchius disp. 11. dub.* 11. *numero secundo & tertio, Peyrinus quæst. de Prælat. q. 3. cap. 1. §. 7. n.* 197. quorum aliqui adhibent limitationes, de quibus Vecchius cit.

Secundum, quod sit subditus punitionis cuiuscumque licet velit discedere, probatur, Tum quia ex probatis habet super illum iurisdictionem fori externi, quæ est cum coactione, ergo constringi potest. Tum quia non minus est in fraudem ingressus in religionem eius, qui deliquit in sæculo, vt subterfugiat laicale iudicium, quam egressus è religione nouitij delinquentis, vt eludat iura superioris regularis, vt patet, quia vtrobique adest fraus, ergo sicuti cogitur ingressus à iudice laico, ita & cogi potest volens egredi. Docet ita *Suar. apud Vecchium cit. disp. 11. dub. 11. num.* 5. cuius opinio illi non placet, eo quod opposita sit communior, *neque Diana part. 2. tract. 1. de Immun. resol. 34. in fine*; nullam autem adducunt rationem, & ideo sine ratione dimittuntur; addendo nouitijs esse liberũ recedere à religione ex cap. Statuimus, cap. Non solum de Regul. intelligẽdum esse cum eodem Suar. procedere, nisi obstet aliud, præterquamquod ex eorum punitione non impeditur egressus, peracta pœnitentia, sed tantum iure retardatur, cum sit egressus fraudulentus ad euitandam condignam pœnam. Quod si ante cæptam causam nouitius fugam arriperet, perdit suum ius superior, ita quod causam incipere licitè possit, eam tamen terminare non potest, quia super nouitium ius non habet absolutum, sed limitatum ratione domicilij actu, & delicti. Si autem prælatus regularis vult efficaciter in causa contra nouitium procedere, necesse est, vt illum carceribus mancipet, & sic causam terminet, & puniat.

Tertium de pœna carceris, seu triremium, suadetur, quia ex probatis habet iurisdictionem coactiuam contra ipsum, ergo deducere potest processum vsque ad exequutionem sententiæ, & pœnæ per eam inflictæ, per exequutionem enim pœnæ terminatur iudicium, nam sententia habet executionem paratam. *l. Si se non obtulit 4. §. Si ex ff. de re iud.* Et iudex debet cognoscere principium, medium, & finem causæ, *capitulo Super 27. de off. deleg.* executione autem sententiæ terminatur causa. Non expedit autem regularibus imponere pœnam perpetui carceris, quia hoc esset in prægraue iudicium religionis.

Quæres 40. An nouitius recedens ante professionem, puniri possit à iudice seculari, si post abiectum habitum probationis remaneat in seculo, vel ab Episcopo, si alias erat clericus, ob delictum in religione perpetratum, & non castigatus? Vide resol. 7. quæst. 39. num. 116.

Respond. Iudex laicus nullum nouitium egressum etiam impunitum punire potest ob crimen commissum tempore nouitiatus, vtique vero iudex Episcopalis, licet egressus effectus sit merus laicus, quia in probatione nullum habebat ordinem, quando à prælato regulari punitus non fuit, & posito, quod delictum commiserit extra conuentum. 132

Vtrumque probatur ex illa communi regula, quod in delictis puniendis inspicitur tempus, quo illa commissa fuerunt. *l. 1. ff. de pœnis. l. Iniuriarum ff. de iniur. Alex. consil. 8. fine lib. 1. & lib. 6. cons. 149. Barbosa in l. Titia 35. ff. solut. matr. n.* 33. vnde & ad gaudendum foro illud tempus inspicitur, ex eisdem; sed nouitius delictum commisit, quando erat persona ecclesiastica, ex supposito casu, ergo à solo ecclesiastico puniri potest, non à regulari, si recessit nouitius iuxta superius dicta, ergo à solo Episcopali, cui in hoc etiam tunc suberat ex dispositione iuris sess. 25. cap. 14. & facit cap. 4. de regul. in 6. Confirmat Bonac. cit. quia neque clericus, habitu deposito, puniri potest à iudice laico ob delictum perpetratum dum erat clericus, vt Neapoli iudicatum refert *Grammat. decis. 10. de cleric. benef. Sayr. alijs citatis lib. 12. cap. 7. n. 9. Sic docet cum Bonac. disp. 10. de leg. quæst. 2. p. 1. §. 2. num. 3. Nau. Ambros. Farin. Diana part. 2. tract. 1. de Immun. resol. 34. cum Layman. lib. 4. tract. 9. cap. 8. n.* 5. Contra Molinam *tom. 4. tract. 3. disp. 49. n. 24. Vecchium disputatione 11. dub. 11. n. 6. & alios apud ipsos.*

Quæres 41. An prælatus regularis possit excommunicare nouitium? Pater Vincentius Candidus in suis Disquisitionibus Moralibus de Confess. Sacr. art. 58. dubit 3. negat, quia excommunicatio, inquit ipse, 133 secundum veriorem opinionem non potest fieri ob delictum præteritum, sed ob delictum futurum ratione contumaciæ non obediendi; sed prælatus non potest suo præcepto obligare nouitium excommunicatione adiuncta, quia non plene subijcitur prælato, & Regulæ, nec est vera pars communitatis, aut illius verum membrum, & pro se citat Henriq. in quinta tamen conclus. dicit, quod impositam pœnam ob delictum perpetratum subire tenentur sub pœna excommunicationis, si ita præcipiatur à superiore. Si potest cogere transgressorem ad subeundam pœnam sub censura excommunicationis, & quare non potest illum excommunicare ratione contumaciæ? quia exempli gratia non vult obedire tali ordinationi sibi facta sub pœna excommunicationis, vt si illi præcipiat sub pœna excommunicationis, ne colloquatur cum tali persona, vel adsit ordinario, ne quis religiosus etiam nouitius extra reuelet tale secretum, multum præiudiciale statui religioso. Neque obstat, quod quis ob delictum præcisè præteritum excommunicari non possit, quin possit excommunicari ob delictum in futurum, si illud committat ratione inobe- 134

dientiæ

dientiæ, in illo siquidem sensu neque protessus excommunicari potest, quia nullus excommunicari potest nisi pro contumacia, *Glos. 5. Mortis capitulo Nemo 39.11.quæstione 3.* per iura ibi allegata, excommunicatio enim fertur vt quis retrahatur à peccato, *cap. Nouit. de iud. est* enim medicina animæ *cap. Cum medicinalis, de sent. excom. in 6.* Ergo ordinari debet ad futurum peccatum præcauendum, & non ad præteritum iam commissum, cui ideo non debetur pœna spiritualis, sed corporalis. Nec viget, quod nouitius non sit verus religiosus, neque membrum perfectum, & incorporatum religioni, sicut professus, quia hæc probant solum nouitium non esse subiectum præceptis regularibus sub ratione voti, quod nondum emisit; ex quibus tamen non infertur, quin sit vere subditus prælato, regulari, vt suo iudici, & superiori volenti illum coercere, & punire, sicut castigat professos, & quoscumque alios commensales ratione domicilij contracti, & delicti. Confirmatur per ea, quæ superius dixi *q.39.& in tract.de Profess. Regul.c.4.de nouitiatu quæst. 53.*

Quæres 42. An negans suffragium nouitio idoneo ad professionem peccet mortaliter? *Negat Sanch.lib.5.cap. 4. numero 59.* contra quem feci *cap. 3. qu.22. de profess. regul.*

135 Resp. Est peccatum mortale, vt pluribus probaui loco citato. Et hanc opinionem veriorem docent *Vecchius disp 12. dub.2.num.1. Portel.v. Nouitius numer.17. Faustus in Thesaur.lib.5.qu 213. Mirand.tom.1.q.25. art. 12. concl.1. & 2. Suar.tom.3. de relig.lib.4. cap 3. nu.7. quos citando sequitur Dianu part.2. tract.2.de dub. regul. resol. 19. impugnando rationes Sanchez, & Peregrini sui amici.*

Quæres 43. An circumstantia Nouitij in materia luxuriæ aperienda sit in confessione?

136 Resp. Non est aperienda, quia illa non addit nouam malitiam specie diuersam, sed quæ inerat ante auget aliquantum; solæ autem circumstantiæ speciem mutantes in confessione explicandæ sunt, ex communi opinione doctorum; *Sic docent Megal. lib.5. de Pœnit. cap. 11. numero 7. & ex eo Diana part. 1. resolut. 7. de circumstantiis peccator. contra Llamas part.3.sum.cap.8. §. 14.*

Quæres 44. An sit peccatum nolle simpliciter recipere ad religionem eum, qui ad eam idoneus est? Videtur esse peccatum mortale, quia id est retrahere volentem ingredi religionem, quod est peccatum mortale *secundum Portell.ver. Religiosus numero 13.Rebell.part.1. lib 4. quæstione 15 numero 5. Silu.2.2.quæstione 62. art.2. concl.1.& 2. Layman.lib.3.sect.6.tract.2.cap.8.numero 2. Molin.tom.5.Tract.4. disp.5. numero 2. §. Secunda verò, ultos citans Dianu part.2. resolut. 19. de dub. regul. Vecchius disp.1. dub.5. Mirand.tom.1.quæstione 16. art. 3.concl. 2. Peyrin.tom.1. de Subd.quæstione 1.cap.29 §. Dico quinto.*

137 Ad hoc autem vt quis peccet mortaliter retrahendo alium à religione duo requiruntur, vnum ex parte volentis ingredi, is enim animo deliberato paratus esse debet ad ingressum, si enim paratus non est, sed anceps est retrahi non dicitur proprie, sed potius infirmari eius voluntas ad se deliberandum pro ingressu; alterum ex parte retrahentis, vt nimirum id faciat malo fine, ex odio, fraude, &c. si enim ipsum retrahat, quia ex eius ingressu nó sperat fructum, vel religio est deformata, vel est inhabilis, vel quia potius inutilis erit religioni, eo casu nullum peccatum erit diuertere illum à religione, cui & sibi parum profuturus est ingressus. Ita colligo ex citatis Doctoribus.

138 Respond. Nullum videtur peccatum superiori, vel cuilibet alij facultatem habenti nouitios recipiendi ad religionem illis simpliciter negare ingressum, quamuis alias possent illos recipere. Suadetur quia nulla lex suadet huiusmodi receptionem, ergo nolle quem recipere ad religionem ea mero arbitrio nulla est transgressio, consequenter neque peccatum. Confirmatur, Tum quia impedire alicuius bonum nullum est peccatum, nisi impeditus ad illud habeat ius saltem ad rem, & in spe *Nau. capitulo 17. numero 97.* hic autem, qui ingredi cupit nullum ius habet, ergo non dicitur inique impediri. Tum quia quod dicit Christus *Eum qui venit ad me non eiiciam foras.* explicatur de accessu per fidem, nullus enim ad fidem venire volens à Christo eiicitur foras, Alcuinus super dicta verba; vel secundum Liranum super eadem verba, cum qui venit ad me per vocationem, non eiiciam foras, quia omnis prædestinatus tandem saluabitur. Quare quale est arbitrium volentis ingredi, talis potest esse voluntas superioris, consequenter sicut in optione est ingressus, & nolle ingredi ea parte petentis, ita & superiori liberum est recipere, & non recipere nouitium.

Neque obstant adducta in oppositum, in quibus adest malitia, non in casu nostro, in quo superior ex potentia sui arbitrij, in quo stat pro ratione voluntas, simpliciter negat ingressum. Præterea superior non dicitur dissuadere à bono, sed simpliciter vti iure suo non recipiendi aliquem ad religionem, cum ad id nullam habeat obligationem; persona autem priuata nullum ius habet in ordine ad statum religiosum, consequenter ea se simpliciter dicitur persuadere malum, & dissuadere bonum, superior verò regularis dicitur simpliciter ex iure suo negare illi ingressum, & nequaquam persuadere malum, aut dissuadere illi bonum.

139 Quid si petens ingressum haberet votum ingrediendi religionem eius superioris, à quo petit admitti? An negans simpliciter ingressum peccet mortaliter si nullam habeat legitimam causam negandi ingressum? Non peccat, quia per emissionem illius voti nulla obligatio inducta fuit in superiore regulari, ergo sicut ante potest illi negare ingressum; neq; inde sequitur peccatum aliquod in vouente, qui non potuit adimplere præceptum, cum per eum non steterit, modo habeat requisita ad ingressum, vt supponitur.

140 Quæres 45. Quale peccatum, & pœna rapientis nouitium sub custodia, & regimine religionis? Raptus secundum Doctores apud *Sanchez, libro 7. disputatione 12. numero 3.* constituitur ex quatuor I. ex violentia illata contra personam raptam contra suam voluntatem vel resistentibus personis, sub quarum custodia est. II. ex voluntate explendi libidinem. III. ex traductione à loco ad locum. IV. necesse est quod persona rapta sit honestæ vitæ. Raptus igitur est violenta abductio alicuius personæ causa explendæ libidinis. *Colligitur ex 36. qu.1.& 2. D. Thom.2.2. qu.154. art.7.* Dico, *Personæ*, & non, *mulieres*, quia etiam in adductione pueri ad libidinem explendam committitur raptus, vt colligitur ex cap. In Archiepiscopatu, de raptor. ibi: *Quandoque Saraceni mulieres Christianas, & pueros rapiunt, & eis abuti præsumunt* vbi Papa mandat huiusmodi raptores plectendos esse pecuniis, flagellis, & etiam pœna mortis, si grauitas excessus id postulauerit, vindicta laico iudici reseruata, cum flagella in vindictam sanguinis transire non debeant apud iudicem ecclesiasticum? vnde Angel. in l. Vn. C. de raptor. dicit Florentiæ concrematam fuisse meretricem, quæ puerum rapuerat, prout ex ipso refert *Sanchez, libro 7. disputatione 12. numero 24. qui numero 25.* defendit probabilius mulierem viri raptricem non affici pœnis in ea lege latis contra raptores virginum, & mulierum honestarum, quod multis ibi probat. Quibus deductis.

142 Respond. Si quis nouitium, vel nouitiam raperet causa explendæ libidinis, vel contrahendi matrimonium sine dubio quoad nouitiam præter peccatum mortale grauissimum, remouendo nouitium à proximo bono omnium optimo, quod erat proxime consequuturum ex sequenti professione, incurrit pœnas tam iuris ciuilis, quod est vltimi supplicij, quam canonici, nempe excommunicationem nulli reseruatam cum

perpetua infamia, & incapacitate omnium dignitatum, & deiectione à statu clericali, si fuerit clericus sess.24. cap.6. de qua re vide *Lessium lib.4. cap.3. dubit.9. Sanch.lib.7. disp.43.* Raptos vero nouitij pœnis iuris ciuilis subderetur, & præteritaris in cap. In Archiepiscopatu de raptor. Nulla tamen in iure contra huiusmodi raptores nouitiorum imposita est censura. Non præsumitur autem raptus causa libidinis abductus à parentibus, neque eius tutoribus, aut curatoribus, huiusmodi enim abducunt potius, vel ob amorem in filios honestum, quamuis indiscretum, vel ob aliquod interesse rerum fortunæ, & diuitiarum, vel vt sibi abductus nouitius inseruiat, in quo casu abducentes aliqua non videntur digni pœna; si tamen liberè, & voluntariè nouitium dimiserant ad Religionem, rapere non possunt, sed à superioribus regularibus repetendus est, antes prælati regulares agere possunt contra raptores, tamquam contra fures raptores, seu rapinam committentes; quod si nouitius consenserit in abductione, vtriusque modus minimè laudatur, sed magna reprehensione dignus, & nouitius inscijs superioribus recedens ope parentum, repeti potest à suo superiore titulo spolij, vt postmodum legitimè dimittatur, quia dum est in nouitiatu dicitur esse sub cura, & regimine superioris, ergo abducto dicitur iniuste superior spoliatus suo subdito. Præsumitur vero abductus causa libidinis raptus ab extraneis, qui cum eo nullum interesse habent neque parentelæ, neque regiminis, neque rerum fortunæ. præter hæc enim mortua, nullum aliud videtur assignabile nisi impulsus libidinis, adminiculante tenera ætate, & pulchritudine rapti violenter contra propriam voluntatem. *Vecchius disput.1. de Nouitiis dub.5. iusto de mente Baldi, Auania in cap.1. de Apost. numer.5. Decian. tract. Crimin. lib.5. cap.47. num.3. Farin.q.183. de heresi n.85.* asserit raptores nouitiorum capite puniri.

Quæres 46. An parentibus dissentientibus, vel illis, sub cuius cura est volens libenter recipi possit ad Religionem?

142 Respond. Inuitis parentibus, vel alijs potest nouitia, & nouitius recipi in religionem, peracta impubertate, hoc est, nouitia post annum duodecimum, & nouitius post decimum quartum annum expletum fieri potest, parentibus, vel alijs, sub cuius cura sunt, contradicentibus, quia in hoc suis parentibus amplius subiecti non sunt cap.1. & 2. 20. q.2. sunt enim in hoc post illud tempus liberi patria potestate, *Glos. fin. cap.1. citati, facit cap.2. de regul.* Si ergo filij inuitis parentibus ingredi possunt, ergo à fortiori à religiosis recipi possunt, si magna enim obligatio naturalis filiorum erga parentes, non impedit eorum ingressum in religionem etiam resistentes, multo minus & sine comparatione prælati regulares allicere possunt, & recipere huiusmodi filios inuitis eorum parentibus, erga quos nec minimam habent obligationem.

143 Excipitur casus parentum in graui necessitate constitutorum, tunc enim sicut filius non potest religionem ingredi, quando probabiliter credit suis subuenire parentibus manendo in seculo, aliter peccat mortaliter, ex communi doctorum *cum Sanch. lib.4. cap.20. num.3. Bonac. puncto 5. de honor. parent. Peyrin. de Subd. q.1. cap.9. concl.2. Vecchius disp.2. dub.8.* ita eadem culpa conuincitur superior alliciens, & recipiens iuuenem, cuius parentes grauiter eius ope indigent. Ita ex doctoribus citatis à Vecchio n.3. in fine. Et Doctores loquuntur de quouis filio etiam illegitimo, & de quauis necessitate graui non solum præsenti, sed etiam futura probabiliter quam cito.

Quæres 46. An inducentes, seu pertrahentes quaslibet personas ad Religionem contra earum voluntatem, vel parentum, aut aliorum, sub cuius cura sunt incurrant aliquam pœnam?

144 Respond. Contra cogentes masculos nulla à iure statuitur pœna, neque afficiuntur pœna Tridentini c.18. sess.25. vt asserunt *Suar. tom.5. de cens. disput.23. sect.5. num.8. Sanch. lib.4.cap.4.num.3. Portel.5. Moniales n.7. Mirand. tom.1. q.17. art.4. concl.2. quos, & alios citat Barbosa ad dictum cap. Trident. num.6. Rodr.q9. 57. art.19. Peyr. de sub. q.1. cap.29.* Peccant nihilominus sic trahentes ad Religionem, quia iura id prohibent, & Deus spernit coacta seruitia, neque bonum possunt habere exitum. *Rodr. q.14. art.3. Mirand. q.17. artic.4. concl.2 Peyr.cit.not.4.*

145 Qui vero siue masculi, siue fœminæ cuiuslibet conditionis quomodocumque cogentes aliquam virginem, vel mulierem, præterquam in casibus à iure expressis ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum cuiuslibet religionis, vel ad emittendam professionem; item consilium, auxilium, vel fauorem dantes. Item scientes eam sponte non ingredi, recipere habitum, vel professionem, si ei actui vel præsentiam, vel consensum, vel authoritatem interposuerint, sunt excommunicati; cap.18. sess.25. Nonnulla dubia proponenda, & resoluenda sunt.

Dubia autem sunt. I. Quænam personæ feriantur ea censura. II. qualis coactio sequiratur ad eam pœnam incurrendam. III. Quænam actiones coactiuæ eam inducant. IV. Non sequuto effectu coactionis an pœna incurratur? V. An sermo sit de omnibus fœminis non cogendis? VI. Quinam sint casus à iure expressi, ne cogens incurrat pœnam. VII. An cogens habentem votum ingrediendi subijciatur. VIII. Quinam dicantur interponere præsentiam, consensum, seu autoritatem. IX. An notarius cum testibus & alijs interessentibus in confectione instrumenti ingressus, habitus, vel professionis sint comprehensi. X. An cogentes filiam, de cuius honore parentes dubitant, incurrant. XI. An nullam dotem habens cogi possit ad ingressum, quando monasterium huiusmodi recipit sine dote, aut quando habere potest legatum dotis præcise, & in terminis dandæ tantum ingredientibus monasterium. XII. An ea excommunicatio sit reseruata, vel possit à quouis absolui?

Primo excommunicantur omnes personæ tam masculi, quam fœminæ, siue laici, seu ecclesiastici, pater, mater, & alij consanguinei, extranei quoque cuiuscumque conditionis, & status, verba enim textus satis ampla, & clara sunt, excipiuntur tamen Imperator, & Reges. Ita docet contra *Suar. Sanch. lib.4. cap.4. n.2. Rodr. tom.3. quæst.54. art.3. Mirand. tom.1. q.17.art.4. concl.2. Peyrin. q.1. de Subd. cap.29. not.2. Barbosa ad hoc cap.18. sess.25.num.2. alios citans.* Quid dicendum de Cardinalibus? videntur exclusi, tum quia assimilantur regibus, habent enim maiestatem, & contra eos offensio est crimen læsæ maiestatis, *ex cap. Felicis, de pœnis in 6.* Tum quia, vt aliquam censuram, excommunicationem, & non tantum suspensionis, & interdicti, *ex cap. Quia periculosum, de sent. excom. in 6.* incurrant in terminis exprimendi sunt, vt expressit Gregor. XIII. Bulla incip. Dubiis, quæ emergunt, apud Confect. pag.441. ibi: *Singulos Episcopali, seu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate praditos*, ergo verba illa Tridenti. *Atque etiam qualibet dignitate fungentes*, non possunt includere dignitatem Cardinalitiam, si in Bulla Gregorij maior dignitas episcopali illos non comprehendit. Et quis dubitat eosdem esse dignos nota speciali? ac proinde, ex vulgatis iuribus non veniunt sub illis verbis quantumuis generalibus.

Secundo requiritur coactio grauis, & metus, qui cadat in constantem virum, nam leges fere nullam habent considerationem metus leuis, *Bonifac. in Clem.1. de foro compet. num.3. bene Sanch. lib.4. cap.4. num.5. qui disput.5. lib.4. de matrim.* refert quatuordecim mala inferentia metum grauem, ex quibus facile quis poterit deducere in casu præsenti quid sit cogere fœminam ad ingressum, quæ ego paucis recensui in meo Tractatu de profess. Regul. cap.2. q.13. *Vide Peyrin. tom.1. de subd. qu.5. cap.29. not.2.* recensentem actus quosdam coactionis.

coactionis. Censetur etiam coactio saltem indirecta, quando fœmina male tractaretur in victu, & vestitu, eo fine vt se resolueret ad ingressum. *Diana citand. infra §. Decimo.* Nomine autem coactionis venit vis coactiua non inductiua ait decisum *Armend. & Azor. apud Barbosam super cap. 18. sess. 25.* consequenter ex eodem Azor. hanc pœnam non incurrere illum, qui mulierem instituit hæredem ea conditione, vt fiat monialis, id enim non est cogere, sed inducere hæredem ad religionem, si velit acquirere hæreditatem. *Megal. de censur. lib. 4. cap. 6. nu. 100.* Ait sufficere preces importunas, non verò simplices, *Sanchez lib. 4. cap. 4. n. 8.* requiri, vt preces importunæ tales sint, vt metum grauem incutiant.

Tertio, actiones actiuæ referunt ad tres effectus, qui sunt ingressus monasterij, habitus susceptio, professiuuis emissio, cogentes ergo, item auxilium, fauorem, & consilium dantes, item interponentes præsentiam, consensum, & authoritatem incurrunt hanc pœnam; & vnaquæque earum actionum posita coactione cum effectu sufficit ad pœnam, ita quod prædicti tres effectus sumuntur distributiue, cum illis interuenciantur disiunctiua particula, *Vel. Nauar. consil. 6. de Regul. Graff. part. 1. l. 4. c. 24. n. 7. Diana part. 1. tract. 15. resol. 56. §. Quid ego.*

Quartò requiritur, vt effectus ingressus in monasterium euenerit, aliter coactio formaliter fuit inanis, & sic nullam inducens pœnam, cum quis non dicatur coegisse fœminam ad ingressum, si fœmina non fuit ingressa, coactio enim formaliter vtrumque includit, ita omnes *cum Bonacin. quæstione 6. de excommunicatione p. 3. §. Quinto, Nauar. consil. 5. de Regul. Mirand. tom. 1. q. 17. art. 4. concl. 2. Nauar. in Manuali c. 27. n. 51. Barbosa ad hoc c. n. 8. Sanch. l. 4. c. 4. nu. 19.* Quare ibidem excommunicati accessoriè, cuiusmodi sunt consilium, fauorem, & auxilium dantes, & interponentes præsentiam, consensum, vel authoritatem nunquam afficiuntur nisi sequuto effectu, & incidente principali agente, vt docent prædicti.

Quinto, sermo est de omnibus fœminis, nam in textu id sufficienter exprimitur illis verbis: *Aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcumque mulierem inuitam.* Dictio enim *Quamcumque* includit omne genus personarum, cuiuscumque status, & conditionis, *Glos. ver. Quibuscumque capit. Clem. 1. de Iudic.*

Sexto plures ex iure deducuntur casus, in quibus fœmina cogi potest ad ingressum sine periculo eius censuræ. Primus sit, *ex cap. 1. 20. q. 2.* de impuberibus, quos parentes cogere possunt ad ingressum, quod per Trident. sublatum non fuit, non possunt tamen eos cogere ad profitendum, quia id est contra substantiam professionis, quæ sponte, & libere emittenda est, *de hoc casu Suar tom. 3. lib. 5. de Relig. cap. 9. n. 4. Sanch. l. 4. c. 2. 19. num. 8. & seq. quos pro se citat Diana part. 1. tract. 15. resol. 56. citans Portel. ver. Clausura mon. num 4. licet ver. Moniales in Addit.* in oppositum sentiat *nu. 18.* quem miratur Diana, sed ad quid hoc, forte non potuit mutare sententiam? Secundus casus est ex voto, fœmina enim quæ vouit religionem, cogenda est ad ingressum, ea. Licet de voto, & quale est votum, talis ad illud extendi potest coactio, licet communis loquutio hominum asserentium se velle ingredi aliquam religionem explicetur perseuerantia vsque ad mortem, ac proinde velle ingredi est etiam velle profiteri. Tertius, sponsa, quæ habens bimestre ad deliberandum an velit ingredi religionem, si dicat se velle ingredi, potest cogi ad celerem ingressum, si marito subiici non vult. Quartus, quæ nullã fecit professionem, si velit manere cogi potest ad profitendum. Quintus, ob crimẽ damnata ad pœnã, vel ad ingressum religionis, cogi potest, alias enim delinquentes detrudebantur in monasteriis ad agendum pœnitentiam. Sextus, viro de consensu vxoris ingrediente, cogi potest eius vxor ad ingressum, iuxta cap. Quidam, cap. Placet, de consang. & quod dixi cap. 2. de profitente quæst. 74. Septimus casus mihi videtur rationabilis causa cogendi fœminam ad ingressum, vt si difficulter extra saluari potest eius honor, vt dicam infra §. Decimo Octauus casus est Conuertitatum, quæ in fine dicti cap. 18. excipiuntur à dispositione huius decreti. *De his casibus vide Peyr. de subd. q. 1. c. 29. not. 3. Portel. ver. Moniales n. 7. tangit Mirand. tom. 1. qu. 17. art. 4. concl. 2.*

Septimo iam responsum est ex secundo casu habentem votum ingrediendi cogi posse. *Sanchez l. 4. c. 4. nu. 13.* affirmat cogentem fœminam ad emittendum votum de ingrediendo non incurrere, & bene, quia Concil. loquitur præcise, & solum de cogentibus immediate ad ingressum, & non ad votum ingrediendi, prætersquam quod nullum est, nisi emissum fuerit cum iuramento.

Octauo, interponere præsentiam, consensum, & authoritatem est ex actu præsentiæ, consensus, seu authoritatis se ingerere, & corroborare, seu dare vim rei coactæ nimirum ingressui, receptioni habitus, aut professioni, consequenter omnes, qui debent interesse illis actibus cum dicantur se interponere per illas actiones incurrent eam excommunicationem, si sciant fœminam cogi ad vnum ex prædictis, aliter non incurrunt. Ad prædicta autem concurrunt Episcopus, vel eius Vicarius, qui puellas examinare habent iuxta *ca. 17. sess. 25.* si enim annuant ingressui, habitui, vel professioni scientes fœminam cogi incidunt in pœnam. Idem dic de superioribus regularibus concurrentes ad præstandum authoritatem, seu consensum; similiter moniales recipientes; item Notarij cum testibus scribentes ingressum, habitus, seu professionis receptionem, isti enim sine dubio dicuntur interponere suum consensum, seu præsentiam, & authoritatem. Item illi duo testes, qui subscribunt emissam professionem.

Nono patet ex mox dictis Notarium cum reliquis in instrumento necessariis subiici dictæ censuræ; supposito semper quod sciant mulierem cogi ad id, quod instrumento conficitur. Sed an notarius præcise conficiens instrumentum doti tradendæ, aut renuntiationis vel salarij tradendi, & non principaliter rogatus de ingressu in monasterium, neque de receptione habitus, aut emissione professionis, cum reliquis personis instrumẽto adhibitis incurrat excommunicationem? Dico incidere, quia hæc connexionem habent cum prædictis actibus & confirmant effectum coactionis interpositione instrumenti. Donans verò habitum, iocalia, conuiuium pro ingressu non incurrit, si non coegit, quia per hos actus, qui nullam connexionem habent cum illis tribus nulla fit interpositio, fauor, consilium, aut auxilium datur ad ingressum.

Decimo cogentes fœminam ad ingressum, non vt monacha fiat, sed ad bonum finem, & aliqua vrgente necessitate, vt quia difficile est saluare illius honorẽ, vel quia pater eius non habet vxorem, vel non adsunt fœminæ consanguineæ custodes puellæ, &c. non incurrunt eam pœnam, & quia ingressus videtur ordinatus ad perseuerantiam in religione cum habitu, & professione, qualis non est huiusmodi ingressus; & quia quælibet lex recipit exceptionem causæ rationabilis ex *cap. Si quando de rescr. c.* Cum teneamur de præbend. & quia lex dubia, qualis censetur hæc in hoc casu, à mortali excusat secundum *Innoc. in cap.* Per tuas de simon. *Ita docent Rodr. part. 2. cap. 8. num. 10. & tom. 3. q. 17. art. 19. cum suo Compend. resol. 103. num. 79. Sanch. lib 4. cap. 4. 13. Barbosa ad hoc cap. num. 9. Portel. ver. Monialis n. 15.* omnes asserentes fœminam cogentes ad bonum finem, & præcise ratione educationis, & non vt recipiat habitum, neque vt profiteatur euadere eam pœnam contra Suar. citatum à prædictis, *& Nau. qui consil. 7.* excusat solum pro foro interno, *& consil. 6. de Regul.* ait non excusari cogentes puellam præcise, vt educetur, & alios in

hunc sensum *citat Diana part.1. 15. resol. 56.* qui tenet oppositum probans, quia Concilium vsũ fuit particula disiunctiua inducens pœnam ea coactiune cuiuslibet illorum effectuum. Sed dic ingressum ordinari ad reliquos effectus: probat deinde, quia Concil. simpliciter prohibuit ingressum non distinguendo de qualitate ingressus. Non obstat, quia data rationabili causa, cuiusmodi est hæc distingui potest lex à doctoribus, & peritis, Thomaset. Regul. 500. Tertiam addit rationem, quia Conciliũ prohibet quamuis coactioné, siue directam, siue indirectam, qualis videtur introductio prætextu educationis, vt post ingressum facilis sit suasio ad habitum, & professionem. Sed mutatur species casus, sic non facit ad rem contra nostrum. Introduci ergo possunt puellæ, seu fœminæ educationis causa præcise etiam sine peccato, quia hoc modo consulitur magis eorum honori, quod maximi æstimatur apud omnes nationes. *Ad hac Pear. de subd.q.1. cap.29.* ait hanc censuram non incurrere maritum cogentem vxorem ad ingressum pro eo tempore longo absfuturus est, quando probabiliter timeret de eius honore.

Vndecimu non videtur incurrere cogens fœminam ad ingressum ex quo non potest habere aliunde dotem, nisi per ingressum, si aliunde a parentibus ali non potest, quia hoc non est cogere proprie, sed potius ipsam se inducere ad ingressum religionis, multi enim dicunt eo capite Trident. non prohiberi vim inductiuam, cuiusmodi est hæc ex motiuo dotis, vel legati, sed tantum coactiuam, prout retuli *doctores supra sub §. Secundo. Vnde Suar. apud Dianam citat. resol. 56. ad finem. & Portel.v. Moniales n.9.apud Marzillam lib.1. cap. 21.* referunt decisum, non incurrere eam censuram illum, qui reliquit hæredem suam filiam cum pacto, vt ingrediatur monasterium, alias habeat solum alimenta. Quod si ali non possit à parentibus, non obstante dote apud moniales, si eligat potius pro ancilla seruire extraneis honestis cogenda non est ad religionem, sed dimittenda ad seruitutem in domo honesta, nisi seruitus degeneret a conditione parentum, qui procurare tenentur honestiorem famulatum decentem statum proprium, & si aliter prouideri non potest, alliciatur, & inducatur tandem ad ingressum.

Duodecimo, Lata excommunicatio contra cogentes fœminas ad ingressum monasterij absolui potest à quouis confessario, quia non reseruatur in dicto decreto Tridentino, Ita omnes doctores præcitati.

Quæres 47. An impedientes ingressum religionis peccent, vt incurrunt aliquam pœnam?

147 Respond. Adest excommunicatio, non tamen reseruata, in eode.n cap. 18. sess. 25. fulminata his verbis. *Simili quoque anathemati subiicit eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquomodo, sine iusta causa impedierint.* Illi ergo incurrunt hanc pœnam, qui sine iusta causa impediunt professionem, vt patet clare. Hic autem prohibetur vnicus effectus professionis, quæ comprehenditur sub illis verbis: *veli accipiendi, vel voti emittendi:* velum enim accipere apud quasdam religiones importat professionem *cap. Deuotis 8. cap. Iuuenculas 9. 20. q.1. ibi Glos v. Velamen. cap. Viduas 8. cap. Hac vero 9.27. q. 1.* Quare impediens ingressum nullatenus inficitur hac censura, quia decretum Tridentini id non exprimit, sicut expresserat contra cogentes, ita docet *Sanch. lib. 4. cap. 4. num.15. contra Suar. & Bonac.p. fin. de excom. num. 2.* ea ratione ducti, quia impediens ingressum impedit etiam directe, & per se professionem, ad quam per se ordinatur nouitiatus, eadem enim obligatione, qua quis tenetur ad finem, constringitur etiam ad media, sed nemo sine iusta causa potest impedire professionem, ergo neque ingressum in nouitiatu medium necessarium ad profitendum. Non obstat, quia si Concil. in hoc secundo casu voluisset comprehendere etiam ingressum id expressisset, sicut fecit in priori casu de cogente ad ingressum, habitum, & professionem: Quare stat, quod quis ad vtrumque eadem obligatione, non vt hic, teneatur, & respectu vnius incurrere pœnam, quia id exprimitur, & non respectu alterius, cum de ea nulla fiat mentio, pœnæ autem non incurruntur, nisi iure exprimantur sub tali actione, qualia de impedimento ingressus non exprimitur in dicto decreto. Megal. lib. 4. cap. 5. n. 101. de censur. eiusdem opinionis probat alio medio, quia nomine veli venit receptio habitus cum velo, actus distinctus à professione adiectione particulæ *Vel* positæ inter plura alternatiue. Sed tu dic accipi pro eodem per adductos textus; neque hæc particula semper importat diuersitatem, sed quandoque sumitur expositiue pro *idest*, Glos. cap.3. dist. 25.

Iusta autem causa impediendi professionem est omnia illa causa, per quam legitimè potest nouitia expelli, vt quia est inepta, vel inhabilis, ignorans, debilis ad onera, vitiosa, defectus salarij, seu dotis, & similes causæ, de quibus dixi supra hic à numero 15. ad 38. 103. de defectu salarij 118. eo quod sola dormire timet.

Quæres 48. An aliquid recipi possit in ingressu ad ad nouitiatum, & professionem? Dico in ingressu, non pro ingressu, quia certissimum est ingressum ad nouitiatum, & ad professionem esse quid spirituale, 148 acproinde pro illis dare, vel recipere aliquod spirituale esse peccatum simoniæ grauissimum. Difficultas ergo in eo sita est, an aliquid dari, vel recipi possit interuenientibus pacto, & conditionibus, itavt sequatur obligatio standi promissis, absque vlla specie, & periculo simoniæ.

Affirmatiuam partem, quod simoniacum sit pro victu pecuniam exigere taxatam, & determinatam ex mutuo pacto quouis prætextu fiat, siue paupertatis monasterij, seu consuetudinis, seu diues sit monasterium, defendit Constantius Lodius de S. Geruasiu Brixiano ordin. Eremit. S. Augustini in suo libello de hac re typis Alexandrinis anno 1594. & sic quo nondum ego natus eram, editus in mundum 25. Aprilis 1595. Eius autem opinio in eo præcipue consistit, vt nullum iniri possit pactum circa aliquid dandum, vel recipiendum, ad quod adducit authoritates *ex cap. Quam pio 2.1. quæst.2. & seq Palea. cap. Non satis 8. cap. Veniens 19. cap. De regularibus 25. cap. Quoniam 40. cap. Audiuimus 41. cap.1. extr. com de simonia,* prohibentur pastus, & iocalia tam exigentibus religiosis, quam aliis dantibus sub pœna excommunicationis singularibus personis, & suspensionis conuentibus & capitulis quorumcunque ordinum tam virorum, quam monialium, reseruatarum summo Pontifici. Ex quibus locis infert esse simoniam exigere prætextu paupertatis, victus, aut consuetudinis, in illis enim hoc idem exprimitur. Quibus tamen non obstantibus, &c.

149 Resp. Fieri potest pactum de salario pro anno nouitiatus, & de dote pro monialibus. In reliquis nulla obligatio imponenda volenti ingredi, aut eius consanguineis, & illis, ad quos spectat offerre volentem fieri religiosum. Possunt tamen aliquid donare religiosis pro facilitando negotio ad ingressum. Item monere parentes ingrediendi de conuiuio faciendo, non tamen ad nullum horum cogere; nisi ad solutionem salarij, & vestitus pro anno nouitiatus.

Primum de pacto salarij exigendi probatur per Tridentinum *sess.25. cap.16.* ibi: *Excepto victu, & vestitu* cætera prohibentur exigi ab ipso nouitio, vel eius parentibus tradi, ne occasione traditorum, quæ non facile recuperari possunt in eius libertate non sit discedere, aut remanere, sed cogatur profiteri, alioquin non professurus, si bona sua haberet. De exactione salarij conuenti docui cum Sanchez supra sub *n.* 103. Neque verum est, quod nonnulli dicunt, eorum seruitutem æquiualere expensis, quia, aut est superflua, in quantum conuentus habet professos seruientes, aut potius monasterium

sterium illis inseruit instruendo in vita regulari, & docendo modum recitandi diuinum officium, & cantandi in ecclesia. Et nisi peteretur salarium, non pauci ingrederentur potius, vt à religione pro eo anno alerentur, quam vt in ea profiterentur, ad quod inconueniens impediendum rationabiliter petuntur expensæ: Maxime apud Moniales petitur dos cum adnexis, *Megal. lib. 4. de cens. cap. 5. n. 30. Compend. resol. 54. per totum, Diana resol. 100. de dub. reg.*

Secundum, quod in reliquis nihil peti, & exigi possit, ad quod volentes ingredi, vel eorum parentes teneantur, & obligati sint, aperte prohibetur in supracitatis textibus. Vide ad hoc allegatos *à Barbosa ad cap. 16. sess. à num. 50. ad finem.* Si tamen aliquid peteretur non præcise pro ingressu, sed ad subleuandam monasterij paupertatem id nequaquam induceret simoniam, cum non petatur pro ingressu religionis sed pro sustentatione religiosi; *D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 3. ad 4. Sotus lib. 9. de iust. q. 6. art. 2. ad 4. omnino*, & quando conuentus est diues ex eodem Soto ibidem, petunt enim in eleemosinam, non vt debitum. *Vide Bonac. de simon. §. VIII. Lezan. tom. 1. cap. 24. n. 40. Nau. cap. 27. n. 106.* nec obstat, quod in quolibet conuentu tot decent esse religiosi, quia valeant sustentari ex bonis monasterij; quia in hoc Bullæ sunt difficiles obseruatu, maxime apud Mendicantes, cum bona ex redditibus certis, & eleemosinis incertis modo sint maiora, modo minora, ita quod certi redditus annuatim non sint designabiles nisi cum maxima difficultate, & nunquam in eodem statu permanent. Et quandoque tales occurrunt casus, vt quasi cogantur superiores nouitios recipere, quibus non indigent. Stando igitur in rigore iuris nihil petendum est, oblatum vero gratis recipi potest pro amore Dei, & ad succurrendum communibus indigentijs conuentus, per extrau. citatam de simon. supracitati doct. *Megal. lib. 4. de cens. cap. 5. num. 29.*

Tertium, quod aliquid donare possint religiosis ad captandam eorum beneuolentiam, vt facilius ingrediendus admittatur, probatur quia non est dare pro ingressu, sed pro amicitia captanda, & beneuolentia, quibus postea medijs recipiatur facilius volens ingredi. Per huiusmodi siquidem munuscula postea ingressus adhuc retinet plenam suam libertatem recedendi, aut manendi, hoc enim fine Trident. prohibet, ne quid detur à parentibus, vel alijs sub quocumque prætextu; vtitur Trident. hac dictione, *Prætextu*, quæ importat facere aliquid malo fine, vel sub velamine eius, quod non est, *Gonzal. per l. Sub prætextu 1. & 2. C. de transact. in regul. 8. Cancell. glos. 57. n. 2.* Hic autem nullus finis prauus, neque velamen simoniæ apparet, sed intendit munera offerens dare eleemosinam, & sibi conciliare beneuolentiam religiosorum, vt deinde libentius volentem ingredi recipiant. *Vecch. disp. 1. de Nouitijs dub. 3. per totum, Diana de dubijs regul. resolut. 64.*

150 Quartum de pastu, seu conuiuio, & alijs non exigendis, neque petendis vt debitis, aperte prohibetur in citata extrau. com. 1. de simon. aliter exigentes vt debitum incurrunt superiores, tam viri, quam moniales, & singulares personæ tam exigentes, quam dantes excommunicationem, capitulum vero, & conuentus suspensionem summo Pontifici reseruatam. Quod vero de huiusmodi admonere possint, petere, & allicere, sed non cogere ex pacto, vel statuto videtur colligi tum ex narratiua, tum ex dispositiua præfatæ constitutionis, in qua Papa narrat inoluisse abusum statuto, aut consuetudine aliquarum religionum compellendi volentes ingredi, aut eorum parentes ad soluendum pastus, iocalia, & quasuis alias res, & ad extirpãdum huiusmodi abusũ prohibet huiusmodi petitiones, & exactiones sub dictis pœnis, ergo non prohibet simplices admonitiones, & petitiones, quæ exactiones non sunt, sed persuasiones, & allectamẽta seu exhortationes ad benefaciẽdum monasterijs non pro ingressu, sed occasione ingressus, & Papa ibidem vtitur verbis *petere, vel exigere*, quod in idem recidunt, exigere autem supponit debitum in eo, qui habet soluere ex cap. 2. de coniug. lepros. & importat coactionem, quæ in hoc casu nostro abest. Multi doctores *cum Silu. v. excom. n. 81. D. Anton. part. 3. tit. 25. cap. 6. quos refert Sayr. lib. 3. cap. 30.* dicunt Martinum v. excepisse Moniales, *Megal. lib. 4 cap. 5. à num. 28.* Sed video eam non obseruari, sed peti etiam instanter pastus, & alias res à volentibus ingredi, non quidem prætextu ingressus, neque pro ingressu, sed pro sustentatione ingrediendi, vel pro paramentis ecclesiæ, & pro subleuandis alijs indigentijs.

Quæres 49. An parentes, qui promiserunt donare centum religioni, vt facilius eorum filius reciperetur in religionem, vt factum postea fuit, cogi possint, ad solutionem rei promissæ?

151 Respond. Cogi non possunt, quia obstat dicta extrau. & alia iura citata sub præcedenti quæstione, quia in foro externo ea promissio non præsumitur libera, & licita, sed potius coacta quodammodo, & simoniaca, cum fuerit contracta præcise, & intuitu solum religionis. *Vnde Sellius in selectis cap. 32. n. 3. apud Barbosam ad cap. 16. sess. 25. n. 91.* refert decisum sub die 12. Augustim 1627. patrem nouitij non potuisse dare paramentum altaris religioni, vbi filius erat in nouitiatu. Dicet quis, ergo poterit dare paramentum alteri conuentui, extra quem alibi nouitius filius permanet in probatione, quandoque enim, & vt plurimum in vno recipiuntur, & in alio probantur.

Quæres 50. Quando nouitius dimittitur à religione ad seculum, an superior teneatur emere habitum eius nouitij, eo quod dimittendus non est cum habitu?

152 Respond. Nouitius non debet dimitti cum habitu, quia nullus secularis vti potest habitu religioso, sed vel conuertendus est à nouitio in habitum secularem, si vult, aliter cogendus non est, sed superior habitum exutum emere debet, iustum pretium tradendo nouitio exeunti. Refert decisum *Barbosa de offic. episcop. part. 3. alleg. 101. n. 39. & cap. 16. sess. 25. n. 59.* Intellige si nouitius habitum illum intulit suis expensis, aliter dimittitur sine habitu regulari, & pretio, neque enim conuentus tenetur emere rem propriam.

Quæres 51. An superior possit mutuum, aut commodatum recipere ab attinentibus eius, qui vult ingredi religionem, absque eo, quod contrafaciat decreto Tridentini sess. 25. c. 16. illis verbis. *Sed neque ante professionem, excepto victu, & vestitu nouitij, vel nouitiæ illius temporis, quo in probatione est, quocumque prætextu, à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat, quod totam, vel maiorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facile si discesserit, id recuperare possit.* Nihil ergo quod sit nouitij tribui potest monasterio tempore probationis, quare ante ingressum dari poterit aliquid, cum prohibitio huiusmodi restringatur tempore nouitiatus. Difficultas ergo erit quando est in probatione, & ideo negat *Suar. tom. 3. de relig. tract. 7. lib. 5. cap. 9. n. 16. Rodr. tom. 3. sum. cap. 144.* si retractans ab eo quod dixerat *tom. 2. q. 48 art. 5. Villalobos, quos citat Diana resol. 100. de dub. regul. Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 24.* contra vnicum Mirand. *de monial. q. 8. art. 9.* sustinentem mutuum, & commodatum recipi posse ab attinentibus nouitij, cum quo.

153 Respond. Superior regularis non solum ante ingressum, sed etiam post ingressum commodatum, & mutuum recipere non potest ab attinentibus nouitij existentis in probatione, vel ingressuri, vt apertis verbis constat ex dispositione illius decreti. De dote autem possunt pactum inire de illa tradenda etiam antequam profiteatur, modo idonea iudicata fuerit ad profitendum, quia hoc pactum cum suum effectum non sortiatur

tiatur nisi post professionem, consequenter non cogit nouitiam ad profitendum, sed potest recedere cum sua dote. Et quia Papa Martinus moniales exemit ab eo decreto vt dixi supra *n.150.*

Aduerte, quod prohibitio huiusmodi afficit solos attinentes ipsius nouitij, vnde ipsemet nouitius donare & tradere poterit suo arbitratu, sicut & isti attinentes tradere poterunt de suo, quia prohibentur tradere solum de bonis ipsius nouitij. *Ita docent Ledesma de statu relig. c.5 conclus.8. Sanch. l.7. c.5. n.23. Peyr. de subd. q.1. c. 29. not. 3.*

Excommunicatio, de qua ibi in Tridentino contra tradentes aliquid de bonis nouitij est solum comminatoria, cum exprimatur his tantum verbis. *Sub anathematis pœna*, quæ important pœnam sententiæ ferendæ ex communi apud *Sayr. libro 1. capitulo 11. numero. 12. Sic docet ex Ledesma Peyr. de subd. q. 1. capit. 29. not. 1.*

Quære 52. An iuuenis, si post contracta sponsalia valida ingrediatur religionem, & à sponsa petatur teneatur egredi, & cogi possint ab Episcopo ab dimittendum nouitium superiores regulares? Qui sustinent spõsalia non dissolui per ingressum, consequenter asserere debent nouitium repeti posse à sponsa ad ineundum matrimonium. Huius opinionis sunt *Nauar. tom. 3. comment. 1. de regul. num. 8. §. Quarta, Ricard. in 4. dist. 29. art. 2. quæst. 4. Maiolus, Angles. Ledesma, Vega, quos contra se citat Sanchez, lib. 1. disp. 42. & 43. numer. 2. qui*

154 *numer. 3.* tamquam verissimum tenet, nouitium per ingressum tollere sponsalia, & quia cap. Commissum de spons. non præcipit, sed consulit matrimonium, & quia mutatio notabilis status infringit alias promissiones; & quia melior status est ingressus, quam sponsalia, & matrimonium, & ex 45. disp. ait procedere etiam in sponsalibus iuratis, iuramentum enim regulatur secundum naturam actus, super quem cadit, ex vulgatis iuribus. Si verò cum sponsalibus deflorauit virginem non potest ingredi, sed damnum illatum iniuriæ contra honorem resarcire tenetur medio matrimonio, si desponsata voluerit, ex eodem Sanch. *disp. 44.* Ex quibus deducitur nostra responsio.

155 Resp. Sponsa implorato officio Episcopi solum in hoc postremo casu deflorationis reuocare potest sponsum, vt matrimonium secum contrahat, si velit, quia ad hoc ius habet, vt sibi aliqua ratione resarciatur deperditus honor; Quod sit officium Episcopi cogere ad obseruationem sponsalium promissorum habetur *cap. Ex literis de sponsal.* Vide Diana *part. 2. tract. 4. de sacram. res. 206. & 207.* vbi de ingressu ad religionem dirimente sponsalia.

Quæres 53. An magister nouitiorum de licentia etiam superioris localis possit abesse per aliquot breue tempus à regimine nouitiorum ex aliqua causa, vti, peregrinationis, negotij, vel alterius rei, etiam recreationis? Videtur non, quia Magister nouitiorum se habet instar Parochi, qui abesse non potest à cura animarum sibi commissarum, ne aliquid illis contingat occasione illius absentiæ.

156 Resp. Magister nouitiorum de licentia superioris etiam localis de iure potest abesse etiam per duos, aut tres menses à cura nouitiorum. Probatur à pari de Parocho, qui ex legitima causa de licentia ordinarij potest abesse per tres menses etiam continuos ex graui causa, alias solum per bimestre ex Sess. 23. cap. 1. ergo idem dicendum de magistro nouitiorum, & à fortiori, quia iste non ita rigorose tenetur residere sicut Parochus, cum in conuento adsit immediatus superior localis, qui non solum professorum, sed etiam nouitiorum parochus, & curator est. Quod procedit licet in nouitiatu non adsit Socius, cum is simpliciter non sit necessarius, sed ex suppositione multitudinis nouitiorum, quibus in causa absentiæ Magistri potest Prior præficere aliquem venerabilem, & prudentem religiosum, vel ipse immediate illos regere sicut præest professis. Procedunt dicta, quod superior localis potest eam licentiam concedere de iure communi, nisi aliquod particulare decretum religionis obstet in contrarium, quod non adest in mea religione.

Quæres 54. An coacte introductus in nouitiatum, si ibi permaneat etiam inuite, nihilominus dicatur valide perficere annum probationis, ita quod si in fine anni libere respondeat, possit valide proficere absque reiteratione nouitiatus? Videtur quod non, defectu libertatis in nouitiatu requisitæ, sicut in professione, nā mediorum, & finis est eadem ratio, lege oratio, digestis de spons. media enim sequuntur naturam sui finis, & ab eo regulantur, ex doctoribus tradit *Barbosa Vax. verbo Finis, numero 47.* ergo sicut nulla est professio defectu libertatis, ita & nulla probatio sine libertate, ergo non potest valide proficere, qui inualide peregit nouitiatum prærequisitum ad valide profitendum, &c.

Respond. Licet nouitius inuite permanserit in probatione, si tamen in fine anni voluntarie, & libere profecerit, valida erit professio. Probatur. Tum quia annus probationis non requirit libertatem, licet postulet intentionem illum peragendi, siquidem vt nouitiatus rite fiat sufficit, si nouitius in loco deputato per annum ibi persistens probet asperitates, & onera religionis, quam intendit profiteri, & vice versa satis est si monasterium eius probet mores, cap. Ad apostolicam 16. de Regul. id autem præstari potest sola voluntate coacta, licet non libera, asperitates enim, in quibus probatio religiosa consistit, necessario libertatem non requirunt, sed exhibitionem operis dependenter à voluntate, quod cum non possit haberi à nouitio nisi cum difficultate coniuncta cum asperitatibus consequens est dicere in his solam sufficere voluntatem sine libertate, quæ videtur potius aduersari difficultati, & asperitatibus, quam eisdem prosequi. Tum quia asperitates à nouitio probandæ impediri non possunt ob metum, cum eo non obstante illas vere experiatur. Tum quia licet ob metum cadentem in constantẽ virum clericus iuret, vel promittat renuntiare beneficiũ, & facta renuntiatione cum eodẽ metu possit illum repetere ex c. Ad audientiā 4. de iis, quæ vi; tamen si postmodũ in actu renuntiationis absit metus, & libere renũtiet, non poterit postea renuntiatum beneficiũ repetere. quia, vt dicit Glos. v. Ad resignationem, super dictum cap. proxima violentiæ turpitudinis causa sublata est, C. eod. tit. l. 2. aliis iuribus ibi citatis; simili ratione in casu nostro nouitius si libere post annum probationis consentiat in professionem, valida erit emissa professio, quia intelligitur sublata proxima causa coactionis, & metus, quæ aliàs impedimento fuissent valori professionis.

157 (margin)

158 Obiectioni satisfit dicendo sufficere media regulari à fine, & eorum esse eamdem rationem cum fine in eo quod talia debent accipi media, quæ sint apta ad assecutionem finis, cuiusmodi est in casu nostro experientia asperitatum ex parte nouitij, & morum ex parte monasterij; necesse vero non est, vt quædam specialitatea finis insint mediis, cuiusmodi est libertas, quæ professionis valori necessaria est, non vero nouitiatus de substantia est, eo quod nouitij status nullam habet adiunctam obligationem, sed pro suo arbitratu exire potest, ex quo non multum refert siue libere fiat, siue coacte, dummodo experiatur nouitius asperitates, imò quo magis inuitus difficultates status religionis probat, eo perfectiorem dicitur peragere nouitiatum, vt inde deliberare possit vtrum illi expediat remanere an religionem relinquere. Loquendo vero de statu professi, cum iste sit perpetuus, & irreuocabilis coniunctam habens arduam, & magnæ considerationis obligationem in obseruatione præsertim trium substantialium votorum, hinc fit, quod nouitios ad plene, & perfecte perpendendum huiusmodi spirituale onus indiget plena libertate ad se obligandum per emissionem professionis, qua se perpetuo durante eius vita subdit spirituali iugo religionis.

Quæres

Quæres 55. An nouitia, quæ initio promisit dotem consuetam soluendam in fine anni probationis ante professionem, expelli possit præcise ex eo, quod casu fortuito in fine non habet vnde soluat, quamuis initio haberet in bonis pro solutione dotis? Idem quæri potest de salario annui expensarum promissarum siue à nouitia, siue à nouitio?

159 Resp. Non possunt expelli nouitia, neque nouitius dotem, aut salarium non soluentes ex casu fortuito, licet pactum præcesserit. Probatur, Tum quia expulsio habet rationem pœnæ grauissimæ ex probatis supra n. 14. quæ nulli infligenda est nisi præcesserit culpa, quæ in casu nostro non reperitur. Tum quia facit ea regula 66. Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio adimpleatur, haberi debet perinde, ac si impleta fuisset: sed per nouitios non stat quo minus adimpleatur, ergo perinde est ac si esset impleta, cōsequenter expellendi non sunt, cum ex fictione quodammodo iuris dicantur soluisse dotem, & salarium. Faciunt dicta superius *n. 103.*

Quæres 56. An nouitius in fine anni probationis recedens a religione teneatur soluere expensas monasterio quas pro illo fecit in victu, & vestitu?

160 Respond. Nouitius ingressus animo recedendi finito probationis anno, siue etiam animo remanendi, cuius ministerium non fuit æquiualens expensis, licet nullum præcesserit pactum de soluendo salario, si egrediatur siue sponte, siue expulsus, siue remaneat, tenetur ad expensas in illis monasteriis, in quibus regulariter solitum est peti annale salarium. Probatur, Tum quia in Tridentino *sess. 25 c. 16. ibi: Excepto victu & vestitu* non prohibentur peti expensæ victus, & vestitus, ergo si à prælato peti possunt, consequens est dicere nouitium ad eas teneri, actio enim supponit debitum in reo. Tum quia nouitius ante professionem in ordine ad bona temporalia propria adhuc reputatur ac si esset merus secularis; sed si is degeret intra claustra teneretur ad expensas factas à monasterio pro illius victu, ergo idem dicendum de nouitiis. Tum quia per ingressum probationis parentes, consanguinei, & alij, ad quos spectabat alere nouitium ante ingressum, non deobligantur per ingressum, cum nullo iure id probetur, ergo etiam pro eo tempore tenentur nouitium alere. Procedit ergo responsio primo, quando nouitius ingreditur animo recedendi, & quia illi dolus patrocinari non debet & quia nullus locupletari debet cum aliena iactura. Secundo procedit etiam respectu eorum qui volunt remanere, vt probat secunda, & tertia ratio. Tertio procedit licet nullum præcesserit pactum, vt probant dictæ rationes, omissio enim pacti cum nihil sit, alterare, nec mutare potest naturalem obligationem de seruando indemne monasterio; & consuetudo soluendi expensas virtuale continet pactum easdem exbursandi. Solum igitur in duobus casibus non tenetur: primo, quādo eo probationis anno exhibuit tale ministerium, quod æquiualet expensis, vt si nouitius erat sacerdos, & quotidie celebrauit pro obligationibus monasterij; si organista, vel cantor, si conuersus inseruit suo ministerio, vt faciunt conuersi professi, &c. Secundo non tenetur vbi consuetudo non est recipiendi expensas, nulla enim ratio suadet, exoluendas esse à nouitio si recedat, quia non plus damni intulit cœnobio egrediens quam remanens, attentis præstitis alimentis. *Sanch. l. 6. c. 10. nu 2.* nobiscum sentit nouitium ingressum etiam animo recedendi, qui monasterio exhibuit ministerium æquiualens expensis, non teneri ad salarium, subdens tunc ministerium dici æquiualens alimentis, quando monasterium indigebat eius opera, alias non. Item docent *Pereg. in Com. ad constit. Cler. Regul. part. 2. c. 2. lit. G. §. 10.*

Communis opinio est nouitium ingressum non teneri ad expensas, *Silu. ver. Religio 5. num. 8. per cap.* Non solum, de regul. in 6. ibi: *Aliquatenus impedire*, quem sequitur *Rodr. tom. 3. qu. 15. art. fin. §. Circa eandem. alios pro se citat Tambur. tom. 3. de iure Abbat. disput. 6. qu. 9. Diana resol. 16. de dub. regul. Sanchez, lib. 6. cap. 10. numero 4.* asserentes, eum, qui recta perseuerandi intentione ingressus est, licet eius ministeria non sint æquiualentia expensis, animo postea mutato, nullatenus tamen teneri ad expensas. Horum opinio probatur Primo, quia non posset libere exire à religione, si deberet soluere expensas. Non vrget, quia libertas, quæ exigitur à iure sufficit si sit intrinseca ita quod directe à nullo cogatur remanere ad profitendum, obligatio autem soluendi expensas debitas cum de iure sit non aufert illi propriè libertatem exeundi, sed ipsemet nolendo soluere sibi voluntarie ponit obicem ad egressum, id enim sibi imputat, & non religioni, quæ illi non facit iniuriam quærendo suum ius. Secundo probant, quia si monasterium illum aluit, ipse monasterio inseruiuit. Argumentum probat bene, si seruitus fuit æquiualens expensis prout supra diximus; clericorum autem nouitiorum seruitus non videtur sufficere, neque æquiualere expensis, sed solum ministerio, quo superior, & nouitiorum magister nouitios clericos imbuit disciplinis regularibus, & Ecclesiasticis, & fere nihil pro eo anno inseruiunt choro, & Ecclesiæ, ad cuius ministeria regulariter inexperti sunt; ex quo patet responsio ad secundum argumentum Fausti apud Tambur. nimirum laborem nouitij ferè nunquam excedere expensas eidem factas à monasterio; quod si talis daretur casus, dicendum tunc esset non habere locum recompensationem nisi mediante professione, qua religio se obligat ad illum perpetuo sustentandum quo ad victum, & vestitum, ita quod recedendo, sibi deberet imputare, si non recompensaretur in eo excessu; præterquamquod dici potest casum esse potius speculatiuum, quam practicum, in moralibus autem attenditur praxis, non speculatio. Tertio probant quia eleemosinæ sunt pro alendis etiam nouitiis. Nego id cum propriæ sint professorum: vel dic habere id locum respectu pauperū, qui non sunt soluendo. Quarto probant, quia qui altari seruit de altari viuere debet. Locum habet in professis; vel etiam in nouitiis æquiualenter seruientibus, & ex necessitate ministrorum. Nouitius ergo etiam bona intentione ingressus, cuius ministerium expensis æquiualens non fuit, siue recedat siue non, tenetur ad expensas, & recedere volens impediri non potest, nec retineri donec soluat, contra mentem Tridentini, sed dimitti debet, cum monasterium non habeat actionem personalem, sed solum realem contra ipsum, & quod non possit retineri docent *Suar. & Peyr. tom. 2. de prælat. q. 3. c. 1. n. 106. in casu quo præcessit pactum.*

Quæres 57. An ille religiosus, qui nescit se resoluere an debeat suffragari, vel refragari nouitio, de cuius idoneitate ad professionem dubitat possit à communitate recedere, & si nolit superior vt recedat, possit sine peccato eligere alterum ex duobus? vel teneatur petere consilium ab aliis?

161 Respond. Non licet recedere etiam de licentia superioris, nisi ex alio prætextu, nam si se declaret recedere eo quia titubat de idoneitate nouitij, ponit in discrimen probabilem opinionem, quam alij habent de nouitio, & sic huiusmodi recessus cum sit illi potius obfuturus, quam profuturus, irrationabilis est, & contra caritatem, nihil enim faciendum est, ex quo sequi possit damnum proximo. In tali casu ergo peccabit vtrumlibet agat, quia agens ex conscientia dubia peccat, secundum omnes doctores agentes de conscientia dubia, vult enim sic agens quasi in consequentiam, si non directe malum, ad quod sine dubio se exponit. Quare vt peccatum euitet adhibita diligentia debet deponere dubium, & stare consilio aliorum religiosorum, maioris enim partis consilium sequi tenetur, reiecto dubio.

Quæres 58. An in prima receptione nouitiorum ad probationem sufficiat sola prælati authoritas, an vero requiratur aliorum consilium, & consensus? Vnusquisque

quisque legat suæ religionis statuta ad huc. Peyr. de prælato qu. 3. cap. 1. ita in sua religione Correct. n. 16. id minus spectare ad prælatos, & eorum socios, id est conforme Bullis summorum Pontificum, in quibus decernitur, vt prælati cum consensu suorum collegarum nouitios recipiant, & à num. 19. cum sequentibus nonnulla proponit dubia, quorum primi resolutio eodem num. 19. est, sufficere si maior pars cum superiore consentiat, & hoc verum est, quia factum à maiori parte censetur ab omnibus factum, vt ego probaui cap. 31 in meo Tract. de profess. regul. q. 10. Secundi resolutio n. 20. est, si solus superior repugnet receptioni, & socij consentiant, nouitius non est receptus, quia facultas recipiendi principaliter residet in superiore. Tertij resolutio n. 21. quando ex tribus sociis vnus cum superiore assentitur, reliquis duobus dissentientibus, sit ne receptus, datur ab eo affirmatiua ex statuto expresso sui ordinis, quod defert superiori ob eius reuerentiam, & honorem, cui statuto ait non obuiare constitutionem declaratiuam Sixti V. declarantis satis esse ad recipiendum nouitium in casu discordiæ recipientium, si numerus sit legitimus secundum statuta ordinis; & subdit id esse conforme iuri communi, nam cap. fi. de sent. & re iud. deciditur, in æquali numero iudicum ordinariorum discordantium in sententia, tenere sententiam latam fauore rei, quia iura promptiora sunt ad absoluendum, quam ad condemnandum cap. Ex literis de probat. cap. Inter dilectos, de fide instrum. quare cum nouitius in casu hoc possit dici reus, standum erit sententiæ superioris cum socio, & sic dicendus est receptus. Quarti resolutio n. 22. est sociis sine rationabili causa dissentientibus, posse superiorem solum propria authoritate recipere nouitium, *cum Vecchio disp. 7. dub. 2 n. 11.* ea ratione, quia quotiescumque consensus est in aliquo actu necessarius, si qui illum præstare debent, sine causa denegauerint, habetur pro præstito, *cap. Licet §. Talis ergo de regul. l. In iure ciuili ff. de regul. iur. Tambur. tom. 3. disp. 6. q.* 1. huiusmodi dubia refert & probat, ampliando tertium quæsitum ad omnes religiones.

162 Resp. In omnibus, vt puto, religionibus, non sufficit sola superioris facultas ad recipiendum nouitios, sed præterea requiritur consilium, & consensus si non totius conuentus, saltem aliquorum patrum, qui monasteriorum negotia tractant, ita quod superior se solo, aut etiam cum socio ex tribus inualide recepit nouitium contra Peyrinum, & Tamburinum, quod idem dicendum, licet subditi dissentiant irrationabiliter. In mea religione casus resolutio certa est cap. 8. vbi mandatur superiori locali, vt nouitios non recipiat, nisi cum consensu maioris partis. Quod requiratur consensus maioris partis simul cum superiore probaui loco citato *cap. 3. q. 9.* id enim est negotium tangens totum monasterium, ergo ad illud omnes cum superiore concurrere debent.

163 Quod æqualitas altercantium nullam reddat receptionem probatur, Tum quia duo vota affirmatiua licet alterum sit superioris, non sunt maioris efficaciæ quam alia duo negatiuæ partis Sociorum, eo quod votum superioris vnicum, & simplex est non plus valens, quam quodlibet reliquorum, alias solum superioris votum sufficeret ad recipiendum nouitium. Tum quia æquiualentia sunt vota pugnantia ad inuicem, ergo pars affirmatiua non potest præualere negatiuæ, parium enim eadem potentia, nec maior *l. s. §. Veteres, ff. de acquir. possess. l. Si reus, ff. de duorum reor.* Tum quia facit illud Philosophorum, quod quando duo agentia sunt æqualis virtutis, vnum non potest agere in alterum, quia actio non prouenit ex proportione æqualitatis, sed inæqualitatis. Tum quia huiusmodi receptio habet aliquid simile cum electione, quæ non sortitur suum effectum, nisi adsit maioris partis consensus in personam propositam eligendam ex pluribus. Tum quia in re communi potior est conditio prohibentis. reg. 56. in 6. receptio autem nouitiorum spectat ad communitatem, nempe ad superiorem cum conuentu, seu sociis, ergo potior erit ratio partis prohibentis, & sic receptio ex parte affirmantis, & consentientis erit nulla. Tum quia affirmatio minus efficax est, quam negatio, *Gloss. v. A suspensis, cap. Cum dilectus 8. de consuet.* & ista plus tollit, quam illa, cum sit malignantis naturæ secundum Philosophum.

164 Nec obstant allata à Peyrino supra, nam ad primum dico, illud esse speciale in sua religione, cui non derogatur per constitutionem Sixti V. ibi: *Neque vero si in Generalibus, vel Prouincialibus capitulis aliqui vocales desint, nec si a Definitorum consensu aliquis discrepauerit, idcirco receptio religiosorum retardari, impediri, aut impugnari debebit, sed satis esse volumus, si vocalium, & suffragiorum numerus legitimus a iure*) hic locum habet nostra responsio) *vel per cuiuscumque ordinis statuta præfinitus interuenerit.* Quæ clausula verificatur fauore Minimorum, & aliorum habentium specialia ad hoc statuta: Ad tertium de sententia fauore rei dico esse disparem rationem, nam in causa rei agitur, de facto in præteritum, in quo casu cum vtraque sententia causam potius reddiderit obscuram, & dubiam bene tenet sententia reo fauorabilis, quia reus in pari causa absoluendus est per reg. 11. in 6. cum enim partium iura sunt obscura fauendum est potius reo, quam actori, ex quo cum reus non dicatur deiectus a possessione rei suæ, licet perturbata, in ea manutenendus est, quia in dubio melior est conditio possidentis: in causa vero petentis admitti ad religionem agitur de re facienda, & iure acquirendo pendente in futurum ad quod cum petens ingressum nullum omnino ius habeat neque in re, neque ad rem, non est, cur præualeat assensus dissensui, quia ex parte rei nulla ingressus possessio est, per quam illi fauendum sit, sed præcise ad eam admitti petit. Confirmatur, quia iudicea ex debito tenentur audire reum, capitulum vero ex arbitrio suo negare potest simpliciter ingressum petenti in religionem admitti, vt probaui supra n. 138.

165 Sociis, aut conuentu etiam irrationabiliter dissentientibus superior propria authoritate non potest recipere aliquem in nouitium, quod probatur. Tum quia communis consensus maioris partis vocalium est de substantia, & formæ receptionis, ergo eo deficiente nulla est receptio, forma enim est illa, quæ dat esse rei, cuius omissio vitiat actum, ex vulgatis iuribus. Tum quia esse rationabile vel irrationabile non est de forma receptionis, sed simpliciter communis consensus etiam irrationabilis; quia petens religionem tamquam peccator, & indignus à meritis alicuus dicitur conuerti ad Deum, ergo sicut irrationabilis consensus communis efficit validam receptionem, ita à contrario dissensus irrationabilis inficit nouitij receptionem. Tum quia actus ex eo quod est licitus, vel illicitus non dicitur validus, neque inualidus, sed ex eo quod pendet à potestate, & consensu eorum, à quibus fit, *ex cap. Cum super, de off. deleg. Bald. in l. omne verbum. C. comm. de legat.* ergo superioris consensus in nouitium alias nullius ex dissensu sociorum quamuis irrationabili non potest dici validus ex illa irrationabilitate, neque enim causa illicita potest producere effectum licitum *l. 2. C. de acquir. possess. l. Quædam mulier ff. de rei vendic.* Tum quia denegata etiam iniuste licentia audiendi confessiones tenet, ita quod sacerdus, cui denegata fuit, attentans aliquem absoluere, nullam facit absolutionem, vt probaui *resolutione trigesima sexta qu. 2.*

Ad obiectionem dico esse quid diuersum, aliud enim est petere licentiam, & pro obtenta habere illam si irrationabiliter negetur, vt de volente transire ad strictiorem religionem ibi sermo est, quod procedit, quando ius id declarat, vt citato *capit. Licet, de regul.* 166

de regul. & aduertunt ibi Doctores, & Megal. lib. 1. de pœnit. cap. 15. num. 6. fine aliud petere ingressum religionis, quod fit sine alicuius licentia, si petens sit liber; si vero compatetur licentia cum consensu eorum, ad quos spectat consentire, vel dissentire in ingressum, nescio videre, quomodo id possit applicari, quia licentia negata, seu dissensus non se tenet ex parte petentis, sed patrum vocalium. Vel dic clarius, nullam ius declarare dissensum haberi pro assensu, quando irrationabiliter accedit in receptione nouitiorum. Item dissensum non haberi pro assensu, quando consensus est de forma negotij, vt in casu nostro.

Quæres 59. An imminente necessitate, & periculo à superiore solo, qui nequit commode requirere consensum aliorum, recipi possit nouitius? Affirmat Vecch. *disp. 7. dub. 2. in fine*, ob eandem rationem, quia consensus aliorum in tali casu habetur pro præstito, & citat *Glos. in cap. Si pro te, de rescr. in 6. v. Assensus, Bartol. in l. 1. §. Si plures ff. de exercit. Felin. in cap. Cum accessissent, de constit. num. 20. & 21. quem sequitur Tambur. tom. 3. disp. 6. quæst. 1. num. 14. contra Sanch. lib. 1. disp. 34. nu. 26.*

167 Respond. Solus superior in eo casu nequaquam petentem ingressum recipere potest in nouitium, probatur, quia communis patrum consensus cum superiore est de forma essentiali receptionis nouitiorum; ea autem quæ sunt essentia, & substantia alicuius actus per nullam necessitatem, aut imminens periculum suppleri possunt, neque enim forma essentialis per æquiualens suppleri potest. *Bartol. & Alex. in l. 1. ff. de lib. & posth. Decius in l. Si mater C. de institut. & substit. num. 4.* maxime in casu hoc, in quo vt plurimum necessitas non est ex parte rei, sed ex parte voluntatis eius, qui de repente desiderat se expedire, quod bonum non est, neque religioni expedit in tam graui negotio de repente deliberare, sed diuturnum consilium adhibendum est, neque enim quis religiosus fieri debet cum festinatione, vt *dicitur cap. 2. in fine 33. q. 5.* sed in deliberatione diu versandum est, & morandum bene considerãdo expediatne assumptio status religiosi, & si enim huiusmodi status optimus, & in se perfectissimus sit, nihilominus quandoque non omnibus prodest ex aliqua imperfectione, & dispositione eius, qui intendit ingredi. Vnde S. Benedictus cap. 57. Regul. inquit. *Nouiter veniet si quis ad conuersionem, non ei facilius tribuatur ingressus, sed sicut ait Apostolus, probentur Spiritus, si ex Deo sunt.* Demum quouis posito periculo, & qualibet imminente necessitate volens ingredi recipi potest siue in proprio suo habitu, siue cum habitu regulari intra claustra, non ordinando huiusmodi receptionem ad nouitiatum, de iure enim communi, neque etiam speciali in mea religione prohibetur, neque hoc modo prætextu voti, aut deuotionis recipi posse, huiusmodi ergo concessa receptione tollitur omne periculum, & quæuis necessitas, quæ posset vrgere ad expeditionem negotij.

Quæres 60. An nouitiorum receptio tam ad probationem, quam professionem secreto facienda sit, an viua voce?

168 Respond. Super hoc nihil iure communi determinatum est, neque in meo ordine, in cuius regula cap. 8. de nouitiis recipiendis, & cap. 9. de eisdem ad professionem recipiendis cum consilio, & assensu maioris partis conuentus, aliquid ordinatur, ex quo deducatur requiri magis vnum quam alterum. Dixi tamen in meo Tract. de profess. regul. cap. 3. quæstione 21. melius esse consentire suffragiis secretis, quam vocalibus, per fabas, seu calculos, & sic vidi practicari, ita quod si vsus laudabilis sit in religione aliqua recipiendi nouitios per vota secreta, puto non posse superiorum petere consensum per vota viuæ vocis, quia quodam modo minuitur libertas vocalium, qui non ita libere ore tenus respondere valent iuxta dictamen propriæ conscientiæ, secundum quam liberius responderent per mutam vocem; & vota viua petere præter morem potest aliqua fraus. Quare quod censuit S. C. *apud Peyr. de prælat. quæst. 3. cap. 1. nu. 22. & ex eo Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 1. n. 13.* posse huiusmodi receptiones publice fieri, habet locum in illis religionibus in quibus modo publice, modo secrete nouitij recipiuntur, & non aliter.

Quæres 61. An prælati maiores possint extra capitulum concedere licentiam omnibus Prioribus pro tempore existentibus in conuentibus nouitiatus recipiendi ad professionem nouitios?

169 Resp. Affirmatiue *res. 58 q. 15.*

Quæres 62. An Prior conuentus, vbi est locus deputatus pro nouitiatu, possit vnum, vel alterum nouitium bonæ indolis extra mittere ad scolam, dummodo debitis horis reperiatur ad chorum pro horis canonicis?

170 Resp. Non possunt ab aliquo superiore extra monasterium ad scholas, sed intra claustra ab eorum Magistro deputato instruendi sunt in Ecclesiasticis disciplinis; si tamen extra mittantur edocendi, non ideo tamen inde sequitur nullitas probationis, aut professionis, sed nouitiatus bonus est, & inde professio secuta tenet.

Primum, quod extra edocendus non sit, probatur ex constitut. super educat. nouit. Clem. VIII. in illis enim dicitur sic. *In eo etiam præter alias communes commoditates aptus locus adsit ad spirituales collationes, seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesque Magistri audiendas, &c.* Præterea si nulli seculari licet ingressus in nouitiatus locum sine graui causa ad colloquendum cum nouitiis nisi Magistro permittente, & præsente, vt ibidem subiungitur; multo minus poterit nouitius egredi ad scholas, cum id fieri non possit sine collocutione, & conuersatione secularium. Deinde vix possunt commorari cum professis, non nisi in choro, refectorio, & processionibus, vt ibidem infra subditur, ergo nulla ratione dimitti possunt ad scholas extra. Demum inter principales austeritates, quas nouitius probare eo anno debet, est obseruatio clausuræ, cuius difficultatem experiri minime potest, si quotidie bis egrediatur, aut etiam semel ad scholas. Edoceatur ergo & instruatur intra claustra, etiam quandoque in claustro professorum, data occasione, vt si quis disceret cantum cum multis professis, vel logicam, magis enim expedit, vt vnus nouitius exeat ad claustrum professorum, quam multi professi ad locum nouitiatus, vtilis enim & proficua conuersatio nouitij cum professis de licentia Prioris, sed inutilis, & vana interdicitur.

171 Secundum, quod teneat nouitiatus, & professio, probatur de nouitiatu, quia nouitius exeundo ad scholas adhuc sufficienter experitur asperitates religionis, accedit enim semper, & reuertitur cum licentia, & benedictione superioris sui. Tenet etiam professio, quia nullibi annullatur ex illo defectu.

172 Quando Magister non esset ita sufficiens ad docendum, superior localis magistro concurrente, potest vocare secularem, vel Ecclesiasticum, si nullus adsit in monasterio, ad docendum, & instruendum nouitios intra nouitiatum, vidi enim hoc practicari apud quasdam religiones; nec obstat, quod nouitij non possunt colloqui & conuersari cũ secularibus, & cum extraneis, nam id intelligitur de conuersatione vana, inutili, & collocutione, qua possunt retrahi à proposito religionis.

Quæres 63. An transiens ad secunda vota, probandus sit in loco deputato pro nouitiatu secundum decreta Clm. VIII. confirmata ab Vrbano VIII. ita quod, si in conuentu alio non deputato pro nouitiatu probentur, nulla sit inde secuta professio? Quod teneatur renouitiare *probaui resol. 29. num. 62.* sic docent *Less. lib. 2. capit. 41. dub. 13. numero 101. Azor. tom. 1. capite 2.*

lib. 12. q. 15. Nau. consil. 61. de regul. num. 4. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 8. Faustus lib. 5. Thesaur. relig. q. 371. Mirand. tom. 1. q. 31. art. 21. quos pro se citat Tambur. tom. 3. disp. 7. q. fin. num. 1. Compend. Rodr. resol. 101. num. 46. decisum 13. Nouembris 1627. ex Sellio refert Barbosa ad cap. 15. sess. 25. num. 21. De loco autem quo peragendus sit iste nouitiatus ne verbum quidem, ad quod tamen debebant aduertere Recentiores, vt Tambur. Compend. Vecchius disp. 11. dub. 2. num. 5. vbi relatam opinionem Sorbi, & Pacti fundatam in priuilegio Leonis X. qui indulsit Minoribus, vt aliarum religionum venientes recipere possent superiores cum consilio Discretorum ad professionem sine aliquo probationis experimento ex communiori opinione opposita refellit per Trident. quod absolute loquitur de omnibus volentibus profiteri in aliqua religione, non distinguens inter seculares, & regulares transeuntes, ex quibus videtur inferri transeuntes teneri ad nouitiatum eo modo, quo primo venientes ad religionem, qui in locis deputatis debent nouitiari; sed mihi non placet, deducere eam obligationem præmittendi nouitiatum ex Tridentino, cum potius deducenda sit ex iure antiquo, cap. *Ad apostolicam* de regular. & transeunt. ratione ibi expressa, nimirum, vt in anno nouitiatus transiens experiatur asperitates secundæ religionis, & huius professi experiantur mores nouitij, qui transiuit, & quod hoc sit necessarium etiam religiosis transeuntibus non solum probatur ex dicta ratione, sed etiam ex tit. eius, qui non solum est de regularibus, sed etiam de Transeuntibus, qui terminus propriè est de professis transeuntibus ad secunda vota & inducitur ex illo priuilegio Leonis X. quod fuit viuæ vocis oraculum, quod supponit debitum faciendi nouitiatum, alias frustratorium tunc fuisset, si transeuntes potuissent profiteri illo probationis anno præmisso, Sed principalem difficultatem resoluamus.

173

174 Respond. Religiosus transiens ad secunda vota, potest annum suæ probationis præmittere ante professionem in quolibet conuentu sibi designando à superiore secundæ religionis, neque adstringitur superior mittere illum ad conuentum deputatum iuxta decreta Clem. VIII. Quod alia ratione non probatur, nisi quia in Decretis Clementis VIII. in quibus disponitur de huiusmodi locis designandis, sermo est solum de secularibus primo venientibus ad religionem, vt colligi potest ex tenore dictorum decretorum, nam in primo incip. *Regularis disciplina:* sic dicitur. *Singuli ad religionem venientes passim recipiuntur, vnde fit, vt quo magis nos variis constitutionibus male affectas radices amputare studemus, eo magis in dies deprauata, infructuosaque eiusmodi nouiter profitentium succrescunt.* Quæ verba non possunt intelligi, nisi de secularibus, isti enim dicuntur venire, religiosi vero transire ex cit. tit. de Regular. transeunt. neque religiosi transeuntes dicuntur nouiter profiteri, sed secundo profiteri, hoc ipso, quod dicuntur transire ad secunda vota, nouiter enim factum dicitur, quod alias factum non fuit, *cap. Prohibemus, cap. Significauit de censib. Glos. v. De nouo cap. Per suos de donat.* Particula, *Passim*, importat frequentiam, id quod fit pluries, multoties, indistinctè, & indifferenter, Glos. v. eod. extrau. com. Ioan. 22. de Pœnis; raro autem fit transitus ab vna ad aliam religionem, frequenter vero seculares veniunt ad religionem; deinde illorum verborum sensus est, illos, qui passim recipiuntur indistinctè, & sine delectu, deprauare, & inficere religionem, quod non potest intelligi de transeuntibus, qui religionem ad minus non inficiunt sicut seculares cuiuscumque generis recepti, qui regularem aliorum disciplinam facile corrumpunt. In secundo decreto eiusdem Clementis incip. *Sanctissimus in Christo*, sanctitas sua illos, qui tunc recepti fuerant contra præscriptum primi mox citati decreti, mandabat omnino eijci, licet essent professi, ex quo

175

declarauit tunc eorum professiones receptorum contra primum decretum esse penitus nullas, & irritas ad quemcumque effectum; ex quibus clare colligitur præcitata decreta non comprehendere transeuntes ad secunda vota, sed tantum primo venientes ad religionem, isti enim eijci poterant, vt eorum professiones nullæ sunt ad quemcomque effectum, quod dici non potest de transeuntibus, qui non eijciuntur, sed remittuntur ad priorem religionem. Ex probatis igitur infertur decreta Clementis comprehendere tantum à seculo venientes ad religionem, quos noluit recipi in quolibet conuentu indifferenter ad probationem, sed in determinatis tantum à sede Apostolica.

Quæres 64. An nouitij Scholarum Piarum in anno suæ probationis exponendi sint ad officium, & exercitium docendi iuxta institutum suæ religionis? Isti enim clerici vocati Regulares Matris Dei a patre Iosepho suo institutore fundati, pro suo instituto, & debito tenentur docere pueros præsertim rudimenta fidei, vt ex eorum constitutionibus, & Bullis Pontificiis constat.

176 Resp. Exponendi sunt scholis non solum per vnam aut alteram vicem, sed per plures menses; quod probatur ex fine intento ipsius anni probationis, nam à iure ecclesiastico introductus fuit, vt nouitius experiatur difficultates, & austeritates religionis, in qua intendit profiteri, & vice versa, vt professi cognoscant mores, & vitam nouitij, an sit dignus statu religionis *cap. Ad apostolicam 16. de regul.* sed inter præcipuas difficultates huius religionis est officium docendi, quod pro quarto voto assumere habent in eorum professione, ergo hanc difficultatem in anno probationis experiri debent, vt ex illius exercitio valeant concludere, an sibi ipsis tale in futurum munus obeundum sit placiturum. Non sufficit autem aliquibus vicibus illud munus exercere in anno nouitiatus, sed per plures menses arbitrio superioris, quia experientia diuturnitate temporis acquiritur, experientia si quidem dicitur à peritia, quæ nisi temporis prolixitate ex multiplicatis actionibus virtutis acquiritur, nemo enim sine actione experitur *l. Quoties §. Item si ff. de admin. tutor. l. Si pupilli. §. fin. ff. de negot. gest.* Hæc autem experientia non tantum habenda est per exercitum docendi, quam pedisequendi pueros domum associando, vt nouitij edifcant pati iniurias sibi obiectas ab infrunitis secularibus; immo puto præcipue nouitios experiendos esse in comitando pueros domum, vt non semel, sed pluries, & iteratis continuis vicibus experiantur, an possint sustinere iniurias, & ludibria sibi facta à laicis, dum discipulos pedisequuntur domum; facile enim est sufferre aliquas iniurias interpellatione temporis, difficilius vero easdem sustinere continuatis diebus illatas, Probentur igitur hi nouitij ad vtrumque munus tam docendi, quam pedisequendi discipulos, vt in fine anni prudenter deliberare possint, an in futurum sustinere possint tale genus vitæ, an illud relinquere; maximum autem patientiæ signum, & humilitatis exemplum sufferre huiusmodi iniurias, & ludibria propter amorem Dei. Quamquam puto abiturum esse in dissuetudine hunc comitandi morem pueros domum ob depressionem status regularis; officium enim docendi quod est principale intentum satis superque perficitur instructione puerorum, quasi quis dicere posset, quid ad nos de his, qui foris sunt, dum pueri sunt in schola subiecti sunt, extra vero sunt de genere eorum, qui foris sunt, ad quorum patres incumbit cura disciplinæ.

177

Quæres 65. Apud quasdam religiones conuentus deputati à sede apostolica pro nouitiis in orbem transeunt in illis recipiendis, & educandis pro anno probationis. In aliis quandoque nouitiatus transfertur ad alium conuentum cum desitione prioris. An in his, & similibus casibus liber nouitiorum sit transferendus, an

an verò singuli conuentus, in quibus deputatus est nouitiatus, debeant habere proprium librum, in quo describantur professiones singulorum, ita quod nunquam remoueantur singuli libri à singulis conuentibus, quamuis desinant esse loca nouitiatus?

178 Respond. Vnusquisque conuentus nouitiatus proprium debet habere librum professorum, in quo registretur omnium acta professio, iuxta quod dixi *resol.57. q.3.* & talis liber perpetuo debet remanere apud Priorem, seu Guardianum, & superiorem localem illius conuentus, licet desinat esse locus nouitiatus. Probatur vtrumque ex verbis ipsiusmet Clem. VIII. *Superior cuiuslibet conuentus, in quo nouitiatus fuerit constitutus, particularem librum habeat, in quo cuiusque nouitij professio registretur, illamque nouitius professus propria manu, & duo testes, qui praesentes fuerint, subscribant.* Ex his ergo constat, in quolibet conuentu nouitiatus debere esse librum, in quo nouitiorum professio registretur, quam distributionem, & peculiaritatem librorum, vt indicant illae particulae. *Cuiuslibet conuentus:* Item *particularem librum.* Terminus enim *Quilibet*, est distributiuus singulorum in l. *Si pluribus ff. de legat. 2. Cardin. Tusch.lit.D. concl.269. num.14.* & eius natura est attribuere singulis in solidum, *Ripa in l. Haeredes §. Cum ita ff. Ad Trebell. numer.3. Anton.de Butrio consil. 29. numero 2.* Neque alio transferendus est, licet desinat ibi esse locus nouitiatus, & in alium conuentum transportetur nouitiatus, Tum quia huiusmodi liber est illi proprius, & incorporatus. Tum quia nouitius ibidem professus volens probare nullitatem suae professionis, vel ex libro, vel alia ratione debet reclamare coram superiore conuentus vbi professus, & eius professio fuit in libro eiusdem conuentus registrata, & Episcopo eiusdem Dioecesis, vt probaui *resol.69. n.7.* ergo necesse est, quod liber perpetuo ibi remaneat, vbi professit, vt conuentus superior possit illi obiicere suam professionem, contra quam reclamare intendit.

Quaeres 66. An nouitius recedens siue ex propria culpa expulsus, siue quia vitae austeritatem sufferre non potest à religione iuste dimissus, siue voluntarie ex propria libertate statui religioso renuntians, licite petat literas testimoniales de vita, & moribus suis intra tempus, quo permansit in nouitiatu, & superior teneatur easdem illi concedere?

179 Respond. Si nouitius ex propria culpa expulsus petat dictas literas illi concedendae non sunt, in aliis duobus casibus petenti concedi possunt, non est tamen debitum, nisi alias consuetudo esset illas dandi petentibus.

Expulso dandae non sunt, quia hoc ipso, quod eiicitur ex eius anteacta mala vita, & prauis moribus, fides, si illi fieret falsa omnino esset, huiusmodi enim literae testimoniales, quae petuntur, sunt commendatitiae tractantes de laudabili vita, & honestis moribus personae cupientis obtinere huiusmodi literas. Quod si in aliquo expulsus consolandus esset, concedi possent simplices literae exprimentes recedentem non esse aptum ad statum religiosum, & ideo persuasum illi fuisse discessum à religione, eius vitam non laudando, neque vituperando.

In postremis casibus nullum inueni debitum apud regulares dandi huiusmodi commendatitias literas, nihilominus si consuetudo sit illas concedendi, poterunt concedi, exprimendo in illis causam recessus, siue pendeat ex libero arbitrio, quo nouitius potest resilire iuxta *cap. Consulti 10.cap. Postulasti 21.cap.Statuimus 23. de regul.* siue dependeat ex dimissione facti à religione, eo quod nouitius est naturae & complexionis ita delicatae, vt non possit sufferre austeritates religiosi status, allegando huiusmodi causas, & de vita, & moribus, quibus se bene gessit in profectu animi probationis, vbi tamen non est vsus, nequaquam facile introducator, ne volentes recedere onerosus fiat religioni, & aperiatur via etiam illis, qui expelluntur propter eorum demerita, qui sunt de genere eorum, qui nolunt errasse, sed bene vixisse, quamuis ex ante acta male vita contrarium appareat.

Quaeres 67. Religiosus alterius ordinis cum diplomate Sanctitatis suae à religione strictiori transit ad ordinem laxiorem, superior visis illius patentibus literis de licito transitu, & absolutione ab obedientia prioris praelati regularis, statim sine consensu aliorum religiosorum induit illum habitu suae religionis, prioris spoliato, & transmitti ad nouitiatum. An legitime indutus fuerit habitu probationis, & valide peragat nouitiatum? Suppono duo, vnum est, Rescriptum papale continere solum facultatem transeundi à religione strictiori, ad laxiorem, & absolutionem ab obedientia prioris ordinis praelati; alterum in capit. 8. Regulae haec haberi. *A Coenobiorum Ministris maiore Fratrum suorum parte assentiente nouitios semper recipi posse volumus.* Ideo in meo ordine locum habet Filiatio, vt docui Resolutione 59. numero 11. ad 13. vbi asserui Maiores superiores se solis non posse recipere ad Filiationem quemquam, sed praeterea requiri consensum superioris, & Fratrum illius conuentus cuius nouitius debet esse filius. Ex quibus deducitur nullam fuisse receptionem praefati Transeuntis à solo superiore induti habitu religionis ad effectum peragendi nouitiatum.

Respond. Receptio nulla est facta à solo superiore 180 etiam Generali. Potest tamen ratificari supplendo defectus; Possunt etiam illum expellere, quod tamen caritas non compatitur, cum ipse non peccauerit.

Primum de nullitate receptionis probatur ex citatis verbis Regulae; ex quibus colligitur solum superiorem non posse recipere ad habitum probationis quemquam, sed requiri consensum Fratrum; quod autem fit sine requisito consensu in omnium sententia nullum est, *capit. Cum consuetudinis, de consuetud. capit. 1. capit.* Ex noscitur *capit. Tua nuper de iis, quae fiunt à praelat Confirmatur*, quia ille casus ablatiuus, *Maiore Fratrum suorum parte assentiente* facit conditionem, sed deficiente conditione deficit actus, *Rota lib.3. decis.282. cum Puteo*, quia conditio inducit formam, qua omissa inhil fit *l. Maeuius, l. Quis heredis ff. de condit. & dem. Barbosa hoc Axiom.* vnde vt actus teneat debet impleri in forma specifica, *Menoch.consil.35.nu.4. Sard. de c.f.209. n.2. & 3. Mar. Anton. lib.1. resol.56. num.2.* Ita docent *cum Glos. in cap. fin. de regul. in 7. communiter Doctores, quos sequitur Vecch.disp.7.dub.4.& pro se citat Peyrin. de Prulato quaest.3 cap.1. num.14.* Intellige praedicta de iure communi, modo religio circa hoc non habeat speciale statutum, quo soli superiores sine consensu Fratrum possint recipere nouitios, quod non habent meae religionis superiores, quibus obstat praecitatum caput.

Secundum de ratihabitione supplendo requisita do- 181 cetur *à Rodr. tom.3.q.17.art.12.* & eo magis cum superior fecerit ex parte sua; sed de hac re infra. § Quintus casus. *Tambur.tom.3.disp.6.q.11.n.4.*

Tertium de dimissione constat, quia à Fratribus, ad quos spectabat praestare consensum de iudicio idoneitatis, & qualitate requisitorum, tamquam non vocatis, & ideo contemptis, expelli potest nouitius, vt superior erubescendo, deinceps talia, quae suam potestatem excedunt, non agat quasi in contemptum aliorum. Si quoniam haec nouitij culpa non est, sed aliorum, officio maioris superioris ille praelatus cogatur ad quaerendum consensum Fratrum, quorum in manus interest.

Quaeres 68. Quibus in casibus nouitiatus peractus sit nullus?

Resp. Nouitiatus peractus in multis casibus remaner nullus. Primo factus ante annum decimum quin- 182 183 tum inceptum nullus est, vt argo valeat debet quis illum

illum incipere post annum decimum quartum completum, hoc est, in decimo quinto, & deinceps, fuse egi resol. 21. initio. Inceptus tamen aliquot diebus, etiam forsan per mensem in fine decimi quarti, non videtur dicendus vitiosus, quia sicut nouitius communiter non tenetur experiri singulas in specie asperitates, ita neque tempus aptus ad experimentum ita continue considerari debet, quin maior temporis pars apta sufficere possit pro experimento necessario. Ita de communi docet *Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 22. ego cap. 4. q. 7.*

184 Secundo nouitiatus est nullus defectu integritatis, debet enim nouitius per vnum integrum annum manere in probatione Trident. Sess. 25. cap. 15. ibi: *Per annum post susceptum habitum in probatione steterit* probatur nullitas, quia tempus à lege præscriptum, & certum est, de substantia rei, cui adijcitur. *Auth. qua supplicatio C. de precib. imper. offer.* & dicitur de forma actus, *Bald. super dict. Autent. Rim. Iun. vol. 3. cons. 271. n. 23. M. Ant. lib. 2. Res. fin. cas. 23.* vnde qui tempus legis non obseruat non dicitur legis formam obseruare, lege obseruare §. *Post hac ff. de off. pro cons. Rebuff. in tract. nomin. quæst. 14. num. 6 cum alijs Barbosa Axiom.* 519. Debet ergo hoc tempus vnius anni currere de momento ad momentum, hoc est, ille nouitius qui primo die anni suscepit habitum probationis hora v. g. decima octaua, debet manere, in probatione vsque ad primum diem Ianuarij sequentis anni vsque ad horam decimam septimam inclusiue, & post profiteri, id enim vere, & mathematice est per annum manere in probatione. Ita docent *Graff. consil. 6. de regul. num. 2. tom. 1. Mirand. tom. 1. q. 22. art. 3. Compend. resol. 101. num. 38. Barbosa ad dictum cap. 15. num 24. quam plures citans Vecch. disp. 11. dub. 4. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 11. num. 12 Portel. v. Nouitij num. 48 Diana resol. 57. de dub. regul. vbi multos citat, ego cap. 4. de profess. q. 10. Peyrin. de Pralat. q. 3. cap. 1. §. 4. num. 95.* ita quod in anno bisextili numerandi sunt dies 366. ita fere omnes præcitati, ratio est, quia annus bisextilis, in quibuscumque alijs actibus humanis, & negotiis seruatur, ergo & in casu præ-

186 senti Tambur. cit. ex Bonacina. Aliqui tamen sustinent tempus hoc non ita rigorosè accipiendum esse, sed sufficere si moraliter accipiatur, ex eo, quod de re pariter morali agitur, & hi sunt *Gratian. tomo tertio Disceptat. capitulo 413. numero vigesimo secundo, Campanus Rubr. duodecimo capitulo 13. num. 4. quos citat Barbosa ad dictum cap. 15. Trident. num. 25. alios citat Peyr. num. 96.* quorum rationi respondit procedere, quando lex aliter disponit, in casu autem præsenti decretum Concilij loquitur de anno naturali, non ciuili, & minimum etiam considerat cap. 3. de ap-

187 pell. cap. Si proponente de rescr. Dicerem ergo in hoc casu in ordine ad futuram professionem accipiendum esse tempus mathematice omnino, post vero factam, tempus interpretari posse ciuiliter, ita quod defectus vnius quadrantis, vel similiter non infringeret professionem, consilium enim de incidenti super factum melius est fauore animæ profitentis, & quietis religionis. Aliqui loquendo de anno bisextili aiunt sufficere annum dierum 365. hi sunt *Silu. v. Relig. 3. q. 19. Henr. l. 10. c. 19. lit. K. quos citat Tamb. to. 3. disp. 6. q. 11. n. 13. quos & alios citat Barb. ad cap. 15. Trid. n. 27.*

188 Tertio nouitiatus fit nullus defectu continuationis, posita eius interruptione. Duo continet, & quod nouitius continue manere debet in probatione, & quod nouitiatus vitiatur, & irritatur per interruptionem. Primum de continuatione probatur ex cap. 1. 17. q. 2. ibi *Canonica institutio interdicit monachum ante vnius anni probationem effici* cap. Monasterijs 19. q. 3. ibi: *Priusquam biennium in conuersione compleuerint nullo modo audeant consurare.* cap. Si quis incognitus 17. q. 2. datur triennium pro incognitis; in Tridentino vero datur spatium vnius anni quibuscumque sufficienter enim per annum religio potest deuenire in cognitionem motum cuiuslibet incogniti, cap. 15. sess. 25. ibi: *Per annum post susceptum habitum in probatione steterit.* cap. Ex parte 22. d. regul. ibi: *Postquam per annum gestauerint habitum monachalem.* cap. 1. eod. in 6. ibi: *Quod si per totum sequentem annum Si per annum illum gestauerit.* Ex his textibus apparet requiri temporis continuationem,

189 quam particula *Per* sæpius repetita in dictis textibus significat tempus, cui adijcitur, debere esse continuum. *l. Vrbana 166. §. Pernoctare ff. de verb. obligat. Socin. consil. 118. num. 4. vol. 4. Fracus in cap. 1 de reg. iur. in 6. num. 7. Menoch. de arbitr. casu 462. num. 7. Tusch. lit. D. num. 324. num. 1. Barbosa alios allegans dict. 250. num. 2. Glos. v. Per annum. cap. 2. de temp. ordin. in 6.*

190 Immo si de hac re dubitaretur, adhuc resoluendum esset, tempus debere esse continuum, *glos. in Rub. de dinor. & temp. præscript. Clem. vn. de in integ. restit. Megal. part. 3. lib. 4. cap. 6. num. 2. Nauar. consil. 89. de regul. num. 1.* asserentes in dubio tempus iudicandum esse continuum. Ita omnes cum *Nau. consil. 9. num. 2. consil. 32. num. 4. de regular. Graff. part. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 15. Mirand. tom. 1. q. 22. art. 4. Nald. v. Nouitius num. 4. Less. lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 59. Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 31. Bonac. de claus. q. 2. p. 10. diff. 2. num. 3. Compend resol. 101. num. 42. cum alijs apud Barbosam ad cap. 15. sess. 25. num. 30. Vecchius disput. 11. dub. 3. Peyrin de Pralato q. 3. cap. 1. §. 4. num. 99. Tamburin. tom. 3. disp. 6. q. 11. num. 15.* Addunt nonnulli, hanc continuationem extendi, & coniungi cum professione, quod probant ex cap. 15. & 16. in quibus Tridentinum videtur coniungere annum probationis cum professione, & isti sunt *Vecchius disp. cit. 11. dub. 3. num 5. Barbosa de iure eccles. num. 121. Suar. tom. 3. de relig. cap. 15. num. 3. relati a Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 15. num. 16. cum Peyrin. cit. cap. 1. §. 4. num. 99.* contra Sanch. *lib. 5. cap. 4 num. 34. qui cum multis alijs, & Silu. Religio 5. quæstione. 4. Bonacin. citat. pag. 10. diff. 2. §. 2. num. 4. Fausto lib. 5. q. 165. Rodr. tom. 3. quæst. 15. art.* 10. asserit non esse necessarium continuare nouitiatum cum professione, quod etiam ego docui *hic supra num. 113. & resol. 57. q.* 5. & alibi, dum probaui, nouitium, qui in anno decimo quinto integro permansit in probatione, posse per totum annum decimum sextum transire ad alium conuentum extra nouitiatum transire ad alium conuentum extra nouitiatum de licentia superioris, & post modum tempore debito profiteri, & sic sine continuatione probationis cum professione, & ibidem obiectis aduersariorum bene respondi, & in hoc non puto esse difficultatem sicut in eo, qui recederet sine licentia, & postea rediret, nam in hoc casu Sanchez cum multis alijs lib. 5. cap. 4. num. 34. sustinet redeuntem non egere nouo nouitiatu, quia iam sufficienter expertus erat statum regularem, & religio illius mores, nisi forte conditio personæ, & religionis ita mutatus sit, vt non bene constet de experimento nouitij. In tali casu ego redeuntem nullo modo admitterem neque ad nouum nouitiatum, neque ad professionem omnino, quia videtur potius statum laicalem, quam regularem amare, onerosum religioni magis fore, quam vtile.

Alterum, quod nouitiatus non continuus, sed interruptus vitietur, & irritus sit, probatur ex supradictis, quia continuatio vnius anni in probatione est de illius forma, & substantia, ergo posita interruptione, non amplius subsistit continuatio, consequenter neque illius forma, qua non existente factum tollitur, & irritatur ex vulgatis iuribus, forma enim est illa, qua inexistente res subsistit, & qua sublata, res tollitur. *l. Manius l. Qui heredit. ff. de condit. & de monst. Tiraq. in l. Si vnquam v. Reuertatur n. 67.* Ita docent omnes præcitati *Sanch. l. 5. cap. 4. n. 31. Mirand. tom. 1. q. 22. art. 4. Rodr. tom. 3. q. 15 art. 8. Portel. part. 2. casu 7. n. 6. Bon. de cl. p. 10. diff. 2. §. 2. n. 3. & 4. quos ego citaui c. 4. de Nou. q. 11. Tamb. to. 3. disp. 6. q. 11. a n. 15. Peyrin de Pral. q. 3. c. 3. §. 4. n. 99. &* 100.

Interrumpitur

191 Interrumpitur autem nouitiatus in duobus casibus. Primo si nouitius exeat monasterio, habitu deposito, cum intentione deserendi religionem, & non amplius redeundi. *Ita Vecchius disputatione 12. dub. 3. n. 6. Peyrin. de Prælato quæstione 3. capitulo 1. §. 4. num. 10. Portel. ver. Nouitiatus numero 49. Tambur. tom. 3. disputatione 6. quæstione 11. num. 17. Barbosa ad capitulum 15 sess. 25. numero 32. Suar. tom. 3. libro 5. capitulo 15. nu. 6.*

192 Tres ergo conditiones requiruntur. Prima, quod exeat extra monasterium; Secunda, quod deponat habitum. Tertia, quod exitus fiat animo deserendi religionem, defectu vnius ex prædictis puto non interrumpi nouitiatum.

193 Prima ergo conditio est actualis exitus consũmatus extra monasterium, aliter nouitius non dicitur exiisse, si manet intra claustra licet cum intentione recedendi etiam habitu dimisso, nam verba cum effectu consummato intelligenda sunt ex vulgaris iuribus, quando agitur de aliquo facto, ille enim dicitur exiisse, & fugitiuum esse, qui in ipsum factum fugæ vitium mentis deduxit *l. Fugitiuus 215. de verbor. signif.* neque perfecte recessisse dicitur ille nouitius, qui in actu fugæ extra claustra deprehenditur ipso die, quo recessit, qui enim in fuga est, videtur esse in loco, à quo recessit l. *Huiusmodi 86. §. Legatum est, ff. de leg. 1. l. Seruus 80. ff. de legat. 3.* neque ille censendus est fugitiuus, qui ad fugam gradum vnum, vel alterum promouit, vel etiam currere cæpit. l. *quis sit fugitiuus §. Item ait ff. de verb signif.*

194 Secunda conditio est habitus depositio, quia exire claustro simpliciter non importat desertionem nouitiatus, cum etiam professi quandoque exeant animi gratia vagandi, & non deserendi situm institutum, vt ergo pateat aliqua ratione huiusmodi desertio, & interruptio nouitiatus exitui adiicitur habitus depositio; præterquamquod in retentione habitus si non actu continuatur nouitiatus, saltem virtualiter, cum habitus gestatio connumeretur inter austeritates, quas nouitius experiri debet, vt dicam infra 215. & docet *Sanc. l. 5. c. 4. n. 29.* Ita Doctores supracitati, contra quos sunt *Rosella v. Nouitius 29. Silu v. Religio. 5. q. 4. quos prose citat Sanch. cit. n. 33. & Peyr. de Prælato q. 3. c. 1. §. 4. n. 100.* asserentes fugitiuum habitu etiam retento nouitiatum infringere, licet habuerit animum redeundi, eo quod obedientiæ iugum fregerit. Sed fauore nouitij & cum simus in moralibus standum est responsis, neque enim fractio obedientiæ quamuis sit graue peccatum infringere habet, & rumpere nouitiatum, cum etiam per inobedientiam experiantur religionis asperitates, in consequentiam pœnæ, quam sibi impositam nouitius subiturus est, seipsum affligendo abstinentiis, vel in carcere reclusum.

195 Tertia conditio animus deserendi statum illum requiritur ad interrumpendum nouitiatum, & is vere est causa productiua huiusmodi interruptionis, quæ cum per se parere non possit, quia consistit in animo, & proposito, quod in mente retentum nihil operatur. l. *Si repetendi ff. de cond. ob turpem caus. l. Cum in plures 62. §. Locator ff. Locat.* ideo exterior actus depositionis habitus, & extra monasterium exitus adiiciuntur, vt ex his interruptio exterius pateat omnibus. Quare qui habitu deposito ex iis, animo fornicandi, furandi, percutiendi, vel quid simile faciendi non dicitur nouitiatum interrupisse, statim reuertendo. *Sanch. libro 5. cap. 4. num. 33. Peyrin. de Prælato quæst. 3. cap. 1. §. 4. numero* 100. Item qui fugit sæuitiam Magistri, vel Superioris, vel ex timore pœnæ subeundæ, vel vt recursum haberet ad superiorem, & quid simile, quoties enim exitus habet aliquam causam præcedentem, ex qua deduci possit egressum è monasterio non fuisse simpliciter fugam animo deserendi nouitiatum, non potest inferre interruptionem eiusdem nouitiatus, hoc ipso quod non habuit animum deserendi institutum. *Ita Galuanus consil. 12. num. 9. Vecch. disp. 12. dub. 3. num. 15. cum istis Barbosa ad cap. 15. sess. 25. num. 40. Peyrin. cit.*

196 Secundus casus, ex quo nouitiatus interrumpitur, est, quando legitima subsistente causa nouitius à superiore cum debitis requisitis expellitur, nam tunc perdit omnino statum religiosum, consequenter rumpitur nouitiatus, qui extra religionis statum nequit conseruari. 197 Necessaria tamen sunt pariter tria. Primum, quod adsit legitima causa expulsionis, aliter nouitius habet ius faciendi se retinere in perseuerantia nouitiatum 198 continuando, qui non discontinuatur quamuis de facto reiiceretur, neque enim impedimentum præstat, quod de iure effectum non sortitur, regula 52. in 6. & non entis nullæ sunt passiones, & proprietates, ex vulgaris iuribus, & quod nullum est, nullum potest producere effectum. l. 4. §. *Condemnatum ff. de sent. & re iud. capit. Illud, de surrepat.* neque illicita causa potest effectum licitum producere. l. 2. *C. de acquir. profess. l. Quadam mulier ff. de rei vend.* Quare cum repulsio iniusta sit, & consequenter spectetur ac si facta non fuisset, nouitius reuocatus ius habet ad continuandum suum nouitiatum. 199 Secundum est, quod nouitius expellatur iuxta ordinis statuta, aut illis deficientibus, à superiore locali cum consensu maioris partis suæ familiæ, & de licentia sui superioris, ex probatis supra hic sub n. 13. aliter facta expulsio vitiosa est non valens infringere nouitiatum, ob allatas rationes. 200 Tertium est, quod monasterio exierit iuste, & legitime expulsus, ita quod exitus sit permanens per aliquod temporis spatium, nam aliter non dicitur exiisse, & probatur, quia factum non dicitur quod parum durat, cap. Nam & ego 3. de *verb. signif. capit. Diuortiorum 21. de pœnit.* quia durans parum non videtur fuisse, parum enim & nihilum comparantur. *Arist. 2. Phys. T. 56 capit. Licet tam 9. de probat.* Et in hoc casu qui per vnum, vel alterum diem abfuit censetur parum abfuisse, consequenter non interrupisse, nouitiatum, eo quod in moralibus res non ita rigorose accipienda est, maxime cum in tam breuissimo tempore non censeantur eius mores mutari, quin nouitiatus continuari possit, & præterea licet causam dederit, non tamen eius voluntas fuerit nouitiatum frangendi. Quare sustineri potest eius regressus cum nouitiatus continuatione, quamquã alioquin denuo recipiendus non esset, si enim iudicatus fuit ineptus ad statum regularem, qua ratione tam breui tempore effectus est ad eumdem statum aptus?

201 Difficultas præcipua in his duobus prædictis casibus consistit, an statim ac quis exiuit siue sponte, siue expulsus, nouitiatum interruperit? In hoc secundo casu iam patet, permanentiam expulsiuam vnius, vel alterius diei non frangere nouitiatum, restat ergo difficultas soluenda circa priorem casum, in quo *Suar. tom. 3. citato lib. 5. cap. 15. numero 6. aperte asserit,* recedentem, habitu abiecto cum animo non amplius redeundi, sed deserendi statum regularem, statim nouitiatum rumpere, ita quod si velit redire, debeat de nouo recipi; & nouum incipere nouitiatum, si tamen monasterio egressus sit, quamuis pœnitentia ductus, eodem die reuertatur, & probat; Tum quia priorem statum amisit, Tum quia sicut posterior receptio distincta est à priore, ita & nouitiatus incipit esse distinctus à priore. Tum quia exitus eo animo non amplius redeundi sufficienter disrumpit perseuerantiam, & constantiam, propter quam continuitas in probatione postulatur. Sequuntur *Suar. Vecchius disputatione 12. dub. 3. numero 7. Faustus libro 5. quæstione 164. & alius, quos citat Diana part. 5. resolutione 19. de paruit. mater. Peyrin. de Prælato quæstione 3. capitulo 1. §. 4. numer. 100. Tambur. tom 2. disputatione 6. quæstione 7. numero 10. Sanch. lib. 5. capit. 4. numer. 32.* qui citat Lapum asserentem interpolari spatio quatuor horarum, *Nau. cons. 33. de regul.* non interrumpi nouitiatum si breui tempore occultus maneat in camera monasterij, etiam animo

fugiendi, probat Sanchez, quia tempus petitum ad aliquem actum censetur peti tamquam forma, ex iuribus ab eo citatis, Cum vero Tridentinum petat annum continuum ad valorem professionis, medius defectus continuationis initiabit nouitiatum, vt enim dicatur continuus debent eædem qualitates in re continuata manere, at in hoc euentu non manent, quia dimittitur nouitiatus, & obedientia, ergo omnino interrumpitur nouitiatus per quamlibet temporis breuitatem. Quibus tamen non obstantibus.

202 Dico, non statim ac quis habitu deposito exiuit animo non amplius redeundi, sed deserendi religionem, interrumpere nouitiatum, sed requiri aliquod temporis spatium consummatum. Probatur, Tum quia cum agatur de re morali, cuiusmodi est permansio nouitij in probatione, moraliter etiam intelligenda est huiusmodi continuatio nouitiatus, ita quod non discontinuetur per quamlibet interruptionem quam-

203 tumuis breuem. Tum quia continuatio tempore dicitur aliquid fieri, quamuis agens per aliquot dies quiescat, & desistat ab incepto, *glos. Continuatu cap. Quamuis de off. ord. in 6.* Tum quia clericus secularis dicitur iugiter, & continue ferre vestem clericalem, licet quandoque illam dimittat, nec per hoc perdit priuilegium fori, *Quaranta v. Habitus clericalis in Additione*, ex eo quod verba isto modo sunt intelligenda, *l. Si cui ff. de seruit. & Doctor. in Proœmio Decretal. & Sexti.* Tum quia, qui aliquantisper abest, non videtur abesse, ex veterum canonum sententia, quam Tridentinum sess. 23. cap. 1. refert in materia Residentiæ, quæ non dicitur interrumpi per absentiam alicuius temporis, qua Parochus magis tenetur, quam nouitius residere, seu permanere in nouitiatu, ergo si absentia Parochi non interrumpit residentiam, neque eximus nouitij nouitiatum infringit. Demum recessisse non censetur ille, qui breui reuersus fuit, *cap. Diuortium 21. dist. 1. de Pœnit. l. Quidquid 49. de regul. iur.* Hanc sequuntur *Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 7.* asserens paucorum dierum interpellationem non interrumpere, *Azor. & Nau. aiunt teste Nald. v.* Nouitius interrumpi per absentiam trium dierum. *Sorbus v. Nouitius, §. Secundo est, Lezich. in suo thesauro tit. de regul. §. 9. quos citat Barbosa ad cap. 15. sess. 25. num. 36.* asserentes interrumpi per absentiam trium, aut quatuor dierum, *Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 11. num. 18. afferendo ex Barbosa* S. C. censuisse, nouitium S. Francisci de Paula, qui spatio viginti quatuor horarum permansit extra monasterium, non interrupisse nouitiatum *Lezana tom. 1. cap. 2. num. 11.* ait discontinuari per notabile tempus, faciunt ad rem, quæ dixi supra, hic sub q. 5. à num. 60.

Sed quid concludendum in hac temporis determinatione, an vnus dies, an duo, an tres, quatuor, vel quinque requirantur ad interruptionem nouitiatus; Ego in

204 meo Tract. de profess. regul. sustinui absentiam etiam quinque dierum non interrumpere nouitiatum, quia hoc tempus reputatur modicum, & breue per l. Et si post ff. si quis caut. Hoc enim tempus sufficit, vt religio præsumere possit nouitium adhuc esse eius conditionis, & morum, ita vt non egeat noua exploratione vnius anni, ad videndum, an aptus sit ad statum professorum.

Numquid nouitium pœnitentia ductum reuertentem

205 aliquo humano fauore religio teneatur recipere? Non tenetur in neutro casu, siue libere discesserit, siue expulsus fuerit, cum subsistat adhuc causa, quo expulsus fuit, vel factum proprium, quo sibi præiudicauit, non obstante pœnitentia facti. Potest ergo iterum illum recipere, quia consulit bono spirituali proximi, videat tamen bene, ne religio seipsam inficiat.

Differentia autem inter tempus diuersum, quo absentia duorum dierum non interrumpitur nouitiatus expulsi, quinque vero eius, qui sponte recessit, hæc esse potest congruentia, sumus enim in moralibus, nam magis compatiendum est illi, qui sponte discessit, quam illi, qui expulsus fuit, nam sponte recedens non consuluit, sed potius inconsiderate discessit, vnde videtur magis diabolicis illusionibus illectus, quam ex malitia propria excæcatus; expulsus vero ex sua culpa, & dolo causam dedit, & eiectio magno consilio totius monasterij adhibito peracta fuit, quare cum eiectio mature, & deliberate facta fuerit breuiori tempore potuit interrumpere nouitiatum, quam exitus sponte recedentis sine consilio, & deliberatione, & ideo magis est compatiendus si redeat.

Si nouitius absit etiam per plures dies, etiam per mensem, modo infra illud præfixum tempus comparuerit per se, vel per alium procurando iterum recipi ad nouitiatum, ideo non interrumpitur nouitiatus, quia illud ius continuandi nouitiatum, quod habet intra illos dies, non extinguitur postea, sed virtualiter perseuerat in illa comparitione, & tractatu de redeundo, quamuis interim maneat extra monasterium in domo consanguineorum, aut aliorum bonæ famæ.

Respondendum modo est ad obiecta Suarez, & aliorum sub numero 201. Ad primum de statu amisso, 206 id verum esse materialiter, non vero formaliter, & moraliter, & si alium adiecit, non tamen iura probationis perdidit, quia quando quis redit ad eumdem statum recuperat idem ius, quod ante habebat, glos. v. Recepturi capitulo 13. 16. q. 3. neque enim nouitius per recessum siue spontaneum, seu coactum, omnibus renunciat, immo per coactum nulli suo iuri renuntiat, per spontaneum solum censetur renuntiare statui, non vero probationi, est enim renuntiatio stricti iuris minus lædens renuntiantem, quam fieri possit *Calderus consilio quinto de præbendis in fine, Decisione, consilio 419. numero nono, Rota volumine secundo, decisione 142. Mar. Anton. libro primo, resolutione 108. numero decimo octauo*, & recessus spontaneus potius est illicitus, quam licitus, & cum sit renuntiatio illicita non præiudicat, *Glos. v. Aduocati capitulo primo, decimo septimo, quæstione secunda*, Ad secundum dico ex noua receptione nouitij regressi non infertur nouus, & distinctus nouitiatus à priori, sed prioris solummodo continuatio, eo quod illa receptio non est simpliciter in ordine ad ingressum, sed tantum in ordine ad continuationem nouitiatus. Ad tertium exitus nouitius moraliter non rumpit continuitatem nouitiatus, licet interrumpat exercitium perseuerantiæ, & constantiæ, neque enim nouitius semper actu experiri habet statum religiosum, sed debito tempore, & statutis horis. Et ex his patet etiam ad rationes aliorum per ingressum à nouitiatu moraliter manere easdem qualitates, quia illud breue tempus operatur ac si nouitius non discessisset, consequenter censetur non abfuisse, sed continuo mansisse in probatione.

Sed à quibus recipiendus est nouitius reuersus ad prosequendum nouitiatum, quando intra breue tem- 207 pus regreditur? Ab ijsdem, à quibus expulsus fuit, quia res per quas causas nascitur per easdem dissoluitur; & si sponte discessit recipiendus est denuo à toto conuentu cum licentia prælati maioris, iuxta dicta hic sub *num. 11. 13. & 60.* proportionaliter. Quod si per longum tempus mansit extra, si petat admitti, 208 qui tamen non esset recipiendus ob eius instabilitatem, indiget nouis informationibus, quia in seculo potuit commisisse crimina, & debita contraxisse, & præterea nouo nouitiatu, quia per longum temporis interuallum mores multum diuersificantur *l. Si non sortem §. Libertas ff. de cond. indeb.*

Remanet alia difficultas super continuatione nouitiatus, an interrumpatur à nouitio manente extra locum nouitiatus, siue in monasterio eodem simul cum professis, vel extra omnino apud consanguineos, vel quoscumque alios, semper tamen de licentia superioris?

Respond. Nouitium commorando cum professis non 209 interrumpere nouitiatum, quia hoc modo probatur, &

probat,

probat, & euidentiori modo experitur mores aliorum, & professi eius mores melius vident; nec obstat designatio peculiaris loci, quia hæc comprehendit, simpliciter monasterium deputatum in specie. Docui cap.4. de nouitiatu q.19.

210 Manens extra monasterium de licentia superioris ex.gr. ad quærendum eleemosinas, ad peregrinandum, ad recuperandam sanitatem, ad negotium tractandum, ad inuisendum parentes, vel quid simile, non discontinuat probationem, & quia per illam licentiam dicitur esse adhuc sub obedientia sui superioris; & quia qui est extra de licentia sui superioris reputatur ac si esset continue intra claustra. Docui ibidem quæst.14. stante

211 etiam decreto de loco deputato, in quo faciendus est nouitiatus, decreta enim, & leges rationabiles recipiunt interpretationes, neque intendunt damnare doctorum opiniones, nisi expresse illas reprobent. Ita præter ibi citatos tenet Lezana *tom.1.cap.x n.11. Peyrin. de Prælato q.3.cap.1.num.*101.§.4.quamplures numerans. Item non interrumpitur nouitiatus, quando occasione alicuius capituli transmittuntur nouitij ad alium conuentum licet non deputatum, si enim illum non discontinuant manendo extra apud seculares ex dictis, multo

212 minus in alio conuentu. Quæ procedunt licet licentia non sit ita legitima, sed aliquo modo illicita, hoc est, non ita necessaria ex conditione causæ, docui ibidem *cap.4. q.*14. *§.Licentia, Tamb. tom.3. disp.6.q.7.num.*17. ibidem ante, docui pariter in religione nostra Priorem loci cum consensu sui conuentus posse dare hanc licentiam exeundi, intellige per aliquod breue tempus, nam per notabile tempus trium, aut quatuor mensium in aliquo graui negotio necessaria esset licentia Prouincialis, facit Compend.*ref.*101.*n.*43.

213 Peyrin. supracitatos, quem sequitur *Tam.tom.3.disp.6. q.7.num.*16.dubitat circa hanc absentiam à loco nouitiatus de licentia superioris, quando est notabilis, & ad longum tempus, de mente *Rotæ apud Farin. part.1. decis.* 175.*& Gratiam ab eo citati*, asserentium in praxi non esse tutum nouitio manere extra de licentia superioris, quia continuitas anni probationis est de forma, quod per æquiualens suppleri non potest ex vulgatis iuribus, & istis videtur ipse adhærere, dum concludit licentiam esse temperandam ad breue tempus aliquorum dierum, non mensium: Sed dic tu si forma per æquipollens suppleri non potest, ergo nullo modo, consequenter neque per breue tempus. Quoniam autem continuitas temporis à iure, & deputatio loci ex Decreto Clementis VIII.de per se non spectantur, sed in ordine ad effectum validæ professionis, quam obseruatio huiusmodi formæ inducit, ideo per æquiualens datæ licen-

214 tiæ bene continuatur nouitiatus extra locum, quia suppleri forma potest per æquipollens, quando lex, seu statutum formam inducens considerat effectum, *Decius in cap.de appellat.num.5.Cephal.lib.1.consil.35.n.46.Menoch. consil.* 131. *num.* 15. *cum Barbosa Axiom.* 100. *num.* 5. Deinde forma per æquiualens, non potest impleri, quando tertio præiudicat, vnde si illi non præiudicat de eius licentia suppleri potest. Concludo igitur absentiam trium, aut quatuor mensium non vitiare nouitiatum, quando huiusmodi tempus est omnino necessarium in persona nouitij ad terminandum suum negotium, aut ad recuperandam sanitatem, id enim tempus iustificatur per vrgentiam causæ, cum non sit maior ratio initij, quam medij, & finis eiusdem causæ legitimantis absentiam.

215 Tertius casus, in quo nouitiatus est nullus, est quando fit sine veste religiosa, cum habitu enim religionis vnusquisque nouitius probandus est, vt expresse dicitur tam iure antiquo *cap. Super eo q. cap. Ex parte* 12. *de regul.& cap.1.eod.in* 6. quam iure nouo Tridentini *c.*15. *sess.*25.quorum textuum verba retuli supra sub *num.*188. Ratio est, quia licet habitus non faciat Monachum, *cap. Porrectum* 13.*eod.*facit tamen nouitium, quia gestatio habitus religiosi est quædam asperitas, quam probare debet nouitius, *Glos.fin.in c. Super eo. Ita Doctoribus citatis docui cap.4.q.17.Sanch lib.5.cap.4.num.29.Mirand. tom.1.q.22.art.6.Peyrin.de Prælato q.3. cap.1.§.4.n* 103. *Lezana tom.1.cap.2.num.*11. *Compend.resol.*101.*num.*43. *Tambur.tom.3.disp.6.q.7.n.*20.*& q.*11. *& fusius q.*8.*n.*11. asserentes habitus religiosi gestationem esse de essentia, & substantia nouitiatus. Quare apud quasdam religiones nouitiis non sunt computandi pro anno nouitiatus aliquot dies, seu menses, quibus à seculo venientes retinentur in loco nouitiatus cum propriis vestibus ad explorandum, an eorum voluntas erga statum religiosum sit firma, & stabilis, ne si ex inconstantia postmodum velint exire, & non remanere, tantus pudor eosdem intercipiat in egressu cum propria veste, quam antea non cauerant, ita quod Fratres pœnitentes nominati minimè possunt.

216 Quartus casus nullitatis nouitiatus est, quando fit extra monasterium à sede Apostolica deputatum pro nouitiatu, & hoc constat ex duobus decretis Clem. VIII. quæ habentur inserta in eius constitutionibus de Regularibus, in quibus receptiones quaslibet nouitiorum irritat, & nullas esse vult ad quemcumque effectum, consequenter etiam in ordine ad nouitiatum, & probationem, quæ postmodum Vrbanus VIII. in Breui incip. *Religiosos viros,* confirmauit, & amplius declarauit. De hac autem re fusius egi resol. 8. per totam, vbi illud Breue extendi sub num. 21. Prædicta decreta Clementis referunt multi, præsertim *Vecch. disp.* 21. *post dub.* 7. *Lucerna Regularium v. Nouitij num.* 18. *Nald. v. Religiosus, Tamb.t.3. disp.* 6.*q.*4.*& q.*7. prædictum Breue, Franciscus Miccnus in suo propugnaculo contra Castellum, & Me, cui respondi in supradicta Resolut.8. sub num.52. Factus autem de licentia extra monasterium ex causa per aliquot tempus intermedium non vitiatur, non obstantibus prædictis decretis de loci deputatione, vt probaui supra sub n. 210.ad 215. Confirma, quia loci deputatio designat quidem monasterium speciale cum exclusione aliorum non designatorum à sede apostolica, non tamen per hoc prohibet, quin ex causa, & de licentia continuari possit extra, cum intentio Papæ fuerit solum designare monasteria meliora quo ad modum viuendi iuxta reformationem instituti, & constitutiones cuiuslibet ordinis, nihil præterea determinando, nec prohibendo fieri posse incidenter per aliquod tempus extra locum deputatum, modo ibi peragatur per maiorem anni partem.

217 An vero necessarium sit, vt absentia huiusmodi intermediet tantum, & non incipiat, vel desinat extra? Dico cum monasterium designatum sit de substantia nouitiatus, necesse omnino est, vt ibidem initium detur probationi, aliter res inciperet esse sine suis requisitis substantialibus, quod est impossibile; non tamen iudicarem vitiosum nouitiatus finem terminarà extra in alio conuentu non designato, vbi vellet nouitius profiteri, tunc enim cum extra locum deputatum sit cum licentia reputatur ac si esset in loco designato, & sufficit si res ab initio habuit esse cum omnibus suis requisitis formaliter acceptis, quæ postmodum virtualiter perseuerare dicuntur iuxta conditionem rei moralis.

218 Dubitatur præterea, an nouitiatus vitietur, si receptio habitus, & professionis fiat extra conuentum designatum in alio conuentu carente tali designatione? *Dixi cap.4.quæst.24.& resol 8.num.19.& 50. in Apposit.* & initio huius resol. non vitiari, sed vtrumque fieri posse in alio conuentu non designato, dummodo nouitius per annum continuum in probatione manserit in conuentu deputato, vt enim clarum est hæc tria distinguuntur, receptio habitus, probatio nouitij, & eiusdem professio, receptio enim, & professio extrema sunt extrinseca respectu nouitiatus. Vide in locis citatis, vbi multis probaui, & obiectis respondi.

219 Quintus casus in quo nouitiatus non tenet est, quan-

do nouitius ingreditur nouitiatum sine licentia eorum ad quos spectat, tanquam enim intrusus non debet gaudere priuilegio nouitiatus, vt probaui *cap.4. q.6. & q.20.* se enim habet tanquam intrusus, & inualide receptus, *Ita Tamb. tom.3. disp.6. q.7. num.15. cum Peyrin. de Prelato q.3. cap.1. num.23. docent cum Rodr. tom.3. q.17. art.1a* qui subdunt per ratificationem faciendam ab illis, ad quos spectat incipere tunc nouitiatum valere. Et quare non potest retrotrahi ad primam habitus receptionem? sicut enim professio quoad aliquos effectus retroceditur, ita & maiori ratione nouitiatus, cum tale sit efficaciæ, & virtutis experimentum factum sine legitima introductione, quale sine dubiu fuisset, si nouitius ab initio legitime introductus fuisset, non enim ab his extrinsecis dependet experimenti valor, & virtus, neque nouitius fit melior, vel peior. Hanc autem ratificationem facere spectat ad eos, ad quos spectabat receptio prima, vt de se patet. In mea autem religione spectat ad superiorem localem cum consensu sui conuentus ex cap.8. Regulæ, iuxta Regulas Nicolai IV. & Leonis X. requiritur etiam facultas superioris saltem prouincialis. Faciunt quæ dixi supra hic *num.78. & 79. & resol.29. q.2.*

220 Sextus casus vitians nouitiatum est defectus informationum recipiendarum de volente ingredi religionem ex Constitut. *Cum de omnibus.* Sixti V. nam receptio, & admissio ad habitum sine præuiis informationibus, & contra formam suæ constitutionis annullatur, & irritatur ibidem expresse, & criminosos, debitis, & ratiociniis obnoxios perpetuo fecit inhabiles ad religionis ingressum. Prædicta autem procedunt de maioribus sexdecim annis, non autem de minoribus ea ætate, vt expresse dicitur in ea Bulla, & docui *cap.2. de profess. regul. q.62.* & supra hic *num.80.* Et pariter de illis, quorum vita, & conuersatio est ignota regularibus supra *num.87.* vbi probaui non esse necessarias informationes pro notis, qui conuersantur apud Religiosos. Postmodum idem Sixtus, & alij indulserunt pro religionibus, in quibus practicatur Filiatio, vt dictæ informationes recipi possent infra annum probationis, vt dixi supra sub *num.125.* & exemplum ad hoc adducit Portel. *par.2. casu 7. & in summa v. Nouitij informationes*, dicit omnes religiones hodie induere nouitios, & postmodum infra annum nouitiatus recipere informationes, quibusdam tamen præmissis, quæ apud illum vide. Sed quoniam Clem. VIII. in Constit. *In Suprema Ecclesiæ*, quam ad verbum refert Vecch. *disp.2. dub.12.* professio-

221 nes quotumcumque contra tenorem prædictæ Bullæ Sixti V. receptas noluit amplius esse irritas, sed valere, ac si quoad hunc effectum nunquam illa emanasset, dici potest, nostra hac tempestate hunc casum de nullitate nouitiatus non amplius subsistere, & sine dubio aliter non præiudicare professioni emissæ, præmisso nouitiatu sine vllis informationibus iuxta formam Constitut. Sixti V.

222 Septimus casus vitians nouitiatum est amentia, si enim amens formaliter recipiatur inualide peragit nouitiatum, si vero sanæ mentis recipiatur postmodum demens fiat per lucida interualla tenet nouitiatus modo per notabile tempus non euanescat. Sed de hac re satis dixi supra hic à num. 26. ad 32.

223 Octauus casus vitians nouitiatum est fere continua infirmitas, qua cogitur per totum probationis annum comedere carnes in religione Minimorum, & Cartusianorum, in quibus ex instituto, seu voto non comeduntur carnes, abstinentia enim à carnibus est inter alias asperitates harum religionum potissima, quam propter infirmitatem non potuit nouitius experiri, consequenter eius nouitiatus perfectus non fuit, sed vitiosus, vt probaui in meo *Tractatu de profess. regul. cap. 4. q. 40.*

224 Alij casus hactenus mihi non occurrerunt, ideo hæc sufficiant. Itaque nouitiatus vitiatur octo modis. I. defectu ætatis supra sub num. 183. II. defectu integritatis supra num. 184. III. defectu continuitatis supra num. 188. IV. defectu loci deputati sub num. 216. V. defectu legitimi ingressus sine licentia sub num. 219. VI. defectu informationum, sed non habet iste locum amplius sub num. 220. VII. defectu vsus rationis. supra num. 222. VIII. defectu sanitatis supra sub num. 223.

Quæres 69. Bellicum exiit edictum, vt omnes aduenæ talis nationis inimicæ exirent è ciuitate, vnde in eius executionem singulariter admoniti fuerunt superiores regulares, vt quamprimum remouerint à suis conuentibus religiosos huius generis aduenas, inter quos nonnulli erant nouitij, qui à superiore cum literis patentibus de recessu, vita, & moribus, atque legitime peracto nouitiatu remissi fuerunt ad proprios conuentus suæ filiationis, & ibidem finito reliquo probationis anno, professionem emiserunt; Quæres iuquam, an residuum nouitiatus peracti in conuentibus propriis non deputatis pro nouitiatu fuerit legitimum sufficiens ad valide profitendum? Videtur quod non ex duplici capite, primo defectu continuitatis, secundo defectu loci non deputati, vt ex præmissis in præcedentibus sufficienter colligi potest.

225 Respond. Nouitiatus ille prosequutus ex necessitate in secundo conuentu non deputato, cum licentia superioris, vrgente illo edicto, qualecumque illud sit, potius violentum, quam rationabile, fuit legitimus sufficiens ad valide profitendum. Suadetur. Tum quia nouitiatus non discontinuatur, quando de licentia superioris legitima fit extra locum deputatum, etiam extra quemlibet conuentum in domo consanguineorum, aut amicorum, ex probatis supra num. 210. ergo à fortiori quando fit in alio conuentu sub eadem disciplina, qua erat in conuentu deputato, cum adhuc probet asperitates in eo loco non deputato, easdem, quas experiebatur in conuentu deputato, asperitates enim eædem sunt in omnibus conuentibus, in quibus eadem seruatur regula, à quibus austeritates, & obseruantiæ dependent. Tum quia impossibile est prosequi nouitiatum in illo loco, vt constat, vrget enim principis iussum, & valde periculosum est, vel saltem multum incommodi transmittere nouitium ad alium conuentum deputatum, propter incursiones hostium, & locorum distantiam, ergo cum casus effectus sit impossibilis de loco deputato, sequitur residuum nouitiatus reputari factum in loco designato per æquiualentiam, eo quod nouitius transmittitur de legitima licentia superioris ad alium conuentum, in quo viget disciplina regularis, & nouitius eodem modo est subiectus, ac erat in priori conuentu designato. Nec

226 obstat locum deputatum esse de forma, & substantia nouitiatus, aliter actum irritari, & vitiari videretur, quia defectu formæ actus non vitiatur, quando necessitas aliqua impedit formam adimpleri, *Tiraque ad gle. connub. glos. num. 34. Paris. consil. 33. numer. 29. & 30. Roland. consil. 81. numer. 25. 26. 40. 52. & 82. quos cum aliis citat Barbosa Axiom. 100. num. 9. & facit superius dictum.*

Quæres 70. An ex nullitate nouitiatus in præcedentibus casibus resolutis sub q. 68. sequatur nulla professio?

227 Respond. Sequitur nulla professio iuxta inferius dicenda respectu cuiuslibet casus.

Primi casus, defectus ætatis ad nouitiatum requisitæ, quæ est ætas post decimum quartum annum expletum, ex probatis supra sub num. 183. vitiat, & irritat professionem, quia nouitiatus factus ante decimum quintum annum reputatur, ac si nullo modo esset factus; professio autem emissa nouitiatu non præmisso est nulla ex sess. 25. cap. 15. de communi omnium doctorum, quos citat *Barbosa ad hoc cap. 18. Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 25. Peyrin. de Prelato q. 3. cap. 1. §. 2. num. 40.*

Secundi, defectus integritatis nouitiatus iuxta superius dicta *num. 184.* irritat attentatam professionem ex

eodem

eodem Tridentino requirentis, vt per annum nouitius permanserit in probatione, alias ibidem sequens professio irritatur, quamuis alias iure antiquo professio tenebat emissa nondum finito probationis anno. Ita doctores omnes apud *Sanchez lib. 5. cap. 4. num.8. Tambur. tom.3. disp.6. q.11. num.2. doctores mox citati à Barbosa supra.*

Tertij, defectus continuationis annullat professionem ex eodem Tridentino iuxta superius dicta sub n.188. *Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 31. Tambur. tom.3. disp. 6.q. 11. num. 15. Peyrin. de Prælato q.3. cap. 1.§. 4. ad num. 100. Barbosa ad dictum cap. num.30.*

Quarti, defectus monasterij designati professionem irritat, vt supra hic patet sub num. 216. Ita ex decretis Clementis VIII. quos refert *Tambur tom.3. disp.6.q. 4. & ex Breui Vrbani VIII. apud eundem q.7. & ego pluribus c.3. de admitt. ad profess. sub q.37. c.4. q.21. & res.8. de egressis. & reuersis ad religionem.*

Quinti, defectus legitimi ingressus in nouitiatum irritat professionem, ex supra sub num.219. probatis.

Sexti, casus defectus informationum non amplius irritat professionem ex dispositione Constitutionis Clem. VIII. vt supra dixi sub n. 221.

Septimi, casus defectus vsus rationis vitiat professionem ex supra probatis sub n.222.

Demum patet de laborante continuo morbo, quo nouiti s fuit coactus comedere carnes in religionibus Carthusiensium, & Minimorum, hunc non posse valide profiteri, eo quod vere nouitiatum non peregit, consequenter neque potest valide emittere professionem, cum non probarit præcipuas illorum ordinum asperitates.

Quæres 71. An nouitiatus interrumpatur, quando receptus pro clerico transit ad statum laicorum? vel è contra, quando conuersus transit ad statum clericalem? Aduerte autem, quod qui ad conuersorum habitum recepti fuerunt ad clericorum statum transire non possunt, etiam durante tempore probationis, vt dicitur expresse in Instit. Nouit.§. Tempore vero, Clem. VIII. de transitu vero clericorum ad statum laicalem, & conuersorum nihil dicitur; vnde Papa non videtur hunc prohibere transitum, negatio enim vnius est alterius inclusio ex cap. Non ne, de præsumpt. & concessum censetur, quod non est expresse prohibitum, cap. Sunt nonnulli 25. 16.q. 1. cap. Iam nunc 7. 18. q. 1. ibi: *Hoc non vetat Dominus.* Conuerso igitur volenti transire ad statum clericalem necessarium est Rescriptum apostolicum.

228

229

230 Respond. Permixtus nouitiatus ex vtroque statu non interrumpitur, quia adhuc manet cum eadem disciplina sub regulari superiore, & fere communes sunt austeritates pro vtroque statu, nisi faciamus aliquam difficultatem respectu clerici transeuntis ad statum conuersorum, in quo nondum est expertus austeritatem, & laborem, atque verecundiam in quæritando eleemosinas iuxta illud Euangelicum. *Mendicare erubesco.* Sed cum sciat transiens illum statum habere adnexum illud mendicandi officium eam asperitatem sufficienter experiri potest antequam profiteatur, imo sufficit illius habere cognitionem speculatiuam. Neque enim nouitius omnes asperitates in specie experiri tenetur, *vt docent Rodr. tom.3. q.15. art.10. Suar. tom. 3. de relig. lib 5 cap. 14. num.15. Sanch. lib. 5. cap.4. num.52. Faustus in Thesauro. lib.5. q. 249. n. 3. Peyrin. de Prælato q.3. cap.1. num.66. quos profecitat Tambur. tom.3. disp. 6. q.17. num.8.* de non probandis omnibus asperitatibus, qui refert secundum ex dictis casibus; & num.9. ex Peyrino habentem rescriptum transeundi ad statum clericalem cum simili clausula. *Attento quod ad id idoneus reperitur*, non indigere consensum conuentus ad profitendum, vtique vero si desit clausula. Sed aliud est nouitium conuersum esse idoneum ad statum clericalem, aliud idoneum ad professionem, potest enim esse, quod nouitius clericus ad hunc sta-

231

tum sit idoneus, non autem ad profitendum, multi enim excluduntur à professione, quibus propter hoc non negatur idoneitas ad statum clericalem, sunt enim capaces ordinis, qui ante professionem dimittuntur, cap. Postulasti 21. de Regul. Quod idem dico licet nouitiatum perfecisset, & haberet rescriptum, per quod habilitatus fuisset ad statum clericalem, nam adhuc aliud est habilitatio, aliud acceptatio ad profitendum, vt ex prædictis constat. Confirmatur, quia rescriptum præsumitur concessum iuxta ius commune Glos. v. Fecerint mentionem cap. Nonnulli 28. de. rescr. Papponius consil. 10. num. 8. cui debet esse conforme ex allegatis à *Modio lib.2. §. Principum placita dub.115. num. 2. atque stricte interpretandum est, ex cap. Petro, de off. deleg. Glos. v. Largissime cap. Olim. 16. de verb. signif. Grilen. concil. 91. num.8.* sufficit ergo si rescriptum operetur transitum à statu conuersorum ad statum clericorum, & non vltra se extendat excludendo admissionem ad professionem ex parte conuentus, & superioris iuxta exigentiam iuris communis.

232

Quæres 72. An querelatus de adulterio, de delatione armorum, &c. tam in curia laicali, quam episcopali possit recipi ad religionem, non obstante Bulla Sixti V. & constitutionibus Clementis VIII. de nouitiis?

233 Respond. Non obstat Bulla Sixti V. vt colligi potest ex illis verbis. *Aliquorum criminum, qualia sunt homicidia, furta, latrocinia, vel alia similia, aut grauiora reos, vel suspectos existere.* Sed delatio armorum non est grauius crimen, neque simile prænarratis, quæ ex se talia sunt, & intrinsece, delatio autem armorum ideo crimen est, quia prohibitum, alias actio est indifferens, vnde neque meretur nomen criminis in sensu quo accipitur in iure pro eo, quod ab omnibus accusari potest; & de hoc crimine non dubito, illud non non comprehendi sub Bulla Sixti V. maior videtur esse difficultas de adulterio, stupro, & sodomia, hoc postremum esse crimen grauissimum certum est, consequenter includi in præcitata Bulla; non autem reliqua duo, quia recensentur inter minora delicta apud seculares, cap. At si clerici 4. §. de adulteriis, de iudic. licet apud ecclesiasticos sint grauia, sed quoniam clerici depositi propter adulterium detrudendi sunt in monasteria ad agendum ibidem perpetuo pœnitentiam cap. Si quis clericus dist. 81. ideo exclusi sunt à Bulla Sixti V. Quidquid dicat Portel. v. Nouitius num.15. Nota tamen, quod isti non sunt recipiendi, nisi prius parti satisfecerint, vt postmodum cum debitis requisitis & affectu maiori deuotionis possint religionem intrare. Si tamen superiores illos de facto recipiant, nullas incurrunt de iure pœnas.

234

Quæres 73. An nouitij sint exempti ab Episcopis sicuti professi qui illis non subduntur?

235 Respond. Nouitij sunt exempti à iurisdictione Episcopi, ac si essent professi, quia per receptionem habitus, & mutationem domicilij effecti sunt de foro, & iurisdictione prælatorum regularium, vt probaui supra num. 109. & resol. 7. num. 116. doctoribus citatis.

Quæres 74. A quibusnam acceptandus sit nouitius, quando nouitiatum diuidit, à primo ne conuentu, an à secundo ad quem transit?

236 Respond. Si in primo conuentu fuit per notabile tempus, vt per duos, aut tres menses debet secum transferre literas testimoniales de anteacta vita in primo loco. Si accedat ad secundum in fine anni etiam ibi acceptandus respectiue ad illos paucos menses, per quos mansit in probatione. Si vero finito probationis anno transmittatur ad proprium filiationis conuentum proficiscendus, sufficiunt literæ acceptationis loci, vel locorum in quibus peregit nouitiatum, quibus tantum à superiore facultatem habente admitti potest ad legendam professionem.

Primum de literis testimonialibus prioris conuentus

tus, vbi diu mansit, suadetur, quia acceptatio fit dependenter à iudicio anteactæ vitæ in probatione, cum ergo religiosi secundi conuentus non possint facere illud iudicium pro sua acceptatione, necesse est, quod fiat à priori conuentu transmittenda ad secundum, de qua re tetigi etiam initio huius resolutionis num.8.

Secundum, quod in secundo conuentu acceptandus sit, licet ibidem paucis diebus maneat in probatione, probatur, quia ibidem eius vita mutabilis est, ergo necessarium est iudicium Fratrum secundi conuentus, maxime si ibi profiteatur, quia acceptatio ad professionem est dispositio ad profitendum, ergo vtrumque eiusdem est conuentus, nisi aliud disponatur, quod in vno iudicetur idoneus, & in alio recipiatur ad professionem.

Tertium, quod vbi profitetur anno probationis peracto non requiratur acceptatio conuentus ad quem extra nouitiatum transit, probatur, quia acceptatio spectat ad conuentum nouitiatus, soli enim religiosi in eo loco degentes cognitionem habent de anteacta eius vita, & non illi alterius conuentus, vbi nullum peregit nouitiatum.

An ad validam professionem nouitij, qui nouitiatum peregit in duobus conuentibus, requiratur consensus vtriusque Monasterij, an sufficiat consensus tantum posterioris conuentus? Suppono integritatem nouitiatus, non enim interrumpitur, cum de licentia superioris nouitius transfertur de loco ad locum à Sede Apostolica approbata pro Nouitiatu, vt clarum est. *Portell.v.Nouity annus num.50. ex eo Tamb.tom.3.disp.6. q.11.num 21, Pelliz. tract.2. cap.1.num.28. §.Addit. Ego cap 4.q.15.apud eundem.*

Præmitto in translatione Nouitij à conuentu ad conuentum, duo spectari posse, vnum est, iudicium personæ transferendæ super anteacta vita in priori loco; alterum est tempus, quo in priori conuentu stetit in probatione. Iudicium autem potest esse approbatiuum, vel reprobatiuum, quo nouitius iudicatur vel idoneus ad professionem pro eo tempore, quo mansit in nouitiatu prioris conuentus; vel non idoneus ad professionem, quod posterius contingere potest vel cum effectu excludendo nouitium cum expoliatione habitus remittendo illum ad seculum, in quo casu nulli dubium est, nouitiatum interrumpi, adeo quod si denuo recipiatur in eodem, vel alio conuentu, subsequens nouitiatus coniungi non potest, & hoc modo nouitius dicitur degradatus, & omnino deiectus à priori statu. Vel tantum verbo reprobatus, non spoliatus, non dimissus ad domum antiquam, & verbaliter tantum degradatus, vt ita loquar, & retento habitu ex speciali gratia superiorum translatus ad alium conuentum, at ibidem eius experiatur vera & cognoscatur an in melius sit mutanda, & hoc modo nouitiatus nullatenus interrumpitur, quia non iure, sed tantum loco discontinuatur. Remanet ergo tota difficultas, an vtrinsque conuentus necessarius sit consensus, quando nouitius est tantum verbaliter degradatus? Nam loquendo de simpliciter degradato, constat nouitiatum semifactum in priori conuentu nullatenus coniungi posse iure ordinario cum sequenti nouitiatu, vt dictum fuit, ac proinde frustra quasi de duplici consensu, quandocumque prior pars nouitiatus non subsistit, consensus enim nouitiatum supponit, vt super eo possit ferri iudicium.

Puto multum probabiliter, ad valorem professionis sufficere consensum solummodo posterioris conuentus, duobus concurrentibus, primo quod nouitius translatus, per aliquot menses, duos aut tres in secundo conuentu probetur; secundo, quod non sit simpliciter degradatus, sed tantum verbaliter.

Probatur hoc assertum primo ex *sess.25. cap.16.* illis verbis: *Finito tempore nouitiatus, superiores nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è monasterio eos eiiciant.* Colligitur ex his iudicium habilitatis nouitij faciendum esse, secundum mentem Concilij, in fine scilicet anni nouitiatus, ergo sufficit consensus posterioris conuentus, sicut per hunc textum sufficit iudicium idoneitatis, super quod fundatur consensus conuentus, qui sine iudicio non consentit, nec dissentit In nullum. Confirmatur, quia annus nouitiatus finitur in posteriori conuentu, ergo ab eo accipiendus est consensus, à quo & habetur iudicium.

Secundo Patres secundi conuentus bene & prudenter possunt ferre iudicium de eius habilitate infra illud bimestre, seu trimestre, quia sicut non est necesse quod nouitius toto tempore nouitiatus continuo experiatur omnes austeritates ordinis, & disciplinam regularem quotidie exerceat, secundum *Sanchez lib.5. cap.4.num. 28. & 52.* ita nec opus est Patres toto anno obseruare mores nouitij, vt docui *cap.3. de Profess.regul.quæst.55.* à me citato in his fere terminis *Pellizar. tract.3. cap.5. qu.15.num.22.* in quibus locis dicitur sufficere consensum posterioris conuentus. Et id confirmatur, quia modo Patres prioris conuentus nullum ius habent super hunc nouitium, cum non amplius sit in eodem conuentu illorum, ergo eorum iudicium reprobatiuum modo nullam vim habet, immo præsumitur abiisse in nihilum cum per non degradationem illud prodegerint, adeo quod Patres secundi conuentus pro nihilo illud habere debeantur ex quo sequitur, eorum iudicium, & consensum approbatiuum esse absolutum sine vlla relatione ad præcedens, cum non amplius existat, & rei non existentis nullæ sint qualitates, & passiones. Facit Regula 52. Impedimentum non præstat, quod de iure non sortitur effectum.

Tertio, si nullus est posterior consensus, ex quo nulla sequitur professio, vt nonnulli forsan contendunt oppositum sentientes, maxime ex præcedenti iudicio reprobatiuo nouitij, quod vti dissensus ex diametro opponitur iudicio approbatiuo, & consensui postremo præstito à Vocalibus posterioris conuentus; sed illud non obstat, quia, vt dixi, iam euanuit, ea etiam ratione, quod prior conuentus non degradauit nouitium dimittendo ad seculum, sed permisit illum sine vlla contradictione transire ad secundum Monasterium, in quo quia se bene gessit, Patres non potuerunt non iudicare ipsum, & approbare idoneum ad profitendum, ergo posterior iste consensus à priori inexistente non impeditus proueniens ex legitimo iudicio contractæ laudabiliter vitæ bonus, & validus est iudicandus, aliunde enim qualificandus non est, nec iustificandus, nisi ex bonis moribus, quibus in secundo conuentu religiose vitam duxit reliquo tempore sui nouitiatus, ergo ex hoc capite censendus est validus, ac proinde validam inducere professionem. *Confirmatur*, quia causa limitata producit effectum limitatum, ex vulgatis iuribus, iudicium autem reprobatiuum fuit limitatum vsque ad illos sex menses, quo vixerat vtcumque in nouitiatu, ac proinde vsque ad illud tempus nouitius reprobatus fuit in ordine magis ad vitam religiosam, quam ad professionem proxime faciendam, quia ad eius emissionem distabat per aliud trimestre, adeo quod iudicium facere non poterant de subsequenti trimestre, sed tantum de præterito, cum iudicium fundetur super vita, & moribus iam præteritis, cum de futuris certam notitiam habere non possimus, ergo posterius iudicium regulandum est secundum vitam, quam gessit in posteriore semestri, in quo potissimum in extremis diebus professio futura proxime attenditur, cum enim illius nouitiatus per illud iudicium reprobatiuum non fuerit interruptus, eo quod executionem non habuerit, mediante degradatione, quæ facta non fuit, sed continuatus per legitimam translationem ad secundum monasterium, retinuit aliquale ius vsque ad finem anni, ea enim temporis diuturnitate inspecta, sperari poterat vitæ melior emendatio, prout feliciter successit, & ideo merito iudicium, & consensus validus censendus est ad profitendum.

Quatto

Quarto, asto 15. consensus esset illicitus nobito respectu ad priorem dissensum, quod uegamus, adhuc esset validus, vt multis probaui *resol.57.quæst.26.* & pariter respectu excommunicati etiam vitandi, si quem valide, licet illicite consentiunt iudicantes illum ad professionem idoneum, cum inde professio secuta secundum omnes teneat, vt docui *cap.2. qu.36. & resolut.57.qu.50.num.131.* ergo ex hoc capite illicitatis; consensus suum non perdit valorem; neque ex iudicio reprobatiuo, cum euanuerit, vt dictum fuit. Confirmatur, quia non magis influit in præiudicium professuri illud iudicium reprobatiuum, esto influeret respectu secundi conuentus, quam impotentia ad obseruandam regulam, & statuta quæ valorem professionis non impedit, de communi *Pellizar. tract.3.cap.2.qu.14.n.30.* ergo neque præfatum iudicium reprobatiuum mortificatum, immo extinctum per subsequens approbatiuum, idoneitatis nouitij.

Quinto, contractus semper intelligitur secundum causam præsentem, & tempore quo celebratur, *Bart. & Iason. in l.Quod Seruius 8.ff.de condict. causa data, vnde in l.Non 187. de reg.iur.* dicitur, quod in stipulationibus id tempus inspicimus, quo contrahitur; est autem manifestum, quod professio est de genere contractuum spiritualium, *Nauar.consil.26.de Regular. num.1.* & præmissus consensus sine dubio prouenit ex stipulatione conuentus respondentis, & nouitij interrogantis, an velit illum recipere ad professionem, ergo attendendus est consensus præsens, & non præteritus, qui non pertinet ad præsentem stipulationem, & contractum. Confirmatur, quia sicut in emptione domus spectatur eius melioramentum, dum contrahitur, & non deterioratio, qua præcedenti tempore detinebatur, ita in emptione spirituali, vt ita dicam religiosi futuri non est attendenda mala vita præterita, sed præsens, quam agit tempore, quo professionem emittere debet, sufficit ergo præsens consensus nullo habito respectu ad præteritum dissensum.

Sexto, Christus quando aliquem vocat ad professionem fidei, vel ad conuersionem à peccatis per mutationem malæ vitæ ante actæ ad bonam, & obseruationem mandatorum, per quæ paratur vita ad salutem, si vocatus ab eo consentit, & se disponit ad detestationem suorum peccatorum per emendationem, nouam inchoando vitam, & veterem productam in vitiis delendo, certum est, Christum suum præbere consensum, & conuersum recipere ad professionem fidei, & suam eidem conferre gratiam, quia per inchoationem bonæ vitæ peccator mediante Dei gratia præterita peccata, & mala purgauit; sed secularis in seculo peccator, immo & dum habitum probationis recipiendo per aliquod tempus perseuerat in mala vita, aliquando in peccatum labendo, & diuersos committendo defectus, quibus se reddit indignum, vt recipiatur ad professionem, dicitur conuerti à via seculi mala ad bonam, ex tit. de conuers. coniugat. ergo sicut Christus, non obstante mala vita anteacta infidelem recipit ad fidem, & peccatorem fidelem ad gratiam, quando vitam mutat de mala in bonam, ita & Vocales Christum imitando, eius enim actiones sunt nostra instructio, possunt, & debent consensum præstare in professionem eius nouitij, qui ante actam malam vitam initio nouitiatus mutauit in bonam, hac enim conuersione purgauit eam inhabilitatem, seu potius indignitatem, ex quo illud iudicium reprobatiuum cessauit, & subsecutum fuit legitimum iudicium approbatiuum nouitij ad profitendum. Confirmatur per illud Ioan.6.37. *Et eum, qui venit ad me non eiiciam foras.* Si Christus ad se venientem per inchoationem bonæ vitæ, & obseruationem præceptorum, quamuis alias vitam egerit pessimam, non eiicit foras, sed recipit in suum consortium, & Religionem; qua ratione religiosi volunt eiicere foras nouitium, qui mala vita mutata tandem in bonam petit recipi ad professionem; quod si recipiatur dicendum est, præstitum consensum esse legitimum, & validum.

Demum consensus præstitus fauore indigni, & inde secuta professio valent, ex allegatis à *Pellizar. tract.3. cap.1. num.14. & 15.* vbi de hæreticis, & excommunicatis receptis, quos constat esse indignos ad profitendum, ergo idem dicendum est in casu præsenti. Confirmatur, quia pari modo dicitur indignus exclusus per iudicium reprobatiuum, ac male se gerens in probatione, cum id omne pendeat ex mala vita ante acta, ergo si tenet consensus in vno casu, valet etiam in alio, ea enim reprobatio nihil addit, præter declarationem exclusionis causatæ ex mala vita.

Ex his patet, sufficere solum consensum posterioris conuentus, de quo non est dubitandum, quando prioris conuentus Vocales nullum fecerunt iudicium nec bonum, nec malum de nouitio, in quo casu præsumitur nouitius se bene gessisse, aut saltem non fuisse reprobatum. Difficultas vero, quando fuit reprobatus, hactenus sublata fuit ex prædictis, cum per subsequentem vitam bonam præcedentem malam vitam purgauerit in posteriori conuentu, præterquam quod, satis manifestum est, consensum fauore indigni præstitum esse validum, quamuis illicitum, sufficientem tamen ad valide profitendum.

Dixi per duos menses ad minus, quia consensus iustificari debet per inchoationem bonæ vitæ illo bimestri peragendæ, vt Vocales legitimam habeant causam consentiendi in nouitium. De duobus mensibus dixi Resol.57. num.27. de eo nouitio, qui in fine anni reiicitur, & idem dico de reprobato infra annum probationis, nam inchoatio vitæ religiosæ necessaria est ad iustificandum consensum, & purgandam præcedentem reprobationem, & reiectionem cum ea differentia, quod tempus eius, qui reprobatus fuit in fine anni, additur, vt cognoscatur emendatio nouitij, non vt continuetur nouitiatus, & perficiatur, quia id necessarium est, solum in eo, qui reprobatur infra annum probationis. Mutationem vitæ restrinxi ad duos menses, hoc dico ex meo arbitratu, relinquitur melius arbitrio boni superioris, attenta mala vita nouitij, ratione cuius tempus prorogatur, aut minuitur, vt tandem colligatur, an emendatio vitæ sit vera, an ficta.

Dixi demum, hæc esse intelligenda respectu depositi tantum, non degradati, quia si nouitius intra probationis annum habitu spolietur, & foras mittatur, certum est, nouitiatum manere interruptum, ac proinde esse reiterandum, vt inde sequi possit valida professio.

Quæres 73. An priuilegium viuæ vocis oraculo probandi nouitios laicos extra loca deputata pro nouitiatibus concessum nostro ordini à Paulo V. sublatum sit, per annullationem omnium viuæ vocis oraculorum factam à Gregorio XV. Bulla incip. *Romanus Pontifex.* & illius extensionem per Vrbanum VIII. Bulla incip. *Alias felicis.* quas extendunt Peyrin. tom. 3. priuileg. cap.12 Tambur. tom.1. disp.15. q.7. Præfatum autem priuilegium petitum fuit à Reuer. patre fratre Magistro Antonio de Sillis Bergom. dum erat 237 Generalis his verbis. *Fra. Antonio Silli Generale del Terz. ordine di S. Francesco, humilmente supplica V.S. à concederli, che nelli conuenti, doue stano sei professi, si possa dare l'habito ad vn conuerso, & doue stano dodici, à doi soli, poiche la penuria di seruire li Frati, quelli, che sono deputati al choro necessariamente si distrahono dall'officio loro nelli vili, & bassi esercitij della casa, con manifesto impedimento della sua professione, &c. Petrus Cardinalis Arragonius protector gratiam obtinuit viua vocis oraculo à S S. prout petebatur.* Id totum registratur autentica in Archiuio Sanct. Cosmæ, & Damiani Romæ. De hoc priuilegio supra sub num. 83. & Resol. 26.num. 81. sub nomine consuetudinis, seu priuilegij, quod nondum ad manus meas peruenerat.

Respond. Non fuit sublatum hoc priuilegium, sed 238 adhuc durat; nonobstantibus annullatione viuæ vocis oracu

oraculorum., & nouo Breui Vrbani VIII. super professionibus emissis in loco deputato nouitiatu non præmisso. Primum probatur per ea, quæ stabilius Resol. 31. de viuæ vocis oraculis, vbi resolui, non fuisse sublata illa, quæ pure fauorabilia sunt, & nulli nocent, inter quæ sine dubio connumeratur istud, quod nulli nocet, & multis prodest, tum ipsi nouitio, tum religioni, quæ in singulis conuentibus indiget Fratribus laicis pro exercitiis manualibus.

Secundum, quod non obstet Breue præcitatum, patet ea eo, quod in eo, nulli derogatur priuilegio viuæ vocis oraculo concesso, sed tantum ordinatur, vt loca, in quibus nouitij peragunt annum probationis, superiores curent confirmari, & approbari iuxta decreta Clementis VIII. non vero derogat specialibus concessionibus factis aliquibus peragendi nouitiatum in aliis conuentibus extra deputatos; & clausula amplissima derogatoria ibi expressa præcise refertur ad dispositionem Breuis, vt nimirum inualide professi ea præmisso nouitiatu in loco non deputato minime impediantur, quin possint ratificare professionem, atque gaudere eisdem priuilegiis, & gratiis, ac si ab initio valide professi fuissent.

Quæres 76. An transiens ad secunda vota teneatur integrum nouitiatum peragere?

Caramuel in Regulam D. Benedicti *disp. 45. num. 544. apud Dianam part. 7. tract. 11. resolut.* 25 negat requiri integrum nouitiatum respectu transeuntium ad secundam religionem, quod probat ostendendo, illos comprehendi sub decreto 15. Concilij Tridentini sess. 25. quia in eo capite non exprimuntur, neque subintelligi possunt, eo quod ibi agitur solũ de professione substantiali, non autẽ de accidentali, quæ fit hominib. qualis est illa, quæ fit in secunda religione, Constat, quia ex vi istius Sanctionis, vt omnes explicant, qui ante annum completum profitetur nulla obligatione substantiali obstringitur. Religiosus autem transiens, non potest non obligari ad substantialia, licet illa non voueat, iam enim vouerat in priori religione, vnde aliud est ingredi religionem, aliud illam mutare. Vt quis fiat religiosus debet probare, vtrum possit obedire superioribus, seruare paupertatem, & continentiam, & an possit talia accidentalia præstare, vt sunt ieiunia, clausura, silentium, & alia id genus. Substantialia sunt difficillima, accidentalia minoris sunt difficultatis; in secunda religione probatio non instituitur de re essentiali, sed solum de accidentalibus, ergo nec ex natura rei hæc probatio postulat tantum temporis, quantum requirit Tridentinum. Confirmat in illo capite Tridentini non comprehendi omnes professiones, sed solum quæ fiunt de substantialibus, quando ex seculo transitur ad religionem; potest, quia si omnes professiones comprehenderentur, etiam professiones Militarium, quæ tamen non comprehenduntur, ex declaratione Rotæ 11. Decembris 1570.

Ego oppositum probaui Resolut. 29. q. 17. ex communi doctorum, & ad mentem quoque Tridentini, cuius Decretum comprehendit omnes nouitios claustrales non solum à seculo venientes, sed etiam transeuntes ab vna ad aliam religionem. quod ostendo quia in dicto capite absolute dicitur: *In quacumque religione tam virorum, quam mulierum professio fiat ante annum probationis finitum*, & cum textus non loquatur in personam, quæ professura est, sed in rem ipsius professionis, necessario debet comprehendere omnem professionis speciem, quia amplior est locutio in rem, quam in personam, nam casus reseruatus expressus per rem, e.g. *Homicidium voluntarium*, comprehendit non solum Homicidam, sed etiam mandantem, consulentem, &c. si vero exprimatur per personam hoc modo: *Homicida voluntarius*, ipsum solum complectitur. Graff. lib. 1. de casibus reseru. cap. 4. num. 59. ex illo Floron. cap. 1. de casibus reseru. num. 51. & 52. quare cum Tridentinum loquatur in rem, afficit quemlibet nouitium claustralem etiam transeuntem vt non valeat profiteri valide, nisi post annum probationis completum. Deinde hoc caput Tridentini est correctiuum iuris antiqui cap. Cum ad Apostolicam 16. de Regular. in quo concedebatur, vt de communi consensu religio, & nouitius possent renuntiare anno probationis, quod nunc fieri non potest, prohibitum ex dicto capite; sed in iure antiquo disponitur non solum de nouitiis à seculo venientibus, sed etiam de transeuntibus iam professis in priori religione, vt colligitur ex titulo, qui inscribitur. *De Regularibus & transeuntibus ad religionem*, ergo pari ratione dicendum est Tridentinum loqui de vtrisque nouitiis, sicut antiquum ius correctum per nouum. Confirmatur id, quia transiens in sententia Caramuelis aliquam partem nouitiatus debet peragere, ergo ex illo iure antiquo; sed illud corrigitur per nouum, vt omnes concedunt, ergo non est maior ratio cur corrigatur respectu nouitiorum, & non respectu transeuntium. Præterea illius argumentis respondetur, ex quibus magis confirmantur prælibata contra ipsum, nam *Primo* non est necesse, quod ibi exprimantur nouitij transeuntes, cum neque exprimantur primo venientes, maxime, cum vt dictum fuit, Tridentinum loquatur in rem, non in personam. *Secundo*, ea distinctio professionis in substantialem, & accidentalem, falsa est, & si aliquid valeret, non faceret ad rem; quod sit falsa, probatur, quia omnis professio substantialis est, eo quod in qualibet, & à quolibet fiat, siue à Nouitio Seculari, siue Regulari, semper exprimuntur vota substantialia, seu essentialia, vt aiunt, vel saltem vnum illorum, ita quod non inuenitur apud regulares aliqua professio, quæ dicatur accidentalis, cum in omni forma cuiuslibet religionis exprimantur substantialia, & recitetur etiam à transeuntibus, licet illa nouam obligationem secundum essentiam non inducant, sed votorum sit renouatio, & confirmatio: Dico, *secundum essentiam*, quia aliquando augetur obligatio, vt si Monachus, qui de licentia Abbatis tangit pecuniam, & expendit, fiat Capucinus, votum Paupertatis, immò & obedientiæ in eo augetur, neque enim etiam de licentia Guardiani vsum habere potest in pecunia, & eius obedientia seuerior est; è contra minuuntur illa duo vota si Capucinus transeat ad monachos, vel etiam ad Conuentuales S. Francisci, vel ad nos Tertiarios, & ideo ratione huius diminutionis necessaria est dispensatio Papæ transeundo à strictiori ad laxiorem. Et ex his patet etiam ad secundam partem, nimirum eam distinctionem professionis in substantialem, & accidentalem non facere ad rem, neque probare intentum Caramuelis, siquidem eum ex mox probatis, transiens recitet professionem substantialem, sequitur, cum debeat profiteri iuxta præscriptum Tridentini, in quo præscribitur, integrum nouitiatum, illud præmittendum esse professioni. Deinde transiens eamdem legit professionem in secunda religione, quam faciunt nouitij venientes à seculo, sed huiusmodi professio est essentialis in se, cum expresse contineat substantialia vota, ergo talis est respectu vtrorumque. Nec obstat, quod in transeunte sit tantum renouatio, & confirmatio priorum votorum, & alterius nouitij noua obligatio, quia cum hæc differentia oriatur à conditionibus ipsorum nouitiorum non à forma professionis, destruere non habet rationem substantialitatis à forma professionis; præterquamquod, vt dixi, semper illa vota augentur, aut minuuntur, quo ad suam obligationem. Adde, quod illa promittuntur secundam Regulam, quam profitentur, sed vna Regula ab alia essentialiter distinguitur, ergo quæcumque professio substantialis est, & nulla accidentalis. Subiunge, quod in multis religionibus adduntur alia vota substantialia, vt apud Minimos vita Quadragesimalis, apud Discalceatos August. votum Humilitatis &c. *Tertio*, falsum est, quod professio facta à transeuntibus, quam Caramuel

vocat

vocat accidentalem, fiat hominibus, fit enim Deo, & ſuperiori vicem gerenti Dei, cum ſit eadem met, quæ fit à nouitijs ſecularibus. *Quarto*, falſum eſt, probationem in ſecunda religione inſtitui de accidentalibus tantum, cum, vt dictum fuit, auſteriora ſint vota ſubſtantialia in vno ordine, quam in alio, & vnus admittat noua vota, & non alter, ergo probatio referenda potiſſimum eſt ad illa, quæ, vt talia non fuerat expertus in priori ordine, vt notum exemplum eſt vitæ quadrageſimalis Minorum votum ſubſtantiale apud illos. *Quinto*, non obſtat, quod profeſſio facta contra Decretum Tridentini ſit nulla & nullam inducat obligationem ad quamcumque religionem, quaſi iſte tranſiens, & profitens nulliter ex non præmiſſo integro nouitiatu, liber ſit à priori religione, id enim falſum eſt, & verba Concilij videntur multum vrgere contra nos, quia ea verba ſolum videntur applicabilia ſolis nouitiis ſecularibus, ſed facile tollitur difficultas, dicendo profeſſionem tranſeuntium factam contra præſcriptum Concil. referri tantum ad illa verba, *Sit nulla* reliqua vero verba referri ſolum cum prædictis ad profeſſionem nouitiorum ſecularium; neque id mirum eſt in iure, in quo idem verbum ſi ſumi poteſt proprie, & improprie reſpectu diuerſorum, *ex cap. 18. de teſtam. gl. v. Legauit, à fortiori diuerſimode, ſed proprie, l. qui venenum de verb. ſign. gl. fin. cap. ſi Papa, de priuil. in 6.* Demum religioſi militares non comprehenduntur ſub Decreto Tridentini, Barb. ad dictum *cap. n. 2. 3. & 5.*

RESOLVTIO LV.

De Teſtamentis, & Legatis.

SVMMARIVM.

Agnes ſuo teſtamento legauit lib. 3000. Franciſcæ illis verbis. *Item grauauit dictos donatarios ad dandum D. Franciſca N. dictæ Agnetis filiæ ad baptiſmum tenta lib. 3000. tempore, quo maritabitur, vel Deo dicabitur, abſque vlla ſolutione aliquorum fructuum dicti legati vſque ad idem tempus, quas lib. 3000. donauit, & donat eidem Franciſcæ licet abſenti, & omni meliori modo, &c.* Modo dicta Franciſca ante tempus vtriuſque coniugij deceſſit, Quæritur, an hæredes dictæ Agnetis teneantur ſoluere legatum hæredibus dictæ Franciſcæ; Videtur quod teneantur, quia huiuſmodi legatum eſt tranſmiſſibile ad hæredes, quod probatur I. l. Ex his 5. C. quando dies legati, vbi dicitur, quod quando tempus certæ ætatis adiicitur poſt præcedentem diſpoſitionem putam non facit conditionem, ſed differtur in tempus impletum, & ideo interim non impedit tranſmiſſionem. II. Mens teſtatoris in omnibus diſpoſitionibus ſemper eſt attendenda, quæ ſufficienter colligitur ea coniecturis, *Gabriel com. opin. de hæred. inſtit. conc. 2. n. 15.* ſufficiens autem coniectura eſt illa, quæ elicitur ex ea clauſula *Abſque vlla ſolutione fructuum*, ex qua ſatis aperte colligitur dictam teſtatricem voluiſſe quidem, quod Franciſca haberet ius ad legatum poſt aditam hæreditatem, ſed non ad fructus, niſi demum purificata conditione, caſu quo hæredes eſſent in mora ſolutionis, aliter illa clauſula eſſet fruſtratoria, quod de facili non eſt dicendum, quinimo in dubio verba ita ſunt interpretanda, ne inutilia, & vacua reddantur. *l. Si quando, ff. de leg. 1. l. pen. §. pen. ff. ne quis eum, qui in ius, &c.* ergo voluntas teſtatricis fuit, vt omnibus modis Franciſca haberet ſuum legatum. III. Legatum factum fuit intuitu filiationis ſpiritualis ibi: *Filiæ ad baptiſmum tenta*, ſicut autem cognatio ſpiritualis ea baptiſmate contracta fuit, non ſolum inter legatricem, & legatariam, ſed etiam inter parentes naturales dictæ filiæ, & dictam Agnetem, ita & hoc legatum videtur tranſmiſſibile ad eius parentes ſuperiores. IV. Particula, *Et*, adiecta clauſulæ *Omni meliori modo* operatur aliquid vltra expreſſa, *Verall. part. 1. deciſ. 124. Puteus lib. 2. deciſ. 343. n. 6.* cum aliis, ergo debet operari tranſmiſſibilitatem ad hæredes, quæ ibi non exprimitur. Quibus tamen non obſtantibus.

Reſpond. Legatum prædictum non debetur hæredibus dictæ Franciſcæ, quia ad illos non eſt tranſmiſſibile, quod probatur, Tum per tex. *in l. Legatum, de condic. indeb. l. In teſtamento 2. ff. de condit. & dem. l. is. cui ff. de act. & obligat.* illis verbis: *Is cui ſub conditione legatum eſt, pendente conditione, non eſt creditor, ſed tunc cum extiterit conditio*, ſed in caſu noſtro nunquam

extitit

extitit conditio, vt de se patet, ergo cum Francisca nunquam extiterit creditrix, consequenter creditum, quod non est, transmissibile fieri non potest ad eius hæredes; siquidem hæres non dicitur nisi eorum bonorum, quæ tempore mortis reperiuntur in hæreditate, in qua tunc non inueniebatur dictum legatum. Tum quia, nulli dubium est, præsens legatum esse vere conditionale, vt omnes docent, ex illa clausula, *Quando maritabitur* Silu.v. *Conditio num.2. in fine, Armilla v. Legatum num.38. idem Silu.v. Legatum 1.num.2. Angel.num.51.* est enim conditio adiectio alicuius futuri euentus, in quem dispositio suspenditur, *Bart. in l.1.ff.de cond. & dem.* Sed legata conditionalia non transmittuntur, ex citatis legibus, cum nihil ponat in esse conditio ex vulgatis iuribus, & legatum, ante conditionis euentum præmoriente legatario, remanet apud grauatum, vt docet idem *Silu.v. Legatum 1. num.14. per Panorm. in cap.Nos quidem, de testam. & facit Sanch. lib.1. disp.33. num.24.* Tum quia reatus allegatus à parte aduersa supponit legatum esse purum, & postea adiici conditionem certæ ætatis, quæ facit legatum purum non conditionale, in casu autem nostro, conditio est incertum tempus, & sic vera conditio, quæ non potest efficere legatum transmissibile. Deinde nostrum legatum duo includit contractum nuptiarum, & tempus petitionis legati, ratione contractus est conditionale, respectu vero temporis dicitur exigibile, & non nisi respectiue ad effectum conditionis, quæ cum nunquam extiterit, neque caritura sit efficere non potest legatum transmissibile. Tum quia clausula illa, *Absque vlla solutione fructuum,* apposita fuit fauore hæredum, ne tenerentur ad interesse, si essent morosi in solutione post adimpletam conditionem, & quod fauore alicuius est introductum, non est retorquendum in illius dispendium, ex vulgatis iuribus; Quare ex illis verbis nullam coniecturam pars aduersa habere potest, inferendi, mentem testatoris fuisse, vt legatum esset transmissibile ad hæredes legatarij. Immo dato non concesso, quod res esset dubia de legato absoluto, an conditionali, adhuc inferendum esset conditionale, quia præsumendum est, testatores minus quam sit possibile hæredem velle grauare, *l.Vnum ex familia §.Si rem ff. de leg.2. Dec. in regul. in Testamentis num 3. Menoch. præsumpt.166.à n.17. lib.4. Sanc.l.4. cap.15. in fine,* ex prædicta clausula huius rei est vehemens coniectura. Nec obstat, quod Aduersarij aiunt, præsumi legatarius magis dilectus à testatore, quam hæres *l.Si quis Titio ff. de leg.2. l.Si fideicommissorum ff. vt in possess. leg. Simon de Peatis de interpret. vltim vol. lib.4. dub.1. fol.377.* quia certa coniectura est, eum plus diligi, cui plus datur, arg. illius Euangelici Luc.7. neque ex eo, quod legatum Titij commodo cedit, & non hæredis, mortuo Mæuio substituto, in causa est maior dilectio testatoris erga legatarium, sed ius acquisitum à Titio in ordine ad Mæuium. Neque Filiatio spiritualis legatum de alias conditionali facit purum, & absolutum transmissibile, sed tantum fuit causa motiua ad legandum; præterquam quod Parentes illius mortui erant ante eam puellam, vnde transmissibile non erat actu ex hoc capite proportionaliter ad Filiationem, quæ à testatrice non excedit legatariæ parentes, cum quibus extinguitur. Particula *Et* adiecta illi clausulæ tantam vim reuera non potest habere, vt legatum de conditionali faciat absolutum, & transmissibile, quia non fuit apposita de mente testatricis, quæ, vt mulier, sine dubio ignara erat, sed à notariis solet indifferenter apponi, cum ex his quamplurimi, ignorant eam speculationem potius, quam sensatam voluntatis mutationem, aut adiectionem. Immo cum sit dictio repetitiua præcedentium qualitatum *ex l.Scire §. Caio ff. de fundo instr. vbi Bart. & Iason. in l.1. ff. de instr. Marius Anton. lib.2.resol.29.num.13.* refertur ad legatum tale, quale erat ante ac si adiecta non fuissent, cum illud nequaquam immutet. Demum quisque magis diligit seipsum, maxime quoad animam, quam alios quoscumque hæc autem legatrix reliquit missam quotidianam pro se, cuius salarium assignatum à iudice absorbet omnia eius bona assignata hæredibus, qui ad eam missam tenentur, ergo nihil remanet soluendum pro eo legato; neque verisimile est præsumere mentem testatricis fuisse in hoc casu velle diminui salarium missæ, cum nemo præsumatur sibi velle præiudicare maxime in ordine ad bona spiritualia. Quare concludendum est, ex nullo capite tale legatum deberi hæredibus legatarij.

Quæres autem 1. Quandonam testamentum confirmetur à religioso, siue sit factum ante ingressum, siue post ingressum in Religionem, itavt ab ipso non sit amplius mutabile, & reuocabile per aliud subsequens? Quod est quærere; an professione regulari ita confirmetur, vt amplius reuocabile non sit? omnes conueniunt in religione incapaci morte ciuili, seu professione omnino confirmari, itavt amplius reuocabile non sit. In Religione vero capaci adsunt opiniones, nam quidam tenent esse mutabile simpliciter vsque ad mortem naturalem; alij esse quippe variabile, & reuocabile fauore filiorum, & monasterij, non aliorum, *ex auth. Si qua mulier C. de sacros. Eccl.* hoc posterius probatur, sed quoniam doctores id asserentes non videntur exactam cognitionem quid importet votum paupertatis, habere, ideo secundum veram opinionem.

Respond. Testamentum factum siue ante, siue post ingressum non potest reuocari, vel mutari à religioso postquam emisit professionem, nisi fauore filiorum. Probatur, Tum quia mutare testamentum, aut illud reuocare, vel de nouo facere sunt actus proprietatis supponentes testatorem, vel actu habere dominium, aut proprietatem, vel saltem esse capacem illorum, *Auth. ingressi C. de sacros. eccl. cap. Quia ingredientibus 19. quæst.3.cap.2.de testam.in dicta Auth. Tapia cap.2. num.80.* sed religiosus professus ratione voti paupertatis caret proprio, vt de se patet ergo testari non potest, consequenter neque illud variare, cum id sit ex parte testari, neque reuocare illud idem, cum res per quas causas nascitur per easdem dissoluatur. Tum quia eadem potestas requiritur ad reuocandum, seu variandum testamentum, quæ requiritur ad illud primo condendum *arg.l.Si vt proponis 7. C.de nupt.* sed ex communi omnium professus simpliciter testari non potest, ergo neque illud iam factum reuocare, vel mutare. Neque obstat citata Auth. quæ solum indulget patri professo, qui de suis bonis non disposuit, vt possit inter eos diuidere, legitima nulli diminuta, & quod eis non dederit, monasterio competat, consequenter nihil exprimitur de testamento reuocando, vel mutando, & cum hoc sit speciale priuilegium patris, qui nihil disposuerat ante ingressum, extendendum non est ad alios casus. Ita docent *Nau.com.2. de regul.num.53. Couar. in cap.2. de testam. n.9. Sanch. lib.7. cap.11. Mirand. tom.1. qu.24.art.10. Rodr. tom.3.qu.16.art.4. q.69. art.3 cum suo Compend. resol. 135. n.5. Vecchius disp.8. dub.11. Barbosa alios citans ad cap.16. sess.25.n.22.*

Quæres 2. An effectus nouitius ante professionem possit reuocare, vel mutare testamentum factum ante, vel post ingressum antequam profiteatur?

Respond. Nouitius potest facere testamentum quouis tempore sui nouitiatus, & iam factum siue ante ingressum, siue post reuocare, mutare, & variare pro suo libito absque licentia superioris regularis. Probatur, Tum quia quoad hoc perinde est, ac si esset secularis. Tum quia nouitius durante tempore probationis ante professionem est sui iuris, & dominus suorum bonorum, ergo de illis disponere potest toties, quoties sibi videtur. Tum quia testari est actus proprietatis, & dominij, quod nouitiis non est prohibitum. Ita docent omnes, quos citat Sanch. *lib.7. cap.3. n.3.* Nau. *com.2. de Regul. n.49.* Rodr. *tom.3.q.16. art.1. cum suo Compend. resol. 101. n.48.* quamplures citat Barbosa *ad cap.16. sess.25. n.21. Peyr. de Prælato q.3. cap.1. § VIII. n.208.*

*num.*208. Neque ſuperioris licentia requiritur, cum nullibi id determinetur, contra nonnullos citatos à Sanch. *cit.n.*2.

Quæres 3. An profeſſione ita firmetur teſtamentum quo ad omnes ſuos effectus, vt ſtatim hæreditas cum ſuis legatis debeatur inſtitutariis, & legatariis, an potius expectare debeant mortem naturalem ipſius teſtatoris profeſſi. Quæſtio, aut procedit primo quidem, quando ignoratur mens teſtatoris, nam ſi expreſſe ſe declaret velle relicta à ſe in teſtamento deberi ſtatim poſt profeſſionem, eius mens omnino ſeruanda eſt. Secundo procedit difficultas tam reſpectu earum religionum, quæ bona in communi poſſident, quam reſpectu in communi non poſſidentium, de qua re fusè *Sanch.lib. 7.cap.3.n.54. & per totam quæſt.4.*

10 Reſpond. Teſtamentum peracta profeſſione hunc non ſortitur effectum, ſed hæredes, conſequenter legatarij habent expectare mortem naturalem ipſius profeſſi, ſi ſit in religione capaci bonorum in communi, ſi vero ſit in incapaci profeſſi teſtamentum ſtatim omnem ſuum effectum ſortitur fauore inſtitutorum, & legatariorum.

11 Primum, quod ſolum per mortem naturalem ſortiatur hunc effectum in religione capaci, ſuadetur, quia voluntas teſtatoris ambulatoria eſt vſque ad mortem naturalem.l. 3. ff. de adim.legat. reſpectu autem religioſi non eſt ambulatoria quoad diſpoſitionem, aut reuocationem, vel mutationem ex probatis q.1. ergo ambulatoria eſt quo ad hunc effectum, vt s.hæreditas, & legata nun debeantur inſtitutis, & legatariis niſi poſt mortem naturalem profeſſi. Ita docent *Angel.v. Hæreditas,n.22.v.Religioſus n.54.Tab.v.Hæreditas q fin.& v. Relig. q.35.Silu.v.Hæreditas 1.q.7.num.10.diſle 6. Nau. tom.2. de regul.n. 54. Rodr.qæſt.2.cap. 7.n.9.& tom.2.q. 80. art. 1. quos, & alios quamplures citat Sanch.lib.7. cap. 3. n.55.* Conſequenter bona remanent apud monaſterium quouſque vixerit teſtator profeſſus, loco cuius monaſterium pro eo tempore, quo viuet in religione ſucceder in eius bonis, contra *Peyr. de Prælat. q 3. cap.1.§. 8. n.*208. dicentem omnino profeſſione confirmari.

12 Secundum, quando monaſterium eſt incapax bonorum, profeſſione teſtamentum ſortitur omnem ſuum effectum, probatur, quia ſic profeſſus reputatur ac ſi eſſet naturaliter mortuus, conſequenter monaſterium tale ipſum cenſetur, cum non poſſit ſuccedere, & ſic profeſſione emiſſa, bona teſtata, & legata fiunt ſtatim inſtitutorum. Ita præcitati cum *Sanch. lib.7.cap.3.n.69.*

Quæres 4. Cum in teſtamento relicta non debeantur inſtitutis, & legatariis, niſi poſt mortem naturalem teſtatoris profeſſi, ſed interim remanet apud monaſterium, vt vicem gerens teſtatoris ex probatis præced. quæſtione, An ſi inſtitutus, & legatarius præmoriantur teſtatori profeſſo, tunc relicta in eo debeantur monaſterio, an vero veniant hæredes ab inteſtato?

13 Reſpond. Bona remanent apud monaſterium, quia monaſterium ab initio ſucceſſit in omne ius teſtatoris profeſſi, *Auth. Ingreſſi C.de ſacroſ. Eccl.* & illius perſonam ſuſtinet, ac repræſentat; ſed quando præmoriuntur inſtituti, & legatarij euaneſcit teſtamentum, & bona remanet apud ipſummet teſtatorem, ergo & apud religionem; neque enim tranſeunt ad eorum hæredes, cum nunquam fuerint inter bona illorum. Ita Guttier. *lib 2.canon.quæſt.cap.1.n.53. Leſſius lib.2.cap.41.num.85. Sanch.alios citans lib.7.cap.3.n.56.*

Quæres 5. Qua ratione pater filios habens, qui ante profeſſionem bona ſua non diſpoſuerat inter filios, poſſit peracta profeſſione inter eos diuidere, legitima nulli diminuta, & quod eis non dederit, competat monaſterio, *Auth.Ingreſſi,C.de ſacroſ.Eccl.* cum iſte ſit actus proprietatis, & dominij, cuius profeſſus omnino eſt incapax per votum paupertatis de iure Eccleſiaſtico, contra quod ius ciuile nihil diſponere poteſt, immò ius canonicum corrigit, & irritat ius ciuile ſibi contrarium *ex diſt.& cap.Filius 5.cap.Cum eſſet 10. cap. Relatum 11.de teſtam.*

14 Reſpond. Dicta Authentica approbatur à iure canonico *cap. Si qua mulier 9. 19. q.3. vbi Gloſſ. v.Diuidere,* dicit profeſſum ex hoc non dici habere propria, ſed de alienis diſponere. Vel dic tu ad hanc diſpoſitionem concurrere cum ipſo conuentu, ratione cuius nullum dicitur facere actum proprietatis, ſicut non faciunt alij profeſſi. Præterea is non videtur actus proprietatis, ſed potius conformis paupertati, abdicat enim à ſe bona, quæ aliquo modo ad eum attinebant, & diuidit inter filios. Deinde huiuſmodi diſpoſitio, atque diſtributio ſe habet ac vera executio bonorum alienorum, ac proinde in hoc caſu ſe habet ac ille religioſus, qui eſt teſtamenti executor cap.fin. de teſtamenti executor. cap.fin. de teſtam. in 6. Vel dic à lege diſpenſari. Reſiduum de quo non diſpoſuit eſt monaſterij vt ibidem clare dicitur.

Quæres 6. An conuentus poſt mortem profeſſi teſtatoris poſt morientis inſtitutum à ſe, teneatur ſoluere legata relicta in ſuo teſtamento legatariis ipſi ſuperuiuentibus? Non teneri probatur. I. *quia legatum debetur à* die aditæ hæreditatis, ſi fuit factum ſine die, & conditione. *l. Omnia 32.ff. de legat.& fidei.s.* & ſtatim abſque alia traditione tranſit in legatarium. *l. à Titio ff.de furt. Gloſ. v. Petende cap. Rainaldus de teſt.* & petitur ab hærede, ex dicta gloſ. per l. Ea quam C.de fideic. Sed nullus hæres extat virtute illius teſtamenti, ergo legatarius nullum ius habet petendi legatum, cum nullus extet, à quo illum petere debeat. II. Quia teſtamentum per mortem hæredis ante teſtatorem euaneſcit, & rompitur *Inſtit. Quibus mod. teſtam.infirm. §. Poſteriore l.Bona 22.§. fin. ff.de captiu. & poſthum.* ergo & legatum ei acceſſorium Inſtit. de legatis, vbi dicitur legatum eſſe quandam donationem à defuncto teſtatore relictam, ab hærede præſtandam.

15 Reſpond. legata adhuc debentur legatariis. Tum quia vtile per inutile non vitiatur, quoties vtile ſeparabile eſt, & ex vulgatis iuribus, conſtat autem vnum ab alio eſſe ſeparabile. Tum quia ab initio & poſt teſtamentum tenuit, ergo & legatum, ex quo vterque legatarius quoddam ius licet imperfectum acquiſiuit, quod reſpectu inſtituti præmorientis ceſſauit, non ſic reſpectu legatarij ſuperſtitis. Tum quia legata ad cauſam piam in teſtamento nullo adhuc debentur *ex cap. Indicante 4. cap. Relatum 11. cap. Cum tibi 13.de teſtam.* ergo à fortiori, quando tenuit. Nec obſtant oppoſita, primum, quia procedit vbi teſtamentum habet effectum hæredis, immo *Sanch.lib. 6.diſp. 4. n.8.dicit per l.A.Titio cit.& l.1.§.ſed vtramque ff.ſiquidē in fraudem part.* legatum conſiſtens in ſpecie tranſire debet in dominium legatarij, non expectata aditione hæreditatis. Secundum, teſtamentum euaneſcere quod ad inſtitutionem, non quo ad legationem, cum legatum etiam extra teſtamentum fieri poſſit ex citato cap. Indicante.

Quæres 7. An profeſſus poſſit declarare ſuum teſtamentum ante profeſſionem factum ſiue in ſeculo, ſiue in nouitiatu? Videtur quod non, & quia iudex poſt latam ſententiam eam alterare non poteſt, quod eſt quædam ſpecies declarationis; & quia eius eſt interpretari, cuius eſt condere, *l. fin. C.de leg. cap. Sicut enim.§. Ex his omnibus 11. q. 1. cap. Inter alias 35 ſent.excom.* ſed teſtator poſt emiſſam profeſſionem amplius teſtari non poteſt ex probatis ſupra q. 1.

16 Reſpond. Profeſſus poteſt declarare teſtamentum à ſe factum ante profeſſionem in dubio, dico in dubio quia declaratio non requiritur vbi verba ſunt clara. *Cuman.in l.Hæredes palam,ſi quid poſt,de teſtam.n.3.Gabriel de reg.iur.concl.3.num.35. Rota in Nouiſſ.deciſ.691. num.1. vel.1.* Probatur, Tum quia nullus alius, quam ipſemet teſtator poteſt declarare ſuam voluntatem, cum nemo ab ipſo melius eam cognoſcat. Tum quia

nullum proprietatis actum facit, cum solum exponat, quid ante professionem disposuerat de suis bonis, declaratio si quidem nihil de nouo ponit, sed quod ex natura rei inest demonstrat. *l. Hæredes palam ff. de testam. l. Adeo §. Videtur ff. de acquir. rerum domin.* Tum quia professus peritus potest doctrinaliter declarare alienum testamentum, ergo & proprium, cum non magis sit actus proprietatis vnum, quam alterum, sed declarare alienum non est actus proprietatis, ergo neque proprium. Tum quia declarare non est condere, neque mutare testamentum, quod professo interdictum est, sed solum testamentum obscurum reddere clarum, & ideo ad hanc non requiruntur solemnitates iuris, *l. Hæredes 21. §. Si quid ff. de testam.* Ita docent Sanch. *lib. 7. cap. 11. num. 16. Rodr. tom. 3. qu. 69. art. 3. Portel. v. Testamentum num. 2. Barbosa ad cap. 16. sess. 25. n. 24. Peyr. de Prælato q. 3 cap. 1. §. VIII. num. 209.* Contra Nau. *in cap. Non dicatis num. 43.* Couarr. *in cap. 2. de testam. num. 5. & 9.* Mirand. *tom. 1. quæst. 23. artic. 10.* alios citat Diana *part. 2. tract. 2. de dubiis Regul. resol. 75.* nobiscum sentiens. Procedit, quod id facere possit se solo, nullibi enim disponitur hoc agendum esse illi de licentia superioris, sicut neque ante professionem indigebat licentia ad testandum; siue declaratio futura sit in fauorem, siue præiudicium monasterij, modo declaratio non deuiet à vero sensu verborum. Procedit respectu quorumcumque professorum etiam Capucinorum dedit Diana, qua allatæ rationes non minus vni, quam alteri applicantur.

Nun obstant obiecta, siquidem declarare non est mutare, neque alterare alias factum, sed illud tantum reddere clarum, quod erat dubium. Et bene stat quod eius sit interpretari, cuius est condere, ideo enim testator suum testamentum declarare potest, quia illud condidit, declaratio enim supponit iam factum, & dispositum, quod explicandum est.

Quæres 8. An in condendo testamento, qui ingressurus est religionem, possit in eo expresse sibi reseruare facultatem illud declarandi post professionem, si difficultas occurrerit?

17 Respond. Potest, Tum quia expressio eius, quod tacite inest, non facit illicitum, quod alias erat licitum, *ex cap. Significasti, de elect. l. 3. de legat. 3.* Sed quod testator possit declarare suam voluntatem tacite inest testamento, cum illius sit declarare, cuius est condere, & nullus nouerit melius suam dispositionem, quam ipsemet disponens, ergo expressio huiusmodi declarationis sibi reseruatæ testamentum non reddit illicitum, si alias licitum est. Tum quia huiusmodi reseruatio fit eo tempore, quo testator est sui iuris, & illius executio non reuocat, neque mutat testamentum, sed tantum illud ea parte, qua obscurum est, clarum efficit, quod non est contra votum paupertatis, neque

18 obedientiæ, cum is sit actus proprie intellectus, ratione cuius religiosus est sui iuris, non voluntatis, cuius velle, nolle est sub potestate superioris. Tum quia ex probatis præced. quæstione de facto legitime potest suum testamentum declarare, ergo & expresse hanc facultatem sibi reseruare, si enim licet actus, & illius reseruatio, & potestas, quia causa illicita non potest operari effectum licitum, lege secunda C. de acquir. possess. lege Quædam mulier, de rei vend. si ergo licitum est declarare, licita quoque erit illius reseruatio. Tum quia in testamento nouitius potest sibi reseruare certam pensionem post professionem sibi soluendam à consanguineis, ergo & sibi reseruare facultatem declarandi suum testamentum, cum magis alias esset dubitandum de hoc, quam de illo.

Quæres 9. An ille professus, qui ante ingressum in suo testamento hæredem instituerat N. cum onere dotandi quinque puellas virgines, potuerit inire pactum cum eodem suo hærede post aditam hæreditatem, quod si sibi tradiderit quinquaginta aureos, cum exemptum faciet à maritandis duabus puellis, vnicuique quarum contingunt vigintiquinque aurei ex legato?

19 Resp. Non potuit inire tale pactum, consequenter cum sit nullum, tenetur adhuc ille hæres dotare illas puellas, & à professo repetere solutam pecuniam. Primum de nullitate pacti, patet ex eo quod religiosi per se nullum contractum, nullum pactum inire possunt, cum à iure eisdem sit prohibitum contrahere, ex probatis supra *resol. 53. n. 6. 8. 25. & 26.* Secundum de obligatione dotandi illas puellas adhuc permanente suadetur, quia id est ex parte reuocare, & diminuere testamentum, quod facere non potest professus, supra *qu. 1.* Præterea, cum adita fuerit hæreditas ab instituto illæ puellæ legatariæ, si fuerunt nominatim expressæ in testamento, statim acquisiuerunt ius ad sua legata, ergo ab eo remoueri non possunt; si in genere expressæ, iam ipse hæres ob aditam hæreditatem contraxit obligationem soluendi legata, *lege Sancimus, C. de iur. del. capitulo Siluester 10. 11. quæst. 1.* vltima enim testatoris voluntas omnibus modis seruanda est, *Cap. Vltima 4. 13. quæst. 2.* neque in præsenti casu potuit testator suam remittere voluntatem tum ex probatis, tum quia reputatur perinde ac si esset naturaliter mortuus, cum ergo non obstante illa exemptione, quæ fuit penitus nulla, adhuc remaneat obligatus, tenetur dotare puellas. Tertium de repetitione pecuniæ suadetur, tum quia deceptus fuit à religioso, tum quia ille professus debet illum seruare indemnem; conuentus tamen ad nihil tenetur, cum in nullo vsus fuerit dicta pecunia; quod si non potuerit repetere, & recuperare suam pecuniam, ob inopiam professi, qui pecuniam consumpsit, neque acquirit ex industria, aut pensionem nun exigit a consanguineis, *iuxta dicta, Resolutione 53. numero 45.* sibi imputet, & quia poterat consulere doctos, & quia qui facit, quod non debet, neque potest, recipit, quod non oportet, *ex l. Iulianus, §. Offerri, ff. de act. empt. l. Quare, §. Inter locatorem, ff. locat.*

Quæres 10. An per professionem infirmetur, & rumpatur testamentum antea factum ab ingrediente? Quidam tenent rumpi, quando nihil relictum fuit monasterio per modum institutionis, quia se habet loco filij, qui præteritus à patre infirmat testamentum ab eo factum, & sic conuentus quasi agnatione posthumi illud rumpit. Glossa in capitulo. Si qua mulier 19. quæstione tertia, verbo. Non obstantibus, Roman. concil. 273. Alij dicunt rumpi solum, quando sua reliquit aliis, quam filiis. Alij dicunt rumpi, si non cogitabat de ingressu, quia per professionem censetur mutare voluntatem. Sed his non obstantibus.

20 Respondetur Testamentum factum nullo modo rumpi per professionem, sed permanere; siue testator reliquerit filiis, siue aliis, siue cogitauerit de ingressu, siue non, modo ante professionem non obtulerit, seu expresse bona sua donauerit religioni. Primum suadetur, quia testamentum infirmatur præteritione filij, agnatione posthumi, arrogatione alieni filij, diminutione capitis, si hæres decessit ante testatores, reuocatione prioris, & aliis, de quibus Instit. Quibus modis testamentum infirm. Sed nulla ex his causis apparet in casu nostro, ergo permanet. Posset esse difficultas de agnatione posthumi, & præteritione filij, qualis censetur conuentus, qui secundum aliquos habet se loco filij, quod tamen est falsum in præsenti casu; monasterium enim non gessit vicem filij nisi in casibus à iure expressis, hic autem non exprimitur, sed solum in casu, quo religionem ingreditur intestatus, professione peracta lex, de qua quæstione quinta patri filios habenti indulget, vt possit inter filios diuidere, & conuentus quasi filius habeat suam legitimam, ibi: *Sua persona filius connumerata partem sibi retineat, quæ monasterio competere debet.* Neque dicitur capite diminutus, cum professio non minuat, sed augeat professum illum ponendo in statu perfectiori, & nobiliori, in quo eius seruire est regnare

Sixt. V.

Sixt. V. const. Cum de omnibus, & probaui capitulo quinto de eff. & profess. quæstione 17. Confirmatur, quia non sufficit voluntas etiam expressa ad reuocandum testamentum, sed requiritur noua dispositio contraria. l. Sancimus C. de testam & eit. Instit. Ita docent quam plures cum Sanch. libro septimo, capitulo 3. numero 34. Angel. verbo religiosus numero 54. Armil. 23. Silu. 6. quæstione prima dicto tertio. Tabien. quæstione 35. Nau. tom. secundo, com. secunda de regul. numero 51. videtur oppositum tenere consilio 10. de testamentis. Posterius, quod rumpatur, si expressè omnia dedit conuentui, constat ex eo, quod hæc posterior voluntas, vt quæ est contraria priori illam sine dubio destruit, vt in simili probaui de renuntiatione resolutione 60. nu. nono Ita docent Rodriq. tomo tertio, quæst. disputatione 16. art. secundo, Molin. tomo primo, disputat. 139. Silu. Armil. Tabien. citati, Sanchez libro septimo, capitulo tertio, numero 38.

Quæres 11. An religiosus possit esse testis in eo testamento, in quo testatot relinquit monasterio?

21 Respond. Religiosus potest esse testis in testamento, & in alio quouis instrumento, etiam sine licentia sui superioris, modo id illi non interdicatur ex instituto sui ordinis, etiam quando aliquid sibi, vel monasterio legatur, non verò quando ipse, vel monasterium instituitur hæres vniuersalis, si contestes sunt eiusdem ordinis. In iudicio verò siue ciuili, siue criminali testis esse non potest sine licentia sui superioris saltem localis. Neque tenet testimonium præstitum sine licentia sui superioris.

Primum de religioso teste in testamento simpliciter probatur, Tum quia potest esse executor testamenti, cap. 2. de testam. in 6. ergo & testis, quod est minus. Tum quia in reliquis instrumentis pro suis etiam Ecclesiis possunt esse testes, cap. Insuper 6. c. Cum nuntius 12. c. Tuis 39. de testib. c. Etsi Christus 26. de iure iurand. licet sit frater Minor, c. Nuper si de testib. Etiam in aliorum causis præsertim pro Ecclesia, c. Quia de offic. ordin. in 6. extrau. com. 1. de offic. ordin. ergo & in testamentis. Sic docent Rodr. tom. 3. q. 71. art. 2. cum suo Compend. resol. 135. n. 15. Rosell. v. Testam. 1. n. 13. Silu. eod. t. q. 5. Arm. n. 8. Peyrin. de Prelato q. 3. c. 1. §. 8. n. 206. Sanch. l. 6. cap. 13. numer. 100.

Secundum, quod possit esse testis in quouis alio instrumento, probatur, Tum ex allatis iuribus; Tum quia non est maior ratio in testamento, quam in aliis instrumentis. Tum quia id non prohibetur. Ita colligitur ex præcitatis.

Tertium, quod non requiratur licentia superioris, probatur, quia nullibi id præcipitur, vt aliis relatis asserit Sanch. lib. 6. cap. 13. n. 106 vnde ex hoc neque testamentum impugnari potest, & ita seruatur. Aliter concludendum si ex Regula, vel constitutionibus prohibeatur, cuiusmodi prohibitio apud nos ollatenus extat, & fere in nullis religionibus in ordine testamenta, imò solent fieri integra ex testibus omnino regularibus etiam Capucinis, Iesuitis, & aliis, vt testatoris mens magis occulta maneat, & sic ego vidi Parmæ seruari etiam anno 1641. & de Mense Martio à quodam meo amico religionem Discalceatorum Carmelitarum postmodum ingressu, qui suum testamentum testibus Societatis Iesu omnibus præsentibus condidit. Vide Peyrinum tom. 1. priuileg. in constit. 2. Iulij 11. n. 147. & de Prelato q. 3. cap. 1. §. VIII. n. 206.

Quartum, quod non possunt esse testes, quando ipsi instituuntur hæredes, vel eorum conuentus, probatur, Tum ex institut. de Testam. ordin. §. Sed neque heres scriptus, neque is, qui in potestate eius. Et lib. 22 ff. tit. de testibus, relato cap. Si testes 4. qu. 2. & 3. dicitur, quod nullus idoneus testis in re sua intelligitur, & ibi Gloss. v. Sua, adiungit id procedere etiam in re communi, ea ratione, quia quod commune est, vtriusque est. l. Illud ff. de ritu nupt. Tum quia institutio primò, & principaliter redundat in eorum interesse, & vtilitatem cum illi met tantum instituantur, siue exprimantur in communi similibus verbis. Instituo meos heredes vniuersales rener. Priorem, & Fratres S. Francisci. Siue primo directè eorumdem monasterium, & Ecclesiam, similibus verbis. Instituo meum heredem vniuersalem monasterium Reuer. Fratrum S. Antonij, seu eorum Ecclesiam & monasterium. Nam nomina Monasterij, & Ecclesiæ non sumuntur materialiter pro ipsis ædificiis, id enim ridiculum est, & ædificium hæreditatis incapax est, sed formaliter pro eisdem religiosis simul vnitis, & congregatis habitantibus in monasterio, & Deo in Ecclesia inseruientibus. Tum quia si omnes, vel pars eorum adhiberentur in testes posset esse suspicio, quod testatorem aut decepissent, aut coegissent ad sibi relinquendum. Itaque testamentum confectum ex testibus omnibus, vel partim eorum institutis nullum est, defectu testium, qui non sunt idonei in propria causa. Etsi enim commune non sit proprium, neque ideo dicatur huius, vel illius religiosi, quasi nemo habeat interesse, cum intereisse eius sit proprium, cuius est, nihilominus singuli intereisse habent, si non proprietarij, quia proprij sunt incapaces, saltem vt vsuarij, siquidem singuli hoc modo immediate vtilitatem sentiunt, cum ex illa hæreditate viuant, induantur, & aliis indigentiis subleuentur. Oppositum docet Rodr. tom. 3. q. 71. art. 2. cum suo Compend. resol. 135. n. 15. quam plures citans, cum Sanch. l. 6. c. 13. n. 100. sed non se explicant de omnibus testibus interessatis, an de vno, vel altero tantum.

23 Quintum, quod religiosi possunt esse testes in testamento, in quo aliquid legatur alicui religioso testi, vel conuentui, probatur, Tum quia ita de legatariis quibuscumque expresse habetur Instit. de testam. ordin. §. Legatariis autem, & fidei commissariis, quia non iuris successores sunt, & aliis personis eis coniunctis testimonium non denegamus, & ex l. Dicitantibus C. de testam. Tum quia testis interessatus non repellitur, quando non agitur primario, & principaliter de eius interesse, & tenet l. 2. consil. 41 n. 17. Puteus l. 3. decis. 15 Iason in l. Si quis nec causam ff. si cert. per. Rota vol. 4. in Nouiss. decisione 144. num. 11. & decis. 354. Ita docent omnes cuio supracitatis.

24 Sextum de testimonio ferendo iudicialiter eisdem prohibito sine licentia, constat ex Doctoribus in c. 1. de iur. calculum. c. Testimonium 6. 110 q. 1. ibi Archid. loquendo in causa ciuili; & in cap. De cætera de testib. loquendo de criminalis Felin. Ideò autem requirtur licentia, quia religiosus cum non sit subditus iudici episcopali, vel seculari neque possit seipsum illi subdi, vt examinetur in testem, ideo per licentiã superioris in hoc illi subditur. Ita docent. Silu. v. testis n. 3. Angel. n. 3. Peyrin. lit. T. cap. 1. Sanchez, alios citans lib. 6. cap. 13. numero 133.

25 Septimum, quod sufficiat licentia superioris localis constat ex cit. capitulo 1. de iuram. calum. §. Verum, ibi: In consulto prælato suo: nam superior localis prælatus propriè est, Rodriquez 1. tomo secundo, quæstione vndecima, articulo quarto, & iste maximè dicitur, Suo, appellat enim hoc pronomen, & respicit immediate subditum, qui ratione subiectionis immediate ordinatur, & subditur superiori locali. Rodriquez tomo secundo, quæstione vndecima, articulo quarto ita sentit credo respectu ciuilium, quia prope finem dicit spectare ad superiores maiores ratione desumpta ab Episcopali iurisdictione, qua Episcopus maturo iudicio, & præuia causæ cognitione dat huiusmodi licentiam respectu criminalium, vnde excludit superiores conuentuales, quia carent potestate quasi Episcopali: sed id non cogit; textus enim supradictus clarus est, & loquitur tam ciuilibus, quam criminalibus. Verum quidem, quod in causis, in quibus agitur de sanguine, superior neque etiam maior ingerere se debet in concedendo huiusmodi licentiam, & ad euitandam irregularitatem, & ne regularis fiat odiosus, & infestus secularibus.

K 3 Vide

Vide Peyr. in Formul. tit. T. c. 1. n. 4. vbi citat Spacar. de modo corrig. regul. tract. 7. c. 5. n. 2. In mea religione cum iuramento teſtificari non prohibetur in ciuilibus ex reg. Nicol. 4. cap. 12. Leonis X. cap. 6. & Regula noſtra cap. 12. tam in textu, quam in adiecta illuſtratione in fine capitis.

26 Octauum, quod nullum ſit teſtimonium prolatum in iudicio à religioſo ſine licentia ſui ſuperioris, probatur, Tum quia eo caſu profertur coram iudice incompetente, quod perinde eſt, ac ſi profertur coram perſona priuata, reſpectu cuius nullius eſt momenti. Tum quia ſententia lata à non ſuo iudice eſt nulla, ita & teſtimonium dictum coram non ſuo iudice, non enim eſt maior ratio de vno, quam de alio, cum valor vtriuſque à competente iudice pendeat; Tum quia teſtis non citatus, vel à parte non inductus nihil probat. *l. Præſbiter. C. de epiſc. & cler.* citatio autem eſt actus iuriſdictionis exercendus à iudice competente alias nulla eſt, *Gloſ. v. conuocari cap. Si Epiſcopus 8. 3. q. 2. per cap. Ex literis de off. deleg. cap. Si duobus, de appell.* Sic docent Ang. *de Aretio, inſt. de iure perſon. Rub. n. 7. Angel. v. Teſtis n. 4. Felin. in cap. Cum nuncius de teſtib. n. 3.* quos contra ſe affert *Sanch. lib. 6. cap. 13. n. 107.* aſſerens n. 108 eſſe probabilius tenere teſtimonium, quia nullibi irritatur, & potius interpretandum eſt rem valere, quam perire, citando pro ſe plures doctores. Dicas tu licet expreſſe non irritetur, implicite tamen de iure cenſetur nullum ex allatis rationibus.

27 An autem teſtimonium religioſi maxime grauis perſonæ validum ſit ſine iuramento? Reſpond. non tenere, expreſſe ſtatutum *cap. Tuis 39. cap. Nuper 51. de teſtibus.* Et ſi enim religioſi ſint vitæ irreprehenſibilis, etiam notæ ſanctitatis, & illis credendum eſſet magis, quam laicis, nihilominus, & ipſi homines ſunt lutea vaſa portantes, & cum omnis homo ſit mendax, ad elidendam huius defectus præſumptionem in foro externo, datur iuramentum, ex quo iudex præſumit iurantem verum dicere, cum nemo credatur periurare in damnationem animæ ſuæ.

Quæres 12. Petrus in ſuo teſtamento grauauit regulares N. quos ſibi vniuerſales hæredes inſtituit, ad cantandum ſingulis ſextis feriis totius anni ad ſuum altare erectum ſub nomine S. Franciſci de Paula, Litanias Domini, dicti Regulares cantantes, quæ die Sabbati Sancti decurtatæ concinuntur, an ſuæ ſatisfaciant obligationi? Et quid ſub nomine Litaniarum Domini, an ſola inuocatio Sanctorum? an reliquæ preces cum orationibus poſitæ, & annexæ Septem Pſalmis Pœnitentialibus nuncupatis?

28 Reſpond. Tenentur recitare Litanias Sanctorum, quæ appoſitæ ſunt Septem Pſalmis Pœnitentialibus vſque ad Pſalmum excluſiuè, vbi deſinunt. Primum probatur, quia teſtatoris voluntas præſumitur talis fuiſſe: vt ſibi vtilius conſuleret longiori oratione, quam breuiori, arg. in l. in teſtamentis ff. de condit. & demon. Cum in teſtamento ff. de reb. dub. l. Si quis intentione ff. de iudic. Vulpian. ibi. *Si quis intentione, vel oratione ambigua vſus ſit, id ei, quod vtilius fuerit, accipiendum eſt.* Sine dubio illi magis proſunt dictæ Litaniæ, quam illæ breuiores Sabbati Sancti. Deinde Litaniæ breuiores ſecularib. ignotæ, vt plurimum ſunt, ergo teſtator præſumitur de illis non cogitaſſe, ſed tantum de alijs ſibi notis, neque enim credibile, & veriſimile eſt, mentem eius fuiſſe, vt recitarentur breuiores, quæ à ſolis clericis, & vnica vice ſingulis annis recitari ſolent, fere incognitæ, aut ſaltem non ſolitæ recitari à ſecularib. cum ergo inſolita non ſint credenda ex cap. Quia non eſt, de præſumpt. Nau. conſ. 1. de præſ. ideo neque credendum eſt intentionem teſtatoris fuiſſe, vt recitarentur illæ breuiores, ſed illæ longiores, quæ ſolent communiter recitari. Demum tria genera Litaniar. inueniuntur approbata ab eccleſia. Litaniæ ſimpliciter nuncup. quæ ſunt in calce ſeptem Pſalmorũ Pœnitentialium. Litaniæ Sabbati Sancti in Miſſali, & Litaniæ pro agonizantibus in fine Breuiarij. Certum eſt teſtatorem non loqui de illis Miſſalis ex probatis, ergo locutus fuit de Litanijs primis. Confirmatur, quia verba accipienda ſunt in ſignificatione digniori, potiori, & viitatiori. Inſtit. de iure nat. gent. & ciuil. §. Ius autem ciuile capit. Ex litteris, de ſponſ.

30 Nomine Litaniarum, quod eſt ſecundum probandum, veniunt non ſolum Inuocationes ſanctorum, verum etiam ſubſequentes liberationes, & rogationes vſque ad orationem Dominicam, & non vlteriores preces, vt colligitur ex Rubrica Breuiarij pro diebus Rogationum, quæ habet hæc verba. *Hodie qui non interſunt proceſſioni Litaniarum dicant illas priuatim poſt Matut. cum ſuis precibus, & orationibus, ſine Pſalmis Pœnitentibus.* Si enim ſub nomine hoc, *Litaniarum,* comprehenderentur ſubſequentes preces, & orationes, has non expreſſiſſet fruſtra, cum ergo ex illorum expreſſione conſtet diuerſitas, obligatus ad Litanias recitandas non progreditur ad preces & orationes, ſed eas abſoluit oratione Dominica.

Ex his infertur, illos regulares ſuæ obligationi non ſatisfacere, immo teneri ad reſtitutionem accepti ſalarij ex parte, cum non adimpleuerint obligationem; & præterea duos committere errores, vnum commiſſionis recitantes, quas non debent Litanias, alterum omiſſionis, omittendo Liberationes, & Rogationes, concludendo per illos tres *Agnus Dei* ab vltima inuocatione omnium Sanctorum.

Quæres 13. An conuentus inſtitutus hæres vniuerſales à Petro, qui habebat plures poſſeſſiones conductas teneatur ſuccedere, & continuare conductiones vſque ad terminum inſtrumento notatum, ſicut teneretur ipſe conductor ſi viueret? Affirmatiua pars probatur, Tum quia hæres ſuccedit in omne ius defuncti, nihil enim aliud eſt hæreditas, quam ſucceſſio in vniuerſum ius, quod defunctus habuit in ipſo puncto mortis, *Bart. in Rubr. de acquir. hered. per tex. in l. Nihil ff. de Verb. ſign.* ſed teſtator ius habebat in poſſeſſiones conductas, ergo & illius ſucceſſor in illis permanere debet, ac ſi eſſet perſona ipſius teſtatoris. Tum quia hæres eſt eiuſdem poteſtatis, & iuris cuius erat defunctus. *l. Hæredem 60 ff. de reg. iur. l. Cum hæredes ff. de acquir. hered. Mar. Ant. libro 2. reſ. l. 57. caſu 26. vbi §. Et quamuis,* ſubiungit id procedere in iure actiuo, & paſſiuo firmato tempore mortis teſtatoris in ipſius perſonam, *Aretin. conſil. 125. per l. 1. . de hered. & l. Cum à matre C. de rei vendic.* Tum quia hæres tenetur ſequi voluntatem defuncti, *Gl. in fin. c. Epiſcopus 33. 12. q. 2.* & tenetur ad omnia onera defuncti in ſolidum, niſi confecerit inuentarium *l. Sancimus C. de iur. delib.* Tum quia hæredi ſuo nemo plus commodi reliquit, quam ipſe habuit. *l. Nemo 163. ff. de reg. iur.* teſtator autem non habebat hoc commodum renuntiandi poſſeſſiones conductas, ergo neque ſucceſſor. Sed hæ rationes ſolum probant ſuccedere in onerosis defuncti, quando alia non adeſt prohibitio in contrarium, vel ſolum probant non ſucceſſorem eccleſiaſticum, ſed laicum cogi poſſe ad ſuccedendum etiam in conductione poſſeſſionum. Quare.

32 Reſp. Eccleſia hæres vniuerſalis poteſt proſequi in conductione teſtatoris defuncti ſi vult, non vero cogi à locatore. Probatur de proſecutione, quia licet negotiatio ſit prohibita eccleſiaſticis, cuiuſmodi eſt con-

33 ditionis contractus, maxime religioſis, *capitulo Peruenit 26. diſt. 86. capitulo 1. Ne cler. vel mon. vbi tamen gloſ. verbo Conductores,* dicit, quod ſi conductori ſuccedunt, bene poſſunt in conductione permanere *per legem Decurio ff. de decim. vnde & Gloſ. capitulo. Secundum, ſexto eodem,* vbi conductio prohibetur religioſis, exponit non eſſe licitam conductionem nomine proprio, vtique nomine monaſterij cauſa neceſſitatis, quod idem licitum eſſe docet Gloſſ. in capitulo Dilecti de decim. ergo conuentus hæres inſtitutus po-

test permanere in conductione si vult. Confirmatur quia aliud est prohiberi primo inire contractum conductionis, vt fit in prædictis textibus, aliud est conductori succedere titulo institutionis, hoc enim absolute non prohibetur. Facit illud axioma, quod facere prohibitus non prohibetur reficere arg. lege Domum ff. de regulis iuris, Felinus in capitulo. Cum accessissent, de constitutione.

Quod Ecclesia succeditrix non possit cogi à locatore probatur. Tum quia ex citata glos. capitulo primo. Ne cler. vel mon. habetur posse ecclesiasticos permanere in conductione, ergo non habent debitum persistendi, verbum enim, *possum*, sine negatione notat honestatem ex capitulo. De multa 28. de præbend. In fine ibi; *Poterit dispensari* lege Sæpe ff. de officio præcedent. vnde non importat necessitatem, *Glos. primo capitulo. Si quis 3. 21. quæstione secunda*, sed actum voluntarium; & liberum, *Bart. in lege Gallus ff. de liber. & posthum. numero quarto. Ruin. vol. 1. consilio 69. num. 12.* consequenter si in eius arbitrio est prosequi, & non prosequi in conductione, de iure cogi non potest, non enim quis cogi potest ad aliquid, si ad illud non habet debitum. Tum quia licet successor in omnia defuncti iura, etiam onerosa succedat, intelligitur tamen id, quando onus est condecens statui successoris, dedecent autem conductiones, ex probatis, personas ecclesiasticas, ergo in his non habent succedere, si nolint. Tum quia in prohibitis, quæ quandoque ex causa permittuntur, non potest cadere obligatio, cum non præcipiantur, aliud enim est permittere à præcipere capitulo. Hac ratione octaua, 31. quæstione prima. Ergo neque coactio ex parte alterius, coactio enim iuridica supponit debitum obligationis in coacto.

Quæres 14. An nouitius etiam Capucinus in suo testamento possit sibi reseruare electionem puellarum, quibus illius hæres debet quotannis soluere certam pecuniæ summam?

34 Respond. Potest de licentia sui superioris petita, & obtenta ex capitulo finali de testamentis in 6. vbi dicitur, quòd potest esse executor religiosus de licentia sui superioris, qui censetur localis; & si potest esse executor alienæ voluntatis, eo magis propriæ, cum vnusquisque propriam exequi possit voluntatem, & meliori modo, quam per tertium; & ibi glossa loquitur indistincte, de quo ius Religioso siue monacho, siue mendicante, de mente textus, vt videre est verbo Religiosus. Ad textum Clem. ex Vecchio disputatione octaua dubio 13. respondet *Diana resolutione 74. de regul.* in tali casu cessare rationem prohibitionis, quia non adsunt

35 litigia, neque pecuniæ contrectationes. Immo dicerem ego Capucinum posse de licentia sui superioris contrectare alienas pecunias exequendo voluntatem testatoris, qui illi commisit, vt propriis manibus distribueret certam summæ pecuniam, id enim non prohibetur in regula Sancti Francisci, sed tantum ne tangant pecuniam Minores in proprium suum commodum, vtilitatem, & interesse, vt videre est capitulo quarto, neque aliquid plus oneris imponit Clementina, Exiui Fratribus Minoribus, quam fecerit ipsemet Regulæ institutor. Optimum autem esset remedium ad obseruandam ad literam regulam, si ab his omnino abstinerent, cum homo etiam declinet sub prætextu aliqualis caritatis.

Quæres 15. Petrus suo testamento multa expressit credita, quorum aliqua designatis debitorum nominibus legauit cuidam conuentui, modo à debitoribus partim negantur, ab aliis vero asseruntur. An magis credendum sit in hoc casu testatori, quam debitoribus? & resistentibus soluere, cuiusdam impensis lis mouenda sit contra debitores, legatariine, an hæredis?

36 Respondetur. In foro conscientiæ magis credendum est testatori, quam debitoribus. Litem mouere spectat ad legatarium, non ad hæredes?

Primum probatur, quia in foro conscientiæ cuique creditur tam pro se, quam contra se, ex capitulo. Significasti 18. de homicid. ibi Glossa verbo credendum sit, quia nemo præsumitur immemor suæ conscientiæ, *ex capitulo Sancimus 25. c. q. 7. l. fin. C. ad leg. Iul.* maxime in extremis, vt in casu nostro, in quo etiam in foro fori præsumi potest, testatorem verum asserere in suo testamento, quod in taorum vires recipit, in quantum testator decedit, testamentum enim morte confirmatur, Hebr. cap. 9. & si ei aliquando credendum est, maxime in illo puncto, præcipue cum dispositio, & voluntas eius in testamento expressa sibi aliquod temporale emolumentum non conferat, sed aliis tantum, quos hæredes, & legatarios instituit. Accedit, quod in casu nostro, nonnulli ex debitoribus expressis fatentur debitum, ergo verisimile est etiam reliqua credita esse vera, & realia ex connexione dispositorum in testamento.

37 Secundum videtur pati difficultatem, quia legatum recipiendum est de manu hæredis, est enim legatum donatio quædam à defuncto relicta, ab hærede præ-

38 standa Instit. de legat. initio, vnde si legatarius propria autoritate ante aditam hæreditatem occuparet legatum teneretur restituere hæredi, vt illud ex illius manibus reciperet, l. 1. C. quorum legator. Tamen stet firmum superius allatum responsum, quod confirmatur, Tum quia ad eum spectat onus, ad quem pertinet emolumentum ex vulgatis iuribus, sed emolumentum legati est ipsius legatarij, ergo est onus acquirendi illud. Tum quia ille litem mouere debet, qui prætendit rem esse suam, legatum autem dicitur esse iuris legatarij, nam legatum post aditam hæreditatem recta via ipso iure transit ad legatarium, *l. A. Titio ff de fur. Glos. in cap. Raynutius de testam. l. legatum 82. de legat. 2.* immo legatum consistens in specie, vt nostrum à morte testatoris transit in dominium legatarij, nec ad id expectatur aditio hæreditatis ex citata *l. A. Titio ff. de furt. l. 1. §. Sed vsum ff. si quod in fraud. patron.* quod Doctores intelligunt esse dominium, & ius imperfectum; & ex his constat ad obiecta, nam ex eo quod spectat ad legatarium mouere litem contra debitorem, non tollitur, quin legatarius non dicatur legatum recipere, & recognoscere de manu hæredis, sunt enim distincta inter se, vt satis clarum est, hæc duo mouere litem contra debitorem, & recipere legatum de manu hæredis. Præterea res legata spectatur dupliciter, vno modo, vt legatum est, & sic recipitur de manu hæredis, alio modo, vt debitum est ab extraneo testatori, in cuius locum, & iura succedit legatarius, & hoc modo legatarius immediate agere debet contra debitorem ad obtinendum suum legatum.

Quæres 16. An legatum religioso factum sub ea conditione expressa, vt nullum ius super illud acquiratur monasterio, subsistat, & validum sit, atque non obstante ea conditione acquiratur monasterio quoad ius proprietatis, religioso vero, quoad vsum simplicem facti? *Molfesius tom. 1. sum. tract. 7. cap. 20. numero 50. Vincentius de Franchis decis. 718. Rodr. tom. 2 qu. 125. art. 2. Homobon part. 2. exam. tract. 9. cap. 8. q. 21.* dicit cum illis legatum relictum, vt habeatur à religioso independenter à voluntate prælati nullum esse; si vero relinquatur, vt nihil acquiratur monasterio, eo casu intelligendum esse annuente superiore, qui si resistat, expirare legatum. Quos pro se citat *Diana resol. 34. de regular.* interpretando illam clausulam, vt nihil iuris acquiratur monasterio, esse intelligendam, vt religiosus cum licentia superioris legato vtatur ad licitos vsus, non autem intelligenda est, vt legatarius pro suo libito vtatur etiam ad vsus illicitos, quia hanc licentiam superior dare non potest.

39 Resp. Quando testator se declarat nolle, vt monasterium acquirat ius proprietatis, & dominij, neque vsumfructum, & commoditatem, sed id totum legat religioso independenter a monasterio, & superiore, tenet legatum, quia illæ conditiones, vt impossibiles, de iure, & turpes non vitiant legatum, sed vitiantur ipsæ, vt docetur

comminiter Doctores, hoc est, reiiciuntur,& pro non adiecti habentur *cap. fin. de condit.apos. & ibi Gloss.v. Impossibiles,* vbi dicit quod in testamento turpis conditio pro non adiecta habetur *per l. Reprehenda C. de instit. & alia intra ibi citata.* Constat autem dictam conditionem vt nihil omnino acquiratur monasterio, & religiosus possideat independenter à prælato, esse contrariam, quæ religiosum incapacem fecerunt proprietatis, & subiecerunt voluntati sui superioris, respectu cuius nolle, nec velle habet, ergo tamquam impossibilis pro non adiecta habetur. Quando autem testator non se declarat expresse, sed simpliciter dicit vt nihil ea legato acquiratur monasterio, benigne interpretandus est, vt eius intentio fuerit, quod monasterium nihil commoditatis, & vtilitatis, acquirat, quod legauit soli religioso, non vero per hoc excludit monasterium à iure proprietatis, & dominij; cum per hanc distinctionem saluetur ios monasterij,& satisfiat menti testatoris, quæ in eo solum consistere videtur, vt religiosus pacifice possit gaudere, & frui legato sibi relicto, superiore non contradicente, neque auferente, vtile dominium, seu vium facti à religioso legatario. Confirmatur id, quia testator in dubio censetur se voluisse conformare, iuri communi. l. *Heredes mei §. Cum ita ad leg. Trebell. ibi Doct. Rota volum. 1. in Nouiss. decis.* 585.num.2. De hac re fuse, & perdocte more suo tractat *Sanchez lib.7. cap. 17.q.1.*

Quæres 17. An legatum relictum Petro si profiteatur religionem perdatur ab illo, si nubat,& vxore mortua, postmodum fiat religiosus?

40 Resp. Non obstante medio matrimonio legatum illud non soluitur, sed manet,& Petro debetur siue ante consummatum matrimonium consensu sponsæ transeat ad religionem, siue post copulam de illius consensu profiteatur religionem, siue demum vxore mortua ingrediatur. Probatur quia matrimonium non reddit impossibilem conditionis adimpletionem, sed tantum eam facit difficilem, aut diuturnam; ergo eum adhuc sit locus pro adimpletione conditionis sub ea adhuc suas vires habet legatum. Antecedens patet, quia matrimonium ratum tantum non impedit ingressum religionis, cum sponsus, seu sponsa eo non obstante matrimonio religionem profiteri possit, ex quo matrimonium ratum statim soluitur, *Sanch. lib. 2. disput. 18. ex communi doctorum.* Neque consummatum,cum concedatur ingressus de mutua licentia, vt clarum est ex tit. de Conuers. coniugat. post mortem alterius coniugis constat conditionem sine dubio adimpleri posse, ergo per matrimonium legatum non fit nullum, sed remanet in suo robore. Neque facit dilatio solutionis, aut petitionis legati, quia hæc temporis diuturnitas non nocet debitori, sed tantum legatario creditori, in cuius potestate est illud petere quando sibi placuerit. Nec per contractum matrimonium præsumitur renuntiasse iuri suo circa legatum, quia matrimonium non respuit statum religiosum in sensu diuiso,ea prædictis, & nemo præsumitur iuri suo renuntiare, nisi expresse id præstetur, *Doct. in l. Si quando §. Et generaliter C. de indiff. testam. Aymon. consil. 290. num.6. M. Anton. lib.1. resol.102. num.9. Rota in Nouiss. vol. 1.decis.664. num. 8.*

Quæres 18. Paulus instituit hæredem vniuersalem conuentum Fratrum N. cum onere, vt celebrarent in sua ecclesia missas viginti singulis annis incipiendo à die, quo Fratres consequuti fuerint dictam hæreditatem, & sic finito vsufructu relicto D. Lucretiæ,&c. Lucretia autem vxor testatoris relicta, quia vult omnino matrimonium contrahere petiit à Fratribus, vt sibi libere dimitterent vsumfructum, de quo non tenetur potest suam mortem restitutionem facere conuentui, vsusfructus autem erat tam mobilium, quam immobilium vnius domus, supra quam fundata erat illius dos, & alterius mulieris dos, quæ ambæ quasi totum domus pretium absorbebant. Considerantes autem Fratres nihil fere remanere pro celebratione missarum inierunt pactum cum vidua, vt tale onus faciendi celebrare post suam mortem remaneret apud illam eaonerantes se Fratres ab illa obligatione, publico instrumento dictæ viduæ non solum assignauerunt dotem cum adnexis oneribus, sed etiam cesserunt illi proprietatem vsusfructus tam mobilium, quam immobilis domus ad effectum, vt posset contrahere matrimonium; maritus vero donationem fecerat illi prædicti vsusfructus cum ea conditione, vt remaneret in viduitate, & caste viueret, alias nulla est donatio vsus fructus. Quæres, inquam, an dicti Fratres potuerint contra mentem testatoris eam viduam facere proprietariam, & dominam liberam dictorum mobilium, & domus cum pacto, vt teneretur assumere in se illud onus faciendi celebrare post suam mortem illas missas?

Videtur quod non, Tum quia mens testatoris ab hæredibus mutari non potest, cum illa omnibus modis seruanda sit, *cap. Vltima 4. 13. q. 2.cap. Tua nobis 17. de testam. & pro lege habenda est. §. Disponat, Authent. de Nupt.* Tum quia hæreditas adita, & ecclesiæ incorporata alienari non potest, vt certi iuris est. Tum quia in testamento expresse dicitur, quod Fratres in sua Ecclesia celebrent illas missas, ergo hoc onus cum iam acceptauerint aditione hæreditatis illud renuntiare alteri non possunt,nec debent, sed tenentur expressam testatoris mentem seruare. Quibus non obstantibus.

41 Respond. Fratres licite potuerunt illud ius renuntiare mulieri viduæ ad effectum contrahendi matrimonium, eo onere adiecto de celebratione missarum. Primum probatur, quia iuri suo quilibet renuntiare potest etiam religio, quando parui est momenti, vt probaui alibi in Resolut. de Alienat. Huius autem generis est renuntiatio in casu præsenti, nam cessio iuris respectu mobilium modici est momenti, cum illa vidua possit probabiliter viuere pluquam viginti annos, & sic consumere dicta mobilia, quæ nunc vix ascendunt ad valorem mille librarum. Quo ad domum, apparet testatorem nullum fere ius habere in ea, cum subiecta sit duabus dotibus, cum suis augmentis, & aliis oneribus, quæ totum fere illius pretium absorbent. Et ex his patet ad priora duo obiecta nempe in casu hoc non mutari mentem testatoris, quando ipse adiecit pactum quod tendit in fauorem hæredis, quale est hoc, vt nulla sit donatio, nisi maneat in viduitate, sed donatum redeat ad hæredes, quorum fauore dictum appositum pactum, consequenter illi contrauenire possunt & passim fiunt huiusmodi remissiones fauore viduarum vt libere transire possint ad secundas nuptias; & meo iudicio, qui testamenta faciunt instituentes suas vxores vsufructuarias eum ea conditione, vt permaneant in viduitate, maxime quando carent filiis, aliter perdant vsumfructum, prudenter agere mihi non videntur, cum status vidualis in muliere iuuene licet sit etiam quadraginta annorum, sit multum periculosus, & expositus diuersis incursionibus tentationum, vnde passim cum hæredibus conueniunt, & pactum publico instrumento diriment fauore matrimonij Neque id est prohibitum titulo alienationis in præsenti casu,in quo domus non dicitur esse testatoris, sed potius creditorum, & cessio iuriom esse rerum mobilium non prohibetur, sed tantum stabilium

42 Posterius de onere celebrandi spectari potest dupliciter, primo pro salario dando, secundo pro ipsarum celebratione; hoc secundum non potest alterari, sed Missæ celebrandæ sunt in Ecclesia Fratrum expressa à testatore, vt illius mens omnino seruetur. Neque in dicta renuntiatione mutata est intentio testatoris, cum adhuc remaneat obligatio celebrandi in dicta Ecclesia, sed solum variata sit obligatio salarij præstandi, quæ à conuentu translata fuit in personam illius viduæ, cui renuntiata fuerunt absolute illa bona, ex quibus deducere

eere ipsa habet fructus ad soluendum salarium pro celebratione missarum. Ex quo patet responsio ad tertium argumentum non mutati Ecclesiam, in qua celebrandæ sunt Missæ iuxta mentem testatoris.

Quæres 19. An legatum iam acceptum, & religioni incorporatum ea aliqua causa renunciari possit, vel transferri ab vna ad aliam Ecclesiam etiam cum onere Missarum?

43 Resp. Non potest sine licentia sedis apostolicæ, cuius solius est mutare testatoris voluntatem, præterquam quod id esset species alienationis prohibitæ, & si enim legatum repudiari possit nondum religioni incorporatum ex alibi probatis, non tamen post incorporationem, cum ius irreuocabile acquisitum fuerit monasterio.

Quæres 20. An legatum mille ducatorum relictum pro constructione vnius capellæ conuerti possit in emptionem librariæ, qua indigent studentes in quodam conuentu carente bibliotecca? suppono autem legatum nullum onus Missarum habere adiunctum, sed simplicem capellæ ædificationem.

44 Solus Papa legata ad pias causas facta ad alios vsus conuertere potest, Clem. Quia contingit, de relig. dom. ille enim solus vltimus testatorum voluntates commutat, *Tiraque. de priuileg. piæ causæ priuileg. 135. Nauar. consil. 2. de reb. Eccl. non alien. Rodr. tom. 1. qu. 27. art. 5. & tom. 2. qu. 125. art. 9. Bela part. 4. casu 22.* & alij communiter disputant tamen Doctores, an Episcopus legata commutare possit in quid æquale, vel melius; negant plures, quos contra se citat *Diana part. 1. tract. 17. Resol. 26.* affirmando posse cum Silu. *v. Legatum 4. q. 12. Vasque opusc. de testam. c. 8. §. 5. dub. 3. n. 104. Graff. tom. 2. li. 3. consil. 2. Bela loco citato, & multis aliis*, quod præstare potest tamquam

45 sedis apostolicæ delegatus ex *Tridentino sess. 22. c. 6.* vbi requiritur iusta, & necessaria causa, vtrumque copulatiue, *Moneta tamen de commut. vltim. volu. c. 6. n. 86. & seq.* docet alteram causam sufficere nimirum quando causa subest necessaria, ea consequenter est iusta; *Comitolus l. 7. respons. moral. q. 9. n. 2.* quem pro se citat Diana asserit particulam, &, sumi disiunctiue, id tamen videtur peruertere verum sensum illius dictionis, quæ ex

46 sua origine est copulatiua. Requiritur ergo causa necessaria, quæ consequenter etiam iusta est, necessitas enim negotium reddit iustum, *Reg. 4. de reg. iur.* Censetur autem causa necessaria primo quando res legata nō sufficeret ad satisfaciendum menti testatoris, *Aloysius Ricc. part. 3. decis. 558. Bertachin. lib. 4. de Episcopo part. 4. n. 71. Moneta cit. c. 5. n. 330.* Secundo, quando vsus legati non potest impleri *Gudop. decis. 556. Riccius, Moneta locis citatis.* Tertio, quando conuentus construi non potest in loco determinato *Gambarup. de potest. legati à latere l. 6. nu. 223. Riccius cit. Barbosa de Episcopo part. 3. allegat. 83. n. 10.* Quarto in casu quo legatum non esset ita necessarium ad illum determinatum vsum *Riccius 1270. Vgolin. de Episc. c. 61. n. 5. Marta part. 4. de iurisd. casu 74. n. 10. & 11. Moneta cit. nu. 354.* Quinto quando pro vna tantum vice, & ad tempus commutatio fieri potest cum consensu hæredis, *Mar. Socinus de oblat. libelli n. 19. Cuchus l. 2. instit. moral. tit. 9. n. 62. Vgolin. cit. nu. 332. Riccius 558.* Sexto, quando Ecclesia legataria negligit legatum, *Lapus alleg. 87. post n. 4. Moneta n. 335.* Demum si vrgeat ex aliqua causa commutatio, & Papa adiri non potest, licita est commutatio facta ab Episcopo ex *Moneta loco citato*, has septem causas refert Barbosa ad *prædictum cap. 6. Trident. sess. 22.* Quia diceret resolutum esse dubium argumento à potestate Episcopi ad prælatum regularem, sed quoniam Episcopus

47 non procedit Potestate ordinaria, sed delegata tamquam sedis apostolicæ delegatus, vt ibidem dicitur, ideo ab hac potestate non valet arguere ad prælatos regulares.

48 Resp. Prælati regulares habent priuilegia conuertendi legata relicta ad vnum vsum pium in alium, ex vocis viuæ oraculis Sixti IV. facta inter mortuos, & Leonis X. relicta inter viuos, vt referunt *priuileg. Collector v. Legatum. Rodr. tom. 1. q. 27. art. 5. & tom. 2. qu. 125. art. 9. cum suo Compend. res. 88. n. 12. Portel. v. Legatum, & alij communiter cum Lezana part. 1. c. 18. n. 94.* cessante scandalo, quod puto cessare, quando huiusmodi commutatio fit de consensu hæredum, quorum interest soluere legatum. Nec obstat, quod viuæ vocis oracula fuerint sublata, quia reuocata fuerunt solum illa, quæ erant præiudicialia tertio, & ex quorum vsu sequebantur scandala, & lites inter partes, vt colligi potest ex tenore Bullæ illorum reuocatoriæ vt docui tom. 1. Res.

49 31. Quare Prælatus regularis cum bona gratia hæredum poterit legatum mille ducatorum conuertere in librariam, maxime cum talis commutatio videatur esse in quid melius, & vtilius religionis, ea quo non videtur infringi voluntas testatoris, sed in melius commutari, arg. cap. Peruenit, de iureiur. cap. Scripturæ, de voto. Quod autem huius conuersio sit in quid melius, & vtilius suadetur, quia in mundo Deo fauente infinitæ sunt Ecclesiæ, innumerabiles capellæ, librariæ verò paucæ, maxime apud regulares, ergo maior est indigentia librorum quam capellarum, ergo melius est & vtilius loco capellæ ædificare bibliotecam. Deinde hæc capella nulli vtilis futura est, cum dici possit vidua, in qua rarissime celebrabitur, cum dotem nullam habeat, libraria verò non solum religiosis vtilis est, quibus multum necessaria est, cum libris careant, verum etiam Christi fidelibus, nam religiosi ex illius libris, & studio virtute perfecti suam Doctrinam per totum orbem disseminate poterunt iuxta illud Prouerb. 15. *Labia sapientum disseminabunt sapientiam.* Liceat mihi referre Ciceronianam sententiam *lib. 2. offic. Quid enim post Deos optabilius? quid præstantius? quid melius? quid omnino dignius sapientia.* Ex prædictis ergo bene inferri potest commutationem mille ducatorum à fabricatione capellæ in erectionem librariæ esse quid melius, & vtilius ea conditione rei.

RESOLVTIO LVI.

Diuersorum.

SVMMARIVM.

1 *Metus mortis grauissimus.*
2 *Non tamen excusat in malis intrinsece.*
3 *Falsitas ex suis intrinsecis mala.*
4 *Metus quantumuis grauis non deobligat à restitutione.*
5 *Irregularitas exercitio ordinis quam quis non habet duo requirit.*
6 *Epistolam canendi non subdiaconi priuilegium habenti non requiritur. 9.*
7 *Præconium Paschale à non diacono cani non potest.*
8 *Præconium tria specialia continet.*
10 *Mons pietatis licet destructus, reficiendus est.*
11 *Absolui non potest indignus mortem minans.*
12 *Absolutio indigni intrinsece malum.*
13 *Excommunicatus vitandus metu mortis absoluere non potest.*
14 *Baptisma sine intentione collatum est nullum.*
15 *Protestatio contraria facto quando releuat.*
16 *Oneribus ordinariis tantum subiiciuntur Ecclesiastici.*
17 *Tertiarij habent exemptionem ab oneribus.*
18 *Carcerandi non sunt extrà religiosi.*
19 *Præcedentia ius in lectore non legente.*
20 *Lectoris munus dicitur officium.*
21 *Episcopus reuersus obtinet ius antiquum præcedentiæ.*
22 *Triremibus reuersus amittit ius præcedentiæ.*
23 *Nobilitas duplex sanguinis, & virtutis.*
24 *Nobilitas virtutis tripliciter acquiritur.*
25 *Nobilitas virtutis præstantior altera sanguinis.*
26 *Nobilitas sanguinis non laudatur in se.*

27 *Monachi*

27 *Monachi ab initio laici, non clerici.34.*
28 *Nobilitas professione amittitur, contra 35.*
29 *Religiosi omnes indifferenter apti.*
30 *Ecclesia fundata in plebeis.*
31 *Religio status nobilissimus.*
32 *Apostoli nobiles.*
33 *Ecclesia nobilis.*
36 *Infames,& irregulares, & excommunicati valide profitentur.*
37 *Illustrissimi nomen non conuenit religiosis.*
38 *Cantus melior quam simplex recitatio.*
39 *Infamia, & Fama quid.*
40 *Infamia iuris quomodo incurratur.*
41 *Infamia facti quomodo incurratur.50.*
42 *Notorium quid?*
43 *Famosum, Manifestum, & Notorium diuersa.*
44 *Fama in quibus probet.*
45 *Fama leue indicium ad inquirendum.*
46 *Manifestum quid?*
47 *Notorium quid?*
48 *Manifestum,& notorium in quo differant? 52.*
49 *Notorium iuris,& facti.*
50 *Infamia facti quando incurritur.*
51 *Nauar. ad notorium requirit sex personas.*
52 *Notorium maiorem euidentiam habet Manifesto.*
53 *Infamia quomodo probetur.*
54 *Infames regulares ad ordines recipiendos, & exercendos.*
55 *Infames ineligibiles ad dignitates.*
56 *Infamis eligere non potest.*
57 *Infamia dispensatur a Papa.*
58 *Et à prælato.*
59 *Infamia item facti, & per emendationem*
60 *Disciplina vt sic non inducit infamiam.*
61 *Infamis non repellitur ab officiis sine dignitate.*
62 *Triremium pœna contra facinorosos tantum.*
63 *Fustigatio,& Remigatio æquiparantur.*
64 *Triremium pœna ex se non infamat.*
65 *Opinione vulgi non est pœna.*
66 *Crimen non omne inducit infamiam.*
67 *Percussio vt sic infamiam non inducit.*
68 *Opinio vulgi non inducit infamiam legitimam.*
69 *Prosodiæ, & interpunctionis defectus peccatum veniale.*
70 *Ornatus elocutionis à diuinis scripturis.*
71 *Reus non tenetur respondere, nisi iudex iuridice illum interroget.*
72 *Ordo iuris, vt reus possit interrogari.*
73 *Iudiciorum tres via denuntiationis, Inquisitionis, & Accusationis.*
74 *Denuntiatio quid sit?*
75 *Denuntiatio requirit quatuor conditiones.*
76 *Denuntians tenetur probare suum dictum.*
77 *Non autem si se gerat vt testis.*
78 *Occulta non denuntiantur.*
79 *Emendatus quando non denuntiatur.*
80 *Inquisitio& quid quotuplex?*
81 *Episcopi singulis annis inquirunt.*
82 *Visitatores item regulares.*
83 *Quid obseruare debeant.*
84 *Subditi inquisiti quid respondere.*
85 *Prodere se nemo tenetur.*
86 *Specialis inquisitio supponit infamiam de iure.*
87 *Infamia, & clamorosa insinuatio.*
88 *Inquisitus quomodo respondeat?*
89 *Iudex procedit contra particularem fama etiam non prauia.*
90 *Etiam regularis.*
91 *Apices iuris non seruant.*
92 *Iudicia ad inquirendum quæ?*
93 *Manifestum delictum, occulta persona, inquiritur trib. modis.*
94 *Generali inquisitione.*
95 *Visitatione cellarum.*
96 *Appellatio de facto datur.*
97 *Visitatio de facto vltra se non extendit.*
98 *Liber imprimendus sit apud impressorem.*
99 *Legatum in donatione reuocabile.*
100 *Donatio contractus nominatus.*
101 *Donatio reuocabilis ex donatario.*
102 *Accessorium non semper sequitur principale.*
103 *Vota argentea in lampadem.*
104 *Alienatio inutilium non prohibetur.*
105 *Pretiosa ad nullum vsum alienantur.*
106 *Legalitatem non requirunt litera superiorum.*
107 *Argumentum ab Episcopo ad superiores.*
108 *Legalitas actus iuridicus superioris.*
109 *Excommunicatio ob interdictionem in quodam casu non incurritur.*
110 Diabolo suadente, *quid importet.*
111 *Irregularitas non incurritur, si mors sequatur ex dicto iocoso.*
112 *Voluntarium homicidium duplex.*
113 *Irregularitas ex quo homicidio fiat?*
114 *Statutum, quod Doctores forenses non admittantur ad lucra, iniquum.*
115 *Doctor, vt lucretur pro Doctoratu, quid requiritur?*
116 *Ieiunus non existens non desistit ab incepta missa.*
117 *Missæ partes essentiales tres.*
118 *Ieiunium ex vsu totius Ecclesiæ ante communionem*
119 *Missa vix relinqui potest sine scandalo.*
120 *Contritio non est necessaria celebranti in ieiuno.*
121 *Confessio necessaria ante celebrationem, etiam parato ad altare.*
122 *Missa cœpta non recedit sacerdos.*
123 *Verba illa.* Si offers munus tuum ad altare,&c. *exponuntur.*
124 *Sacerdos ad altare non vocat confessarium.*
125 *Confessio non interrumpit sacrificium.*
126 *Confitetur celebrans in actu Missæ.*
127 *Sacerdos celebrans cum peccato oblito non tenetur conteri.*
128 *Sacerdos celebrans cum casibus reseruatis quid agat?*
129 *Excommunicatus celebraturus necessario absoluitur saltem à peccatis.*
130 *Celebrans verò actu conterat de peccato non de censura.*
131 *Celebrans coram excommunicato quomodo se gerat.*
132 *Pœna celebrantis coram excommunicato, & quanam. 138.*
133 *Missam cœptam deserentis pœna.*
134 *Tempus futurum comminatur pœnam.*
135 *Verbum, Sit, quid importet?*
136 *Præsens imperatiue duo importat.*
137 Anathema sit. *quando est lata sententia?*
138 *Excommunicatio,& suspensio à celebratione pœna.*
139 *Mensæ benedictio in hebdomada sancta quomodo facienda?*
140 *Missarum reductio in quodam casu tenet.*
141 *Officium vnicum non est reducibile.*
142 *Missas reducere quid?*
143 *Missas celebrandi quædam obligatio.*
144 *Tertiarij persona Ecclesiastica.*
145 *Ecclesiastica persona quæ? verius 151.*
146 *Tertiarij gaudent priuilegio fori.*
147 *Tertiarij gaudent priuilegio canonis.*
148 *Prætor Tertiarium expolians, non fuit excommunicatus.*
149 *Tertiariorum quatuor genera.*
150 *Tertiarij seculares simpliciter sunt. Eorum votum simplex. 152.*
153 *Priuilegio fori non gaudent.*
154 *Canonis priuilegio non gaudent.*
155 *Vtique viuentes in communitate.*
156 *Inseruientes monialibus.*
157 *Mulieres item vouentes castitatem.*
158 *Coniugata Tertiaria non gaudent.*
159 *Missa vnica de nocte Domini.*

160 *Eam*

160 *Eam celebrat Parochus post cantatam.*
161 *Eucharistia de nocte non sumenda.*
162 Absoluo ic, *extendi potest tam ad peccata, quam ad censuras* 163.164.
165 *Absolutio data à regulari sine licetiâ Parochi tenet.*
166 *Confessarij regulares omnium excipiunt confessiones.*
167 *Sacerdos proprius etiam confessarius regularis dicitur.*
168 *Absoluit valide contradicente Curato.*
169 *Iurisdictio absoluendi à Papa immediate.*
170 *Licentia curati suo subdito confitendi extra vana est.*
171 *Parochianus quando de licentia confitetur alieno?*
172 *Licentia parochi pro confessionibus non est conditio.*
173 *Parochianus confitetur regulari contradicente suo parocho.*
174 *Alieno non confitetur nisi de licentia proprij. Explicatur id.*
175 *Grammatica sensus alterius verus etiam passiuus, & è contra.*
176 *Prohibens habet potiorem rationem. Explicatur.*
177 *Moniales melius gubernantur per regulares,*
178 *Præsentatio pro absolutis reseruatis censuris.*
179 *Non autem pro reseruatis peccatis.*
180 *Campana incendio pulsantur Triduo.*
181 *Parochus quis proprie dicatur?*
182 *Parochus non vocat simplicem sacerdotem pro suis audiendis.*
183 *Neque extraneum alterius Diœcesis.*
184 *Sed tantum alium propriæ Diœcesis.*
185 *Diana sibi contradicit in prædictis.*
186 *Vicarius reuocatus statim eligi non potest.*
187 *Apostata vi sic non est iure excommunicatus.*
188 *Apostasia quid?*
189 *Pauli IV. pœna contra apostatas sublata.*
190 *Peyrini opinio, quod apostatæ sint excommunicati, reijcitur.*
191 *Lex duo habet finem, & materiam.*
192 *Apostatas recipientes punitur.*
193 *Finis legis non cadit sub præcepto.*
194 *Doctores asserentes non esse excommunicatum apostatam.*
195 *Apostata infames non sunt.*
196 *Apostata eligibiles sunt.*
198 *Papa reuocat male factum.*
199 *Altare priuilegiatum duplex esse non potest in eadem Ecclesia.*

Notarius, qui metu mortis coactus fuit ad conscribendum instrumentum falsum, debet totis viribus procurare illius rescissionem, sed quoniam casus fere effectus est impossibilis, quia in ipsa confectione instrumenti dedit parti copiam extractam ab originali autenticam, ideo videtur teneri ad restitutionem damnorum prouenientium ex falsitate dicti instrumenti, neque excusatur per illum metum cadentem in constantem virum, & si enim metus grauis, qualis est, & grauissimus, & maximus mors, imminens probaliter, excusat à peccato, vt docent omnes, dum agunt de causis excusantibus à peccatis, & à censuris. *cum Sanch. lib. 1. cap. 18. Bonac. de caus. excusant. à peccat. p. 2. nu. 3. Clau. Regia lib. 2. cap. 3. num. 50.* non quidem semper, & respectu cuiuslibet præcepti, aut prohibitionis, cum non excuset in iis, quæ sunt intrinsece mala, vt affirmant omnes apud citatos; sed ille notarius deliquit in eo, quod intrinsece est malum nempe in falsitate instrumenti, nam falsitas ita intrinsece est mala, vt nulla ratione cohonestari possit, & vestiri aliena circumstantia bona, per quam actus humanus de malo exeat bonus. Consequenter cum peccauerit in re graui, & mortaliter contra virtutem iustitiæ inferendo damnum proximo, sine dubio ad restitutionem tenetur, cum omnis actus iniustitiæ hominem alterius lædentem reddat obnoxium restitutioni, neque per metum quamuis grauem ab hoc onere deobligetur, per ea, quæ habent *Less. lib. 2. cap. 13. numero 29. Bonac. quæstione 2. de Restitut. p. 10. numero 3. Vide Sayr. lib. 12. cap. 23. numero 7.*

Quæres autem 2. An nondum Diaconus Præconium Paschale *Exultet* in die Sabbati Sancti sine nota irregularitatis cantare possit, maxime, quando pauci sunt clerici, & ille inter alios cantu est peritior, aliis fere ignaris? & videtur quod sic I. ad incurrendam hanc irregularitatem duo requiruntur ex Doctoribus super cap. 1. & 2. de cler. non ordin. minister. vnum est intentio ministrandi serio, & ex officio, alterum fungendi eo officio solemniter, ac si esset diaconus vtendo propriis illius vestibus; sed ille clericus eam intentionem non habuit ministrandi ex officio diaconi, sed voluit tantum supplere defectum diaconi ignari cantus, neque illud præstitit solemniter, cum non fuerit vsus manipulô, neque stola more diaconi, sed sola Dalmatica, quæ etiam quandoque non solum simplices clerici, sed etiam secolares vestiuntur pro deferenda cruce in processionibus sine scrupulo alicuius peccati, cum vsus id licitum fecerit. II. Mendicantes, in quorum numero est dictus clericus, habent priuilegium canendi epistolam etiam cum manipulo. Ergo & hoc Præconium sine manipulo. III. Id fecit ex necessitate in defectum ministri, in quo casu excusatur sic ministrans, vt habet *Gloss super c. 1. de cler. non ord.*

Respond. Ille religiosus non potuit canere Angelicam, vt aiunt, sine incursu irregularitatis, vnde si admonitus fuit de hac pœna, illam non euasit præsumens canere.

Probatur, quia continet illud Præconium tria specialia, quæ à solo Diacono, vel sacerdote præstari possunt, & non ab aliis inferioris ordinis clericis, primo namque eam cantans, dicit, se suis immeritis agregatum fuisse in numerum Leuitarum. 2. Diaconorum, quod est mendacium formale respectu non Diaconi. Deinde, debet proferre ea verba: *Dominus vobiscum.* quæ solis Diacono, & Præsbitero competunt. Tertio in ipso cantu benedicit cereum Paschale, benedictio autem, hoc excepto casu, est solius sacerdotis, ergo omnibus modis ab hac spirituali functione excludendus est non Diaconus, neque sacerdos. Confirmatur, quia non potest cani nisi solemniter, & ex officio, cum tales actus habeat necessario connexos cum officio, ergo à solo Diacono, neque videtur induci posse consuetudo, vt cani possit ab alio ministro inferiore, obstantibus dictis specialitatibus, quæ non considerantur in cantu epistolæ, quæ etiam à secularibus superpelliceo indutis cantatur quandoque, & ab Acolito cum solo sacerdote, vt habetur ex Rubr. 6. numero 8.

Ex his patet ad obiecta, nam ad primum dico illa duo requisita non exprimi in cap. præcitato, sed ibi simpliciter prohiberi actum ordinis non ordinato. Præterea illa duo vere effecit ille clericus & serio, & solemniter ministrauit, serio quidê quia non loco cantauit, solemniter verò, quia licet non detulerit stolam, fecit tamen tales fonctiones, quæ sine solemnitate fieri nequeunt, & non sufficit non habere intentionem operandi tamquam diacono, quia actuale illud opus est factum contrarium intentioni, quam destruit, siquidem protestatio contraria facto non releuat potestatem, sed factum contra intentionem perimit protestationem. Ad secundum, nunquam vidi tale priuilegium. Et S C. in Getund. 21. Aug. 1601. vetuit clericos in minoribus assumi ad canendum Epistolam, & Euangelium, etiam si sit penuria Ministrorum, consuetudine non obstante Barbosa Bulla v. Clericus 1. Ad tertium dico, quando non adsunt Ministri, aut omittatur officium illud, aut vocentur Ministri, vel ipsemet sacerdos suppleat. Neque excusatur si dicat ille clericus se fungi officio cantoris, quia præter cantum dicitur exercere illos actus quia

qui sunt Diaconi, simul cum cantu, cui adnexa est ceteri benedictio, illius accessio, ipsiusmet canentis excusatio. Et Summistæ agente de irregularitate, quæ incurritur ab exercente actum ordinis, quem non habet, loquuntur præcise de cantante epistolam, cuiusmodi sunt *Aug. v. Irregul. n. 38. Tabien. 4. nu. 1. Silu. num. 14. Nau. cap. 27. n. 242. §. Septimo, Megal. part. 3. lib. 7. cap. 1. n. 29. Bonac. verò quæst. 3. de irregul. p. 6. n. 2.* adiungit Euangelium, dicendo sic canentem non exercere actum ordinis, seu fungi officio cantoris, quæ ratio si valeret, posse etiam dicere simplicem clericum posse canere Missam fungendo præcise officium cantoris.

Quæres 3. Circa institutionem Montis Pietatis iuxta tenorem sequentium verborum. *Item iure legati, & alio omni meliori modo, &c. leganit, & legat, relinquit, & iussit, mandauit, ac ordinauit dictus testator, quod dicti, & infrascripti hæredes teneantur erigere, fundare vnum Montem Pietatis pro subleuamento pauperum oppidi, & iurisdictionis N. Et quod ideo debeant statim sequuta morte dicti testatoris exponere bis mille libras mutuandas gratis, & pro amore Dei omnibus, & singulis pauperibus dicti loci, & iurisdictionis, posito tamen per eos, respectiue referendo idoneo, & sufficienti pignore pro cautione, & securitate pecuniarum, quæ eisdem pauperibus, seu pauperi mutuabuntur, & dicti heredes, & hæredum eorumdem herodes teneantur, & obligati sint de suo proprio, & eorumdem propriis expensis, & in perpetuum soluere condignam mercedem illi personæ ab eisdem dominis hæredibus, ac eorum successoribus pro tempore, & in perpetuum, vt supra, deputanda, quæ curam, &c.*

9 Mortuo testatore hæredes statim adimpleuerunt eius mentem, exponendo bis mille libras, & incipiendo mutuare pauperibus, & cum summa prædicta pecuniæ hostium incursione, & inuasione ex parte sublata fuerit sine culpa hæredum, vt fertur, redintegrata, & secundo eorumdem depopulatione, pœnitus ablata, & mons in totum destructus. Quærunt modo hæredes an teneantur reficere Montem, aliam pecuniæ summam exponendo ad mutuum?

Negatiua pars videtur amplectenda. I. Quia hæredes iam executioni mandauerunt mentem testatoris, exponendo pecuniam, & mutuando illam pauperibus, ergo ad nihil aliud amplius tenentur, eo quod sermo simpliciter prolatus intelligitur de prima vice. l. *Dotis promissio ff. de iure dot. l. Bones §. Hoc sermone ff. de verbis signif.* II. Quia testator præcipit erectionem Montis vnius, quod consistit in expositione pecuniarum, & non illius refectionem, de qua nulla mentio, & mens testatoris in vnum casum concepta ad alium extendenda non est, de communi testatur *Paris. consil. 87. num. 50. lib. 2. & ex eo Soarez in suo Thesaur. lit. T. n. 102.* III. Quia hæres non tenetur secundo ad idem legatum, quamuis expressu in dispositione, quando legatarius perdidit primum iam acceptum. l. *Fidei commissa §. Si quis decem ff. de leg. 3. Silu. ver. Legatum 3. in fine, Tabien. & Ang. eod. numero 44.* ergo à fortiori neque isti hæredes tenentur Montem reficere. IV. Quia in obligato ad celebrandum quotidie ex fructibus super tali capitale cessat obligatio, capituli cum fructibus destructo sine eius culpa, vt docent cum *Frassin. sect. 4. de oblig. sacerdot. concl. 4. §. 27. Honcala, & Peroz,* ergo idem dicendum in casu nostro.

10 Respond. Tamen, prælibati hæredes tenentur reficere Montem toties quoties apud erit, seu vt magis proprie loquar, tenentur prosequi expositionem, & mutuationem dictarum librarum bis mille pauperibus. Quod probo præmissa definitione Montis Pietatis, & legati, definitio enim est sermo decisiuus cuiuslibet quæstionis.

11 Montem pietatis quidam vocant summam pecuniæ, vel alterius rei vsu consumptibilis publicè expositam pro communi vtilitate pauperum, quibus mutua datur accepto pignore idoneo pro securitate denarij Montis mutuo dati. Hæc descriptio materialis est fundata in ratione eiusdem formali consistente in duplici iure, quorum vnum ex parte mutuantis importat obligationem mutandi pecunias pauperibus, alterum ex parte mutuatarij dicit facultatem, pignore dato exigendi mutuo ex pecuniis massæ à mutuante. Itaque ex parte mutuatoris est obligatio distribuendi mutuo pecunias massæ pauperibus, vnde Mons io patrono supponit aliam obligationem, nempe, manutentionem pecuniarum, propriarum iuxta designatam summam, quibus succurratur pauperibus, ac proinde Montem fundans continue debet habere in promptu pecuniam, pro indigentiis pauperum; & cum huiusmodi pecunia dum est apud ipsum patronum dicatur illius propria consequens est, vt subster illius periculo, iuxta communem illam regulam. *Res domino suo perit.* deceptam Rom. 4. ibi; *Domino suo stat, aut cadit. ex cap. Nullum 10. 30. q. 5.* sicut ex illa negotiande, dum pauperes non egent, lucrum facit suum. Deinde ex parte mutuatarij, hoc est, pauperum, adsunt præsertim duæ obligationes fundatæ in illo iure, & dandi pignus æquiualens pecuniæ mutuo acceptæ, & restituendi eas præfiao tempore à legibus Montis, ad quod constringitur, licet pecunia actu mutuo accepta eodem numero casu pereat, quia mutuatione dominium illius acquisiuit, ac proinde illius periculo substare dicitur ex præcitata regula. Ex his ergo constat, Montem in se includere contractum mutui cum quo conuenit in eo, quod vterque contractus vocari potest, in quo dominium pecuniæ à mutuatore transfertur in mutuatariū, & in vtroque aliquid accipi potest, non ratione mutui, sed damni emergentis, aut lucri cessantis, aut expensarum ea illo prouenientium. Adest etiam differentia, quod in simplici mutuo non datur coactio, & necessitas mutuandi sicut in publico Montis, in quo patronus est mutuator necessarius ea lege Montis; in eo etiam impræstatio fieri potest sine pignore; Mons verò cum pignore exercetur ob illius conseruationem, & securitatem.

Legatum prædictum, applicando præfata ad casum nostrum, ex parte hæredum est obligatio exponendi, & mutuandi libras bis mille pauperibus ab illis contracta post aditam hæreditatem testatoris defuncti. Ex parte verò pauperum, qui dicuntur legatarij est donatio iuris exigendi mutuo ea dicta pecunia gratis à præfatis hæredibus. Colligitur idea Doctorib. agentib. de Monte, & legatis. His præmissis.

Probatur responsio. Tum quia hæredes defuncto testatore, & adita hæreditate statim contraxeruut obligationem exponendi dictam summam, & gratis mutuandi pauperibus, & consequenter illi pauperes acquisierunt ius exigendi mutuum; hoc autem ius reciprocum, & perpetuum de mente testatoris, vt de se patet verbis claris testatoris, ergo illum perpetuò manutenere debent. Tum quia obligatio mutuandi non pendet à massa pecuniæ, quæ est materia motui, sed ex adita hæreditate, quæ illud onus perpetuum adnexum habet. Tum quia summa pecuniæ non specificatur, neque demonstratur in indiuiduo, imò neque in genere subalterno, sed in remoto, ibi: *Debeant statim secuta morte dicti testatoris exponere bis mille libras mutuandas.* Non designando locum, vbi actu reperiantur, neque ex quibus bonis in specie colligendæ sint, hæreditarisne an aliorum; ergo simpliciter obligati manent ad exponendam dictam pecuniam in genere, ac proinde cum genus perire non possit l. *In ratione §. Incertis ff. ad leg. falsid. Incendium ff. si cert. pet.* dicta summa substituenda est toties, quoties deperditur. Tum quia res deperit domino suo, ex vulgatis iuribus ergo illa summa debet perire hæredibus; non pauperibus. Tum quia sicut pecunia exposita, & iam tradita mutuatori illi soli perit; ita nondum exposita, sed in massa debet perire ipsi Patrono. Demum Mons perpetuo est duraturus, vt est clara testatoris voluntas, & mens, ergo ab hæredibus manutenēdus est nouis pecuniis superadditis; si enim tota massa exhauriretur mutuatione, adhuc restituendus esset aliis pecuniis, cum mons non consistat in illa speciali massa, sed in obligatione manutenendi illam in genere.

Argumentis

Argumentis obiectis vnica ſatisfit reſponſione, ea ſupponere totam rationem Montis conſiſtere in illa materiali maſſa pecuniæ l. quaſi ea destructa & abſumpta non amplius durent iura Montis, quod eſſe falſum ſuperius oſtendi. Ad primum ergo patet fundationem Montis non conſiſtere præciſe in cumulo pecuniarum, ſc. in perpetua obligatione mutuandi ex illis pecuniis bis mille, hoc enim legatum eſt ex genere illorum, quorum executio habet tractum ſucceſſiuum. Ad ſecundum Montem non dici proprie refici, ſed continuari in ſua erectione, & fundatione babendo ſemper expoſitam pecuniam in habitu, vel actu. Ad tertium, legatum de quo ibi, expediri per vnicam executionem, licet iterum præcipiatur, aliter ſæpius ſe amiſiſſe conqueri poſſet, ait Amilla legatum *n.* 29. in caſu autem noſtro exequitur per tractum ſucceſſiuum. Ad quartum obligationem celebrandi eſſe fundatam in eo capitali vti principali, vnde eo deſtructo ceſſat obligatio, *arg. reg.* 42. *in* 6. in caſu præſenti obligatio originem trahit à teſtamento acceptato ab hærede, quod habuit ſuum effectum adhuc extantem, & ideo neceſſe eſt obligationem durare perpetuo iuxta mentem teſtatoris.

Quæres 4. An confeſſarius ſine peccato poſſit abſoluere indignum mortem ſibi comminantem niſi abſoluat? Quid ſi fingat abſoluere non proferendo tamen formam eſſentialem? Et quid, ſi proferat formam, ſine intentione abſoluendi. An in his peccet? vel excuſetur ob metum grauem, & cadentem in conſtantem virum?

Videtur poſſe abſoluere etiam ſerio ſine peccato ad euitandam mortem. I. quia ſacerdos poteſt, immo debet miniſtrare Euchariſtiam occulto peccatori publice petenti, vt euitet eius infamiam, docent communiter doctores, quos pro ſe citat *Bonac. q.* 6. *de ſacrã. p.* 4. *n.* 4. in hoc enim caſu magis vrget præceptum ſeruandi famam, quam iure miniſtrandi hoc ſacramentum, quod in hoc caſu ſuſpenditur, *Becan.* 5. *de ſacram. in genere q.* 8. *n.* 4. Deinde maius malum eſt mors, minus infamia, ergo ſicut licet miniſtratio illius ſacramenti, & huius a fortiori, cum illud inter alia ſit primum, & præſtantiſſimum. II. Sacerdos exercet actionem de ſe bonam, & ſolum permittit alterius peccatum ex iuſta cauſa, vt ita docent, *Nugn. part.* 3. *q.* 80. *diff.* 4. *Suar. de Euchar. diſp.* 67. *ſect.* 1. *ad finem, quos citando ſequitur Bonac. q.* 6. *de ſacram. p.* 4. *n.* 14. quibus non obſtantibus.

11 Reſpond. Confeſſarius abſoluens indignum verba formæ proferendo etiam ſine intentione, non excuſatur à ſacrilegio, vt mortem euitet; vtique vero ſi fingat abſoluere, & non abſoluat.

Illud probatur, quia metus mortis non excuſat in iis, quæ ſunt intrinſece mala, & nulla circumſtantia 12 poſſunt cohoneſtari, & fieri licita, vt tradunt omnes in materia de Metu: huiuſmodi autem eſt abſolutio attentata in indignum, cum confeſſarius attentet irritum facere ſacramentum, & ſic illud irreuerenter, & imprudenter diſpenſare, quod eſt contra diuinum præceptum naturale, quo præcipitur diſpenſatorem, qui bona domini ſui diſpenſat, debere ſe fideliter, & prudenter gerere, vt docet *Becan. cap.* 5. *q.* 8. *n.* 2. *Suar. cit. ſect.* 1. §. *Ex quibus*, ac proinde peccatum ita im-13 mutabiliter malum, vt eius actus cohoneſtari non poſſit. Deinde ſicuti excommunicatus vitandus peccat mortaliter intentando abſoluere, vt effugiat mortem, *Sanch. lib.* 1. *cap.* 18. *n.* 8. *vbi pro ſe citat. Suar. & eoſdem cum Auila Bonac. q.* 8. *de peccat. p.* 2. *n.* 7. §. *Præterea.* ea ratione, quia intentat facere irritum ſacramentum, quod eſt intrinſece malum, ita & abſoluere indignum, cum ratio illa militet. Excuſatur vero à peccato fingendo abſolutionem, quia fingere ex rationabili cauſa nullum eſt peccatum, iuxta illud Chriſti, *Finxit ſe longius ire.*

Argumentis ſatisfit. Primo, eſſe diſparem, rationem, quia illa duo præcepta non concurrunt in caſu noſtro, in quo confeſſarius ille non habet obligationem tuendi vitam propriam, verum potius permittendi ſui ipſius mortem, vt peccatum euitet. Secundo maius malum eſſe mortem in eſſe naturæ, quia eſt priuatio vitæ, non in eſſe mortis, in quo nullum, ſed magnum meritum mori, ne iniuria fiat ſacramento, in quo genere maius malum eſt infamia, vnde *l. Iſti quidem ff. de eo quod metus. l. Si quis forte, & in fine ff. de pœnis*, dicitur, quod viris probis magis æſtimatur fama, quam mors, vt refert *Lelius Iordanus in tract. de cauſis maior. epiſc. ad Papam refer. cap.* 1. *n.* 7. Tertio actionem illam nulla ratione dici bonam, ſed immutabiliter malam, cum ſit ſacrilegium attentatis irritationem ſacramenti, vnde confeſſarius peccat non ſolum ratione irritationis ſacramenti, ſed etiam cooperationis ſacrilegij ex parte indigni. Demum in aliis ſacramentis actio cohoneſtari poteſt, vel ſaltem interpretari indifferens, maxime cum ſacramentum conficiatur, licet non ſequatur gratia in ſuſcipiente obicem ponente, in abſolutione vero irritum ſit ſacramentum, hoc ipſo quod forma applicari non poteſt materiæ, ſicut in aliis ſacramentis ſuum ſortitur effectum.

Quæres 5. An teneat Baptiſmum collatum à miniſtro ſub hac duplici intentione *Habeo intentionem faciendi quod intendit eccleſia. Habeo intentionem non baptizandi hunc infantem.* facta tamen ablutione, & verbis prolatis cum cæteris requiſitis, excluſa ſecunda intentione? Videtur quod ſic, & quia intentio eccleſiæ præualet intentioni miniſtri, vt publicum præualet priuato; & quia factum directe deſtruit proteſtationem, qui enim dedita opera proximum percutit non intendendo illum lædere, certe vtique illum offendit, non obſtante proteſtatione; ſic ille miniſter applicando verba formæ baptiſmi materiæ per ablutionem externam factam ſuper caput infantis cum aqua baptiſmali dicitur vere baptizare, ſicut ille vere alterum lædit percutiendo.

14 Reſpond. Nullum baptiſma, quia certum eſt de fide ſeſſ. 7. can. 11. definitum ad valorem omnium ſacramentorum requiri intentionem in miniſtro; ſed hæc abeſt in hoc caſu vt ſupponitur, ergo nullum. Neque intentio eccleſiæ vt ſic, & in actu ſignato nullius eſt efficaciæ, niſi applicetur per intentionem exercitam miniſtri, cum tamquam in habitu ex ſe non operetur, ſed in actum exeat per actualem intentionem exercitam à miniſtro, & ſic patet ſolutio ad prius; ad poſterius, factum non deſtruit proteſtationem, cum hæc de eſ-15 ſentia actus, vnde gloſ. ſine præiudicio cap. 9. de conſtit. ait illud axioma, Proteſtationem contrariam facto non releuare proteſtantem, non habere locum, quando proteſtatio eſt contra ſubſtantiam actus; ſic in caſu hoc proteſtatio negatiuæ intentionis eſt contra ſubſtantiam baptiſmi, quod confici non poteſt ſine intentione.

Quæres 6. An bona regularium acquiſita quouis iure ſubiecta ſint oneribus, itaut poſſint grauari in occurrentibus indigentiis, ſicut à principe, aut communitate grauantur bona ſecularium?

16 Reſpond. Sunt ſubiecta oneribus ordinariis de iure communi, non autem extraordinariis. Iure vero priuilegij ab vtriſque exempta ſunt. Primum probatur *per cap. Si tributum* 24. *cap. Magnum* 25. 11. *q.* 1. *cap. Conuenior* 20. *cap. Si tributum* 21. 23. *q.* 8. Capita tria priora ſunt D. Ambroſij fundata in dicto Chriſti, *Reddite, quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari*; poſtremum Vrbani Papæ quæ de ordinariis oneribus explicant. *Innoc. in cap. Non minus de Immun. Caldar. conſ.* 3. *n.* 2. *Archid. in cap.* 1. *de Immun. in* 6. *Ioan. And. ibidem n.* 5. *Gemin. n.* 9. *Abbas conſ.* 53. *n.* 1. *quos & alios citat Meg.* 1. 2. *lib.* 2. *cap.* 17. *n.* 98. *Quar. v. Veſtig. lim.* 4. *Silu. v. Immunitas* 1. *q.* 5. Ratio eſt, quia ex vulgatis iurib. Res tranſit cum onere ſuo, *capit. Ex literis, de pignorib. & aliis textib. ibi citatis à Gloſ.* quod procedit

etiam in transitu ad Ecclesiam, vt multis citatis Doctoribus refert *Barb.Va⁊.Iut. R.n.17.* quod ad onus ordinarium *Megal.t.2.l.2.c.17.n.115. & consil 93.Vide Resol.* 58.n.369.

Quod autem non subiiciantur extraordinariis, & de nouo impositis decernitur, capit. Nnn minus, capit. Aduersus, de Immunit. in quibus locis talia imponentes cum suis fautoribus excommunicantur ibidem, & in Bulla Cœnæ Domini excomm. 18. Quæ procedunt tam bonis antiquis, quam nnuiter acquisitis, seu acquirendis quouis iure, quia bona Ecclesiæ dicuntur, quæ ab Ecclesiasticis possidentur quolibet tempore, & quouis iure.

17 Iure autem priuilegij, quod amplissimum, concessit Pius V. apud Confect.pag.201. incip. Dum ad vberes, sunt exempti à quouis onere siue ordinario, siue extraordinario. Similis exemptio nostris concessa fuit ab exordio, per Greg.IX. Nimis pateatet. Dat.26.Maij 1227. & in alia einsdem incip. Detestanda item Sixtus IV.constit.Sacro-sancta, apud confect. 82. Quod non teneantur soluere Decimas, neque collecta. Alex.6.constit. Intelleximus, Leo X.constitut.incip.Dudum felicis *Vide Rodr.tom.2.qu.65. per totam, & de tertiariis præsertim art.5. cum suo Compend.res.63.à num.29. ad 33.Portel.v.Tributum, & in Addit.* vbi multa scitu digna dicit, *Le⁊ana capit.3.numero 15. tomo primo Confect.tit.5. capitulo 5.*

Quæres 7. Quidam religiosus à suo superiore carceratus fuit in carceribus Sācti officij Inquisitionis, non quia esset suspectus de hæresi, sed vt ibidem cautius custodiretur, & interim non posset habere recursum ad fauores an ille superior male fecerit, & aliquam inciderit pœnam?

18 Resp. Sine dubio male egit, quia & si superiores habeāt licentiam carcerandi suos subditos incorrigibiles, *ex cap. Vt fama 35.de sent.excom.* tamen ea licentia prudenter, & discrete vti debent carceribus proprij monasterij mancipando delinquentes, ibidem enim bene, quinimò quandoque securius, cum sub oculis superioris sint carceres, & custos carcerum, qui tenetur obedire ad vnguem quicquid illi præcipit superior, ad quod non tenetur extraneus custos, cui sufficit, ne carceratus aufugiat iuxta datam fidem; non dicitur prudenter agere, cum ex tali carceratione negotium extra religionem patefiat contra statuta omnium religionū, quæ prohibent manifestationē secretorum maxime in graue præiudicium religionis, quod in præsenti casu euenire nulli dubium est. Quod si superior excusetur se in conuentu non habere formalem carcerem, aut non tutum sed debilem, in eo vinculis ferreis illum constringere mandet etiam in cella, in his enim secure cure custodiri potest, sicut extra; quamquam in hoc casu defectu boni carceris illum superiorem excusarem. Quod ad pœnam, nullam incurrit, quia nullo iure infligitur; quisque tamen legat quid in sua religione super hoc constitutum fuerit.

Quæres 8. In scholis vniuersitatis N. Doctoribus lectoribus licet posterioribus aliis laurea, conceditur à Collegio præcedentia super alios simplices Doctores non lectores licet anteriores, & iure merito. l. *Nemo: C.de off.mag. cap. Si officia 2.dist.59.cap. Miramur 4.dist.* 61. in quibus locis dicitur, eos gradu alios præcedere, quo stipendia meliora, vel labor prolixior fecerit anteise, ita edocente canonum, & legum primo autore, & gentium Doctore eximio.1. ad Timot. 5. illis verbis: *Qui bene præsunt præsbiteri duplici honore digni habeantur* Nonnulli Doctores non lectores prætendunt, huiusmodi lectores intermissione studiorum causæ pestis, & bellorum, perdidisse præfatum ius præcedendi, cum iam non amplius sint lectores, quia reuera non legunt, neque illis stipendium currit. Quæres, inquam, an intermissione studiorum, interruptum fuerit ius præcedendi?

19 Respond. Ius præcedentiæ adhuc conseruatus, & immutatum manet, quod multis ostenditur argumentis in eo fundatis, quia intermissiones studiorum causa bellorum non fuit interruptum, neque terminatum studium; sed solum suspensum, & intermissum, legendi exercitium, non secus ac tempore vacationum; sed semper perseuerauit ius legendi, in quo radicatur ius præcedentiæ.

Primo, doctor lector non incipit legere per nouam facultatem, aut conductionem, sed virtute prioris antiquæ, aliàs sibi factam concessionem prosequitur suum munus lectionis, ergo signum est adhuc durare illud primum ius legendi. Confirmatur, quia durante causa durat etiam effectus ab ea pendens continue, *lege Semper §. Negotiatores ff. de iure imm. Surd.cons.302.numero quinto, Barbos.Vax.Iut. E. n.2.* vbi ad propositum ait, locum habere in effectib. continue à sua causa pendentib. in esse, certum autem est, præcedentiam in esse continuo pendere à iure legendi, cum intuitu illius iuris concedatur.

20 Secundo, Lector cuiuscumque facultatis dicitur habere officium, *Sanch.l.6.c.7.n.129.* Officia autem ex sui conditione, & natura sunt perpetua, *Guidop. dec. 195.n. primo Calder.consil.3. de rescr.& cum eis Rota vol. 4. decis.334.numero* 1. ergo hoc munus legendi cum sit perpetuum tale etiam debet esse ius præcedendi, cum effectus debeat assimilari suæ causæ, per quam cognoscitur *l. Verum 2.ff. de furt. vnde dicit Tuschus lit. E. conclusione* 49. quod effectus demonstratur, & regulatur à sua causa. Confirmatur, quia in concessione facultatis legendi non præfigitur, neque limitatur tempus, ergo id munus est perpetuum, cum illud censeatur perpetuum, quod certum finem non habet. l. *Iuris peritus ff. de excus. tut.*

Tertio, tempore pestis interruptum fuit exercitium lecturæ, & nihilominus immutata permansit præcedentia ante titulo lecturæ iuris acquisitis, ergo & in casu præsenti immutabiliter perseuerare debet ius præcedendi, cum non sit maior ratio in vno, quam in alio, neque enim diuturnitas temporis huiusmodi rationis identitatem diuersificat, cum hic tempus sit quid extraneum, consequenter non considerabile, priuilegia enim, inter quæ præcedentia computatur, non ex tempore æstimantur, sed ex causa l. Priuilegia ff. de priuil. credit. nec honorandum est omnino tempus, *ex ead. lege §. Ordinationis.* Confirmatur, quia valet argumentum à tempore pestis ad tempus belli, Ripæ tract. de peste numer. 11. pestis quidem dicitur bellum inter Deum, & homines *ex Bart. in l. Naturaliter ff. de vsucapt.n.23. Barbosa lit.A.n.*107. vnde Philibertus Marchinus suum opus inscripsit *Bellum Diuinum.*

Quarto, in constitutionibus Collegij Theologorum Academiæ Parmensis est statutum, quempiam ex Societatibus Iesu Patribus Primariis Lectoribus Scholasticæ Theologiæ, si post aliquam interruptionem, Collegij rursus membrum fieri contingat, eumdem in Collegio locum obtinere, quem ante habebat, *capitulo quinto, numero nono.* Ergo pari ratione idem dicendum est in casu nostro. Confirmatur, quia vtrobique par est ratio, idem ius extenditur, ex vulgatis iuribus, & valet argumentum ab exemplis deductum, *Glos.v. Si enim capitulo primo dist. prima, de consecrat. & exempla non excludant similia. l.prima §. Quod dicitur ff. de vi, & vi arm. Ayn. cons.344. num.25.*

21 Quinto, Religiosus alias factus Episcopus, si renuntiet, & reuertatur in religionem non perdit ius antiquum præcedentiæ ex professione, imò honoris ergo sedere habet prope superiorem, non obstante interruptione vitæ regularis viuendo extra ob dignitatem Episcopalem, arg. eorum, quæ refert *Peyrinus tomo tertio, priuil. capitulo secundo, numero 34. & tomo primo Subd. quæstione prima, capitulo 27. conclusione octaua cum Silu.Relig.3.quæstione 19. §. Secundo, Pano.in capit. Ex rescripto. de iure iur. numero quinto, Nau. com. 4. de Regul.*

de Regul. numero 72. animad. 3. idem asserit de damnato ad triremes ad religionem reuerso; si ergo huiusmodi interruptiones, quæ proueniunt, illa quidem ex mero voluntatis arbitrio, hæc vero ex propria culpa non præiudicant horum præcedentiæ, quare bellica interruptio huic nostro lectori, cui nullam dedit culpam, officere habet? Confirmatur resolutione obiectionis, quæ fieri posset à dicentibus, per episcopalem dignitatem, & triremium indignitatem non amitti professionem, in qua fundatur ius præcedentiæ; non sic in casu nostro, in quo lectura, super qua fundatur præcedentia, non amplius existit, sed extincta est occasione bellorum adhuc perstrepentium; quia hoc falsum est, siquidem pari ratione in casu nostro nequaquam extinctum fuit ius lecturæ, in quo conseruatur præcedentia, sed adhuc durat, vt probatum hactenus fuit. Parum autem refert, quod interruptum, seu suspensum fuerit exercitium legendi, quia ab hoc non pendet ius præcedendi, sed in solo iure legendi fundatur, quod perpetuè durat; quovsque extinguatur, & destruatur studium, seu lector verè amoueatur ab officio lecturæ.

22

23 Quæres 9. An religiones tam Monachales, quam Mendicantes cohonestari possint titulis nobilitatis, & vocari nobilissimæ, & Illustrissimæ? Notandum autem est, quod duplex est nobilitas, alia de genere sanguinis, alia de genere virtutis. Ea vocatur etiam naturalis, quia a natura in descendentes extenditur, in quibus congeneratur, & a nobili patre transfunditur in filios, in quibus est ex conditione naturæ immutabilis, cum sit quoddam ius sanguinis. *Lege Ius agnationis 25. de pactis, Tiraquellus de nobilitate capitulo 26. numero quinto*, quia iura sanguinis nullo iure ciuili dirimi possunt, *reg. 8. ff. de reg. iur.* a solo autem patre præcipue trahitur, extensiue etiam à matre oobui. *ex lege. Cum legitime 19. ff. de statu hom.* & hæc quanto magis inueterascit in generatione, tanto maior habetur, *lege, Tam demenus 21. C. de Episc. aud. lege. Si furiosi 25. C. de nupt.* Nobilitas vero ex virtute, quæ & acquisita propriis laboribus consistit in magnitudine rerum gestarum, iuxta illud Cicer. Patad. *Nobilitatis multitudine rerum gestarum.* Hæc autem acquiritur tribus modis, vel ex publicis officiis in honore habitis, vt colligitur ex diuersis iuribus, *ex lege. Quoties 3. C. Vbi senat. & ff. de senator. præsertim lege octaua, & nona.* Quod bene colligitur ex sacra Scriptura, Prouerb. 37. ibi: *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ*, id est, iste vir euadet nobilis, tunc quando assumetur ad gradum senatorium. Marci 15. *Ioseph ab Arimathia nobilis decurio*; vel ex gestis honorificè in bello, *C. de off. Magistri milit. Authent. C. de Veteran. lib. 12. & 2.* Machabæor. 14. *Fugiens nobiliter mori.* Nobilitatur tertio quis per scientiam, *Glos. verbo Literatus, capitulo De multa 28. de præbend.* facit Deuter. id est, ibi: *Viros sapientes, & nobiles*: præmisit causam effectui; item. *Gloria patris est filius sapiens.* Non solum autem officia, & honores seculares nobilitant hominem, sed etiam Ecclesiasticæ dignitates, & prælaturæ, quæ omnes, vel supponunt sacerdotalem dignitatem, vel ad eam, vt ad finem diriguntur; sacerdotium autem illustrius est, & nobilius omnium aliarum dignitatum, cum per illud sacerdotes dicantur Dij, Angeli, & ab ipsis regibus sint honorandi, *capitulo Sacerdotibus 38. 11. quæstione prima, capitulo. Cum ex iniuncto 13. de heret.* Sacerdotium enim, & imperium æquiparantur, immo illud huic præeminet Auth. Maxima. Quomodo oporteat, [illegible] *acerdotium, & imperium illud quidem diuinis mi*[illegible]*s, hoc autem humanis præsidens.* Sed excellen[illegible], & illustriora sunt diuina humanis, ergo & [sacer]dotium imperio; vnde & in Apoc. capitulo quinto [illegible] imo Sacerdotes vocantur Reges, ibi: *Et fecisti nos Deo nostro regnum, & sacerdotes, & regnabimus super terram*, ad quod alludens Sanctus Bonauentura in

24

Officio Sancti Francisci lec. 9. ibi: *Videte, qualem claritatem dedit nobis Deus, vt filij Dei nominemur, & simus.* Et Apostolus Rom. 16. ibi: *Qui sunt nobiles in Apostolis.* Hinc est, quod Ecclesiast. 4. præcipitur excellentior reuerentia presbyteris præstanda, quam magnatibus, ibi: *Coram presbytero humilia animam tuam* id est, flecte genua, *& coram magnato humilia caput tuum.* Et de prælatis 1. ad Timot. 5. dicitur. *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni habentur.* Nobilitas ergo suum esse trahit à virtute, quæ est animi bona qualitas, secundum Arist. 7. Phys. disponens perfectum hominem ad optimum, consequenter non potest non perficere hominem, & in virum efficere nobilitando, & illustrando.

25 Est autem vtraque nobilitas digna laude, & honore, præstantior tamen, & excellentior est nobilitas virtutis, quam sanguinis, cum hæc talis non sit, nisi per merita illius, nobilitas enim sanguinis paterni in filios descendit ex meritis, & virtutibus paternis secundum Arist. & alios, sanguinis ergo nobilitas talis non est ex sanguine, sed ex meritis consanguineorum. Quamuis autem naturalis nobilitas semper magno in honore fuerit habita existimatione hominum, tamen de suo nihil habet, ex quo laude digna censenda sit, quia pure naturalia non laudantur, neque vituperantur, radix enim laudis virtus est, non natura, vnde Cicer. de nat. Deor. inquit. *Propter virtutem enim iure laudamur, & in virtute gloriamur.* Virtus enim ex acquisitis est, & in arduis posita; *Neque enim*, Idem de senect. *ex te vnquam est nobilitatus, sed ex lateribus, & lacertis tuis.* Ad cuius propositum bene dixit ille. *Non census, nec clarum nomen auorum, sed probitas magnos ingenuosque facit*: Cum quo postea alius cecinit. *Che sol chiaro è colui, che per se splende.* Et: *Qui genus iactat suum, aliena laudat.* Quia vt ait Sen. *Nam genus, & proauos, & quæ non fecimus ipsi: Vix ea nostra voco.* Et Apuleius vbi de Deo Socr. hæc habet. *Si laudas aliquem quia generosus est, parentes eius laudas. Sed si eum laudas, quia bonis moribus, & artibus doctus est, & valde eruditus, quantum homini licet, tunc ipsum vere laudas.* Nobilitas ergo sanguinis laudanda est in eo, qui eius parens est acquisitione virtutum, non procreatione generis nobilitatus; vnde S. Ioannes Chrysostomus Homil. 59. in Matth. contra huiusmodi nobiles solo genere se iactantes inuehit illis verbis. *Nam in tantam amentiam plerumque impelluntur, vt persuasi esse videantur, liberis quoque ac vxoribus, & parentibus, ac maioribus suis multo se esse meliores, nonnullos autem maiorum excellentia inflare nimium facit, ita contrariis causis febricitant. Nam alij quoniam parentes auos, proauos humiles ipsi habuerunt, alij quoniam claros, & nobiles efferuntur; quomodo igitur quispiam vtriusque poterit humorem deprimere; si ad alterum, scilicet, dixeris. Tu qui magna de nobilitate maiorum te iactas, vltra proauos, atque atauos tuos si progrediaris, inuenies multos è genere suo agasones forsan, aut caupones fuisse; ad alteros è contrario, Progrediaris in aliquantulum vltra parentes, & inuenies multo te clariores fuisse, hoc enim cursu genus fere humanum etiam à scripturis comprobari potest: Salomon rex erat, & regis illustrissimi filius, cuius pater abiectus, atque ignobilis, maternus etiam auus adeo vilis, vt nec gregario militi filiam collocare posset. Hæc ipsa si altius repetes, inuenies rursus horum vilium genus illustre, ac regium. Hoc de Saul, hoc de multis aliis dici potest. Non igitur multum hinc extollamur.* Hæc ille: Ecce quanti ponderis est nobilitas sanguinis, quasi vmbra, quæ fugit, & nunquam in eodem statu permanet, ad quod inanis mundus, qui vento superbiæ circumfertur, oculos suæ cæcitatis, ambitione magistra dirigēs, ne hæc lenis aura fumigantis nobilitatis euanescat, ingloriosos filios, æqua fere lance eminētia suæ gloriæ, titulis Illustris, & Illustrissimi per totū orbem terrarū inaniter resonare facit: Quod vix Regibus concedebatur, omnes indifferenter hisce nostris temporibus, in quibus su-

26

perbia, & ambitio in summo est, & supernatat, vsurpantur honoribus optatiores magis quandoque quam diuitiis, Æmula est ambitionis, & filia *superbia.Glos. v. Personatus in extr. com. 4.de prabend. dicit*, nobilitatem in disputationem vocare, esse de stercore *verba* facere; *& ex Bald. Felin.in c.Super eo a.de testib.* aliquantulum eatollendo nobilitatem generis eam facit filiam diuitiarum ibi: *Satis est nobilis, qui est diues*, & Petrus de Bellapertica dixit, nobilitatem nihil aliud esse, quam diuitias inueteratas, cum eo *Gigas consil.70. nu.50.* Ita quod nobilitas sine diuitiis multum manca sit, *Tiraquel. de Nobil.c. 25. nu.9.* Sola ergo uobilitas virtutis filia in honore habenda est, hæc ab omuibus laudatur, & sicut commendatur, ita ab omnibus esset amplexanda. Sed deueniamus ad resolutionem propositæ quæstionis, quæ habere potest duplicem sensum. An nimirum religionib. conueniant huiusmodi nobilium tituli, nempe Nobilissimi, Clarissimi, & Illustrissimi. Alterum, an iisdem religiosi cohonestandi sint.

27 Pars negatiua suadetur de Monachis, qui ab initio erant laici, *cap. Placet 41.16. qu.1. ex cap. A subdiacono dist.9. visura glossa.* Sed laici sunt personæ viles, & de plebe. *Laicus* enim à verbo græco Laos latine importat idem, quod popularis, & persona de plebe, *ex D.Hieron. relato c. Duo* ta.q.1. ad quod aduertit Penottus canon. *Regul.c.6.n.11.in fine, Histor. sua relig. contra* Monachos; vnde & in pœnis eisdem comparantur, *c. Accusatoribus 3.3.q.5.cap. Quoniam 5.19.q.3.* & eorum vita subiectionis habet verbum, & discipulatus, non docendi, vel præsidendi, vel patiendi alios *cap. Hoc 45.7.q.1. Et Federicus de senis consil.5. quem citat, & sequitur Nau.consil.1. de statu monac.* ait Monachatum non esse honorem, dignitatem, aut officium honorificum, ea quo infert Nau. Infamem, irregularem, & excommu- 28 nicatum esse capacem monachatus. Et per ingressum in religionem perdi nobilitatem docent *Glos. ver. Ingenuus capit. primo de purgat. canon. & facit capitulo Scripsit* 22. 27. *quæstione secunda* & perduntur gradus ea eadem *Glos. & in capitulo Præsens* 4. 20. *quæstione tertia Glos. 1. neque in religione attenditur, Glos. verbo Absque personarum delectu, capitulo Ea quæ 8. de statu monach.* quibus adstipulatur *Graff. parte prima libro tertio, capitulo quinto de Regul. numero 94. & ibidem in Additam.* Confirmatur, quia religiones omnes fundantur in paupertate, quæ inimica est nobilitati, cum 29 ea diuitiis ortum habeat, ex supra allatis. Præterea omnes indifferenter, siue plebei siue nobiles, siue ignobiles, diuites, siue pauperes absque delectu personarum sunt capaces religionis, Auth. de Monachis, & faciunt verba Christi Domini. *Non veni vocare iustos, sed peccatores.* Deinde Ecclesia fundata est in personis de plebe, & piscatoribus, personis vilibus, & ignobili- 30 bus; vt ipsemet Saluator noster dicit Corint. 1. 28. *Et ignobilia mundi, & contemptibilia eligit Deus.* Nulla ergo religio siue Monachorum, siue Mendicantium honoranda est prædictis titulis, & multo minus ipsimet religiosi, quia si quam nobilitatem in seculo habebant, vt quæ aliena erat quasi furto sublatam mundo restituunt per ingressum in religionem. Quibus non obstantibus.

31 Resp. Status religionis est nobilissimus illustrissimus, & honorificentissimus, nobilitate quandoque generis, acquisita verò, & virtutis omnes religiones dicuntur nobiles, & illustrissimæ. Verum quidem est, quod huiusmodi tituli non videntur ita congruere, ne videatur status regularis participare mundanam ambitionem, sicut competunt proprie sacri honores, cuiusmodi sunt Sacra, Sacratissima, Immaculata, Reuerendissima, &c. Religiosi verò ipsi nequaquam illis titulis vocandi, neque honorandi sunt.

Honorificus est, & nobilissimus religionis status, Primo ex virtute, quæ inter alia est perfectissima, & eminentissima, vt quæ se exercet erga diuinum cultum, quod inter alia est nobilissimum. Quæ, & qualis virtus sit vide *D. Thom. 2. 2. quæst. 81.* Secundo ex origine, quam habuit à Christo Domino, & Apostolis, iuxta illud. *A quo sumpsit religionis exordium.* Christus autem est ea stirpe regia, & illustrissima, illis verbis. *Clara ex stirpe Dauid. Regalis ex progenie Maria exorta. Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.* Apostoli autem nobiles 32 sunt tum sanguine, vt Paulus, & Bartolomæus, *Glos. Non multos, cap. Venerabilis 37. de prabend.* tum ea rebus gestis, ex illo Cicer. *Nobilitatus multitudine rerum gestarum*; tum ea virtute per cit. cap. Venerabilis ibi: *Sed virtutum nobilitas.* tum ex nobilitate collegij apostolici, cuius caput erat Christus ea stirpe Dauid, & Rex vniuersæ terræ, & sicut maritus nobilitat vxorem *l.Femina 8.ff.de senator. & filios, ibidem l.5.6.7.10. & C.de* 33 *dignis.lib. 12.l.Mulieres 13.* Ita à Christo Ecclesia, seu religio, & Apostoli, licet alias ignobiles; effecti sunt nobiles, & tenet similitudo, quia non tantum filij naturales, sed etiã adoptiui illustres sũt ea patre senatore adoptãte, *ex l.Senatoris 5.cit.* Tertio ea institutoribus religionũ, nam S. Dominicus fuit ea nobilissima familia Guimanorum, & multi alij. Item S. Franciscus in seculo nobilis fuit sanguine, & diuitiis, institutor trium ordinum, inter quos mei ordinis Tertius nuncupatur, Quarto ex personis eminentibus ingressis. nam Summi Pontifices etiam maximi religionem ingressi sunt, Imperatores, Reges, Duces, Comites, Marchiones, ea quibus multum religiones æstimantur, & earum status honorificentissimus, & nobilissimus merito est, & appellatur. Quinto ex Beatis, & Sanctis, quibus vnaquæque religio decoratur, & resplendet, iuxta illud Psalm. *In splendoribus sanctorum.* Item *Magnificentia in sanctificatione eius.* Splendor enim, & magnificentia arguunt claritatem, & nobilitatem. Cic. pro Pomp. *Nunc imperij nostri splendor illis gentibus lucet.* Sexto ex membris institutoribus aliorum ordinum, quod eatollit, & magnificat religionem Sancti Benedicti, sub cuius regula, & instituto tot aliæ religiones viuunt, & gubernantur. Franciscana diuisa in tot membra, & ordines: præcipua enim magnificentia in nobilibus est se dilatare, & ampliare suam generositatem, & splendorem. Septimo ea dignitate sacerdotali, qua vnaquæque religio cohonestatur, quod præstantiam, & nobilitatem arguere supra docui. Octauo ea prælaturis Ecclesiasticis quibus singulæ religiones illustrantur, ex supradictis. Nono ea honore, & reuerentia, qua religiosi afficiuntur à personis laicis, & etiam clericis, & maxime apud magnates, & principes religiosi in magno habentur honore; vnde S.Ioan. Chrysost. dicit, *Longè honorabilius eorum pedes, quam aliorum caput tangere.* Decimo de electione vitæ, quæ inter alias perfectissima est, vnde idem Chrysostomus consolando patrem cuiusdam, qui religionem ingressus fuerat, ita locutus fuit. *Eam elegit vitam, per quam cum rege ipso sit illustrior, & clarior.* Vndecimo ex comparatione aliorum statuum, nam religiosus est in perfectiori statu, quam sit curatus, *D.Thom.2.2. quæstione 184. articulo octauo. Nau. consilio decimonono de cler. non resid.* fit enim transitus ab eo ad statum *religiosum capitulo secundo 19. quæstione secunda*, & sunt melioris conditionis quam clerici *Glos. verbo Monachi, capitulo. Cum ad nostram 37. de elect. per iura ibi citata.* Duodecimo ex significatione huius vocis, *Religiosus*, quod importat Ecclesiasticum bonæ famæ, *Glos.v. Religiosus capitulo quinto de purg.canon.*

34 Nec obstant allegati textus, quia Monachi, de quibus ibi sermo est, licet illis temporibus non essent sub ordine clericali ea instituto, contra distinguebantur tamen à laicis secularibus, & erant personæ Ecclesiasticæ deputatæ ad cultum diuinum saltẽ quo ad orationes, & speciale obsequium spirituale erga Deum. Neque audiendus est Feder. cum nihil probet; potius miror Nauarrum, qui id cum illo concessit, forsan ad depressionem alterius instituti. Neque verum est, quod infert, infames, irregulares, & excommunicatos esse

capaces

capaces Religionis, quia sine dubio illi à nullo ordine recipiuntur sine dispensatione, & absolutione, quamuis aliàs professio illorum tenet, non quia religio, & monachatus non sit status honorificus, sed quia huiusmodi defectus non irritant professionem. Deinde falsum est per ingressum perdi nobilitatem quoad iura sanguinis, sed potius perfici, & augeri est enim contra rationem, vt status perfectionis arguat imperfectionem, neque esset status bonus, si per eum perderetur nobilitas, bonum enim non est, quod plus incommodi, quam commodi affert, *lege Propriè 83. ff. de verb. sign.* ad quod faciunt, quæ habet Grassus citatus in Addit. numero decimoquarto. Neque gloss. allatæ probant, nisi quod nobilis habens administrationem, seu regimen illud amittit per ingressum religionis, vt bene colligitur ex citato capitulo. Scripsit, & in religionibus quoad pœnas, & officia non habetur delectus conditionis personæ, neque consideratur nobilitas, sed merita, & mores religiosi, cum accidere possit, & sæpe contingat religiosum humili loco natum habere potiora merita virtutum, & vitæ, quam nobilis. Neque conditio paupertatis voluntariæ efficit quem ignobilem, sed talem qualis est relinquit; neque indifferentia personarum, quod vna sit nobilis sanguine, alia non arguit ignobilitatem virtutis, cum hæc illa potior laude digna, sanguinis vero nobilitas talis sit in ordine ad nobilitatem virtutis, vt supra probatum fuit.

36

37 Quod tituli illustris, Illustrissimi, & huiusmodi potius seculares quam Ecclesiastici, non debeant religiosos etiam sanguine alias nobiles, probatur, Tum quia licet nobilitas quoad iura sanguinis, & naturalitatem maneat, ex supra probatis, vt docent *Petrus Leunaderius part. 4. qu. 54. Gulielm. Benedictus in cap. Raynutius num. 210 de Testam. Rosella v. Doctor, Ludou. Roman. sing. 37. Vecchius de Nomis. disput. 13. dub. 9. num. 3.* non tamen cum accidentalibus, cuiusmodi sunt supradicti tituli, qui mortificantur per ingressum in Religionem, eo modo, quo mortificatur, & perditur regimen à Duce, Rege, seu Papa ingredientibus. Tum quia virtus humilitatis, quam profiteri debet religiosus, secum non patitur huiusmodi titulos ambitionis, & superbiæ oppositæ humilitati. Tum quia religiosus renuntiat mundo, & pompis eius, cum illi sit mortuus. Tum quia religiosi cum aliis Ecclesiasticis habent proprios titulos conuenientes statui ecclesiastico, cuiusmodi sunt Reuerendus, Deuotus, Venerandus, Reuerendissimus, ergo non debent sibi vsurpare extraneus.

Quæres 10. An melius sit recitare Diuinum Officium sine cantu, quam cum cantu? Videtur non primum, quia Papa Gregorius in cap. In sancta 2. dist. 92. illum prohibuit sub anatemate. Præterea oratio est eleuatio mentis, & non vocis ad Deum; cantus autem potius mentem distrahit, & ab oratione abstrahit, disponendo eam ad gaudium, & sensibilia, ergo ne dum est melior cantus, sed omnino prohibitus, & illicitus.

38 Respond. Cantus est licitus, & melior est diuini officij recitatio cum cantu, quam sine. Primum suadetur ex vniuersalissimo vsu in vtroque testamento tam veteri, quam nouo, nam Moises illum præcepit, Exod. 36. & in nouo exhortantur Apostoli Ephes. 5. ibi: *Cantantes, & psallentes.* Secundum colligitur ex fine cantus consistente in dispositione hominis ad cultum diuinum, qui si sit tepidus, & negligens, per auditionem cantus præparatur, & animatur spiritualibus melodiis ad diligendum, & laudandum Deum; de quo fine, & dispositione *D. Thom. 2. 2. q. 91. art. 2. Summ. v. Cantus, Armil. Tabiena, & alij Rubeus de diuin. off. lib. 1. cap. 27.* Confirmatur ex Psalm. 33. ibi: *Semper laus eius in ore meo.* infra. *Audiunt mansueti, & lætentur.* Præterea illa recitatio diuini officij est melior, & perfectior, in qua proferuntur verba clare, distincte, & paulatim; id autem commodius accidit cum cantu, quam sine, ergo melius est cantare, quam recitare sine cantu. Deinde melior est oratio diuturnior saltem extensiue, quam breuior; sed talis est oratio cum cantu, quam sine, ergo melior est cum cantu, quam sine illo.

Ad obiecta, ibi Gregorius Papa non prohibet absolute cantum, sed respectiue, & comparatiue ad prædicationem, quam debent exercere Diaconi, & Prælati, cum sit medium magis prouocatiuum ad deuotionem, & diligendum Deum, quam cantus, ita D. Thom. cit. Neque verum est quod additur per cantum mentem distrahi à deuotione, & contemplatione cœlestium, cum dicat Psal. cit. *Audiunt,* supple cantum, *mansueti, & lætentur,* intellige, audiendo diuinas laudes. Vide Compend. resol. 19. vbi multa de cantu, & organo.

Quæres 11. An in refectorio religiosus punitus publice pœna, vt aiunt, disciplinæ factæ per manus siue proprias, siue alienas super nudatas humeros, fiat infamis, ita quod non possit esse Guardianus, neque, Viceguardianus, aut alius superior, seu locum tenens præcipuè in ea Religione, in qua huiusmodi genus pœnæ existimatur inducere infamiam?

39 Suppono, quod infamia est mala opinio de vita, & moribus alicuius concepta à viris probis, & grauibus ex eius prauis operibus. Sicut è contra, Fama est bona opinio de vita, & moribus alicuius concepta ex eius bonis operibus. Duplex vero est Iuris, & Facti. Infamia iuris est ea, qua quis inficitur perpetrando aliquod crimen, quod à iure habet adnexam infamiam. Crimina autem infamiam inferentia enumerantur, cap. Infames 17. 6. q. 1. sunt autem crimen læsæ Maiestatis vtriusque blasphemia, periurium, falsitas, adulterium, parricidium, homicidium, furtum, sodomia, stuprum, incestus, maleficium, veneficium, rerum ecclesiasticarum iniusta ablatio, calumnia, excommunicatio, raptus, & alia, quæ referuntur etiam *cap. Constituimus 3. q. 5. quæ vide apud Megal. lib. 7 de cens. cap. 1. n. 136. Sayr. lib. 7. cap. 11.* Remotus ab administratione propter fraudem, & dilapidationem, infamis est, *Glos. post med. cap. fin. 3. q. 2. per l. 3. §. Qui ob animi segnitiem ff de susp. tut. §. Suspectus Instit. eod. tit.* Omnes enim infames iure ciuili sunt etiam infames iure Canonico, nisi aliud exprimat. *cap. Omnes 2. 6. q. 1.*

40 Ad incurrendam hanc iuris infamiam siue sit inflicta ipso iure, siue sit occulta, siue publica requiruntur duo, vnum, quod perpetretur crimen quo à iure infamia imponitur delinquenti; alterum, quod de crimine incurso constet per sententiam iudicis, tacite est, quia nulla pœna incurritur statim delicto perpetrato, excepta excommunicatione, sed solum post criminis sententiam declaratoriam; potest enim accidere, quod perpetratum crimen non imputetur, eo quod vel vere illud commissum non fuit, aut si commissum, saltem inculpabiliter, in quo casu infamia locum non habet; præterquam quod si iuris infamia incurreretur per solam notorietatem iam non distingueretur ab infamia facti, quæ afficit per solam publicitatem facti criminis. Ita docent *Azor. tom. 1. lib. 8. cap. 13. qu. 8. Sanch. lib. 2. cap. 26. num. 1. Farin. de hæres. qu. 188. num. 56. Burs. consil. 14 n. 18. Peyr. Prælatus qu. 2. cap. 5. §. 4. n. 50.* Contra alios, quorum aliqui asseruot incurri ante sententiam, quando crimen est notorium; alij incurri licet delictum sit occultum, quando ipso iure irrogatur; sed prius dictum probabilius est ex adductis rationibus. Facti infamia ea est, quæ incurritur ex notorietate criminis, quod in iure exprimitur inducere infamiam; consequenter hanc facti infamiam ea sola crimina inducunt, quæ supra enumerantur, vel alibi in iure siue ciuili, siue canonico, modo ab hoc non reprobentur; ita quod vtraque infamia videtur prouenire ab eadem criminali causa, & differre solum per illud, quod iuris infamia incurritur post sententiam criminis declaratoriam, facti vero ex notoria eiusdem criminis perpetratione ante sententiam. De hac facti infamia sic restricta ita docent Suar. Filliuc. *Tolet. Garz. Coninch. apud Bonacin. p. 1. de irregul. numero 5. Sigism. dub. 86. numer. 4 Peyr. cit. n. 50.* contra plures alios asserentes quodcumque crimen

41

graue reputatum à viris probis, & honestis inducere infamiam, eamdem irrogare illud perpetranti, si notoriè perpetratum fuerit. Quod non placet, Tum quia ita colligitur, *ex cap. fin. de temp. ordin.* vbi in exemplum recensentur nonnulla delicta, quæ à iure habent adnexam infamiam, & cùm exempla non restringant regulam, *l. Damni infecti, ff. de damn. inf. l. pen. §. fin. ff. de iur. & facti ignor. Tusc. lit. E. concl. quingentesimus quadragesimus septimus Sanc. l. 7. disp. 4. n. 8.* sed etiam similia includat, *l. 1. §. quod dicitur ff. de vi, & viarm. Aymon. cons. 544. n. 25.* sequitur infamiam facti contrahi solum ex delicto, quod iure habet adnexam infamiam. Tum quia cum sit impedimentum inhabilitans personam infamatam, ac proinde pœna, quæ non iudicio priuatorum, ad quod facit *Rodr. tom. 1. q. 61. art. 8.* sed lege dictante imponitur, *Doct. in l. Omnes ff. de iust. l. 2. ff. si quis ius dic. non obtemp. ibi Cagnol. n. 46. Iason n. 17. Decius in cap. Quæ in ecclesia. constit. n. 22. Roland. vol. 1. cons. 99. n. 3. Mar. Anton. lib. 3. resol. 39. n. 13.* neque pœna inferenda sit iudicio, & arbitrio hominis cuiusuis priuati quantumuis periti, & honesti, sed per iudicem, *cap. Sine 4. §. In hoc 33. q. 2.* necessario debet iure exprimi. Tum quia hæc est pœna priuationis ab actibus legitimis, dignitatibus, & electione, quam qui incurrisse non est iudicandus, nisi prius in iure expressa reperiatur, *Auth. de non elig. secund. nup. §. Cum igitur, Glos. in cap. fin. de iurepatr. Natta cons. 595. n. 10. Cravetta vol. 1. cons. 725. n. 3. cum Mar. Ant. lib. 3. cit. resol. 39. Accommoda prædictis dicta res. 31. q. 11. à n. 40.*

Tota difficultas consistit in assignanda ratione notorietatis, per quam incurritur infamia facti, nam doctores variæ loquuntur circa hoc *Suar. Filuc. cum Peyr. Prælatus q. 2. cap. 5. n. 55.* requirunt tria. Primo, quod personæ, apud quas notum est crimen perpetratum, non sint leues, inimicæ, & maleuolæ, sed graues, prudentes, & bonæ opinion. *ex cap. Inquisitionis 21. §. Quæsiuisti, cap. Qualiter 24. de accus.* aliter esset in arbitrio cuiusuis personæ siue bonæ, siue improbæ infamare proximum, cum maximo illius detrimento, præter amissum honorem; sic autem infamatus nulla eget purgatione, nisi quod superior attenta eius probitate vitæ, & morum potest eum declarare immunem à crimine impiocto. Secundo, quod crimen publicum sit saltem maiori parti communitatis, Tertio requiritur notorietas, & hoc tertium cum primo sufficit, secundum autem aut superfluit, aut identificatur cum tertio; certum autem est requiri notorietatem, vt clare habetur in citato cap. fin. de temp. ordin. sed qualis ea sit non omnes conueniunt in assignando id in

42 quo consistat.

Ego inhærendo diuersis iuribus, & Glosis super illis cum doctoribus dico, illud delictum dici notorium, quod ita est euidens, vt nulla tergiuersatione celari possit, *Glos. v. Notoriam cit. cap. fin. de temp. ordin.* ad propositum nostrum citans cap. fin. de cohabit. cler. vbi aliquod peccatum dicitur Notorium tribus modis, per sententiam, confessionem iuridicam, & euidentiam facti; quæ etiam habentur *cap. Cum olim 24. de verb. signif. & cap. Super 26. eod.* Notorium

43 ergo requirit euidentiam facti, nempe vt Petrus visus fuerit occidere, auditus fuit blasphemare, &c. Pro cuius ampliori, & clariori intelligentia, scias, differre hæc tria Famosum, Manifestum, & Notorium, vocantur hæc enim communi vocabulo Publica, vt vi-

44 dere est in *Glos. cap. Manifesta 15. 2. q. 1. & cap. Vestra 7. de cohabit. cler.* Famosum namque dicitur, quod nititur fama maioris partis orta ex vno horum trium; vel

45 ex præsumptionibus; vel ex autore incerto: fama autem hoc modo, quæ est rumor publicus, quod quis aliquod crimen commiserit, nihil probat in ordine ad condemnandum, solum est leue indicium ad inquirendum, non autem ad torquendum, Doct. communiter in *cap. Veniens 1. de test. cum aliis, quos pro se citat Ghisil. de ind. regul. cap. 18. n. 36.* Fauore autem ad euitandum excommunicatum probat *ex cap. Cum desideres 15. de sent. excom.* & in aliis etiam extra condemnationem, *Bald. in l. De minore, §. Tormenta de quæst. Verall. part. 2. decis. 7.* Item in antiquis, quando

46 nil in contrarium est, *Rota Rom. vol. 1. decis. 175. n. 7. & decis. 576. n. 6.* Manifestum vero illud dicitur, quod nititur fama maioris partis communitatis orta à certo autore prudente, & timoratæ conscientiæ, ex su-

47 prædictis glosis & doctoribus cum *Nau. c. 27. n. 255.* Notorium denique illud dicitur, quod nititur euidentia facti perpetrati coram oculis plurium, ex quo habetur, quod delinquens se nullatenus excusare posse videtur, idem dic, si perperam loquatur multis audientibus. Colliguntur *ex dicta glos. cap. Manifesta 15. 2. q.*

48 *1.* Manifestum, & Notorium videntur in eo differre, quod manifestum aliqualiter tergiuersari potest, cum vni scienti non ita certò credendum sit, sicut pluribus, quibus de iure videtur necessariò credendum; Manifestum est quod per vnum multis publicatum est; noto-

49 rium, quod pluribus visum, vel auditum fuit, & aliis diuulgatum. Est autem notorium duplex iuris, facti. Iuris dicitur publicum per sententiam, confessionem, probationem, vel coniunctionem, *cap. fin. de cohabit. cler. cap. Tertio 13. de præsump. cap. Cum olim 24. cap. Super 26. de sing. verb.* Notorium verò facti illud dicitur; quod ex euidentia rei ita notum est, vt nulla excu-

50 satione celari possit, ex citatis Glossis, & Doctoribus.

Ad incurrendam igitur infamiam facti necesse est, quod delictum de iure alias infamiam inducens (hoc enim quoque requiritur ex supra probatis) sit factum coram oculis, seu auribus plurium, saltem duorum fide dignorum, & crimen iam sit diuulgatum, & famosum maiori parti communitatis. i. collegij, conuentus, loci, parochiæ, seu oppidi: exemplum ponamus in occidente coram populo, vt aiunt, vel prædicante, seu asserente hæresim coram pluribus, vel duobus audientibus; necesse præterea est, vt factum à videntibus vel audientibus cognoscatur sub ea ratione, qua delictum est, aliàs crimen formaliter tale non dicitur notorium in ratione sua formali criminis.

51 Nauarr. *cap. 27 n. 255. & ex eo Portel. part. 1. casu 6. n. 4.* cum quibus videtur esse *Peyr. Prælatus q. 2 cap. n. 55. §. Tertium:* ad constituendum notorium requiruntur ad minus sex personæ quæ omnes factum perpetratum viderint, vel audierint, eo quo notorium dicitur illud, quod constat maiori parti viciniæ, collegiis seu conuentus, modo in ea communitate sint saltem decem personæ, per *Panor. in cap. Vestra 7. de cohabit. cler.* Non placet, tot requiri videntes, vel audientes, sed sufficere tot personas videntes, vel audientes factum visibile, vel audibile, quibus in iudicio factum probari possit, si necesse fuerit, quod probatur tum ex text. illius capitis, vbi notorium dicitur tale per euidentiam ocularem, quæ perfectissimè probat, factum autem dicitur sufficienter euidens tam respectu plurium i. duorum, quam multorum; *tum ex glos. in dicto capite, & in cap. Manifesta 15. 2. q. 1.* dicentibus, Notorium dici quod se exhibet, & offert oculis omnium. i. plurium, vt glosa vtraque se declarat; pluralis autem locutio contenta est numero duorum, *Reg. 40. in 6. l. Vbi numerus ff. de de test.* Nec facit difficultatem, quod manifestum debeat esse tale maiori parti communitatis, & non notorium, quasi amplius publicum sit manifestum, quam notorium, quia manifestum fundatur in certo autore, à quo factum diuulgatum, & sparsum fuit per populum, conuentum, &c. Notorium vero fundatur in duobus ad minus, qui factum viderunt, vel dictum audierunt, per quos deinde perpetratum aliis dictum fuit, & sic maiorem euidentiam habet noto-

52 rium, quod celari non potest à delinquente cum habeat contra se sufficientes testes; quam habeat manifestum, quod tergiuersari potest, cum vnicum testem contra se habeat, qui sufficienter probare non potest contra tergiuersantem.

Probatur

53 Probatur autem in vtraque infamia, iuris quidem per ſententiam iudicis, in qua conſtat de crimine incurſo non quocumque ſed inducente infamiam in iure expreſſam. *Ita Peyr. cit. n. 53. cum Campanile in ſuo diuerſ. rubr. 11. cap. 18. n. 18. Barboſ. de off. epiſc. part. 2. alleg. 43. n. 16.* Facti vero infamia probatur per duos teſtes habiles licet ſingulares, conteſtes; tamen in probatione criminis, ſufficit ergo, vt teſtes probent idem crimen perpetratum, licet non conueniant in circumſtantiis loci, temporis, &c. quæ in caſu noſtro non ſpectantur, quia ab illis infamia non dependet, ſed à ſola criminis perpetrati ſpecificatione. Neque ſufficiunt de auditu teſtes in ordine ad crimen factibile, ſed per teſtes oculares factum eſt probandum, quia in criminalibus teſtimonia debent eſſe luce clariora; clareſcunt autem per oculum, ſi agatur de facto, vel auditum, ſi de dicto, mediantibus teſtib. omni exceptione maioribus, qui nullum patiantur defectum.

54 Infames autem vtriuſque generis ſunt irregulares, & inhabiles ad recipiendos ordines, & in ſuſceptis miniſtrandum, ſi infamia ſit iuris, aut etiam facti, ſed ex homicidio, non ex aliis delictis, quorum infamia facti non prohibet miniſtrationem in ſuſceptis, *vt docet cum aliis Bonac. p. 1. de irreg. ex infamia n. 5.* Ratio deſumitur ex illa regula in 6. infamibus portæ dignitatum patere non debent; ſed dignitas eſt ſacramentum ordinis, *cap. Admittuntur 15. diſt. 54. cap. 1. de obligat. ad ratiocin. & in ſpecie de infamibus, cap. Qui in aliquo 5. diſt. 51. cap. Infames 17. 6. q. 1. cap. fin. de temp. ordin.* vbi contra Bonac. apertè dicitur non ſolum infamiam iuris ſententialiter probatam, verum etiam facti notoriam non ſolum impedire ſuſceptionem ordinum, ſed etiam adminiſtrationem in ſuſceptis, ante tamen peractam pœnitentiam reſpectu infamiæ facti.

55 Infamia tam iuris, quam facti efficit quem ineligibilem ad quaſcumque prælaturas, etiam regulares, & ſi attentetur electio ipſo iure nulla eſt, probatur, tum per citatam *reg. 86. in 6. Infamibus* non patent portæ dignitatum, *cap. Tantis 3. diſt. 81. cap. Omnipotens 4. de accuſ.* tum communi doctorum opinione, *Sigiſm. de elect. dub. 86. n. 5. Lanor. tit. 4. de elect. cap. 16. n. 99. & 100. Portel. electio n. 6. quamplures citat Peyr. Prælatus q. 2. cap. 5. n. 54.* Si quis tamen infamiam facti emendauerit per bona opera, eſt eligibilis, vt docet cit. Sigiſm.

56 Non ſolum eſt ineligibilis infamis, ſed neque eligere poteſt ex opinione prædictorum, quibus adde *Lanor. cit. cap. 15. n. 70.* quia infamibus ſunt prohibiti actus legitimi, *ex cap. Seſcitatus 13. de reſt.* Qui contrarium tenent intelligendi ſunt de infamia vulgi, quæ à iure non fouetur.

57 Tollitur autem infamia iuris per diſpenſationem factam à Summo Pontifice, vel etiam ab Epiſcopo, quando prouenit à delictis à minoribus adulterio. Ita cum *Bonac. doctores communiter loco citato n. 6. §. Tertio.* Tertio Prælati etiam regulares, maiores cum ſuis diſpenſant ſuper infamia, quia diſpenſare poſſunt in omnibus in quibus diſpenſare valent Epiſcopi, ex alibi probatis, quia Epiſcopi, & Prælati

58 regulares maiores æquiparantur in iuriſdictione; ſed Epiſcopi diſpenſant ſuper infamia, *Gloſ. v. Atque ignominiam, cap. Domino 25. d. 50.* Ita docent *Nald. v. Infamia, Peyrin tom. 3. priuileg. cap. 2. n. 2.* licet res deducta ſit ad forum contentioſum, alia enim infamia iuris non eget diſpenſatione niſi quæ incurritur per ſententiam, cum alia non detur ex ſupra probatis, & obſeruat dictus *Peyr. cum Lezana tom. 1. cap. 8. n. 32. contra Rodr. tom. 1. q. 24. art. 6. Sigiſm. dub. 87. Lanor. tit. 4. de elect. cap. 15. n. 72. Vecchium diſp. 9. apud citatum Peyrinum.*

59 Infamia facti tollitur non ſolum per diſpenſationem à prædictis, ſed etiam per emendationem, & pœnitentiam eius, qui ſeipſum proprio crimine infamauit, res enim per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſoluitur; & contraria contrariis curantur, ergo malefactum emendauit per benefactum. Ita colligitur ex capite fin. de temp. ordin. & docent prænotati, ita quod facta emendatione poſſunt ordines recipere, & eligi in prælatos. Ex prædictis infertur reſponſio ad quæſitum, quo quærebatur, an diſciplinatus in refectorio ſit infamis, & conſequenter inhabilis ad officia regularia.

60 Reſpond. Diſciplinatus ſiue per ſe, ſiue per alium à prælato ſiue iuridicè, ſiue correctiuè, ſine proceſſu non eſt infamis propriè, niſi delictum, quo punitus fuit de iure infamiam inducat, in quo caſu ſi ſententiatus fuit, erit infamia iuris, ſi autem non, ſed paternaliter fuit correctus, cum delictum fuerit notorium, incurrit infamiam facti, conſequenter non poteſt promoueri, neque in ſuſceptis miniſtrare, aut eligi ad prælaturas, niſi prius diſpenſetur ab infamia iuris, vel emenderit per bona opera agendo pœnitentiam de crimine commiſſo, iuxta ſuperius dicta. Poteſt vero conſtitui officialis monaſterij ſine dignitate; aut prælatura, vnde poteſt eſſe Vicarius, Viceprior, Sacriſta; & huiuſmodi officia habere, quæ dignitate carent.

Pœna igitur diſciplinæ publice facta non eſt infamia, vt colligitur ll. ictus C. & ff. v. de iis qui infam. not. ibi: *Ictus fuſtium infamiam non importat, ſed cauſa, propter quam id pati meruit*, quia infamia prouenit ex malis operibus, quibus quis infamatur; huiuſmodi autem pœna non prouenit ex malis operibus, ſed ex impoſitione ſuperioris per ſententiam, *cap. Non debet 61. 11. q. 3.* Præterea infamia cauſatur ab aliquo delicto eam habente adiunctam ex diſpoſitione iuris, ex ſupra probatis: Sed diſciplinæ pœna non eſt delictum, cum hoc ſupponat, pœna enim eſt effectus culpæ, ergo non poteſt inducere infamiam. Deinde, infamia eſt ſpecies irregularitatis; diſciplinatio autem irregularitas non eſt, conſequenter neque pertinet ex ſe ad infamiam. Inſuper prius eſt aliquem eſſe infamem, quam puniri, quia infamia iuris ſequitur immediate ad ſententiam, executio autem pœnæ, vt plurimum differtur poſt ſententiam.

Quando delictum, propter quod quis ſubiicitur præfatæ pœnæ diſciplinationis, habet annexam infamiam, tunc verberatus eo modo eſt quidem infamis, ſed non propter illam diſciplinam, at præciſe ratione perpetrati criminis, ſententia poſita, vel notorietate delicti.

61 Infamia autem licet reddat inhabiles Infamatos per ſententiam, vel notorietatem, vt ſupra probatum eſt, non tamen reddit illos incapaces officiorum ſine dignitate, & prælatura, cuiuſmodi ſunt officia viceguardianatus Magiſtri nouitiorum, Cellerarij, Vicarij, Procuratoris, Adminiſtratoris rerum monaſterij, poteſt enim infamis habere curam monaſterij; *Gloſ. v. Non aſcendas, cap. Tuam 10. de ætate*; ſed Viceguardianatus, ſeu Vicariatus non eſt dignitas, neque prælatura, cum eorum poteſtas ſit delegata, ita *Rodr. part. 2. ſum. cap. 31. n. 7. & tom. 3. q. 76. art. 1. & 3. Mirand. tom. 2. q. 20. art. 1. concl. 3. Bartolucius in ſuo ſpeculo Regul. lib. 1. pag. 51.*

Quæres 15. An Antonius clericus, qui in capite percuſſit grauiter à parte poſteriori ſuum conſanguineum pariter clericum ſacerdotem, eo quod noluit illi dare certam pecuniæ quantitatem, quam à fortiori experierat, propter quod facinus condemnatus fuit ad triremes, incurrerit infamiam, ita quod reuerſus indigeat diſpenſatione pro ordinibus ſuſcipiendis? & quis poſſit illum diſpenſare? Percuſſus autem quamuis grauiter non deceſſit, ſed ſanitatem mediantibus medicis acquiſiuit. *Lezana aſſerit tom. 1. cap. 16. n. 32.* damnatos ad triremes ad religionem redeuntes non poſſe rectum admitti ad altare ſine diſpenſatione, quia ſunt infames infamia iuris, & per conſequens irregu-

 lares,

lares, & citat *Rodr. tom. 1. q. 24. art. 6. vbi nihil tale, cum Toleto lib. 1. cap. 62. quos etiam pro se citat Peyr. tom. 1. Subdit q. 1. de obed. cap. 27. §. Dico vltimo.* Præterea damnati ad triremes degradantur, seu deponuntur, *Pegna, & Salcedo, apud dictum Peyrin. concl. 3.* sed infamia sequitur depositum, *Glos. v. Supplicanis, cap. Præsentium 3. 1. q. 5. per l. 2. ff. de ni, qui infam. not.* Deinde damnatus de quocumque crimine fit infamis *secundum Aretin. apud Silu. v. Crimen. n. 3. in fine Graff. part. 1. lib. 3. cap. 27. n. 66.* hos vocat irregulares defectu libertatis, cum sint serui pœnæ. *Diaz de Lugo*

62 *in sua pract. crim. can.* pœnam triremium vocat genus infamæ punitionis, & solum contra facinorosos infligitur, qui ex enormitate criminis fiunt infames, *Rodr.*

63 *tom. 2. q. 25. art. 2. & Nau. conf. 16. & 17. de hæret.* pœnam fustigationis, & triremium comparat asserendo inducere vtramque irregularitatem, & infamiam *arg. l. Ictus ff. de iis, qui not. infam.* Quibus non obstantibus.

Respond. Condemnatus ad triremes non est infamis respectu ipsius pœnæ triremium, sed causa infamiæ est illud crimen, propter quod condemnatus est ad triremes, dummodo illud crimen à iure habeat adnexam infamiam. Quare cum illa percussio cum vulnere, & sanguine in capite non connumeretur inter crimina inducentia infamiam, merito ille clericus per illas percussiones damnatus ad triremes nullam incurrit propriè infamiam. Tria hic sunt probanda. I. Pœnam triremium per se non efficere quē infamem. II. Non omnia crimina inducere infamiam, sed ea solum, quæ in iure canonico, vel ciuili non reprobato à canonico exprimuntur cum dicto effectu infamiæ. III. Percussionem illam sine morte non inducere infamiam.

64 Primum suadetur, Tum quia infamia sequitur ex delicto cap. Accedens 14. de purg. can. ibi: *Et si non sit nota delicti,* damnatio autem ad triremes pœna est non delictum, sed huius effectus. Tum quia ictus fustium de se non infamat, sed causa propterquam quis fustigatur *l. Ictus 22. ff. v. de iis, qui infamia not.* ergo neque remigatio, quam pari passu ambulat cum fustigatione. Tum quia delictum infamiæ debet esse dignum pœna capitali, seu depositione, *Nau. cap. 27. n. 248. Megal. part. 3. de censf. lib. 7. cap. 1. n. 10. & 114.* Tum quia infamia est genus pœnæ; sed nulla pœna asserenda est, quæ non reperiatur in iure, vel à iudice inflicta, ea vulgaris iuribus, sed hæc pœna nullibi repetitur in iure. Tum quia huiusmodi infamia si est, necesse haber procedere vel à delicto, vel ab ipsa remigatione, non à delicto vt suppuno, & probabo infra, cum non numeretur illa percussio inter crimina infamantia; neque à remigatione, quæ de se est actua laboris, & effectus virilitatis, & fortitudinis potius

65 bonus, quam malus. Neque facit vulgi opinio, quia populi voces, vt quæ vanæ sunt, audiendæ non sunt, *cap. de elect. l. Decurionum C. de pœnis,* neque enim vulgi opinio, sed legislatoris potestas leges; & pœnas indicere habet. *Ita docet Riccius decis. Cur. Neapol. part. 1. decis. 119. Homobon. vol. 1. consult. part. 4. R. 158. & cum ipsis Diana resol. 83. de irregul. contra nonnullos.*

66 Secundum probatur, quia cùm infamia sit species irregularitatis; inducenda non est, nisi in aliquo iure reperiatur expressa, vt omnes docent & dicitur expresse *in cap. Is qui 18. de sentent. excom. in 6.* Sed in nullo iure reperitur omne crimen inducere infamiam, sed quædam præcise de quibus *cap. Constituimus 9. 3. q. 5. cap. Infames 17. 6. q. 1. & ff. v. & C. de iis, qui not. infam.*

67 Tertium constat ex prædictis, quia nullo iure probatur percussionem sine morte, aut mutilatione membrorum inducere irregularitatem, neque infamiam.

Ad obiecta, primum Rodr. & Toletus ne verbum quidem de damnatis remo, sed tantum, à quibus dispensanda infamia, vnde non bene Leana ea Peyt. accepit, & multo minus iste ab illis. Ad secundum præfatum delictum non fuisse dignum degradatione, neque ideo degradatum. Ad tertium non constat inuitè damnatum de quouis crimine esse infamem. Ad quartum quamuis remigantes quamdiu sunt in remigatione dicuntur serui pœnæ finito tamen tempore à iudice præfixo, sunt liberi, & sic non amplius habent defectum libertatis. Ad quintum damnatio ad triremes de iure, sed ex vulgi opinione est, genus infamæ punitionis, alioquin etiam tale non ea se, sed ea delicto, quando est facinorosum, qualis non ea percussio. Ad postremum *Nau. loqui sub dubio in conf. 37. & in 16.* præcise non probat induci ea remigatione, sed ea delicto grauissimo in materia hæresis, quæ sine dubio infamat, & non pœna remigandi. 68

Quæres 13. An clericus male legens secundum dimensionem sillabarum, & interpunctionem Horas Canonicas, & Missam peccet saltem venialiter? Videtur, quod nullum sit peccatum, quia sunt quid extrinsecum ad integritatem, & substantiam diuini officij, sine ipsis adhuc officium studiose, & deuote recitatur.

Respond. Est peccatum veniale defectus prosodiæ, & interpunctionis; probatur, Tum ex cap. Dolentes 9. de celebr. miss. ibi: *Studiose celebrent pariter, & deuotè.* Aduerbium *Studiose* refertur ad officium linguæ, quæ distincte, quod indicat interpunctionem, & eleganter, quod refertur ad dimensionem sillabarum, verba proferre debet, ibi enim glosa explicat verbum *studiose.* 1. sine sincopa, qui enim sincopat sine dubio necesse est, quod erret in pronuntiatione tam respectu dimensionis sillabarum, quam interpunctionis dictionum, & clausularum. Tum ex Psal. 46. ibi. *Psallite sapienter;* sed qui in prædictis errat non psallit sapienter, ergo transgreditur præceptum. Tum quia Cassiodorus citatus a Gratiano *dist. 37. c. Legimus. 6. §. Ex quibus,* dicit huiusmodi ornatus proferendi haberi ex sacra scriptura, illis verbis. *Omnis splendor rethorica eloquentia omnis modus poetica locutionis, quælibet varietas decora pronuntiationis à diuinis scripturis sumpsit exordium;* ergo id seruandum est inter legendum. Demum, & si huiusmodi sint extrinseca Diuino Officio, non tamen aliena, sed accessoria complenta exterius ornatum pronuntiationis, & cum pronuntiatio secundum sonum, & tempus sit actus virtutis, defectuosa erit recitatio, si desit recta pronuntiatio. Confirmatur, quia breuiarijs, & Missalibus adijciuntur, & inseruntur interpunctiones, & accentus, vt obseruentur, ergo si omittantur scienter, erit peccatum ad minus veniale, cum sit leuis defectus. 69 70

Quæres 14. An iudex in causis criminalibus, habita querela ab accusatore, qui sine depositione testium intrauit se percussum fuisse a tali suo inimico, non valendo probare suum dictum defectu testium, possit accusatum citare & interrogare; & an reus accusatus teneatur respondere, & dicere veritatem iuxta mentem iudicis interrogantis.

Respond. Iudex non potest interrogare reum, qui si citetur de facto, potest recusare interrogationem; aut respondendo seruari æquiuocatione, quia in tali casu cum non interrogatur iuridicè seruato iuris ordine, non tenetur respondere, & si cogatur potest vti æquiuocatione, se non fecisse tale delictum, de quo imputatur, subintelligendo, vt id illi dicat, vel sub alia simili clausula, quæ eius dictum reddat verum in alio sensu sibi in mente retento, eludendo mentem iudicis, qui in tali casu ius non habet interrogandi, & ita docent omnes, reum non teneri respondere, quando iudex non seruat ordinē iuris. Ordo autē iuris consistit in tribus. Primò quod iudex sit competens. Secundò, quod delictum sit probatum saltē semiplenè, vel per vnum testem omni exceptione maiorem, vel per manifesta indicia, vel per infamiam. Tertio quod huiusmodi probatio notificetur reo ante interrogationem, *S. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1. Sotus de secr. memb. 2. quæst. 7. Aretin. cap. 3. An reus interrog.* 71 73

terrog. Leſſ. lib. 2. cap. 31. dub. 31. Sayr. lib. 12. cap. 16. dub. 2. Peyrin. tom. 1. de Subdito q. 1. cap. 16. Notab. 4. Sed an id verum ſit in omni genere iudicij dicam in ſequenti.

Quæres 15. An reus poſſit reticere veritatem æquiuocando, & eludendo eius mentem in omni genere

73 iudicij? Pro cuius reſolutione. Notandum eſt, quod tres ſunt actus, qui viam aperiunt iudici ad procedendum in cauſis criminalibus contra aliquem, Denunciatio, Inquiſitio, & Accuſatio, extremi duo ſe tenent ex parte actoris, medius eſt proprius eſt iudicis, qui ex officio ſuo tenetur inquirere delicta ſubditorum, ne remaneant impuniti, de quib. *cap. Super 16. cap. Inquiſitionis 21. cap. Qualiter 24. de accuſat. Sayr. lib. 12. cap. 10. Leſſ. lib. 2. cap. 29. n. 103.* de ſingulis aliquid dicendum in ordine ad reſolutionem quæſtionis.

74 Denuntiatio iudicialis, aliis relictis, eſt iuridica manifeſtatio criminis facta iudici, ſuper qua poſtmodum ipſe fundatur ad inquirendum, & ſumendas informationes ex officio ſuo contra denuntiatum, *ex cap. Nouit. de iudic. cap. Licet. Heli de ſim.* Huc ſpectant publica edicta ſuperiorum præcipientium aliquid denuntiari, vel reuelari, cuiuſmodi ſunt edicta Inquiſitorum pro ſancta fide conſeruanda, & hæreſibus extirpandis præcepta ſuperiorum regularium in ſuis viſitationibus, monitoria ordinariorum pro recuperandis deperditis, nonnullæ Bullæ Pontificiæ ad denuntiandum, & reuelandum nonnulla crimina *vt inſinuat Bonac. in tract. de Denuntiat. initio.*

75 Vt quis teneatur denuntiare in prædictis coram iudice deſignato in edictis requiruntur quatuor Primo, vt denuntiaturus certò ſciat delictum, & illius perpetratorem, vel per ſe, quia vidit, vel audiuit, ſi crimen ſpectet ad organum viſus, ſeu auditus, vel per perſonas fide dignas, ratio eſt, quia ſuperiores requirunt ſcientiam criminum, ergo quis non tenetur denuntiare, niſi quod verè & certè ſit; eſt enim ſcientia cognitio vera, & certa, factum enim tunc ſciri dicitur, cum minime dubitatur *l. 2. §. Idem Labeo, ff. de acq. poſſ. are. Lazar. ſect. 2. de monit. q. 12. n. 2. Nau. conſil. 11. de heret. n. 3. Sayr. lib. 12 cap. 14. n. 33. Cordub. lib. 1. q. 43. dub. 2. §. Sexto Bonac. de denunt. p. 1. §. 4. n. 1.* Et quando quis eſt denuntiaturus ex auditu aliorum, debet conſiderare prius, quæ perſonæ ſint, an fide dignæ, & prudenter, cap. Qualiter 14. de accuſ. ibi: *Non quidem à maleuolis, & maledicis, ſed à prouidis, & honeſtis.* Et omnes doctores, & Summiſtæ, ne in diſcrimen deducatur fama proximi inconſiderate, & parum prudenter.

76 Requiritur ſecundo, vt poſſit probare quod denuntiare intendit, vel per teſtem omni ſuſpicione carentem, vel per indicia ſufficientia, vel per infamiam, vt colligitur *ex cap. Si peccauerit 19. 2. q. 1. cap. Plerumque 26. 2. q. 7. cap. Qualiter 16. de accuſat.* ibi: *Exceptis occultis criminibus.* cap. Licet Heli 31. iuncto ſequenti cap. Per tuas 32. de ſimon. ratio eſt, quia, quæ non poſſunt probari occulta ſunt, & ignorantur *Gloſ. in cap. Sacerdos diſt. 6. de Pœnit. ibi Nau. n. 168. tom. 3. Gloſ. v. Proferantur extr. 1. de ſent. excom. Lazar. ſect. 2. de Monit. q. 11. n. 2. Gennenſ. cap. 2. n. 2. Beia part. 2. caſu 2. Nau. cap. 25. n. 33. Sayr. lib. 12. cap. 14. n. 32. Cord. lib. 1. q. 43. dub. 2. in reſol. §. Secundo Peyr. de ſubd. q. 5. cap. 16. §. Dico tertio, qui §. Dico quarto ex Rodr. tom. 2. q. 6. art. 7. Spatario tract. 5. cap. 11. n. 1. s. 3. & Nau. cap. 25. n. 46.* dicit non teneri denuntiare ea, quæ ab aliis audiuit, ſubdit rationem, quia ſi perſona, à qua audiuit eſt grauis, ea tenetur denuntiare, alias ſi ipſa denuntiet præſumit leuis, vel eſt leuis, & ſic ei credendum non eſt. In cauſa autem ſub excommunicatione, ait, Spatarium aſſerere, teneri denuntiare in grauibus, non in aliis, Rodrique vero teneri, ſi perſona ſit authoritatis. Reſpondet ipſemet diſtinguendo tria. Primo ſi putat verum id, quod audiuit, & putet etiam bona fide iudicem interrogaturum eſſe, & non eſſe iudicem adhibiturum niſi cum fide, quam dictum meretur, eo caſu teneri denuntiare; ſi vero ipſe denuntiaturus non putet iudicem malo animo procedere, vel etiam plus crediturum eſſe illi dicto, quam meretur, tunc non teneri denuntiare.

Non placet Peyrini ratio, neque diſtinctio, ratio quidem, Tum quia ſcientia propria vnius, qui tenetur reuelare non releuat alterum, qui ſcit aliena ſcientia, maxime quando in edictu præcipitur, vtroque modo ſcitum eſſe denuntiandum. Tum quia ſciens alieno audito multum iuuare poteſt denunciando alterum, à quo audiuit, quia vt ſciens, ex ſe forſan fortius factum probabit. Tum quia, allegans perſonam fide dignam in teſtem, proprium dictum reddit firmiorem; & neque ex hoc dicitur leuis, qui ex auditu denuntiat, cum audita dicantur ſciri *cap. Hoc videtur 8. 22. q. 5. cap. Præterea 26. de teſtib.* quicquid dicat *Graff. part. 1. lib. 2. cap. 537. num. 4.* Diſtinctio verò diſplicet, Tum quia ſecundum vulgata iura contra neminem malum præſumendum eſt, maxime contra iudicem, qui nulli violentiam facere dicitur *Gloſ. fin. cap. Præſentium 3. 7. 1.* Tum quia ſi denuntiaturus ſciret ſaltem probabiliter moueri malo fine, & ex odio iudicem, in eo caſu, neque ſcita ex ſe teneretur, neque debere denuntiare, alias cooperaretur eius malo, quod nequaquam faciendum eſt, cum tunc non obliget edictum vt quod iniquum eſt ex parte iudicis. Tum quia quæſtio illa excludit extrinſeca, quæ non faciunt ad eius reſolutionem, cuiuſmodi ſunt odium, & malus finis, & in eo præciſe conſiſtit. An tantum ſcita ex auditu aliorum denuntianda ſint, quatenus talia ſunt, & tunc ſine dubio releuanda ſunt, vt probaui, ſiue præcipiantur ſimpliciter, ſiue per cenſuram, quia qui non tenetur ex ſimplici præcepto, neque ex adiuncta cenſura, quæ ſuppoſitam obligationem tantum auget, comparatiuum enim ſupponit poſitiuum, *Marius Anton. lib. 3. reſ 11 num. 7.* ſicut ſi non obligat ſimplex præmiſſio neque adiectum iuramentum quod fere ſemper regulator iuxta naturam actus, ſuper quam cadit, & ab eo præcitati doctores ita ſentiunt, nempe denuntianda eſſe ſcita ex auditu perſonæ fide dignæ.

Secundum hoc requiſitum procedit, quando denuntiator vices gerit querelantis potius, quam teſtis, in quo caſu denuntiatio habet vim accuſationis, quæ ſine probatione non ſubſiſtit, vt præcitati docent *cum Gennenſ. c. 2. n. 2. Piaſec. part. 2. c. 3. n. 60. & c. 4. n. 85. Nau. tom. 2. in c. Inter verba, concl 6. n. 380.* Si verò denuntiator fungitur officio teſtis, tenetur reuelare ſine probatione, *ex eodem Nau. n. 382. & alij.*

77 Numerantur autem aliqui caſus, in quibus denuntiator habet vim teſtis. Primo, quando intenditur potius emendatio, quam punitio, tunc denuntiatio habet vim teſtis, *ex cap. Licet Heli 31. de ſim. iuncta gloſ. Ex officio.* Secundo in cauſis fidei denuntiator habet vim teſtis, *Gennenſ. cap. 18. n. 5. Senſa Aphor. lib. 2. cap. 4. n. 8. Bonac. p. 1. de denunt. §. 4.* Tertio in cauſis matrimonialibus, in quibus vni creditur teſti ad impediendum matrimonium cap. Præterea, tale ſponſal. Quarto, quando delictum vergit in grauiſſimum præiudicium, & difficilis eſt probationis, *Marſil. in l. Si quis ff. de quæſtion. Gennenſ. cap. 66. in fine, Graff. lib. 2. de Arbitr. 68.*

78 Tertium requiſitum eſt, vt delictum non ſit occultum, ſed publicum, alias ſi crimen eſt occultum infamatur perſona denuntiata, & hoc requiſitum colligitur ex præcedenti, ſi enim denuntians tenetur probare, neceſſe eſt, quod delictum ſit notum, iuxta ſuperius dicta. Sayr. lib. 12. cap. 14. n. 28. requirit, quod ſit notum tribus, aut quatuor, ſed meo iudicio ſufficit, ſi ſit delictum probabile etiam per vnum teſtem omni exceptione maiorem, vel manifeſta indicia, vel infamiam, vt ſupra dixi, & dicam infra ſub n. 86. *Vide P. Nau. lib. 2. de reſiſt. cap. 4. part. 2. à n. 218. Bonac. p. 1. de denunt. §. 18 §. Dixi Nau. tom. 2. in cap. Inter verba n. 378 §. Tertiò eſt 401. ad 410.*

Quartum

79 Quartum requisitum est, vt quis teneatur denuntiare solum, quando delinquens non est emendatus, neque speratur emendatio, vt docent *Rodr. tom.2.q.6. art.2.& 6. Nau cap.25.n.46.& tom.2.in cap. Inter verba, n.378. §.Tertio, Peyr.tom.1.subd. q.1. cap.16. §.Nota vlterius, Portel.v. Denuntiatio, num.7. Sayr.lib.12.cap.14.27. & alij apud hos*: Quæ, vt ipse innuit, procedunt quando superior intendit solum emendationem peccatoris, quia iudex sortitus est suum finem, quem intendebat, alias si intendebat punitionem denuntiandus est iam emendatus, vt satisfiat intentioni iudicis, & hisce nostris temporibus superiores, vtplurimum, intendunt punitionem, vt per pœnam contra malefactores inflictam, aliis metus, & timor incutiatur, & sic à peccatis, si non amore virtutis, saltem formidine pœnæ subditi abstineantur.

80 Inquisitio, quæ est secunda via exercendi actus iustitiæ procedendo contra aliquem, est iuridica inuestigatio criminum, & delinquentium facta à iudice ex officio suo, qui tenetur inquirere perpetratores delictorum, ne remaneant impuniti, ita omnes Doct. *in cap. Qualiter 17. cap. Cum dilectis 18. cap. Cum oporteat 19. cap. Inquisitionis 21. cap. Qualiter 24. cap. Sicut 25. de Accusat. cap. Licet Heli 31. cap. Per suas 32. de simon.* Diuiditur autem in Generalem, Specialem, & Mixtam, de quibus Doctores super citatis capitibus, *Rodr. tom.2. q.5. art.1. cum suo Compend. resol.37. Sayr.lib.12. cap.10. n.8.& 9. Less.lib.2.cap.29.n.107. Mirand.q.6.de ord.iud. artic.1. Ghisil.de iudice regul.cap.16.n.73. Aretin.c.10.*

Generalis inquisitio est inuestigatio personæ, & criminis in communi nullam personam in particulari, nullumque delictum in specie nominando; vt requiratur, an aliquis sit scandalosus; an subditi seruent regulam; an celebrentur diuina officia, an satisfiat obligationibus, &c.

Specialis verò est illa, in qua quæritur, an talis persona tale commiserit delictum; e.g. an Petrus blasphemauerit, an adulterium fecerit, &c.

Mixta ex vtraque contingit dupliciter; primo quando quæritur, quisnam commiserit homicidium; secundo quando quæritur, an Petrus commiserit aliquod delictum. Ita ex supradictis cum Bonac. *super oct. precept. decalogi.q.2.p.5.*

81 Generali inquisitione prælati, iudices, & visitatores singulis annexis ex officio tenentur generaliter inquirere super delictis suorum, subditorũ vt colligitur *ex c. 1. de off.ordin. c.Cum olim, de accus.c.Venerabilis, c.Romana, de cens in 6.* qui textus, &c. si loquantur de Episcopis, tamen extenduntur etiam ad superiores, & visitatores regulares, vt docet *Peyr. tom.1. ad constit.14. Leon.X. num.11.* expresse vero de ipsis regularibus habetur *cap.*

82 *In singulis 3. cap. Ea, quæ 8. de statu mon. cap.8.& 20. Sess.25.in Tridentino,& Ghisil.cap.16.n.76.& 77.vt mox dicam.*

83 Obseruanda autem sunt nonnulla à visitatoribus. I. nulla præcedente infamia possunt generaliter inquirere, *Nau. cap.18.n.38. Less.lib.2.cap.29.n.108. Ghisil. cit.n.74.§.Inquisitio, Peyr.Formul. lit.P. cap.15.num.1.* II. non debent exigere iuramentum, quod prohibetur *cap.Romana, §.fane, de censib.in 6.* quod caput non solum de prælatis secularibus, sed etiam regularibus expresse loquitur, vt videre est §.fin. vbi excipiuntur regulares, nimirum posse illud exigere, si adsit rationabilis, & approbata consuetudo, aut institutum, *ex Annors.cap.8 num.2.Ghisil.cap.16.n.76.& 77.* III. omnia in scriptis redigere debent, *ex eod.cap. §.Postquam*, sicque seruant omnes religiones. IV. contra aliquem in particulari non possunt procedere, sed modo supradicto, neminem in singulari nominando, vt ex ipsamet definitione Generalis inquisitionis infertur, & colligitur ex citatis iuribus, & Doctoribus. V. quando in inquisitione generali aliquis manifestat alterius crimen, eo casu instituenda est specialis inquisitio quoad personam, & crimen, vt docet *Ghisil.cap.16.n.80.* Si tamen denuntiatus est iam correctus, vel paratus ad se emendandum, modo non sit infamia de ipso, neque delictum sit perniciosum reipublicæ dimittendus est impunitus saltem pœnis iuris, *Aretin.cap.11 §.Prelatus*, & hoc ex indulgentia superioris, qui tamen prosequi potest ex officio suo processum, & ordine iuris seruato tandem illum punire, vt taliter reus compertus sit in exemplum aliorum.

84 Ex parte subditorum, qui in visitatione examinandi sunt, duo seruanda sũt, Primo, quod crimina sui proximi occulta non debent denũciare Visitatori, quouis medio inquirat, etiã sub pœna excõmunicationis, colligitur ex c.Qualiter 17. de accus. ibi: *Iurent clerici, quod super iis, quæ sciunt, vel credunt esse in sua ecclesia reformanda, tam in capite, quam in membris, exceptis occultis criminibus, meram, & plenam dicant inquisitoribus veritatem* cap. Inquisitionis 21. §. *Tertiæ dubitationis articulus, vtrum cum duo, vel plures iurati affirmant aliquem crimen aliquod eisdem videntibus commisisse, de quo aliqua infamia non laborat, aliquam illi pœnam iniungere debeatis? Ad hæc respondemus nullam esse pro crimine, super quo aliqua non laborat infamia, seu clamosa insinuatio non præcesserit, propter dicta huiusmodi puniendum, quinimo super hoc depositiones contra eum recipi non debere, cum inquisitio fieri debeat solummodo super illis, de quibus clamores aliqui præcesserunt.* Ex verbis huius secundi textus nonnulli inferunt iudicem non posse procedere contra denuntiatum, si de eius delicto ante denuntiationem non præcesserit infamia, vel clamorosa insinuatio, & benè si velint, iudicem non posse punire per acta solum virtute generalis inquisitionis, respectu cuius denuntiatus puniri non potest, vt rectè colligitur ex dicto textu iuncta glos. v. Solummodo, quia testes non sunt iurati, neque ad hoc inducti, vt persona particularis puniatur, quæ sine speciali inquisitione puniri non potest. Quod de occultis non teneantur respondere docent omnes cum *Nau. tom.2. in cap Inter verba, concl. 6.n.401.& tom.4. de iudic.n 87. Aretin. cap.12.§. Dico secundo, Bonac. super 8.decal. praced.q.2. de publ.ind.p. 5.n.9.§.3.& 4.Less.lib.2. cap. 29. n. 109. Peyr. de subd.q. 1.cap. 16.§. Vbi notandum, Lezana. cap.27.n.2.*

85 Secundum seruandum in generali inquisitione est, quod interrogatus non tenetur, immo neque debet seipsum procedere, ex illo communi axiomate. *Non dico, vt te prodas*, cap. Quis aliquando 87. *dist. 1. de Pænit. §. His authoritatibus, lege Nimis graue ff. de testibus Beia part.2. casu 2 Graff. tom. 2. cons.3. de homicid. diff.4. n. 2. Bonac. cit. § Quarto, Ratio*, quia in generali inquisitione superior non habet ius inquirendi nisi in communi, an interrogatus subditus sciat aliquorum crimina, consequenter in hac inquisitione excluditur persona interrogata in ordine ad propria crimina, & solum interrogatur in ordine ad aliorum crimina, aliter interrogatio non fieret virtute generalis inquisitionis, sed specialis, ad quam tunc vt sic ius non habet superior, cum prius debeat esse instructus processus informatiuus, & reus constitutus antequam in specie interrogetur contra seipsum, vt more patebit.

86 Specialis inquisitio, quæ fit contra particularem personam, non habet locum, nisi præcedat infamia, siue clamorosa insinuatio, quæ vicem gerunt accusationis, loquendo de iure communi, capit. Cum oporteat 19. de accusat. *Mandamus quod nisi super prædictis famam ipsius læsam esse noueritis vos ad inquisitionem illorum non subito procedatis* cap. Inquisitionis §. Tertiæ 21. eod. cuius verba retuli supra n. 84. spectare ad specialem inquisitionem, clarius cap. Qualiter 24. eod. in cuius fine excepit prælatos regulares ibi: *Hunc tamen ordinem* (nõ procedendi nisi præcedente infamia, & clamorosa insinuatione non semel tantum, sed sæpe) *contra regulares personas non credimus vsquequaque seruandum, quæ cum causa requirit, facilius, & liberius à suis possent administrationibus amoueri.* Quod confirmatur per cap. Per tuas 32. in fine, de sim. & præced. eod.

eod. vbi de infamia, & clamosa insinuatione præcedente inquisitionem specialem, ita doceant omnes, quos citat *Farin. tom. 1. praxis crimin. q. 1. n. 5. & q. 8. Clarus lib. 5. q. 6. Sayr. lib. 12. cap. 10. n. 19. Bonac. super 8. decal. precep. q. 2. p. 5. n. 10. Aretinus cap. 14. de inquisit. speciali, Ghisl. cap. 16. n. 91. Lezana tom. 1. cap. 27. n. 4. Rodr. tom. 2. q. 5. art. 5. Mirand. q. 7. de ord. iud. art. 1. P. Nau. lib. 2. cap. 4. dubit. 5. n. 148.*

87 Infamia autem necessaria, vt iudex possit procedere ex officio contra particularem, est rumor ortus à personis probis, & fide dignis. In eundem sensum accipitur clamorosa insinuatio, neque enim rumor potest esse in populo, vicinia, aut conuento, nisi audiatur clamor quasi illius effectus. Ita docent *Panor. Ioan. Andr. in cap. Qualiter 24. de accusat. Sotus lib. 5. de iust. 9. 6. articulo 2. Sayr. lib. 12. cap. 10. numero 12. Lezana cap. 27. n. 6. Mirand. q. 7. n. 19. P. Nau. lib. 2. de Restit. cap. 4. n. 153. Peyr. Formul. lit. P. cap. 9. n. 16.* Alij distinguunt infamiam à clamorosa insinuatione, quod illa sit vox frequens bonorum, & probatum hominum aliquem reddens suspectum de aliquo crimine; hæc vero vox totius populi, seu publicus rumor, *Nau. tom. 2. cap. Inter verba. apud Bonac. disp. 10. de legib. p. 5. n. 4. qui cum multis alijs citat dictum Nau. sub n. 697. sed in meo codice tom. 2. citatum caput. desinit in n. 486.*

Quot autem personæ requirantur ad inducendam infamiam lege definitum non est, sed solum dicitur illo cap. Inquisitionis, non sufficere duos, aut tres, consequenter relinquitur arbitrio iudicis; communiter tamen requirunt maiorem partem populi, viciniæ, conuentus, vt docent præcitati cum Mirand. q. 7. n. 15. Sayr. n. 13. Neque necesse est, quod fiat testes oculati sed satis est, quod acceperint à fide dignis ex eisdem, & Mirand. n. 22. In processu autem iudex ordinarius eam probare non tenetur, sed solum delegatus, vt doctoribus citatis probat Mirand. *ead. q. 7. n. 27.* cum Panorm. *per. cap. Cum oporteat de accusat. & n. 50.* de delegato cum *Glos. in cap. 2. de accusat. in 6.* Procedunt de iure, nam aliud in praxi, de qua infra q. 16.

88 Respond. Igitur ad quæstionem, non solum requiritur, vt reus interrogetur initidice repectu iudicis accusariui, vt probaui supra præced. q. 14. n. 71. sed etiam respectu denuntiationis, & inquisitionis tam generalis, quam specialis, alias potest eludere iudicem æquiuocatione, vnde vt denuntiatus teneatur respondere ad mentem iudicis, necesse est, quod denuncians prius probauerit delictum, supra num. 76. vel saltem denuntiauerit ipse, vt testis ex num. 77. In inquisitione generali reus præcise respondere non tenetur, vt probaui n. 48. nisi postquam per specialem inquisitionem probatum fuerit delictum vel per infamiam, vel per indicia sufficientia, & manifesta indicantia personam talem, quam tale dictum fecerit iuxta indicia; vel per semiplenam probationē, vt docent omnes cum *Nau. cap. 25. n. 56. Lessio lib. 2. cap. 31 num. 8. §. Petas, Sayr. lib. 12. cap. 16. n. 5. & 6. Lezana cap. 27. n. 12. Bonac. disp. 10. de leg. q. 3. p. 2. Mirand. q. 19. n. 65. & 69. Compend. cum suo Authore resol. 43. à num. 5. Portel. v. Correctio fratrum n. 43. & omnes apud prædictos Aretin.*

Quæres 16. An practica, quæ nunc seruatur multo tempore ante inuenta procedendi contra particularem personam, licet non præcesserit infamia, & notorium non fuerit ante crimen maiori parti loci, viciniæ, vel conuentus, iuxta *cap. Qualiter 24. de accusat. & cap. Licet Heli, de sim.* cum alijs iuribus, licita sit, & sequenda tanquam legitima consuetudine introducta?

89 Resp. Licita est, & probabilis, suadetur, tum quia videtur colligi ex verbis Matth. cap. 18. ibi: *Quod si non audieris eos, die Ecclesiæ.* Vbi agitur de correctione fraterna, in qua primo frater secretò corrigitur ab eo solo, qui illum vidit peccantem, qui si non acquieuerit correctioni, adhibendi sunt à correctore vnus, vel duo testes, & si adhuc non audierit, poterit illum denuntiare Ecclesiæ, ergo & contra similem personam, de qua nulla extat infamia poterit, iudex inquirere. Tum quia fama proximi non dicitur læsa, quando ab altero non fit aliquid cum formali, vel saltem virtuali intentione lædendi proximum in fama, vt omnes docent; sed in iudicio nulla reperitur huiusmodi intentio, cum iudex solùmodo intendat delicta punire, vt nō solum puniatur, verum etiā alij retrahantur à malefaciendis. Tum quia alias dato quod sit iste modus procedendi, infamia non præcedente, contra ius naturale, non est tamen contra ius naturale proximi generis, in quod nō cadit dispēsatio, nec interpretatio, sed tantū contra iura secundi generis, quæ interpretationem, & modificationem recipiunt, vt bene docet P. Nau. *lib. 2. cap. 4. n. 161.* Tum quia magis præponderat bonum publicum, vt crimina puniantur, quam priuatæ personæ, vt eius delicta non imputentur. Tum quia persona priuata potest proiicere famam sine peccato, vt docent plures, ergo & iudex, ex eo quod reus per delictum seipsum deteriorem reddidit, videtur habere aliquod ius inquirendi contra ipsum. De hac praxi testantur plures, quos citat *Bonac. q. 10. de legib. q. 2. p. 5. n. 12. Less. lib. 2. c. 29. n. 132.*

Quæres 17. An superior regularis nulla præcedente infamia, sed solis indicijs, possit procedere contra suum subditum ex officio suo in visitatione? Non loquor quando procedit ad instantiam partis.

90 Respond. Nulla præcedente infamia, sed solis indicijs potest procedere contra reum, quod probatur, Tum ex adductis mox rationibus. Tum quia allegata iura non obstant, cum in fine *cap. Qualiter 24. de accusat. cap. Olim 26. eod. cap. fin. statu mon. cap. Per tuas 52 de simon.* dicatur, quod prælati regulares in suis visitationibus, & iudicijs possunt, & debent procedere sine strepitu iudiciorum, & apicibus iuris; & eis capp. Qualiter, & Per tuas, in fine expresse dicitur, quod possunt procedere contra personas regulares facilius, & liberius easdem puniendo, & remouendo ab administrationibus, consequenter id præstare poterunt, quamuis infamia non præcesserit, modo aperte eis constet de criminibus per manifesta indicia, seu testes fide dignos, & alijs seruatis, quæ spectant ad substantiam iuris. Quod non teneantur ad apices iuris, præter

91 citata iura indulsit Bonif. VIII. vt insinuant *Port. in sum. v. Correctio Fratrū, n. 50. & p. 1. casu 24. n. 2. & casu 25. n. 14.* Mirand. q. 14. de ord. iud. n. 3. & 18. nomine autem apicum iuris ex Portel. Bonif. VIII. ita loquitur. *Sunt citationum interualla, dilationes interlocutoriæ, & cætera huiusmodi, quæ non sunt de essentia iuris, non tamen possunt in actis iudicialibus pro eorum arbitrio procedere, sed iure diuino, ac naturali ad substantialem iuris ordinem tenentur.* Apud Lezanam tom. 1. cap. fin. n. 26.

92 Indicia autem manifesta, quæ viam iudici in sua visitatione aperire possunt ad inquisitionem specialem contra particularem, & determinatum religiosum, formando processum, sunt quædam signa, per quæ iudex prudenter, & rationabiliter ex officio suo potest se mouere ad verisimiliter credendum, & tenendum hunc religiosum, & non alium perpetrasse tale delictum, e. g. cubatio in lecto cum muliere, cum iuuene, habere gladium euaginatum, vel sanguine aspersum coram percusso; fractio capsulæ in Ecclesia, vel loco, ad quæ nullus paret aditus nisi vni, vel alteri certo, &c. In dubio autem an signa sufficiant ad inquirendum debet abstinere iudex, quia subditus possidet suam innocentiam, super quam detorbandus non est, e. g. Solus cum solo paris ætatis repertus cella clausa nullum est sufficiens indicium ad inquirendum, &c. manifesta osculatio inter religiosos seniorem, & iuniorem, si præcesserit murmur videtur sufficere, &c.

Quæres 18. An quando delictum est manifestum e. g. constat capsulam esse fractam, apertum fractione ostium officinæ, sublatam lampadem argenteam, &c. sed ignoratur fractor, & fur, liceat tunc superiori ex officio inquirere malefactorem, quod contingere potest tribus modis. Primo inquirendo in genere, quis fregerit, quis sustulerit, neminem in particulari nominando. Secundo præter generalem inquisitionem, inquirendo

rendo contra particularem, de quo est mumur esse furem. Tertio inquirendo de facto e.g, visitando per singulas cameras religiosorum, nullo excepto. Suppono, rem furto sublatam esse in loco patenti omnibus, & solis religiosis, nam si esset in loco sub custodia alicuius, ipse teneretur, nisi fractum fuisset cameræ ostium, in quo etiam casu circumspectione procedendum esset, & quærendum, an ipsemet custos fuisset fractor, & fur sub quæsito colore alterius. *Caiet. 2.2. quæstione 69.* negat primum modum consequenter reliquos modos procedendi in quibus potest esse maior difficultas, & cum eo *Sotus de secreto memb. 2. dub. 4. quos citat, & eorum argumenta munit Mirand. quæstione 7. art. 6. à numero 60. ad 62.* Præcipua, primo, quia contra neminem inquiritur sine præcedente infamia, ex iuribus citatis supra *numero* 86. sed ibidem constat, eos textus loqui de inquisitione speciali, quam non egreditur sine præuia infamia de iure, tamen de consuetudine seruatur oppositum per omnes iudices supra *numero* 89. eo magis apud Regulares, qui non tenetur ad ea iura, supra *numero* 90. Secundo, quia alias sequeretur malefactorem teneri seipsum prodere, iam id reieci supra *numero* 83. Tertio, quia id est contra ius naturale de seruanda fama proximi, & sic inquirere videtur iudicium temerarium. Vtrumque falsum, eo quod inquisitio est generalis, in qua si discooperiatur malefactor, sibi imputet, cum propter illud malefactum ius suum de fama labefactauerit; in secundo modo si indicia, & vehementes suspiciones habeat, iam iudicium est legitimum, & rationabiliter factum; tertio modo illa visitatio, quæ de facto dicitur, respondet generali de nomine. His ergo non obstantib.

94 Respond. Superior debet inquirere malefactorem, & si habet aliquam verisimilitudinem, quod res sublata adhuc sit in conuentu potest inquirere illo primo modo, postea secundo, demum tertio, & si non inuenerit malefactorem relinquere iudicium à Deo exercendum.

Primum de inquisitione generali probatur, quia hæc fieri potest nulla præcedente infamia, imò, & nullo patente delicto, vt supra probaui *n.* 83. alias multa delicta quamtumuis grauissima remanerent inuindicata in perniciem, & graue detrimentum reipublicæ, & religionis. Ita docent *Lessius l. 2. c. 29 dub. 14. n. 114. Azorin. c. 13. Mir. quæstione 7. art. 6. n. 67. P. Nau. libro secundo cap. 2. numero* 167.

Secundum de indiciis contra furem probatur per dicta *praced. q. 17. ad quod refertur. Adde P. Nau. cit. num.* 168.

95 Tertium de fatali visitatione suadetur. Tum quia superiori licet ingredi cællas cuiusque religiosi, ea eo quod illi præscribitur clauis ita fabrefacta, vt cum sibi videbitur cællas omnes reserare possit, ergo si potest singulas cameras reserare, poterit etiam in eis visitare, ad quid enim reserare, nisi vt ibidem aliquid ea officio suo peragere possit, Clem. VIII. in Decretis pro reformat. *Regul. numero* 24. quamquam hoc Decretum non sit in vsu, nisi apud reformatas religiones, quæ super ostia cællarum nullas claues habent, sed obuia sunt omnibus tamen iste non vsus nostram non infirmat rationem, cum ex non vsu illius decreti non possit inferri illud esse illicitum, imò rationabile, & conforme votis obedientiæ, & paupertatis, imò vt castitatis. Tum quia per hunc modum de facto inquirendi magis iustificatur negotium, & ex animis multorum, & plurimum depellitur suspicio, quam habere possunt de proximo; quod si casu inueniatur malefactor, non ideo ex hoc modo procedendi dicitur infamari, cum iudex pro se, & ea officio suo intendat consulere indemnitati conuentus, sed ipsemet malefactor suæ infamiæ est proditor ea radice malefacti. Tum quia iudex hoc modo efficaciter consulit animæ huiusmodi furum, nam inuentam rem furto sublatam mandat restitui superior, quam sine dubio vel forsan non restituisset fur, qui non furatur, vt restituat, sed vt alienum sibi retineat in proprios vsus; salus autem animæ præponderat bono famæ, ad quam conseruandam in tali casu imperfectum ius dicitur habere malefactor, qui per malas actiones multum sibi præiudicauit, Tum quia, & si non possit procedere inquisitione speciali contra hunc, vel illum particularem, potest tamen contra omnes, & singulos indifferenter coniunctim spectatos, quod suadet ea regula, quæ docet, quod singula, quæ seorsim non prosunt, simul coniuncta coadiuuant, vt de multis testibus, qui licet seorsim non probant, simul tamen probant, & coadiuuant negotium, Glos. fin. in fine cap. Præterea 27. de testibus iuribus ibidem allegatis, ergo idem dicendum est respectu iudicis procedentis ex officio. Tum quia sicut appellatio fatalis, & verbalis ad inuicem comparantur fauore rei appellantis, qui sentiens se iniuste esse grauatum, si sibi non permittitur appellare verbo, neque scripto, quæ est appellatio verbalis, & talis simpliciter dicta, potest ad superiorem iter arri- 96 pere, qui recursus vocatur appellatio fatalis, seu de facto, licita, & concessa à iure, *capit. Dilecti 52. de appella.* & pro regularibus docet *Rodr. cum suo Compend. resolut. 10. numero 3.* quampluribus aliis citatis. Ita generalis inquisitio verbalis, quæ communiter fit verbis, & scriptis, & fatalis, quæ contingit visitatione cællarum, ad inuicem conferri possunt, & debent fauore iudicis, consequenter sicut in prædicto casu potest procedere inquisitione generali verbo, & similiter facto visitando singillatim, & collectiue singulas omnium cameras. Et ita practicatur in multis religionibus.

97 Vnum tamen aduerto, quod si in visitando superior inueniret aliquid aliud inconueniens statui religioso, vti arma probibita, vestes profanas, & similia non videtur habere ius, quia factum, & persona erant omnino occulta quo ad hoc, sed scientia pro eo casu est per accidens insufficiens ad procedendum rigorose contra eam personam, itaque poterit illum corrigere caritatiuè, & illi auferre prohibita. Quod si inueniretur aliud furtum, puto quod superior illius occasione tamquam certo indicio, posset sibi aperire viam ad procedendum contra illum à simili, quia malus in eodem genere delicti semper præsumitur malus.

Quæres 19. Apud quem remanere debet liber manuscriptus signatus, & approbatus à superioribus ad hoc, vt imprimatur, apudne impressorem? an Auctorem? Videtur apud hunc, quia ipse est dominus operis, cum quasi sit filius, & partus suus, filij autem, & partus sub cura parentum esse debent.

98 Respond. Remanere debent opera imprimenda apud ipsummet impressorem postquam à superioribus approbata fuerint, & non apud Authorem, probatur, Tum quia approbantur eo fine, vt imprimantur, ergo fiunt sub potestate impressoris. Tum quia post approbationem autor non potest addere, neque quicquam detrahere in consultis superioribus, ad quid ergo remanere habet opus apud ipsum? Tum quia difficile est authori à prædictis se abstinere, si opus apud illum maneat, ergo sit apud impressorem, vbi enim timetur periculum, ibi cautius agendum est *capitulo 3. de elect. numero* 6. Demum quandoque filij à cura parentum submouentur, si causa subsit, eo magis in casu præsenti, & sit exemplum in sponsa, quæ quamuis sit sponsi, cum eo tamen cohabitare non potest, ne corrumpatur, ita neque liber post approbationem remanere debet apud authorem, ne ab eo alteretur, & mutetur præter mentem superiorum. Quare inquisitores iure suo poterunt illud opus post approbationem præcipere etiam sub censuris, vt remaneat apud impressorem, & nequaquam apud authorem, nisi pro eo tempore, quo impressum confertur cum manuscripto ab authore, & impressore. Post hæc inueni in Regulis indicis Reg. 10. debere librum remanere apud examinatorem, sic limita prædicta, qui paulatim illum tradit impressori, vel etiam

totum

totum simul, sufficit quod non remaneat apud Authorem. De licentia imprimendi libros Consil. Later. sess. 10. Tridentin. sess. 4. ibi *Barb. Rodr. tom. 2. qu 104. cum eo Compend. ref. 79. Portel v. Librorum impressio, Peyr. de Prelato, q. 3. c. 9.*

Nota autem, quod nullam inueni pœnam inflictam contra Authorem, si librum suum aliquando apud se retineret. Potest tamen puniri ab Inquisitore, quando ex retentione adderet aliquid, sine necessitate. Addere autem vnum, vel alterum versiculum ad implendum folium, caracteribus non adæquate comparitis, nullum continentem errorem, prohibitum non est, si sanam exprimit Doctrinam, parum enim pro nihilo reputatur.

Quæres 20. Dominica fecit donationem omnium suorum bonorum Fratribus S. M. reseruato sibi vsufructu, durante eius vita, & inter viuos est donatio, aggrauando donatarios, vt post additam donationem eius secuta morte, soluant quinque centum libras imper. Ecclesiæ S. Mariæ N. vt ex eis fiat lampas argentea, quæ continuo collucere debeat ante maius altare dictæ Ecclesiæ S. Mariæ. Sed quia in Ecclesia Fratrum donatariorum est imago Beatæ Mariæ Virginis tantæ deuotionis, quanta est apud legatarios. Ideo quæritur, an dicta donatrix, remanente donatione intacta, possit dictum legatum conuertere ad Ecclesiam donatariorum, annullando prius legatum in præiudicium prioris Ecclesiæ? Videtur quod non, Tum quia ex vulgatis iurib. accessorium sequitur naturam sui principalis, sed donatio quæ est principalis, & irreuocabilis, ergo & legat. Tum quia Ecclesia legataria tam acquisiuit ius ad legatū, ergo ab ea auferri non potest, nullt enim auferendum est ius quæsitum, l. *Quod nostrum ff. de reg. iur. l. Sicut ff. de act. & obligat.* Tum quia nihil faciendum est in præiudicium, & damnum tertiarij. Quibus non obstantib.

99 Respond. Prædicta donatrix potest reuocare illud legatum, & conuertere in fauorem donatariorum, modo à legatariis acceptatum non fuerit, & ipsa non intrauerit non reuocare. Suadetur, Tum quia donatio ante acceptationem reuocabilis est, l. *Absenti ff. de donat. l. Nec ambigi C. eod. Sanch. lib. 1. disp. 6. numer. 2.* de communi non solum iure positiuo, verum etiam naturali, cum donator eam seruare non obligetur, eo quod nondum perfectus est consensus, à quo oritur obligatio, quæ est duorum consensus, seu vnio duorum ad eundem sensum. *l. 1. ff. de pactis. l. 1. ff. de act. & oblig.* cum autem donator, & donatarius ante acceptationem dicantur absentes, proprius consensus in vnum, ex quo sequatur mutua obligatio, vnire non possunt; prædicta autem donatio nondum acceptata fuit, ergo reuocabilis est, & consequenter adiectum legatum, seu onus tamquam accessorium reuocari potest: Nec obstat quod onus seu legatum sit ad pias causas quia etiam respectu harum requiritur acceptatio, vt docent communius, & probabilius citati à *Sanchez lib. 1. disp. 6. numero 16. §. Cæterum*, ob supradictam rationem. Tum quia donatio, & illud onus adiectum sunt duo inter se diuersa, & vnum potest esse sine altero, vt notum est, ergo per se, & necessario illud onus donationi adnexum non est, & sic necesse non est, vt sequatur eius naturam; neque enim diuersa cod. iure censenda sunt l. Inter stipulantem, §. sacram. ff. de verb. obligat Tum quia donatio est contractus nominatus l. Iuris gentium ff. de pactis, cuiusmodi sunt omnes habentes elegans speciale, & proprium nomen; onus verò illud est innominatus, cum non habeat nomen proprium neque elegans, & speciale, sed exprimatur per circumlocutionem verborum, Do, vt des, & dabis, vt faciant lampadem, &c, *per l. cit. & l. Naturalis ff. de præscriptis verbis*; in contractibus aut nominatis non datur locus pœnitentiæ, vtique in Innominatis, ex citatis iuribus; ergo quamuis alias Dominica

100 non posset reuocare donationem, id tamen non impedit reuocationem oneris. Tum quia ratio, qua donatio est, irreuocabilis, est ne fiat præiudicium donatario, vnde de eius consensu sine dubio reuocabilis est, vt nullus ambigit; ergo cum nullum afferatur præiudicium donatario, sed potius id illi valde vtile sit, poterit donatrix mutare illud onus. Ita Colligo *ex Couar. li. 1. cap. 14. quem sequitur Lessius li. 2. cap. 18. numero 64.*

102 Ex his patet ad rationes dubitandi, ad primam de illo Axiomate dico non habere locum. I. quando non sunt connexa essentialiter, Tinus *qu. 4. de ordinat. art. 6. n. 8. Sanch. lib. 7. disp. 29. nu. 4.* II. quando est diuersitas in vtroque *Abbas cap. Debitores. de iureiur. num. 2. Brunorus à Sole ver. Accessorium, Barbosa Vaz lit. A. numer. 7. Nauar. consil. 4. de iis qua vi*, & sic cum sint separabilia, & diuersa, accessorium non necessario regulatur per principale. Præterquamquod contra ipsum militant adductæ rationes. Ad secundum dico Ecclesiam legatariam nullum ius acquisiuisse, eo quod neque illud acceptrauit, neque donatum petuerit ad manus, & sub dominio donatarij. Ad tertium dico nulli damnum inferri, quando aliquid fit iure permittente, l. *Damnum ff. de reg. iur. Pappon. cons. 131. n. 15.*

Quæres 21. An religiosi possint videre, seu commutare quamplura vota argentea in duas lampades argenteas, quæ habeant collucere in festiuitatibus, & solemnitatibus ante gratiosissimam Imaginem beatissimæ Virginis Mariæ, cui oblata fuerant ea vota pro gratiarum actione de acceptis beneficiis, & erant huiusmodi vota exposita circum circa eamdem Imaginem honoris, decoris, & ornatus gratia.

Id fieri non posse ostenditur, Tum quia ea Vota sunt res pretiosæ, quæ seruando seruari possunt, & huiusmodi res pretiosæ prohibentur alienari extr. com. Pauli II. Incip. Ambitiosæ, & maximè regularibus, sine licentia in scriptis obtinenda à Sacra Congregatione, iuxta illius Decretum, quod retuli tom. 1. huius operis resol. 27. nu. 15. & docent omnes, dum explicant quænam res pretiosæ dicantur, cuiusmodi sunt vasa argentea, aurea, vestes pretiosæ, *Quar. v. eod. n. 24.* expressius, & in terminis *Riccius decis. 102. de votis argenteis*, quem citando sequitur *Bonac. p. 2. de alienat. n. 6.* Tum quia data locis piis oblatione fidelium ad vnum vsum pium non debent ampliari, vel conuerti ad alium licet pium sine licentia sedis Apostolicæ, *ex Clem. Quia contingit, de relig. dom. innouata in Trident. sess. 7. c. fin. & sess. 25. c. 8.* Tum quia ea vota tamquam res alienæ aliter disponendo non sunt contra mentem largientium. Quibus tamen non obstantib.

103 Respondendum Prior cum sui monasterij consensu potest dicta vota argentea benè, & vtiliter conuertere in duas lampades argenteas, quæ debeant deseruire ad illuminandum dictam Sacram Imaginem, sicut antea argentea anatemata erant ad decus, & ornamentum illius Sacratæ Imaginis. Probatur, Tum quia conuersio votorum in lampades non est alienatio, neque distractio, & consumptio rei, quod potissimum prohibetur, vt occurratur indemnitati Ecclesiarum, sed id potius rendit in maiorem Ecclesiæ vtilitatem, decus, & splendorem. Tum quia non est interdicta alienatio eo-

104 rum bonorum, quæ magis expedit alienari, quam seruari; vt dicit Rodriq. *eod. q. 51. c. 2. n. 4. & ex eo Quar. v. eod. nu. 38.* sed magis expedit alienari vota argentea, & conuerti in lampades ex eisdem conficiendas, quam seruari, eo quod facilius est, vt ea perdantur, & minuantur non tam incuria, seu iniuria ministrorum, quam ex eorum quantitate discreta fluxibilia, quæ non accidunt lampadibus, quæ ex sua pretiositate, vnione, & raritate facilius conseruantur. Tum quia regulares habent priuilegium conuertendi vnum pie datum ad alium simpliciter pium vsum, vt docet *Rod. tom. 1. q. 27. art. 5.* Ita sensit etiam de simplici alienatione *Compend. Privil. Teatin. verbo, Alienatio §. Tertia dubitatio, ad finem*, ea ratione quia non sunt destinata ad aliquem specialem vsum ratione cuius conseruanda sint, vt conseruentur

continentur lampa des, candelabra, thuribulum, &c. sed à fidelibus offeruntur, vt satisfaciant suæ promissioni.

105 Per hanc postremam rationem patet ad primum argumentum, prohiberi alienationem rerum pretiosarum, quæ sunt ordinatæ ad aliquem ecclesiæ vsum. Ad secundum, eam conuersionem fieri ex priuilegio; vel ibi sermonem esse de legatis piis destinatis pro vsu peregrinorum, & hospitalium, quæ non licet commutare in alios vsus in præiudicium hospitalium. Ad tertium non violari mentem largientium, hoc ipso, ea præcise obtulerunt, vt satisfacerent suis promissionibus, & votis.

Quæres 22. An literæ patentes; quas superiores maiores, vti General. & Prouinc. mittunt ad inferiores, tamquam licentias ad contrahendum cum extraneis, seu pro quouis alio negotio, debeant esse legalizatæ, vt obseruatur apud Notarios, qui extra suam ciuitatem mittentes propria instrumenta ea faciunt legalizari, seu authenticari, vt eisdem fides adhibeatur? Videtur sic, Tum quia eorum literæ patentes non habent maiorem fidem instrumentis Notariorum; sed in his requiritur legalitas, ergo & in illis. Tum quia respectu secularium, & extraneorum illi superiores se habent vt personæ priuatæ, quibus fides non adhibetur sine autenticatione.

106 Respond. Literæ patentes superiorum regularium, siue in illis concedatur aliquod spirituale, siue facultas contrahendi, &c. subscriptæ, & eorum sigillo munitæ tantam vim habent, & fidem, vbique, quantam literæ Episcoporum, & instrumenta Notariorum autentica, & legalizata. Probatur, Tum quia literis Episcoporum vbique creditur, & fides adhibetur etiam cum solo episcopali sigillo munitis, *capitulo Post cessionem 7. de probat. capitulo Scripta 2. de fide instr. capitulo Peruenit 7. de fideiussor. Glos. v. Vt autentica in capitulo Dicenti 16. 25. q. 2.* ergo & literis superiorum regularium; tenet consequentia, quia valet argumen-

107 tum ab Episcopo ad prælatos regulares maiores, & ad inuicem æquiparantur, *capitulo Abbates de priuil. in 6. Glos. v. Propry Clem. 1. de reb. eccl. non alien. Glos. v. Regularis, capitulo. Ne pro defectu 41. de elect. Rodr. tomo primo, quæstione 20. art. 10. cum suo Compend. resol. 32. n. 24. Portel. v. Prelati iurisd. n. 1. Homob. part 4. consult. Respons.* 88. Tum quia literis autenticis, & publicis creditur superiorum, & prælatorum, cuiusmodi sunt munitæ subscriptione, & eorum sigillo *Glos. verbo Autenticas capitulo. Cum in ecclesiis 10. de maior. aliis iurib. ibidem citatis.* Tum quia instrumentis publicis creditur, sed his æquiparantur literæ prælatorum, *ex capitulo. Vt circa de elect. in. 6. capitulo. Si canonici, de off. ordin. in 6.* & tradit *Graff. tomo primo, consilio primo de temp. ordin.* Tum quia legalitas, quam nonnulli ignorantes requirunt, fieri non potest, neque debet, nisi ab his, vel eorum mandato, & delegatione, qui iurisdictionem, & dominium habent super conficientes literas, aut instrumenta, est enim legalitas

108 actus iuridicus, qui fieri potest nisi à superiore erga suum subditum, sed superiores regulares non sunt subiecti Episcopis, neque communitati, aut potestati secularibus, quibus est ius legalizandi; neque io aliqua religione vsus est, vt superior maior autorizet literas superioris inferioris, ergo literæ Regularium prælatorum non egent legalitate. Tum quia Episcopus non facit legalizare suas literas, cum in hoc recognoscat, superiorem, ergo neque prælatus regularis, cum non sit deterioris conditionis, hoc ipso, quod in iurisdictione illi æquiparatur, ex supra allatis.

Quæres 23. An ille, qui falsu dixit cuidam sacerdoti, latro ille famosus ingressus est domum tuam, & omnia tua bona diripuit, incurrat excommunicationem, & irregularitatem, si sacerdos ex illius dicto à se putato vero fiat infirmus de repente, & post alternm diem moriatur? Probatur, quod sic quia illud eius dictum fuit causa efficax mortis, cum aliunde mors non inuenerit, vt supponitur in casu, neque enim necesse est, vt manus de facto iniiciatur, nam detrudens, vel detinens iniuste clericum in carceribus sine aliquo corporali contractu, est excommunicatus *ex capitulo. Nuper 29. de sent. excom.* Confirmatur à simili de explodente sclopum contra aliquem, nam huius sequuta morte ex hoc, explodens est excommunicatus, & irregularis, *ex Filliuc. apud Bonac. super hac excommun. parte prima numero* 18. Item ex motu subitaneo magnum incutiente metum, si mors sequatur, sic mouens vt perterrefaciat, fit irregularis, *Suar. libro septimo capitulo sexto de censur. n. 31.* ergo à simili idem dicendum in casu nostro, in quo ille sacerdos perterritur ex illa falsa relatione, & moritur. Quibus non obstantibus. &c.

Respondetur. Non est excommunicatus, neque irregulariter ille, qui falsam, & ementitam relationem detulit sacerdoti.

109 Primum de excommunicatione probatur, quia ad eam incurrendam requiritur, & sufficit vna ex tribus actionibus. Primo, iniectio violenta manuum in personam, vel adhærentia personæ ecclesiasticæ, *ex capitulo. Si quis 22. 17. quæstione quarta.* Secundo violentia sine iniectione manuum, & læsione corporali, vt detrusio, vel retentio in carcere, *capitulo Nuper 29. de sent. excom.* ibi: *Quamuis in eorum factum corporalis læsio non fuerit subsequuta, extra quam violentia sæpius circa clericos, nequiter perpetratur.* Tertio, iniuria sine violentia e. g. in clericum permittentem se percuti, capitulo Contingit 36. eodem ibi; *Et si non violentia, tamen iniuriosa videtur.* Et quod præterea vnaquæque earum sit peccatum mortale, & facta cum malitia, & dolo, ex citato capitulo. Si quis ibi: *Diabolo suadentes* importat etiam peccatum mortale, malitiam, & dolum, *Nau. capitulo 27. numero 76. & consi. 29. de sent. excom. cum Panorm. & Decio in capitulo. Cum non ab homine, de iudic. Silu. v. Excommun. 6. numero* 2. cum

110 animo iniuriandi requirit tria, vt effectus iniuriose inferatur, & sit notabilis, & cum animo iniuriandi; sed in casu nostro nulla ex dictis actionibus accidit, neque adfuit peccatum mortale, aut malitia, neque dolus, ergo non incidit in censuram. Minor constat, quia prolatio illorum verborum iniectio non fuit manuum, vt de se patet; neque violentia, quia nullam vim continent, neque consequenter inferre possunt; neque iniuriosa, quia iniuria non committitur, nisi cum animo iniuriandi, *l. 1. §. ff. de iniur. Farin. de accusat. q. 16. n. 67. Gabriel. vol. 2. consi. 166. n. 5. Parisi. vol. 4. consil. 149. n. 17.* & animus iniuriandi probatur iuramento eius, qui iniuriam intulit, *Menoch. lib. 1. de præsumpt. 40. n. 32. M. Anton. lib. 3. resol. 1. n. 37.* Neque iniuriam facere dicitur, qui ioco aliquid dicit, vel facit, *cap. Illud 2. 15. q. 1.* Et illa verba continent narrationem facti, quæ non sunt ordinata ad inferendam iniuriam, *l. Prætor. edixit ff. de iniur. Natta consi. 777. Felin. in cap. Cum te de iniur. n. 78.* Neque adfuit peccatum mortale, neque malitia, neque dolus; non peccatum mortale, quia de se verba illicita non sunt, neque vitiosa; non malitia, neque dolus interfuit, quia sine intentione nocendi, sed tantum ex ioco protulit, vt eum faceret subito domum currere, vbi autem ex ioco fit aliquid excluditur dolus, & malitia, *capi. de sent. excom.* Quare concludendum est, ea verba proferentem non incurrisse excommunicationem, morte sequuta illius sacerdotis, quia prolatio dictorum verborum non fuit iniectio manuum, neque iniuria, sed tantum causa remotissima illius mortis.

111 Secundum de irregularitate probatur, quia irregularitas in casu præsenti non potest prouenire nisi ex homicidio illicito, quod ad rem triplex distingui potest. Vo-

112 luntarium in se, voluntarium in causa, & casuale. Homicidium voluntarium in se illud est, quod ex intentione, & scienter committitur animo deliberato occidendi. Voluntarium vero in causa est illud, quod

quod directe non intenditur, tamen quia quis facit aliqoid, quod proxime, & immediate ordinatur ad mortem, dicitur feciſſe homicidiom voluntarium in cauſa, illud ergo expreſſe, & in ſe intenditur, hoc vero non intenditur in ſe, ſed tantum in cauſa, vt mors ſequens ex percutiente ſine voluntate occidendi. Caſuale homicidium neque in ſe, neque in cauſa eſt intentum, aliquando tamen habet adiunctam rationem voluntarij reſpectu alicuius circumſtantiæ, quæ illud reddit voluntarium, cuiuſmodi ſunt præuiſio, negligentia, non ablatio impedimenti, &c. Qui enim in ebrietate occidit aliquem, non præuidendo talem effectum mortis ſecuturum, dicitur committere homicidium caſuale nullo modo intentum, neque in ſe, quia non intendebat occidere, neque in cauſa, quia inebriatio non eſt ordinata ad homicidium, & ideo nullum peccatum; quod ſi præuidiſſet futurum homicidium ante ebrietatem, & non adhibuiſſet diligentiam, eo caſu ſequutum homicidium vocatur caſuale aliquo modo intentum vt circumſtantia diligentiæ non adhibitæ periculo præuiſo.

113 Vide dicta *reſol. 13. q. 1. à n. 9. ad 12.* His explicatis, omnes docent homicidium voluntarium tam in ſe, quam in cauſa, & caſuale ea circumſtantia voluntarium inducere irregularitatem, modo habeat adnexum peccatum mortale ex communiori, & veriori ſententia, de qua re *Suar. lib. 7. de cenſur. cap. 1. n. 9. ad 14. & cap. 5. n. 1. 2. & 5.* Sed mors illius ſacerdotis in caſu noſtro non fuit vllo modo homicidium reſpectu narrantis illud factū, non voluntariū in ſe, vt clarū eſt, neq; in cauſa, quia mendacium, ſeu falſa narratio alicuius facti non eſt ordinata proxime, & immediate ad mortem alicuios, vt etiam ſupra patet, neque eſt caſuale cum circumſtantia voluntarij, quia proferens illa verba non præuidet mortem, neque aſſignari poteſt aliqua negligentia, vel impedimentum, ergo illa mors nullo modo homicidium culpabile dici poteſt.

Ex his patet reſpōſio ad obiecta, nam ad primum narratio facti nulla ratione fuit cauſa mortis, cum ad eam nullam habeat ordinationē, neq; ex intētione narrantis, ſed remotiſſimè dicitur illius cauſa, quod non ſufficit ad eas ſpirituales pœnas incurrendum, quia cauſa proxima non remota attenditur, *l. Sed & ſi plures §. In arrogato ff. de vulg. & pupill. ſubſt.* neque ea, quæ eſt per accidens, ſed proxima, & ordinaria, *l. Si quis nec cauſa ff. ſi cert. petat.* Quare erit ſolum cauſa per accidens, & materialiter, non formalis, & voluntaria neceſſaria ad inducendam irregularitatem ex homicidio. Ad ſecundum allata exempla non ſunt ſimilia caſui noſtro, in quo attenditur ſola narratio verborum, & ſi enim aliqualem metum inferunt, paſſionem, vt ita dicam, intellectualem, non tamen adeſt ſtrepitus, ſeu ingens ſonus ſclopi, aut alterius rei inducentia caſu mortem, includunt enim quamdā violentiam ſufficientem ad mortem.

Quæres 24. An collegium Doctorum condere poſſit ſtatutum, ſeu ordinationem, quod ſoli de collegio intra vrbem actu morantes participent diſtributiones depoſitas ab illis, qui volunt inſigniri laurea doctorata, ita quod abſentes, & extra vrbem exiſtentes, ſi caſu reperiantur in vrbe, dum quis laureandus eſt, virtute huiuſmodi ſtatuti, excludatur à diſtributione? Quæſitum in eo potiſſimum conſiſtit, an licitum ſit huiuſmodi ſtatutum, nam de poteſtate condendi ſtatuta non dubitatur, cum hanc habeat, vt exprimitur in eorum cōſtitutionib.

114 Reſpond. Non poſſe fieri illud ſtatutum, cum ſit iniquum, & præiudiciale. Probatur, Tum quia non valet ſtatutum Collegij in damnum aliquorum, & commodum aliorum, *cap. Cum omnes 6. de conſtit. quale eſt hoc.* Tum quia per illud doctores forenſes, ſeu extra ciuitatem manentes priuantur iure ſuo, quod habent lucrandi pecunias, & emolumenta, quæ dantur, dum aliquis creatur in doctorem, quod eſt iniquum, & contra illam Regulam 23. in 6. quæ dicit neminem priuandum eſſe iure ſuo ſine culpa, niſi ſubſit cauſa, *capit. Satis peruerſum 6. diſt. 57. cap. Diſcretionem 6. de eo, qui cognouit.* In forenſi autem doctore nulla ſubeſt culpa, cum legitime abſit, vt notum eſt; neque aliqua aſſignabilis eſt iuſta cauſa illos priuandi, cum illorum abſentia à collegio ipſi collegio non præiudicet. Tum quia motiuum condendi hoc ſtatutum videtur originem trahere ab auaritia, vt ſcilicet præſentes in ciuitate locupletiora habeant emolumenta; auaritia autem teſte Apoſtolo I. Timot. 6. 10. eſt radix omnium malorum, & ideo mirum non eſt, ſi vellet habere iniquum filium hoc ſtatutum. Tum quia acquiſitio emolumentorum duo ſupponit, & quod doctor ſit membrum collegij, 115 & quod ſit præſens in collegio, dum quis laureatur, hæc enim duo dant ius lucrandi pecunias diſtribuendas; ſed tam forenſis, quam vrbanus hæc duo iura habent, cum per habitationem extra vrbem non perdiderit rationem eſſendi membrum æque ac eſt ciuilis, & vterque ſit formaliter præſens in collegio, ergo nulla eſt ratio condendi ſimile ſtatutum, quod forenſes afficiat, & non vrbanos, ſed contra hos fieri non poteſt, ergo neque contra illos, neque enim diuerſo iure cenſendi ſunt, & vbi eadem ratio eſt, ibi idem ius eſſe debet. *l. Iam hoc iure, ff. de vulgar.*

Quæres 25. Quid facere debeat ſacerdos, qui poſt cœptam miſſam recordatur ſe eſſe inieiunum, vel eſſe in peccato mortali vel oblitum eſſe alicuius mortalis in præcedenti confeſſione, vel eſſe excommunicatum? Ad ſingula diſtinctè reſpondendum.

Reſp. Primo, inieiunus poſt cœptam miſſam etiam 116 ante conſecrationem non tenetur deſerere, ſed proſequi debet miſſam. Probatur, quia hic concurrunt duo præcepta, vnum eſt de perfectione, & integritate ſacrificij, de quo *cap. Illud 15. cap. Nihil 16. 7. q. 1. cap. Nullus 56. diſt. 1. de conſecr. d. 1.* ibi. *Quod initium poſuit ſuppleat vſque ad finem.* Quod non tantum intelligitur 117 de partibus eſſentialibus, quæ ſunt conſecratio, oblatio, & ſumptio, verum etiam de integralibus ante conſecrationem, & poſt ſumptionem; ex omnibus enim perficitur ſacramentum, & ſacrificium. Alterum de celebratione peragenda à ieiuno ex communi vſu vniuer- 118 ſalis eccleſiæ, de quo D. Aug. relatus *cap. Liquido 53. de conſecr. diſt. 2. & citato cap. Nihil, præſcribitur* ibi. *Nullus poſt cibum, potumue quemlibet minimum ſumptum miſſas facere præſumat.* Concilia, & Sanctos Patres de hac re citat *Suar. de Euch. diſp. 78. ſect. 3. §. Dicendū.* Sed quando concurrunt duo præcepta, quod magis vrget, ſeruādū eſt, ex cōmuni doctrina accepta ex c. 90. *ad* 100. 11. q. 3. ſed magis vrget præceptum de integritate miſſæ, quā ieiunij, quod probatur, Tum quia præceptū integritatis æqualiter obligat ſecundum tractum ſucceſſiuum, ita quod nulla pars miſſæ omittatur, præceptum vero ieiunij primò quidē, & principaliter prohibet acceſsū, & ſolū in conſequentiā proceſſum, ergo magis vrget illud iſto. Tum quia celebrās, contra primū non poteſt deſerere miſſam inceptā ſine ſcādalo fideliū, & infamia ſui ipſius, vt probabo infra n. 179. quod etiā redundat in dedecus totius dignitatis ſacerdotalis, *arg. c. Contingit 36. de ſent. excom.* proſequendo vero celebrationem contra ſecundū nil horum incurrit, ergo vrget magis vnum, quam alterum. Tum quia præceptum integritatis eſt de intrinſeca natura ſacrificij, non ſic præceptum ieiunij, quod eſt intrinſece ab eccleſia introductum ob reuerentiam tanti ſacrificij, & ſacramenti. Tum quia præceptum integritatis totam miſſam reſpicit, ieiunij vero præcipue ſumptionem, ex qua ſacramentum. Tum quia irreuerentia defectu integritatis maior eſt, quam defectus ieiunij, maxime cum ex ſuperueniente graui infirmitate, aut alio naturali impedimento ſi ſacerdos cogatur delinquere miſſam, alter debeat ſupplere, *cap. Nullus 56. de conſecr. diſt. 1.* vbi indiſtincte loquitur de partibus conſequenter includit tam integrales, quam eſſentiales ibi: *Ad miſſarum ſolemnia celebranda.* Recte ergo his infertur ceſſare præceptum ieiunij, & habere locum integritatis præceptum,

quod maius est, & cuius obligatio vrgentior, & efficacior. Confirmatur, quia *ex Glos. in capit. Nihil cit. 16.7. quæstione prima* sacerdos dum venit ad consecrationem, & consequenter etiam ante hanc, si memor est peccati mortalis, perficere debet, licet peccet mortaliter, intellige nisi conteratur, ergo à fortiori non ieiunus potest prosequi. *Angel.9. Eucharistia 2.nu.6. cum S. Bonauent.* dicit posse prosequi missam etiam ante consecrationem, *Silu.ver. Euchar.2.nu.9.* tenet tutius esse recedere ante consecrationem, si id fieri possit sine scandalo, cum *S.Thom.part.3 q.83.art.6.ad 2. & sequitur ibidem Suar.disp.77. sect.4.§. Difficultas*, dicens vtrumque esse in libertate celebrantis recedere, vel prosequi ea particula D. Thomæ *Tutius*, quæ non præceptum, sed consilium denotat; & nonnulli dicunt posse pergere *apud Dianam part.4. res.104.§. Tandem tract.4. Missell.* Sed ex allata à nobis Doctrina satis probatum est non solum posse, sed etiam debere prosequi vsque ad finem missam cœptam. *Ita BiZoZerus c.8. de Euchar. nu.12.§. Secundo.*

Prædicta procedunt siue adsit scandalum, siue non, & infamia ipsius celebrantis cum absolute probent præceptum de integritate sacrificij subsistere contra præceptum ieiunij, quod eo casu cessat.

119 An autem sacerdos absolute loquendo recedere possit post cœptam missam, sine scandalo fidelium; & propria infamia? Omnes videntur supponere id euenire posse sine scandalo, & infamia; quod ego via admitto in vno casu, nimirum, quando Missæ nullus interest, nisi solus inseruiens, & qui sit fidus celebranti, in eo enim casu probabile est inseruientem non scandalizari, si edoceatur, nec sacerdos videtur seipsum infamare; Alioquin recedens ab incœpta Missa, coram pluribus, qua ratione scandalizet interessentes Missæ, defendi non potest, quia sine dubio fideles inter se exquirent causam huius recessus, & aliis id palam facient, sinistrum de celebrante facientes iudicium, & murmur, & illi illudent, iuxta illud Euangelij Lucæ 14. *Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare?* Neque dicas hoc esse scandalum acceptum, seu Pharisaicum, supposito, quod celebrans fideles edoceat de impedimento legitimo, quo ab altari recedit, quia bibit, comedit; Hoc enim modo se excusando non potest non scandalizare proximum, & seipsum non infamare; insinuando per huiusmodi expositionem imparatum accessisse, esse indeuotum, parui pendere tam magnum ministerium, esse grauibus peccatis implicatum, consequenter non potest esse hoc scandalum Pharisaicum, sed datum sufficienter fundatum in negligentia, modica deuotione, & irreuerentia, quibus celebrans accessit ad tam venerabile, & tremendum sacrificium immolandum.

120 Sed an in hoc casu celebranti non ieiuno necessaria sit contritio, vt dignè celebretur Missa; Omnes præcitati requirunt actum contritionis, Sed quoniam permixtim loquuntur de hac re etiam respectu aliorum impedimentorum, quæ sunt peccata mortalia, ideò præcisè loquendo in casu præsenti, puto, actum contritionis in rigore non habere locum, quia bibere, & manducare non fuerunt actus peccaminosi nec in se, vt patet, neque ex vi præcepti ieiunij, eo quod hoc præceptum in tali casu suspenditur, & non obligat, ex superius probatis, maxime addita ratione scandali, & infamiæ, quæ duo via possunt vitari ex modo allatis, potius pœnitentia actus referatur ad non leuem negligentiam, & omissionem præparationis pro dignè celebrando.

Respond. Secundo. Sacerdos, qui in altari recepit paramenta ante Missam inchoatam aduertens se in peccato mortali esse debet vocare confessarium, & illi confiteri. Post cœptam Missam, siue ante consecrationem, siue post aduertat ad peccatum mortale, non potest recedere ab altari, neque tenetur vocare confessarium, sed potest eliciendo actum contritionis prosequi, & terminare cœptum sacrificium. Si tamen cantat solemniter Missam secreto sine aliquo signo confessionis, & cæremoniæ potest, & debet, si ibi videtur non posse elicere actum contritionis, confiteri sacerdoti ministro assistenti; vel etiam tempore concionis potest recedere ad sacristiam cum ministris, & hac occasione accepta confiteri.

121 Prima pars, de vocando confessario ante Missæ inceptionem, probatur, quia non sufficit contritio, sed necessaria est confessio, vt tradit Concil. Tri[illegible] sess. 13. cap.7. *Vt nullus conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, quod à Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare hæc sancta Synodus perpetuo seruanda esse decreuit, modo non desit illius copia confessarij, quod si necessitate vrgente sacerdos absque præuia confessione celebrauerit quamprimum confiteatur.* Et in can.fin. prædicta negantes subiiciuntur ipso iure excommunicationi. Tenetur ergo vocare confessarium, si adest, aliàs celebrat cum actu contritionis necessariò tunc eliciendæ; nisi tamen adsit periculum scandali, vt insinuatur illis verbis: *Necessitate vrgente:* quo casu eliciendo pariter actum contritionis Missam inchoare potest. *Ita docent Scotus in 4. dist.9.quæst. 1. quem sequitur Suar. de Euchar. disp.66. sect. 4. §. Difficultas* confirmatur, quia etiam recedendo ab altari non videtur vlli ingerere scandali occasionem, sed bonam opinionem de se, cum illum indicent deuotum sacerdotem, & timoratæ conscientiæ, *docet BizoZerus de Euchar. ca.8. n.7.* nil enim aliud fideles concipere possunt adstantes, nisi illum esse debilis memoriæ, & obliuiosum, memoria namque hominis labilis *est leg. Peragre ff. de acquir. profess.* & omnium memoriam habere potius diuinum est, quam humanum *l.2.§. Si quid autem C. de iure vet. enucl.* & naturales defectus vituperandi non sunt *3. Æth. c.5.*

122 Secunda pars, quod post cœptam Missam non possit recedere ab altari, probatur, quia Missam interrumperet inferendo irreuerentiam tanto sacrificio; & adstantibus non leuem præberet occasionem scandali, & sibi grauem notam infamiæ inureret. *D. Bonau. in 4. dist.13. Soto ibi q.1.art.6. Nau,c.21.n.49. cum aliis à Suar. de Euchar. disp.66. sect.4.§. Difficultas. Meg. de Pœnit. l.5.c. 6.n.8. Bonac. de Euchar. q.6.p.1.n.15.*

123 Dices Matt. 5. dicitur oppositum ibi: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.* Clara ergo doctrina Euangelica, quod sacerdos post cœptam Missam debet relinquere munus suum, & reconciliari fratri suo, & postea prosequi Missam. Respond. Christum ibi loqui cum Hæbreis de sacrificiis antiquæ legis, quæ erant figura nostri, quod sine dubio præstantius, & excellentius, & ideò non relinquendum, cum per actum contritionis possit sacerdos reconciliari Deo, & dignè offerre. Vel dic ibi sermonem esse de accedente ad altare nondum celebrante. *Si offers ad altare*, i. si portas munus tuum ad altare, non dicit textus: *Si offers munus tuum in altari, sed ad altare*, particula enim, *Ad*, importat accessum, & viam ad opus. Præpositio verò, *In*, indicat terminum, & opus.

124 Tertia pars, quod non teneatur vocare confessarium suadetur, quia in tali casu non obligat præceptum confessionis, cum censeatur non habere copiam confessarij, vt requirit Tridentinum, *& docet Megal. lib.5. cap. 5. num.5. de Pœnit.* Confirmatur, quia id accidere non potest sine nota infamiæ celebrantis, & scandali proximi, ex supra probatis. Ita docent citatus *Megal. l. 5.c. 6.num.8 BiZoz. de Euchar cap.8.nu 7.§. Tertius, Silu.v. Euchar.2.n.9.* licet posset dimittere Missam sine scandalo, & pro se vocat *Petrum de Palude, cum D. Thom.p.3. q.83.*

qu.83.art.6. ad 2. qui tamen ibi id non dicit, sed quod ante consecrationem tutius est, maxime in casu manducationis, & excommunicationis, missam dimittere, si id fieri potest sine scandalo, ergo si tutius est dimittere missam, & vocare confessarium, ne missa relinquatur imperfecta responderet bonus Doctor. Nihilominus etiam sentiunt simpliciter non teneri etiam ante consecrationem *Sotus in 4.d.13. qu.2. art.6. Villerta in sum. num.78. Henr. lib.8. cap 46. quos contra se citat Diana part.3. resol.48 tract.4. de sacram. & resol.77. eod. refert alios Doctores Petrum Mattheum Rubeum part.1. ad Rubr Miss.c.8. num.5. & Layman.l.5. tract.4.cap.6.num.5.* qui omnes tenent etiam praeciso scandalo, & confessario exstante non teneri confiteri etiam ante consecrationem, sed elicita contritione prosequi ob honorem sacrificij, dictu, quia tunc non obligat praeceptum confessionis, quod apposite sentit *Bonac. qu.6. de Euchar. p.1.n.15. §.sed opposita.*

Non tenetur ergo confiteri siue ante, siue post consecrationem, quia in eo casu non habet locum praeceptum confessionis; neque referri quod aiunt Silu. Nau. Suar. cum aliis apud eiusdem Dianam teneri confiteri ante consecrationem, non vero post, quia horum ratio, quod esset indecentia interrumpere missam post consecrationem, non ante, quia haec pars missae initiatiua

125 est extrinseca sacrificio, intrinseca vero Canon missae, nullius est momenti ex eo, quod actus confessionis non dicatur interrumpere sacrificium, neque proinde causare indecentiam, sed potius sit actus ordinatus ad digne sacrificandum, offerendum, & sumendum.

126 Quare bene Silu. cum aliis, vt supra respondi, potest Sacerdos inter missarum solemnia, & tempore concionis, dexteritate quadam, iosciis fidelibus, confiteri peccatum suum, si vult, & tunc maxime, quando dubitat, se non posse elicere actum contritionis, quamquam, & hunc actum Deus paratus semper est concedere ex corde petenti iuxta illud. *In quacumque hora ingemuerit peccator,* &c. ea doctoribus docet *Diana part.4.tract.4.resol.98.ad finem.*

127 Respond. Tertio. Quando Sacerdos aduertit, se alicuius mortalis oblitum fuisse in praecedenti confessione, non tenetur neque conteri, neque confiteri, quia tunc est in gratia, & consequenter bene dispositus ad digne sacrificandum, & sumendum, & solum habet obligationem subiiciendi illud peccatum confessori in prima confessione futura, multis probat *Diana part.1. tractat. 14. de celebr. miss. resolut.48. contra Medinam, Suar. Graff. & alios*, requirentes actum contritionis.

128 Respond. Quarto. Ligatus casibus reseruatis potest se gerere duobus modis loquendo cum vult celebrare. Primo potest absolui ab aliquo sacerdote simplici ab omnibus peccatis non reseruatis directe, & a reseruatis indirecte, stante necessitate celebrandi, vt *docent Suar. part.3. disput.66. sect.4. Sotus in 4. dist.17. qu.2. art.5. Aegid. Conin ck de sacram. quaest.80. art.4. dub.2.* Licet, dicit iste, habeat cum reseruatis sola venialia, quos refert *Diana part.1. tract.14. de celebr. miss. resolut.65.* Secundo alij tenent, cum sola contritione posse tunc sacerdotem ad vitandum scandalum celebrare. *Ita Armill. Communion.8. cum Anton. Palud. Siluius part.3. qu.26. art.2. dub.3. §.4. Sanctius in select. disp.32. num.10. quos sequitur Diana cit. & part.2. tract.4. de sacram. resol.104. §.At ego, tenet Megal. lib.5. de paenit. cap.5. num.6.* Vtraque opinio probabilis est, sed magis accedit veritati prior, cum possit Sacerdos confitendo sic satisfacere praecepto, licet sola habeat venialia cum reseruatis, vt bene *Bonac. qu.6. de Euchar. p.1. n.31.* Post coeptam missam moralizandum est sicut dictum fuit de existente in peccato mortali.

129 Respond. Quarto de excommunicato celebrante. Celebraturus ea necessitate vrgente infamiae, scandali, mortis, seu damni, excommunicatus excommunicatione reseruata tenetur quidem confiteri non ratione censurae, cum ab ea non possit absolui, sed ratione peccati mortalis, ob rationes adductas praecedenti responsione, vt docent *Sotus lect.10. de confess. Alex. de Ales.part.4. qu.18. membr.4. art.5. §.2. quos contra se refert Diana part.2. tract.4. de Sacram. resolut.104.* dicens posse celebrare cum sola contritione, tam respectu censurae, quam solius peccati reseruati. Post coeptam missam idem die, quod supra resolutum fuit de existente in peccato mortali.

130 Sed quid dicendum de eodem excommunicato celebrante necessitate vrgente, vel si post coeptam missam aduertat se esse excommunicatum, an debeat conteri non solum de peccatis, sed etiam de excommunicatione, vel alia censura, per quam prohibetur participare in sacramentis? Respond. solum de peccatis, quia sola peccata sunt obiectum contritionis, cuius obiectum, & materia esse non potest censura, cum non sit peccatum, sed peccati effectus. Praeterquamquod in tali casu cessat prohibitio ipsius censurae ex rationabili causa, cum impossibile sit eam legem tunc obseruare, alia maiori vrgente.

131 Respond. Quinto, coram excommunicato denuntiato celebrari non potest *ex cap.Is, qui cap fin.de sent. excom.in 6.& clem.2.de sent.excom.* Si post coeptam missam superueniat excommunicatus expellendus est, antequam vlterius Sacerdos procedat, aliter missa a sacerdote relinquenda est ante consecrationem, post vero proficienda, cum integritas sacrificij sit de iure diuino, prohibitio autem, ne excommunicatus Missae intersit, de iure positiuo ecclesiastico. Ita docent omnes, exceptis nonnullis, qui volunt sacerdotem non posse recedere post coeptum canonem. Vide *Suar. apud Dianam cum aliis part.5. tract.9. de excom. resol.92. Sayr. lib.1. de censur. cap.3.num.18. Bonac. de excom. p.3.§.1.propos.4.* vbi de

132 poenis contra celebrantem coram excommunicato, praedictis non seruatis, quae sunt peccatum mortale, minor excommunicatio, *ex cit.cap Is qui,* & interdictum ab ingressu Ecclesiae, *cap.Episcoporum, de priuileg.* Quod interdictum incurritur a sacerdotibus tam secularibus, quam regularibus, contra Couar. in cap. Alma mater, qui errat dictam poenam restringendo ad sacerdotes solum regulares exemptos, si Bonacinae credendum est, siquidem verba textus satis clara sunt ibi: *Ne aliqui seculares, aut regulares.*

Quaeres 26. An, & quaenam poenae latae sint, vel ferendae contra coeptam missam sine rationabili causa derelinquentes imperfectam?

133 Respond. Duae poenae recensentur ex Sacris Canonibus. Prima excommunicatio comminata in fine cap. Nihil 16.7.q.1. illis verbis: *Si quis autem temerariè hoc praesumpserit excommunicationis sententiam sustinebit.* Secunda habetur *in cap. Nullus Episcopus 56. de consecr. dist.1.* ibi: *Si quis vero praesumpserit, praeter quod dispositum agere à sacro corpore, & sanguine Domini nostri Iesu Christi sit suspensus.* Circa primam nulli dubium est, illam esse

134 comminatoriam, cum proferatur per verbum futuri temporis, quo sententiam ferendam importat ex communi doctorum cum *Sanch. lib.3. disp.48.n.2. Tiraquel.in l.Si vnquam v. Reuertatur n.31. ad 42. Rota Rom. vol.1. decis.812.n.11 Sayr. lib.1.cap.11.n.13.* Circa secundam po-

135 test esse difficultas, ex vna namque parte verbum substantiuum, *Sit*, importat poenam latae sententiae, & executionem in tempore praesenti, vt de similibus particulis. *Anathema sit, excommunicatus sit. Suspensus sit.* Tradunt communiter Doctores cum *Glos.v. Innodetur, c.1. de haeretic. in 6. Sayr. lib.1. de cens.cap.11.n.9.* & confirmatur, ea particula, *Anathema sit*, in canonibus fidei, in quibus sine dubio importat poenam latae sententiae, docent omnes nullo excepto, ergo idem dicendum in praesenti casu. Sed quoniam non videtur rationi congruere, vt pro eodem delicto imponantur plures poenae sub diuersa dispositione latae, vel ferendae sententiae, *arg.l. Eum qui aedes ff. de vsucapt.* & de prima constet eam esse comminatoriam, idem dicendum est de secunda, eam esse ferendae sententiae;

neque enim particula, *Sit*, ex sua conditione secum fert executionem, maxime quando coniungitur cum participio passiuo respiciente iudicis actionem futuram, vt constat in dicta particula, *Suspensus sit*, quæ importat hunc sensum suspendatur, id est, a iudice *sia sospeso*, aut, *si sospendi*, alium enim sensum similes particulæ habent a sequentibus. *Incurrat*, *incidat suspensionem*, *&c.* qui & similes secum portant executionem, & consequenter indicant pænam latæ sententiæ. Et quod verbum, *Sit*, importet comminationem docet *Glos. & Cardin. allegati ab Vgolino Tabul.1. cap.9. §.6.num.18. Nau.cap.27. n.12.apud Sayr.cit.c.11.num.9.* dicens esse futuri temporis optatiui, quod impugnat ibidem ipse Sayr. ex eo, quod legum est imperare, non optare. l.Legis virtus ff. de legib. sed quis posset dicere pro Nauarro, & si legis sit imperare, tamen legislatoris est optare, vt obseruentur, ad euitandam pænam; præterea posito etiam quod sit temporis præsentis imperatiui, adhoc vt tale non importat ipso facto, ipso iure, executionem pæ-

136 næ, cum præsens imperatiui duo importet imperium quod de præsenti est, & executionem, quam sonat in futurum ad differentiam præsentis indicatiui, quod executionem de præsenti significat. Et ad illam clausulam.

137 *Anathema sit.* Dico ex se non importare executionem, sed ex eo, quod aliunde excommunicati sunt ipso iure hæretici, nempe ex cap. Ad abolendam 9. c. Excommunicamus 14. de hæret. Habentur enim alij Canones de fide non definientes, qui non sunt latæ sententiæ, vt videre est *Glos. in cap. Generali 11.25. qu.1. in cap. Si quis 22. dist.23. & in cap. Si quis, de vita, & hon. cler. & colligitur ex dist.31. fere per totam.*

138 Restat videre quod sit hæc priuatio sanguinis, & corporis Christi, & illa excommunicatio sit ne maior, an minor? Nam *Armilla v. Missa num.12. Cum Ariosto à se citato*, putat excommunicationem esse minorem, & sub eodem nomine venire suspensionem à corpore, & sanguine Christi, consequenter vnam esse pænam. Sed non placet, quia nomine excommunicationis sine alio addito venit maior, & nomine minoris venit priuatio perceptionis omnium sacramentorum, vt apertis verbis definitur *cap. Si quem 59. de sent. excom.* cum ergo primo loco simpliciter nominetur excommunicatio, venit ibi maior, & secundo loco fiat mentio de suspensione à sanguine, & corpore Iesu Christi, constat huiusmodi non esse minorem excommunicationem, sed proprie per eam pænam comminari legem suspensionem à celebratione missæ, vt in eo, quo Sacerdos peccauit, puniatur, secundum vulgata iura.

Quæres 27. An in benedictione mensæ, hoc est, in gratiarum actione diebus in Cœna Domini, & Parasceue post versiculum. *Christus factus est, &c.* dicendum sit *Pater noster*: sicut initio mensæ, an solum post Psalmum *Miserere.* Videtur dicendum, quia Rubrica in fine Breuiarij habet hæc verba. *In fine repetitur ver. Christus factus est, vt supra. Postea Psalmus Miserere.* Repetendus est ergo versiculus pro gratiarum actione, qui præmissus fuit pro benedictione mensæ, in qua non solum versiculus, sed etiam oratio Dominica dicta fuit, ergo pro gratiarum actione etiam *Pater noster* repetendus est. Confirmatur, & quia dicitur in officio ante Psalmum *Miserere*; & quia particula, *Vt supra*, refert præcedentia cum omnibus suis qualitatibus, *Dec. consil.118. Roman.consil.201. Surd. decis.210.n.17. M. Anton.lib.1.resol.4.n.6.*

139 Respond. Nullatenus tunc dicendum est *Pater noster*, sed solum post Psalmum, in cuius fine Rubrica exprimit illud dicendum, ergo non ante, ne videatur repetitio fieri eiusdem orationis tam cito, quod etiam ab Ecclesia abhorretur, quæ in suis ritibus ordinatissima est. Confirmatur dilutione obiectorum, nam solum versiculus mandatur reperi, ergo non oratio dominica, quæ versiculus non est, & cum ex diuersis non fiat illatio, præcepta repetitio versiculi non comprehendit orationem; neque enim illa particula *Vt supra* refertur ad vtrumque, sed ad versiculum tantum, qui totus dicendus est pro gratiarum actione, sicut initio recitatus fuit pro benedictione mensæ; & licet eadem particula, *Vt supra*, referat præcedentia cum omnibus suis qualitatibus, nempe vt ille versiculus debeat repeti eo modo, quo ante primo dictus fuit, non tamen cum adiecto, *Pater noster*, quia hæc oratio Dominica non est qualitas versiculi, sed quid ab eo diuersum, & in se spectatum. Nec facit, quod oratio Dominica in Officio Diuino præmittatur Psalmo, quia postea non postponitur sicut fit in Mensa, & cum sint diuersi ritus, non valet ab vno ad alium sequela, præterquam quod in aliis gratiarum actionibus oratio Dominica præponitur orationi, & cum in casu præsenti expresse postponatur, signum est nullatenus illam esse præponendam.

Quæres 28. Supplicatum fuit pro reductione Missarum in hunc modum. *Liuia Palauicina Gambara reliquit scuta quinque centum de Iuliis septem, quæ conuersa fuere in emptionem terrarum, ex quibus percipiuntur Iulij centum septuaginta sex cum onere celebrandi missam quotidianam, & vnum anniuersarium quolibet anno.* Sacra Congregatio die 14. Decembris 1630. libellum remisit ad Episcopum Regiensem cum facultate moderandi iuxta consuetudinem regionis pro suo arbitrio, & prudentia, qui reduxit in sequentem modum. *Inspecto legato D. Liuiæ Palauicinæ cum onere missæ quotidianæ illud reduxit ad missas centum [illegible] annuatim celebrandas.* Quæres inquam resolutionem duorum; vnum est, an falsum supplicatum fuerit, nam supplicator tacuit quod illa scuta erant aurea, vt expresse apparet in testamento dictæ Liuiæ, quæ nostris temporibus, quibus supplicatum fuit, multo plura valent, minimum lib 19. aut 20. & non septem Iulios, vt valent argentea. Consequenter videtur inferendum, reductionem esse nullam, quia mendax precator debet carere impetratis, *cap. Dicenti 16.25.q.2.§.Rescripta, cap.Sedes 15. cap. Super literis 20.de rescriptis*, quod huiusmodi rescripta, & dispensationes conceduntur sub ea conditione, *Si preces veritate nitantur.* Quamuis non exprimatur, cum tunc subintelligatur, cap.2. de rescr. aliter nulla est dispensatio, & rescriptum ex citatis locis, & doctoribus *apud Sanch.lib.8. disp.21. per totam.* In casu autem præsenti tacetur talis qualitas, quæ est intrinseca, nam quod pecunia sit aurea, vel argentea, vel alterius materiæ est intrinseca ratio pretij illius; & exprimitur falsitas, cum scutum aureum longe multo plus valeat, ergo nullum fuit rescriptum, & data dispensatio. Alterum est, an reductum fuerit illud anniuersarium, ita quod supplicantes ad illud amplius non teneantur, sed intelligatur comprehensum sub missis reductis, dato quod subsistat dispensatio; & videtur, quod sic, nempe contineri sub missis reductis, quia superior censetur se accommodare precibus sibi porrectis, *l.Si preces ff. de legib. cap. Inter dilectos 6. §. Ceterum de fide instr.* ergo dispensans in missis reducit, & moderatur etiam anniuersarium quasi missis accessorium. Quibus tamen non obstantibus.

140 Respond. Illa missarum reductio valida est, sub quibus tamen missis reductis non intelligitur anniuersarium, sed supplicantes tenentur dictum officium celebrare, imo vnum est anniuersarium singulis mensibus celebrandum, vt clare exprimitur in testamento condito anno 1583. vt illud mihi oblatum legi, & cum de vndecim nihil dictum fuerit in supplicatione, nulli dubium est hæc non venire sub dispensatione, & moderatione.

Primum de valida reductione missarum constat ex eo, quia Episcopo, qui dispensaturus est, sufficit, si habeat cognitionem de numero missarum, & de fructibus perceptibilibus, quia ab his duobus sumenda est regula moderatiua oneris, & non à qualitate capitalis illorum quinque centum aureorum, maxime cum non amplius existat in sua ratione formali, sed conuersum

fuerit

fuerit etiam de mente testatoris in tot bona stabilia, quæ prænumeratum fructum reddunt, ac proinde cum sit quid remotum non est considerandum. *l. cum de hoc ff. de except. rei iud. l. pen. ff. de cond. ob turpem caus.* duarum enim causarum, quarum vna dependet ab altera, vel ei subordinatur, effectos vtrique non tribuitur, sed illi tantum, à qua proxime pendet, *cap. Continebatur, cap. Lator, de homicid l. Quæcumque gerimus ff. de act. & obligat.* Præterea illa scuta siue fuerint aurea, siue argentea parum id nunc refert exprimere, eo quod non creuerit, neque decreuerit illorum valor, cum non remanserint e. g. frugiferi in aliquo fundo centuali, in quo casu sine dubio exprimendum fuisset certum pretium, ex quo regulata fuisset moderatio oneris. Demum licet tacitum fuerit, illa scuta fuisse aurea, tamen per æquiualentiam pretii expressi habito respectu ad tempus conditi testamenti, quo tunc aureum valebat illos septem Iulios, sufficienter illud expositum fuerit, cum non plus valeat aureum, quam illi septem Iulij tempore conditi testamenti, neque enim sub prelo currenti hac nostra tempestate exprimenda erant, cum nunc non fructificent in ratione aurei, sed stabilis empti eo tempore, quo illud expressum pretium Iuliorum valebant.

141 Secundum, quod dictum anniuersarium expressum in supplicatione non dicatur reductum, probatur, Tum quia de illo nulla mentio facta fuit in verbis reductionis. Tum quia reductio supponit pluralitatem, est enim reductio missarum restrictio

142 de maiori numero ad minus, in hoc autem casu non datur pluralitas anniuersariorum cum sit vnicum, consequenter irreducibile, si enim tolleretur, in totum euanesceret, quod non est reducere in minus, cuiusmodi est onerum huiusmodi moderatio, sed in nihillum onus redigere, quod iniquum est, & in graue præiudicium testatoris; neque Anniuersarium dicitur accessorium missæ quotidianæ, sed ab ea onus diuersum, & distinctum, à quo consequenter non fit illatio ad aliud.

Quæres 29. Quædam testatrix legauit scuta aurea 500. Conuentui N. cum onere vnius missæ quotidianæ, & vnius anniuersarij singulis mensibus, sequentibus verbis. *Debbano celebrare ogni giorno nella loro Chiesa vna messa, & vn officio da morto ogni mese con l'interuento di tutti li Frati di esso conuento, che potranno celebrarla ad honore del Signor Iddio, & salute dell' anima di essa signora testatrice.* An sacerdotes illius conuentus cum aliis detineantur obligationibus, suo muneri satisfaciant vnica missa cantata pro illius anima, omnes tamen interuenientes illios, & officij cantationi? Videntur non satisfacere, quia tempore, quo acceptatum fuit onus, quatuor sacerdotes poterant celebrare pro dicta testatrice, non enim tunc erant obligati, nam in ea Ecclesia erant sacerdotes septem, quorum tres tantum tenebantur aliis obligationibus, reliqui vero quatuor exempti erant, & deinceps acceptatione legati se subiecerunt celebrationi pro dictis anniuersariis; neque loci superior nouis obligationibus potuit subiicere illos quatuor sacerdotes in præiudicium testatricis habentis iam acquisitum ius, vt illi pro se celebrent. Quibus tamen non obstantibus.

143 Respond. Illi sacerdotes suo muneri satisfaciunt cum ea vnica missa, & officio, quando illo die non adsunt alij sacerdotes exempti ab obligationibus, cuiusmodi sunt quotidie, vel tali die statuto regulariter celebrantes pro aliis, quod alia ratione non probatur, nisi ex verbis ipsius testatricis ibi: *Che potranno celebrarla.* Sed quoniam dicti sacerdotes regulariter dicuntur aliis obligati, ideo illo die non poterunt celebrare pro testatrice; quia vnica missa non potest satisfieri pluribus obligationibus. Nec obstant obiecta, quia illud ius absolute quidem acquisitum fuit testatrici, non tamen secundum tractum successiuum, nisi sub ea conditione: *Che potranno celebrarla.* Quando ergo sacerdotes erunt liberi, tunc pro ea celebrabunt, aliter eos non obligat. Confirmatur, quia tempus non est modus inducendi, neque tollendi obligationem. *l. Obligationum, § Placet, ff. de act. & obligat.*

Quæres 30. An Prætor sine metu alicuius spiritualis pœnæ, nimirum excommunicationis, possit cogere nouitium Tertiarium S. Francisci, vt se exuat habitu legitime suscepto à superiore Franciscano, & si nolit, possit Prætor propriis manibus assumptum habitum dilacerare sine incursione excommunicationis, ea de causa, quia se substrahit ab illius iurisdictione asserendo, se esse personam Ecclesiasticam, ac proinde exemptam ab illius potestate, oneribus, & angariis?

Punctus difficultatis consistit in tribus? An Tertiarij sint personæ Ecclesiasticæ? An gaudeant priuilegio fori? An gaudeant priuilegio canonis?

144 Primum, quod Tertiarij sint personæ Ecclesiasticæ, probatur. Tum quia illa est persona ecclesiastica, quæ

145 defert habitum religiosum, licet non emittat tria vota, *Nau. tom. 2. q. 1. de Reddit. Monit. 55. n. 2.* Tum quia speciali modo deseruiunt Deo more religiosorum. nam faciunt nouitiatum, & emittunt professionem, si non solemnem, saltem publicam à Papa decretam, vt videre est cap. 2. Regulæ Nicol. IV. Tum quia mutant habitum secularem in religiosum, quod est proprium personæ ecclesiasticæ, *glos. v. Mutato habitu, cap Vt priuilegia 24. de priuileg. per iura ibi allegata.* Tum quia illis præscribitur recitatio Horarum Canonicarum, quod apparet cap. 8. dictæ Regulæ quod est proprium Ecclesiasticorum. Tum quia id colligitur ex Bullis diuersorum Pontificum de his Tertiariis, Greg. IX. Bulla incip. Nimis patenter, ibi: *Derelictis seculi vanitatibus.* In alia incip. Detestanda, ibi: *Laudabili actione religionem vestram amplexans.* Infra. *Attendens vos viam perfectionis amplexos. Iterum. Vniuersitatis vestra de quorum religione plene confidimus.* Martinus Quintus in Bulla incip. Licet inter illus supponit religiosos, regulariter viuere, & regularem disciplinam tenere. Et in alia incip. Ex apostolicæ sedis, eosdem expresse vocat personas Ecclesiasticas. Sixtus IV. in Bulla incip. Sacrosancta, dicit eos esse immunes à laicis potestatibus quo ad priuilegium fori tam quo ad personam, quam quo ad rem, eo quod sunt personæ ecclesiasticæ. Ita docent Glos. r. in cap. Non dubium 5. de sent. excom. Ioannes de Capistrano in suo libello inscripto *Defensorium Tertij Ordinis.* vbi refert allegationes sex doctorum. Dionys. Cartus. dum eos vocat medios inter seculares, & ecclesiasticos, art. 14. super cap. 3. Regulæ Nicol. IV. *Bustus serm. 27. sui Rosarij ad finem. Rodr. tom. 2. q. 65. art. 5.*

146 Secundum, quod gaudeant priuilegio fori tam personæ, quam rei, probatur, Tum ex dictis, quia sunt personæ ecclesiasticæ Tum ex priuilegiis diuersorum summorum Pontificum, nam Honorius III. eos exemit ab oneribus extraordinarijs, vt dicitur in Bulla Greg. IX. incip. Nimis patenter illius confirmatiua, sicut fecit in alia incip. Detestanda. Et in Regula Nicol. IV. dicitur, quod non possunt visitari à laico. Itẽ Sixtus IV. in Bulla incip. Sacrosancta. Declarat eosdem exemptos à potestate laica ratione personæ, & rei innixus eo fundamento, quia sunt personæ ecclesiasticæ, & trangressores incurrunt excommunicationem nulli tamen reseruatam. Ita docent præclari præcipue B. Ioannes de Capistrano, cuius rationib. motus fortassis prædictus Sixtus in dicta Bulla protulit sequẽtia verba. *Et plures solemnissimi vtriusque iuris doctores teneant, quod ipsi Fratres, & Sorores debeant gaudere libertate, immunitate ecclesiastica, vt personæ religiosæ.* Scribebat autem de hac re Capistranus Mediolani in conuentu de Angelis de Obseruantia anno 1440. procurando allegationes diuersorum Doctorum, quas suo libello inseruit, post non paucos annos, quibus inoleuerat opinio huiusmodi, dedit Sixtus IV. dictam Bullam anno 1473. die 20. Nouembris. *Bustus loco allegato quamplures*

plures referens Doctores. Confect. tit. fin. cap. 14. Rodr. tom. 2. q. 65. art. 5.

147 Tertium, quod gaudent priuilegio canonis, probabatur, Tum quia illo gaudent personæ Ecclesiasticæ *ex cap. Si quis* 22. 17. q. 4. Tum *ex Glos. 1. per cap. Non dubium 5. cap. Ex tenore* 10. *de sent. excom.* Ita docent *Collector priuil. Mendic. ex eo Rodr. tom. 1. quæstione 55. articulo 14. fine*, quamuis eios *Compend. dicat*, eum loquutum fuisse ex opinione aliorum *resolut. 136. numer. 9. Carillus, quem citat, & sequitur Portellus v. Tertiary numer. 3.* quod probabiliter indicat *Lezana tom. 2. c. 14. n. 39.* ex antiquis *Franciscus de Platea cum Land. & Zenzel. apud Bustum, serm. 27. Rosariij ad finem Silu. Excom. 6. n. 3.*

Infertur ex probatis, dictum prætorem incidisse in escommunicationem non solum iniectione manuum, si habitum dilacerauit, verum etiam si præcepit, vt illo se exueret, sequuto effectu dispositionis, & expoliationis, quia etiam per solam violentiam quis incidit *ex c. Nuper 29. de sent. excom. vt probaui supra n. 109.* Quibus tamen non obstantib.

148 Respond. Prætor nequaquam incidit in excommunicationem, quia huiusmodi Tertiarij propriè non sunt personæ Ecclesiasticæ; neque exempti sunt ab oneribus laicis; neque gaudent priuilegio canonis. Vt hæc probentur.

149 Notandum dari quatuor genera Tertiariorum Sancti Francisci. Primò namque aliqui induunt habitum huius ordinis sine alicuius ordinis Franciscæ licentia, & hi nulla ratione sunt Tertiarij, cum non receperint habitum ab aliquo superiore religionis Franciscanæ, vel ab aliquo Ministro eiusdem ordinis, vt dicitur cap. 2. Secundo alij recipiunt habitum à superioribus Ministris eiusdem ordinis, vt dicitur citato cap. 2. vel ab aliis superioribus ordinis Minorum ex Bulla Sixti IV. ex Casarub. §. 8. in quibusdam declarationibus, quas ad verbum refert *Lauorius tit. 2. de funer. cap. 11. n. 102.* excipiuntur superiores Capucini à receptione huiusmodi Tertiariorum, & de his procedit noster casus, qui propriè religiosi, neque Ecclesiasticæ personæ sunt, *vt probo infra nu. 151.* Tertiò alij à superioribus recipiunt habitum, sed à secundis differunt, quod hi viuunt collegialiter cum claustralibus, illi verò in proprijs domibus, & hi sunt Ecclesiastici propriè, vt probo sub. num. 155. Quartò alij sunt verè, & propriè religiosi emittentes tria solemnia vota, sicut fit in aliis approbatis religionibus, vt infra patebit suo loco speciali resolutione.

Tertiarij primi generis hoc nomine nequaquam digni sunt, de quibus loquuntur quidam Doctores *apud Rodr. tom. 2. q. 65. art. 5.* vocantes eos locustas, anomalos, & acefalos.

150 Secundi generis Tertiarij habitū recipientes à Ministro sui ordinis, vel à superiore alterius ordinis ad id habente facultatem, facientes nouitiatum, & profitentes simpliciter secundum institutum sui ordinis, & viuentes cum habitu saltem simili in colore habitus religiosi eiusdem ordinis cuius regulam assumpserunt, in proprijs domibus habitantes, non sunt verè, & propriè religiosi, cum non emittant votum solemne, neque propriè sunt personæ Ecclesiasticæ, adhoc enim, vt quis

151 sit persona Ecclesiastica necesse est, vel vt saltem initiatus sit prima tonsura, vel vt professus sit solemniter, vel vt sit oouitius in ordine ad professionem solemnem, vel vt deferat semihabitum viuendo cum claustralibus ad effectum consequendi priuilegia fori, & canonis, aliter viuentes in proprijs domibus, quacumque professione emissa non tamen solemni huiusmodi Tertiarij cuiuslibet ordinis dictis priuilegiis non gaudent, vt determinauit Leo X. Consil. Later. constitut. Dum intra, illis verbis. *Ad onera, quæ laicis incumbunt perferenda teneantur, ac in foro seculari coram iudicibus secularibus conueniri possint*, ex quo c[illegible] nere seculares personæ censeantur, neque videntur gaudere priuilegio canonis. Quibus non obstat Confect. dum illo cap. 14. in fine dicit subsequentes Pontifices Leonem X. Paulum IV. Gregor. XIII. & Sixt. V. per confirmationem priuilegiorum derogasse decretis in Consil. Later. N[illegible]n. Leo X. in Bulla incip. Nuper in sacro, apud eundem Confect. pag. 131. declarat votum, quod emittunt mulieres vi-

152 uentes cum consanguineis, vel affinibus; aut in proprijs domibus, ad effectum consequendi exemptionem priuilegij fori, non esse solemne, sed solum simplex de virginali, vel celibe vita, ita quod inibi nil concedit viris siue illud emittant, siue non, neque aliis mulieribus illud non promittentibus, & sic loquuntur etiam subsequentes nempe de viuentibus in congregatione, vel cum claustralibus.

153 Tertiarij igitur viri tam soluti, quam coniugati viuentes solitariè in proprijs domibus non sunt propriè religiosi, neque in rigore Ecclesiastici, neque proinde gaudent priuilegijs fori, tam personæ quam rerum, vt post Leonem X. in citata Bulla docent fere omnes cum *Carolo de Grassis de effectibus cleric. effectu. 1. num. 93. Cevallos in tract. de cognit. per viam violent. part. 2. quæst. 61. num. 24. Panor. in Rubr. de Regul. num. 4. Rota decis. 121. num. 6. coram Cardin. Serafino, Mar. Sccinus in cap. Propofuisti, de foro comp. cum quibus est Vecch. disput. 11. dub. 12. numer. 5. Bertius in pract. crimin. tit. 4. capit. 30. Lezana tom. 2. cap. 14. num. 27. 28. & 35. Mirand. tom. 1. quæst. 36. concl. 3. Compend. resolut. 136. num. 1. & 11. vbi alios plures citat, Portel. v. Tertiarij num. 2. & part. 1. casu 16. num. 7. Facit etiam Glos. v. Tertio v. Continentes Clem. Cum ex eo, de sent. excom. cum Nau. consil. 35. & 54. de Regul. Lezana tom. 1. cap. 3. num. 22. & tom. 2. cap. 14. num. 7. & 25. Compend. resolut. 136. num. 1. Portel. num. 4.* dum dicunt eos non esse propriè religiosos, sed habere quemdam viuendi modum multum similem religiosis, & Ecclesiasticis, simpliciter tamen esse seculares, & solum quid medium inter vtrosque.

154 Canonis priuilegio non gaudent, eo ipso quod simpliciter seculares sunt docent. *Nau. capit. 27. num. 39. Fillius. Suar. Coninch. cum Bonacin. quæst. 4. de excommun. p. 1. num. 8. Compend. resol. 136. n. 9. 5. His tamen, & numero 11.*

155 Viuentes verò in communitate per seipsos, aut cum claustralibus, & religiosis verè sub eorum obedientia gaudent priuilegiis illius religionis, cuius Ternum habitum sumpserunt, consequenter exempti sunt à iurisdictione ordinarij, à laica potestate, & gaudent priuilegiis fori tam personæ, quam rei, & canonis; vt apertis verbis colligitur ex citata Bulla Leonis X. & docent omnes præcitati, referentes etiam super hac re declarationes Sacræ Congregationis, vt videre est *apud Lauor. tit. 2. de funer. cap. 11. à num. 102. Barbosam in suo Bullar. v. Tertiary, Naldum v. Clausura n. 6. De priuilegio Canonis. Suar. de censur. disp. 22. sect. 1. n. 20. Nau. c. 27. nu. 79. Megal. lib. 4. de cens. cap. 1. in fine, Lezan. tom. 2. c. 14. n. 39.*

156 Huius generis sunt quidam Tertiarij gregatim viuentes apud Moniales cum onere eisdem inseruiendi in quærendis eleemosinis, & huiusmodi pro subueniendis indigentiis, vt docet, *Bonac. in suo Bull. censur. disp. 2. q. 26. sect. 1. p. 3. n. 18. citat. à Diana part. 4. res. 31. tract. 1. de Immun.*

157 Mulieres siue virgines, siue viduæ, aut alias corruptæ viuentes in proprijs domibus, vel apud consanguineos, vel affines emisso voto castitatis tantum, quod est simplex, gaudent priuilegiis eius religionis, cuius habitum receperunt, & priuilegiis fori tam personæ, quam rei, ac si viuerent in communitate, ex citata Bulla Leonis X. vt docent omnes præcitati *cum Barbosa in suo Bullar. v. Tertiaria, Lezana tom. 2. c. 14. n. 35. Compend. res. 136. n. 8. Diana part. 1. tract. 2. res. 84. & part. 4. tract. 1. res. 31.*

158 Coniugatæ licet emittant tale votum, vt mulieres solutæ, non gaudent priuilegiis, quia præsumitur factum in fraudem, & nullius esse momenti perseuerando cum marito, *vide Lezanam tom. 2. c. 14. n. 35.*

Respond.

Reſp. modo eſt obiectis inirio quæſtionis, Ad ratlones probantes, ſub num. 144. Tertiarios eſſe perſonas Eccleſiaſticas, dico non eſſe concludentes, nam prima ex Nau. falſum eſt ſolam habitus delationem facere perſonam Eccleſiaſticam, non ſecularem clericum, quia hunc conſtituit prima tonſura, non religioſum, quia habitus non facit monachum. Secunda ex Regula Nicol. IV. non ſuffragatur, quia vltimus actus profeſſionis, ad quem reliqui ordinantur, eſt quædam ſimplex promiſſio, quæ religioſum proprie non inſtituit. Tertia *ex Gloſſa cap. 24. de priuileg.* loquitur de habitantibus cum clauſtralibus, ſicut & alia *Gloſſ. cap. 5. de ſent. excomm.* de conuerſis manentibus cum profeſſis. Quarta quod recirent Horas Canonicas, non concludit, cum etiam ſeculares poſſint ſibi talem imponere legem. Ad Conſtitutionem Sixti IV. dici poteſt, ibi loqui ex ſententia illorum Doctorum, de quibus ſupra, nunc autem poſt Concil. Later. amplius tales non ſunt, ſed vt ſeculares tractantur. Vel dic loqui de viuentibus in communitate, & cum clauſtralibus. Vel dic loqui vniuerſaliter de omnibus, ſed derogatum in dicto Concilio, vt dico etiam *Reſol. 75. q. 9. §. Exemptionem.*

Ad reliqua duo, quod non gaudeant priuilegiis canonis, & fori, reſponſum iam fuit ex deciſione Later. Concilij, declaratione S.C. & opinione grauiſſimorum Doctorum, dictos Tertiarios ſecundi generis, neutro priuilegio gaudere.

Concluditur ergo dictum Prætorem excommunicationem non incurriſſe, & quia nouitius erat Tertij Ordinis ſecundi generis, qui non gaudet priuilegio Canonis, ſicut gaudent nouitij religionum proprie dictarum *ex cap. Religioſo* ſ. r. 9. *Quamuis, de ſent. excomm.* Et quia erat perſona mere ſecularis adhuc ſubdita dicto Prætori.

Quæres 31. An in Eccleſia collegiata, ſeu conuentuali parochiali in nocte natiuitatis C. D. poſſint celebrari duæ Miſſæ vna in cantu iuxta ſolitum, & altera ſine cantu à Curato pro Parochianis, & in ea aliquos communicare? *Suarez in 3. part. diſp. 80. ſect. 4. §. Tertio,* affirmat ea nocte ſacerdotem poſſe primæ adiungere alias duas, & quia *cap. Nocte ſancta 47. diſt. 1. de conſecr.* loquitur in plurali, *Miſſas celebrent Presbyteri*, & quia nullum præceptum eſt in contrarium, & quia conſuetudine ſic ſeruatur; ergo à fortiori duæ primæ Miſſæ celebrari poſſunt. Neque aliqua lex prohibet adminiſtrationem Euchariſtiæ de nocte, ergo & hæc tunc adminiſtrari poteſt. Quibus tamen non obſtantibus.

159 Reſp. Vnica Miſſa, & ea prima in Nocte illa ſanctiſſima celebranda eſt ex determinatione dicti capitis, conſequenter cum id concedatur ibidẽ omnibus ſacerdotibus bene potuit Parochus ſuam celebrare, non vero miniſtrare ſacramentum Euchariſtiæ ſuis parochianis.

Primum de vnica, & prima miſſa ſuadetur. Tum quia illa ordinatio facta à Talesforo Papa IV. poſt Sanctum Petrum præceſſit diſpoſitionem harum trium Miſſarum de Natiu. Domini, quæ celebrantur noſtris temporibus, conſequenter iſtæ accommodatæ fuerunt iuxta tempus à ſummo Pontifice intentum, nempe prima pro media nocte, ſecunda & tertia pro die, ergo ſignum eſt ordinationẽ illius Papæ fuiſſe talem, vt vnica & ſola prima miſſa in nocte illa celebraretur, cum ea ſola de nocte loquatur. Tum quia illa ordinatio ſi præcipit, ſeu potius indulget, vt ſacerdos poſſit omnes tres miſſas de Natali Domini celebrare ſequi poteſt abſurdum, quod fideles aut non teneretur audire miſſam in die illo, ſed tantum in nocte, ſi ſacerdos vellet omnes illas tres in nocte celebrare, aut ſi in die tunc nullam haberent. Tum quia eo tempore pauci erant ſacerdotes, & multi fideles, vnde videtur inferri mentem Pontificis fuiſſe, vt non omnes celebrarentur, ſed vnica tantum, vt fideles in die aliis duabus commode intereſſe poſſent, qui primæ non potuiſſent, aut noluiſſent adeſſe, neque enim aliquod inuenitur præceptum fideles obligans ad aſſiſtendum miſſæ illius noctis de nocte. Tum quia illa pluralis locutio, quam obiicit Suar. non obſtat, & quia quandoque pluralis ſermo reſoluitur in ſingularem *Gloſ. v. Et perpetuo cap. 2. de reſcr. per iura ibi allegata*; & quia ſumitur diſtributiue in ordine ad preſbiteros, & miſſas; & quia vſus eſt ſacrorum canonum vti huiuſmodi vocibus in plurali, vt videre eſt ſequentibus capitibus ergo & in caſu præſenti. Demum conſuetudo ſe habet ita in omnibus eccleſiis Italiæ, & præcipue Romæ, quæ aliarum eccleſiarum caput, & magiſtra eſt, ergo præſumendum eſt talẽ ab initio fuiſſe mentem legiſlatoris. Ita docent *Silu. Miſſ. n. 8. Nau. c. 25. n. 83. Ang. miſſa. n. 46. Mirand. tom. 1. q. 40. art. quos citat, & ſequitur Bonac. q. fin. de miſſa p. 9. n. 5. alios plures citat Diana part. 1. tract. 14. de celebr. miſſ. reſol. 35. qui cum Suar. cit. Vaſq. Layman. Coninch. Molfeſſio, Siluio, Zanard. Scorcia,* tenent omnes tres dici poſſe ea nocte illa communi ratione deducta ex cortice verborum, quæ ſi ex vi ſua ſpectentur ſingula potius infringunt eorum opinionem, quam probent, eo quod ea verba videantur potius referri ad miſſam ſolemnem, & cantatam, vt expreſſis terminis dicitur ibi: *Et Hymnum Angelicum in illis ſolemniter decantent.*

Secundum de Parocho celebrante poſt conuentualem decantatam probatur, quia illius miſſæ celebratio nulli presbytero illa nocte prohibetur, ergo pro conſolatione ſpirituali ſuarum ouium eam miſſam celebrare poterit. 160

Tertium, quod ea nocte laici non poſſint recipere ſacram Communionem ſuadetur. Tum quia illud priuilegium ſumendi Corpus Chriſti ea nocte conceſſum fuit ſolis ſacerdotibus in actu celebrationis, ergo non eſt extendendum ad laicos, & non celebrantes, priuilegium enim vni perſonæ conceſſum non extenditur ad aliam etiam propter identitatem rationis *cap. Sanè 9. de priuileg.* Tum quia, ea nocte excepta, ſacerdos non celebrat niſi intra Auroram, & Nonam, hoc eſt, meridiem, ex communi Doctorum *apud Bonac. q. fin. de Miſſa p. 9. num. 2. Dianam part. 1. tract. 14. reſol. 33.* ergo neque laicus ſacramenta recipere poteſt extra illud tempus, quia tempus laici regulatur in hoc à tempore presbyteri volentis celebrare, cum eædem rationes militent in vtroque. Tum quia ita vſus inoleuit, vt ſacra Communio recipiatur ſolum intra huiuſmodi tempus à ſanis, & cum huiuſmodi conſuetudo rationabilis, & legitima ſit, & loco legis non extantis ſuccedat, vt lex ſeruanda eſt *cap. In his rebus 7. diſt. 11. Bonac. q. 7. de Euchar. p. 1. n. 14. cum Silu. Sà, & Angel. v. Euchariſtia, Tabien. Miſſa 6. Henr. Suar. Poſſeu cap. 8. num. 8.* docent ſacram Communionem poſſe recipi qualibet hora diei etiam poſt meridiem, quia nulla extat prohibitio, & ſi videntur excludere ab hac ſacra refectione nocturnum tempus. 161

Quæres 32. Quidam confeſſarius multoties in abſoluendis pænitentibus reliquit illa eſſentialia verba *Abſoluo te*, quæ ſecundo loco ponuntur pro abſolutione peccatorum in forma abſolutionis iuxta Rit. Paul. Quint. reprehenſus de hac re reſpondit, hoc parum referre, quia intentionem habebat abſoluendi ſuos pœnitentes non ſolum per prædicta verba ſecundo loco polita, verum etiam per alia ſimilia, *Abſolute*, primo loco expreſſa pro abſolutione à cenſuris; & præterea loco illorum verborum: *Ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti* proferebat ſequentia. Ab *omni vinculo cenſura.* Alius demum proteſtatus fuit, ſi aliquo caſu omitteret verba eſſentialia *Abſoluo te*, ſiue primo loco, ſiue ſecundo, ex inaduertentia, vel negligentia, intentionem ſuam eſſe per probationem ſaltem vnius ſupplere alterius defectum, ita quod ſi omitteret verba pro abſolutione cenſurarum intendebat per ſecunda verba abſolutionis peccatorum abſoluere à cenſuris, & peccatis ſimul: & vice verſa ſi caſu omitteret ſecundo loco poſita, intendebat per prima prolata abſoluere non ſolum à

cenſuris

censuris sed etiam à peccatis. An licite, & valide absoluerit.

Respond. Quando confessarius habuit formalem intentionem per vnicam illarum absoluere tam à censuris, quam à peccatis valide absoluit. Quando vero non cogitauit de hac re, neque aliquando proposuit, suam intentionem fore talem, vt semper vellet, quantum est ex se, valide vnica tantum prolatione vnius illarum absoluere quoscumque pœnitentes ad se debite accedentes, inualidæ sunt datæ absolutiones à peccatis per priora verba omissis posterioribus determinatis pro peccatis. Absolutio vero data à censuris per verbum generale, & non per specificum singularum censurarum, provt in forma ab Ecclesia exposita sunt, valida est, & etiam licita.

162 Primum de valida absolutione ex intentione per illa duo verba. *Absoluo te*, probatur, quia hæc clausula licet in se sit indifferens ad relaxationem censurarum, & peccatorum, & ideo ab Ecclesia primo loco determinata ad censuras, & secundo loco ad peccata per expressionem singulorum, tamen confessarius per suam formalem intentionem aut actualem, aut virtualem potest eodem actu prolationis eiusdem clausolæ absoluere non solum ab altero, sed etiam ab vtroque, quia vtrumque in illis ex vi verborum coniicetur, ita quod voluntas intellectu dirigente potest velle modo vnum, modo alterum, & quandoque vtrumque simul ordinate nimirum primo absolutionem à censuris, deinde à peccatis. Confirmatur, quia in absolutione à peccatis illa duo verba, *Absoluo te*, sufficienter indicant remissionem peccatorum, non obstante, quod ea verba cum aliis sint certa forma ab Ecclesia declarata pro sacramentali absolutione, sed eademmet verba adhibentur etiam in absolutione à censuris, ergo vtrumque bene significare possunt. Procedit licet priora verba proferantur cum adiectis censuris, quia illamet verba ab intentione limitari, aut ampliari possunt ad id omne, quod significare possunt. Et quod per illa duo possit quis simul absolui à censuris, & peccatis docuit *Nau. tom. 3. in cap. 1. dist. 6. de pænit. num. 27. Bonac. de censur. in genere q. 3. p. 5. num. 3. & q. 6. de pænit. p. 1. n. 10. cum Soto in 4. dist. 14. q. 1. art. 3. & aliis.*

Dices cum *Silu. apud Sayr. lib. 2. cap. 16. n. 3. & Diana tom. 5. tract. 19. resol. 31.* illa verba sunt de se indeterminata, neq. esufficienter determinari possunt per solam intentionem, cum non sit aliquod signum sensibile, consequenter cum sub prima clausula sensibiliter exprimantur solum censuræ, & nequaquam peccata, ad hæc per solam intentionem sensibiliter extendi non poterunt priora absolutionis verba. Resp. intentionem dici sufficienter sensibile signum in illis duobus verbis, sicut talis sufficienter dicitur quatenus est essentiale requisitum ad confectionem cuiuslibet sacram.

163 Secundum, quod nulla sit absolutio, vbi nihil fuit cogitatum, probatur ex dictis quia illa verba ex se indifferentia nulli materiæ speciali fuerunt applicata, aut saltem prolata fuerunt secundum vniuersalem intentionem Ecclesiæ, quæ priora verba applicat censuris, posteriora vero peccatis, ergo super peccatis nulla fuit data absolutio.

164 Tertium de censuris constat ex eo, quod formaliter genus dicitur de suis speciebus, & confessarius non peccat quia habet rationabilem causam sic absoluendi, & non expressis in specie censuris, ne grauetur modo tacendo censuram suspensionis respectu laicorum, modo eamdem exprimendo pro clericis, & præcipue ne eâdem proferat erga laicos, qui suspensionis incapaces sunt, ideo expeditior est absolutio à censuris in genere, quam in specie. Confirmatur, quia Paulus V. in suo Rituali vsus fuit simili verbo in repentinis casibus tradendo talem formam. *Absoluo te à censuris, & peccatis.*

Quæres 33. An data absolutio à confessario regolari in sequenti casu teneat? Quidam parochianus nomine Paulus genuflexus ante pedes concionatoris confessarij sua peccata confitetur, & ab illis absoluitur à dicto concionatore, dum illius Curatus transibat, & videbat suum parochianum confiteri sua peccata, & nihil dicebat; postmodum ille Curator animarum dictum Paulum noluit admittere ad communionem, sed illi dixit, & protestatus est, illum inualide confessum fuisse dicto confessario, & quia illi confiteri non poterat sine illius licentia petita, & obtenta, vt dicitur *in cap. Placuit sin. dist 6. de pænit. cap. Omnis 12. de pænit.* immo neque id consuetudine aliqua introduci potest, vt quis confiteatur extraneo sacerdoti sine licentia, *cap. 2. de pænit. in 6.* & tradunt glossæ super dictis capitibus, nullas esse huiusmodi confessiones factas alienis confessariis sine licentia proprij parochi, & loquuntur in terminis de regularibus. Et id confirmatur ex tenore literarum dimissorialium pro audiendis confessionibus secularium à dicto regulari, in quibus adest clausula conditionalis. *De licentia Parochi*, quæ suspendit effectum valoris actus ex communi, cum conditio nihil ponat in esse, & effectus attentatus, ea nundum existente, nullus est; sed dictus concionator non exhibuit suas literas confessionales illi Parocho, neque ab eo petiit licentiam, ergo nulla fuit excepta confessio.

165 Respond. Paulus valide, & licite absolutus fuit ab illo confessario regulari, qui poterat etiam ibidem absoluere quoscumque alius ad se accedentes, quod clare probatur, quia confessarius regularis legitime approbatus ab ordinario, qualis est iste, potest excipere confessiones quorumcumque ad se accedentium non solum 166 in propria Ecclesia, sed etiam in aliena de licentia parochi, vel patroni illius, in qua hoc sacram. administraturus est, vt omnes concedunt ex Clem. Dudum de sepult. ibi: *Vt de eorum licentia, gratia, & beneplacito*, id est, Episcoporum, *in ciuitatib. & diœcesib. eorumdem*, scilicet episcoporum, *huiusmodi persona sic electa.* i. Fratres Prædicatores, & Minores, *Confessiones confiteri sibi volentium audiant*, Dicit, *Volentium*, simpliciter, vt insinuet approbatos confessarios posse audire non solum subditos Episcopi approbantis, verum etiam aduenas, & forenses, quod clarius postea successores Clem. V. concesserunt, & videre est apud *Rodr. tom. 1. quæst. 60. art. 6. cum suo Comp. resol. 32. n. 15. Mirand. tom. 1. qu. 45. art. 14. Confect. tit. 17. cap. 4. Nau. c. 27. num. 266. & ex eo Flor. de casib. reseru. cap. 3. §. 3. n. 8. Megal. de Pænit. lib. 1. cap. 9. num. 14. & 15.* vbi in terminis casus nostri dicit huiusmodi facultatem excipiendi confessionem quorumcumque ad se accedentium procedere etiam tempore Pascatis, quia confessarius regularis adhuc dicitur proprius Sacerdos, vt ipse probat *ex Silu. v. Confessor. 1. q. 1. & Ricard. in 4. dist. 17. Faber. disput. 25. de Pænit. n. 82. & 83. Becanus cap. 38. de Sacram. qu. 9. per extrau. Vos electionis Ioan. 22. de hæretic. Bossius de Iubileo sect. 3. casu 2. numero 37. & alij communiter, Floren. cit. num. 9.*

167 Dicet aduersarius hoc procedere, quando regularis excipit confessiones in propria Ecclesia, non in alienis, vt præfertur in casu præsenti. Nihilominus dicta procedunt, & habent locum etiam in alienis Ecclesiis, ita quod in illis confessarius regularis hoc Pœnitentiæ Sacramentum administrare potest valide, parocho etiam contradicente, licet ipse confessarius peccet, ex parte tamen pænitentis recepta absolutio tenet, quia non peccauit vtendo iure suo, quod habet confitendi cuilibet regulari approbato.

168 Quod regularis confessarius si non licite saltem valide excipiat confessiones in alienis Ecclesiis etiam parocho contradicente probatur, quia si non valide absoluit maxime, quia in eo casu caret iurisdictione, nulla enim alia sufficiens ratio assignabilis est, præter hanc, quæ tamen falsa est, quia adhuc iurisdictionem habet, nam posita Episcopi approbatione regulares immediatè à summo Pontifice accipiunt iurisdictionem excipiendi confessiones quorumcumque ad se accedentium,

dentium, vt docent ferè omnes *cum Confect. tit. 17. cap. 4. becan. cap. 38. de ſacram. q. 11. num. 3. Rodr. tom. 1. q. 59. art. 1. & q. 60. art. 4. Graff. lib. 2. append. cap. 3. n. 15. Suar. de pœnit. lib. 1. cap. 9. num. 15. Ego reſol. 6. initio, & reſol. 36.*

169 32. Quare contradictio Parochi, cum Papa longe inferior ſit, & illi ſine dubio ſubditus, non poteſt conceſſam iuriſdictionem auferre à confeſſario regulari, qui ideo in aliena etiam Eccleſia valide adminiſtrat, licet cum peccato, *Rodr. tom. 1. quæſt. 60. art. 4. cum ſuo Compend. reſol. 32. num. 13. Portel. v. Confeſſor regularis*

170 *n. 8. expreſſius, item Megal. cit. num. 15.* ſubdendo, vanam eſſe quorumdam Curatorum licentiam, quam ſuis parochianis impertiunt confitendi cuilibet alteri confeſſario, præſertim regulari, cum iſte immediate hoc ius habeat à Papa.

Præterea dictus Confeſſarius, & quilibet alius per iuriſdictionem ſibi à Papa immediate communicatam, ex probatis, efficitur ſtatim proprius ſacerdos quaſi perinde ac eſſet proprius parochus quoad hoc, & delegationem, *vt ex Ricardo, & Silueſtro ſuperius docui ex Megal. & tradit Sotus in 4. & ex eo Mirand. tom. 1. q. 45. art. 3.* ſubdentes, nulla etiam petita licentia à Parocho adhuc confeſſarium cenſeri excipere confeſſiones ſecularium de licentia Parochi, hoc ipſo, quod iuriſdictionem habet a Papa, qui Parochorum Parochus generaliſſimus eſt, *Floren. de caſib. reſeru. cap. 3. §. 2. n. 3.* conſequenter ſupradictus Paulus Pœnitens bene abſolutus fuit, quia acceſſit ad illum concionatorem de licentia ſui Parochi ſupremi. Imò, vt audio, paulo ante ille Curatus ad Altare ſingulis dederat facultatem confitendi alieno ſacerdoti, & præterea dictus concionator illo ſciente, & vidente, non contradicente ex ratihabitione de præſenti quod de communi omnium ſufficit, adminiſtrauit Sacramentum Pœnitentiæ Paulo, ergo licite, ac proinde valide confecit Sacramentum.

171 Nec obſtant obiecta primo loco de confitendo proprio ſacerdoti, & non alieno, niſi de licentia, quia præterquam quod probatum eſt hactenus Paulum confeſſum fuiſſe proprio ſacerdoti interpretatiue, ſeu etiam alieno de licentia tamen veri, & generalis curati, qui eſt Papa omnibus Eccleſiis in orbe terrarum præſidens *cap. 1. diſt. 23.* iudex ordinarius ordinariorum, & omnium hominum, *cap. Cuncta 9. q. 3. cap. Dudum, cap. Quamuis, de prebend. in 6.* re vera neque hoc indiget probatione; conſtat de legitima licentia patroni illius Eccleſiæ, in qua ſacramentum adminiſtrauit, id potuiſſe facere, quia literas confeſſionales oſtenderat, in quo caſu dicebatur adminiſtrare ſacramentum de licentia parochi, huiuſmodi enim clauſula non refertur ad curatum pœnitentium, ſed ad parochum, ſeu patronum Eccleſiæ, vbi hoc ſpirituale munus exercetur.

Dato etiam caſu, quod dictus concionator excepiſſet confeſſionem Pauli in propria parochiali curati ſine ratione reclamantis, adhuc male obloqueretur in confeſſarium, & pœnitentem, negando validam fuiſſe confeſſionem, ſeu abſolutionem impertitam ſuper ſuam ouem, à qua confeſſarius lanam, ſed tantum leptam, non abſtulit, ob adductam rationem de licentia vti conditione ſine qua non poteſt valide conferri abſolutio. Quia id falſum eſt, nam ea clauſula non continet conditionem ſuſpenſiuam, ſed reſolutiuam; &

172 quandam monitionem ſpectantem ad ipſum confeſſarium, quo admonetur de recto modo adminiſtrandi hoc ſacramentum in alienis Eccleſiis de conſenſu patronorum illarum, ſiquidem vnicuique Eccleſiæ propria iuriſdictio ſeruanda eſt, ne ordo peruertatur, *cap. Peruenit 36. 11. q. 1.* Iſte tamen ordo cum ſit accidentalis, & extraneus ad valorem ſacramenti non vitiat actum, ſi quandoque peruertitur arg. eorum quæ *ex l. C. de appell. dicit Bart. & ex l. Probatam C. de ſentent. Abbas, Imola in cap. Exhibita, de iud. Sanch. lib. 7. diſp. 33. num. 2.* Quod illa clauſula importet conditionem reſolutiuam qualis eſt illa, à qua non dependet valor actus, conſtat ex eo, quod poſita Epiſcopi approbatione ſtatim regularis à Papa acquirit iuriſdictionem, quod probatur clare ex eo, quod nemo dubitat dictum confeſſarium caruiſſe iuriſdictione, alias antea nullæ fuiſſent ab eo exceptæ in propria eccleſia, quod ſine dubio falſum eſt, ergo ante habebat iuriſdictionem, conſequenter eamdem etiam retinuit audiendo, & abſoluendo Paulum, neque iuriſdictio hæc ſpiritualis abſoluendi multiplicatur, & variatur pluralitate Curatorum; cum ab his non habeat ſuam originem, ſed ſequatur immediate approbationem epiſcopalem. Ita de illa clauſula, quod non obſtet validæ abſolutioni docent *Suar. Henr. Regin. Zerula, Sair. cum aliis, quos pro ſe citat Bonac. q. 7 p. 4. §. 1. n. 17. & 18.*

Dices, Paulus ſi contradicente ipſi eius parocho negante licentiam accedendi ad alienum confeſſarium, ſine dubio peccabit mortaliter reſiſtendo eius voluntati in re graui, in qua illi ſubditur de iure, cap. Omnis 12. de pœnit. Præterea cooperatur peccato confeſſarij, qui ſine dubio illicite adminiſtrat. Deinde in re communi potior eſt conditio prohibentis, reg. 56. in 6. hic agitur de ſacramento pœnitentiæ, quod eſt commune tam curato ratione adminiſtrationis, quam parochiano ratione ſuſceptionis, ergo prohibitio præualet alteri volenti extraneo confiteri. Inſuper ſi parochus iniuſte neget licentiam ſuo ſubdito iuſte petenti confitendi alteri, facta confeſſio extraneo inualida eſt, vt multis probat *Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 13. n. 3. citans pro ſe Alenſem, Sotum, Medinam, Filiarcum, Llamas, Suar. Nauar. & alios, & Villalobam in ſum. tom. 1. tract. 9. diff. 49. n. 14. adductum à Diana contra ſe part. 2. tract. 4. de ſacram. reſol. 79. & faciunt tradita à Megalio cap. 10. n. 8. vbi* concordat capitulum Placuit, & cap. Omnis, *cum Suar. de pœnit. diſp. 27. ſect. fin. concl. 2.*

173 Reſpond. Paulus licite, & valide poteſt confiteri ſacerdoti regulari non ſolum in propria regulari eccleſia, de quo nullus dubitat, verum etiam in parochiali contradicente parocho tam contra ipſum regularem, quam contra ipſum ſuum ſubditum, ſiue ab eo licentiam petierit, & negauerit, ſiue non, in quo potiſſimum conſiſtit difficultas. Probatur. Tum quia qui-

174 libet ſecularis habet ius accedendi ad regularem confeſſarium, non obſtante iure communi de confitendo proprio ſacerdoti, & non alieno, niſi de licentia proprij, quia per regularia priuilegia ſufficienter dicto capiti derogatum fuit, aliter ſequeretur inconueniens, quod approbatio confeſſariorum regularium ad nihil ſe extenderet, & vana eſſet, ſi pœnitentes deberent petere licentiam à ſuo curato confitendi regulari. Et quid, ſi parochi negarent, vel præciperent, vt nulli extraneo confeſſori ſua peccata confiterentur; Certe hoc eſſet illudere priuilegiis regularium. Tum quia per contradictionem parochi regularis non perdit iuriſdictionem, quam habet, cum à contradicente parocho non acceperit illam, quam ideo nec auferre poteſt, quia res per quas cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur. Tum quia ſubditus non obſtante negatiua ſui parochi, à quo licentiam petiit, aut ex vrbanitate, aut quia credebat teneri petere, habet ius confitendi, & abſoluendi à confeſſario regulari, ergo priuari non poteſt hoc iure à ſuo parocho, conſequenter edoctus de hoc iure ſine peccato accedit ad confeſſariũ regularẽ, qui enim vtitur iure ſuo nulli facit iniuriã, ex vulgatis iuribus. Tum quia confeſſarius valide illũ abſoluit, ergo

175 & ipſe valide abſoluitur, valet enim cõſequentia à coniugatis, & ab oratione actiua ad paſſiuã in ſenſu grãmaticali ſic: ego amo Deum, ergo Deus amatur à me. Patet ergo ex his confeſſarios regulares poſſe abſoluere ſeculares parocho contradicente, quod communem opinionem vocat Faber. de pœnit. diſp. 25. n. 93.

Nec ſupradicta obſtant ex probatis, cum pœnitens ille non peccauerit reſiſtendo voluntati ſui parochi, cui in hoc obedire non tenetur. Nec cooperatur peccato confeſſarij, quia illum non inducit, ſed agit ex proprio arbitrio, ſi non iure, & quia peccatum præciſe,

eſt

est,quia non exhibuit licentiam Episcopalem, sub tali conditione, & obligatione expectandi consensum Curati, quod solum Confessarium efficit, vt notum est, & non pœnitentem, qui literas confessionis non obtinuit.

176 Neque obstat regula illa de potiori ratione ex parte prohibentis, quæ procedit, quando prohibens habet ius prohibendi, quo caret in re nostra respectu confessariorum regularium, licet non aliorum, Sanch.lib.2. cap.30.n.8. doctores allegando ait, axioma procedere minime, quando causa prohibens est odiosa, constat autem negare aliquid spirituale esse quid odiosum Demum allegati doctores vel sunt illius opinionis in dicto casu simili, vel intelligendi sunt, quando pœnitens licentia non obtenta confiteretur seculari confessario, quamquam, & autores oppositum sentientes refert pro se Diana loco citato.

Quæres 34. An melius sit moniales cuiuscumque instituti gubernari per confessarios, regulares, quam seculares? Hoc posterius probatur. Tum quia religiosi debent fugere consortia monialium, *cap. Peruenit ad nos* 20. *& sequent.* 18. *q.* 2. Tum 2. quia moniales ab initio subiectæ erant Episcopis. *cap. Cognouimus*, *& sequent.* 18. *q.* 2. ergo connaturalis est, & melius, vt gubernentur ab Episcopis, quælibet enim res facile reuertitur ad suam pristinam, & antiquam naturam, *cap. Ab exordio dist.* 35. vnde videmus moniales regularium in dies à Sede Apostolica ab ipsis regularibus subiici Episcopis, & sic redire sub disciplina antiquorum superiorum. Tum 3. quia multæ sunt inflictæ pœnæ contra regulares, de quibus multa *dixi resol.* 7. *q.* 17. *num.* 66. & nullas video contra clericos seculares, quod signum est melius gubernari à clericis, quam regularibus. Tum 4. huiusmodi seruitus præiudicat bono clausuræ, cuius obseruatio est optimum medium religioso tendendi ad perfectionem, ergo melius est, vt gubernentur à clericis, qui nulli clausuræ sunt subiecti. Sed his non obstantibus.

177 Resp. Melius est Moniales gubernari, & regi à regularibus quam aliis. Probatur. Tum quia antiquitus, & deinceps per centenarios annorum quamplures cursus vsque fere ad nostra tempora à regularibus gubernatæ fuerunt, vt de eorum antiquitate habetur in Concil. Hispalensi, siue sit primum sub Pelagio II. de an. 584. siue secundum sub Honorio Papa I. de an. 623. relato *cap. In decima* 24. 18. *q.* 2. solum circa hunc centesimum cœperunt auferri regularibus & subiici clericis secularibus data semper occasione aliquorum scandalorum fragilitatis, cui omnis humana creatura subditur non magis regularis, quam clericalis, imo cum religiosus plura habeat media pro custodia castitatis obseruandæ ex debito promissæ religionis, videtur aptior ad huiusmodi spirituale munus regendi moniales, quam clericus secularis, qui tanta non habet media ad occurrendum Incentiuis æstuantis libidinis, quæ suis incursionibus nemini parcit, beati, qui ex illa depressa anfractibus sanctæ continentiæ, victoriam reportant, Angelis enim comparari possunt eius stimulis non subactis, &c. Tum quia Regulares sine dubio magis callent disciplinam regularem monialium, cum fere similem vitam ex regula, & constitutionibus cum illis degant, à quo genere viuendi non solum practice alieni sunt, verum etiam speculatiue quandoque absunt clerici seculares, nec facile remedia ad propositum inuenire, quibus monialium animi morbos depellere valeant, vnde in his magis consulendi sunt regulares, quam seculares, illisque magis credendum, cum vnicuique experto in sua arte magis credendum sit, quam aliis. *l. Septima ff. de statu homin. &* nemo siue actione, à qua alicui sunt clerici, cum vitam regularem non agant, expetitur *l. Quoties §. Item si ff. de admin. tut. l. Si pulli §. fin. ff. de negot. gest.* Tum quia religiones nouellæ nunquam traditæ fuerunt instituendæ clericis secularibus, quia diuersa singulorum vita, sed bene aliis regularibus prouectioribus, & expertis in disciplina, & modo viuendi in communi, & regulariter, vt ipsorum vita, & obseruantia paulatim noua institutio in religionem propagaretur. De hac re non adsunt exempla, nam Innoc. III. *in cap. In singulis* 7. de statu monach. in reformanda religione S. Benedicti ordinando, vt singulis triennijs simul congregarentur Abbates, & Priores huius ordinis ad celebranda sua capitula, mandat vt aduocēt duos Abbates Cisterciensis ordinis ob eam rationem ibi: *Aduocent autem in huiusmodi nouitatis primordiis duos Cisterciensis ordinis Abbates vicinos ad præstandum sibi consilium, & auxilium, opportunum, cum sint in huiusmodi capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati.* Et Gregorius XV. sua constitut. incip. Inter multiplices, pro nouitiatu de nouo introducendo, seu iam introducto in ordine, seu Congregatione Iesuitarum S. Hieronymi, in magistrum nouitiorum assignauit virum religiosum congregationis Clericorum Regularium Theatinorum, Quæ sunt certa argumenta moniales melius, & rectius gubernari per professores regulares, quam clericos. Tum quia à regularibus remotæ, & clericos. Tum quia à regularibus remotæ, & clericis subiectæ carent priuilegiis prætextu quorum subiiciebantur, vt nonnulli docent, quorum tamen opinio à me, cui non placuit, reiecta fuit *resol.* 52. *c.* 69.

Restat respondere motiuis partis aduersæ. Primum remouetur, quia superiores ponunt bonos viros probatæ conscientiæ, senili ætate grauatos libidinis incentiuis iam exustos, & ibi prohibentur commercia vana, & suspecta, non exercitia pro salute animarum. Ad secundum dico ex hac reditione non infertur melius gubernari posse à clericis, sed quandoque regulares reddi indignos earum regimine. Ad tertium ex inconuenienti non potest sequi nisi aliud, regularium defectus quandoque non solum à fratribus, verum etiam ab extraneis deferuntur ad suprema tribunalia, clericorum vero crimina non exeunt Episcopali curia, quia res ita se habent, religiosi sunt homines, clerici sunt homines, & sicut non magis homines sunt isti, quam illi, vtrique proinde æqualiter subiecti æstuanti libidini; constat ergo cur regulares non clerici subiiciantur statutis pœnis. Demum bene saluatur clausura in religioso, qui omnibus prodesse paratus esse debet.

Quæres 35. An absolutus in articulo mortis à censuris reseruatis Episcopo, vel Papæ, teneatur se præsentare, si id illi non fuit expressè iniunctum ex ignorantia, vel negligentia confessarij? & An præsentatio sit de sola excommunicatione, an aliis etiam censuris, sine denunciatis contra particularem personam, vel in genere?

178 Respond. Absolutus in articulo mortis à confessario simplici nullum habente priuilegium absoluendi ab excommunicatione reseruata tenetur se præsentare, quando excommunicatio contra ipsum denuntiata nominatim fuit, licet illi obligatio se præsentandi intimata non fuerit, modo non sit impotens ad se præsentandum, nam tunc tertium mittere non tenetur ad superiorem iudicem excommunicationis.

Pro excōmunicatione reseruata nominatim denūtiata delinquentē facit, quia ad superiorē non mittitur præcise vt absoluatur, cum iam absolutus fuerit, neque vt satisfaciat parti læsæ, cum sine superiore fieri possit restitutio parte læsæ, vnde ex hoc quidam negant teneri se præsentare cum *Nauar. & aliis citatis à Bonac. contra sep.* 3. *de absol. à censur. n.* 12. *ergo* vt debitam obedientiam reddat superiori, cuius mandatis noluit obtemperare. Deinde absolutus ab excommunicationibus nulli reseruatis, in quibus quandoque adest læsio partis, non tenetur se præsentare, eo quod speciali modo iudicem non læsit ex formali contumacia, ergo, vbi hæc non est, nulla est obligatio se præsentandi, nulla enim alia ratione videtur inducta huiusmodi præsentatio,

ratio, nisi in detestatione obedientiæ, & contumaciæ, vt de ipsa resipiscat prostratus coram iudice. *Vide c. Ea noscitur 13 de sent. excom. & c. Eos 12. eod. in 6. Bonac. p. 3. de absolut. à censur. propos. 4.* Idem dic de aliis censuris. *Vide quæ dixi ref. 5. q. 16.*

Tenetur se præsentare, licet intimata non fuerit præsentatio, quia in illis suspectatis capitibus, non exprimitur, quod confessarius debeat hoc onus illis imponere, sed lex ipsa sic absolutos immediate obligat ad se præsentandos.

Impotens adse præsentandum excusatur, quia impossibilium nulla obligatio, vt colligitur *ex cit. c. Ea noscitur. c. Quamuis 58. eod.*

Qui per se non potest adire præsentiam iudicis non tenetur mittere tertium, quia lex obligat immediate personam, quæ deliquit, & nullum alium præscripsit mittendum, ad quod facit *Sanch. l. 2. c. 13. n. 14. contra Nauar. c. 27. num. 44.*

179 Pro peccatis verò reseruatis absolutus in articulo mortis à simplici sacerdote nullus tenetur se præsentare, quia nulla lex id præcipit, nisi in illis duobus capitibus, quæ expressè sunt pro censuris, sic aliis *cit. ac. Bonac. illo punct. 3. in fine.*

Quæres 36. An in triduo commemorationis mortis Christi in hebdomada sancta, si casu accidat aliquod incendium domus, possint pulsari campanæ absque violatione præcepti Ecclesiastici, & incursu pœnæ centum ducatorum statutæ in *Consil. Later. sess. 11.* sub Leone X. contra Regulares, qui ex triduo ante Ecclesiam matricem eas pulsauerint *Gauant. in Rubr. Miss. part. 4. tit. 10. de Sabbato Sancto.*

180 Resp. Eo casu pulsari posse campanas ab vna, vel altera Ecclesia vicinori, siue sit parochialis, regularis, aut laicorum Ecclesia, iuxta exigentiam incendij, ratio est, qui iste casus cum sit necessitatis videtur exceptus in eo decreto concilij Lateran. cum necessitas nulli sit subiecta legi; Campanæ autem eo triduo silent ad denotandum silentium apostolorum in prædicatione, & ad significandum eo tempore defecisse sacrificium, & hostiam iuxta prophetiam Danielis 9. 27. ibi: *Et in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium.* ad hæc autem misteria populi vocantur per campanas, ea quo tunc silent in memoriam passionis, & mortis Christi, qui verum sacrificium, & hostia immolatus fuit pro remissione peccatorum. Consequenter cum alio fine earum vsus non prohibeatur, in casu incendij pulsari poterunt, quia earum sonitus non obstat fini ab Ecclesia intento.

Quæres 37. An sacerdos sub nomine Capellani prælatus Curæ animarum in aliqua Ecclesia, cui immediate ipse solus præest ministrando fidelibus sacramenta Ecclesiastica, siue Ecclesia dicatur Parochialis, siue non, sit vere & proprio Parochus, seu Rector illius Ecclesiæ, & gaudet iuribus, & priuilegiis aliorum Parochorum? Exemplum fit in Parochialibus Ecclesiis vnitis, vel concessis regularibus, item in Ecclesiis Castrorum, ciuitatum, &c. Resolutio difficultatis pendet ab eo, per quod constituatur Parochus in ratione sui officij.

181 Respond. Ille proprie dicitur Parochus, Rector, seu Curatus, qui immediate nomine proprio sacramenta, & sepulturam administrat certo populo sibi subiecto. *Quod probo per decis. 52. Rotæ Roman. in Nouiss. part. 2.* Vbi ad constituendum Parochum, seu Parochiam quatuor requiruntur. Primo, potestas fori pœnitentialis administrandi Sacramenta. Secundo certa parochia, in qua populus habitet. Tertio eam potestatem exercens debet id facere nomine proprio non alieno, alias non esset immediatus ibi animarum Curator, sed Vicarius, seu mercenarius. Quarto, ipse solus debet animas ad regimen animarum singulariter, & non cum aliis, quia vna sponsa non potest duos vel plures sponsos habere. Hoc postremum in Ecclesia Mediolanensi non habet locum; in qua ob multitudinem populi in pluribus parochiis præficiuntur duo Curati, quorum alteri alter non est subiectus, licet inter eos conuenientia sit in regimine animarum, vnde ad sustinendum illud quartum requisitum, dici potest duos Parochos habere rationem vnius sponsi, tendunt enim in vnum finem per regimen animarum. Huiusmodi autem requisita reperiuntur in sacerdotibus regularibus præsentatis à suis superioribus coram Episcopo pro examine ad exercendam animarum curam, nam habent potestatem fori pœnitentialis administrantes sacramenta fidelibus sibi commissis in eorum certa, & propria religionis Ecclesia, ita quod sacramenta administrant nomine proprio, cum nullus alius, neque superior regularis in id regimen se ingerere possit, nisi seipsum præsentet pro tali officio, substituendo postea alium sacerdotem approbatum, in quo casu superior erit simul, & Parochus, & alter sacerdos eius Vicarius, seu Capellanus. Confirmatur ex iis, quæ dixi *ref. 36. n. 95.* Religiosus proprie venire sub nomine Parochorum, & sic excludi à generali reuocatione Confessariorum, in qua non fit de Parochis mentio. Præterea beneficium parochiale bene saluatur, si redditus sint penes monasterium quod ad possessionem iuris, apud verò curatum quo ad regimen animarum. Nec obstat, quod Parochus regularis sit amouibilis ad nutum superioris, *Gloss. v. Ad claustrum, Clem. Ne in agro, de statu mon.* & reuocari possit ad claustrum etiam inuito Episcopo S. C. in vna Camera. 14. Ianuar. 1632. quia id est extra rationem Parochi, qui perpetuus est solum quod ad officium, non etiam quo ad personam, & beneficium dicitur perpetuum, quando confertur alicui absque temporis determinatione, pro qua re *vide Peyr. Formul. lit. C. t. 13. vbi plura de hac re.*

Quæres 38. An Parochus etiam regularis possit vocare quemcumque sacerdotem in coadiutorem pro audiendis confessionibus, & aliis sacramentis ministrandis suis ouibus, præsertim tempore Paschatis? *Ledesma tomo primo de sacram. Pœn tr. capit. 12. & Ludou. de S. Iulian. quæst. 7. art. 12. de Pœnit. diff. 12. cum quibusdam aliis* putant posse vocare quemcumque simplicem sacerdotem, quia cum parochus sit ordinarius nil prohibet, quin suam potestatem possit aliis communicare. Sed his obstat *Trident. sess. 23. cap. 15.* decernens nullum sacerdotem etiam regularem, qui non habet actu beneficium parochiale, vel approbationem ab Episcopo, posse secularium etiam sacerdotum confessiones excipere. Quare vera opinio ea est, vt Parochus vocare non possit ad audiendas confessiones suorum, subditorum simplicem sacerdotem actu non approbatum, aut alium non existentem actu parochum. Tota difficultas est, an non solum possit vocare quoscumque confessarios etiam regulares approbatos à suo superiore Episcopo de quo non dubito, cum id apud omnes sit certum, de iure communi; verum etiam confessario extraneos, hoc est, approbatos solum à proprio Episcopo confessariorum electorum? Affirmant *Ioan. de Cruce part. 1. Derell. q. 5. de sacram. Pœnit. dub. 6. concl. 3. Henriq. l. 7. de Pœnit. c. 12. n. 4. Coninch. disp. 8. de sacram. dub. 7. n. 57.* & hoc de iure seclusa prohibitione aliqua sinodali. Probant primo per *capit. Omnis 12. de pœnit.* vbi proprius sacerdos potest dare licentiam suo parochiano confitendi alteri sua peccata, & sic vocare alium sacerdotem quem cumque dummodo sit idoneus, qualis censetur approbatus ab aliquo Episcopo. Secundo, Tridentinum requirit quod sacerdos idoneus habeat aut parochiale beneficium, aut approbationem ab Episcopo non distinguendo, à quonam Episcopo debeat esse approbatus. Tertio tempore Iubilei quilibet confessarius eligibilis est à quocumque pœnitente, vt tenet probabilis opinio multorum, quos sequitur *Diana resol. 52. de Indulg.*

Respond. Parochus non potest vocare simplicem sacerdotem, vt certum est, neque sacerdotem confessarium extraneum ab Episcopo Parochi vocantis non

non approbatum, neque extraneum Parochum, ſed ſolum confeſſarium quemcumque exiſtentem actu approbatum ab Epiſcopo Parochi vocantis.

182 Primum de ſimplici ſacerdote non vocando conſtat, quia ad valide miniſtrandum hoc ſacramentum præter poteſtatem ordinis, quam in ordinatione ſacerdos recipit, requiritur poteſtas etiam iuriſdictionis, vt omnes docent, hanc autem Parochus nullus dare poteſt, ſed ſpectat ad Epiſcopum mediante approbatione, ſeu parochiale beneficium *ex cit. cap.15. ſeſſ.23.* Sacerdos enim, qui non habet populum ſibi commiſſum, neque priuilegium excipiendi aliorum confeſſiones caret executione ordinis, vt docet Gloſ. v. *Alieno Sacerdoti cap. Omnis 12. de Pœnit.*

183 Secundum de ſacerdote extraneo confeſſario, ſeu etiam parocho, probatur, Tũ quia extraneus, ſi habet ordinariam poteſtatem, ius habet excipiendi confeſſiones ſolum ſuorum parochianorum, vt notum eſt, Epiſcopus enim admittens ad parochiale beneficium non poteſt conſignare illi niſi oues ex propria Diœceſi in tali parochia, ergo ea poteſtas non extenditur ad extraneas oues alterius Epiſcopatus; ſi verò habet delegatam, à fortiori collata poteſtas non poteſt ſe extendere vltra vires concedentis, qui ius non habet, neque regimen niſi ſuper oues, & animas ſubiectas ſuo Epiſcopatui; ergo neutra poteſtas ſe extendit ad oues extraneas, conſequenter vocatus à Parocho alterius Diœceſis ſe habet reſpectu illius ac ſi eſſet ſimplex ſacerdus, neque enim per illam vocationem poteſt illi tribuere poteſtatem iuriſdictionis, quæ ſolum confertur mediante proprio Epiſcopo Parochi vocantis. Tum quia ſicut officialis extra ſuam prouinciam cenſetur homo priuatus, & ſine officio *l.3.ff.de officio præſid.* Ita & confeſſarius extra ſuam Diæceſim, in qua admiſſus fuit, ſuum munus exercere non poteſt ab alio vocatus. Tum quia circumfertur ad hoc propoſitum illa S. C. reſponſio. *Approbatus ab alio, quam à valentino Epiſcopo, in Diœceſi Valentina non cenſetur approbatus ab ordinario.* Quam refert cum multis Doctoribus ad rem noſtram *Barb. ad c.15. ſeſſ.23. nu.30.* Ita docent plures apud ipſum, quatenus volunt requiri approbationem Epiſcopi eius loci, in quo fit confeſſio. Dicta procedunt licet eſſet in aliena Diœceſi, in qua nec vocare poteſt illos, cum faciant dictæ rationes.

184 Tertium, quod poſſit vocare confeſſarium propriæ Diœceſis, communiter ab omnibus conceditur, quia is propriè dicitur approbatus, & habere executionem ordinis iuxta gloſam ſuper ius citatam, & idoneus vocatur, cum ipſe, & populus ſub eodem ſint Epiſcopo. In aliquibus tamen Diæceſibus id prohibetur, Parochum vocare confeſſarium, vel parochum eiuſdem Diæceſis, alterius parochiæ præſertim ex Conſil. Prouincialibus Mediolani, *vt notat Bonac. qu.7. de Pœnit. p. 4. §.1. n.12. §. Addo,* quod mihi videtur nimis rigoroſum, & certe contra ius commune, quod concedit electionem alieni ſacerdotis de licentia proprij.

Ad rationes in oppoſitum dico ad primam, extraneum ſacerdotem non dici idoneum, quia dicitur approbatus ſolum in propria Diæceſi, & in alia, in qua vocatur, ſimplex cenſetur ſacerdos, conſequenter non idoneus. Ad ſecundam nomine Epiſcopi venire illum, qui communis eſt ſacerdoti, & pœnitenti, ſiquidem Epiſcopus approbat ſolum ſacerdotes ſibi ſubiectos pro ſuis ſubditis pœnitentibus, neque enim ad eum pertinet de ouibus extra ſuum gregem. Ad tertium dico id eſſe ſpeciale tempore Iubilæi propter exuberantem gratiam fauore animæ, & quia priuilegium eſt vniuerſale totius orbis Chriſtiani, ex quo etiam debet eſſe vniuerſalis electio confeſſarij, quam ſententiam docui *reſ. 34. q.18. n.48.*

185 Diana in hac difficultate *reſol. 110. de Sacram.* extremis verbis, dum dicit, in praxi ſeruandam eſſe negatiuam ſententiam, nempe vocari non poſſe à Parocho confeſſarium alterius Diæceſis, ſibi contradicit, aſſerendo *part.5. reſ.47.* poſſe Parochum Panormitanum exponere ad confeſſiones audiendas ſacerdotem Meſſanenſem.

Quæres 39. An qui habuit in mandatis reuocandi Vicarium Generalem ab officio; quem de iure, & de facto remouit, ob quoſdam vrgentes reſpectus poſſit eumdem conſtituere Prouicarium. Suppono autem eum, qui habet mandatum remouendi, ab Epiſcopo In eodem mandato conſtitutum fuiſſe Prouicarium per modum prouiſionis, ſi illi placet, alias ſubſtituat alium, ſi ipſe non vult acceptare onus huiuſmodi? Videtur quod ſic, quia ſubſtitutio facienda non eſt limitata ad certam perſonam, ergo perſonam reuocatam ſubſtituere poteſt, cum Epiſcopus expreſſe non prohibuerit illius ſubſtitutionem, ſed ſimpliciter mandauit, vt Vicarius reuocaretur, & amoueretur ab officio; neque enim ex ea reuocatione effectus fuit inhabilis ad idem officium ad minus per modum prouiſionis. Quib. tamen non obſtantibus.

186 Reſp. Vicarius reuocatus nullatenus ſubſtitui poteſt, probatur, quia ex tenore mandati ſatis aperte conſtat, intentionem Epiſcopi eſſe, ne Vicarius ille amplius exerceat huiuſmodi officium, ergo ad id iterum aſſumi non poteſt, neque vt Vicarius, à quo iam amotus fuit, neque vt Prouicarius per modum prouiſionis, quod enim alicui prohibetur vna via, ad idem alia redire non licet, ex vulgatis iurib. neque ex eadem cauſa debent oriri diuerſi, & oppoſiti effectus *l. Meminerint C. vnde vi. l. Quod Labeo ff. de compenſ.*

187 Quæres 40. An Apoſtata ratione apoſtaſiæ, ſi habitum retineat, de iure commun ſit excommunicatus? Hanc quæſtionem reſolui in priori tomo *reſ.41. n.29.* negatiue, & nonnulla ad id ſpectantia tetigi *reſ.35. nu.17.* Tamen quia Peyrinus de *Subdito q.1. c.26. §. Dico 1.* multis argumentis conatur probare Apoſtatam ipſo iure, & ipſo facto, excommunicatum eſſe, ſiue habitu retento, ſiue dimiſſo, ideò neceſſe eſt eius argumentis reſpondere; ſupponam autem ſuccinctè nonnulla, quæ faciunt ad præſens negotium.

188 Apoſtaſia à religione eſt retrocesſio facta à religioſo profeſſo cum intentione relinquendi & deſerendi propriam religionem, ſiue animo tranſeundi ad aliam, ſiue retrocedens retineat habitum, ſiue illum reiiciat. Docent omnes, *quos citaui ea reſolutione 41. à numero 9. & ſeq. & concordat. Peyrin. loco citato. Tambur. tomo tertio diſp.8. q.1. quæ n.12.* benè probat ex Clem. VIII. de caſib. reſeru. pro regularibus habitus retentionem, ſeu dimiſſionem nihil facere ad apoſtaſiam, ſed eſſe quid illi extrinſecum. Verba Clementis ſunt hæc. *Apoſtaſia à religione ſiue habitu dimiſſo, ſiue retento.* Ecce, quod concipi, & intelligi poteſt Apoſtaſiæ vitium abſque vllo conceptu habitus religioſi.

189 Paulus Papa IV. ſua conſtit. incip. *Poſtquam diuina,* quam ad verbum refert *Tambur. tom.3. diſp.8. q.fin. & ex parte Nald. ver. Profeſſio, quam explicant Confeſſ. tit.13. capit.19. & ſeq. Rodr. tom 1. quæſt.30. art.4. cum ſuo Compend. reſolut.11. nu.4.11.12. Mirand. tom.1. q.57. art.1. ad finem Sanch. lib.6. cap.3. num.10. & 30. Bonac. de Clauſur. q.2. p.11. §.4. Peyrin. de ſubdito q.1. cap.26. concl.4. Lezana tom. 1. capit. 16. numer. 12. contra* Apoſtatas impoſuit pœnas priuationis ipſo iure omnium beneficiorum, officiorum, & graduum etiam ante ingreſſum religionis obtentorum, & impoſterum obtinendorum, cum omnibus prouentibus, & redditibus ſuis; & perſeuerantes in Apoſtaſia ab executione ſuorum ordinum ſuſpendit; eoſque recipientes, conſilium, fauorem, & auxilium dantes excommunicationi ipſo iure nulli tamen reſeruatæ ſubiecit, & multa alia contra ipſos ibidem ſanciuit, nunquam tamen illos dixit excommunicatos, neque excommunicationi ibidem ſubiecit. Sed quoniam poſtea Pius IV. in ſua incip. *Sedis Apoſtolica* apud dictum Peyrin. extenſa prædictam Pauli IV. conſtitutionem reduxit ad terminos iuris communis, de illa modo curandum non eſt apud Regulares etiam Minimos,

quia

quia declaratio, quam ex parte refert *Peyrin.cit. & totum Confe.l.c.*20.facta fuit à Protectore die 10.Apr.1559. Moderatio verò Pij IV. de an.1563.& ſicut reduxit Bullam Pauli IV. ad terminos iuris, ita etiam reduxit ad eoſdem declarationem ad illam conſequentem, non obſtante Bulla in tantum acceptati à regularibus, in quantum non reuocantur, vel moderantur à ſummis Pontificibus.

190 Peyrinus ergo loco citato *de Subd.qu.*1.*c.*26. probat primo Apoſtatam licet retineat habitum, eſſe excommunicatum iure communi *ex c. Vt periculoſa, Nec cler. vel mon. in* 6. quia ideo in eo capite excommunicantur dimittentes temere habitum ſuæ religionis, vt illis ſubtrahatur periculoſa vagandi materia, ergo ſiue habitu retento, ſiue dimiſſo libere recedendo ad euagandum excommunicatus erit; nam tam pernicioſa eſt vagatio cum habitu, quam ſine illo, imò magis pernicioſa cum habitu, ex quo & ſibi, religioni nocet, ſine habitu verò ſibi ſoli nocet.

Ad hoc argumentum conceſſo antecedente negatur conſequens, & conſequentia, cum nequaquam conſequens inferatur ex illo antecedente cum quo nul-

195 lam habet connexionem, vt conſtat ex eo, quod in lege qualibet duo ſpectari poſſunt, vnum eſt finis, & motiuum, quo legiſlator ſe reſoluit ad legem condendam, vocatur id mens legiſlatoris, qua lex declaratur, ampliatur, reſtringitur, ſeu regulatur. l. *Cum pater* §. *Dulciſſimus ff. de legat.*3. *Nau. conſ.*8. *de filiis praesbiter Sanch. li.*2. *diſp.* 37. *num.*3. Alterum eſt materia præcepta, vel prohibita, quam intendit obſeruandam eſſe à ſubditis, & ſi in ea apponatur pœna ipſo iure incurrenda afficit ſubditum ſtatim ac materiam prohibitam tranſgreſſus fuit, exemplum ſit in lege prohibente percuſſionem clerici, nam primum in ea ſpectatum à legiſlatore fuit conſeruatio decoris, & honoris ſtatus eccleſiaſtici, nam honor, & reuerentia clericis deferenda, & horum conſeruatio mouit ſummum Pontificem ad concedendum illum canonem pœnalem afficiendo excómunicatione percuſſores clericorum, alterum igitur erit ipſa res prohibita ſub ea pœna nimirum iniectio manuum violentarum in clericum ſuadente diabolo, hæc ſola hic directe eſt materia legem conſtituens in genere prohibitiuo, conſequenter pœna adiecta reſpicit ſolam rem prohibitam, ex quo fit, vt pœna incurratur præciſe, & ſolum ex iniectione peccaminoſa, non autem ex dedecore, ſeu irreuerentia in clericum illata, cum in eo canone non prohibeatur, neque præcipiatur honor deferendus ſtatui clericali, ſed aliunde ſupponatur, & ſolum motiuum, & finis, quo legiſlator motus fuit ad condendum illum canonem. Ita moralizandum eſt in caſu noſtro, illa enim duo ſpectantur, finis, & motiuum ſubtrahendi regularibus occaſionem vagandi, ſolent autem religioſi liberius vagari, quando deponunt habitum, quoniam autem nulla pœna antea impoſita erat contra dimittentes habitum, & vagantes, ideò Papa volens huic malo remedium adhibere expreſsè prohibuit depoſitionem habitus ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, vt religioſi ſi non amore virtutis, ſaltem formidine huius pœnæ, quæ grauiſſima eſt retraherentur à vagatione, quæ illis multum periculoſa eſt, & hoc eſt, ſecundum nempe dimiſſio habitus, quod proprie, & formaliter hic prohibetur, non autem vagatio, quæ ſolum eſt motiuum, & ſupponitur aliunde prohibita titulo clauſuræ ab omnibus religioſis ſeruandæ. Quis enim negabit diuerſitatem inter fugitiuum, & apoſtatam, atque vtrumque eſſe vagabundum, & nihilominus nemo dicet fugitiuum cum habitu incidere in excommunicationem iure communi? Fugitiuus ergo eſt vagabundus, & ſi non dimittat habitum, excommunicatus non eſt, ergo ex vagatione cum retentione habitus non infertur excommunicatio. Et ſic patet ad argumentum Peyrinij; quod ſubdit, vagari cum habitu eſſe quid pernicioſus, quam eo dimiſſo veriſſimum eſt, ſed inde nihil ad propoſitum inferre poteſt, quia non vagatio, ſed ſola habitus depoſitio cum vagatione prohibetur ſub ea cenſura Confirmatur à ſimili in exemplo allato. nam iniurians verbis clericum ſine dubio inhonorat ſtatum Eccleſiaſticú, & tamen non afficitur excommunicatione, non obſtante, quod Papa eam appoſuerit pœnam motus ad conſeruationem ſtatus Eccleſiaſtici in ſuo decore, & exiſtimatione honoris, ratio eſt, quia ibi ſub ea cenſura prohibetur ſolum percuſſio clerici, irreuerentia verò aliunde ſupponitur prohibita.

Probat ſecundo ex Priuilegio Inno. VIII. & Sixti IV. quæ refert Caſarubius v. Apoſtatæ ab ordine, in quibus excommunicantur ipſo facto apoſtatæ, citando ad hoc *Mirand.tom.*1.*q.*51.*art.*1.*Sanch.li.*6.*c.*8 *nu.*11. *Coriolanum caſu* 2.*de caſib. reſeru.numer.*14.*Nal.ver.Religioſus n.*32.

Ad hoc reſpondetur, illa priuilegia eſſe peculiaria 192 illarum religionum, & non communia omnibus, non autem loquimur de iure communi. Præterea abiiſſe videntur in diſſuetudinem, nam Iulius II. excommunicauit apoſtatas ordinis Prædicatorum, vt videre eſt apud dictum *Caſarub.nu.*23. & tamen in eorum conſtitutionibus *diſt.*1.*c.*1.*text.*1. iure Pontificio ſupponuntur non eſſe excommunicatos, quia ibi ſtatuto regulari excommunicantur, vt refert *Romigius Seroſa in ſuis ſolut. q.*39. *n* 4.*notab.vide Portel.v. Apoſtata n.*4. Ad Mirandam dico illum eſſe illius opinionis in fine articuli primi citando pro ſe gloſam ſuper dictum *ca.Vt periculoſa*, quæ verò hoc dicit verbo, Dimiſſio, quia ait communicare in crimine, ſed reuera non eſt, quia textus ſatis clarus eſt, & pœnæ non ſunt ampliandæ, ſubdit Mirand. Paulum, & Pium IV. apoſtatas ipſo iure excommunicaſſe, quod omnino falſum eſt ex ſupradictis. Fruſtra pro ſe citat Sanch. nam n.20. expreſſe aſſerit iure communi apoſtatam non eſſe excommunicatum. Ita etiam ſentit Coriolanus cum Sanch. & Naldo loquendo ſemper de iure communi.

Tertiò dicit, quod licet Apoſtata non dimittat habitum materialiter, illum tamen dimittere formaliter, quia religionem deſerit. Subdit, illud c. ferre excommunicationem principaliter in vagantes, vt patet ex proœmio continente cauſam finalem, propter quam lata fuit excommunicatio.

Sed prædicta aperte falſa ſunt, nam retentionem habitus realem nemo vnquam vocauit dimiſſionem formalem, cum ſit implicantia in terminis, deſertio enim religionis, quod apoſtaſia eſt, excludit rationem habitua à ſe, ſecundum ipſum Peyrinum ſupra. Deinde per dictam à ſe rationem videtur ſupponere aliqualem habitus dimiſſionem, Imò, vt ipſe dicit, formalem, ad incurrendam excommunicationem, ergo cum apoſtata quis eſſe poſſit, præſcindendo ab habitu, ex probatis etiam in eius ſententia, excommunicatus non erit quatenus apoſtata. Quod ſubdit iam ſuperius reiectum fuit, quatenus vult principaliter ferri excommunicationem in vagantes, aliter omnis vagus eſſet excommunicatus, quod ſine dubio falſum eſt; & licet propter cauſam formalem feratur illa excommunicatio, non ideò tamen actio vagationis, vt ſic, eſt inductiua cenſuræ, ſed dimiſſio habitus ibi principaliter prohibita eo motiuo, vt religioſus retrahatur ab occaſione vagandi, quæ maxime originem habet a depoſitione habitus; facit illud axioma. Finis legis non cadit ſub 193 præcepto legis. Exempli gratia finis, quo legiſlator mouetur ad ferendam legem ieiunij, eſt maceratio carnis, óbiectum verò, ſeu materia ieiunij præcepti conſiſtit in abſtinentia ciborum vetitorum tali tempore; qui ergo tali tempore ſe abſtinet à vetitis, licet non maceret carnem, neque etiam eam intendat, quia opipare viuit, & vtitur cibis conceſſis, gulæ indulgendo; tamen præcepto ſatisfacit per talem abſtinentiam à cibis vetitis, hoc enim ſolum præcipitur, & illud ſupponitur; ita in caſu noſtro in eo capite prohibetur depoſitio habitus, & vagatio alias ſupponitur prohibita.

Doctores aſſerentes nullam iure communi extare 194

pœnam excommunicationis, neque alterius cenſuræ, contra apoſtatas ratione apoſtaſiæ, ſed ſolum ratione dimiſſionis habitus, *ſunt Sanch. lib 6. cap.8. n. 20.* citans octodecim Doctores, *quibus adde Nald. v. Religioſus num. 31. Coriolanum caſu 2. de Apoſtaſ. n. 14. Bonac. q. 2. de cauſ. p. 11. §. 4 num. 1. Confeſſ. tit. 13. cap. 19. S. roſa in ſuis ſolution. q. 39. notab. 1. Compend. reſol. 11. num. 21. & 22.* contra Azor. & Portellum, nobiſcum *Lezana tom. 1. cap. 16. n. 11. Tambur. tom. 3. diſp. 8. q. 9. n. 5.*

Quæres 41 An Apoſtata ſit ipſo iure infamis? *Peyrinus cit. de Subd. q. 1. cap. 26. §. Dico Secundo*, dicit, quod Apoſtatæ antequam ſint reconciliati, ſunt ipſo iure [illegible], & repelluntur ab accuſatione, & teſtificatione, [illegible] *cap. 8. concl. 1.* [illegible] *cap. 2. Hoſtien. lib. 5 ſum. tit. de Apo. num. 3. Graſſ. lib. 3. de caſibus reſeru. cap. 2. num. 26. Coriol. par. 2. caſu 2. num. 14. Probat ex cap. Alieni 2 q. 7. cap. Beatus 3. q. 4. cap. Infames 6. q. 1.* Rationem adducit, quia religionem deſerentes, in qua virtutes vigent, videntur illas abominari, vnde digni non ſunt, vt illis fides adhibeatur. Ex quo infert illos poſtquam abſoluti fuerint, indigere diſpenſatione ad ordines.

195 Reſpond. Apoſtata non eſt infamis ex hoc capite, quia nullo iure ſubiiciuntur huic pœnæ, nam in iure *cap. Si quis 56. cap. Hi qui 63. diſt. 50.* prohibentur recipere ſtatum clericalem, & ibi ſermo eſt de Monachis qui tunc non erant clerici; cap. fin de apoſt. recipientes ordines ſacros in Apoſtaſia ſunt ſuſpenſi ab executione ordinis ſuſcepti, & ſunt diſpenſandi; *cap. fin. de regular.* mandatur ſuperioribus, vt illos ſingulis annis requirant, carcerent, & aliis pœnis ſubiiciant. Nullibi ergo reperitur huiuſmodi pœna infamiæ. Allegati autem textus loquuntur de apoſtaſia à fide, vt videre 5. q. 4. per totam. Nec ratio aliquid ſuadet, cum in pœnis clarum ius ſupponatur. Vt autem poſſit miniſtrare in ordine ſuſcepto, & in aliis recipiendis, ſpectat ad prælatum regularem diſpenſare, vt bene tradit *Peyr. cit. §. Reſpondeo.*

196 Quæres 42 Poſtquam Apoſtata rediit, & laudabiliter peracta pœnitentia ad meliorem frugem ſe reduxit, an poſſit abſque diſpenſatione eligi ad aliquod officium, vel prælaturam in religione? Vnus quiſque conſulat ſtatuta ſui ordinis, & apud quoſdam apponitur pœna priuationis vtriuſque vocis ipſo iure, auferenda ſolum in capitulo generali, adeſt etiam excommunicatio ſecundum ius commune, hoc eſt, ſi dimittat habitum, à qua etiam ſuperior localis poteſt abſoluere ſuum ſubditum reuertentem ſi habitum depoſuit; non eſt autem noua excommunicatio ſecundum ius commune, hoc eſt, ſi dimittat habitum, à qua etiam ſuperior localis poteſt abſoluere ſuum ſubditum reuertentem ſi habitum depoſuit; non eſt autem noua excommunicatio, ſed vetus iuris communis in dictis ſtatutis expreſſa, & regiſtrata, Itaque Apoſtatæ in noſtro ordine eligere non poſſunt, neque eligi, quia voce vtraque carent, conſequenter egent diſpenſatione, aliter nulla erit electio. *Peyrinus de Subdito q. 1. cap. 26. concl. 4.* negat apoſtatam reconciliatum eligi poſſe *ex cap. Legi 16. q. 1.* quod vocat multum conforme conſtitutioni Pauli IV. & declarationi factæ à Cardinali Alexandrino, & citat Silu. Anton. Paſſarel. & alios.

197 Reſpond. De iure communi apoſtata reuerſus, qui laudabiliter vixit in ordine, eſt eligibilis ex hoc capite; quia in iure nulla pœna reperitur, quæ illum repellat ab electione, non enim eſt infamis ex probatis, neque irregularis, vt probaui reſol. 41. num. 27. neque obſtat quod ſit ſuſpenſus ab executione ordinis, & indigeat diſpenſatione, quia huiuſmodi pœna reſpectu ordinum non eſt extendenda ad prælaturas, & officia ordinis, quia odioſa reſtringenda ſunt, & habilitatus ad ordines alia non indiget abſolutione, neque diſpenſatione. Ita cum multis docet *Sanchez lib. 6 cap. 83. n. 32.* Nec obſtat citatum cap. quia loquitur de monachis deſertoribus religionis ad quam non redeunt, permanentes eorum in Apoſtaſia prohibentur recipere ordines, & conſequenter etiam eligi ad dignitates, licet ibi nihil de his. Ad Bullam Pauli IV. & eius declarationem ſupra ſub n. 189. patet vtrumque reductum fuiſſe ad terminos iuris communis.

Quæres 43. An dedeceat ſtatum magnatis, Principis, & cuiuſuis Potentatus corrigere ſeipſum in facto proprio in damnum proximi perpetrato etiam inculpabiliter. Rex e.g. aufert vrbem Duci, à quo eam nullo iure auferre poteſt. Papa deponit Epiſcopum, eo quod per proceſſum ſibi conſtat mereri talem pœnam. An cognita vere vtriuſque innocentia debeant reſtituere vtrumque ad priſtinum ſtatum, an vero id dedeceat eorum maieſtatem?

198 Reſp. Nequaquam dedecet Magnatem, ſi reuocet, quod male geſſit, ſiue ex culpa propria, ſiue alterius deceptus, & tenetur ſpoliatũ iniuſte reſtituere. Probatur, quia retractare male actum abſurdum non eſt, ſed prudentis, *c. Magna, 10. 22. q. 4. Magna* inquit, S. Aug *ſapientia eſt, reuocare hominẽ, quod male locutus eſt.* Deinde ſententiam Romanæ ſedis in melius commutari licet, *cap. Sententiam 6. 35. q. 9.* vbi multa de retractatione male actorum. Denuum ipſemet Pontifex *cap 19. de offic. ordin.* dicit, quod nuſmetipſi debemus corrigere, quæ male fecimus; & Imperator ibidem allegatus *à Gloſſa v. Per te ipſum, ex Authent. de nupt.* hæc dicit. *Non enim erubeſcimus corrigere, quæ prius diximus, nec ab aliis corrigi expectare volumus.* Etiam ipſe Deus, qui immutabilis eſt, quandoque ſua mutat ſtatuta, *cap. Immutabilis Deus 9 2. 22. q. 4.* Et cum huiuſmodi ſupremæ poteſtates non ſint vtquequaque domini, ſed ſuam poteſtatẽ iuſte exercere teneantur, neque enim alicui domini ſunt, ſed rectores, & diſpenſatores, ideo caute agendum in iis, quorum ius qualecumque ſit acquiſitum habent.

Quæres 44. Quidam Benefactor inſcius Fratribus, quorum eccleſiæ benemeritus erat, obtinuit Altare priuilegiatum à Sede Apoſtolica pro eorum eccleſia. Poſtmodum Prior notitiam habens huiuſmodi altaris obtenti, nihilominus ipſe aliud obtinuit eiuſdem tenoris, & gratiæ nullam faciendo mentionem de alio ſimili obtento a benefactore. Quæres, inquam, vtrum illorum valeat, & futurum ſit vtile eccleſiæ? Suppono autem obtentum a benefactore impetratum fuiſſe abſque vlla commiſſione data a religione, neque acceptatum fuiſſe à ſuperiore regulari. Item ex parte religioſorum eorum Altare nullam continere clauſulam derogatoriam præcedentis, neque eam clauſulam, per quam poſteriori derogatur, ſi alias eccleſia ſimili alio priuilegio gaudet. Quibus poſitis.

199 Reſpond. Secundum priuilegium altaris priuilegiati obtentum a ſuperiore regulari tenet, & valet in derogationem prioris, quando religioſi volunt vti proprio, quamquam alioquin vti poſſint priore benefactoris, ſi volunt, reiecto proprio. Duo autem altaria priuilegiata in eadem eccleſia habere non poſſunt. Quod ſecundum valeat probatur; & quia obtentum eſt à patronis eccleſiæ; & quia licet ſecundum reſcriptum obtentum ſine expreſſione primi per aduerſarium non valet *cap. Ceterum, de reſcr.* id tamen non poteſt obſtare caſui noſtro, in quo non eſt ſermo litis inter actorem, & reum, vt in caſu præcitati capitis; & quia primum obtentum fuit ſine licentia religioſorum, qui non coguntur illud acceptare, ſi nolunt, beneficium enim non confertur in inuitum. *l. Inuitus §. Quod cumque ff. de regul. iur.* & quia ille benefactor nullum ius habet in eccleſia regulari, ergo nulla ratione poteſt cogere regulares ad acceptandum priuilegium, quando illud reſpuunt. Quod eadem eccleſia duabus priuilegiis huius generis non poſſit gaudere, alia ratio non videtur aſſignari niſi quia id non practicatur, congruentia poteſt eſſe, quia videtur tale priuilegium duplicatum inutile, cum per vnicum præſtari poſſit quicquid præſtaretur ab ambubus.

RESOLV

RESOLVTIO LVII.

De Professione Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Professio multis modis dicitur.*
2 *Ingressus religiosus dicitur.*
3 *Matrimonium spirituale à quo tenet argumentum.*
4 *Contractus spiritualis onerosus.*
5 *Professio definitur.*
6 *Papa solus recipit ad professionem.*
7 *Sacra Congregatio non recipit, neque.*
8 *Legatus à Latere, neque.*
9 *Protector, cuius est.*
10 *Conseruare religiones.*
11 *Episcopus non potest recipere exemptas.*
12 *Vtique sibi subiectos.*
13 *Moniales etiam alias exemptas*
14 *Licentia superioris pro valore professionis.*
15 *Consensus maioris conuentus partis.*
16 *Aliter nulla professio.*
17 *Consilium collegarum secundum est.*
18 *Sufficit consensus maioris partis.*
19 *In ea non includitur superior, si non vocce.*
20 *Altero contradicente nulla professio.*
21 *Consensus conuentus est de iure communi.*
22 *Et Speciali omnium fere ordinum.*
23 *Mei praesertim ordinis.*
24 *Consilium hic idem quod consensus.*
25 *Acceptio fit à conuentu nouitiatus.*
26 *Ab vtroque si diuidatur.*
27 *Reiectus à priori recipitur in secundo.*
28 *Superiores locales recipiunt de iure communi.*
29 *Delegatur hac facultas.*
30 *Iure speciali ad maiores.*
31 *Superior non habens facultatem inualide recipit.*
32 *In meo ordine.*
33 *Habens ius valide recipit contra prohibitionem.*
34 *Nulla si adsit decretum irritans.*
35 *Exploranda puella ante receptionem.*
36 *Episcopus suis prohibet eo modo quo regularis*
37 *Contra exemptas nihil potest per Decretum.*
38 *Dignam recipere cogi possunt.*
39 *Libertas, sed voluntas sufficit in admittentibus.*
40 *Opulentum carens religiosi cogi potest.*
41 *Praelatus non potest supplere consensum conuentus.*
42 *Vtique vero minoris superioris cum eo conuentus.*
43 *Inferiores agere possunt contra maiorem ad receptionem.*
44 *Inhabilem recipere cogi non possunt.*
45 *Vota illegitima reiiciuntur ad partem dissentientium.*
46 *Non est actus canonica electionis. 59.*
47 *Sola professio sufficit ad suffragandum.*
48 *Praelati absentes suffragantur.*
49 *Hodie veniens eras dat votum nouitio.*
50 *Praelatus voce, vel absens potest dare suum votum.*
51 *Taciturnitas conuentus an reputetur consensus.*
52 *Receptio ad professionem duo importat.*
53 *Taciturnitas nihil prodest.*
54 *Tacens quando consentire dicitur.*
55 *Diuidens nouitiatum vtrobique recipitur.*
56 *Taciturnitas non sufficit.*
57 *Tacens consentire non dicitur in quinque casib.*
58 *Vota publica alias secreta non vitiant professionem.*
59 *Canonica electio non est 46.*
60 *Consensus reuocabilis.*
61 *Non reuocatur sine licentia praelati.*
62 *Consensus illicitus validus est.*
63 *Consensus nouus non requiritur in ratificatione.*
64 *Etiamsi ab initio defuerit.*
65 *Professio nulla cum pacto vsque ad tot annos.*
66 *Cum pacto retinendi proprium, non autem si vsum.*
67 *Testamentum fit per propriam voluntatem.*
68 *Voluntas nouitij contra cum exponitur in dubio.*
69 *Professio emissa in dubio censetur valere.*
70 *Cum pacto manendi in proprio domo tenet.*
71 *Reuersi tenentur reprofiteri.*
72 *Data in eo destructa fuit prior professio.*
73 *In secunda religione transiens ad priorem.*
74 *Praelati reuertuntur sine noua professione.*
75 *Electi pariter.*
76 *Testes non sunt de valore professionis.*
77 *Hermaphroditi professio nulla.*
78 *Bigamus potest profiteri in religione.*
79 *Nouitius ignorans ex hoc non repellitur.*
80 *Statutum inhabilitans ad professionem valet.*
81 *Fit in solo capitulo Generali.*
82 *Timens perdere alimenta nulliter profitetur.*
83 *Preces importunae saepius repetitae irritant professionem.*
84 *Professio infirmorum infra probationem obstat Tridentino.*
85 *Informationum omissio innocentis non irritabat illam.*
86 *Scriptura vtilis pro nouitio, & religione.*
87 *Testes in professione quicumque sufficiant.*
88 *Priuilegium profitendi infra annum non minuit aetatem.*
89 *Nouitiatus non continuatur professioni.*
90 *Tridentinum cap. 16 sess. 25. exponitur.*
91 *Professio dilata sine causa tenet.*
92 *Professio emissa ab eo qui seculum reliquit ex inimicitia tenet.*
93 *Metus incuti debet ad extorquendum votum professionis.*
94 *Item matrimonium*
95 *Item votum in aliis.*
96 *Occasio, & causa differunt.*
97 *Metus incussus ad hoc quomodo cognoscatur.*
98 *Metus ex parte admittentium non inficit professionē.*
99 *Libertatem plenam multa requirunt.*
200 *Voluntas coacta seu turbata adhuc voluntas est.*
101 *Voluntas duplex libera, & sine libertate.*
102 *Incorporatio nouitij fit à solo praelato.*
103 *Professio quando dicatur claudicare.*
104 *Contractus quandoque claudicant.*
105 *Matrimonij consensus mutuus essentialis.*
106 *Nouitius expellendus non est qui locum nolait cedere.*
107 *Praelatus cogit ad receptionem nouitij habilis.*
108 *Negligentia superioris p.m.*
109 *Cedere praecedentiam nemo cogitur.*
110 *Renuntiatio est stricti iur.*
111 *Laesionem probans restituitur.*
112 *Superiores maiores recipiunt ad professionem.*
113 *Locumtenens recipit nouitium si poterat Prior.*
114 *Receptio nouitij ad professionem duo importat.*
115 *Receptio ad professionem delegabilis etiam laico.*
116 *Laicus quomodo capax spiritualium.*
117 *Ratihabitio de praesenti sufficit ad profitendum 45.*
118 *Ratihabitio quid, & qua ad ea requiruntur.*
119 *Ratihabitio de futuro non habet locum. 43.*
120 *Ratihabitio de praesenti quid.*
121 *Ratihabitio, & Ratificatio differunt.*
122 *Ratificatio à diuersa ab hominis &c.*
123 *Aetatis defectus impedit retractum.*
124 *Ratihabitio de futuro non habet locum in professione.*
125 *Professio non potest stare in pendenti.*
126 *Ratihabitio de praesenti stat cum professione.*
127 *Morbo gallico professus non est expellendus.*
128 *Dolus dans causam professionem non irritat.*
129 *Dubius de valore professionis stare tenetur.*
130 *Excommunicatus profitens, vel recipiens quomodo peccet.*
131 *Excommunicati professio tenet.*
132 *Procuratore non emittitur professio.*
133 *Vtique vero in opinione aliorum.*

PRofessionis nomen pro artium exercitio, prout vulgus hanc vocem vsurpat, hic non accipitur, sed pro quadam spirituali sui ipsius in Deum publica oblatione, qua quis de statu laicali, aut alio transit ad statum religiosum. De ea confeci tractatum in septem capita distributum, typis Mediolanensibus editum in lucem anno 1635. & quia pauci inueniuntur libri, meliora, & digniora scitu huc transferre censui ad vtilitatem regularium. Quare iuxta stilum præteritum.

Quæres 1. Quot nominibus appelletur professio?

1 Respond. *Primo* dicitur tonsura, quia apud quasdam religiones tondentur capilli profitentibus, *cap. Agatha 17.27.q.2.c. Constituit 39.16.q.7. c. Monasterium 7. 19.q.3. cap.1. 20.q.2.cap.1. & 2.de regul.& colligitur ex Act.c.18. n.18.* illis verbis. *Qui sibi totonderat in Cenchris caput,* habebat enim votum. Secundo dicitur habitus religionis, *c. Ad nostram, cap. Super eo, cap. Cum virum. cap. Consulti, cap. Statuimus, de regular.* & hoc ad differentiam habitus non tam secularium, quam nouitiorum, qui gestant habitum diuersum saltem quo ad aliquam sui partem seu in forma, seu in colore, nouitij igitur per receptionem habitus professorum dicebantur facere professionem, ex quo dicitur habitus professorum, *cap.3. de regul in 6.* habitus monachalis respectu monachorum, *cap Cum simus, cap. Sicut. cap. Ex parte, de regul.* vestis religiosa *cap.1.20.qu.3.* indui cuculla est profiteri *cap. Præsens 4.20. qu.3.* respectu verò monialium dicitur habitus virginitatis respectu virginum *cap. Cum virum de regul.* Velamen respectu fœminarum *cap. Illud 20 qu.1. ca. Puella ead. qu.2. Tertiò* dicitur votum, *cap. Porrectum, cap. Significatum, de regul. cap. Qui post, ead. in 6. cap. Vn. de voto in 6.* quia aliquis non potest assumi ad statum religionis, nisi voueat solemniter. *Quarto* vocatur propositum, *cap.2.16.quæst.1. cap.1.19. qu.3. cap. Quod Deo 35 qu.5. cap. Veniens 19.* de regular. *Quinto* dicitur creatio monachorum *cap. fin. de regul. in 6.* quia per professionem religiosus moritur mundo, & incipit per spiritualem creationem viuere Deo. *Sexto,* dicitur vita regularis cap. Veniens de regular. quia nouitius per professionem propriè incipit viuere vitam regularem. *Septimo* vocatur obseruantia regularis, quia ad hanc solus professus tenetur, cap. Scripturæ, de voto. *Octauo* nuncupatur promissio obedientiæ, cap. Consulti, qui eleg. non quia hæc tota sufficiat ad constituendum aliquem professum, sed quia inter tria vota de substantia religionis, obedientia est principale continens alia duo. *Nono* dicitur benedictio, quæ datur virginibus cum velantur, *cap. Cum virum, de regul.* & quia habitus professorum benedicitur, non nouitiorum, apud aliquas religiones, in aliis benedicitur nouitiorum, non professorum habitus, vt in nostra, in qua non distinguuntur habitus professorum, & nouitiorum. *Decimo* dicitur ingressus in religionem, *cap. Quia ingredientibus 19.q.1. cap. Si qua mulier, ead. cap. Si quis incognitas 17.quæst.2.* & in iure nomen ingressus

2 importare professionem docet *Sanchez lib.5.cap 5.num.12.* & ad hoc facit vsus locorum deputatorum pro nouitiatu, nam per professionem recedentes a nouitiatu transeunt ad professos, & eorum habitionem ingrediuntur, & eam illis degunt vitam regularem, quod eis non licebat in anno nouitiatus. *Vndecimo* dicitur traditio in manibus Abbatis cap.1.27. q.2. nam quando nouitius profitetur proprias manus iunctas habet inter manus superioris professionem acceptantis. *Duodecimo* dicitur fuga à seculo, *cap. Cum illorum de sent. excom. Decimotertio* vocatur matrimonium spirituale ad differentiam matrimonij carnalis, sicut enim in hoc contrahentes se inuicem obligant mutua traditione corporum, ita & in illo profitens, & religio reciproca obligatione se contingunt, vnde dicunt Doctores,

3 quod valet argumentum à matrimonio carnali ad matrimonium spirituale, quod est professio, vt colligitur *ex cap. Hæc verò 9. cap Quæ 10.27 quæst.1.* Doctores citat Vecchius *dissertat.12. de Nouitiis dub 1 numer.6.* Ego *capit.1. de profess.regul.quæst.51.* Procedit argumentum, vbi est par ratio, aliter non tenet, vnde in professione malitia non supplet ætatem, quæ debet esse decimus septimus cæptus, in matrimonio verò carnali, malitia supplet ætatem cap. Puberes, de despons. impub. ratio diuersitatis est, quia matrimonium carnale est appetitui naturali multum conforme, ac proinde vinculum non multum laboriosum, sicut est professio valde onerosum, arduum, & difficile contrarium appetitui sensitiuo, vt quod prohibet vsum carnalis copulæ, consequenter ad deliberandum requirit plenam ætatem.

4 Denique professio vocatur contractus non gratuitus, sed onerosus, vltro, citroque obligatorius, quo professus se Deo constringit, & obligatum religioni in perpetuum, & religio ipsa vice versa nomine Dei se obligat ad retinendum, & alendum religiosum, si se bene gesserit, & vitam traducet religiosam. *Ita Nau. consil 26. de regul.n.1. Rodr.tom.3.qu.13.art.12.§. Circa eadem, Perrin. de Prælato q.3.c 1.n.160. Sanch.l.7.disp.25.n.12. & l.5. c.4.n.62. Vecch.disp.12. de Nouitiis dub.1.a.1. Portel.v.Profess.n.7.*

5 Est autem professio solemnis promissio Deo voluntariè facta à nouitio post annum probationis in legitima ætate constituto de tribus substantialibus votis obedientiæ, paupertatis. & castitatis in aliqua approbata religione à sede apostolica, recepta ab habente potestatem incorporandi nouitium religioni. Ex hac definitione resoluuntur infra quamplurimæ difficultates eum autem explicauerim in Tractatu *de profess. Regul. cap.1 quæstione 2. & Resolut.85. ad qua loca remitto lectorem.*

Quæres 2. An Papa contradicente etiam regulari prælato, & cæteris religiosis per se solum possit recipere professionem alicuius nouitij, & incorporare illi Religioni, cuius professionem fecit?

6 Respond. Affirmatiuè, probatur. Tum quia Papa omnia potest, vt aiunt, *ex cap. Cuncta 17. & 18.9.q.3.* quæ non implicant contradictionem; ergo potest etiam recipere professionem cuiuslibet nouitij. Tum quia non recipere nouitios ad professionem est edictum prohibitorium; nullus autem potest prohibere summo Pontifici. Tum quia, vt propriùs loquar, solus Papa approbat, & dat esse Religionibus, *cap. fin. de Relig. dom. & cap.1.*

cap.1.eod. in 6. ergo & solus potest approbare religiosos, consequentia est a coniugatis. Tum quia Papa est supremus prælatus omnium Religionum in se eminenter continens omnem potestatem, quam habent superiores regulares, ac proinde etiam quamlibet aliam virtutem, qua subditi quoque gaudent in Religione, & hoc absque vlla dependentia ab ipsis religiosis, quare sicut subditi cum suo superiore possunt admittere nouitios ad profitendum, perfectiori modo ipse solus Papa, qui suam potestatem à nullo limitatam, aut dependentem habet nisi à solo Deo, à quo eam immediatè recepit, *cap.Nouit.13. de iudic.* sunt enim religiosi Papæ subiecti *cap.Per principalem 21.9. qu.3.* & est prælatus supremus omnium superiorum, & subditorum religiosorum, vnde dicitur illorum Generalis Prouincialis, & superior localis, *Sotus lib.8. de iust. q.5.art.1. ex illo Rodr. tom.1. q.22. art.6. Nauar. consil.8. de statu mon. numer.51. Sanch. libr 4 cap.24. numero 20. docui ego capit.2. quæst.2.* Et hoc procedit etiam sine vllo nouitiatu.

Quæres 3. An Sacra Congregatio præposita negotiis regularium possit alicuius nouitij professionem recipere?

7 Respond. Negatiue, Tum quia non potest religiosos destituere, & à Religione repellere, ergo neque nouitios instituere professos. Tum quia eorum potestas est pro foro contentioso, ac proinde iudices sunt constituti in certis causis ad eos relatis; sed receptio nouitiorum ad professionem est actus gratiosus voluntariæ potestatis, spectans ad superiores, vnde vocant actum superioritatis, non iudicij, Denique nullibi expressè conceditur illi hæc facultas, ergo neque ab ea vsurpanda est. *Ita Nauar. consil.37. de regular.§.Sexto. Ego cap.3.q.3.*

Quæres 4. An Legati à latere recipere possint alicuius nouitij professionem?

8 Respond. Negatiue, ob adductas mox rationes contra Sacram Congregationem, quæ faciunt pro præsenti casu. Nec obstat, quod Legati à latere habeant iurisdictionem in exemptos. *glos.v. Vniuersas cap.1. de off. legati, & v. reseruata, post med. cap.4 eod. cap.Si abbatem de elect. in 6. Rodr. tom 2. qu.63. art.4. Peyrin. ad constit 2. Sixti 4. num 8.* vnde illos censuris punire possunt, provt *dicens resol.78. num.65.* Quia in his, quæ spectant ad professionem, non vt iudex, sed vt superior nomine Religionis contrahens cum nouitio profitente procedit. Sine ergo speciali mandato non se possunt ingerere in professione nouitiorum.

Quæres 5. An Protector possit recipere professionem alicuius nouitij, aut saltem præcipere vt recipiatur?

9 Respond. Negatiue, ob rationes adductas in præcedentibus, & ratio alia potest esse, quia nunquam occurrunt huiusmodi casus, nisi quando Religio nouitium reiicit tamquam indignum, vel inhabilem, ergo nulla ratio suadet, quod protector se ingerat in hac causa, datur enim protector vt protegat, & tueatur iura Religionis, quæ suæ protectioni se subiecit, ergo si aliter facere attentat iam non est protector, & conseruator,

10 sed destructor, & dissipator regularis disciplinæ. Dantur enim religionibus Protectores, vt eas tueantur ab iniuriis, molestiis, & grauaminibus, quæ ab aliis inferri possunt, *Gemin. consil.81. in fine v. Nec obstat. Tuschus v. eod. Vide Peyrin. de Subd. qu.1. §.2. & 3.* vbi multa de Protectoribus, referentem ad verbum Bullas Greg. XI. & Sixti IV. de potestate limitata protectorum, Lezanam tom.2.cap.9. nihil de præsenti casu. In casu quod nouitius habilis esset, & ex odio reiiceretur à Religione, posset tunc Protector agere ad receptionem cum superiore Religionis, non tamen cogere voluntates subditorum, neque per se recipere, neque prælatus regularis valide id facere omisso consensu religiosorum conuentus, vbi egit exclusus annum probationis, vt dicam infra.

Quæres 6. An Episcopus possit recipere ad professionem nouitios, & nouitias moniales. Intelligi potest casus de masculis, & de fæminis tam subditis, quam exemptis ab Episcopo.

11 Respond. Episcopus non potest recipere professionem nouitij, vel nouitiæ sibi non subditis, & exemptis; sibi vero subditis siue masculis, si quos habet conuentus, siue monialibus potest per se, vel dando licentiam Abbatissæ vt possit recipere, iuxta instituta vniuscuiusque ordinis, & hoc procedit etiam respectu earum monialium, quæ antea erant subditæ regularibus ex institutione regulæ, & postea suppositæ fuerunt ordinario.

Primum de nouitiis vtriusque sexus exemptis ab Episcopis, & immediate subiectis superioribus regularibus, nullatenus recipiendis ad professionem per Episcopos, probatur, quia recipere ad professionem est actus superioritatis, vt aiunt doctores, seu etiam iurisdictionis respectu prælatorum, sed Episcopus non habet superioritatem, neque iurisdictionem in exemptos, vt notorium est, ergo neque nouitiorum professionem recipere potest. *Ita Gemin. in cap. Constitutionem, de regul. in 6. Nauar. consil.40. de regul num.1. Rodr. tom.3. q.17. art.11. cum suo Compend. resol.101. num.63. Sanch. lib.5. cap 4.num.74. Silu. Religio 4.q.14. Cuchus lib.1.instit. tit.1. per regul. num.62. quos refert Vecchius disp.14. de nouit. dub.1.n 21.*

12 Secundum, quod nouitiorum sibi subiectorum recipit professionem, probatur, quia receptio nouitiorum ad professionem fit per suos superiores, *cap. Consuluit, cap. Insinuante, Qui cler. cap. Porrectum 13. de regul. cap. Ad apostolicam 16.eod.* sed tunc Episcopus est superior, ergo in eius manibus facienda est professio. *cap.Viduitatis 36. 27. qu.1. cit. cap.Consuluit 4. Doctores præcitati Aphor. Episcoporum v. Professio num.4. & alij communiter, Nau. consil.46. de regul n.1.*

13 Tertium, quod Episcopus possit recipere professionem earum nouitiarum, quæ olim erant subiectæ regularibus, quamuis in Regula monialium habeatur, quod professio nouitiarum recipiatur ab Abbatissa de licentia superioris eiusdem ordinis, suadetur, quia Papa subiiciendo moniales, & alias personas intra clausuram existentes olim sub regimine regularium superiorum, ordinariis, & Episcopis, in istos transfert omnem potestatem, & iurisdictionem, quas habebant antea superiores regulares, subrogatus enim in locum alterius, sapit naturam eius, in cuius locum subrogatur ex vulgatis iuribus, ac proinde acquirit ea omnia iura, quæ habebat antecessor. Et in hoc nulla potest esse difficultas.

Quæres 7. An ad valorem professionis requiratur non solum licentia, seu votum superioris, siue ille sit Episcopus, siue prælatus regularis, vnusquisque respectu suorum subditorum, verum etiam consensus monasterij, in quo educatus fuit nouitius, seu nouitia?

14 Respond. Non solum necessaria est licentia; superioris, seu eius votum ad profitendum, sed præterea requiritur etiam consensus maioris partis illius monasterij, in quo educata fuit persona nouitij, aliter attentata professio sine voto vnius, vel alterius partis, est ipso iure nulla, ita quod contradicente superiore, conuentus valide non potest recipere ad professionem, neque superior, contradicente maiori parte conuentus.

Primum, quod requiratur licentia superioris, patet ex cap. Consuluit 4. cap. Insinuante fin. Qui cler. vel mon. cap. Porrectum 13. cap. Ad apostolicam 16. de regul. ratio est, quia nouitius per professionem incorporatur Religioni, cui se subiicit, & religio se obligat ad illum alendum, & tractandum vt filium, hoc autem fieri non potest sine alterius consensu, qui talem traditionem acceptet à nouitio, is autem erit superior, & caput monasterij, ergo sine illo nouitius profiteri non potest, & in hoc conueniunt omnes doctores infra citandi.

15 Secundum, quod requiratur consensus maioris partis conuentus, probatur *per cap. Congregatio fin. 16. qu. 7.* & si videatur textus loqui de ordinatione ad abbatiam, bene etiam quadrat de ordinatione ad professionem; *Glos. v. monachum cap. Porrectum 13. de regular. Gloss. 1. cap. fin. de regul. in 6.* Ratio est, Tum quia caput nihil debet agere sine consilio, & consensu suorum membrorum, qui sunt subditi *cap. Nouit. 4 cap. Quanto 5. & cap. Ea noscitur 6. de iis, quae fiunt à praelatis.* Tum quia quod omnes tangit ab omnib. s approbari debet, reg. 29. in 6. quod autem aliqua persona recipiatur in conuentu, & incorporetur Religioni cum obligatione sustentandi, & alendi illam, non tantum tangit superiorem, quam subditos, de quorum praeiudicio agitur, ergo istorum requiritur consensus. Tum quia in quibuscumque aliis congregationibus, & collegiis nullus recipitur sine consensu maioris partis collegarum, ergo neque in religionibus aliter faciendum est, cum id sit rationabile ac proinde à religiosis praesertim praestandum. Tum quia id apertè colligitur ex tribus Bullis Pontificiis, Sixti V. incip. *Cum de omnibus.* Incip *Ad Romanū* Gregorij XIV. incip. *Circumspecta*, quas extendit *Quar. v. Monasteria, Tambur. tom. 3. disput. 6. q. 4.* in quibus praecipitur ne aliquis recipiatur ad religionem à superioribus sine consilio, & consensu capituli Generalis, Prouincialis, aut conuentualis. Et ita docent citandi in sequenti parte.

16 Tertium, quod recepta professio sine consensu maioris partis conuentus sit nulla, probatur. Tum quia gesta sine consensu requisito sunt nullius momenti, *cap. Cum consuetudinis 9. de consuet. cap. 1. cap. Cum nos 3. cap. Nouit 4. & seq. de iis, quae fiunt à praelat.* Tum quia licet solum requireretur consilium, adhuc irrita esset, vt colligitur ex cap. cit. 4. & 5. vbi nominantur irrita gesta sine requisito consilio, ratio est, quia conuentus, vel capitulum, cuius consilium est requirendum, dicitur potius collega in officio, quam merus subditus, seu pri-

17 uatus consiliarius, consilium autem collegae non solum petendum est, sed etiam sequendum docent *Bartol. in l. 1. §. Si plures ff. de exerc. act. num. 7. Innoc. in cap. Venerabili de off. deleg. Franch. in cap. Vn. §. Vbi vero; Ne sede vac. num. 5. Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 65. ex illis Tambur. tom. 3. disput. 6. q. 1. num. 3.* Tum quia consensus est de substantia contractus praestandus ab omnibus, quos tangere potest contractus *l. 1. ff. de pact. reg. 85. in 6. l. consensu. de act. & obligat.* constat autem professionem esse contractum, ergo totius conuentus requiritur consensus. Quod professio emissa sine consensu maioris partis conuentus sit nulla, asserunt *Abbas in cap. Ad apostolicam, de regul. num. 12. Graff. tom. 1. consil. 4. de regular. num. 1. Mirand. tom. 1. qu. 14. art. 4. Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 66. Tambur. tom. 3. disput. 6. q. 5. num. 8. iuncta q. 16. num. 6. Peyrin. de Subd. q. 1. cap. 16. §. 2. circa 4. §. Colligitur secundo, & de Praelato qu. 3. cap. 1. n. 135. Beia par. 4. casu 7. Rodr. tom. 3. q. 17 art. 7. Portel 2. Abbas. num 7. & part. 1. casu 11. Scripsa in suis Solutionibus Moralibus quaestion. 2.*

18 Quartum, quod sufficiat maior pars conuentus, probatur, quia gestum à maiori parte dicitur factum ab omnibus, *l. Quod maior ff. ad munic. Glos. v. Ciuitatis cap. Nullus 32. dist. 61 fine, glos. v. constitutum cap. Cum omnes 6. de constitut.* Suadetur etiam à simili de electionibus, quae valent, ex consensu maioris partis, ergo & professiones, ab illis enim ad has valet argumentum. Ita omnes praecitati, cum *Vecchio disput. 12. dub. 1. num. 12. Tambur. tom. 5. disput. 6. quaest. 1. num. 10.*

19 *& quaest. 15. num. 8. alios citant.* Sed difficultas esse potest, an superior computetur cum maiori parte, an vero necesse sit quod maior pars dicatur respectu totius conuentus excluso superiore? Francus in cap. fin. de regul. in 6. excludit superiorem *cum Nau consilio 37. n. 3. apud dictum Vecchium*, sed Nau. id non specificat. Dico igitur, quod quando superior simul concurrit cum suo voto secreto, maior pars desumitur etiam ab ipso, quia in suffragando sic habet per modum vnius cum subditis, ergo illius votum computandum est, quod si superior viua voce ordinet vt à conuentu acceptetur, vel reprobetur nouitius in eo casu, maior pars conuentus sumitur, excluso superiore, quia aequum non est vt ipse numeretur, cum non praestiterit in communitate suum votum, neque enim supputantur deueniendi ad iudicium acceptationis, vel reprobationis tacite consensit in nouitium consentus, vt recipiatur.

20 Quintum, quod contradicente superiore, vel non proponente nouitium ad professionem, nulla sit acceptatio attentata, & vice versa contradicente maiori parte conuentus contra superiorem cupientem admittere nouitium, nulla sit acceptatio, & professio, colligitur ex dictis, quia aliter sine altero recipere non potest ad professionem, & aliter attentata nullius est roboris, cum careat requisito consensu reciproco. Ita praecitati *cum Nau. consil. 37. de regul.* licet acceptans esset solus generalis, quos ego citaui *cap. 3. q. 11. Sanch. lib. 5. cap. 4. n. 68.*

Quaeres 8. An conuentus ad professionem cum superiore concurrat de iure, an de consuetudine? Rex in iure debita videtur, quia *cap. fin. de regular. in 6.* dicitur, quod si ad solum Abbatem pertineat creatio monachorum, eo defuncto, nequibit nouos monachos à conuentu creari, Bonif. VIII. ergo tunc temporis iure communi expressum non erat, conuentum concurrere ad creationem monachorum, ergo iste concursus est de consuetudine, quod probant maxime ex eo, quod tota potestas est in Abbate saecularis monachis *cap. Nullam 9. 18. quaest. 2.*

Respond. Spectat ad conuentum simul cum superiore admittere ad professionem de iure tam communi, quam speciali fere omnium religionum.

21 De iure communi probatur per *Glos. 1. dict. cap. fin.* per iura ibi allegata ex tit. de iis, quae fiunt à praelatis. Neque in eo cap. dicitur assertiue, quod id sit de consuetudine, sed textus loquitur ex suppositione, quod Abbas praescripserit sibi ex consuetudine, vel priuilegio contra ius commune creandi monachos sine conuentu. Et ita docent *Angel. v. Professio num. 2. Nauar. 37. de regul. num. 4 Vecch. disp. 12. dub. 1. num. 9.* Non obstat cap. Nullam, dum dicit totam potestatem monasterij pertinere ad Abbatem non ad monachos, quia per hoc solum significatur Abbatem esse maiorem, & superiorem monachis, qui contra illum nihil facere possunt eorum, quae spectant ad gubernationem conuentus, non vero inde infertur Abbatem per se solum posse tractare negotia sui monasterij, sed in illis agendis relinquitur dispositioni iuris communis, & ordinationibus suae regulae, & constitutionum. *Quicquid Peyrin. de Subd. q. 1. cap. 16. §. 1. vers. Verum.*

22 De iure speciali omnium fere religionum puto esse consensum, seu consilium conuentus, aut aliquorum patrum seniorum in receptione nouitiorum ad professionem, nam in Regula S. Benedicti cap. 3. ordinatur, quod Abbas expediat negotia sui monasterij consilio suorum fratrum praecipua praesertim, inter quae sine dubio computatur receptio professionis, in terminis *Tambur. tom. 3. dispu. 6. q. 1. num 5. & videtur colligi ex cap. 57. eiusdem regulae*, dum dicitur. *Suscipiendus autem in oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, &c.* In Regula prima S. Francisci cap. 2. licet dicatur expresse venientes ad Religionem recipere spectare ad solos Ministros Prouinciales, nihilominus ex constitut. Sixti V. cit. ait Bartolutius super dictum caput, modo spectare etiam ad capitulum Generale, vel Prouinciale cum dictis Ministris. In secunda Regula, quae est pro Monialibus, Abbatissa non potest admittere aliquam ad Religionem nisi de consensu monialium. In tertia regu-

23 la, quae est mei ordinis confirmata à Nicolao IV. capitul. 2. requiritur consilium Fratrum Discretorum per superiorem localem, quod repetitur in Regula Leonis X. cap. pariter secundo, & Fratres

Discreti debent esse illius conuentus, vbi probatus fuit nouitius vt ibidem expresse dicitur, & in eorum statutis, quæ substantiæ regulam continent, cap. 9. decernitur, quod nouitij recipiantur ad professionem à Generali, vel Prouinciali de consilio, & assensu illius Cænobij Fratrum, in quo pro tempore esse reperientur. In religione Minimorum Generalis, aut Prouincialis requirunt consensum capituli, vt tradit *Peyrin. Subd. q. 1. cap. 26. §. 2. Versu, In nostra, In alus idem seruatur.*

24 Diffident doctores, Dum nonnulli volunt in receptione nouitiorum ad professionem sufficere consilium conuentus requisitum à superiore, alij vero petunt præterea consensum, prioris opinionis doctores refert, & *sequitur Peyrin. de Subd. q. 5. cap. 26. §. 2. concl. 4.* subdit tamen ad procedere de iure communi, non de consuetudine religionum, quæ requirunt consensum sed quidquid sit de hoc verior sententia est requiri consensum maioris partis conuentus, etiam posito consilio, quod transit in naturam consensus in hoc casu, vt constat ex superius probatis.

Quæres 9. Qualium religiosorum debeat esse consensus necessarius ad recipiendum nouitium ad professionem? Quandoque enim accidit nouitium diuidere annum probationis in duobus conuentibus, interdum nouitium reprobari à Fratribus vnius conuentus, & transmitti ad alium, vt illic recipiatur.

25 Respond. Religiosi nouitium recepturi debent esse illius conuentus, in quo nouitius peregit annum probationis, quod habet locum respectu vtriusque conuentus, quando diuiditur nouitiatus; quod si contingat nouitium reprobari a Fratribus alicuius conuentus recipi valide, nec licite potest, nisi in hoc conuentu steterit in probatione saltem per aliquot menses.

Prima pars, quod conuentus consentiens debeat esse ille, vbi probatur nouitius, suadetur ex fine nouitiatus, qui introductus fuit cap. Ad apostolicam 16. de regul. vt nouitius asperitates religionis, & religio illius mores, & vitam agnoscat, an sit dignus professione regulari; sed nulli potest melius cognoscere vitam, & mores nouitij, quam Fratres eiusdem conuentus, vbi manet in probatione, ergo ad hos solos spectat præstare consensum, dum recipiendus est ad professionem, est enim huiusmodi receptio iudicium factum à conuentu de habilitate, & idoneitate nouitij profitendum confirmatam eiusdem consensu fauore nouitij. Ita omnes Doctores, quos pro se citat *Peyr. tom 1. de Subd. q. 1. cap. 26. §. 2. concl. 4. Rodr. cum suo Compend. resol. 101. num. 59.*

26 Secunda pars, quando diuiditur nouitiatus in duobus locis peractus, quod requiratur consensus vtriusque conuentus, probatur, quia vterque conuentus habet ius super nouitium, ergo non est maior ratio de vno, quam altero, ideo resol. 54. probaui initio, ex legitima causa diuidi posse nouitiatum sine interruptione, & requiri fidem de vita, & moribus nouitij exhibendam à Fratribus prioris conuentus num. 8. & 236. Verum quidem est, quod ea suppletur per approbationem consensus præstiti a secundo conuentu, ne inualida reddatur professio, quando reuera in secundo conuentu reliquam partem nouitiatus peregit, sicuti mox dicam in alio casu transmissionis nouitij relecti. Dial *cap. 3. q. 55.*

27 Tertia pars, quod inualide recipiatur nouitius alibi reiectus, nisi per aliquot menses steterit in probatione in alio conuentu, probatur, quia nouitius legitime rejectus à nullo recipi potest etiam à Generali, nisi interueniat consensus maioris partis illius conuentus, vbi peregit nouitiatum, vt probatum fuit supra §. Prima pars, & hoc maxime procedit in meo ordine ex Regulis, & Statutis citatis §. De iure speciali, ergo vt valide acceptetur, necesse est, quod in conuentu, ad quem accedit, aliquot menses maneat in probatione, vt ex eius vita, & moribus iudicium ferre possit an sit idoneus ad professionem. Crederem sufficere duos, aut tres menses, hoc enim temporis spatio sufficienter cognosci possunt vita, mores nouitij, an sit effectus mutati. Gratia igitur fieri potest nouitiis, sed raro, maxime cum notoria est præcedens illorum inhabilitas, & insufficientia. Videant ergo, quam male se gerant superiores maiores, qui nouitium reiectum faciunt acceptari, & iudicari idoneum in alio conuentu etiam non deputato sine alia probatione, peccant enim mortaliter, & adulterum in religione filium generant in præiudicium aliorum.

Quæres 10. Ad quosnam superiores spectat recipere ad professionem simul cum conuentu, nam in plerisque religionibus superiores alij sunt Generales, alij Prouinciales, alij Locales habentes immediate ex officio suo administrationem conuentus, cuiusmodi sunt Prior, Guardia. &c.

28 Resp. Iure communi spectat ad superiores locales, vt colligitur *ex cap. Consuluit 4. cap. fin. qui clerici, cap. Porrectum, cap. Ad Apostolicam, de regul. cap. fin. eod. in 6.* Ratio est, quia isti melius aliis sciant, quæ onera possint imponere suo conuentui, inter autem onera conuentus est receptio nouitij ad professionem, per hanc enim obligatur, & oneratur conuentus ad alendum professum. Ita omnes *cum Nauar. consil. 9. de constit. n. 12. & consil. 37. de regul. num. 3. Bonac. q. 2. de claus. p. 10. diff. 2. §. 6. n. 2. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 7.*

29 Hanc facultatem, cum sit ordinaria in illis, aliis delegare possunt, & hoc expresse habetur, *cap. Ad Apostol. & docui ego cap. 3. de profess. q. 17. & Resol. 57. num. 34. Tambur. 3. disp. 6. q. 18.* Iure vero speciali religionum

30 aliquando spectat ad Generalem, interdum ad Prouincialem, alias etiam ad Priorem, vide supra sub *q. 8. num. 23.* Vbi dixi in meo ordine, dare licentiam ad profitendum nouitios spectare ad Generalem, vel Prouincialem, ex Statutis, quare solus Prior etiam cum assensu sui capituli inualide recipit ad professionem, quia gesta sine licentia requisita sunt nullius momenti, *Auth. Licentia C. de episc. & cler. l. Si quis mihi §. Iussum ff. de acquir. hered. Tiraq. post leges connub. Glos. 6. num. 7.* & id magis probabitur in sequenti quæstione.

Quæres 11. An superiore maiore nolente concedere licentiam, seu prohibente ne prior cum suo conuentu recipiat nouitium ad professionem attentata ab illis professio contra prohibitionem, vel sine licentia valida sit?

31 Respond. Nulla est, quando superior localis ex vi regulæ, vel constitutionum non habet potestatem recipiendi ad professionem, licet sit simplex prohibitio; Si vero ex præscripto regulæ, aut constitutionum etiam superiori locali per se, sine speciali licentia prælati maioris competat receptio ad professionem cum suo conuentu, tunc simplex prohibitio non impedit valorem professionis, sed ad id duo requiruntur, decretum irritans, & legitima prohibitionis causa.

Primum, quod nulla sit attentata professio contra negatam licentiam, suadetur, Tum quia, vt superius dixi gesta sine licentia nullius sunt momenti. Tum quia valor actus pendet a potestate agentis *cap. Cum super 33. de offic. deleg. Bald. in l. omne verbum C. com. de legat. Alex. ibi. 4. consil. 52. num. 30. Rota Roman. Volunt. decis. 451. num. 2. Sed* Prior, vt supponimus, caret potestate, hoc ipso quod illi non communicatur à suo prælato, cum antea illam non haberet, ergo inualide recipit ad professionem. Tum quia non magis potens est contradictio conuentus, quam superioris maioris, in quo residet principaliter potestas recipiendi nouitium, sed conuentu contradicente nulla est nouitij receptio, ergo à fortiori contradicente prælato. Tum quia in hoc casu superior localis nullam habens facultatem recipiendi ad professionem, vt suppono, se habet vt membrum conuentus, sed conuentus contradicente

dicente suo superiore inualide recipit ad professionem ex iis, quæ habent *Nauar. consil. 9. de regul. num. 13. Rodr. tom. 3. q. 17. art. 7. ex illis Sanc. lib. 5. cap. 4. num. 68. ego supra q. 7. §. Quintum. Veech. disp. 12. dub. 1. num.*

32 31. Et hoc locum habet in meo ordine, cuius statutis cap. 9. quæ pro regula Nicol. IV. profitemur, facultas recipiendi ad professionem residet apud Generalem, aut Prouincial. cum assensu maioris partis conuentus, vbi nouitius probatur, & nullibi aliqua facultas tribuitur Priori, ergo prohibitione sibi facta, vel licentia non concessa nequaquam poterit recipere ad professionem; quod puto verum, siue negetur iuste, siue iniquè, quia ex hoc nullam acquirit potestatem, ergo nihil validum efficere potest, sed in hoc casu se habet vt membrum conuentus nihil potentis sine licentia sui superioris. Quicquid alibi dixerim cap. 4. q. 12.

33 Secundum, quando Prior habet ex præscripto Regulæ, vel Statutorum recipere ad professionem, tenet attentatum contra simplicem prohibitionem, probatur, ex illo communi axiomate. Multa prohibentur fieri, quæ tamen facta tenent, *cap. Ad Apostolicam 16. de regul. & ratio est, quia* non caret requisita potestate; Confirmatur, quia matrimonium carnale contractum contra simplex interdictum siue decreto irritante tenet, ex communi doctorum, ergo, & spirituale, ab illo enim ad hoc valet argumentum, *supra q. 1. num. 3.* Facit quod quæ habet *Portellus part. 1. casu. 9. num. 8.* de Episcopo prohibente Abbatissæ ne nouitiam recipiat ad professionem, receptio tamen tenet per ibi probata per illam, vt dicam etiam ego infra.

34 Tertium, quod inualida sit professio attenta à priore, cui competit id munus, quando maior prælatus vtitur decreto irritante cum interdicto iusto, & non aliter, probatur, quia in tali casu potest vti decreto irritante, vt multis probat *Sanchez lib. 5. cap. 4. num. 71. cum illo Peyrin. de Subd. q. 1. cap. 26. §. concl. 5. Bera part. 4. casu 31. Rodr. tom. 1. q. 10. art. 3. tom. 3. q. 51. art. 2. cum suo Compend. resolut. 101. num. 61. ego cap. 3. q. 36.* Loquentes de statuto irritante professionem, seu alia prohibitione.

Ex his patet differentia inter prohibitionem factam Priori habenti ius ex regula acceptandi ad professionem, & non habenti, nam attentata professio à Priore nullum ius habente nulla est ex simplici negatione superioris maioris, quia simpliciter caret potestate; si vero professio recipiatur à priore habente iam potestatem ex vi regulæ; valet non obstante simplici prohibitione, vt enim prælatus suum obtineat intentum, & nulla professio sequatur, necesse est, vt per decretum irritans inficiat potestatem ipsius Prioris, per quod reddatur ineptus ad receptionem professionis, quæ impotentia non est necessaria respectu Prioris, cui regula nullum ius tribuit ad recipiendum professionem nouitij, ideo simplex negatio licentiæ sufficit.

Vt autem hoc decretum irritans ab homine factum teneat, necesse est, quod fiat legitima subsistente causa, quæ est notificanda Priori habenti ius ad professionem, & illi in terminis explicanda, vt ex *Nauar. consil. 56. de regul. docet Peyrin. Subd. q. 1. cap. 26. §. 2. Versu Dixi.*

Quæres 12. An dicta in præcedenti quæstione locum habeant respectu Episcopi? nimirum, vtrum non solum simplici prohibitione, verumetiam cum decreto irritante, immo & sub censuris possit prohibere Abbatissæ, & monialibus ne nouitiam hanc, vel illam recipiant ad professionem, & quæstio procedit tam de monialibus subiectis ipsi Episcopo, quam superioribus tantum regularibus? Nam respectu vtrarumque habet aliquod ius, prout colligitur ex c. 17. Sess. 25. illis

35 verbis. *Libertati professionis Virginum Deo dicandarum prospiciens S. Synodus statuit, atque decernit, vt si puella, qua habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quam explorauerit Episcopus, vel eo absente, vel impedito eius Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis voluntatem diligenter, an coacta, an seducta sit, an sciat, quid agat, & si voluntas eius pia, ac libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas iuxta monasterij illius, & ordinis regulam, nec non monasterium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat, cuius professionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta monasterio eum ante mensem certiorem facere. Quod si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quamdiu Episcopo videbitur ab officio suspensa sit.* Concilium autem simpliciter loquitur non distinguendo inter monasteria subiecta regularibus, aut Episcopis, consequenter neque nos debemus distinguere, ac proinde de puellis vtriusque loquitur, quarum voluntatem Episcopus explorare, licet subiectæ sint superioribus regularibus, docet decisum *Barbosa ad hoc cap. num. 11. & 12. Lucerna Regularium v. Exploratio num. 4. qua num. 5.* asserit sufficere vnicam explorationem faciendam paulo ante professionem, & ita practicatur, Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 84. Compend. Rodr. resol. 101. num. 81. qui antecedenti num. 81. refert partem Bullæ Pij V. declarantis, ab Episcopo non posse fieri puellis alias interrogationes, quæ non exprimuntur in Tridentino, & factis non teneri puellas nouitias respondere, aliæ igitur interrogationes non sunt faciendæ puellis, nisi respicientes libertatem ad profitendum; omissio autem huius explorationis non vitiat professionem, cum ibi non exprimatur decretum irritans, *ex Sanch. cit. num. 84. Lezana tom. 1. c. 25. num. 12. alijs citatis.* Controuertitur, an puella debeat esse maior duodecim annorum? Diceret ita in ordine ad habitum probationis, non vero si recipiatur in numero nouitiarum, sed sine ordine ad probationem, cum nondum sit apta experiri statum regularem, *vide Dianam referentem opiniones doctorum Resol. 47. de dubiis regul.* subdentem extremis verbis Abbatissam, & puellam non requirentes Episcopum peccare mortaliter, excluderem puellam, non enim ad ipsam spectat vocare Episcopum, sed superiorissam. Potest autem Episcopus censuris, & alijs pœnis coercere tam superiores regulares, quam earum Abbatissas ad professionem admittentes puellas, sine huiusmodi exploratione, vt decisum referunt *Lucerna, & Barbosa ad citatum cap. 17. & tradit Portellus part. 1 casu 9.* His sit longum prœmiis.

36 Respond. Episcopus eandem potestatem, quam habent Prælati regulares, vti potest respectu monialium sibi subiectarum, prohibendo illis cum decreto irritante, ne puellam aliquam recipiant ad professionem, omissa exploratione Episcopi, vel ex qua alia legitima causa, ratio est, quia Episcopus contra moniales sibi subiectas tantam habet potestatem, quantam habent prælati regulares in suas; sed hi possunt impedire professionem cum decreto irritante ex probatis præcedenti quæstione, ergo & Episcopus.

37 Quod si moniales sint exemptæ; licet subdantur quo ad hanc explorationem, puto Episcopum non posse illas afficere huiusmodi decreto, sed tenere omnino professionem, quod probo, Tum quia alias decisum fuit, Episcopum posse sensuris Abbatissis prohibere, ne quam puella emittat professionem, non præmissa exploratione, *ex Sellio, & Campan. apud Barbosam ad dictum cap. 17. num. 10. & 12. Lucernam v. Exploratio, vt dixi supra;* ergo vlterius procedere non potest. Tum quia ex hoc Episcopus non est simpliciter superior, & ordinarius super moniales, vt est prælatus regularis, ergo tantam potestatem non habet, vt iste; Tum quia non est superior monialium exemptarum in ordine ad professionis actum, sed tantum delegatus à sede apostolica ad explorationem, ita quod puella de aliis interrogata, de quibus non fit mentio in Tridentino, non tenetur respondere, ergo cum potestatem habeat limitatam, prohibere non potest cum decreto irritante, quod est proprium Prælatorum habentium perfectam

potestatem ordinariam super subditos, & non limitatam ad aliquem specialem casum.

Quæres 13. An Abbatissa cum monialibus cogi possit à suo Prælato recipere ad professionem puellam a se reiectam? Videtur quod non, Tum quia in potestate est Abbatissæ recipere vel reiicere à professione nouitiam, vt colligitur ex Tridentino cap. 16. Sess. 25. *Finito tempore nouitiatus, superiores nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è monasterio eos eiiciant*, quæ enim dicuntur de superioribus respectu nouitiorum, locum habent in superiorissis, quando non repugnat sexus conditio, aut aliter in iure exprimatur, illa enim Sessio intitulatur de Regularibus, & Monialibus, ergo non possunt moniales cogi ad recipiendam nouitiam, quam semel reiecerunt. Tum quia ad id requiritur consensus voluntarius Abbatissæ, & monialium, qui non habet locum, vbi interuenit coactio, l. *Nihil* 117. *ff. de regul. iur. cap. Cum locum* 14. *cap. Veniens* 15. *cap. Consultationi* 28. *de sponsal.* Quibus non obstantibus.

38 Respond. Episcopus, & Prælatus cogere possunt suas moniales ad recipiendum ad professionem nouitiam alioquin idoneam, quam sine legitima causa nolunt admittere, probatur. Tum quia Prælatus debet corrigere errores subditorum, *cap. Vt fama* 35. *de sent. excom.* error autem est nolle recipere ad professionem nouitiam dignam, per annum enim probationis quodam acquisiuit ius ad professionem; Tum quia iniuste eiectus recurrere potest ad superiorem eiicientium, vt docent Host. & Ioannes Andr. quos referendo sequitur Lopez *lib.* 3. *tit.* 7. *p.* 1. *& ex illis Vecch. disp.* 12. *dub.* 2. *num.* 2. ergo Prælatus, ad quem fit recursus, potest cogere moniales ad professionem nouitiæ repulsæ. Faciunt, *quæ dixi Resol.* 54. *numero* 46. *huius secundi tomi.* Nec obstant in contrarium dicta, non primum Tridentini, quia ibi decernitur, idoneos recipi, & inhabiles reiici, vt alibi docui, & tradit Vecch. loco citato. Non secundum, quia voluntas coacta adhuc est voluntas, *l. Si mulier.* 21. *§. Si metu ff. de eo, quod metus. Glos. v. Conditionaliter cap.* 3. *de bapt.* neque in admittentibus necessaria est libertas, sed qualiscumque consensus sufficit etiam coactus metu, *vt probatur cap.* 3. *q.* 19.

39 Prædictis videntur obstare Lapus, Dominicus, Francus, & Probus apud Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 65. vbi dicitur, non esse recipiendam monialem Episcopo præcipiente, quando maior pars monasterij contradicit, quia creatio monialium spectat ad Abbatissam cum conuentu, & si Episcopus compellere velit, posse appellari ad superiorem. Dico, vel illos intelligendos esse de moniali alterius monasterij, nulla enim fit mentio de nouitiabus; vel de primo ingressu; aut de moniali indigna professione.

Quæres 14. An conuentu tam virorum, quam fœminarum carente numero præfixo, imo penuriam professorum patiente superior localis cum conuentu, & superiorissa cum monasterio cogi possint ad recipiendum nouitios, ne conuentus reducatur fere in nihilum?

40 Resp. Affirmatiue, Quia redditus destinati sunt ad alendum professos, ergo his deficientibus cogendi sunt ad recipiendum alios. Procedit hoc in monasteriis monachalibus, vbi opulenti redditus sunt, pro sustentandis religiosis. In Mendicantibus responsio non videtur habere locum, quando carent certis redditibus.

Quæres 15. An conuentu monialium omnino resistente in præcedentibus casibus possit earum Prælatus supplere consensum Abbatissæ, vel monialium pœnitus contradicentium? Affirmant *Domin. & Franc. in cap. fin. de regul. quos citat Sanch. lib.* 5. *cap.* 4. *num.* 71. *ratione tertia.*

41 Respond. Conuentus consensum supplere non potest, seu verius dare non potest eius loco, probatur, quia aliquis duobus modis potest alterius consensum supplere, vel propria autoritate superioritatis, quam habet super persona, quæ consensum præstare deberet, vel facultate sibi cessa, & delegata ab eo, qui de iure deberet consentire; sed neutro modo Prælatus, seu Episcopus supplere potest, non ratione primi, quia potestas superioritatis se tantum extendit ad cogendum moniales, vt consentiant, ex probatis in præcedentibus, & ad summum vnicum habet votum, quo potest fauere moniali nouitiæ professuræ, & non supplere; præterquamquod potestas prælati regulanda est iuxta præscriptum regulæ, & statutorum monasterij, nullibi autem reperitur hæc potestas supplendi concessa Episcopis, & Prælatis, ergo illa carent, est enim aliquid specialissimum, & valde præiudiciale monasteriis, & collegiis, vt velint, nolint, nullo præstito ab ipsis consensu, extraneus fiat illorum membrum, contra rationem naturalem, vt membrum alicuius corporis dicatur, quod cum aliis vnanimi consensione intrinseca non fuit coniunctum. Præterea consensus cum sit actus personalis non potest per alium præstari, altero, ad quem spectat, dissentiente, hinc est, quod ecclesia & Papa non possunt supplere consensum alterius coniugis, vt de communi probat *Sanchez lib.* 2. *disp.* 27. ergo neque Episcopus potest suplere consensum monialium repugnantium, valet enim argumentum à matrimonio carnali, ad spirituale; nec obstat si dicatur, superiorem non posse supplere consensum ipsius nouitij, vtique vero conuentus, vt videtur colligi *ex eodem Sanchez lib.* 7. *disp.* 37. *dum num.* 64. ait in ratificatione professionis non requiri nouum consensum conuentus, etiam quando prior præstitus fuit nullus, quia Papa, & Ecclesia illum supplent, vt colligitur *ex cap. Significatum de regul. & cap.* 1. *eod. in* 6. dum dicitur professionem nullam defectu ætatis à professo ratificari per nouum consensum, aut delationem habitus nouam professorum. Non obstat, inquam, quia licet Papa id possit, cum sit supremus legislator, & regularum confirmator, nefas est id ei negare, non tamen inferior, cum non sit legislator, nec supremus dominus. Ratione secundi modi supplendi consensum patet non committi à monialibus Episcopo, sed totis viribus negari.

Quæres 16. An conuentu consentiente in professionem, Priore vero, vel Abbatissa repugnante, Episcopus, seu Prælatus maior suo voto possit supplere defectum repugnantis, & sic validam sequi professionem à conuentu approbatam?

42 Resp. Conuentu consentiente, & superiore locali, seu Abbatissa resistente, possunt superior, & Episcopus respectiue recipere ad professionem; contradicente vero conuentu prælatus cum superiore non potest valide recipere professionem.

Primum de receptione contradicente superiore locali, probatur, Tum quia potestas, quam habet superior immediatus conuentus, residet etiam in superiore maiori, & in Episcopo, quam habet Abbatissa, quia maior prælatus est superior minoris, non solum vt est illi minor subditus, sed etiam vt est ipse superior respectu inferiorum, ergo potest quicquid minor superior. Tum quia ad valorem professionis duo consensus ex parte monasterij necessarij sunt Superioris ex vna parte, & conuentus ex altera ex supra probatis; sed in casu nostro adsunt, nam superior maior virtualiter dicitur etiam minor superior, ergo tenet professio etiam locali dissentiente. Tum quia præsente Episcopo tenet matrimonium in defectu præsentiæ parochi ex cap. 1. Sess. 24. ergo, & professio de consensu Prælati maioris repugnante locali; seu Abbatissa.

Secundum, quod Episcopus, & Prælatus non possint supplere defectum conuentus, iam fuit probatum præcedenti quæstione, & confirmatur, quia superior maior non potest æquiualere pluribus consensibus, neque habet rationem membri sibi viuentis vice alte-

rius

rius alud de non membro faciendo membrum sub vno corpore, & capite.

Quæres 17. An conuentus virorum, & monasterium monialium, qui parati sunt ad consentiendum professioni aliquo medio conuincere possint prælatum, & Episcopum, vt nouitium idoneum recipiant ad professionem.

43 Respond. In hoc casu datur recursus ad eorum superiores, sicut enim superior maior cogere potest minorem, & conuentum ad recipiendum nouitium idoneum sine causa rejectum, ex supra probatis, ita conuentus recurrere potest ad eosdem cum nouitio repulso iniuste, vt de iure recipiatur.

Quæres 18. An Episcopus, seu superior cogere possint sibi subditos Fratres, aut moniales ad recipiendum nouitium, seu nouitiam, de cuius inhabilitate, aut alio defectu aperte constat.

44 Respond. Non possunt, probatur, Tum quia nemo cogendus est ad malum, sed peccatum est recipere ad professionem indignum, vt probat *Vecch. disp.* 12. *dub.*2. *num.* 5. ergo ad id cogi non possunt à suis superioribus. Tum quia ex Tridentino cap. 19. sess.25. superiores tenentur recipere habiles, & excludere inhabiles, ergo aliis non possunt præcipere, vt indignos recipiant. Et cum in hoc grauentur subditi irrationabiliter, recurrere debent ad superiores maiores, aut omnino contradicere de iure, & de facto, ne morbida pecus totum corrumpat ouile.

Quæres 19. An consensus capituli recipientis ad professionem sit legitimus, quando ex vndecim vocalibus e.g. nouem tantum sunt legitimi, & reliqui duo sunt defectuosi, vt quia carent voce, vel sunt excommunicati, vel alium defectum patiuntur, quando profitendus habuit sex vota tantum?

Scrofa ordinis Prædicatorum in suo opere Solutionum Moralium q.2. asserit professionem esse nullam, probat, quia receptio nouitiorum spectat ad Abbatem cum capitulo legitimo, quale non est in præsenti casu defectu duorum vocalium. Confirmat à simili in electione quæ nulla est illius, qui fuit electus à maiori parte, in qua admissus fuit vnus vocalis illegitimus *cap. Ex genesi, §. Nos his, de elect.* maior enim pars eligentium, qui consenserunt, debet constare ex vocalibus omnibus legitimis, *cap. Quia propter eod.* Confirmat secundo, quia quando vota sunt plura, vel pauciora, quam vocales congregati, tunc repetuntur, quia nulla reputatur præcedens acceptatio, ergo pari ratione, nulla erit, quando erunt plures suffragatores, quam esse debeant, Quibus non obstantibus.

45 Respond. Dictus consensus fuit legitimus, & inde secuta professio valida, probatur, Tum quia ex vndecim votis simul sumptis habuit sex, quæ sunt maior pars totius numeri vndenarij, & cum ex toto numero vocales fuerint legitimi nouem, ex his illi sex præsumi possunt, cum omnes tam legitimi, quam illegitimi secreto, vt suppono, contulerint sua vota; neque enim ratio suadet in dubio, vt ex numero senario excludantur duo, tanquam sint illi duo illegitimi, cum id incertum sit, & ignotum, sed potius credendum est, illa sex vota fauore nouitij data fuisse à vocalibus legitimis, cum enim partium iura sunt obscura, fauendum est potius reo, quam actori, & sic nouitio, qui se habet vt reus in casu præsenti. Tum quia ipse Scrofa ibidem contra se arguendo ait, valere electionem, quoties exclusis inhabilibus vocalibus, electus habuit maiorem partem capitoli, vt in hoc casu, *per cap. Cumana, de elect.* respondet tamen sibi id procedere, quando fuit præmissa protestatio, quæ deest hic, secundo dicit vocales illegitimos excludendos esse à numero eorum, qui acceptarunt nouitium; sed vt supra patet id est irrationabile, cum possit esse, quod illegitimi fuerint de numero illorum, qui negauerunt suffragium

46 nouitio, consequenter res redditur dubia, ac proinde fauendum nouitio vti reo, ex vulgatis iuribus. Tum quia receptio nouitiorum ad professionem non est comparanda cum electione canonica in suffragiis, cum receptio nullam habeat rationem electionis, *vt dixit Portellus part.*1. *casu* 11. *num.* 2. & *Vecch. ex quadam Bulla Leonis X. disp.* 12. *dub.*6. asserit, receptiones nouitiorum non subiacere conditionibus, quæ in electione canonica desiderantur; & in Statutis Minorum de Obseruantia priuati vtraque voce admittuntur in receptione nouitiorum, Item electio ab excommunicatis habita nulla est, vt omnes docent iuxta quod citantur à *Peyrin. de Subd. quæst.*1. *cap.*31. §. 4. *concl.*2. tamen receptio nouitij per excommunicatos etiam denuntiatos tenet, *Portell. part.* 1. *casu* 9. *num.*3. *Sanch. lib.* 5. *cap.*4. *n.* 78. *Vecch. disp.* 12. *dub.*1. *num.*3.

47

Quæres 20. An Episcopus, & Superior respectiue suis nouitiis possint dare suum suffragium eo modo, quo conuentus suffragatur, licet superior non resideat in conuentu, vbi nouitius peregit annum probationis?

48 Respond. Possunt, probatur, Tum quia tota facultas consistens in inferiori superiore cumulatiue reperitur in maiores; sed superior localis, & abbatissa cum suis subditis votum habent pro recipiendis nouitiis, ergo & eorum superiores id præstare possunt. Tum quia maiores in singulis conuentibus, & monasteriis maiorem habent potestatem, quam immediate residentes, ergo nouitiis suffragari possunt. Nec obstat quod dare suffragium supponat cognitionem idoneitatis nouitij, quam non habet superior maior, nec Episcopus respectu monialium sibi subditarum, cum non fuerint conuersati cum nouitiis, quia non est necessaria cognitio propria, sed sufficit relatiua, & ab aliis data superiori se informanti de qualitatibus recipiendorum ad professionem, nam vt inquit Portellus part.1. casu 11. qui est author huius responsionis, vocales ad capitulum generale licite, & valide suum dirigunt votum in certum partem eligendum in generalem, quem nunquam viderunt, nec cognouerunt nisi per solam informationem, & fidem aliorum vocalium, qui bene cognoscunt merita eligendi; & ad hoc facit, quod habet *Scrofa in suis Solutionib. moral. q.*31. *à num.*8. *ad* 14. *vbi refert quod dicit Portellus*, subdens, obseruari in sua religione Dominicana, & etiam Franciscana, quod religiosi hodie e.g. de familia constituti in conuentu Nouitiatus possunt eras dare vocem pro nouitio ad profitendum, licet nunquam illum cognouerint, quia ab aliis edocentur de habilitate recipiendi. Idem ego docui *cap.*3.*q.*47. Est igitur id certum, & extra dubitationem; poterunt igitur Episcopus, & superior maior suffere nouitio recipiendo suum dando votum etiam viua voce præsentes, imo etiam mittere per literas, vel tertium, quia non subduntur suffragari secreto, vt facit conuentus, cum illius non sint membra, sed caput.

49

50

Quæres 21. An in Religione Dominicana valida fuerit professio cuiusdam nouitij, qui habitum recepit in vno, & pro eodem conuentu, sed finito probationis anno ex certis respectibus non vult ibidem, eo pro eodem conuentu profiteri, sed ex scientia Prioris transit ad aliud Monasterium eiusdem Ordinis, & ibi examinatur quoad scientiam, & habitis informationibus de eius vita, & moribus in scriptis præcipuorum patrum conuentus, vbi peregit nouitiatum, à Priore, & conuentu recipitur ad professionem.

Scrofa q. 31. propositam quæstionem resoluit respondendo valere dictam professionem, & multis probat, quæ ad sequentia argumenta restringuntur. Primo ex constitutionibus ordinis sui in quibus decernitur viri licere conuentui recipere ad professionem pro se nouitium prius receptum pro alio conuentu, de voluntate eiusdem Prioris conuentus. Secundo, sufficit quod religio eius experiatur mores, & ipse austeritates, & quod accedat consensus alicuius conuentus, qui eius mores fuerit expertus siue immediate, quia in eodem conuentu, à quo recipitur, fecit nouitiatum, siue mediate

diate, per informationem alterius conuentus, vbi peregit nouitiatum, & ad hoc probandum adducit doctrinam Portelli à me præcedenti citati, & praxim, de qua ibidem mentionem feci. Tertiò de essentia professionis est experientia nouitiatus, quod postea recipiatur in filium ab hoc conuentu, vel ab alio, est per accidens, ergo quouis modo recipiatur, tenet professio.

Punctus difficultatis circa valorem huius professionis videtur in eo consistere, an non contradictio prioris conuentus scientis & tacentis circa factum professionis à secundo conuentu, sit virtualis, seu interpretatiuus consensus sufficiens, ille nouitius potuerit recipi in secundo conuentu ad professionem, neque enim constat de expresso, & formali consensu conuentus congregati ad effectum nouitij recipiendi, sed tantum narratiuo, quod de licentia, seu conniuentia Prioris nouitius transierit ad secundum conuentum, qui non à maiori parte conuentus, sed à certis patribus edoctus fuit de idoneitate professuri, quare cum non constet de formali consensu conuentus, qui non recipit nouitium iudicando idoneum ad profitendum in primo, neque in secundo monasterio, remanet disputandum, an ista taciturnitas æquiualeat consensui conuentus necessario ad valorem professionis. Pro huius resolutione.

55

52 Sciendum est, quod receptio ad professionem duo importat, prout dixi primo iudicium idoneitatis, & sufficientiæ nouitij, quod fit ex obseruatis eius moribus in anno probationis in fine, quod consensu maioris partis conuentus firmatur; alterum est immediata receptio nouitij ad professionem, quam legit in manibus superioris, vel alterius ex eius licentia, secundum *capit. fin. qui cler. iuncta Glos. verb. quod in manibus capit. Ad Apostolicam, de regul.* De primo tradunt *Doctor. cum Glos. ver. Pertineat, cap. fin. de regul. in 6.* Et iā clarum est, nam videmus in praxi superiores congregare conuentum, & à suis subditis exponere quid sentiant de nouitio, an sit admittendus ad professionem, quod asserunt ex iudicio habilitatis cognitæ infra annum probationis, vel negant ex iudicio inhabilitatis, & insufficientiæ eiusdem nouitij, & demum habito consensu maioris partis conuentus, is, ad quem spectat, recipit nouitij professionem, legentis illam in eius manibus, vt de more solent fieri, & ad hunc secundum actum, in quo nouitius vere dicitur profiteri, non ex necessitate sed tantum ex honestate interueniunt Fratres conuentus, nam huius habito consensu, potest superior recipere professionem, subditis non vocatis, sufficit enim si ad hunc secundum actum præsentes habeat duos testes, iuxta decreta Clementis VIII. Hæc duo igitur necessaria sunt ad professionem, consensus idoneitatis, & receptio lectæ professionis, ille quidem præstandus est à Fratribus illius conuentus, in quo nouitius peregit nouitiatum, vt probaui supra quæstion. 9. hæc verò indifferenter à quolibet præstari potest habente licentiam, licet non sit illius conuentus, in quo nouitius se exercuit in probatione. His præmissis.

53 Respond. Dicta professio fuit nulla, quod probatur, Tum quia defuit verus consensus prioris conuentus necessariò requisitus ad valorem professionis, ex probatis supra quæstione septima vbi de consensu conuentus, & quæstione noua vbi de consensu illius præcise conuentus, in quo stetit in probatione, etiam in ordine Prædicatorum requiritur consensus illius conuentus, vbi nouitius probatus fuit, vt ipsemet Scrofa testatur probatione prima; & obiectioni, quam sibi fecit, de conuentu non congregato ad hunc consensum eliciendum, respondet, per taciturnitatem priorem conuentum præstitisse consensum, nam sciebat, nouitium transisse ad secundum conuentum, vt in eo profiteretur, & confirmat hunc consensum ex taciturnitate inductum, quia in casu quo nouitius aliquis perseuerat in religione post trimestre probationis, nullo contradicente incurrit professionem tacitam, quia illa taciturnitas habetur pro consensu, sic in hoc casu. Sed non est par casus, nam in hoc de trimestri taciturnitas clare habetur pro consensu, quia ita statuitur in constitut. illius ordinis, vt ipsemet *Scrofa refert dub. 17. in suo Tract. de inualid. profess.* nihil autem de nouitio translato, imò requiritur voluntas prioris conuentus ex eorum constitut. consequenter non sufficit sola taciturnitas, cum non sit positiua voluntas, sed potius negatiua, & abstractiua, per reg. 44. Qui tacet non fatetur, sed nec vtique negare videtur, se igitur negatiue habet ac proinde taciturnitas pro consensu non potest se habere, non obstante alia præcedenti regula, Qui tacet consentire videtur, quia non habet locum inter absentes, & quando negotium fit in alio loco, vbi non sunt, qui possunt consentire, vel contradicere, actus enim fieri debet coram illis, qui habent consentire, vel dissentire, in quo casu taciturnitas habetur pro consensu, quando non agitur de præiudicio tertij, nam in præiudicialibus, & vbi agitur de obligando aliquo taciturnitas consensum non operatur, *lege Inuitum ff. de seruit. vrb. præd. Thomasei. reg. 253. Menoch. de præsumpt. lib. 4. quæst. 99. numer. 53 Barbosa Vaz. in princ. vtriusque iur. lit. T. numer. 1.* Neque quando ius resistit, *Glos. in cap. Plerumque 26. 2. qu. 7. Mascard. de probat. vol. 3. concl. 1153. num. 55.* Neque quando ad eum, qui tacet non pertinet loqui, aut consentire, vel dissentire; patet autem in casu nostro conuentus distare inter se, & vnum non tractare alterius negotia, cum vnus alteri non subiaceat, & esse contra iura, quod nouitiatus fiat in vno conuentu, & in alio iudicetur idoneus, & professionem emittat præterquamquod particula illa. *Nisi de voluntate illorum conuentuum, &c.* in constitutionibus Dominicanis, importat consensum expressum, positiuum, & formalem, per quem secundo monasterio possit explicari habilitas nouitij recipiendi, quod non contingit fieri per taciturnitatem, quæ nihil explicat circa idoneitatem nouitij, vt palam omnibus est, nam taciturnitas assimilatur proposito in mente retento, quod nihil operatur, lege *Si repetendi ff. de condit. ob caus. Brunor. à Sole Locus commun. verb. Propositum.* Tum quia ad valorem professionis requiritur consensus illius conuentus, in quo nouitius peragit nouitiatum ex probatis q. 9. sed deest in præsenti casu, nec illum supplent illi patres qui informarunt secundum conuentum, quia non fuit maior pars, nec actus publicus, sed priuatus, qui non sufficit, cum requiratur consensus collegialiter præstitus, vt infra probabo; nec dicat Scrofa hoc procedere in consensu positiuo, non in negatiuo, quando capitulum tacendo nihil operatur, vt patet in professione tacita post trimestre, quæ in ea religione incurritur ex taciturnitate conuentus non contradicentis, nā respondetur id bene procedere respectu professionis tacitæ in eo ordine, & quando nouitius persistit in eodem conuentu, non verò respectu professionis expressæ, de qua hic, & quia nouitius discessit à priori conuentu, non igitur taciturnitas aliquid operari potest, nouitio discedente à priore conuentu.

54

Ad argumenta Scrofæ dico ad primum, defuisse voluntatem prioris conuentus, qui secundum non edocuit de habilitate nouitij, taciturnitas enim eius nihil operatur, vt dixit ipsemet Scrofa, ac proinde non dicitur acceptatus à priori conuentu, neque à secundo, qui id facere non potuit, eo quod eius mores non fuerit expertus, acceptare enim est iudicium non facere de eius vita, & moribus anteactis, an sit aptus ad profitendum. Ad secundum, falsum omnino est, quod vnus conuentus experiatur mores nouitij, & alter iudicet illos, & consentiat in admissionem ad professionem, nam omnes docent nouitium esse admittendum, & iudicandum idoneum ab eo conuentu, qui eius mores fuit expertus, & probaui supra q. 9. neque doctrina Portelli hic locum habet, cum non loquatur de consensu mediato totius conuentus, sed aliquorum patrum, qui immò sunt de

corpore illius capituli. Ad tertium dico parum congruenter loqui, quia non est sermo de receptione filiationis, sed professionis.

Quæres 22. Quis præstare debet consensum, quando nouitius transfertur in fine anni probationis nondum expleræ ad secundum conuentum pro nouitiatu deputatum, vt ibi per reliquum tempus vnius e. g. mensis perficiat nouitiatum, priorne conuentus, an posterior?

Pasqualigus decis. 416. ait spectare ad secundum conuentum, ad quem transfertur nouitius prope finem anni probationis, habita tamen informatione eius conuentus, in quo pro maiori parte anni probationis vixit, vt possit iudicari idoneus ad professionem, iudicium ergo hoc inchoatur à vocalibus prioris conuentus, & absoluitur à patribus posterioris domus, ad quã cum Priore spectat vltimus consensus in nouitium ad professionem, quam recipere habet secundus superior; & pro se citat *Rodr. tom. 3. quæst. 9. art. 2.* sed nihil ibi, melius *tom. eod. q. 17 art. 7. & Beia part. 4. casu 29. §. Attamen.*

55 Resp. Ego idem sub *q. 9.* vide ibidem, ne frustra hoc repetam ibi dictum.

Quæres 23. An taciturnitas conuentus scientis nouitium legere professionem, non petito à superiore consensu vocalium, habeatur pro consensu & acceptione nouitij? *Scrofa affir. in suis Solut. Morb. q. 31.* quia qui tacet consentire videtur, nam conuentus scit nouitium, peregisse nouitiatum, & petiisse professionem, & vident superiorem præparatum ad recipiendum nouitij professionem, & non contradicunt, cum possint, ergo consentiunt in professionem; quod si quis dicat consensum præstandum esse collegialiter per vocales in vnum congregatos ad hunc effectum, aliter nullus est consensus, vt docet *Panorm. in cap. Cum in ecclesia, de causa possess. & cap. In Genesi, de elect.* respondet habere id locum in consensu positiuo, non vero negatiuo consistente in taciturnitate. Et huius opinionis videtur esse *Peyrin. de Subd. q. 1. cap. 26. §. 2. Vers. Respondeo*, ea ratione, quia quando ad aliquem actum requiritur voluntas alicuius, non sic accipitur voluntas, vt consentire teneatur, qui voluntatem præstare debet, sed sufficit ne contradicat, vt dicitur *l. 2. §. Voluntatem ff. solut. matr. & l. 37. eod.* & cum non contradicit, videtur consentire ex prædicta regula.

56 Quibus non obstantibus.

Respond. Requiritur consensus expressus ex parte conuentus, & non sufficit taciturnitas, quod probatur, Tum quia matrimonium carnale non contrahitur per solam taciturnitatem, sed requiritur consensus vtrinque verbis, vel aliis signis, & actibus positiuis expressus *cap. Licet, de sponsa duor. cap. Tua de spons. cap. fin. de coniug. seru. vide Sanch. lib. 2. disp. 30. & 31.* ergo & in matrimonio spirituali, ad quod valet consequentia. Tum quia nouitius per taciturnitatem non profitetur expresse, vt clarum est, neque tacite, sed per aliquem actum positiuum, ergo neque conuentus per taciturnitatem censetur consentire, sed necessario requiritur aliquis actus positiuus, ne contractus videatur claudicare. Tum quia conuentus debet præstare consensum in ratione conuentus, & sic fratres in eo de familia, non vt singuli, sed collegialiter, & per modum vnius corporis politici tamquam membra cum eo, & in eo coniuncta, consequenter taciturnitas in hoc consensu locum habere non potest, cum sit expediendus per actus positiuos in modum vnius, id quod per taciturnitatem præstari non potest, vt manifestum est. Tum quia iste consensus requisitus ad profitendum nititur iudicio de idoneitate nouitij ad professionem facto, ergo consensus iste necessario pendet ab aliquo actu positiuo, ergo taciturnitas hic locum habere non potest.

57 Obiectis respondetur, quæ in hoc consistunt, quod tacens consentire videtur, id non habere locum primo, quando agitur de aliquo obligãdo, *l. Filiusfamilias §. Inuitus ff. de procur. Dynus super hanc reg. num. 5.* vt in casu præsenti, in quo religio, & conuentus obligantur ad alendum nouitium toto tempore vitæ suæ. Secundo, quando vltra consensum requiritur aliquis actus positiuus *Calder. consil. 223. Tuschus lit. T. concl. 2. n. 2. Mascard. concl. 1218. num. 51.* patet autem consensum hunc supponere actum iudicij idoneitatis. Tertio, quando tacetur ad euitandum scandalum, & contentionem *Glos. in reg. 44. eod. in 6.* clarum autem est ex contradictione in suum prælatum oriri contentionem, & scandalum, licet ipse male agat. Quarto Subditi tacentes non præsumuntur consentire in factũ sui superioris, nec dicuntur posse contradicere attenta conditione prælati sui. Quinto demum dico ego quod cum ob verecundiam, & timorem reuerentialem non contradicant, taciturnitas locum non habet consensus, quando collegium habet respondere, cum sit congregandum, & tunc si nihil dicat, iuri suo censetur renuntiare, & sic per actum positiuum congregationis consentire.

Quæres 24. An, quando superior dubitat conuentum esse contradicturum nouitio recipiendo ad professionem, si per occulta vota petit admissionem, ore tenus, & voce publica possit singulorũ vota exquirere?

58 Respond. Quando contra legem sui ordinis, vel consuetudinem probatam, quia semper secreto vota data ante fuerunt, in nouitium ore tenus, valet consensus, & subsequens professio, quia licet aliquam pateretur coactionem, seu timorem nihilominus consensus est, licet non ita liber, sufficiens ad professionem supra q. 13. ergo nihil ex hoc capite deest ad valorem professionis, Nec obstat omissio formæ præscriptæ de votis secreto dandis, quia non est de substantia professionis, cui sufficit qualiscumque consensus positiue quæsitus. Melius tamen est procedere per vota secreta, & necessarium, quando præcipitur, vnde superior peccat grauiter, & subditi contradicere de iure possunt. De votis secreto dandis *dixi cap. 3. q. 21. Veceb. disp. 12. dub. 6.* neque aliquis dicat, *electionem secrete non factam esse inualidam per cap. 6. sess. 25.* ergo & receptio nouitij per verbalem consensum, valet enim argumentum ab electione ad professionis receptionem, immo est quædam canonica electio *Pasqual. decis. 416.* qua nouitius eligitur ad statum religionis, vnde & ad eam admittendus est simili scrutinio, vt ibidem dicit num. 8.

59 Quia respondetur, non esse canonicam electionem nec formaliter, nec virtualiter, quia electio proprie est vnius ex pluribus assumptio ad aliquod officium, nouitius autem non assumitur vt vnus ex pluribus, sed absolute, & absque relatione ad alios admittitur non ad officium, sed ad seruitutem, & subiectionem religionis, vt clarum est, & quod non sit electio nouitiorum receptio ad professionem docet *Veceb. disp. 12. dub. 6. Portel. part. 1. casu 9. num. 3. Ego cap. 3. q. 49.* habet tamen aliqualem similitudinem, quæ non sufficit, ad concludendum omissis votis secretis vitiari subsecutam professionem.

Quæres 25. An quæsitus à conuentu consensus reuocari possit antequam nouitius profiteatur?

60 Respond. Reuocari potest noua superueniente causa, vt probaui *cap. 3. q. 27.* licet publicatus sit prior consensus fauore nouitij, id enim non est formale scrutinium electionis, quo publicato variare non possunt electores, cap. Publicato 58. de elect. vt præcedenti probatum fuit. Non censetur autem distractus prior consensus, nisi per celebrationem secundi, quo formaliter prior destruitur. Quare conuentu contendente, & petente à superiore vt fiat capitulum super noua receptione, si interim nouitius legat professionem coram superiore valida erit, cum prior consensus adhuc subsistat; & hoc ibidem q. 28. probaui contra duos Capucinos contrariæ opinionis.

61 An autem conuentus sine licentia sui superioris seipsum

ipsum congregare possit ad distrahendum priorem consensum? Respond. non, quia membra sine capite mortua reputantur, ita quod nihil operari possunt atq. Roman.12. Neque membra à capite discedere, aut contrauenire illi decet *cap.1. dist.12. cap. Celebritatem* 12. *dist.3. de consecr. cap. Cum non* 12. *de prescript.* & maxime in casu præsenti, cum receptio nouitij spectet tam ad caput, quam ad membra, ideo non licet discrepare ab illo, Thomasct. reg. 1. præterea sine capite nihil faciendum est, Innoc. in capit. Cum accessisset, de constitut. Demum congregatio vocari non potest capitulum, quando caret capite, sic enim dicitur capitulum, quia congregatum fuit corã ipso, & illius consensu.

Quæres 26. An consensus præstitus fauore inhabilis, & habentis impedimentum dicatur ex hoc nullus, & inutilis? Sit exemplum in nouitio admittendo ad professionem, qui tamen aut nondum expleuit annum probationis, vel nondum habet sexdecim annos completos, vel egit annum probationis extra locum deputatum, &c. Certum est, nullam esse professionem dictis stantibus impedimentis illam irritantibus, ac etiam nullus fuerit quæsitus consensus à conuentu, ac proinde, si professio sit ratificanda, necessarius sit nouus monasterij consensus?

62 Respond. Quamuis nulla sit professio non ratione illiciti consensus, sed obstantibus impedimentis, tamen consensus ita præstitus à conuentu suo non caret valore, hoc probatur Primo, quia de substantia consensus in aliquod agendum est, quod sit actus voluntatis approbantis id, quod agendum est, quod deinde licite, vel illicite præstetur, non facit ad illius substantiam, cum hi modi illius sint qualitates extrinsecæ substantiam consensus nec ponentes, nec destruentes, ergo consensus præstitus fauore nouitij impediti ad profitendum, quamuis ex hoc sit illicitus, non tamen nullus, & inualidus, cum sua essentia, & substantia non careat. Secundo licentia illicita adhuc est licentia, *Glos. 1. cap. Si qua* 29. 27. *q.*1. hinc religiosus de licentia illicita retinens superflua non dicitur proprietarius, *Silu. v. Religio 6. q. 7. Graff. part. 1. lib. 3. cap. 5. num.* 61. *&* voluntas coacta, ac proinde illicita remanet voluntas *Thomas. reg. 76. per cap. Merito* 15. *q.* 1. Sed consensus in receptionem nouitij ad professionem est licentia quædam, & voluntas, per quam conuentus approbat futuram professionem, ergo qualiscumque ille sit, sufficit. Tertio, consensus erroneus valet, & censetur perdurare, quousque remoueatur per verum, *Glos. v. Insciam c. 1. de eo, qui duxit in matr.* Quarto, receptio facta de nouitiis sine informationibus requisitis per Bullas Sixti V. & Clementis VIII. tenet, eo quod secuta professio non est irrita nunc ex quadam Bulla eiusdem Clementis, quam extendit *Vecch. disp.* 2. *dub.* 12. & tamen consensus in eam sine dictis informationibus sine dubio est peccaminosus, ergo idem dicendum de consensu in professionem. Quinto, consensus monasterij in futuram professionem nouitij impediti nullo iure irritatur, sicut annullatur professio ex dictis impedimentis, ergo subsistit, cum tantum simpliciter prohibeatur sine vllo irritante decreto; imò directe prohibitio cadit supra professionẽ, nulla mentione facta de consensu. Sexto, non obstante simplici prohibitione ne quis nouitius recipiatur ad professionem, adhuc tenet professio, ex probatis supra sub quæst. 11. ergo signum est, præstitum à conuentu consensum, licet illicite, valere, alias nulla esset ex hoc capite professio, ergo siue licite, siue illicite consensus præstetur, validus est. Septimo, professio nouitij indigni, & inhabilis ratione suæ personæ, non impedimenti valida est, ergo signum est, prædium consensum fuisse validum, illicitum, eo quod directus fuit in nouitium indignum. Octauo, consensus electorum in personam dignam, digniore omissa, valet, quia electio tenet, quamuis sit illicitus, & peccaminosus, ex iis, quæ habet *Sigism. de elect. dub.* 32. ergo à fortiori consensus illicitus in professionem, maius enim negotium est electio, quam ad professionem receptio. Nono, consensus in nouitium professum non dirigitur in personam infectam prædictis impedimentis, ex quibus sequitur nulla professio, sed in ipsum nouitium ab illis præscindendo, potest enim conuentus velle, vt suo collegio aggregetur inter professos nouitius, considerata eius persona in ratione personæ, reiectis impedimentis, & defectibus, valor enim consensus pendet ab eorum voluntate, quæcumq; ea sit, approbãte nouitij receptionẽ inter numerũ professorum, quatenus consentientes sunt de familia conuentus, & collegij.

Hanc nostram responsionem absolute negant fere omnes doctores *cum Sanchez. lib. 7. disp. 37. q. 7. Suar. tom. 3. de relig. lib. 7. cap. 1. Vecchius disp. 14. dub. 4.* dum quærunt, an ad ratificationem professionis requiratur noua conuentus acceptatio, seu eiusdem consensus. Conueniunt, non enim requiri consensum ex parte conuentus, quando ficte, vel metu graui nulliter professit, à simili de consensu ficto, aut meticuloso ex parte vnius contrahentis matrimonium, quod ratificatur per nouum superuenientem consensum illius, qui valide non consentit, ex probabiliori opinione, quam firmat *Sanchez lib. 2. disp. 32. num. 9.* & colligitur ex *cap. Ad id, de sponsal.* ergo idem dicendum respectu matrimonij spiritualis, quod est professio, *Nauar. consil. 50. de regular. num. 1. Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 60. & 61. Vecch. disp. 14. dub. 4. num. 3.* Et id clarum est, quia consensus ex parte monasterij præstitus, est validus, & licitus, vt suppono, & censetur, semel datus, perseuerare, quia voluntas mutata non præsumitur, *l. Eum qui ff. de probat. cap. Scribam, de presumpt. Menoch. consil. 37. num. 29.* Dissentiunt vero, quando neuter consensus tam nouitij, quam conuentus non fuit legitimus, eo quod nouitius erat inhabilis ad valide profitendum, ratione impedimenti dirimentis, vt quia non habebat sexdecim annos expletos, aut quia nondum perfecerat annum probationis, aut quia extra locum deputatum peregerat illum, aut quia nouitiatus fuit interruptus, &c. Nam *Nauar consil. 37. & 28. de regul. Graff. lib. 3. cap. 5. num. 24. part. 1. Lessius lib. 2. cap. 41. num. 67. Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 64.* nouum conuentus consensum non requirunt, quando vtrinque fuit illegitimus, alios citat *Vecch. disp. 14. dub. 4. num. 4. §. Partem*, expresse in terminis nostris loquendo de defectu ætatis *Scrosa dub. 9. concl. 1.* quia tenuit illicitus consensus conuentus, quod fuse probat ibidem, *Sanfarellum Var. resol. 9. 48. num. 30. & Suar. com. 3. de relig. lib. 7. cap. 1. num. 16. citat Barbosa ad. cap. 19. sess. 25. num. 18. Lezana tom. 1. cap. 2. num. 7. Bonac. q. 2. de claus. p. 10. diff. 1. num. 4.* ea ratione; quia conuentus iam suum præstitit consensum, neq; fuit irritus, eo quod religio reuera consensit licet in personam inhabilem, vnde vocat consensum illum materialiter validum, *Ego cap. 6. de ratificat. profess. q. 10. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 17, qui num. 2.* dicit requiri vtriusque consensũ, quando defectus professionem irritans ex vtraq; parte ortum habet, & *n. 6.* videtur oppositum sentire, dum asserit sufficere nouum professi consensum, quando professio fuit irrita ratione cuiuscumque inhabilitatis.

Axorius *lib. 12. cap. 4. q. 7. Rodr. com. 3. q. 17 art. 3. cum eo Vecchius disp. 14. dub. 4. num. 5. Compend. resol. 101. num 76. Portel. v. Professio num. 42.* Sustinent requiri nouum consensum etiam ex parte conuentus, quando professio fuit nulla ex inhabilitate nouitij, vt quia professit infra annum, vel ante sexdecim annos expletos, &c. Probant à simili de matrimonio nullo ex parte vtriusque contrahentis, ergo idem dicendum respectu professionis. Confirmant, quia prior consensus monasterij fuit inutilis, & inualidus contra iura illum prohibentia, ergo reuocandus est, cum secundum omnes professio sine reali, & vero monasterij consensu subsistere numquam possit.

Sanchez *lib.7.disp.37.num.64.* ad ratificationem professionis nullius ratione alicuius impedimenti requirit nouam quidem acceptationem, non tamen monasterij, sed sedis apostolicæ, quam dicit haberi *ex cap. Significatum de regul. & cap. 1. eod. in 6.* dum ibi Papa decernit professionem nullam defectu legitimæ ætatis conualescere per ratificationem ipsius professi inutilitet, quam deinde alij secuti sunt.

63 Dicendum est in ratificatione professionis ex quauis causa, seu impedimento inualidæ, siue in foro conscientiæ, seu fori, non requiri nouum conuentus consensum formalem, sed pro foro externo, & quando publice ratificatur sufficere solam superioris receptionem, etiam localis, quamuis alias id ius recipiendi primo ad professionem non haberet, quod alia ratione non probo, quam ex allatis in responsione quæstionis, si quidem, cum prior receptio, & consensus quamuis illicitus, & peccaminosus, fuerit verus, & validus, quia reuera religiosi in vnum congregati vere, & serio voluerunt eum fieri professum, & illum præstitum conuentus non reuocauerit, præsumitur remanere, *l. Non ad ea ff. de condit. & dem. l. Cum hic status ff. de donat. Abbas. in cap. maiores §. Item quæritur, de bapt. num. 8. Nauar. consil. 42. de regul. num. 3.* ergo alius nouus non est necessarius, sed sufficit quod inualide professus nouum præstet consensum vel coram Deo, si nullitas est occulta, vel coram superiore si sit publica, & ab eo exigatur, præsentibus testibus, ne ab ea reclamare deinceps valeat. Confirmatur, quia in iure *cap. 1. de iis, quæ vi cap. Significatum 11. cap. Cum virum 12. de regul. & cap. 1. eod. in 6.* vbi agitur de ratificanda professione, nulla fit mentio de nouo consensu, & acceptatione ad Profitendum secundo, sed tantum dicitur nullam professionem conualidari per ratihabitionem ipsius inualide professi, ergo nullus actus requiritur

64 ex parte conuentus. Immo crederem, neque requiri nouum conuentus consensum, quando nouitius vellet eam ratificare nullam defectu consensus conuentus, qui noluit consentire in professionem, nam postea conuentu vidente, & tacente, si nulliter professus eam ratificet coram superiore, conuentu irrequisito, valide proficit, quia prædicta iura simpliciter requirunt nouum consensum solius nulliter professi respectu cuiuslibet nullitatis ex quacumque causa proueniat, ergo etiã ex defectu consensus monasterij, & taciturnitas monasterij sufficienter demonstrat cõsensum, si alioquin esset necessarius, attenta priori contradictione. Nec obstat, quod taciturnitas non habeatur pro consẽsu ad profitendum ex probatis supra q. 23. quia aliud est profiteri primo, aliud ratificare professionem, in hac enim non requiruntur conditiones petitæ in professione, vt notum est, præterquam quod hæc taciturnitas relatiua ad præcedentem dissensum clare transit in verum consensum hoc ipso quod conuentus amplius non contradicit.

Ad rationes Azorij, & aliorum respondetur ad primam, & secundam eas supponere deficere consensum non solum ex parte nouitij, sed etiam ex parte conuentus, quod negamus, cum in responsione, & in dicendo probauerimus illicitum conuentus consensum tenuisse, neque enim irritatur in Tridentino *ex cap. 15. sess. 25.* præstitus in nouitium profitentem infra annum probationis, aut infra sexdecim annos, ibi enim sola professio irritatur.

Quod si dicas in constitut. *Cum de omnibus.* Sixti V. annullari, & irritari receptiones nouitiorum ad habitum, & professionem illegitimorum, & criminosorum; & Clem. VIII. in duobus Decretis de nouitiis non admittendis nisi in locis designatis, pariter receptiones ad habitum, & professionem extra loca deputata irritat, & annullat, ergo saltem in his casibus necessarius est nouus consensus religionis, cum prior fuerit non solum illicitus, sed etiam inualidus.

Respond. Quod ad Constitut. Sixti V. per aliam Clem. VIII. incip. *In suprema* quam extendit Vecchius *disp. 2. dub. 12.* cum reualidentur professiones contra facta, consequenter receptiones ad habitum, & professionem, quamuis alias irritas, nunc valere, licet sint peccaminosæ, vt probaui *cap. 4. quæst. 27.* quod ad decreta Clementis VIII. respondeo colligi ex Breui Vrbani VIII. incip. Religiosos viros, nulliter professos ex non præmisso nouitiatu in loco designato, professionem ratificare posse coram suo superiore sine vllo consensu conuentus, & illud retuli *cap. 3. q. 37. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 7. Responderet Sanch. lib. 7. disp. 37. nu. 64.* consensum conuentus suppleri per Pontificium, & Legalem, ex quo refert disparitatem inter consensum contrahentium matrimonium nullum, & professionem, qui non potest suppleri in matrimonio, quia vtriusque est personali, in professione personalis solum ex parte professi. Præterea dici potest consensum conuentus esse potius conditionem sine qua non, consensum vero superioris esse immediatum quando recipit votum nouitij factum in eius manibus, consensus vero in matrimonium esse de substantia formali ipsius matrimonij. Demum licet consensus iure irritus inualidus sit formaliter, non tamen materialiter, cum reuera conuentus approbauerit eius futuram professionem, & hic sufficit ad ratificationem, licet damnetur quoad professionem.

Quæres 27. An professio emissa sub conditione, quod valeat tantum pro eo tempore, quo manebit sub disciplina regulari, & obedientia superiorum illius religionis in qua profitetur, valida sit? Pro resolutione difficultatis notandum conditionem posse duobus modis apponi, expresse in actu ipsius professionis dum hæc legitur à nouitio, & implicite siue in lectione professionis, siue ante etiam ex pacto expresso tacito tamen in actu professionis. Sciendum etiam est, quod conditio, seu pactum in professione adiectum, est duplex, vnum quod aduersatur substantiæ professionis, vt retinere proprium, aut posse ducere matrimonium *vt refert Glos. cap. fin. de condit. appos. adde* cum pacto non obediendi superioribus, aut tali prælato, sed viuere proprio arbitrio vide etiam *Glos. v. Nolite cap. Solet §. 32. q. 2.* aliud vero, quod illi non aduersatur, vt pactum immiscendi inter dum parentes, manendi cum illis ad subueniendum illorum necessitatibus siquando in illas inciderint, &c. Illud autem pactum dicitur aduersari substantiæ professionis, quod destruit vnum ex illius tribus votis, vt in exemplis primo loco allatis, aut votum solenne facit dissolubile, vt profiteri per decennium, & non vltra.

65 Respond. Prædicta professio est nulla, quando ea conditio adiecta fuit expresse, vt in terminis. Probatur ex dictis, quia est directe contra substantiam professionis, cuius ratione formali est perpetuitas vsque ad mortem, cap. Vidua 13. 20. q. 1. ex enim exprimitur. fere in omnibus professionum formis, similibus verbis. *Toto tempore vitæ meæ*, & in aliis promittitur stabilitas, quæ dicit immobilitatem, *ex S. Thoma. 2. 2. q. 183. art. 1.* vnde à quibusdam status religiosi vocatur quasi quidam caracter indelebilis *Nauar. consil. 2. regular. num. 33.* & perpetuitatem esse de substantia professionis dixi, & probaui *cap. 1. q. 4. & 8* Confirmatur, quia prædicta conditio adiecta matrimonio illud irritat, cum directe sit contra essentiam illius, quæ est indissolubilitas, *cap. fin. de condit. appos. late Sanch. lib. 5. disput. 9. num. 2. & 3.* ergo idem dicendum de matrimonio spirituali, ex formali consequentia.

66 Circa illud pactum de retinendo proprio, quatenus non aduersatur substantiæ professionis, intelligunt communiter doctores, quo ad vsum, non quo ad proprietatem, *Sanch. lib. 5. disp. 9. ad 4. arg.* nam intelligens retinere, possidere vti ante inualide profitetur, quia id destruit votum paupertatis. Vide eumdem *Sanch. lib. 5. cap. 4. à num. 92. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 16. n. 13.*

vbi

vbi refert num. 15. decisum, valuisse professionem eius, qui in ea facienda sibi seruauerat facultatem testandi de patrimonio, *ex Barbosa lib. 1. de iure Eccles. cap. 42. num. 153.* Ratio potest esse, quia huiusmodi reseruatio iuris testandi adæquare non aduersatur voto paupertatis, sed ex parte, vnde potius reiicienda est, quam

67 admittenda contra professionem. An autem in tali casu valeat testamentum si accedat licentia superioris? dico quod non, quia testamentum est voluntatis nostræ iusta sententia de eo, quod quis post mortem suam fieri vult cum institutione hæredis. *Glos. Instit. de Testam. ordin.* iam autem professus non dicitur testari, si id facit de licentia, & voluntate sui superioris, cum ex ea definitione testari sit actus propriæ voluntatis, & non alienæ.

68 Sed quid dicendum in dubio, quo professus explicaret suam voluntatem fuisse vere retinendi sibi omnia bona sicuti eadem ante iure proprio retinebat, non vero eius intensionem fuisse eadem retinendi quo ad vsum, an illi per simplicem assertionem esset credendum, immo per iuramentum, in casu, quo reclamaret ad exeundum à religione prætextu nullæ professionis? Debitum non est iudicis eius acceptare iuramentum, & credere, nam in ipsa adiectione huius pacti, seu conditionis poterat melius, & clarius se explicare, vnde sibi imputet, quia interpretatio facienda est contra eum, qui legem apertius dicere potuit, *Reg. 56. in 6.* Quare reiiciendus est à reclamatione.

Quæres 28. An in dubio validitatis professionis censendum sit valere?

69 Respond. Censendum est valere, quia constat de actu emissionis, ac proinde religio est in possessione professi, in dubio enim melior est conditio possidentis. *Sanch. lib. 7. de matr. disp. 37. n. 12 Gratian Discept. for. tom. 3. cap. 413 n. 14. Nauar. consil. 13. de regul. num. 10. a. S. Fausto lib 5. Thesauri relig. q. 251. ex illis Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 16. num. 16.*

Quæres 29. An professio facta cum pacto manendi

70 in propria domo valida sit? Omnes affirmant cum *c. fin. Qui cler. vel vou, quos citat Sanch. lib. 5. cap. 4. n. 102. & ego c. 2. q. 38.* quia non est contra substantiam professionis, *Lez. tom. 1. cap. 2 n. 26.* Hoc autem pactum dependere debet à prælato, vt sic profitens reuocari possit à suo superiore, quoties opus erit, aliter erit contra votum obedientiæ, ac proinde non valebit; & hoc pactum nostris temporibus est illicitum, cum intra claustra professi remanere debeant, & non extra, nisi ex causa rationali, & de licentia sui superioris, *Trident. c. 11. sess. 14. c. 4 sess. 25.*

Quæres 30. De professione reuersorum ad religionem, an de nouo illam emittere debeant? Hi autem sunt Papa, Cardinalis, Episcopus, & alij à religione translati ad dignitates Ecclesiasticas extra claustra. Secundo translati ad secundam religionem ad priorem reuertentes. Tertio eiecti, & ad triremes damnati. Quarto apostatæ.

71 Respond. Papa ad suam religionem reuersus pontificatui abdicatus; Item à secunda religione in quæ profecerat, reuersus ad priorem, debent de nouo profiteri. In reliquis casibus sufficit prior professio.

72 Primum de summo Pontifice de nouo profitente probaui *resol. 115. q. 10.* quia in eo per assumptionem ad Paparum extincta fuerunt vota religionis, ergo rediens ead. renouare debet.

Secundum, à secunda religione reuersus ad priorem

73 de nouo debet proficere, probatur, quia priora vota, fuerunt omnino extincta, per professionem in secunda ergo rediens ea renouare tenetur, licet in secunda eadem tria vota promiserit, sicut in priori, non tamen idem professionis votum est, sed limitatur, & restringitur professio ad regulam, & statuta iuxta quam, seu quæ profitetur, & cum tot sint regulæ, & statuta, quot sint ordines, ideo vnicuiq; propria respondet professio, & cum per secundam prior destruatur, necesse

est, vt reuersus ad priorem, illius regulam denuo profiteatur, & illius superioribus subiiciatur, à quib. se exemerat per subiectionem prælatis secūdis, vnde *Abbas in c. Abbate, de verb. signif. Rebuff. consil. 105. Decius in cap. Preter, de prabend. Riccinll. lib. 8. de iure c. 3.* dicunt, transeuntem debere nouam emittere professionem, non vt fiat religiosus, cum iam sit, sed vt obligetur peculiarib. statutis eius religionis, ad quam transit. *Ita decisi c. 2. q. 72. §. Vndecimo.*

Tertium, de prælatis Cardinalibus, Episcopis, &c. 74 reuersis, quod non teneantur, probatur, quia per translationem ad dignitatem non desinunt esse religiosi, neq; in illis extinguuntur vota substantialia, sed tantum suspenduntur, iuxta quod pluribus dixi *Resol. 115. q. 4.* & in terminis de non profitendo de nouo *num. 33. & 56.*

Quartum, de eiectis, damnatis ad triremes, & apo- 75 statis constat, remanere in illis professionem, & priorem obligationem in eo, quod adhuc sunt religiosi eiusdem ordinis, cuius regulam profecerunt, ergo reuersi alia non egent professione. De eiectis reuersis *Rodr. tom. 1. q. 30. art. 20. ego. c. 4. q. 9.* De reliquis res clarior est, quia per illos actus in eis solemne votum non destruitur, ergo reuersi professione non egent.

Quæres 31. An professio emissa coram superiore sine testibus contra præscriptum Clementis mandetur fieri in scriptis à profitente, ne illi obuiare possit processu temporis, *c. Vidua 13. 20. q. 1.* & probatur per testes, qui sunt religiosi eiusdem ordinis, *c. Nuper. 51. de testib.* Quinam testes in professione sufficiant dicam *num. 87. & Resol. 105. n. 48.*

Respond. Tenet professio, quia testes adhibentur, vt 76 illa probari possit si casus occurrerit contra professum, *c. Vidua 13. 20. q. 1. & cap. Omnes 27. 36. q. 1.* non autem vt de illius sint valore, cum eius supponatur valor ex probatione eiusdem existentiæ. Neque hic valet argumentum ab carnali matrimonio, quod sine præsentia duorum testium est omnino nullum, vt expresse decernitur *c. 1. sess. 24.* ad spirituale professionis, quia in eo necessarij sunt duo testes cum parocho ad euitanda multa inconuenientia, quæ solebant occurrere in matrimoniis clandestinis, quæ hic locum non habent, ex diuersitate ergo rationis non valet consequentia.

Quæres 32. An professio hermaphroditi valeat? Hermaphroditus est homo vtrunq; sexum habens, & denominatur masculus vel fœmina ab eo sexu, in quo præualet, *l. Quæritur. 10. ff. de stat. homin.*

Respond. Hermaphroditi professio semper est nulla, 77 licet ingressus fuerit in eam religionem, in qua præualet ratione sexus, suadetur, Tumquia *cap. Definimus 21. cap. In nullo 22. 18. q. 2.* prohibetur habitatio virorum, & mulierum in eodem monasterio, quia cohabitatio intercepit adulterium; sed hermaphroditus licet præualeat in vno sexu, altero non caret, ergo erit professio personæ vtriusque sexus cum personis alterius tantum sexus, ac proinde cohabitatio virorum, & mulierū in eodem monasterio; constat autem secundum omnes personā vnius sexus non posse valide profiteri in monasterio alterius sexus, vt omnes infra citandi docent. Confirmatur, quia licet in illis capitibus nulla annulletur professio, sed tantum interdicantur dupla monasteria vtriusq; sexus ob periculum incontinentiæ, tamen omnes in eo conueniunt, quod vir in monasterio fœminarum valide profiteri non potest, nec fœmina inter viros, ob euidentissimum periculum incontinentiæ; sed hoc idem periculum cernitur etiam in casu nostro ob vtrumque sexum, & cum hermaphroditus dicatur simul vir, & fœmina, & non obstante præualentia sexus, vtrumque dicatur habere instrumentum continentiæ destructiuum, clarum est, non posse simpliciter profiteri, quia etiam præualentia posita, vir dicitur proficere inter fœminas, & fœminæ inter viros, ex quo hæc persona

O 3

sona formaliter habet vtrumque sexum. Dixi valere professionem ex præualentia sexus *cap.2.q.35.* sequendo potius aliorum opinionem, *Rodr. & Sanch. lib.5. cap. 5. num. 41. & lib. 7. disp.* 106. *Ita docet Tambur. tom.3 disp.6. q.3.n.21. Sequutus ad verbum Peyrin. de Prælato q.3. cap. 1.n.* 59. licet doctores, quos citant, affirment valere professionem in præualente sexu, qui sunt *Sanch.lib. 5. cap. 4. n. 41. Vecch. disp. 5. dub.1. concl. 2. Bonac. q.2. de clauf. p.10.§. V.* qui cum aliis tenent valere professionem factam in monasterio virorum, si in hoc sexu præualeat, & monialium, si præualeat in sexu fæminarum, ipsummet tamen reclamare posse, immo monasterium eiicere posse non seruato Tridentini decreto, ub periculum incontinentiæ in professis.

Casum, quem refert Portel. v. Professio Hermaphroditi de moniali quæ pondere sarcinæ in virum erupit, expendi contra eundem *Portel. in Tract. de Profess. regul. cap. fin. de Reclamat.* vbi multis probaui, professionem illius putatæ fæminæ fuisse nullam, eo quod reuera vir erat habens virile membrum absconditum ab initio sui ortus, quod ratione orificij videbatur prius fixura vuluæ, illuc lectorem remitto. Et ita aliis citatis docet *Diana part.5. tract.14. resol.49.*

Quæres 33. An Bigamus possit ingredi religionem, & in ea profiteri in numero clericorum sine alia dispensatione?

78 Respond. Affirmatiue, quia Bigamus licet sit irregularis, ac proinde non possit recipere ordines, neque promoueri ad prælaturas, non impeditur tamen ab ingressu religionis, cum ingressus in religionem, & in ea professio sit quid diuersum à promotione ordinum, & prælaturarum, quare cum ex diuersis non fiat illatio poterit ante dispensationem ingredi, siue sit bigamus verus, siue interpretatiuus, siue similitudinarius. *Vide quæ dixi de bigamis Resol. 11. quæst.6.*

Quæres 34. Quidam acceptatus fuit ad habitum religionis, & in examine repertus ignorans pro statu clericali, nihilominus introductus fuit in nouitiatum gratia amicorum, & cum spe proficiendi ad discendo literas. Modo in fine nouitiatus, an possit repelli propter duas rationes, & quia vana fuit spes, parum enim, aut nihil didicit, & quia mentitus est in examine circa ætatem asserendo se habere annos viginti duos, & compertum est habere annos triginta, & vltra?

79 Respond. Si nullum aliud habet impedimentum neque defectum ex obseruatione educationis non est expellendus, quia Patres conuentus introduxerunt in nouitiatum animo admittendi illum ad professionem in fine anni, si bene se gesserit in anno probationis, hæc enim est praxis omnium religionum? sed se bene gessit quo ad mores, & seruitium spirituale, ac temporale religionis tempore nouitiatus, vt asseritur, ergo fit illi iniuria si repellatur à professione. Confirmatur, quia quod semel placuit, amplius displicere non debet reg. 21. in 6. Deinde non est mutandum consilium in præiudicium alterius, *reg. 33. in 6.* Præterea, contra factum suum nemo debet venire, *cap. Veniens 5. de filiis presbyter.* Insuper, Turpius eiicitur, quam non admittitur hospes *cap. 25. de iureiur.* Demum minor proponentes casum de hac re dubitasse, cum in eorum constitutionibus decisio huius casus sit expressa, nimirum Nouitium ignorantem ex hoc tantum non esse dimittendum. Nec obstant illæ duæ rationes in contrarium adductæ, non prima, quia sciebant spem illam futuram esse parui momenti, præterquamquod asseritur Magistrum fuisse negligentem in instruendo illum. Secunda continens deceptionem, vt quæ est quid extraneum à negotio professionis non pertinens ad eius valorem, ideo nouitio non obstat, cum sit leue mendacium nulli præiudicans, ex quo neque meretur expulsionem.

Quæres 35. An capitulum possit condere statutum irritans professionem non præmissis talibus conditionibus iam respectu professionis, quam nouitij?

80 Respond. Affirmatiue, quia inter effectus legis adest irritatio actus cuiuslibet non facti iuxta requisitam solemnitatem, & qualitatem personarum, passim enim constat in iure irritari alienationes, matrimonia, contractus, non seruatis certis solemnitatibus immo & professionem *ex cap. 15. sess.25.* Concilij Tridentini, ergo hoc idem potest facere religio quælibet, eo ipso quod potest concedere leges, & constitutiones pro bono regimine suorum subditorum. Vide

81 quæ dixi *resol.* 149. *num.*148. Hoc autem decretum in solo capitulo Generali fieri potest, cum materia professionis totam religionem respiciat, & professio omnibus indifferenter sit communis, ergo statutum de illa ab omnibus est faciendum.

Quæres 36. Pater filium suum precibus sæpe hortatus fuit ad ingressum religionis, videns autem se nihil proficere, quia filius parum affectus erat statui religioso, exhortationibus adiecit minas, asserendo se velle eum è domo expellere, & nolle, vt eius panem amplius manducet, sed vt proprio labore, & industria victum sibi acquirat; at filius timens ne sibi prædicta acciderent, quia pater hæc pluries inculcauerat, ingressus fuit religionem, & peracto vtcumque probationis anno ibi professus præcise ex eo, quod adhuc verebatur de paterna expulsione, & de subtractione necessariorum, alias certe non professurus. Quæritur inquam, an huiusmodi timor expulsionis è domo, & subtractionis necessariorum sit metus cadens in constantem virum attentatam professionem irritans in prænarrato casu.

82 Resp. Est metus grauis professionem irritans. Primum suadetur. Tum quia æquiparatur morti, quæ inducit metum grauem, vt omnes fatentur, siquidem alimenta negans necare videtur *l. Necare videtur, ff. de liber. agnosc.* Tum quia timor amittendi non solum omnia bona, sed etiam maiorem eorum partem, & patiendi grauem iacturam in illis, cadit in constantem virum; vt colligitur *ex cap. 2. de iis quæ vi. iuncta gl. Coactus, & ibi Gofred.n. 3. Anchar.n. 6. quos pro se citat Sanch. lib. 4. disp.5. n. 24. §. Ceterum.* Est autem grauis iactura, immo grauissima priuari necessariis ad sustentationem vitæ, vt accidisset huic. Tum quia bona sunt quædam hominis vita, ex l. Aduocati C. de aduoc. diuer. iud. ibi: *Vitam defendunt*, iuxta illud Hesiodi. *Pecunia est anima miseris mortalibus.* Tum quia is casus videtur à simili decisus ex cap. 2. citato, vbi restituitur in integrum ad suum beneficium quidam clericus, qui per metum amissionis patrimonij illi renuntiauerat, dicitur enim in textu, quod eum volebant è domo, & vniuersa possessione expellere, nisi suam ecclesiam penitus abiuraret; sed in casu nostro prædictus frater Ioseph Madius Comensis ex eo, quod eius pater volebat eum è domo expellere, & priuare necessariis ad vitam abiurauit statum secularem proficiendo contra propriam libertatem in religione, ergo tamquam nulliter professus restituendus est suæ libertati, à fortiori sicut ille clericus restitutus fuit suo beneficio, quod est quid minus, potior est enim restitutio libertatis, quam bonorum.

Cum igitur allegatus timor fuerit metus cadens in constantem virum, euidenter infertur secundum, professionem nimirum fuisse nullam, metus enim grauis irritat professionem, quia aufert voluntarium necessarium ad profitendum. *Ita ex cap. Præsens 20. q.3. cap. Perlatum, de iis, quæ vi cap. fin. Qui cler. Nau. cons.6. & 9. de iis qui vi. Graff. tom.1. cons. 1. de regul. Sanch. l.4. c.3. & l.4. disp.6. Vecchius disp. 13. dub. 12. Compend. resol.101. n.67. cum suo doctore, Portel. v. Professio nulla n.12.*

83 Posset facere difficultatem, quod aiunt doctores, necessarium esse vt minitans solitus fuerit exequi minas, quia de his se iactare non est minitari, neq; vir prudens, & constans solet has timere, quia vanæ sunt; in casu a tamen

raioen nostro, cum minæ nun sint verbera, sed expulsio è domo, & priuatio victus sæpius ioculcata, præsumitur pater serio locutus, cum non haberet occasionem se iactandi, sed porius consulendi proprio interesse, vnde *Padilla in l. Interpositas C. de transact. num. 20.* dicit esse præsumptionem pro metum passo, & consequenter professum non teneri probare suum patrem fuisse solitum minas exequi, vt ex ipso refert *Sanch. l. 4. disput. 6. quæst. 3. num. 21.* imò minas exequutus fuit quodammodo expellendo è domo mediante coacto ingressu in religionem. Demum preces importunæ sæpius repetitæ, vt in casu nostro, sufficiunt sine minis ad irritandam professionem, *ex Couar. 4. decret. part. 1. §. 6. fine Villalob. v. Metus n. 73. Veracruz part. 1. Speculi art. 8. dub. 2. ex Sanch. disp. 7. loco citat. n. 5.*

Quæres 37. An professio emissa infra annum probationis causa infirmitatis ex priuilegio Pij V. incip. Sũmi sacerdotij, Dat. 23. Aug. 1570. *apud Confect. Bull. 7. huius Pontificis, pag. mihi 219.* valeat, si nouitius conualescat? Resp. supra *Res. 54. q. 2. nullam esse.*

84 Difficultas tamen potest esse circa hoc priuilegiũ, quia videtur aduersari Trident. c. 15. sess. 25. vbi statuitur neminem posse profiteri, nisi prius per annum steterit in probatione; & cum in concessione huius priuilegij Papa non derogauerit Tridentino, videtur nulla concessio. Nihilominus.

Dico tenere priuilegium, quia alias frustatorium esset, & nihil concederet contra *c. In iis 30. de priuil. c. Abbate 25. de Verb. signif. c. si Papa eod. in 6.* Ita docet *Rodr. tom. 3. quæst. 15. art. 6. apud Pereg. in Comp. suæ relig. v. Nouitius in Schol. vbi alios citat. Tamb. de Martial. disp. 4. quæstion. 6.* Nec obstat obiectum argumentum, quia Papa Concilio derogare potest, sine expressa illius derogatione, vt Doctores attuli supra *Resol. 51. num. 131. & multis tradit Layer. tit. 4. de elect. cap. 19. nu. 25. & 26.*

Quæres 38. An professio eius, cuius informationes receptæ non fuerant contra decreta Summorum Pontificum, ex hoc defectu præcise, nulla sit, quando nullo vitio laborabat nouitius? Procedit quæstio præcise respectu Bull. Sixti V. nam constat per Bullam Greg. XIII. & Clem. VIII. validas esse professiones etiam criminosorum, *informat. omissis, vt de illegiti. dixi resol. 12. n. 19.*

85 Respond. Erat valida professio eius, qui liber erat ab illis criminibus & obligationibus prætermissis informationibus & quia Decretum irritans quantum fieri potest restringendum est, extendendum solum ad id, quod principaliter intenditur, & non ad accessoria, & incidentia, *ex Bartolo in l. fin. §. Titia ff. de liber. leg. Felin. in cap. Causam, de rescr. n. 4. Rodr. in terminis tom. 3. quæst. 54. art. 5.* vbi aliam subiungit rationem fere eamdem, de clausula vltimo loco posita, quæ non intelligitur repetita in iis, in quibus subest diuersitas rationis, *ex Panorm. in cap. Ecclesia vestra de elect. not. 6.* Et quia lex præsumpta, seu fundata in præsumptione non obligat in conscientiâ, sit præsumptionis vitium in aliquo casu deficiat, vt docent. *Homob. part. 5. exam. tract. 5 capit. 8. quæst. 53. Ioannes Valerus de differ. vtriusque iuris v. Lex diff. 12. n. 1. Layman. part. 2. cap 4. §. 3. num. 4. Megalius 2. 2. lib. 2. capit. 7. n. 55. & cum illis citatis Diana part. 1. tract. 10. de legib. resol. 27.* cuiusmodi est constitutio Sixti V. inquit ipse Diana, consequenter tenet professio eius, qui nullo laborauit crimine, licet omissæ fuerint informationes, vt pro se citat *Rodriq. citatum, Gratian. in discep. forens. capit. 413. Betam part. 4. casu 18. Vide quæ dixi resolutione 54. numero 87. & in meo Tract. de profess. regul. cap. 1. qu. 58. & capit. 3. qu. 38. & 39.*

Dixi, *Erat valida*, quia sine dubio post constitutionem Clem. VIII. incip. In suprema, quam extendunt *Mirand. tom. 1. quæst. 19. art. 3. Vecchius disput. 2. de Nouit. dub. 12. Quar. v. Monasteria, & conuentus pag. 314. mihi,* tenet professio, siue præmissæ fuerint informationes, siue non tam criminosorum, quam non criminibus obnoxiorum.

Quæres 39. An professio requirat scripturam?

86 Resp. Quo ad sui valorem scripturam non requirit, quia nullibi hoc in iure præcipitur tamquam necessarium ad valorem professionis; ad bene esse tamen, ne negetur ab ipso professo in præiudicium religionis, neque idemmet professus à religione expellatur tamquam nondum professus facienda est, seu facta in scriptis redigenda est, *ex cap. Vidua 16. 20. quæst. 5. c. Omnes 36. 27. q. 1.* & nouissime constit. Clem. VIII. illis verbis. *Superior cuiuslibet conuentus, in quo nouitiatus fuerit constitutus, particularẽ librum habeat, in quo vniuscuiusque nouitij professio registretur, illaque nouitius professus propria manu, & duo testes, qui præsentes fuerint subscribant. Conuersus verò literarum ignarus professus in eorumdem testium, qui se subscripserint præsẽtia propria manu signum crucis apponat asseruetur que liber, & custodiatur in archiuio, vbi scriptura ad monasterium, seu conuentum pertinentes reponi consueuerunt.*

87 Quicumque testes sufficiunt, etiam religiosi eiusdem ordinis, seu etiam profitentis parentes, agitur enim de re bona, & nulli nociua, *vt docui in Tract. de profess. regul. cap. 6. qu. 14.* De scriptura ad profitendum *Summista cum Vecchio disput. 13. dub. 2. n. 3. Sanch. lib. 5. cap. 3. numer. 5.*

Nouitiæ professioni si aliæ moniales subscribant videtur huiusmodi subscriptio probare, quia mulieribus testimonium in criminalibus tantum negatur, non verò in ciuilibus & spiritualibus *c. Quoniam 3. de testibus immo Glos. 1.*

Quæres 40. An priuilegium concessum alicui nouitio profitendi infra annum probationis extendatur etiam ad ætatem ita quod infra annum decimum quintum, aut decimum sextum ætatis proficere possit, sicut & potest ratione nouitiatus?

88 Respond. Priuilegium præcise restringitur ad annum probationis, ita quod prodesse non potest nisi illis, qui nouitiatum incæperunt in anno decimo sexto ad finem, vel initio decimi septimi ætatis, quod est tempus sufficiens ad profitendum, & hoc probatur, quia aliud est tempus probationis, aliud tempus ætatis, vt de se patet, quare cum sint inter se diuersa, & ex illis non fiat illatio, ex priuilegio nouitiatus non infertur ad ætatem, neque enim priuilegia extenduntur à casu ad casum *arg. cap. Sanc. 9. de priuileg. cap. Cum Capella 16. eod.*

Quæres 41. An inter nouitiatum, & professionem possit mediare tempus, ita ut anno nouitiatus expleto non teneatur statim proficere nouitius, sed possit eius professio differri, & non continuari cum anno probationis?

89 Respond. Non est necessarium continuare professionem cum extremo tempore nouitiatus, & probationis, sed data causa siue ex parte nouitij, vt quia non expleuit decimum sextum annum, vel nondum perfectè didicit sibi incumbentia ad statum religiosum, vel disponere habet de suis bonis, quod requirit forsan aliquot dies, aut menses, &c. siue ex parte conuentus, vt quia abest superior, vel quia in aliis grauioribus occupatus est, vel eius parentes expectantur, vel aliquod solemne festum, in quo debeat profiteri, &c. in his & similibus differri potest professio, non obstante Tridentino decernente *cap. 16. sess. 25. vt Finito tempore nouitiatus, superiores, nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è monasterio eos eiiciant;* intellige si sunt inhabiles. Verbum enim, *admittant*, eum sensum facere potest, vt iudicent habilem, & idoneum ad profitendum, & postea legat professionem. Deinde non adest particula *Statim* vel similis, quæ inferat continuationem professionis cum nouitiatu, quæ prudenti iudicio à Patribus omissa fuit, cum quandoque impossibile sit moraliter loquendo proficere immediate expleto nouitiatu, vt patet in eo, qui nouitiatum ex-

plevit in decimo quinto ætatis anno, neque enim necessarium est, vt nouitius sequenti anno decimo sexto perseueret in loco nouitiatus, sed potest recedere, quia omnia iura nouitio assignant vnicum integrum annum probationis. Quod data causa differendi professionem possit differri, docui *in meo Tract. de profess. regul. cap. 2. q. 68. cum Nauar. consil. 30. de regul. Nald. Professio 8. Rodr. tom 3. q. 17. art. 10. cum suo Compend. resol. 102. num. 62. Sanch. lib. 5. cap. 4. n. 34. Mirand. tom. 1. q. 25. art. 11. Portel. v. Professio nouit. n. 1. Multos citat Barbosa ad cap. 15. sess. 25. Vecchius disp. 11. de*

91 *Nouit. dub.* 5. Si vero professio differatur ex voluntate, & sine causa, adhuc tenet, quia à Tridentino non irritatur, neque determinatio temporis est de forma essentiali professionis, quasi extra illud remotum ab anno probationis, facta professio non teneat, aliter quis non posset nouitiatum peragere in decimo quinto, & profiteri post decimum sextum expletum, quod tamen falsum est; posset forsan quis dicere nouitium in eo casu teneri continuare annum probationis vsque ad legitimam ætatem professionis, sed non placet, quia nullum ius cogit probationem biennij exceptis nouitiis Societatis Iesu, & iura antiquiora quo ad hoc correcta dicuntur per Trident. iuxta quod dixi *cap. 4. q. 3.* & & docet etiam *Vecch. cit. disp. 11. dub.* 2. In terminis quod valeat professio sine causa dilata asseruit *Diana cit. resol.* 128. *de dub. regul. & ego resol. 54. q. 30. num.* 125. *vbi probaui n.* 113. huiusmodi nouitium per annum decimum sextum suæ ætatis, peracto nouitiatu in decimo quinto, posse à locu nouitiatus recedere ad conuentum suæ filiationis de licentia superioris ibi manendo, & expleto anno decimo sexto ibidem profitere.

Quæres 42. Petrus in seculo probabiliter timet sibi mortem imminentem à suis inimicis, immo & male tractatur à suo patre in ipsum pluries sæuiente, Quasi desperatione, vt aiunt, ductus petit ingressum in religionem, in qua admittitur. An expleto nouitiatu, valide profiteatur non obstante illo graui metu, & paterna sæuitia *Peyrin. de sub. quæst. 1. capit. 25. §. 4.* in fine, putat nullam esse huiusmodi professionem, posito quod Petrus nesciat quo alio loco commodius diuertere possit. I. quia professio facta per metum cadentem in constantem virum, qualis est in casu nostro, nulla est, licet metus alio fine incutiatur, vt in allegatis casibus. II. fauet Trident. sess. 25. cap. 16. ibi: *Ne hoc occasione discedere nequeat*; vbi supponuntur bona nouitij tradita monasterio impedire libertatem eius, quod si temporalia bona eam impediunt libertatem, multo magis metus mortis. Quib. non obstantibus.

92 Resp. Illa professio emissa à Petro valida est. Probatur. Tum quia quamuis professio ad hoc vt valeat requirat proprium arbitrium, & voluntatem, ita quod à nemine quis debet cogi profitendum, vt palam est, & traditur *capit. 1. 20 quæst. 3. cap. Sicut 7. 20. quæst. 1. cap. Praeterea. cap. Præsens 20. quæst. 3. quos cum Doctoribus aliis citat ipse Peyr. de Prælato quæst. 3. cap. 1. num.* 78. in quibus locis asseritur nulla professio, ex metu præsertim cadente in constantem virum, vt omnes docent, nihilominus in illis textibus, & alibi metus dicitur incussus ad hoc. i. in ordine ad emissionem professionis,

93 & non alio fine, vt ad vindictam capiendam, & ex inimicitia, vt in præsenti casu, in quo metum incutientes, & sæuitiam minans pater non intendunt ingressum religionis, sed suam sæuitiam alio fine exercent; illud, nempe sæuitiam, & metum directe respicere ingressum, ostenditur, nam *capit. Sicut 7. 20. quæst. 1.* sic dicitur. *Qui inuiti sunt intromissi.* c. Præsens ibi: *Pater proprio arbitrio extra omnem illius voluntatem cucullam induit* c. 1. *de His, quæ vi.* narratur quemdam nobilem commisisse suis militibus vt suam vxorem suspectam occiderent, illi autem ad siluam vxorem pertrahente gladio euaginato volebant occidere, sed quadam animi pietate ducti pepercerunt sub ea conditione, vt susciperet habitum monachalem, quod & fecit contra suam voluntatem, ex quo Papa mandauit, si de præmissis constaret, non cogeretur reuerti ad monasterium, à quo fugerat ducendo maritum, priore iam mortuo. Ex quibus patet, dictam vxorem de adulterio suspectam de se non elegisse ingressum religionis vt mortem fugeret, sed coactam fuisse ad ingressum, ex quo infertur metum debere immediate incuti ad hoc, & non alio fine, ad effectum annullandi seu impediendi valorem professionis. Tum quia *capit. Sicut nobis 17. de regul.* dicitur valere professionem eius clerici, qui quasi de morte securus intrauit religionem, non obstante metu mortis, quia iste metus à natura (si dici potest) incussus non fuit eo fine, vt ægrotus profiteretur in religione, sed ipsemet infirmus propria voluntate deliberauit se ad profitendum in religione, occasione accepta ab infirmitate suggerente sibi electionem religionis, sic in casu nostro occasione accepta à sæuitia parentum, vel inimicorum Petrus propria sponte, quia à nullo impellente homine, se deliberaui: potius ad electionem religionis, quam ad permanentiam in seculo cum illis imminentibus periculis, ad quæ superanda sua sponte medium huiusmodi religionem ingrediendi elegit, vnde *Valent. 2. 2. disputatione 6. quæstion. 6. p. 4. Neque verò,* asserunt incutientem metum eo animo, vt quis perterritus eligat votum, non esse causam annullantem votum ab illo factum, vt euadat incolumis, dummodo vouens ignoret animum incutientis timorem reddere in eum finem, vt votum extorqueat, quia cum ignoret illius grauem intentionem non coactus, sed libere eligat illud medium, vt incolumis euadat, voluntarie vouere dicitur. Tum quia huiusmodi sæuitia incognita ab ingrediente, qualiter incutitur ad inducendum aliquem ad ingressum religionis, censetur ac si esset metus ab intrinseco illatos, cum respectu passi nullam habeat rationem coactionis cum ignoret sibi incussionem fieri ad ingressum, quos ad hoc citaui *cap. 2. de profess. regul. qu. 12. §. Tertia,* sed metus ab intrinseco illatus non inficit votum, vt docent omnes. Tum quia secundum *glos. ver. Ad resignationem cap. Ad audientiam 4. de iis quæ vi.* licet metus interuenisset in præstatione iuramenti, vel alicuius promissionis, in resignatione beneficij si postea non intercessit metus, beneficium, qui resignauit petere non potest, quia sponte postea resignauit, sublata enim est proxima causa turpitudinis violentiæ. *l. 2. C. eod. l. Si ob turpem causam ff. de cond. ob turp. caus.* Sed Petrus dato etiam quod coactus fuerit ex illa sæuitia ad primum ingressum, censetur in secundo omnino libere se habere ad professionem, quia sublata fuit proxima causa violentiæ per integrum nouitiatus annum. Tum quia matrimonium celebratum ex metu 94 graui incusso alio fine, quam ad extorquendum matrimonium tenet, secundum communem Doctorum cum *Sanch. li. 4. disp. 12. de matrim.* ergo & professio, tenet enim consequentia ab hoc ad matrimonium spirituale. Tum quia alia vota tenent facta ex metu graui incusso 95 non ad hoc, sed alio fine, docent *Nau. c. 12. n. 52. Sanch. capit. 3. lib. 4. num. 4. & alij communiter cum Bonac. de voto puncl. 3. §. 1. propos. 2.* & clarum est ex illo Psal. *Reddam tibi vota mea, quæ locutum est os meum in tribulatione mea.*

Ad rationes Peyrini respondetur ad primam negando quemlibet metum grauem quouis modo illatum inducere nullitatem professionis, & cuiuslibet alterius voti, siquidem necesse est vt incutiatur ad extorquendum votum, quia id, quod ex sua conditione aptum non est ad aliquem effectum procedendum, sed tantum suam sumit virtutem ad eum effectum dependenter ab intentione agentis, talem effectum gignere non potest, nisi etiam concurrat inceptio agentis, actus enim humani specificantur à fine, propter quem fiunt, modo incussio mortis, sæuitiæ, & huiusmodi ex se non habeat nullam reddere professionem, sed dependenter ab intentione agentis incutientis, quod sicut suos actus

actus non ordinat ad professionem, ita neque illius valori obesse possunt. Ad secundam ex authoritate Concilij, dico nihil probato pro Peyrino, sed solum innuitur ibi, per traditionem bonorum nouitij factam monasterio impediri eiusdem discessum, ex eo enim quod secum mente reuoluet, si discedat, difficile tradita recuperabit, eligit potius remanere in religione, quam discedere, qua occasione liberum plenius non habet exitum, quamquam ex hoc non cogatur remanere, sed tantum occasionem habeat profitendi; vsum autem fuit Tridentinum eo termino, *Occasione*, sufficienter indicare volens non impedire efficaciter professionem ex traditione bonorum, sed sortiri effectum valoris, occasio enim ex illâ traditione est causa impropria, & remotissima, *Tiraq. in reg. Cessante causa limit.* 13. *num.* 8. *Rota vol.* 1. *decis.* 812. alia est enim causa, alia occasio cap. Solitæ de maior. & occasio in iure non spectatur, *Gralenz & Tiraq. cit. consil.* 5. *numero* 73.

96

Hanc nostram responsionem docet *Vecch. disp.* 13. *de nouit. dub.* 12. *num.* 14. decisam à Rota in vna Romana professionis 23. Iun. 1623. *per Aff. decis.* 297. *num.* 4. requirentem, vt metus incussus fuerit ad finem extorquendi professionem.

97 Sed dices, quomodo sciri potest, Petro inclusum fuisse metum, & sæuitiam alio fine, quam ad extorquendum votum? Colligitur ex eo, quod incutientes mortem erant illius inimici, & sic perterrebant in vindictam, & odium, & cum inimicus semper præsumatur male cogitare de inimico, l. Si inimicitia ff. de his, quibus vt indig. Mar. Anton. lib. 3. resol. 37. num. 4. non est imaginabile, quod Petrus perterrebat à suis inimicis, vt religionem ingrediatur, hoc enim modo non malum, sed bonum cogitarent, & optarent suo inimico. Pater sæuiendo in filium præsumitur id facere, vel quia filius male se gerit erga patrem, vel quia ex alio fine male est affectus in filium, velle autem ingressum religionis filio non est malus affectus, imò optimus; maximè autem sæuitia non dicitur exerceri in filium ad extorquendum votum, quando antea nunquam de religionem ingrediendo cum illo verba fecit.

Quæres 41. An metus grauis ex parte acceptantium ad professionem annullet professionem, sicut annullatur ex parte nouitij? Affirmat *Peyr. de Prælato quæst.* 3. *cap.* 1. *n.* 81. Primo, quia professio est contractus mutuus, ex quo vtrinque par obligatio, ergo eo ipso quod canones irritant professionem factam per metum ex parte profitentis, eandem anullant ex metu admittentium. Secundo, matrimonium metu contractum nullum est ex vtraque parte, ita & hoc spirituale, ex paritate illationis. Tertio metus grauis immutat multum voluntatem, vnde defectu liberi consensus acceptantium nulla est inde secuta professio. Quarto in constit. quadam Iulij secundi, pari pœna plectuntur iniuriantes tam volentes ingredi, quam huiusmodi volentes recipere. Hæc habet, & pro se citat *Lessium lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 61. vbi probat, quia ad valorem professionis non minus requiritur admissio, & receptio, quam traditio, ergo sicut ad firmitatem professionis requiritur libertas in traditione, ita etiam in receptione, & hæc potestas est in superiore, cuius est incorporare religioni professum.

98 Respond. Metus qualiscumque sit ex parte admittentium ad professionem non impedit valorem professionis. Probatur ex dictis in Tract. de profess. regul. c. 3. qu. 19. Et quia iura semper loquuntur de libertate ex parte profitentis; & quia hæc semper est fauore voti, quod non emittitur ab admittentibus; & quia ex parte admittentium non deest consensus, cum etiam consensus coactus sit consensus. Tum quia professionem nullam quis ratificat, & facit per se validam etiam sine consensu conuentus *ex Sanchez lib.* 7. *disp.* 37. *num.* 64. ergo qualiscumque fuerit consensus conuentus tenet professio. Tum quia in admissione ad professionem duo spectantur primo iudicium idoneitatis, quo religio iudicat nouitium aptum ad professionem, & iste actus est potius operatio intellectus diligentis, quam alterius potentiæ ad quod deinde sequitur consensus, & placitum voluntatis singulorum religiosorum, intellectus autem cum naturaliter operetur non est capax coactionis, & violentiæ, sed sola voluntas, quæ in hoc casu parum, vel ferè nihil dicitur cogi, maximè cum operetur iuxta dictamen rationis, secundum quod habet operari, & sic coactio est in bonum non valens impedire valorem professionis ex hoc capite; Quod si cogantur recipere indignum ex iniusto iudicio fertur voluntas, quæ adhuc ex sua libertate licet diminuta in debito consensu in acceptationem nouitij, quod sufficit, quia plena libertas requiritur solum in actibus iure expressis, de quibus *Megal.* 2. 2. *lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 212. inquit requiri plenam libertatem in matrimonio carnali *cap. Cum locum*, *cap. Veniens* 2. *de sponsal.* In promissione dotis *l. Si mulier §. Si dos ff. de eo, quod metus.* In prorogatione iurisdictionis *l.* 2. *ff. de iud.* In authoritate tutorum in contractibus adhibenda, *l.* 1. *§. fin ff. de autor. tutor.* In professione regulari ex communi doctorum ex citatis iurib. in resp. præced. quæst. imò maior, quam in matrimonio, *Portel. part.* 1. *casu* 9. *num.* 9. *& part.* 3. *casu* 32. *n.* 2. Ex parte autem admittentium nihil dicitur in iure, ergo sufficit qualiscumque consensus voluntarius, & si enim dicitur, quod consensus non habet locum, vbi metus, vel coactio intercedit *ex cap. Cum locum* 14. *cap. Veniens* 13. *cap. Consultationi* 28. *de sponsal.* & est regula iuris, id tamen simpliciter verum non est, sed habet locum solum quando consensus debet habere admixtam plenam libertatem, tunc nullus est, vbi intercedit metus, vt colligitur ex citatis textibus in causa matrimonij requirentis plenam libertatem, ex supra positis; quando vero consensus præstandus est sine plena libertate, tunc consensus coactus consensus est, sed sine libertate, sicut voluntas coacta voluntas est. *Thom. regul.* 76. *per cap. Merito* 15. *quæst.* 1. *l. Mulier* 21. *§. Si metu*, *ff. de eo, quod metus. Glos. Conditionaliter cap.* 3. *de bapt.* sicut & turbata voluntas adhuc consensus est, & voluntas, per *Glos. in cap.* 23. *de si non. v. Paucis*, *ex cap. Cum inter R. de elect.* Ex quo duplex voluntas, seu consensus, vnus dicitur liber necessarius nouitio ad valide profitendum, alter solum voluntarius necessarius conuentui pro admissione nouitij ad profitendum, & iste posterior consensus stare potest cum coactione. Secundo ex parte admittentium spectatur incorporatio nouitij profitentis, qui peragendo professionem fit membrum, & pars conuentus simul cum aliis professis fruendo eorum priuilegiis sibi concessis intuitu professionis, incorporatio autem fit à solo prælato, vel alio eius nomine potentis incorporare, & in hac sufficit sola superioris voluntas sine vlla libertate, nam si nouitius est iudicatus dignus vt incorporetur nulla requiritur libertas, quæ est ad opposita, sed potius necessitatur ad incorporationem, sic exigentibus meritis volentis proficere, si vero est indignus etiam sola permissione lectionis formulæ professionis censetur incorporare nouitium profitentem, incorporatio enim magis perficitur facto nouitij, quam voluntate prælati, sicut enim rerum incorporatio fit per solam descriptionem rei aquisitæ inter alia bona, *Bart. in l. Si quando C. de bon. vac. num.* 2. *Megal.* 1. 2. *lib.* 2. *cap.* 27. *num.* 54. ita persona dicitur incorporata per solam lectionem professionis describendæ in libro professorum sola complacentia, vel permissione superioris.

99

100

101

102

Ad obiecta Peyrini dico tunc contractum hunc professionis claudicare quando ex parte vnius consurgit obligatio, & non ex parte alterius modo coacta professio ex parte profitentis, & coacta admissio ex parte conuentus non dicitur claudicare, quia nulla obligatio vtrinque, quotiescumque enim professio nulla est ex parte profitentis vt in casu hoc non dicitur claudicare,

103

care, quia nulla consurgit obligatio; neque dicitur claudicare si adsit coactio solum ex parte admittentium, quia cum in hoc casu teneat professio, ex probatis, nullo modo claudicat, cum vtrinque iam orta sit obligatio ex valida professione, claudicaret autem contractus si ex parte vnius teneret professio, non autem ex alterius parte, ex quo vna pars obligaretur, & non altera, talis autem casus accidere non potest, ita quod si professio tenet, simpliciter tenet fauore vtriusque partis, si nulla est, respectu, seu fauore, aut dispendio vtriusque inualida est. Et nonne quandoque 104 contractus claudicant? nam minoris contractus rescinditur, si illi expediat, *l. Non eo minus C. de procur. cap. Si qua de reb. 1.2. quæst.2.* Præterea minor non potest se obligare aliis, alios vero sibi obligare potest, *§. Pupillus, Instit. de inutil. stipul. & l. Iulianus §. Si quis à pupillo ff. de act. empt.*

105 Ad secundum, matrimonium ideo nullum est, ex quouis amborum contrahentium metu contractum, quia consensus vtriusque est omnino intrinsecus ipsi matrimonio, vt per nullam potentiam dari possit absque consensu contrahentium, docent fere omnes *cum Sanch. lib.1. disput. 26.* est enim consensus de essentia matrimonij *Gabriel in supplem. 4. dist.27. quæst.1. art.1. ibidem Aldr. quæst.2. de matrimonio.* Consensus vero admittentium ad professionem siue accipiatur pro iudicio, & idoneitate, siue pro incorporatione cum adiectis consensibus illis actibus nequaquam est de essentia professionis, quæ præcisè consistit in voluntaria promissione substantialium votorum, acceptatio vero, & eiusdem incorporatio sunt extra illius substantiam, & talia requisita de iure, sine quibus esse non potest professio, nam acceptatio est dispositio præuia ad profitendum, incorporatio vero subsequitur professionem, neque enim quis incorporari potest religioni nisi præuia professione, quæ huiusmodi incorporationis ius dat professo. Quare metus vtriusque contrahentis irritat matrimonium, quia vtriusque consensus est de intrinseca essentia matrimonij, non sic accidit in professione, vt ea sit irrita ex metu vtriusque sed tantum ex metu profitentis, cuius consensus est de essentia, non vero consensus admittentium ex prædictis. Confirmatur, quia in ratificatione professionis inualidæ non est necessarius nouus religiosis consensus, *Sanch. lib. 7. disp. 37. n. 64.*

Ad tertium patet ex supradictis non requiri libertatem consensus ex parte admittentium, sed tantum ex parte profitentis.

Ad quartum de pari pœna iniuriantium ingredientes, & recipientes dico solum argui paritatem culpæ; vel dic pœnas esse arbitrarias legislatoribus, in quorum arbitrio est ponere hanc, & non infligere aliam. Ad rationem Lessij patet ex supradictis differentia de illis tribus, acceptatione, incorporatione, & professione, in qua sola requiritur plena libertas, fauore profitentis, in aliis sufficit quiuis voluntarius consensus.

Quæres 44. Petrus peracto sui nouitiatus anno de more petit publice ad mensam coram superiore & Fratribus admitti ad professionem, Superior inito consilio cum quibusdam suis consultoribus proponit nouitio, conuentus capitulum se nolle illum iudicare aptum ad professionem, nisi publica scriptura à se confecta, & subscripta promittat cedere locum præcedentiæ alteri nouitio, quia paulo post professurus est, maximè, cum ante illum acceptatus fuerit ad profitendum, sed quoniam non habet ætatem sicut iste, necesse est expectare aliquot dies, interim propositum nouitium acceptabunt ad profitendum, & suam subsequenter leget professionem, si tamen prius in scriptis promittat cedere locum alteri nouitio. Cui petitioni alacriter resistens nouitius non admittitur, sed à religione expellitur. Recurrit ad superiorem maiorem, quid agendum?

Respond. Posito quod nouitius sit habilis ad religio- 106 nem, & se benè egerit in anno probationis, debent illum acceptare, ad quod agendum potest superior maior cogere conuentum; Nouitius vero cogi non potest ad cessionem sui loci, quamuis, si velit possit cedere.

Primum, quod nouitium habilem, & idoneum debeant acceptare, probatur. Tum quia expulsio est pœna grauissima ex probatis resol. 54. num. 14. consequenter supponens etiam grauem culpam, quæ tamen in casu nulla reperitur, neque enim cedere tenetur iura sua alicui, vt probatur infra. Tum quia negare suffragium nouitio sine causa est peccatum mortale, ex probatis eadem resol. num. 135. sed hic nulla causa, nisi quod non vult cedere locum alteri, quod non est causa sufficiens, cum causa expulsionis debeat ad expellendum nouitium, esse illicita, & peccaminosa, & tamen non est, vt infra patet, ergo non sufficit ad excludendum nouitium.

Secundum, quod Prælatus possit præcipere Priori, 107 & conuentui vt admittant nouitium idoneum, si aliud non obstet, suadetur. Tum quia prælatus debet procurare negotia sui monasterij cap. Edoceri 21. de rescr. inter quæ est ne cui siue professo, siue nouitio, fiat iniuria, sunt enim superiores rerum, & personarum, quarum iustitiam tueri debent. Tum quia prælati æquiparantur tutoribus, & curatoribus *Glos. v. Ecclesia cap. Audiuis, de in integr. per Autent. de eccl. §. fin. collat. 9.* Tutores autem, & curatores non tantum curam gerere bent rerum pupilli, & minoris, sed etiam procurare dedebent, ne ipsis aliqua inferatur iniuria in persona, & illatam propulsare totis virib. tit. de Tutor. & Curat. ergo idem facere tenentur prælati, qui sunt tutores non solum bonorum monasterij, sed etiam suorum fratrum etiam nouitiorum, quos protegere debent. Tum quia debet corrigere excessus suorum subditorum cap. Vt famæ 35. de sent. excom. neque enim prælatus excusatur ignorantia in peccatis subditorum cap. Quamuis 10. de regul. in 6. multo minus ex scientia, vnde prælati negligentia peccatum est mortale, *Glos. v. Reatu,* 108 *cap. Ex quæ de off. archid. per cap. Dictum dist. 81.* imò & taciturnitas dissimulando excessus subditorum. *Glos. cap. Sancta 55. 2. quæst. 7.* Cum ergo prælatus sub mortali teneatur corrigere excessus suorum subditorum, & sciat expulsionem illius nouitij fuisse iniustam ex eo præcisè, quod noluit cedere locum alteri, potest, & debet præcipere conuentus capitulo, vt nouitius admittatur ad profitendum, quod præceptum succedit loco dignæ pœnitentiæ in transgressores, in quo enim quis deliquit, in eo puniri debet, ex vulgaris iuribus, deliquerunt autem in expulsione idonei nouitij, merito puniuntur in coactione, & præcepto admittendi nouitium expulsum.

Neque mihi dicas, illos cogi non posse ad id, quod 109 in eorum est arbitrio, acceptatio nouitiorum ad profitendum est arbitraria superiori, & conuentui. vt clarè colligitur ex Trident. capitulo 16. sessione 25. ibi *Superiores nouitios, quos habiles inuenerint ad profitendum admittant, aut è monasterio eos eiiciant.* Ecce clara libertas, & arbitrium admittendi, vel reiiciendi nouitios, consequenter coactio superioris maioris ad hoc factum se extendere non potest. Nam respondeo ex supradictis præcedenti quæstione, non requiri consensum liberum in acceptatione, sed sufficere voluntarium. Præterea qui libere agere debet non habet debitum operandi, consequenter cogi non potest, coactio enim supponit debitum in passo, in casu autem præsenti, Prior, & conuentus habent debitum admittendi nouitium fundatum in eius idoneitate, ergo cogendi sunt à superiore, frustatoria enim esset eius potestas ad hoc, si cogere non posset, omnis enim externa potestas coniunctam habet coactionem, *cap. Pastoralis, de off. deleg. l. fin. ff. de off. eius cui mand. est iur.* Neque Tridentinum dat arbitrium, quia illa particula, *admittant,* refertur

refertur ad habiles, alia *eiciant* respicit inhabiles, & indignos, vt dixi, & probaui *cap.3. de admittent. ad profess. q.22. & hic supra q.5.*

Tertium, nouitius cogi non potest ad cedendum iuri suo de præcedentia acquisitura professione, suadetur. Tum quia nemo tenetur dare honorem suum alteri, iuxta illud: *Honorem meum nemini dabo*, est autem præcedentia aliqua species honoris cap.1. de maior. Tum quia non habet debitum cedendi, ergo cogi non potest, coactio siquidem supponit debitum ex supradictis. Tum quia iure suo nullus est priuandus sine culpa, & causa, Reg. 23. in 6. hic autem nulla subest culpa, neque causa, cum per nullam causam primogenita quis renunciet in religione, id enim nunquam practicatum fuit. Demum, & si quisque iuri suo, modo aliis non noceat, renunciare possit, *cap. fin. de falsi. l. Si quis in conscribendo C. de episc.* non tamen dicitur, quod debeat renunciare, aliud enim est verbum *Potest*, quod affirmatiuè sumptum importat liberam voluntatem, *Bart. cum aliis in l. Gallus ff. de lib. & posth.* verbum vero *Debet* importat necessitatem, *Glos. v. debent, Clem. Attendentes, de statu mon. Tiraq. de Retractu consang. §. 1. Glos. 15. fine.*

Quid si cedat iuri suo, & post professionem processu temporis cognito quid importet habere præcedentiam iuxta tempus professionis, experiendo sibi id fuisse præiudicium graue in futurum possit repetere, id quod cessit? videtur quod non, quia nemo redire potest ad id, quod renuntiauit, *cap. Ex transmissa, de renunc. cap. Quam periculosum 8. 7. quæst. 1.* quia remittentibus actiones suas non est dandus regressus ad eas. *l. Quæritur, §. Si venditor ff. de ædil. edic.*

Dico, si in scriptura renuntiauit expressè ius præcedentiæ loci, is, in cuius fauorem renuntiauit aliud prætendere non potest nisi præcedentiam loci in sessionibus mensæ, & incessionibus processionum, non in capitulis, quia cessio loci alia est à cessione primo consulendi, decidendi, & suffragandi, itaque in capitulo sedebit prius, quia sessio cum sit qualificata à sua qualitate regulanda est, & ratio prædictorum est, quia renunciatio est stricti iuris, in qua venit solum expressum, 110 *Calder. consil. 5. de præbend. Dec. consil. 419. numero 9. Mar. Anton. lib. 1. resol. 108. num. 18.* & ideo non extenditur vltra id, quod exprimunt verba, *Aymon consil. 290. num. 6. Rota Rom. in Nouiss. vol. 1. decis. 664. num. 8.* & ideo stricte interpretanda est, vt minus lædat renuntiantem, quam fieri possit, *per l. Si domus ff. de seruit. præd. Beccar. consil. 111. num. 31. Surd. consil. 446.* neque in dubio quis præsumitur renunciare iuri suo, *Cephal. cons. 286. numero 29. vol. 2. Dec. consil. 314. Mar. Anton. lib. 2 resol. 23. num 14.* Quod si renuntiauit omnia iura sibi competentia virtute professionis in omnibus posterior esse debet illi, in cuius fauorem renuntiauit, & sic in quibuscumque actibus, & iuribus etiam electionis passiuæ.

111 Si tamen probet læsionem, & potius coactè, quam liberè se renuntiasse ad effectum profitendi, tanquam iure spoliatus contra iustitiam restituendus est à superiore, & facile probatur læsio tum ex ætate minori, tum ex sequenti professione, tum si nolebant eum admittere ad professionem, tum si erant parum amici ipsi & cui renuntiauit, hæ enim sunt rationes sufficientes ad probandam læsionem, & coactionem, consequenter nullitatem renuntiationis, quæ est nulla contra propriam voluntatem facta, cap. Super hoc, de renunt.

Quæres 45. Superior conuentus vbi est deputatus locus nouitiatus prædicandi causa discessit à loco relicto locum tenente, qui suas vices gerere, instat tempus, quo nouitius debet petere professionem. An Vicarius, seu Locum tenens possit simul cum conuentu nouitium recipere ad professionem sicut poterat superior, si non recessisset ad prædicandum? In resolutione huius difficultatis vnusquisque consulat Regulam, & statuta sui ordinis, & Viceprior videat quam facultatem sibi tribuit Prior dum illum sibi substituit, & præsertim an Prior iure ordinario possit recipere nouitium ad profitendum.

112 In mea religione cap. 19. Regulæ constat solum Generalem, & Prouincialem habere hanc facultatem recipiendi nouitios ad professionem cum consensu Fratrum illius Cœnobij, in quo pro tempore nouitius mansit in probatione, consequenter ex hoc capite videtur respondendum Vicepriorem nouitium recipere non posse, quia Prior maiorem facultatem non potuit transferre in suum vicarium, quam sibi competit Reg. 79. in 6. cum ergo Priori non competat facultas recipiendi nouitios, hanc potestatem, qua caret in suum vicarium transferre non potest.

113 Respond. Ille locumtenens simpliciter constitutus siue à lege, siue ab homine, hoc est, superiore locali ad supplendas suas vices dum absens erit, poterit efficere quicquid posset ipse superior si præsens esset, nisi ex regula, vel statuto ordinis requireretur speciale mandatum dandum à Priore constituente sibi Vicarium, ac proinde potest admittere cum suo conuentu nouitium ad professionem, & illum incorporare religioni, Probatur quia Vicarius succedit in omnia iura Prioris, si nullum ius sibi reseruauit, maximè, quando longe, & multum abest *Mirand. tom. 2. quæst. 20. art. 1. concl. 2.* & sic non solum in iura ordinaria, cum aliena non committat, *cap. 1. Ne prælati vices suas, iuncta glos. v. Vices meas*, verum etiam iura delegata specialia quæ spectant ad gubernationem domus, cuiusmodi est receptio nouitiorum, si enim iste Prior per delegationem sibi factam potest quoscumque nouitios sui conuentus recipere, sic exigente etiam qualitate nouitiatus sub illius cura, sequitur quod hæc delegatio sit cum iurisdictione ordinaria, delegatus enim ad vnum genus causæ in vniuersum ordinarius est in illo genere, *Sanch. libro 3. disp. 31. initio vsque ad 6. num.* consequenter venit sub illa commissione Vicepriorarus. Confirmatur, quia Viceprior vti subrogatus in locum prioris eius naturam sapit, & censetur eadem persona cum ipso, cuius vices gerit, *Chisan. decis. 184. & ex eo Rota Rom. in nouiss. vol. 4. decis. 870. num. 1.* Et ex his patet ad rationem dubitandi, quare si prior non habet hanc facultatem, sed singulis vicibus admoneat superiorem, Viceprior non poterit admittere ad professionem, sed debebit expectare responsum à superiore maiore.

Quæres 46. An facultas recipiendi nouitium delegabilis sit à priore cuilibet personæ. Mouet difficultatem Diana resol. 70. de dub. regul. obiiciendo sibi Valerum asserentem, incorporationem nouitij in monasterio pertinere ad prælatum monasterij, vel ad alium prælatum de licentia proprij, & sic videtur excludere simplicem sacerdotem, & multo magis non sacerdotem de licentia superioris posse nouitium incorporare religioni, citando pro se *Vecchium disp. 13. dub. 1. nu. 17. vbi citatur Cuchus lib. 3. tit. 1. de regul. num. 54. & Villalobos tom. 2. tract. 5. diff. 20. num. 5.* qui postremus asserit de licentia prælati posse non solum sacerdotem ordinis, sed etiam Episcopum, clericum, aut etiam laicum, imò & per solam ratihabitionem. Noto ego in admis- 114 sione ad professionem duo spectari acceptationem nouitij iudicati digni ad profitendum, quod iudicium cum suo consensu spectat ad totum conuentum cum superiore eiusdem conuentus, in quo nouitius peregit nouitiatum, & huiusmodi acceptatio non est delegabilis, sed spectat ad eos religiosos, qui conuersati sunt cum nouitio in eodem conuentu, quia huiusmodi acceptatio includit iudicium de habilitate, & idoneitate nouitij, quod ferri non potest nisi per eos, qui cum nouitio conuersati sunt, vel saltem maior pars eorum requiritur, ne cæcum dicatur iudicium factum ab iis, qui mores, & vitam nouitij penitus ignorant, cum enim iudicium sit actus intellectus, qui non fertur in incognitum, ex doctrina Philosophi, necesse est quod

pro

pro nouitiis fiat à religiosis, qui cum eis conuersati sunt. Alterum quod spectatur, est acceptatio professionis factæ à nouitio coram superiore, ex quo sequitur incorporatio eiusdem in monasterio, & de hoc procedit principaliter difficultas resoluenda in seq. responsione.

115 Respond. Habens iure ordinario, vel etiam delegato in genere facultatem, & ius incorporandi nouitios potest dare licentiam etiam simplici sacerdoti recipiendi nouitium ad professionem; imò puto ordinarium prælatum posse huiusmodi licentiam dare etiam cuilibet extraneo ecclesiastico, etiam conuerso religiogionis, imò & laico seculari.

Primum, de licentia dandi cuilibet sacerdoti suæ religionis, suadetur; Tum ex cap. Ad apostolicam, de regul. ibi: *Abbate per se vel per alium professionem recipiente monasticam*. Tum quia iste actus expediri potest etiam per alium, per illam reg. 68. Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum, quæ procedit in negotiis solo consensu perficiendis, Sanch. lib. 7. disp. 59. num. 2. & 9. posita autem licentia solo consensu perficitur incorporatio nouitij per emissam professionem, neque vllo iure prohibetur hunc actum perfici per tertium.

Secundum de licentia data etiam extraneo quocumque ecclesiastico suadetur, quia illa conditio extranei non impedit incorporationem, cum sufficienter tollatur difficultas, si qua esset per licentiam concessam, secundum quam delegatus censetur actum expedire ac si esset ipsemet prælatus concedens licentiam, cum delegatus virtute delegantis operetur, ac eius vices gerat *Glos. v. Vices nostras cap. Sane 11. de off. de leg. per iura ibi allegata*. Confirmatur, quia extraneo, & non subdito delegatio fieri potest, *arg. cap. In Archiepiscopatu, de rapt. iuncta glos. v. Commiserit*.

Tertium de laico religioso, aut etiam seculari constat ex eo, quod iste actus non est iurisdictionis, nec ordinis ibid. num. 8. sed superioritatis, quæ est facultas communis tam Ecclesiasticis, quam laicis, cum & inter laicos detur superioritas in subditos suos infra numero 73. Nec obstat quod receptio professionis sit

116 actus spiritualis, cuius est incapax laicus, quia laicus non est incapax cuiuslibet actus spiritualis, sed solum illius, qui supponit iurisdictionem, vt sacramentorum administratio, censuram fulminatio, &c. videmus enim laicos confraternitatis tractare negotia suæ societatis, & recipere in societatem quoslibet volentes describi, & incorporari in ea, & similia facere, quæ non sunt iurisdictionis, Deinde laicus constitui potest procurator in causis spiritualibus cap. 1, de procur. in 6. præterea receptio quo ad professionem est quid spirituale, quo ad incorporationem est quid temporale adnexum spirituali. Et in hoc casu non concessibili, nisi necessitate vrgente, non licet laico recitare illas preces, quæ præmittuntur, & postponuntur professioni, sed illi sufficit interesse nouitio, dum legit professionem illam acceptando, & simul incorporando nouitium professum religioni iuxta mandatum sibi datum. Iterum de hac re dixi *cap. 3. de admitt. ad profess. q. 17. Sanch. lib. 5. cap. 4. n. 77. alios doctores citat*.

Quæres 47. Frater N. amicus superioris putans se illi non displicere nullam habens licentiam acceptatione professionis incorporat professum nouitium religioni sub spe ratihabitionis, sperans id gratum esse futurum superiori. An huiusmodi professio, & incorporatio teneat?

117 Respond. Ratihabitio de præsenti, non autem de futuro sufficit ad hoc, vt non habens licentiam acceptandi nouitium ad professionem possit illum admittere tam ratione iudicij, quam incorporationis. Pro intelligentia, & probatione huius responsionis.

118 Notandum est, quod ratihabitio est quædam species licentiæ tacitæ, qui idem operatur ac licentia expressa, seu mandatum ad aliquid agendum, exempli gratia ego nomine tuo emi fundum absque tua licentia, & mandato, tu autem huiusmodi exemptionem laudas, & ratam habes, ac si ipse tu fundum emisses, vnde postea à re huiusmodi ratificatione, tibi quæritur dominium, & possessio fundi ab eo ipso die, quo ego emi, quod probatur per illam regulam 10. num. 6. dicentem. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari*. Effectus igitur Ratihabitionis talis est, vt efficiat gestum retrocedere ex parte ratificantis, ac si ab ipso factum esset eodem tempore, quo alter illud fecit, vnde in hoc comparatur mandato, quod sicut initio facti abest, ita ratihabitio fingitur retrotrahi, ac si ab initio facti interuenisset. Ad hoc autem vt ratihabitio locum habeat in comparatione ad mandatum plura requiruntur.

Primo requiritur, quod faciendum non exigat ad sui valorem præsentiam seu licentiam ante, vel in ipso actu facti, hinc est, quod à tutore absente non potest ratificari gestum à pupillo, quia requiritur præsentia tutoris *Instit. de author. tut. Glos. v. Lata cap. 1. 9. qu. 2.* Similiter matrimonium celebratum coram sacerdote alieno non habente licentiam, nullum est, quia hæc licentia requiritur initio celebrationis, & non sufficit spes ratihabitionis faciendæ postmodum à Parocho, *Sanch. lib 3. disp. 35. num. 17.* Item data absolutio à simplici sacerdote cum spe ratihabitionis, nulla est, quia initio licentia requiritur, *Graff. lib. 1. decis. acer. cap. 17. num. 3. doctores citat Bossius tit. 3. de Iubil. casu 2. n. 140.* In casu nostro de acceptione ad professionem idem dicendum erit non habere locum ratificationem de futuro, defectu huius primæ conditionis negatiuæ, nam 119 certum est ad valorem professionis, & eiusdem acceptationis, requiri licentiam in ipsomet actu acceptionis vt multis probaui *capit. 3. de admitt. ad profess. quæst. 6. 8. & 9.* Huiusmodi licentia requisita colligitur *ex cap. Porrectum, cap. Ad apostolicam, de regular. cap. Consuluit, cap. Insinuante, qui cler.* aliter sine licentia recepta professio nulla est, *Innoc. in cap. Porrectum, Nau. consil. 39. de regul. & tom. 3. Comment. 4. num. 73. Sanch. lib. 5. cap. 4. quæst. 2. num. 62.* Quare ratihabitio de futuro illam supplere non potest, cum hæc habeat locum solum, quando gerendus actus licentiam non requirit in suo fieri, quia quod ab initio nullum fuit ra- 120 tum haberi non potest, *tex. in l. Bonorum ff. rem ratam haber. Sanchez lib. 2. disp. 36. num. 3.* Et confirmatur, cum non entis nullæ sint proprietates, & passiones, ex vulgatis iuribus; Si vero sermo sit de ratihabitione de præsenti, qualis est illa, per quam quis efficit aliquid vidente, sciente, & non repugnante superiore cum commode possit, huiusmodi enim tolerantia, & permissio succedit loco licentiæ tacitæ, seu interpretatiuæ sufficientis ad valorem facti, cum sit in fieri ipsius actus gesti, consequenter simul cum ipso, ex quo illi non deest licentia, per quam professio valide admittitur, & emittitur à nouitio. Hanc autem ratihabitionem de præsenti sufficere in iis, quæ ad sui valorem antecedenter, vel in suo fieri requirunt licentiam multis probat Sanchez occasione matrimonij lib. 3. disp. 35. num. 20. Ex quibus manet probatum ratihabitionem de præsenti, non autem de futuro habere locum in professione subsistente admissa à non habente potestatem, ab aliquo superiore vidente tamen, & approbante factum.

Secundo vt ratihabitioni sit locus in retractu necesse est, vt factum gestum sit nomine eius, qui illud ratificaturus est, vt colligitur ex præcedenti regula 9. illis verbis. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum*. Fallit hæc conditio in spiritualibus, quæ rata haberi possunt, licet non fuerint facta nomine ratificantis, Glos. v. Consentire cap. Quod sicut 28. de elect. vbi iura citantur ad hoc. Licet autem professio sit quid spirituale, nihilominus quia inuoluit rationem contractus onerosi non solum nouitio, verum etiam religioni, idcirco receptio facta sine nomine superioris, ad quem spectat admittere, nulla erit in rigore huius conditionis deficientis, tamen quia superior factum

scit

scit, & videt exoletur illud approbare, stante etiam iudicio facto à conuentu non solum de idoneitate nouitij, sed etiam de vtilitate monasterij, qua releuatur onus, videtur nulla difficultas.

Tertia conditio est, vt factum possit aliis mandari ab eo, qui ratificaturus est illud, *Glos. fin. cap. 3. de iis, quæ fiunt à prælat. Nau. cap. 17. n. 133. §. Nec obstat, Nald. v. Ratihabitio breuiter.* Ratio est, quia sicut mandatum explicatum per tertium, ita & res gesta debuit posse explicari per tertium, vt possit comprobari mandato, vnde non habet locum regula in peccatis luxuriæ, quæ per tertium non committuntur, neque in sententiis, & testimoniis ferendis ex citata Glos. Patet autem ex probatis præcedenti q. 10. admissionem ad professionem à prælato posse committi aliis.

Quarta, extrema temporis debent esse habilia, id est, necesse est, vt ratificans potuerit mandare factum ab initio temporis, quo factum fuit, debet enim terminus ad quem retrocedit esse habilis *Glos. fin. cap. 3. de iis, quæ fiunt à prælat.* vnde Infans non potest ratum habere gestum nomine suo tempore infantiæ; alterum extremum est, ne tempus fuerit præteritum, vt si ego habeo præfixum tempus ab amico ad occidendum inimicum, si tempore transacto amici nomine occido, non habet locum ratihabitio, quia hoc extremum habile non est, *Sanch. lib. 7. disput. 78. n. 6. Nald. cit. Bart. in l. Si is de Vsucapt. Abbat. in cap. Tanta, qui fil. sint legit. Nau. cap. 17. n. 233.* In casu nostro patet superiorem mandantem esse habilem, vt suppono, & tempus proficiendi esse secundum iura, &c.

Quinta est, quod ab alio factum teneat, *Glos. v. Teneatur cap. Prudentiam 21. de off. deleg.* vbi lata sententia a duob. tertio absente, non potest rata postmodum haberi à tertio, quia ab initio fuit nulla, & quod nullum est ratificari non potest, vt dicit ibi *Abbas n. 19. Host. in cap. Dilectus, de spons. ibi Ioan. Andr. Anchar. Sanch. loco citato supra §. Prima.* Quod autem, ad rem nostram, admissio tenere non potest, nisi præsente superiore ex supradictis sub prima conditione, quæ parum differt ab hac.

121 Aduerte hic, quod aliud est ratihabitionem retrotrahi, aliud ratificare gestum nullum, nam Ratihabitio actui iam valido tribuit vires, & illum confirmat prout ex tunc, i. eo tempore, quo factum fuit, hoc enim significat ratihabitionem retrotrahi ad tempus actui gesti, & præterea duas respicit personas, quarum vna est, quæ operatur nomine alterius, cuius postea erit operatum confirmare, approbare, & conualidare, altera persona est ipse confirmans, acceptans, seu approbans factum nomine suo, itaque actus gestus duos respicit, à quibus dependet. Ratificatio vero supponit actum nullum, & illi adueniendo tribuit valorem, & ponit in esse, aliquando cum retrocessione pront ex tunc, i. incipit valere habito respectu, quando primo attentatus fuit, quo ad suos effectus, & in hoc sensu conuenit cum ratihabitione, ratione cuius actus retrotrahitur quo ad suos effectus, ac si initio tenuisset, ab ea vero differt; quia actus spectatur prout factus semper ab eodem. Quandoque actus nulliter gestus ratificatione incipit valere etiam quo ad suos effectus, prout ex tunc, i. solum quando ratificatur. In vtroque autem sensu id est commune, quod valor actus gesti simul est reuera cum ratificatione illi dante esse verum, & validum, quod antea non habebat, quandoque vero dicitur ratificatio retrotrahere actum nullum valore accepto, in quantum eius effectus spectatur, ac si ab initio tenuisset factum. Sed in quibus casibus Ratihabitio, seu ratificatio retrotrahit effectus ipsius actus alias nulliter facti? In multis casibus.

122 Primo retrotrahitur, quando ratificatio conceditur à iure, & lege, quæ actum alias nullum potest habere ratum per fictionem iuris retrotrahendo valorem ad tempus actus nulliter gesti, quo ab homine, si lex non concedat, fieri non potest, cum fingere vtilitet nequeat, *Aretin. consil. 128. n. 4. Bart. in l. Obseruare ff. de off. proconsul. Ruin. consil. 72. n. 10. vol. 3. Natta consil. 262. n. 10. Cacher. decis. 119. Pedemont. n. 26. quos refert Maria relatus a Remigio Sacrosa Dominicano in suo libello de inualid. profess. dub. 18. n. 2.* in re nostra ratificatione professionis retrotrahi ad tempus actus gesti nulliter, & quod ratificatio locum habeat de iure communi in professione *cap. 1. de iis, qua vi cap. Significatum ibi Glos. v. Ratam habuerit, & v. Roboratur, cap. Cum virum, de regul. & cap. 1. eod in 6.* de qua ego per totum cap. 6. de ratificanda professione; nec obstat quod vtraque Glos. citata dicit, professionem recipere valorem ex consensu nouo per ratihabitionē pront ex nunc, enim intelligitur, professio valida ex nunc, quia antea non erat valida, censetur vero valida prout ex tunc quoad effectus suos, respectu quorū dicitur retrotrahi ad primum actum, vt alibi docui.

Secundo retrotrahitur, si nullum adsit legis impedimentum, alias non vbi reperitur iuris impedimentum, *Baldi in l. Si feriatis ff. de ferus.*

123 Tertio retrotrahitur existente habilitate personæ, vt si ego nulliter profeci non defectu ætatis, sed ex alio impedimento, eo sublato ratificatione incipit valere professio retractione suorum effectuum, quando vero persona non est habilis, vt quia profecit in anno decimoquinto non fit retractio: si nulliter professus ratificet suam professionem incæpto anno decimo septimo, tunc incipit valere quo ad omnia. Non retrotrahitur ergo stante inhabilitate personæ, *Iacob. de S. Georg. in l. Si feriatis ff. de fer. n. 5. & 6. Mills in Repert. v. eod. n. 2. Addit. Dec. in l. Semper, de regul. n. 16. Aretin. consil. 128. n. 5. Alex. lib. 5. consil. 78. num. 22. Staril. de Saluan. interd. inspect. 4. cap. 3. n. 19. ad 23.*

Quarto ratificatio non retrotrahitur in præiudicium tertij, cui medio tempore sit ius acquisitum, *per l. Si ego §. Si res ff. de iure dot. Dec. cons. 226. colum. 3. l. Bonorum ff. rem ratam habere ibi doct. Scrofa cit. dub. 18. n. 2. §. Et pro aliis.*

124 Colligitur ergo ex prædictis probatio nostræ responsionis, nimirum admissam professionem sub spe futuræ ratihabitionis sustineri non posse, sed esse inualidam. Tum quia ex dictis ratihabitio non habet locum, quando gestum requirit secum licentiam. Tum 125 quia professio non potest stare in pendenti, sed statim sortitur suum effectum valoris, aut nullitatis *Nau. consil. 31. de regul. n. 5. Sanch. lib. 7. disp. 34. n. 16.* ergo pendere non potest à futura ratihabitione. Tum quia emitti non potest sub conditione de futuro, vt docet *Euer. in loco à Matrim. carn. ad spirit.* à quo valet argumentum ad hoc, sicut ergo ratificatio de futuro non potest habere locum in matrimonio carnali, ita neque in spirituali, *Sanch. lib. 7. disp. 34. n. 16.* Ratihabitio vero de præsenti locum habet in matrimonio spirituali, ex supra probatis, quod est, superiorem approbare receptam professionem à non habente facultatem, in quantum videt, scit, & non contradicit, si potest, virtualiter in ipso actu dando licentiam requisitam, in quo non videtur esse dubium. De ratihabi-126 tione de præsenti idem docet *Vecch. disp. 12. dub. 1. n. 18.* De futuro idem num. 20 dicendo, professionem sub spe ratihabitionis futuræ carere suo valore quousque eam ratam habuerit superior, tunc enim incipit valere, & citat pro se *Boch. in cap. Porrectum de regul. n. 5. Host. Innoc. & Ioan. Andr. Angel. v. Professio 1. Tab. n. 2. Armil. 1. Silu. Religio 3. q. 18. dicto 2. Azor. part. 1. lib. 12. cap. 5. q. 7. Suar. tom. 3. de relig. lib. 6. cap. 11. n. 6.* putat probabilius contra hos professionem suas vires non recipere per illam ratificationem, & bene, quia ratificatio non habet locum in iis, quæ initio non subsistunt ex supradictis requirentia præsentialem licentiam. In nihilo ergo retrotrahitur, sed superior directe debet nouitium incorporare ex quo nouitius ratificatione valide dicitur proficere.

Quæres 48. An laborans morbo gallico, vel epilep-

lia si talem defectum non declarauit in anno probationis, peracta professione expelli possit à superioribus earum religionum, in quibus professio istorum non irritatur Nonnullæ religiones habent decretum vel directè irritans horum professionem, de quo mox dicam, vel saltem indirectè arcens huiusmodi à professione, ex eo, quod Patres, qui concurrunt ad illius receptionem, non intendunt illi præstare sum consensum, si laborat illo morbo, & hac ratione nulla est professio simpliciter etiam respectu nouitij intendentis proficere, quia valor voti solemnis non tantum pendet ab intentione profitentis, verum etiam à consensu recipientium religiosorum, qui illum nullo modo intendunt admittere ad profitendum, & cum professio sit essentialiter contractus, impossibile est, eam existere, nisi sit per vtriusque vnanimem consensum, certum autem est deficere consensum conuentus, consequenter professio in se nulla est, non obstante bona intentione laborantis epilepsia. Hoc decretum in posteriori sensu habent Capucini, & alij, de quibus *Diana part.4. tract.4. resol. 187. de quo ego egi tenere de profess. regul. cap. 3. q. 16.* In priori vero sensu, in quo irritatur professio, ibidem probaui, fieri non posse tale statutum inhabilitando personas ad profitendum, ob rationes ibi adductas. Punctus difficultatis in eo consistit an religio, quæ vtroque statuto caret, sed solum habet simplicem prohibitionem non recipiendi huiusmodi infectos, vel interrogare debent superiores, vt manifestet qualitatem morbi, si habet, tacendo possit, peracta professione ex hoc capite valida, expelli ex eo quod interrogatus tacuit, seu negauit defectum? Affirmatiua pars, quod possit expelli, est *Nauar. Lessij lib. 2. cap. 41. n. 62. Georgij Kiene de castib. reseru. part. 3. cap. 2. n. 7. Fausti lib. 5. Thesaur. relig. q. 212. num. 2. Sa Religio 34. cum alijs, quos pro se citat Diana part 4. tract. 4 resol. 188.* probans ex Lessio, quia in tali casu fraus dedit causam receptioni ad religionem, ergo potest ex illa reiici, quando eumdolus dat causam contractui, vel contractus est irritus, vel certe in irritum reuocabilis; nec obstat, quod professio semel valida non possit irritari, quia id verum est, quo ad obligationem erga Deum, non autem quo ad illam, quæ est inter religiosum, & monasterium. Subdit tamen Diana videndum si sit aliqua noua constitutio, præsertim 127 decretum Vrbani VIII. de professis non expellendis. Quibus non obstantibus.

Respond Iste professus expelli non potest. Probatur, Tum quia eius professio tenuit, ex cap. Sicut nobis, *cap. Sicut tenor, de regul.* in quibus infirmorum professiones validæ sunt, ergo professus habet ius contra monasterium volens expellere, vt se faciat retinere. Tum quia expulsio est grauissima pœna respectu nouitij ex probatis *resol. 54. num. 14.* & à fortiori respectu professi, qui iam acquisiuit ius manendi in religione, ergo hanc pœnam præcedere habet grauissima culpa, qualis est taciturnitas, seu negatio morbi, & sienim sit peccatum mortale illius negatio nihilominus habet circumstantiam minuentem, quæ est vt sibi consulat ob bonum permanendi in religione. Tum quia nullus verè professus expelli potest è religione, nisi sit verè incorrigibilis, iuxta quod habetur ex nouissimo Decreto Vrbani VIII. tit. de regul. Apost. & eiect. Sed sic professus nequaquam est incorrigibilis, vt patet, ergo neque expellibilis. Hanc tenent *Rodr. tom. 3. q. 17. art. 9. Graff. tomo. 1. consil. 4. de regul. nu. 9. Sanch. lib. 5. c. 4. nu. 58.*

Ad obiecta Dianæ, & Lessij dico ex parte nouitij, qui sibi consulere intendit nullum adesse dolum, neque fraudem, à dolo enim excusat qualibet causa etiam iusta non licita, *Alex. vol. 4. consil. 117. n. 8. Grammat. decis. 10. n. 22. M. Anton. l. 3. res. 14. n. 4.* Imò dolus iste, si talis vocari potest, dicendus est bonus arg. eorum, quæ habet *Glos. v. Spos c. Dudum 20. de conuers. coniug.* Ex quo consequenter patet responsio ad sequentem rationem de dolo irritante contractum cui dedit causam, quia in casu nostro ex adductis nullus dolus: Præterquamquod illa ratio habet locum solum in contractibus temporalibus, non autem in spiritualibus, *Glos. v. Captiose cap. Veniens 16. de conuers. coniug. per iura ibi allegata*; & in terminis de dolo dante causam contractui 128 professionis, quod eam non irritet colligitur *ex capit. fin. 20. qu. 3. & cap. Ex parte 14. de conuers. coniug. apud Rodr. & suum Compend. resolut. 101. numero 61. bene Sanch. lib. 10. disput. 9. nu. 20.* vbi de matrimonio carnali, cui dans causam dolus, excepto errore personæ, & conditionis, non irritat, à quo valet argumentum ad spirituale.

Nec obstat distinctio, quod in professione duo spectantur Votum & contractus, ratione primi procedunt mox adducta in responsione, non autem ratione secundi, quia cum monasterium censeatur læsum, poterit expellere nouitium, non obstante voto, quod nulli præiudicium afferre debet. Quia dico votum se habere vt principale, sine quo contractus existere non potest tamquam illi accessorium, ergo posito voto vt valido, consequenter subsistere etiam habet ratio contractus, ac proinde taliter professus expelli non poterit. Demum caritas id non patitur, cum etiam laborans morbo gallico in multis prodesse possit religioni, si enim est sacerdos, inseruiet Ecclesiæ, si concionator in prædicando, &c. consequenter non erit inutilis, neque multum onerosus religioni.

Quæres 49. Dubitans an emissa à se professio teneat, quid concludendum? 129

Resp. Concludi debet professionem tenere, *vt docui cap. 2. de Profitente q. 6. per rationes ibi adductas, & Sanch. l. 1. disp. 8. n. 10, & li. 7. disp. 37. n. 12.* dicit censeri ratificatam, prædictis adde *glos. v. Contradixisse c. Cum virum 12. de reg.*

Quæres 50. An excommunicatus vitandus peccet mortaliter admittendo ad professionem, imò & hat irregularis exercendo aliquem actum ordinis in receptione professionis, & inde secuta professio teneat tam ex parte recipientis, quam recepti. 130

Resp. Excommunicatus nouitius toleratus siue vitandus peccat solum venialiter legendo professionem, Prælatus verò seu alij religiosi eidem communicando non plus peccant quam ipse nempe venialiter si sit denuntiatus, alteri non peccant præcise in dando illi suffragium ad profitendum; assistentes verò illius professioni, & pro ipso fundentes orationes, dum profitetur, prout de more solet fieri peccant mortaliter. Ipse verò Prælatus, & alij suffragantes excommunicati peccant venialiter dantes illi vocem, mortaliter verò exercentes aliquem actum ordinis dum profitetur, ac proinde incurrunt irregularitas. Professio tamen semper valida est ex parte vtriusque.

Prima pars, quod nouitius etiam vitandus legendo professionem peccet solum venialiter, probatur quia excommunicatus priuatur suffragijs ecclesiæ, non quatenus non possit orare pro se, vel sibi benefacere spiritualiter orando, ieiunando, meditando, &c. sed quatenus Ecclesia alijs fidelibus prohibet, ne illi suffragia præstent; legendo autem professionem sibi benefacit, & licet alij hac occasione pro illo orent, non ipse peccat, sed alij, qui prohibentur orare pro illo. Profiteri enim & aliquid spirituale sit, non tamen est ex illis, quæ immediate, & principaliter prohibentur, cuiusmodi sunt suffragia, participatio in sacramentis, auditio Missæ, huius autem generis non est professionis emissio ergo non peccat mortaliter cum non participet in diuinis, sed tantum in spirituali quodam secundario prohibito. *Sic docet Sanch. l. 5. c. 4. n. 36.*

Secunda, quod ei suffragantes ad profitendum non peccent si nondum sit denuntiatus, patet ex eo, quod tenemur vitare excommunicatos solum denuntiatos, in quo casu peccabunt solum venialiter ob rationem superius adductam, quia non communicant in sacris, sed solum in quodam ad spirituale ordinatum.

Tertia

Tertia pars, quod peccent mortaliter fundentes pro eo orationes de more, dum profitetur, probatur, quia cum eo participant in suffragiis Ecclesiæ, & consequenter in sacris, quod est ex primariis effectibus huius censuræ, & hoc licet sit solum toleratus nouitius. *Tambur. tom.3.disp.6.q.19. fine.*

Quarta pars de excommunicatis etiam toleratis suffragantibus, & peccantibus solum venialiter constat, quia cuilibet excommunicato prohibetur communicatio in quibuscumque actibus tum sacris, tum spiritualib. tum ciuilibus.

Quinta pars, quod exercentes tunc aliquem actum ordinis peccant mortaliter, patet ex quod tunc participant in sacris, & hoc accidit soli sacerdoti recipienti professionem nouitij solemniter induto, consequenter euadit irregularis, de quo res est certa. Quod procedit licet nouitius non sit excommunicatus, quia culpa hic attenditur ex parte sacerdotis recipientis.

131 Demum ex parte vtriusq; excommunicati tenet professio ex probatis à me *c.2.de Profitente qu.36.* de suffragantibus vero *ca.3. de admiss. ad profess. qu.14.* Ratio ex parte profitentis est. Tum quia *c. Cum illorum de sent. excom.* supponitur valida. Tum quia non est beneficium Ecclesiasticum. Tum quia acta ab excommunicato vt à persona priuata tenent. Tum quia contractus ab his initio tenent ex Doctoribus citatis à *Diana part. 5. tract.9. de excom.res.128.* Tum quia matrimonium carnale ex Doctoribus citatis à *Sayr.lib.2.de cens. c.9.n.15.* ergo & spirituale. Ratio ex parte acceptantium est, quia id est actus superioritatis, seu simplicis consensus sine iurisdictione, qua sola priuatur excommunicatus vitandus.

De valore professionis excommunicati agunt præter citatos *Sanch.l.5.c.4.n.36. Sayr.l.2. de censur. c.9.nn.19. Rodr.tom 3.q.17.art.14. cum suo Compend.ref.*101.*nu.66. Peyr.de Subd.q.1.c.26.§.2. ad finem. Vecch.disp.12.dub.1.n.3. Bonac.de excom q.3.p.v.n.2. Tambur.tom.3.disp.6.qu.19. n.2.*

Quæres 51. An nouitius possit profiteri per tertium seu per procuratorem? *Glosa in cap. Sciendum 38. 27. q 1.* Ait, quod quis per alium vouere non potest, sicut nec pœnitentiam accipere, *cap. Quem pænitet. dist. 1. de Pænit.* potest verò quis per alium iurare, *cap. Tibi Domino dist.63.* & matrimonium contrahere *cap. fin. de procur.in 6.* Cuius opinio probatur, quia professio est actus personalissimus, ac proinde non potest excedere propriam personam. Deinde per professionem quis se ipsum totum dicat Deo, ergo is actus per seipsum præstandus, cum nihil subesse sibi possit quo procurator constituatur, vel saltem deducat in effectum mandatum. Præterea nemo sacramenta per alium recipit, sed per seipsum. Insuper in professione requiritur industria personæ, vt prius faciendum sibi proponat, postea deliberet, & demum se per promissionem obliget. Demum constitutio procuratoris videtur supponere aliquam necessitatem absentiæ vel alterius incommodi, seu defectus ex parte mandantis, quod in casu nostro abesse videtur, cum nouitius commode proficere possit per se ipsum cum præsens sit habenti facultatem, imò si abest superior, negotium communiter alteri, & sic sufficit constitutio procurationis ex parte superioris. Confirmatur, quia cæremoniæ, quæ fiunt in emittenda professione, tam ex parte nouitij, quam recipientis videntur ita propriæ intransitiue, vt non possint aliis applicari. Tamen.

133 Respondi alias affirmatiue *cap.2.de Profitente qu.31. & 32. cum communi Doctorum Sanch.lib.5. cap.3. num.7. Vecch.disp.13. dub.3. Rodr.tom.3. qu.17. art.13.* & quia id nullibi prohibetur, & quia contrahitur sic matrimonium carnale *cap. fin. de procur.in 6.* & quia alia vota emitti ita possunt, *Sanchez libro quarto cap.25. numero 15.*

Sed quibus verbis mandatum exequetur procurator qui non coacte sit instrutus, sed libere eum speciali mandato de tali religione, quod postea non fuerit reuocatum.

Debet legere verba professionis iuxta religionis, in qua professio emittenda est, constitutionem similibus verbis. *Ego N. procurator specialiter destinatus à N. ad faciendam professionem eius nomine in hac religione N. voueo, & promitto nomine N. &c.* Vel hoc modo: *Frater N. mihi speciale mandatum dedit ad profitendum pro ipso in hac N. religione, proferendo eius nomine sequentem formam professionis, &c.* Proferat ergo verba procurator vel prout iacent nomine nouitij in prima persona, aut in tertia persona sic: *Frater N. de N. promittit, & vouet Deo, &c.* Similia verba per tertiam personam refert *Sanchez libro secundo disp. 11.* in matrimonio procuratorio nomine contracto de mente Doctorum.

Quæres 52. An liber professionis, de quo Clem. VIII. & iura præcipiunt probet pro foro externo?

134 Resp. Affirmatiue, quia computatur inter libros publicos, & autenticos de iure, sicuti probant libri Baptismales, Matrimoniales, & Mortuorum. Diai iterum *Res.75.n.62.* Et cum simpliciter probet actam professionem, extracta fides de professione ex illo per superiorem conuentus, probabit non solum contra ipsum professum, vt non possit reclamare, verum etiam fauore ipsius, aut religionis, seu alterius in iudicio litigioso, pro obtinendis aliquibus bonis, de quo non est dubitandū. Fides autem extracta ab huiusmodi libro debet esse subscripta à superiore loci vbi conseruatur liber, & sigillata sigillo eiusdem conuentus.

Quæres 53. An dubitans de valore professionis teneatur illi stare? Et quid si dubiter an ratificauerit professionem, quam sciebat esse nullam?

135 Repond. In vtroque casu tenetur credere se valide profecisse, & eamdem nullam ratificasse, quia stat possessio pro professione, ex vna enim parte constat de illius emissione, & ex alia dubitatur de eius valore ergo pro valore actus iudicandum est etiam in foro conscientiæ. Confirmatur, quia in dubio actus debet interpretari vt valeat, *c. Inter dilectos 6. de fide instrum. cap. Abbate 25. de verbis signif.* Ita Nauar. *consil.13. de regul.n.10.* quia summa est ratio, quæ pro religione stat. *Sanch.li.7.disp.37. n.12.* de ratificatione, quia ita præsumit etiam Tridentinum post quinquennium, & de valore primæ idem *l.2.disp.41.n.32. Tamb.tom.3.disp.6. q.16.nu.56. vbi citat Gratianum tom.3.disceptat.forens.c.413. n.14. à S. Fausto l.5.Thesaur.relig.q.251. Diana part.4.res.49. de conscientia dubia ex Merolla tom.1.disp.3.c.3.n.283.* dicit quod si ficte professus incipiat dubitare de ratificatione professionis ante quinquennium præsumit ius ratificationem professionis; nec obstat, inquit, quod in dubio in fauorem religionis iudicandum sit, nam id intelligitur, quando neutri fauet possessio, sed in hoc casu possessio stat pro libertate. Subdit ipse Diana, quod si contingat dubium post quinquennium, tunc teneri stare professioni, quia in dubio recurrendum est ad coniecturas, & præsumptiones iuxta decretum *c.19.sess.25.* Trident. præsumentis ratificatam professionem post lapsum quinquennij, vnde etiam pro religione stat præsumptio iuris contra professum, qui in foro conscientiæ debet credere se professionem ratificasse, ita dicit cum prædicto *Merol.& Sanctar.part.1 Var.Res.9. 48. nu.46. Sanch cit.l.7.disp.37.n.13.*

136 Mihi placet, quod in dubio censeatur ratificata non solum post quinquennium iuxta quod dicunt Doctores super dictum *capitulo 19. sess.25.* sed etiam ante illius quinquennij lapsum, ratio est, quia iste casus parificatur cum priori de nullitate professionis, pro qua stat professio contra professum dubitantem; nam ex vna parte nullæ sunt coniecturæ negatiuæ ratificationis, ex parte verò positiuæ ratificationis ad minus adest aliquid facti in esse obscuritatis, super quod fundatus dubitatio, ergo super eo dubitans credere potest

se illam ratificasse, quia hæc dubitatio habet pro sua causa aliquem actum licet obscurum de huiusmodi ratificatione. Deinde illud spatium quinquennij in casu facti non potest dare regulam huius obligationis, vel eiusdem negationis, quia obligatio à tempore sicut non ponitur, ita neque tollitur, *l. obligationum, §. Placet, ff. de act. & obligat. Gloss. v. casus ignorantiæ, cap. Peruenit de censib.* Nec obstat dispositio Tridentini, 137 quia à præsumptione legali non infertur idem in præsumptione hominis, ob diuersitatem rationis, nam in Tridentino præsumptio cum sit iuris de iure eadem omnino est respectu omnium professorum, qui patificantur quo ad præsumptam ratificationem professionis; in facto autem huius vel illius professi non potest contingere paritas ex diuersitate præsumptionum, quæ speculari possunt. Demum Tridentinum pro foro externo præsumit ratificatam fuisse professionem post quinquennium, ergo à fortiori ante illud tempus præsumere habet ratificationem fori conscientiæ eo quod forum externum multa concedit, & ampliat, quæ forum conscientiæ, aut negat, aut ad minus restringit, ex D. Aug. relato cap. fin. 17. q. 4. ibi *In potestate habet Episcopus non reddere, sed iure fori, non iure poli.* ergo ante tēpus lapsū quinquennij præsumenda est ratificatio pro foro animæ, licet pro foro fori extendatur præsumptio solum post quinquennium. Adde quod non est maior ratio cur quis debeat credere se ratificasse professionem, si dubitet post quinquennium, non autem si dubitet ante illud tempus, cum nullam coniecturam habeat post quinquennium, quam non haberet etiam ante, si tamen aliquam habebat.

Quæres 54. An iuranti se non habuisse intentionem profitendi; vel non ratificasse professionem credendum sit in vtroque foro? Item an è contra iuranti oppositum sit credendum?

138 Resp. Pro foro conscientiæ in vtroque casu posse credi, non vero pro foro externo. Primum probatur ex illa communi regula, quod in foro conscientiæ cuique credendum est tam pro se, quam contra se, quia nullus præsumitur immemor propriæ conscientiæ, *c. Sancimus 25. 1. q. 7. c. Signif. 18. de homicid. ibi Glos. v. Credendum sit per alia iura.* Ita Doctores citandi. Pro foro externo in neutro casu credendum est iuranti se non habuisse intentionem profitēdi, vel non ratificasse professionem, quia in foro externo nulli creditur sine probatione, *Glos. v. Qualiter tibi constiterit, c. Tua nos 26. de sponsalib.* 139 nec obstat quod iuramentum sit medium ad probandum ea, quæ in animo latent, *Glos. v. Si est, c. Significasti 56. de homicid. Conar. lib. 2. Variar. cap. 10. Mascard. de Probat. con. 45. num. 48.* quia id procedit in foro animæ docent *citata glossa per cap. Si vero de sentent. excomm. cap. Præsentium, de testib.* & etiam pro foro externo, quando iuratur de veritate dicenda, *Gloss. v. Iuramenta, cap. Præsentium de testib.* Quod procedit maxime quando adest præsumptio iuris in contrarium, non est enim standum iuramento illius, contra quem est præsumptio legis, *Bart. in l. Inter omnes, §. Ratio, ff. de furt. Moditius, §. Lex est, dubitat. 71. num. 9. Sanch. lib. 3. disp. 15. num. 12. Homobon. part. 2. resp. 17. in fine.* Sed lex præsumit contrarium in casu nostro, vt videre est *cap. 19 sess. 25. & clare cap. 4. Regul.* vbi Papa decidit non esse credendum viduæ affirmanti etiam cum iuramento se velamen recepisse, vt deponere possit, seu sine animo profitendi. Ita docent *Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 14. vbi plures citat, Homobonus part. 2. resp. 17. Vecchius disput. 14. dub. 1. n. 5.*

140 Idem etiam dicendum est, quando vellet iurare se vere profecisse, vel ratificasse professionem, in quo conuentus vellet illius professionem declarare nullam ad effectum eum expellendi à religione ea ratione, quod eius persona est potius damnosa, quam vtilis propter eius vitia, quibus facile alios inficere potest. Probatur quia non est maior ratio credendi illi quo ad iuramentum affirmatiuum, quam respectu iuramēti negatiui in primis casibus; sed in prædictis primis casibus non est credendum; ergo neque in his secundis; si enim intentio negatiua probare non potest, qua ratione probabit positiuam? si in vtroque sensu sermo semper est de intentione in animo latente? Suppono autem in hoc casu à conuentu probatam fuisse nullitatem professionis.

Dices, quando sedes Apostolica alicui nulliter professo concedit rescriptum maxime post quinquennium, mediante quo apud ordinarium, & superiorem loci, vbi profecit, nullitatem suæ professionis probare iuridice intendit, apponit clausulam, dummodo iurauerit, se non ratificasse professionem; ergo supponit toto iuramento probari professionem non fuisse ratificatam, nam præsumptio iuris eliditur iuramento *cap. Cum in tua. de eo, qui matrim. accus. poss. Gloss. ibi in fine casus.*

Respond. Per eam clausulam non probatur ratificatam non fuisse professionem, sed solum iuramento tollitur præsumptio iuris de iure, ne Papa concedendo huiusmodi rescripta videatur venire contra præsumptionem, quæ pugnat contra id, quod intendit indulgere rescriptum imperranti.

Quæres 55. An infamis possit ingredi religionem, & 141 in ea proficere?

Respond. Recipi non potest, ratio est, quia status religiosus perfectior est statu curati *Nauar. consil. 19. de cler. non resid. num. 2. & 11.* & ideo Parochus fieri potest religiosus, ergo sicut infamis non potest esse curatus, à fortiori neque religiosus. Deinde nomen religiosi 142 significat Ecclesiasticum bonæ famæ *Glos. v. Religiosus cap. 5. de purg. can.* vnde religiosi debent esse viri perfecti *Cap. Etsi Christus 26. de iureiur.* Infamis autem non est vir bonæ famæ, neque perfectus, cum famam, & perfectionem virtutis abiecerit, ergo neque potest fieri religiosus. Et in Regula nostra c. 8. id expresse prohibetur. Si tamen de facto quis recipiatur tenet 143 eius professio, cum nullibi irritetur. Sic docet *Tambur. tom. 3. disp 6. quæst. 3. num 31. ex Panorm. in cap. Cum decorem, de vita, & hon. cler. Vecchius disp. 4. de Nouitius dub. 3.* ex statutis Capucinorum. Quod procedit non solum ex infamia iuris, sed etiam facti, non obstante, quod dixerim præced. Resol. 56. infamiam facti non inducere irregularitatem, nisi proueniat ex delicto hac pœna infamiæ à lege expresse punito, vt etiam docet Vecchius ibidem citando seipsum *disp. 9. dub. 22.* quia hic sumitur infamiæ nomen pro mala opinione alicuius personæ apud vulgum, licet eius crimina de iure infamiam non irrogent. Tamburinus loco citato recenset decemnouem impedimenta ad ingressum religionis, vide illa apud ipsum.

Quæres 56. An admittentes ad professionem nouitium ante finitum probationis annum, vel nondum perfecto anno decimosexto peccent mortaliter, & incurrant aliquas pœnas.

Respond. Peccant mortaliter in vtroque casu, in 144 secundo puniendi sunt arbitrio Prælati, in primo incurrunt suspensionem a receptione quorumlibet ad professionem, & eisdem comminatur excommunicatio *cap. Non solum 2. de regul. in 6.* contra Prædicatores, & Minores, quas pœnas Bonifacius VIII. in cap. Constitutionem 3. eod. extendit ad reliquos omnes Mendicantes. Præterea in eodem priori capite decernitur transgressores subiiciendos esse pœnis, quæ Fratribus pro culpis grauioribus infligi consueuerunt. Hæc omnia sunt clara, quæ retuli *cap. 3. de profess. q. 36.* vbi etiam asserui adhuc vigere prædictas pœnas contra *Sanch. lib. 5. cap. 4. nu. 10. cui adhæret Vecch. disp. 12. dub. 6. num. 6. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 12. num. 6.* sed dic vigere, quia ex illarum timore Regulares excitantur ad obseruationem Decreti Sacri Concilij de non recipiendis ad professionem nouitiis infra annum probationis.

Sed dubitatur. I. An receptio ad professionem infra

fia annum tantum inducat eas pœnas, an etiam ante legitimam ætatem? II. An illæ pœnæ afficiant solos superiores recipientes? III. Quid importat illa suspensio, an sit censura? IV. Quis possit ab illis absoluere? V. An sic suspensus valide recipiat professionem alterius nouitij siue infra annum, siue in fine anni. VI. An soli Mendicantes?

145 Primo dico, eas pœnas esse præcise contra recipientes ad professionem infra annum probationis, nulla mentione facta de ætate, ergo cum illæ constitutiones sint pœnales iuxta proprietatem verborum intelligendæ sunt esse inflictæ contra recipientes nouitios professionem præcise infra annum probationis, & non ante legitimam ætatem. Ita docet *Flos.v.Recipere c. Non solum, Vecch.disp.11.dub.6.nu.1.Tambur.tom.3.disp.6.q.12.nu.4. Nauar.cap.27.nu.158.§.Duodecima, Say.lib.4.ca.13.numer.13.*

146 Secundo dico meo iudicio solos superiores recipientes ad professionem incurrere pœnas, quia isti proprie dicuntur recipere professionem, cum lectam, vel factam à nouitiis inter suas manus recipiunt, & nouitium religioni incorporant, reliqui verò religiosi hoc modo non dicuntur recipere, sed tantum admittere, & iudicare nouitium idoneum ad professionem, quod accedere potest etiam infra annum probationis, & id est quid diuersum à receptione lectæ professionis. Confirmatur, quod in illa constitutione sermo sit non de admissione, & iudicio idoneitatis, aut approbatione, & consensu ad profitendum, sed præcise de actu recipiendi nouitium dum profitetur, & se obligat remanere in religione, quia in ea constitutione dicitur sic receptum non remanere obligatum illi ordini, in quo emisit professionem infra annum probationis ibi: *Qui taliter receptus fuerit nullatenus vestro ordini esse alligatum*, neque enim iudicium idoneitatis latum à Fratribus conuentus nouitium obligat, sed professio, quæ à solo superiore recipitur, solus ergo superior, siue alius professionem recipiens infra annum probationis eas pœnas incurrit. *Tambur.tom.3.disputat.6.quæst.12. num.4. Vecchius disputat.11 dub.6.numer.3. & Puteo libro primo decis.106. & ex Suar.* dicunt illis pœnis affici etiam religiosos, ex eo quod decisum fuit, quasdam moniales eas pœnas incurrisse, sed tenetia mihi id non placet neque quoad religiosos subditos, ob allatas rationes, neque quoad moniales, quæ nullo modo ibi exprimuntur, cum in odiosis, sed tantum in fauorabilibus veniant sub nomine religiosorum, & fratrum ea probatis à me *Ref.52.n.333.* Ille ergo solus superior, siue alter nomine superioris, qui licentiam legitime dedit, afficitur illis pœnis si infra annum probationis ad professionem recipiat nouitium. Et illa decisio intelligitur de superiorissis monialibus.

147 Tertio Suspensio est à receptione quorumlibet ad professionem eiusdem ordinis ipso facto incurrenda, ex eod.cap. Non solum, de regul.in 6. Non est autem suspensio à ratificatione, cum ab illa vt quid diuersum ab hac non valeat illatio. Requiritur autem declaratio, cum non incurratur ante sententiam iuxta alibi dicta. Ad eam incurrendam requiritur præsumptio, & malitia, ignorãtia ergo excusabit. Illius trãsgressor non fit irregularis, quia nunc exercet actum alicuius ordinis, nam recipere ad professionem non est actus ordinis. *Ita Domin. in citat.c. Resel. Nouit.6. Angel.4. Tabien.5. Silu. Relig.3.q. 17. ex illis Vecch.disp.11.dub.6.nu.3. Tamb.tom.3. disp.6. q.12.n.3.*

148 Ego puto dictam suspensionem non esse proprie censuram, sed puram pœnam prohibentem receptionem nouitiorum, eo quod alias apud Minores extabant Guardiani laici, qui sunt incapaces suspensionis vt censura est, quæ solos clericos afficit, quod confirmatur per dicta à *Puteo cit.lib.1.decis.108.* dum dicit eam suspensionem incurrisse moniales, quæ receperunt ad professionem nouitium infra annum probationis, moniales autem sunt incapaces suspensionis quatenus censura est, et-

go remanet, quod sit simplex priuatio recipiendi ad professionem.

149 Quarto, superior, qui non errauit potest absoluere, seu potius dispensare, & reddere habilem alium superiorem sibi subditum ad recipiendum alios nouitios ad profitendum. *Ita Glos.v.Suspensi.est.c.ex Host.Saur.l.4.de censur.cap.13.nu.13. Vecchius disp.11. dub.6. fine, decisum apud Puteum lib.1. decis.95.Tambur.3. disp.6.quæst.12. fine.*

150 Quinto, prælatus sic suspensus nondum declaratus attentans alios recipere ad professionem anno probationis finito, valide agit, quia suspensionis priuatione non obstante adhuc habet superioritatem, à qua dependet receptio, quæ per priuationem efficitur solummilicita, non autem effectum producit irritum.

151 Sexto demum huiusmodi pœna afficit solos superiores, & recipientes in quolibet ordine Mendicantium, vt expresse dicitur in citatis capitibus quæ non extenduntur ad Monachos, neq; ad alios regulares non Mendicantes, vt præfati Doctores asserunt; essent tamen castigandi pœna arbitraria *ex ca. Ad Apostolicam 16. de Regular.*

Quæres 57. An simoniaca professio teneat?

152 Resp. Affirmatiue per c. Quoniam de simonia, vbi professio cuiusdam supponitur valere, ex eo quod mandatur detrudi in aliud monasterium, & id probaui *e.1.de profess.q.41.cum Doct.ibid.cit.quib.adde Tamb.tom.3.disp. 7.q.20.n.3.*

153 Quæres 58. An admittere ad professionem sit actus iurisdictionis, an superioritatis, an ordinis? Admissio, seu receptio ad professionem vt retuli supra n.114. importat duo, iudicium de idoneitate recipiendi nouitium ad professionem, & id spectat ad religiosos, qui cum nouitio conuersati sunt & in hoc sensu est simplex actus iudicij cum præstito consensu, ad quod sufficit, quod religiosus sit professus de familia in eo conuentu, vbi est nouitiatus & incorporationem nouitij per lectionem professionis acceptatæ à superiore, in quo sensu quo cedit quæstio.

154 Respond. Receptio nouitij, seu incorporatio eius in monasterium, seu eiusdem acceptatio, & aggregatio inter professos est actus superioritatis, non iurisdictionis, neque ordinis. Probatur quod non sit ordinis, nec iurisdictionis, quia Abbatissa, & Guardiani laici siue alij superiores in certis religionibus, in quibus clerici non sunt, aut non acceptant, sed laici superiores, sicut olim antiquitus quando Monachi Abbates clerici non erant, & tamen isti acceptant, & acceptabant professiones suorum nouitiorum, sine aliquo actu ordinis, aut iurisdictionis proprie dictæ, & in prælatura Ecclesiasticæ dignitatis fundatæ, quibus moniales, & conuersi religiosi carent, ergo id munus recipiendi, & incorporandi nouitios per lectionem professionis spectat ad superioritatem tantum. Et quod sit actus superioritatis docent *Dominicus in ca. Constitutionem §. In aliis num.6. de regul.in 6. Tabien. v. Nouitius 8. fine Rosellan.21.fine. Sanch.l.5.c.4. nu.78. quos pro se citat Tambur. tom. 3. disp.6. quæst.20. numero 1. Vecchius disp.12. dub.1. quem cum aliis citani capit.3. de admittentib. ad profess.qu.1. vbi alius medius idem probamus.*

Zacharias Pasqualigus ex ordine Theatinorum nouissime in suo opere Doctissimo *Decis. Moral. Verona impress.an.1641.decis.416. nu.6.* hunc actum admissionis ad professionem vocat iurisdictionis, si sumat pro actu superioritatis bene loquitur, aliter ei obstant supra dicta.

Quæres 59. An sit verisimile, quod metus grauis professionem annullans, de quo supra *nu. 82. & 93. & c.2.q.17. de profess.regul.* incussus initio probationis, vel prope professionem durare possit per aliquot annos, etiam vltra quinquennium, ita quod valeat impedire etiam ratificationem professionis? Id supponit Pasqualigus *decisione 432.* dum quærit an qui ratione metus

metus emisit professionem inualidam, possit reclamare elapso quinquennio, si adhuc post professionem emissam durauit metus? Et videtur probari posse, quia e.g. adhuc viuit persona quæ metum incussit, & non constat mutasse voluntatem, quod non præsumitur. l. *Eum qui ff. de probat. cap. Scribam, de præsumpt.* quia voluntas semel posita præsumitur remanere, nisi contrarium probetur ex cap. 3. de bapt. iuncta *glos. v. Perdurare, per iura ibidem allegata.* Quibus non obstantibus.

155 Respond. Quamuis præsumatur eum, qui metum incussit, & coëgit nouitium ad religionē, continuo perseuerare in sua voluntate, vt nouitius permaneat in religione velit, nolit, quod in oppositum adducta probant, tamen verisimile est ex parte nouitij, seu professi cessare causalitatem metus, in quantum à metu independenter voluntarie, & libere approbare potest statum regularem sibi in eo complacendo, ex quo illectus præcise à metu præscindendo potest ratificare professionem, cuius causa tunc est libera voluntas, & non metus, multa enim ab initio coacte fiunt, quæ postmodum approbantur diuturnitate temporis. Et hoc videtur clare deduci ex cap. 1. de iis, quæ vi, vbi dicitur, quod si quis timore mortis professus, exire potest, & deducere matrimonium, secus autem si post factum consensit, ergo metus licet etiam duret postmodum ex parte incutientis, non impedit approbationem professionis, in quantum nouitius ad nullitatem suæ professionis aduertens seipsum inducere potest ad illam ratificandum. Quare præsumptio ratificatæ professionis à Tridentino inuenta in nostro casu locum habet, consequenter ruunt ea omnia, quæ adducit præfatus Pasqualigus, qui supponit quinquennium incipere non à die professionis nullæ, vt tamen ego probaui cap. 7. de Reclamat. q. 5. sed à die scientiæ vel nullitatis profession is, vel metus remoti.

156 Quæres 60. In quibusnam casibus professio reddatur nulla ex nullitate nouitiatus? Respond. *resol. 54. q. 70. num. 227.*

RESOLVTIO LVIII.

De Potestate Superiorum.

SVMMARIVM.

1. *Præcipit minus quæ sunt supra, vel præter regulam.*
2. *Ieiunium Aduentus sub culpa non præcipitur.*
3. *Regulæ author non est Generalis, sed custos.*
4. *Transgressionibus pœnalibus subduntur ex culpa.*
5. *Obligatio Regulæ sub pœna non mutatur in culpam à prælato.*
6. *Capitulum congregari potest extra tempus, si casus vrgeat.*
7. *Capitula localia quandoque fiunt sine licentia.*
8. *Infamiæ pœnam addere non possunt suis legibus.*
9. *Constitutiones extra capitulum condere non possunt.*
10. *Testes non coguntur in causis secularium.*
11. *Subditus fit solo obedientiæ voto.*
12. *Nouitius extra manet de licentia prioris resol. 54. 100.*
13. *Opinionem sequendam superior præcipit resol. 19.*
14. *Repudiat prælatus hæreditatem non obstante conuentu.*
15. *Ieiunium die Dominico cur prohibitum.*
16. *Ieiunium ex causa seruari potest die præcedenti authore prælati.*
17. *Libros imprimentes sine licentia puniuntur in C. Later.*
18. *Libri etiam profani non imprimuntur sine licentia.*
19. *Libros committere prælo sine licentia actus proprietatis.*
20. *Libros imprimentes sine licentia regulari pœnas iuris non incurrunt.*
21. *Licentia regularis datur à maiorib. non à locali.*
22. *Musicales libri subduntur licentiæ.*
23. *Libri scripti non subduntur nisi in ordine ad impressionē.*
24. *Folia non subduntur illis pœnis.*
25. *Excommunicationes tres contra legentes libros, &c.*
26. *Legere dicitur qui tantum oculis percurrit.*
27. *Dogma importat doctrinam catholicæ fidei.*
28. *Prælatus licentiat seipsum ad impressionem librorum.*
29. *Tertiarios seculares quisque superior recipere potest.*
30. *Mulieres recipiendæ quas conditiones?*
31. *Vt non subsint ordinario quid agendum?*
32. *Ordinata gratiose à prælato manent finito officio.*
33. *Carcerari potest inobediens.*
34. *Inobedientia grauissimum peccatum.*
35. *Obedientia fundamentum religionum.*
36. *Carcerandus non est nisi expressa illi causa.*
37. *Carceris vsus triplex.*
38. *Facta vt ab homine cum eo spirant, exponitur 41.*
39. *Gratia alia, facta alia facienda.*
40. *Licentia perpetua conceditur à prælato temporaneo.*
42. *Consensus aliquorum impertinenter respondentes præteriri potest.*
43. *Irregularitas induci non potest statuto aliquo.*
44. *Generalis T. Ord. erigit confraternitates cordigerorum.*
45. *Præcipere sub mortali leue ex se, & circumstantiis non potest.*
46. *Circumstantiæ aggrauantes sub mortali referuntur.*
47. *Dubiis obediendum superiori.*
48. *Examinare non potest subditus de iustitia præcepti.*
49. *Dubium de iustitia præcepti spectatur dupliciter.*
50. *Confessarij priuantur à superioribus.*
51. *Attentantes absoluere nil faciunt.*
52. *Suspensio hæc pœna est non censura.*
53. *Prælatus sine causa cassandus non est.*
54. *Causæ priuationis recensentur, 58.*
55. *Officia alia electiua alia sine electione.*
56. *Remouentur ab istis ad nutum sine causa.*
57. *Processus formandus est.*
58. *Causa priuationis 54.*
59. *Infamis prælatus remotus ex dilapidatione.*
60. *Priuatus officiis non caret voce.*
61. *Delegari potest causa extra ordinem.*
62. *Prior præcepit confessariis assistere choro.*
63. *Inquisitor procedat superiorem non legentem Bullas Inquisitionis.*
64. *Quando illa legenda sint?*
65. *Ad superiores locales, & præsidentes capitulis id spectat.*
66. *Sententia lata extra conuentum nulla est.*
67. *Bullas sufficit legere eodem mense ad euitandas pœnas.*

REgula Ordinis Sancti N. statutum habet de Obseruatione Aduentus Domini obligans solum sub pœna, nequaquam sub culpa etiam veniali, ideo raro obseruatur; nouus superior zelo regularis Obseruantiæ ductus intendens illius obseruationem exequutioni à Fratribus demandari, omnibus, & singulis de sua familia in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis ipso facto contrahendæ mandat, & præcipit, vt illud abstinentiæ genus more Quadragesimalis ieiunij, tam publice in Refectorio, quam priuatim in conuentu, & extra obseruetur?

Quæritur ergo 1. An dictus Prior possit illud præcipere? quod idem de aliis superiorib. maiorib. quæri potest. Videtur tale præceptum imponi posse à superiorib. I. Quia in Regula huius Ordinis de Priore habetur c. 5. *Quæ velit, honesta tamen, præcipiat, iubeat, & imperet.* Ex quibus colligitur, illius esse liberam potestatem circa honesta; hoc autem formale præceptum de ieiunio Aduentus Domini seruando honestissimum est, de quo à nemine dubitatur; & verba geminata magnum indicant mysterium, inquiunt doctores, & singularem habent vim, magnamque important potestatem in superiore, cum sint verba imperij, *Glos. in Clem. 1. de usurpatr. Eolin. in cap. Si quando, de rescr. v. Geminatio.*

natio. II. De Generali Tertij Ordinis, de quo est casus præsens restituto à Sixto V. Const. Romani Pontificis 30. in proprio Bull. habentur hæc. *Decernentes Visitatorem sic electum omnimodam potestatem, authoritatem, iurisdictionem, & superioritatem in omnes, & singulos, &c.* Ergo saltem ipse ex omnimoda potestate sua id præcipere poterit, *arg. eorum, quæ habet glos. in Clem. Olim de foro comp.* III. Quia licet superior non possit præcipere quæ sunt præter, aut supra Regulam, quæ ad illius conseruationem non spectant, vt omnes communiter cum *D. Thoma in 3. dist. 44. q. 2. art. 3. & 2. 2. q. 104. art. 5. Less. lib. 2. cap. 41. n. 74. §. Quinto, cum Sanch. lib. 6. cap. 2. num. 15. Compend. resol. 102. num. 4.* tamen ius habet præcipiendi ea, quæ sunt expresse in Regula, vt exequantur, quod nullus negat; sed in Regula præcipitur Aduentus Domini, ergo. IV. Superiori incumbit procurare, vt in suo conuentu obseruetur Regula, & ad hoc imponere potest præcepta, *Rosella v. Obed. n. 10. Angel. v. Religiosus n. 29. Silu. Relig. 6. q. 6. Armilla v. Obed. n. 3.* Quib. non obstantibus.

Respond. Nullus superior etiam Generalis, immo neque capitulum Generale eo modo potest præcipere, aut religio statutum facere, vt Aduentus Domini immediate ab omnibus obseruetur sub culpa, sed huiusmodi Regulæ decretum de Aduentu Domini collapsum instaurandum est iuxta exigentiam ipsius Regulæ, nimirum vt ad illius obseruationem subditi reducantur pœnis corporalibus, ad quas tenentur iure Regulæ: In aliquo tamen casu poterunt immediate obligare ad ad culpam hunc, vel illum subditum, si sit transgressor, & contumax, & non aliter.

Primum, de negata potestate, probatur. Tum ex cap. *Gesta 2. dist. 74.* ibi: *Iustum est, vt nemo crescere compellatur inuitus*; vbi glosa dicit, argumentum sumi, quod religiosis nolentibus non est strictior vita imponenda, quæ tamen illis imponeretur, si vita de Quadragesimali aduentu seruanda esset immediate sub culpa. Tum ex Bernard. de dispen. & voto illis verbis *Prælati iussio vel prohibitio nō prætereat terminos professionis, nec vltra extendi potest, nec contrahi citra: Nihil me prælatus prohibeat horum quæ promisi, nec plus exigat. quam promisi, &c.* ex quibus verbis aperte colligitur solutio difficultatis, si enim prælatus non potest excedere & præterire terminos meæ professionis, neque plus exigere, seu præcipere quam promisi, sine dubio non poterit mihi præcipere, vt Aduentum Domini sub culpa peccati obseruem, si non promisi sub culpa obseruare, sed tantum sub pœna, tales enim sunt termini meæ professionis, exigat ergo à me tantum quod promisi, scilicet, sub pœna obliget me ab obseruationem huius statui, quia illud Deo, & superiori sic promisi, & non strictiori modo, qualis est sub culpa. Tum quia superior etiam Generalis non est autor Regulæ sed tantum custos, & procurator, vt illa obseruetur eo modo, quo iacet, *Less. lib. 2. cap. 41. n. 74. §. Quinto.* Tum quia nemo trahitur ad culpam, nisi ductus propria voluntate, ex cap. Non est 10. 15. q. 1. sed nemo huius ordinis ad id propria voluntate in professione ductus fuit, neque ab alio. Tum quia statutum consiliare immediate non potest esse obiectum præcepti formalis obedientiæ sub culpa; cùm obiectum præcepti exequendi sub culpa immediate sit ratio debiti, & necessitatis; sed statutum de obseruatione aduentus non est decretum præcepti, & debiti sub culpa, sed consilium tantum, vt patet ex cap. fin. Regu. Leon. X. & Nicol. IV. & ex proæm. Regul. seu Statutorum, quæ locum Regulæ obtinent ergo superior illud immutare non potest in præceptum, si ex se consilium est; & si enim superior præest religiosis sibi subditis, non tamen præest Regulæ, sed Regula illi præest, consequenter in procurando, vt ea obseruetur, debet sequi eius terminos. Tum quia id est præcipere aliquid supra Regulam, cum excedat limites ipsius Regulæ, quæ non obligat in ratione præcepti immediate; sed hoc superior præcipere non potest, ex communi doctorum, quos citaui in obiect. nisi præcipiatur in pœnam alicuius delicti, & docet *Peyr. tom. 1. de Subd. q. 1. cap. 8. concl. 2.* Tum quia superior non potest restringere immunitates, & libertates in regula concessis, nisi expressam ab ea habeat facultatem, vt *docet Corduba in cap. 10. Regula q. 2. p. 6. & cum eo Sanch. lib. 6. cap. 3. n. 9. & Peyr. cit. §. 6.* sed Aduentus sub pœna tantum est libertas quædam, & exemptio, quam si esset sub culpa, tunc enim necessitatem, & subiectionem simpliciter importaret. Tum quia Prior non habet maiorem potestatem, quam habeat Prouincialis, & is, quam habeat Generalis, & Generalis se solo, quam cum suis Definitoribus; sed Generalis etiam cum suo Definitorio non potest condere statuta obligantia immediate sub culpa, sed tantum ad pœnam, ex constit. *Apostolica sedis*, Bull. 17. in nostro Bull. Nicol. V. ibi: *Ita tamen, quod definitum, seu statutum huiusmodi quemquam ad culpam non obliget, sed ad pœnam, nisi quis illud in contemptum ordinis transgredi præsumpserit.* Et si ea constitutio emanauerit anno 1450. 23. April. pro nostris diœcesis Leodiensis, tamen extensa postmodum fuit ad Italos per Paulum II. const. *Excitat arcanum.* Bull. 18. ergo si non potest hoc Generalis per se, multo minus Prouincialis, neque Prior. Hanc opinionem à nobis firmatam docuerunt *Vasq. dis. 154. cap. 4. n. 21. & ex eo Sanch. lib. 6. c. 2. n. 46. Ledesma, Salas, Bon. & Peyrin. illos citans de Subd. q. 1. cap. 5. §. 3. §. Dico secundo.* Quicquid dicat Sancius in *Selectis disp. 33. numer. 50.* cui respondetur ex præmissis.

Secundum, quod præcedente transgressione, & contumacia possit superior huic, vel illi præcipere immediate sub culpa, probatur. Tum quia transgressio, & contumacia id exigit in pœnam delinquentis. Tum quia pœna subeunda est sub obligatione culpæ. Tum quia ita colligitur ex citatis verbis Bullæ.

Obiectis initio respondetur ad primum, & secundum, eam omnimodam potestatem, & absolutam iurisdictionem illorum superiorum intelligendam esse iuxta limites decretorum Regulæ, professionis emissæ, constitutionum Apostolicarum, quæ sicut non obligant de se immediate ad culpam, ita neque superior sub culpa præcipere potest, commensuratur enim potestas superiorum subiectioni subditorum, qui sicut in prædictis non se subiecerunt immediate sub culpa, sed secundum Regulam, & Decreta, quæ tantum obligant sub pœna, nequaquam sub culpa; ita ex eisdem Regula, & Decretis superiores super professos sibi subiectos potestatem à Deo acceperunt sub eodem genere præceptionis, & obligationis temporalis. Ad tertium dico sufficere si prior præcipiat obseruationem Regulæ eo modo, quo ipsa subditum professum obligat, nimirum illum pœnis temporalibus coustringendo. Ad quartum idem respondetur, superiorem imponere præcepta posse non ratione culpæ, sed pœnæ, consequenter pœnalia, per hæc enim etiam efficacius subditi compelli possunt ad obseruationem Regulæ.

Procedunt ergo dicta non solum respectu præcepti, aut statuti circa obseruationem Aduentus Domini, sed etiam respectu cuiuscumque alterius Decreti Regularis ex sua conditione non obligantis ad culpam, neque enim exclusa culpa de iure, ab homine, vel iure inferiori addi potest, cum id sit agere contra legem, & intentionem superioris maioris, qui sicut ipsa noluit suis decretis, & Regulis Sanctorum Patrum institutorum culpam adiungere, exclusa contumacia, ita eiusdem intentio fuit, ne inferiores talem sibi vsurpatent potestatem compellendi suos subditos ad obseruantiam regularem, si possunt eosdem cogere pœnis temporalibus. Quare prior, seu alius quiuis prælatus non poterit præcipere suis subditis, in communi, sub culpa, vt abstineant à carnibus diebus statutis in Regula, vel constitutionibus; item vt ieiunent singulis sextis ferijs, vt eisdem diebus de more se verberent in Eccle-

sia, vel alibi, &c. Iis vero, quæ iure naturali, vel Ecclesiastico statuta sunt adiicere possunt meritum obedientiæ, quia huiusmodi ex sua institutione iam obligabant sub culpa, consequenter superior ea non mutat, sed virtute meriti obedientiæ negligentes compellit ad id, quod alias obseruare tenebantur.

Sed dicet aliquis, quandoque audiui, quemdam Priorem præcepisse sub pœna peccati, vt clerici missam singulis diebus audirent; hoc autem est decretum in Regula, consequenter cum ex se non obliget sub culpa, neque hunc adiicere potest superior. Tollitur difficultas, nam is superior antequam poneret huiusmodi formale præceptum sub culpa clericis, pluties eosdem clericos admonuerat, vt singulis diebus missam audirent, sed quia desides erant, & negligentes, idcirco eisdem sub culpa præcepit, quasi in pœnam prædictarum omissionum, sine dubio enim fuerant inobedientes, & contumaces.

Quæres 2. An prouincialis cum, vel sine licentia Generalis possit congregare capitulum extra ordinarium cum suis Definitoribus, occasione data alicuius occurrentis negotij? e. g. vt recipiat, & approbet aliquos nouitios? Videat vnaquæque religio quid determinent circa hoc earum constitutiones, & seruetur id, quod constituitur in illis. In Regula mei ordinis cap. 2. de capitulis Prouincialibus statuitur vt singulis annis, quibus non fit capitulum Generale, fiat Prouinciale capitulum in singulis Prouinciis, & etiam eo anno, si necessitas alicuius loci tunc illud postulauerit. Ex quibus inferri potest, necessitate exigente, Prouincialem extra capitulum conuocare posse suos Definitores, & determinare negotia, quæ occurrere possunt.

6 Respond. Igitur Prouincialis, quouis casu necessitatis vrgente, seu occurrente, potest conuocare suos Definitores, & cum illis decidere, & expedire negotia occurrentia. Probatur. Tum quia id nullibi expresse prohibetur, immo oppositum inferri posse, dixi mox, ex illo secundo capite Regulæ, consequenter censetur concessum, *ex cap. Sunt nonnulli* 25. 16. *q.* 2. *cap. Iam nunc* 7. 28. *quæstione prima* ibi: *Hoc non vetat Dominus.* Tum quia quotiescumque occurrit aliquid agendum à superiore, quod sine aliis expedire non potest; facultatem habet congregandi illos, cum quibus negotium expedire habet; ergo in receptione nouitiorum, quæ non contingit nisi cum consilio, & consensu Definitorum ex Sixto V. const. *Cum de omnibus* apud Quar. pag. 292. & licet ibidem statuatur, vt receptio nouitiorum fiat in capitulis, tamen postea alij summi Pontifices indulserunt vt nouitij recipi possent extra capitula ordinaria, iuxta quod dixi Resolut. 54. q. 10. vbi dixi id facere posse superiorem localem cum suo capitulo, vbi admittitur filiatio, à fortiori Prouincialem, si velit eo priuilegio vti. Tum quia superior localis potest congregare suum capitulum toties quoties vult tractare aliquod negotium spectans ad totum conuentum, ergo & Prouincialis conuocare suos definitores, qui sunt eius capitulum, cum non sit deterioris, sed potioris conditionis. Tum quia Episcopus potest congregare capitulum ex suis canonicis pro sua ecclesia, ergo & Prouincialis; æquiparantur enim hæ prælaturæ quo ad iurisdictionem, *Glos. v. Regularis, cap. Ne pro defectu* 41. *de elect. per cap. Si quis deinceps* 16. *q. fin.* cum habeat quasi iurisdictionem Episcopalem, *Rodr. tom.* 1. *q.* 12. *art.* 5. *Portel. v. Prælati iurisdictio, Lezana tom.* 2. *cap* 13. *n.* 26. *Homob. part.* 4. *suarum respons. Respond.* 88.

Quæres 3. An Prouincialis teneatur de iure petere licentiam à Generali, quando vult habere capitulum ordinarium iuxta præscriptum suæ Regulæ, aut Constitutionum, & similiter quando vult habere capitulum, vel congregationem, seu dictam extraordinariam. Et an possit superior annullare acta in illis capitulis celebratis sine illius licentia. Vnusquisque legat statuta suæ religionis, & ex illis inferat responsionem.

Respond. Capitula prouincialia legalia, hoc est, à Regula, vel constitutionibus statuta, vt certis temporibus celebrentur, haberi possunt inconsulto superiore, quando in illis non habet præsidere ipse, vel alius eius nomine. Si vero non adsit tempus statutum expectanda est licentia superioris, aliter celebrata nullius sunt virtutis, & efficaciæ. 7

Primum probatur, quia in eo casu Prouincialis ipse solus est caput, ergo alterius capitis, & superioris licentia non indiget. Tú quia Regula, & Constitutiones tempus præfigentes continent licentiam cuiuscumque superioris. Tum quia quod necessario faciendum est, sine licentia fieri potest, & debet, *Glos. arg. cap.* 2. *de temp. ord. in* 6. *v. Licentia, per l. Qua sub conditione* §. *fin. ff. de cond. instit.* Tum quia Prouincialis in iurisdictione æquiparatur Episcopo, qui sicut in congreganda synodo non eget licentia Metropolitani, ita neque Prouincialis superiore Generali.

Secundum, quod requiratur licentia, quando tempus non est determinatum, neque ipse Prouincialis est præses capituli, probatur, Tum quia capitulum subsistere non potest sine capite & præside, à quo denominationem accipit. Tum quia monstruosum est aliquid esse sine capite, sine quo nihil potest esse, *Glos. v. Centum cap. Cum nobis* 14. *de præscript.* Et ita in Religione mea Prouincialis sine licentia Generalis non oportet celebrare capitulum vllum, neque annuale, quod vocatur Congregatio, neque Triennale sine licentia Generalis, & præsentia eius, seu alterius ab eodem missi, nisi illi indulgeat, vt ipsemet in Capitulis intermediis sit præses, & caput, vt solet concedere, & colligitur cap. 2. Regulæ & in constit. nouis pag. 30. Et ita constituitur apud *Mirand. tom* 2. *q.* 16. *art.* 3. *concl.* 1. vt nullum sit capitulum prouinciale absente Generali· pro intermedio autem indulgetur, vt sine licentia fiat, statutis temporibus, apud eumdem art. 7. §. Nono.

Tertium, quod actum sine licentia, seu præsentia superioris requisita, sit nullum, probatur, Tum quia valor cuiuslibet actus pendet à voluntate, & potestate agentis, ex *cap. Cum super* 23. *de off. deleg. Rodr. tom.* 3. *q.* 54. *art.* 6. §. *Tertio. Bald. in l. Omne verbum C. com. de leg. Alex. lib.* 4. *consil.* 52. *n.* 30. *Rota Rom. in Recent vol.* 1. *decis.* 451. *n.* 2. Sed prouincialis cum definitoribus licet non careat voluntate, caret tamen potestate quam accipere habet à superiore maiore, ergo acta attenta nullius sunt roboris. Tum quia acta sine licentia requisita nulla sunt. Auth. *Licentia C. de episc. & cler. l. Si quis mihi bona* §. *Iussum ff. de acquir. hered. Tiraquel. post leges Connub. Glos.* 6. *n.* 7. Tum quia capitulum sine præside, & capite capitulum esse, neque dici potest, saltem formale, & viuum valens operari, sed mortuum; mortuum autem nihil operari potest. Tum quia acta in capitulo non legitime congregato censentur facta sine capitulo, & extra capitulum, ergo nullam firmitatem obtinent, Ita docet *Nau. consi.* 9. *de off. deleg. n.* 16. loquendo de capitulo celebrato contra prohibitionem superioris.

Sed quid dicendum, quando superior prohibet celebrationem capituli legalis de iure Regulæ, seu statuturum celebrandi? An prohibitio teneat? & actum capitulum contra prohibitionem nullum sit?

Respond. Superiorem Generalem non posse simpliciter prohibere celebrationem capituli contra Regulæ constitutionum præscriptum; neque illud differre, nulla legitima subsistente causa; & si de facto prohibeat, vel differat sine causa, Prouincialis cum suis vocalibus potest procedere ad illius celebrationem; & in eo acta valida erunt.

Primum de prohibitione, & dilatione probatur,

Tum

Tum quia ipse nun est super Regulam, sed illi inferior, & subiectus, consequenter capitula prolubere potest, neque prorogare præscripta in illa secundum determinatum tempus; neque in constitutionibus præscripta, quia Capitulum generale illas cōdit, nun Generalis licet ad id ipsius Generalis licentia necessaria sit, *Mir. tom. 2. q. 39. art. 1. concl. 3. Peyr. cum aliis Prelat. q. 1. c. 8 n. 3.* Tū quia Generalis est inferior capitulo Generali, Cord. in Regul. S. Franc. c. 8. q. 3. *Politius ibid. Lezana tom. 1. c. 18. n. 11.*

Secundum, id posse facere iusta subsistente causa, suadetur, quia licet ex prædictis Generalis sit subiectus Regulæ, & constitutionibus capituli Generalis, in casibus tamen vrgentibus, & ob bonum commune religionis prædicta præstare potest, per epicheiam declarando hic, & nunc Regulam, seu constitutiones non obligare, vt docent omnes v. Epicheia, doctoribus citatis *Peyr. de Subd. q. 1. cap. 8. §. Quintus. Rodr. tom. 1. q. 68. art. 6. Mir. tom. 2. q. 29. art. 9.* An vero solus, vel cum capitulo vide præcitatos.

Tertium, quando irrationabiliter prohibet, procedere potest, suadetur. Tum quia vritur iure suo. Tum quia ea prohibitio vt quæ irrationabilis & nulla nullum parere potest effectum, neque capitulum suspendere. Tum quia nemo prohibere potest, quod sibi oon docet, , & aliis prodest *l. 2. §. Idem aiunt, ff. de aqua pluu. arc.* multum autem prosunt celebrationes capitulorum, ergo in eis procedere potest Prouincialis oon obstante illicita superioris prohibitione.

Quartum, quud acta non obstante ea prohibitione valeant, probatur, Tum quia prohibitio, ne quis faciat id, ad quod tenetur, non impedit actum geri valide *l. Papinianus 16 de publiciana in rem.* Tum quia ea prohibitio cum sit iniqua, & contra Regulam, seu statuta religionis, contra quæ Generalis non habet potestatem prohibendi, reputanda est nulla, & pro non facta, consequenter gesta contra illam adhuc suam retinent firmitatem, cum censeantur facta cum debitis requisitis.

Quæres 4. An in suis capitulis condere possint statutum adiecta pœna infamiæ contra transgressores? e. g. vt ille incurrat ipso iure infamiam, qui percutit superiorem, qui intercipit literas superiorum, &c. Videtur, quod non possint, quia infamia est canonicum impedimentum, cum proueniat à sacris canonibus, vnde infamia iuris dicitur tam ciuilis, quam canonici, huiusmodi autem iura condere non est regularium etiam capituli generalis. Deinde ex probatis *resol. 11. n. 55.* docui ponam induci non posse apud regulares irregularitatem, ergo neque infamiam, quæ est species irregularitatis. Et ita puto dicendum, quia similes pœnæ hactenus à nullo inferiore iure communi tam Pontificio, quam Cæsareo hactenus impositæ fuerunt, quod sufficiens argumentum est, id non spectare ad quoscumque legislatores, sed ad supremos tantum; Quod aliqua ratione videtur insinuare *Sayr. de censur. lib. 7. cap. 11. n. 4.*

8

Quæres 5. An Generalis, seu Prouincialis extra sua capitula ordinaria possint conuocare suos definitores, & cum eorum consilio, & consensu condere leges aliquas, & constitutiones concernentes bonum commune religionis, seu prouinciæ. Supponit difficultas, id non prohiberi in religione, sed quid de iure facere possit, quærit. Certum etiam est superiores maiores condere posse leges, & statuta, seu constitutiones iuxta præscriptum vniuscuiusque religionis, & huc suadetur etiam argumento deducto à potestate Episcopi, qui eas condere potest, *ex cap. 2. de maior. et obed. glos. v. Decretum, Glos. v. Statuto cap. 2. de constit. in 6.* a cuius potestate arguitur ad potestatem prælatorum maiorum in religione, eo quod & ipsi habeāt potestatem iurisdictionis quasi Episcopalem, & sicut Episcopus ad hoc procedit cum consilio sui capituli *cap. Nouit. 4. cap. Quanto 5. de iis, quæ fiunt à prælat. Felin. in cap. Super his, de maior. Henr. Boich. de sinod. par. 3. n. 137. Verall. decis. 305. n. 2. part. 1.* ita pari ratione prælatus regularis consilium, & assensum suorū adhibere debet in condendis statutis. Videtur autem id posse fieri, quia præcedenti q. 2. & 3. probatum fuit ab illis congregari posse capitulum pro aliis negotiis, ergo & pro condendis constitutionibus.

Respond. Constitutiones condere non possunt extra capitula legalia, & ordinaria, probatur, quia statuta vim legis habentia fiunt in capitulis determinatis *cap. In singulis 7. de statu mon.* & sunt leges perpetuæ ergo maturiori iudicio, & diligentiori cura edenda sunt, quod maxime accidit in capitulis certis temporibus designatis, ergo in illis edenda sunt, ita quod leges non debent esse in causa vt capitula congregentur, sed capitula congregata debent esse productiua statutorum. Et ita in mea religione leges, & statuta fiunt tantum in capitulis ordinariis cum consilio, & consensu quatuor definitorum, vt de Generali determinatur à Nicol. V. constit. incip. Pastoralis officij de 20. iul. 1447. pro Italis; idem pro Leodiensibus constit. incip. Apostolicæ sedis, die 13. Apr. 1450. similiter ordinauit, vt Generalis in capitulo Generali cum suis quatuor definitoribus constitutiones conderet. Nec obstat in oppositum adducta ratio, quia in similibus casibus occurrentibus potest superior facere ordinationem durabilem eius officio durante, & postea in sequenti capitulo legali procurare, vt ordinatio à se facta transeat mediante capitulo in legem, & statutum perpetuum.

9

Quæres 6. An superior etiam localis possit compellere suum subditum ad testificandum coram iudice seculari, vel Ecclesiastico fauore secularium tam in criminalibus, quam ciuilibus? Videtur posse quia, id colligitur ex tit. de test. cogend. tam de secularib. quam Ecclesiasticis *cap. 3. 4 5. 8. 9 & fin.* non solum quando proceditur ciuiliter sed etiam criminaliter. Ratio colligitur *ex c. 1. de iuram. calumn.* vbi Ecclesiastici omnes etiam regulares quo ad hunc actum testificandi subduntur iurisdictioni suorum superiorum quo ad testimonium ferendum tam in ciuilibus, quam criminalibus, ergo iidem ab illis cogi possunt. Quibus non obstantibus.

Respond. nullus superior cogere potest suum subditum ad testificandum fauore secularium non solum in criminalibus, verum neq; in ciuilibus. Probatur, Tum ex *c. fin. 14. q. 2.* vbi dicitur, quod sacerdotes ad conficiendum instrumentum non vocantur, ad testimonium ferendum. Tum *c. 1. de iuram. calum.* expressius ibi. *Decernimus, & imperiali authoritate irretractabiliter definimus, vt non Episcopus, non presbiter, non cuiuscumq; ordinis clericus, non Abbas, non aliquis monachus, vel sanctimonialis in quacumque causa siue controuersia, seu criminali, seu ciuili iusiurandum compellatur qualibet ratione subire.* Infra autem subditur. *Inconsulto prælato suo minime iurare audeat.* Ex quibus verbis colligitur aperte religiosum cogi non posse non solum à iudice extraneo, vt certum est, verum neque à proprio superiore, de cuius solum licentia iurare potest, si vult, & adsit rationabilis causa, ne temere iuret, & infestus sit proximo, licentia autem cum non sit iussio neque præceptum, nullam importat necessitatem, aut coactionem, sed liberam voluntatem, *Dec. in c. Quæ in ecclesiarum. de constit. n. 3. Menoch. de arbitr. q. 7. n. 32. & q. 8. n. 46. M. Antonin. lib. 1. resol. 95. n. 12.* & hac ratione euanescit ratio in oppositum. Tum quia inconueniens est vt religiosi, qui dicuntur mortui mundo, se impliceent negotiis secularibus, ergo neque superior ad hæc eosdem applicare potest. Tum quia alia ratione superior regularis non potest præcipere suis religiosis, nisi titulo obedientiæ, quam illi promiserunt in sua professione, sed per eam se obligarunt ad obediendum in iis, quæ spectant ad statum religiosum iuxta dispositionem Regulæ, quam professi sunt; sed ferre testimo-

19

nium

nium fauore secularium non spectat ad statum religiosum, neque in eorum Regula continetur, ergo præcipi non potest. Et in causis criminalibus sic docet *Rodr. tom. 2. q. 11. art. 4 ad finem, & cum eo Peyr. Formul. Iit. R. cap. 1. n. cum Spatario de modo corrig. regal. tract. 7. c. 5. n. 4 Farin. part. 2. praxis q. 78. n. 199. & q. 60. n. 91. Megal. in suo Promptuario v. Clericus n. 26. Thomas à Iesu. tract. 3. de Visit. regul. cap. 13. n. 10. Nau. consil. 1. de testib. cog. Mirand. tom. 1. ordin. iud. q. 7. art. 3. n. 92.* Ex quo videntur inferre in ciuilibus cogi posse ad ferendum testimonium, immo etiam in criminalibus, extra periculum sanguinis, quando aliter veritas erui non potest, *Compend. cum suo Autore tom. est. art. 2. à se citato resol. 42. n. 12. & 13.* Sed permaneat immobilis nostra responsio, cum nullo iure probetur prælatos regulares habere hanc potestatem super suos subditos, nisi fauore religionis, & subditorum, neque enim conueniens est, vt obedientia, ratione cuius professi præcise, & non alias subduntur suis prælatis, sit destructiua regularis disciplinæ, & religiosæ obseruantiæ, quæ multum detrimentum patitur ex huiusmodi licentiis petitis, & multo magis coactis. Neque allati textus de testibus cogendis habent hic locum, cum intelligi possint, immo respectu Ecclesiasticorum explicandi sint in ordine ad proprium statum, vt clericus cogi possit contra clericum, & regularis aduersus regularem & contra laicum est extraneum in causa propriæ Ecclesiæ, iuxta textus, quos allegauit *res. 55. q. 11.*

Quæres 7. An superior localis possit licentiare nouitium, vt extra maneat?

Respond. Posse *resol. 54. n. 100.*

Quæres 8. An superior præcipere possit, vt subditi sequantur eius opinionem?

Respond. Affirmatiue *resol. 19. per totam, de qua re vide etiam Dianam part. 1. Tract. 13. de opinione probabili, resol.* 10.

Quæres 9. An Prior possit regulare hæreditatem, quam sibi constat futuram esse damnosam potius quam vtilem, vel simpliciter inutilem, vt quia tot sunt debita, quot credita, non obstante, quod conuentus ab eo requisitus per vota secreta iudicauerit esse acceptandam? Videtur, quod non, Tum quia licet Prælatus propria autoritate possit legatum, & hæreditatem repudiare absque vlla solemnitate, ex allegatis supra resol. 53. n. 63. tamen quia in eo casu voluit adhibere consilium, & consensum conuentus, ideo stare debet determinatis à conuentu. Tum quia nemo redire potest ad id, quod renuntiauit *cap. Quam periculosum 8. 7. q. 1.* siquidem remittentibus actiones suas non est ad eas dandus regressus. *l. Quæritur §. Si venditor ff. de edil.* sed superior vocando capitulum intendit velle stare ad id, quod per illud determinatur, ergo recedere non potest à determinatis.

Confirmatur, quia acceptatio huiusmodi hæreditatis nulla ratione potest præiudicium afferre conuentui, quia capitulum indicauit esse acceptandam cum beneficio legis, & inuentarij, in casu quo si deficerent vires hæreditatis, quibus creditoribus in totum satisfieri non posset, superior ad nihil amplius teneretur, neque de propriis conuentus soluere debita defuncti testatoris cogeretur, ergo cum ex hac cautela nullum passurus sit detrimentum conuentus, immo adsit spes aliquid acquirendi, nulla ratio suadere habet superiorem ad repudiandum hæreditatem. Quibus tamen non obstantibus.

Respond. Prior adhuc repudiare potest hæreditatem. Tum quia requisiuit consilium conuentus ad bene esse, consequenter illi stare non tenetur, quia traditus consensus non plus operatur quam consilium, quod licet quis teneatur sequi, non tamen cogitur illud sequi. *l. cum pater §. Mando ff. de leg. 2. cap. fin. 14. q. 1. cap. Cum olim 7. de arbitr.* sed in casu præsenti superior non tenebatur petere concilium, cum se solo repudiare potuisset, ex supra allatis ergo multo minus stare eorum consensui. Tum quia licet maior pars consenserit, aliqui tamen cum prælato dederunt vota negatiua, quod videtur sufficiens ratio ad infirmandum consensum affirmantium, præsertim cum quidam ex vocalibus dubius existens dixerit se in neutram partem magis inclinare, ac proinde cæcum detulit votum non præuidendo essetne affirmatiuum, an negatiuum. Tum quia ille assensus non videtur rationabilis, quia superior, antequam aliquid concluderetur, difficultatem claris verbis proposuit informando patres capituli, debita in hæreditate inuentâ excedere credita eiusdem hæreditatis, ergo ex hoc debeam concludere prudenter, hæreditatem esse repudiandam, cum potius obfutura esset, quam profutura ex rationibus à superiore propositis, quare ille consensus non obstabit repudiationi hæreditatis, quam prælatus intendit facere, cum ille consensus irrationabilis fuerit, ac proinde illicitus, & nullus *arg. cap. Si quis Abbas 18. q. 2. cap. 2. de elect.* vbi electus clamore populi non confirmatur, cum ille consensus illicitus, & nullus fuerit, præstitus sine iudicio, sic erit in casu præsenti, factus sine iudicio, & prudentia concurrentium ad factum.

Nec obstant obiecta, quæ solum procedunt quando superior tenetur requirere non solum consilium, verum etiam consensum, in casu autem præsenti neutrum habet locum. Deinde cum ille consensus à capitulo præstitus, fuerit datus sine iudicio, & cæciter nequaquam potuit derogare potestati superioris, qui per requisitionem capituli non censetur renuntiare iuri suo, sed petere consilium, vt postea propria autoritate prudenter valeat negotium expedire sine detrimento conuentus. Sicut enim prælatus dando licentiam suo subdito ad vouendum non sibi demit facultatem quam habet ad quæcumque vota illius, etiam iurata irritanda, ex adductis à me resol. 14. tom. 1. num. 50. Ita neque in hoc casu petendo consilium subditorum abdicauit a se potestatem, quam ante habebat repudiandi propria authoritate hæreditatem. Nec expedit acceptare hæreditatem cum beneficio legis, & inuentarij, quando timetur de viribus hæreditatis, nam vt plurimum creditores sumunt occasionem male de hæredibus, dicendi, ad quæ euitanda in primis religiosi debent esse parati, cum quilibet fidelis maxime religiosus debeat se abstinere non solum à malo, sed etiam ab omni specie mali.

Quæres 10. An Prior, vel saltem maior prælatus anticipare possit Vigiliam occurrentem in die Patroni religionis; exempli gratia si in die S. Francisci, S. Dominici occurrat vigilia aliqua, fieri illa possit in peruigilio illorum Sanctorum. Quamuis casus de facto non detur, nihil tamen prohibet quin dabilis sit, & consequenter disputabilis, an huiusmodi Vigilia alias de iure instituenda in die Patroni retroponi possit in peruigilio Patroni, vel alterius sancti qui solemniter celebretur, vt contingit fieri in Vigilis eorum sanctorum, qui celebrantur die lunæ feria secunda, quia diebus Dominicis ieiunium non seruatur ab ecclesia, sed præcipitur ieiunium in præcedenti sabbato *cap. 1. de obseruat. ieiun.* in detestationem superstitionis Manichæorum, qui in contemptum Resurrectionis Christi ieiunabant die Dominico *cap. Si quis 17. dist. 30.* ideo id prohibetur ibidem sub pœna excommunicationis si fiat ex superstitione Manicheorum, vnde *cap. Sacerdos 6. 26. q. 7.* dicitur ieiunantem die Dominico non putari catholicum. Nihilominus, qui nunc die Dominico ieiunaret in honorem Domini, & ad macerandam carnem, bene faceret, neque vllum committeret peccatum, quia Manichæorum superstitio radicitus euersa pullulare, nequaquam potest. Vide *Sanch. li. 2. c. 37. n. 11. ad 15. Bonac. de Ieiun. p. 5. ad finem.*

Respond. Prælatus etiam localis ex causa magnæ solemnitatis propriæ Ecclesiæ, seu religionis potest ieiunium retroponere, & obseruare facere die præcedenti illud solemne festum. Suadetur, quia sicut potest su-

perior ſaltem maior cum ſuo capitulo inſtituere ieiunium, arg. à poteſtate Epiſcopi ad prælatos maiores regulares, nam illi poteſt ieiunium indicere cum ſui cleri conſenſu arg. cap. 2. de obſeruat. ieiun. ita & iam inſtitutum de vno die transferre in alium ex cauſa magnæ ſolemnitatis, vt quandoque faciunt Epiſcopi, vt docent *Summiſta verbo Ieiunium Silu. v. Ieiunium num. 19. Tabien. n. 13. Gauant. Sect. 3. in Breuiar. cap. 7.* vbi refert Leonem X. decreuiſſe vigiliam S. Ioannis Baptiſtæ contingentem in Sacratiſſimi Corporis Chriſti ieiunandam eſſe die præcedenti in vniuerſum orbem. *Diana part. 2. tract. 6. Miſcell. reſol. 66. ex Laimano li. 4. tract. 7. ca. 3. n. 9.* Vigiliam S. Matthæi incidentem diebus baccanalium retrotrahi poſſe in ſabbatum præcedentem ad Epiſcopo, cum eius officium ſit inuigilare ſpirituali ſubditorum ſaluti, & ſcandala infirmorum tollere; idem ergo dici poterit de prælatis regularibus ad imitationem Epiſcopi, quare Prior etiam localis poterit cum ſuorum Fratrum conſilio præuenire huiuſmodi vigiliam, ſi id bonum videbitur conſulere ſaluti ſuorum ſubditorum occurrendo eorum fragilitati, quantum fieri poterit, quamquam alioquin melius erit abſtinere, quia cum religioſi ſint in ſtatu perfectionis, debent ea, quæ perfectionis ſunt, proſequi & ſic ad vnguem ſeruare ieiunia ab Eccleſia indicta, quæ ſciebat prædictam vigiliam quandoque contingere illis diebus, & tamen nihil voluit diſponere, maximè cum illis diebus fideles debeant eſſe frequentes in abſtinentiis àd refrænandam carnis petulantiam, quæ tunc magis excitatur ad libidinem ea crapula, ebrietate, & luxu baccanalium.

Quæres 51. An dans licentiam aliis edendi libros poſſit ſeipſum licentiare ad illorum editionem; & ſic typis illos mandare ſine licentia ſui ſuperioris maioris e. g. Si Prouincialis poteſt dare licentiam aliis, vtrum ſine licentia Generalis poſſit libros edicere? In Concilio Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 10. prohibetur impreſſio librorum de rebus ſacris ſine nomine Autoris, & niſi prius examinati, & approbati fuerint per Epiſcopũ, & inquiſitores hæreticæ prauitatis ſub pœna amiſſionis librorum impreſſorum, & illorum publicam combuſtionem, centum ducatorum Fabricæ Sancti Petri Romæ, ſuſpenſionis exercitij impreſſionis per annum, & excommunicationis latæ ſententiæ contra imprimentes, aut imprimere facientes aliquem librum, aut quamcumque aliam ſcripturam, vel vendentes, aut apud ſe retinentes, *Vide Rodr. tom. 2. q. 104. art. 1. cum ſuo Compend. reſo. 79. n. 1. Barboſam ad hoc caput ſeſſ. 4. n. 3.* Quas pœnas conc. Tridentinum ſeſſ. 4. renouat contra eaſdem perſonas imprimi facientes, vel imprimentes, vel vendentes, vel retinentes, & pro regularibus adiicit, quod teneantur habere licentiam a ſuis ſuperioribus, qui libros recognouerint, & approbauerint. Et pœnas pro libris impreſſis extendit ad communicantes, vel euulgantes eoſdem libros etiam ſolum ſcriptos, & ſtatuit, qui illos ſic ſcriptos habuerint, vel legerint, niſi illorum autores prodiderint, habere pro autoribus.

Ducitur ex his quatuor actiones prohiberi in Later. quæ ſunt, commiſſio impreſſionis, impreſſio, venditio, & retentio tam librorum quam ſcripturarum de rebus ſacris, ergo de rebus profanis, cuiuſmodi ſunt libri Philoſophiæ, Legum, Medicinæ, Grammaticæ, &c. non ſubduntur diſpoſitioni Lateranenſis, neque Tridentini Conciliorum, nihilominus ex vſu probato Epiſcoporum, & Inquiſitorum hiſce noſtris temporibus nullus liber de quacumque materia tractet imprimi poteſt ſine licentia. Tridentinum adiungit alias actiones reſpectu librorum tantum, ſcriptorum nempe communicationem, euulgationem, retentionem, & lectionem, ſub eiſdem pœnis mulctans communicantes, & euulgantes, retinentes vero, ſeu legentes puniendi ſunt ac ſi eſſent autores, niſi illos prodiderint. Regulares ſubditi ſunt prædictis pœnis vtriuſque Concilij, ſed ante Tridentinum imprimere poterant de iure communi ſine ſpeciali licentia ſuorum ſuperiorum, quamquam alioquin id eſſet contra votum paupertatis, cum facere imprimere ſit actus proprietatis, qui à profeſſo fieri non poteſt ſine licentia ſui ſuperioris, neque enim contingere poteſt impreſſio ſine aliquo contractu pecuniario, aut donationis, ſi autor donet ſuum opus impreſſori, eo pacto vt in lucem edat, & ſibi tot copias tradat in recognitionem, hæc autem omnia ſunt actus proprietatis, ergo faciendum cum licentia ſuperioris ad euitandum peccatum proprietatis.

Quid ſi Regulares imprimere faciant cum ſola licentia Epiſcopi, non obtenta licentia à ſuis ſuperioribus, an incurrant pœnas Concilij Lateran. renouatas in Tridentino? Dico, quod non, quia Tridentinum eas pœnas non extendit ad regulares quatenus imprimere faciunt ſine licentia ſui ſuperioris, ſed ſolum renouat contra eos, de quibus in Lateranenſi, in quo illæ pœnæ infligebantur tantum cõtra imprimere facientes ſine licentia Epiſcopi, de licentia vero ſuperioris regularis nihil diſponit Lateranenſe, ergo renouans eas pœnas, de illis intelligendum eſt loqui, iuxta diſpoſitionem Lateranenſis, quod ne verbum, quidem de licentia ſuperiorum regularium, & hoc patet ex illo communi axiomate. Relatum debet eſſe in referente cum omnibus ſuis requiſitis. *Authent. Conſtitutio, qua innouat §. Vnde Verſ. In illis & l. Aut Prætor §. 1. ff. de re iud. vnde Nau. tom. 3. de datis num. 7.* ait, quod lex relata retinet omnes ſuas extenſiones, & limitationes in referente, ex Cardin. in Clem. Statutum de elect. Felin. In cap. 1. de iureiur. nam & referens ſe ad aliquid intelligitur ſecundum illud. *l. In teſtamento ff. de condit. & demon. Rodriq. ex cit. Nau. tom. 3. q. 54. art. §. fine.* Confirmatur quia pœnæ Concil. Later. renouatæ in Tridentino extenduntur ad communicantes, ſeu euulgantes libros ſcriptos tantum nondum impreſſos; & tamen dum diſponit de licentia obtinenda à ſuperioribus regularibus nihil dicit Trident. de pœnis, ergo ſignum eſt velle illos eſſe à dictis pœnis exemptos, arbitrans prudenter, ſatis eſſe ſi ſubiiciantur pœnis à ſuis ſuperioribus inflictis, vel infligendis. *Sic docet Peyr. de Prælat. q. 3. c. 9. n. 2.*

Sed quas pœnas prælati regulares infligunt contra facientes imprimere ſine licentia regulari? Vnuſquiſque conſulat propria religionis ſtatuta. Scio in mea nihil diſponi de hac re, ergo erit pœna arbitraria.

Quis autem dabit hanc licentiam? Meo iudicio ſi nullum adſit ſtatutum dabit non ſolum Generalis, de quo non dubitatur, verum etiam Prouinciali, cum iſte non minus ſit ſuperior Fratrum ſuæ prouinciæ quam Generalis totius religionis. Inquit enim Trident. *Licentiam quoque à ſuis ſuperioribus, impetrare teneantur.* Non excluderem localem, quando ipſe eſſet habilis, vel ſubditos haberet idoneos ad examinandum librum, quia neque Trident. illam excludit cum ipſe ſit ſuperior ſuorum Fratrum æque proportionaliter ac ſunt Prælati maiores; aut ſaltem non eſſet redarguendus dans huiuſmodi licentiam, quæ enim prohibita non ſunt, conceſſa intelliguntur, cap. Sunt nonnulli 25. 16. quæſt. 1. cap. Iam nunc 7. 28. q. 1. ibi: *Hoc non vetat Dominus.* Cenſetur autem habilis, ſi ipſe eſt doctor, vel doctorem ſub ſe habet non nomine, ſed re talem.

An de Muſicis petenda ſit licentia? Maxime quia præter cantum huiuſmodi libri continent ſenſus, in quibus poteſt ſubeſſe aliquid falſi contra ſacram ſcripturam, aut bonos mores. Et prauus inoleuit vſus mutandi verba ſacræ ſcripturæ in ſacris cantionibus à cantoribus, quod reuera tolerandum non eſſet, ſicut enim clerici in choro, & ad altare alias preces recitare non debent, niſi aſſignatas ab Eccleſia, ita neque Muſici alias cantare deberent, præter Eccleſiaſticas.

Difficultas

22 Difficultas eſt de communicatione, ſeu euulgatione librorum ſcriptorum non impreſſorum, de quibus non fuit dictum in Later. ſed ſolum in Tridentino ſub eiſdem pœnis prohibita eorum communicatio, vel euulgatio, quid veniat per libros ſcriptos? Nam libri ſcripti à Scholaribus de Theologia, de caſibus conſcientiæ, & concionibus, & aliis ſimilibus communicantur ſine vlla licentia, vt ſatis palam eſt in Magiſtris diſcipulos erudientibus labore calami, prout vſus obtinuit apud ſere omnes religiones. *Galerus verbo* 23 *Legere, & Aloyſius Riccius in deciſ. Neapol. deciſ.* 260. *n.* 6. *part.* 4. referunt deciſum habere locum Tridentinum, apud Barboſam hic n. 6. cum quibus eſt *Rodr. tom.* 3. *q.* 104. *art.* 1. *in fine* aſſerens S. Congr. poſtea declaraſſe habere locum quidem in prædictis, ſed præciſe quando communicantur, vt typis mandentur, quam declarationem authenticam extare Romæ in Archiuio Capucinorum. *Peyrin. qu.* 3. *de Prælat. cap.* 9. *n.* 3. dicit huiuſmodi ſcripta Scholarium, & concionatorum non comprehendi ſub hoc decreto, quia non ſcribuntur vt libri, & in ordine ad impreſſionem, ſed tantum ad proprium vſum, & per accidens eſt, quod quandoque communicentur. *Et Suar. diſp.* 23. *de cenſ. ſect.* 7. *n* 3. nomine ſcripti libri intelligit opus conſummatum, & integrum,

Faciens imprimere paginam, ſeu folium, vt aiunt, ſine licentia ſubditurne illis pœnis expreſſis in Concil. Later. & renouatis in Tridentino? Difficultas eſt, quia ſiſtemus diſpoſitioni Later. videtur incurrere, dicitur enim ibi: *Seu aliam quamcumque ſcripturam* certum autem eſt vnicam paginam impreſſam eſſe ſcripturam & non librum, ergo incidit. Si vero inſpiciamus verba, & ſenſum Tridentini, ne verbum quidem de huiuſmodi ſcripturis, ſeu pagellis, ſed tantum de libris ſermo eſt, qui ſine dubio pluribus, quam, vno conſtans foliis; quoniam autem plerique ex citatis docto-

24 ribus tenent Decretum Later. cum ſuis pœnis vſu receptum non fuiſſe, ideo immunis videtur eſſe ab excommunicatione, & amiſſione cartarum faciens imprimere, vel imprimens ſine vlla licentia. Nec dicas, me dixiſſe, Tridentinum renouaſſe pœnas Lateran. quia ipſemet ego redico innouaſſe, quo ad libros, non quo ad folia, cum de iſtis nulla fiat mentio; quamquàm imprimi non poſſint ſine licentia ex probato vſu maiorum alias puniantur pœna arbitraria.

Sed an alia excommunicatio ſit lata contra iſtos, & quomodo incurratur dubitari poteſt.

Duæ ſunt excommunicationes, immo tres in hac materia librorum. Prima in Bulla Cœnæ. Secunda in hac ſeſſ. 4. Tridentini. Tertia in Regula 10. Indicis librorum prohibitorum. De ſingulis dicendum.

Prima reſeruata in Bulla ſic habet. *Ac eorundem* i. hæreticorum, *libros hæreſim continentes, vel de religione tractantes ſine autoritate noſtra, & ſedis Apoſtolicæ ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quauis cauſa publice, vel occulte, quouis ingenio, vel colore.* Nomine hæreticorum veniunt omnes Chriſtiani, qui à fide erra-

25 uerunt, & tales declarati ſunt, alias legens librum hæretici occulti non incurrit hanc cenſuram, ſicut neque legens libros infidelis, licet contineant hæreſim. Portel. v. libri prohibiti num. 5. vtique vero cenſuram Indicis. Secundo nomine librorum veniunt libri hæreticorum declaratorum, quælibet pars notabilis eiuſdem libri lecta inducit eam cenſuram, modo liber contineat hæreſim, vel tractet de religione, ſi vero tractet de aliis, vt de Philoſophicis, Hiſtoriis profanis nullam pœnam incurrit legens illos, modo admixtam hæreſim non habeant. *Portel ex Vgolin. num.* 8. Liber autem hæretici non dicitur, in quo referuntur hæreſes, & reprobantur, Portel. num. 4. Similiter neque côfectus à Catholico continens annotationes, & Scholia hæretici, *Nauar. cap.* 27. *nu.* 56. *Portel. n.* 6. Siue liber ſit typis impreſſus, ſiue tantum ſcriptus, *Portel. num.* 7. non incurrit legens ſcripturam, vel folium, quia liber non eſt, iuxta mox dicta num. 24 Tertio ad incurſum requiritur ſcientia qualitatis Authoris, & libri, aliter legens, ſeu retinens excuſatur. Quarto mihi non videtur incurrere legem librum latino idiomate exaratum, qui penitus ignorat latinum, quia non eſt periculum ſubmerſionis, ſicut ſi legeret alio idiomate compoſito ſibi ignoto, *Sanch. lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 51. diſplicet id Portello n. 11 Qui ſentit legentem, aut memoriter dicit, quod alias legit, non incurrit, quia non dicitur legere, *Sanch. n.* 50. *Portel. n* 11. Legere autem dicitur non ſolum, qui ore verba exprimit, ſed etiam qui verba oculis percurrit aduertendo mente ad id, quod dicit, *per. l.* 1. *ff. de his, quæ in teſtam. delend. Graff. lib.* 14. *deciſ. cap.* 18. *n.* 45. *Megal. lib.* 3. *de cenſur. cap.* 2. *n.* 36. *Nald. v. Bulla n.* 13. *per l.* 2. *§. Inſpectio ſi Quemadm. teſtam. aper.* Qui proinde inferunt ſic percurrentem affici cenſura. Quinto ille dicitur retinere ad effectum huius cenſuræ, qui apud ſe, hoc eſt in domo ſua, vel alibi retinet, quouis fine, ſiue modo aliquã eius partẽ ſaltem per diem excuſatur tamen, animo deferendi ad

26 inquiſitorem data opportunitate, *Sanch. lib.* 2. *capit.* 10. *num.* 52. *ad* 56. *Portel. num.* 12. Sexto defendentes huiuſmodi libros, quouis prætextu etiam parentelæ ſunt excommunicati, quia liber huiuſmodi materiæ eſt incapax defenſionis. Ille autem defendit, qui impedit, ne liber perueniat ad manus inquiſitoris, qui illum laudat, qui ſcribit in eius fauorem, qui abſcondit &c. *Sanch. lib.* 2. *cap.* 10. *n.* 58. Septimo demum vnaquæque illarum quatuor actionum, quæ ſunt legere, vel retinere, vel imprimere, vel defendere ſufficit ad inducendam hanc pœnam, à qua cum ſit reſeruata in Bulla Cœnæ nullus omnino, nec Superior Regularis abſoluere poteſt, niſi in Iubilæis vniuerſalibus, quando conceditur abſolutio à reſeruatis etiam in Bulla, excepta hæreſi, quia huiuſmodi excommunicatio non dicitur eſſe contra hæreticos, ſed contra legentes, &c. libros hæreticorum, *Portel. num.* 14 *citans pro ſe Henriquez libro ſexto de Pœnitent. capitulo* 16. eo quod iſti hæretici non ſunt, niſi habeant errorem in mente.

Secunda excommunicatio in Tridentino manet explicata quo ad incurſionem ſupra à num. 17. ad num. 25. Nam illam nulli reſeruatam incurrunt imprimere facientes, vel imprimentes, vel vendentes, vel apud ſe retinentes (ergo non apud alios) vel communicantes, ſeu euulgantes nondum impreſſos ſine licẽtia Epiſcopi, & Inquiſitoris.

Tertia demum fulminatur in Indice ſub Regula decima illis verbis. *Quod ſi quis libros hæreticorum, vel cuiuſuis autoris ſcripta hæreſim. vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, ſiue habuerit ſtatim in excommunicationis ſententiam incurrat.* Nulli reſeruatur. Neceſſe autem eſt, quod liber ſit prohibitus ob ſuſpicionem hæreſis, alias legens non incurrit. Vide *Bonac. quæſt.* 5. *de excom. p.* 4. *per totum.* An legens cantilenas inhoneſtas agentes de amore impudico prohibitas incurrat hanc cenſuram; puto non, ſi non contineant ſuſpicionem erroris in

27 fide. Dogma autem conſiſtit in doctrina fidei Chriſtianæ, *Gloſ. fin. diſt.* 2. *per capit. Quod Epiſcopus diſt.* 23. Tempus autem iam eſt reſpondendi ad quæſitum, an Prælatus regularis velit aliquem librum imprimere egeat licentia ſui ſuperioris, an poſſit ſeipſum licentiare, & imprimere cum ſola licentia Epiſcopi, & Inquiſitoris?

28 Reſpond. Poteſt, quia licentians alios ſeipſum etiam licentiare poteſt ad id, ad quod alios licentiat. Confirmatur à ſimili, quia prælatus poteſt ſe licentiare ad abſolutionem, vt probaui *reſol.* 3. *numero* 23. ad electionem confeſſarij *reſol.* 34. *numero* 33. *&* 34. ad caſus reſeruatos *reſol.* 39. *numero* 63. ad diſpenſationem *reſol.* 10. *numero* 13. *& reſol.* 11. *num.* 55.

numero 55. ergo idem facere potest respectu impressionis librorum. Nec obstat quod in exemplis allatis negotium exercetur per tertium, quia patet in locis citatis saltem dispensationem posse exerceri ab ipsomet prælato in personam propriam iudicando se indigere tali dispensatione, sic etiam iudicare potest suum opus esse integrum, sanum, & alienum ab erroribus, cum totis viribus elaborauerit, vt doctus, & scientificus eadat sine vlla suspicione erroris.

Quæres 12. An superior localis propria autoritate possit ad habitum Tertij ordinis suæ religionis recipere viros, & feminas cuiuscumque status, & conditionis? Procedit quæstio respectu omnium religionum; an e.g. Prior in mea religione possit dare habitum alicui secolari, vt fiat de Tertio ordine Sancti Francisci? Item an Prior Dominicanus possit dare habitum Tertij ordinis suæ religionis, &c. Vnusquisque superior interim inspiciat, quid statutum sit in sua religione, in mea nihil determinatur, ideo standum est iuri communi.

29 Respondetur. Quilibet localis superior ad habitum Tertium sui ordinis recipere potest quemlibet fidelem vtriusque sexus, tradendo illi habitum sui ordinis iuxta consuetudinem patriæ. Franciscanus tamen exempli gratia non potest tradere habitum ordinis Dominicani, sed vnusquisque habitum sui ordinis. Quod omnes Mendicantium superiores, non distinguendo de localibus, nec maioribus asserit, & citat Bullas Pontificias *Lezana tomo secundo, capitulo* 14. à numero octauo. Loquendo autem de superioribus nostris etiam localibus nulli dubium esse potest, quia ex Regula Nicolai Quarti incip. Super montem, hoc munus spectat ad Ministros locales sic dictos ibidem capitulo secundo cum consensu suorum discretorum, & si ibi sermo est de Ministris Tertiariis secularibus, perfectiori modo locum obtinet in eisdem superioribus regularibus ex Regula, tum adaptata religiosis anno 1473. capitulo quinto, tum à Leone Decimo accommodata eisdem regularibus, nunc vocatis Prioribus, quorum proprium deberet esse recipere quosuis Tertiarios ad hunc habitum, cum illis successerint tamquam filij in partem, & hæreditatem omnium iurium illis competentium. Viros autem cuiuscumque status, & conditionis, siue laicos, siue clericos, siue curam animarum habentes, & quoscumque alios, qui non sint religiosi alieni ordinis recipere possunt, qui tamen sint sani in fide, & probatis moribus.

30 Mulieres vero ad habitum admittere non possunt superiores nisi habeant sequentes conditiones. Prima nisi habeant annos saltem quadraginta. Secunda nisi de proprio habeant, vt inde sufficienter viuere possint. Tertia, quod sint probatæ vitæ, alias suspectæ non debent admitti, ne vituperetur ministerium nostrum. Quarta, vt non cum aliis viris, quam cum consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu sibi coniunctis cohabitent. Quinta, vt non admittantur ad habitum, nisi prius impetrata licentia ab ordinario, qui aliter eam non concedat, nisi præuio examine sibi constiterit recipiendam ad habitum habere dictas conditiones. Sexta fæmina induta habitu abstineat à velo, & patientia. Septima si volunt gaudere priuilegiis, & esse exemptas ab ordinariis debent profiteri castitatem, aut vitam cœlibem. *Ita respondit S. Congr. anno* 1616. *apud Naldum v. Clausura, & ea* parte habetur in constit. Leonis X. incip. Dum intra, *apud. Confect. pag.* 130. *Lauor. tit.* 2. *de funer. cap.* 11. *num.* 102. & 103. Non video tamen seruari dictas

31 conditiones, nec peti licentiam ab Episcopo, forsan quia hisce temporibus tam superiores regulares, quam ipsæ Tertiariæ non curant de exemptione ab ordinariis contentæ fruitione indulgentiarum, & suffragiorum illius religionis, cuius habitum assumunt. Quare superiores regulares, qui nolunt suas Tertiarias esse subditas ordinariis easdem recipiant, præmissis omnib. prænarratis conditionibus, aliter Episcopis contra illas dictis carentes requisitis, procedentes, resistere non possunt.

Quæres 13. An superior solum per limitatum tempus durans, e. g. per triennium, possit aliquid indulgere vltra suum triennium e. g. an Prouincialis possit instituere confessarium perpetuum in sua prouincia? An possit dare facultatem absoluendi à reseruatis duraturam etiam sub aliis prouincialibus post ipsum eligendis? An concedere Priori pro tépore existenti licentiam admittendi ad professionem? An infligere pœnam disciplinæ singulis sextis feriis in refectorio per plures annos vltra suum officium? Videtur quod non, quia allata exempla continent ordinationes quasdam, quæ cum sint factæ à superiore propria autoritate, non dicuntur leges, neque statuta a iure, sed facta vt ab homine; modo ordinata vt ab homine durant solum, & vim habent pro eo tempore, quo ordinans, & disponens est in officio, ergo cessante eius officio, cessant quæcumque ordinata fuerunt ab eo homine, qui officio fungebatur, vt iuribus, & doctoribus allegatis *dixi resol.* 6. *q.* 24. *n.* 30. *pag.* 51. Quibus non obstantibus, vt quæ continent ordinationes odiosas.

32 Respond. Prædictæ licentiæ, & adiecta pœna perficiuntur, cessante officio, donec à successore reuocentur, probatur, quia huiusmodi licentiæ habent rationem gratiæ factæ, gratia autem facta non expirat per mortem concedentis, vel amotionem ab officio, sed vlterius durat iuxta tenorem concessionis, *c. Relatũ* 19. *cap. Gratum* 20. *de off. deleg. c. Si super gratia* 9. *eod. in* 6. *cap. Si cui* 36. *de præbend. in* 6. Confirmatur, quia fauores sunt ampliandi. & decem prælati beneficium esse mansurum, ex vulgatis iuribus

Quod ergo facta ab homine vt sic non durent vltra eius officium, locum habent in odiosis, & ordinationibus factis, quæ subditis sunt onerosa, vt si ordinetur, ne quis exeat clausura sub pœna suspensionis, ne ingrediatur domum talem, ne alloquatur quamdam mulierem; hæc & similia ab homine superiore facta expirant cessante eius officio, cum sint onerosa, odiosa enim sunt restringenda ex vulgatis iuribus.

Pœna vero sine dubio executioni mandanda est à reo vsque ad præfinitum tempus, quia ratione diuturnitatis temporis æquatur culpæ, & sic de iure illi debita est, & non tantum ab homine, præterquam quod aliud est inflictio pœnæ, quod imponitur à iudice, aliud est illius executio ex parte patientis, qui debet illam sustinere iuxta sententiam contra se latam, quod præstare potest, & debet, nullo etiam existẽte iudice, à quo in hoc non dependet, nisi quantum ille eam exequi debet iuxta tenorem sententiæ.

Quæres 14. An resistens formali obedientiæ superioris nolendo obedire præcepto sibi iuste posito ex hoc carcerari possit etiam à superiore locali?

33 Respond. Potest carcerari, probatur, quia superior etiam localis mancipare potest carceribus suos subditos delinquentes in re graui, vt docent omnes *in cap. Vt famæ* 35. *de sent. excom. cum Rodr. tom.* 2. *q.* 22. *art.* 2. & *ex eo Peyrin. de Subd. q.* 1. *cap.* 13. Sed ino-

34 bedientia est peccatum mortale, & maximum peccatum, *Glos. c.* Sententiis *cap.* 2. *de constit. in* 6. *Glos. dicimus, cap. Dolentes* 9. *de celebr. miss.* inobedientiam vocat grauissimum peccatum, immo arguit idololatriam dicit *glosa v. Si afflatus, cap. Duo* 2. 19. *q.* 2. & inobediens non caret dolo, ibi: *Non potest dolo carere, qui imperio magistratus non paruit. l. Non potest,* 160. *de regul. iur.* ergo inobediens, & contumax merito carcerari potest, cum alio modo non possit compelli ad obediendum. Confirmatur, quia huiusmodi inobedientia in facié superioris coram aliis maximum generat scandalum, & confusionem in religionibus, vnde Leo X. constit. Licet alias, dat. 3. Septemb. 1516. inquit. *Nos attendentes*

præcipuum quarumuis religionum fundamentum obedientiam existere, qua sublata, non religio, sed confusio potius 35 *dicenda est, &c.* Sed qui confusionem ponunt in religione digni sunt carceribus, ergo & inobedientes similis confusionis occasionem dantes carcerandi sunt.

Videant tamen superiores, & solerti animaduersione considerent, se patres esse suorum filiorum, non dominos seruorum, ideo tamquam patres in dilectos filios salutarem adhibeant castigationem, filios subditos cum omni charitate allicientes, & quodammodo ad bonum obedientiæ per disciplinam humilitatis trahere studeant, memores se quandoque fuisse filios, nunc patres, postmodum forsan futuros subditos eorum contra quos partes superioris gerunt, qua alterna disparitate expergefacti mutuam rependant sed iustam clementiæ vicem.

36 Notat, & bene probat Peyrinus subditum non teneri obedire superiori præcipienti subdito, vt pergat ad carcerem, nisi reddit rationem, est enim carcer pœna grauissima, irreparabile damnum inferens, ea quo si non constet de causa carcerationis subditus obedire non tenetur, probat multis, de *Subd. q. 1. cap. 13.*

37 Carceris vsus consistit in tribus. Primo datur in pœnam delicti grauissimi, vel saltem grauis, nullus autem pro his carcerandus est, nisi post sententiam definitiuam, reus enim pœnam non exequitur nisi post sententiam, ex vulgatis iuribus. Secundo datur pro executione obedientiæ carcere, vt in casu nostro quando e. g. religiosus non vult facere, quæ spectant ad suum officium formaliter resistendo præcepto superioris ore tenus præcipiendo aliquid, vel, vt reueler seu confiteatur, quod tenetur reuelare, & confiteri. Tertio datur carcer ad custodiam, quando superior dubitat de fuga delinquentis, de cuius delicto licet non debeat planè constare, necesse tamen est, quod de illo sit valde suspectus, vt cum *Spathario in sua praxi tenet etiam Peyr. de Subd. q. 1. cap. 13. concl. 2. Ghisler. de ind. regul. 18. n. 64. Aretin. de tert. substant. cap. 1. §. Secundum.*

Quæres 15. an Generalis, vel Prouincialis possint dare perpetuam licentiam Prioribus pro tempore existentibus in regimine conuentus, vbi est locus deputatus pro nouitiis recipiendis ad profitendum, quamuis Generalis non duret vltra sexennium, & Prouincialis triennio absoluatur à suo officio? Videtur quod non 38 ex illo communi axiomate. Facta ab homine durant solum eo existente in officio, ergo talis licentia durat solum pro tempore, quo erit in officio. Deinde, hæc est differentia inter gratiam factam, & faciendam, 39 quod illa durat etiam post mortem concedentis, hæc vero extinguitur cum morte concedentis, seu amotione ab officio, vt docent omnes; sed licentia recipiendi nouitios ad proficiendum est gratia facienda successiue nouitiis, & nullo modo facta, vt de se patet, neque respectu Priorum, cum illorum fauor non sit, sed nouitiorum, præterquam quod cum futurus prior subsequenter nondum sit gratia non potest dici facta respectu illius, quia rei non existentis nulla gratia, aut priuilegium est, *Glos. v. Non possumus in cap. 5. de eccles. ædif.*

40 Respond. Vterque tam Generalis, quam Prouincialis extra capitulum propria facultate possunt huiusmodi perpetuam concedere licentiam Prioribus pro tempore regimen habentibus in conuentu, vbi est deputatus locus probationis, & nouitiatus. Probatur primum, quia iure ordinario cap. 9. Regulæ dicti prælati possunt ipsi immediate recipere nouitios ad profitendum, ergo & hanc facultatem aliis delegare argumento à potestate ordinaria ad delegatum consequentem ad illam, ex vulgatis iuribus. Secundum probatur, quia huiusmodi licentia est gratia facta respectu Priorum, respicit enim fauorem, & honorem, superioris localis, & communem monasterij vtilitatem, ne nouitius peracta professione rite, & valida audeat perturbare religionem prætextu reclamationis ea nullitate professionis. Nec obstant allata in opposi- 41 tum, nam illud axioma locum habet in odiosis, & in gratiis faciendis, non autem in gratiis factis, vt asserunt doctores, *cap. Relatum 19. cap. Gratum 20. de off. deleg.* Ad aliud, licentia illa spectari potest dupliciter, primo respectu nouitiorum, & sic dicitur facienda, secundo respectu Priorum, & sic dicitur facta, & cum superiores eam immediate concedant Prioribus attendenda est cócessio, quę formaliter & immediatè est gratia facta, ex qua deinde sequitur effectus eius, nempe, professio nouitiorum pro tempore, qui est gratia futura nouitiis, hinc fit, quod simpliciter, seu principaliter huiusmodi licentia vocatur gratia facta, quæ sicut perpetuo datur, ita & semper durat, etiam finito superioris officio; & præterea cum detur non personæ, sed dignitati, quæ semper durat existens actu, priuilegium dicitur factum rei existenti actu. Faciunt dicta sub n. 32.

Quæres 16. An superior in concilio publico, & consensu petendo pro aliquo negotio oretenus, quosdam religiosos, qui solent respondere impertinentia, vel proferre vota incerta, obscura, vel solent remittere se aliis, aut superiori, ignorantes quid sit consentire cum aliis pro aliquo negotio expediendo, possit non vocare, vel præterire, dum singulorum consensum, & votum inquirit, absque eo, quod dicatur illos contemnere in illo negotio?

Respond. Potest, Tum quia nemo ad inutile tenetur 42 cuiusmodi est exquisitio similium votorum incertorum, & nullius momenti, quæ sicut non faciunt ad electionem, *cap. In electionibus, de elect. in 6.* ita neque conducunt ad alia negotia. Tum quia, qui non facit quod debet, recipit, quod non oportet. *l. Iulianus §. Offerri ff. de act. empt.* Tum quia per huiusmodi locutiones indiscretas, sic respondentes videntur renuntiare iuri suo, & sic non dicuntur contemni.

Quæres 17. An prælati regulares saltem capitulum Generale possit facere statutum pœnale inducens irregularitatem nouam, quæ iure communi non sit comprehensa?

Respond. Negatiue *resol. 11. n. 55. doctoribus allega-* 43 *tis, quibus adde Tambur. tom. 2. disp. 17. q. 1.*

Quæres 18. An Generalis Tertij ordinis S. Francisci possit erigere Confraternitates Cordigerorum?

Respond. Potest ex Priuilegio Gregorij XV. *de* 44 *quo dixi resol. 72. num. 7.* in Ecclesiis, & oratoriis sibi subiectis 39. non in extraneis 40. potest eam facultatem subdelegare num 38. manent erectæ ab illo confraternitates cordigerorum, licet superueniant alij Franciscani, tam quo ad institutionem primo factam, quam quo ad receptionem successiuam confratrum sub num. 37.

Quæres 19. An superior possit sub mortali præcipere aliquid modicum, est tale non solum ex se, sed etiam ex circumstantiis? Affirmat *Sayr. in sua Clau. lib. 3. cap. 6. num. 17. Sed non obstante hoc.*

Respond. non potest superior in materia leui ex se 45 & ex circumstantiis obligare ad mortale. Ratio est quia obligatio sub culpa mortali, vel veniali non regulatur à voluntate præcipientis, sed ex conditione rei præceptæ, quæ si sit leuis de se, & ex circumstantiis omnino est incapax grauis obligationis, necesse est enim in tali casu quod voluntas superioris præcipientis conformetur cum qualitate materiæ, à qua specificanda est grauitas, vel leuitas materiæ præcepto subiectæ, aliter voluntas irregularis esset, & difformis rectæ rationi, quod est fundamentum præcipiendi, & obligandi subditum. Solus Deus ita præcipere potest sub mortali leuia, vt nonnulli dicunt de Adamo, & Eua ratione vsusfructus vetiti; sed præceptum illud diuinum erat de re grauissima in ordine ad futuram damnationem humanæ massæ, quam in se vitiauit Adam per transgressionem præcepti. *Ita docent omnes*

cum

cum Molfesio tom. 1. lib. 2. cap. 4. Sanch. lib. 1. capitulo 4. numer. 4. alios citat Diana resolut. 47. de paruitate materia.

[46] Res verò leuis aggrauatur ratione circumstantiarum, cuius transgressio sine dubio est peccatum mortale, vt sunt circumstantiæ boni communis, vitandi scandali, periculi transgressoris votorum, vnde præcipi potest sub mortali, vt seruetur silentium talibus diebus, & horis, maxime vbi solet vt plurimum reseruari; item ne quis alloquatur mulieribus in Ecclesia, vel accedat ad talem domum; ne aliquis ingrediatur cubiculum alterius religiosi, licet enim hæc de se sint leuia, tamen à superiore præcipi possunt sub mortali ob supradictas circumstantias; sit tamen parcus superior, & nonnisi in periculis euidentibus huiusmodi rigorosa vtatur præceptione sed aliis mediis prouideat si possibile est; Neque subditus excogitare debet causas huiusmodi præceptorum, stante bonitate, & prudentia superioris, qui quandoque occultam habet rationem, & causam ita præcipiendi, licet ignotam subdito, cui illam non tenetur reuelare, cum in omnibus licitis iam ex voto obedientiæ propriam voluntatem illi subiecerit.

Quæres 20. An in dubio præcipiendi superior adhoc sit in possessione præcipiendi, & teneatur subditus statim obedire? an verò possit antequam obediat inquirere de potestate superioris interim non obediendo?

[47] Respondetur. In dubio superior habet ius præcipiendi, & subditus tenetur obedire; neque debet subditus quicumque ille sit, etiam respectu aliorum superiorum examinare de eius iustitia, quando præceptum non continet manifestum errorem peccati, sed tenetur statim obedire, & non contradicere. Ratio est, Tum quia superior est in possessione suæ potestatis præcipiendi, ergo illa spoliandus non est, nisi clare constet vel non posse præcipere, quod iubet, vel præceptum esse manifeste iniustum. Tum quia alias esset deterioris conditionis superior subdito, cum tamen ex natura rei expositum debeat esse, quia minor seruire debet maiori. Ita docent omnes, *Glos. v. Iniquitas, per cap. Quid culpatur 4. 23 qu. 1. Glos. ver. Obedien iam cap. Ad aures 5. de temp. ordin. Glos. fin. cap. Dilecta, de maior. D. Bonauentura in 2. dist. 39. art. 1. q. 3. ad vlt. Rosella v. Bellum num. 4. Silu. v. Bellum 1. q. 9. Tab. 11. n. 14. multos citat Sanch. lib. 5. cap. 3. numer. 3. Sayr. lib. 1. cap. 13. numer. 3.*

[48] Quod subditus teneatur obedire, & examinare præceptum sit ne iustum, docent omnes cum S. S. Patribus, nam S. Bernardus in lib. de præcepto, & dispensat. ita dicit. *Sed homines, inquit, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & præcipienda fallere possunt; sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es?* S. Basilius in lib. constitutionum Monasticarum cap. 22. sic loquitur. *Quemadmodum pastori suæ oues obtemperant, & viam quamcumque ille vult, ingrediuntur, sic qui ex Deo pietatis cultores sunt, moderatoribus suis obsequi debent, nihil omnino ipsorum iussa curiosius perscrutantes, quando libera sunt à peccato.* S. Hieronymus in epistola ad rusticum illis verbis. *Præpositum timeas, Dominum, diligas, vt parentem, credas salutare quicquid ille præceperit, nec de maiorum sententia iudices cuius officij est obedire, & implere, quæ iussa sunt.* S. Gregorius Magnus super primum librum Regum. *Vera obedientia nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia, qui omne vitæ suæ iudicium maiori subdit, in hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur, operatur.* S. Benedictus *cap. 5.* suæ Regulæ. *Mox vt imperatum à maiore fuerit, ac si diuinitus imperetur moram pati nesciunt in faciendo* S. Ioannes Climacus in libro, cui titulus Scala gradu 4. ita dicit. *Cum tibi cogitatio suggesserit, vt prælatum, aut diiudices, aut damnes ab ea non secus, quam à fornicatione discede .... Loquere ad huiusmodi serpentem, ô seductor maligne, non ego ducem meũ iudicandum suscepi, sed ille me, non ego illius, sed ille mei dux est.* S. Thom. prima secundæ quæstione trigesima tertia, articulo quinto, ad tertium, ad obiectionem sibi à se factam ex Regula D. Benedicti acceptam dicentis esse obediendum etiam in rebus impossibilibus ita respondet. *Ad tertium dicendum, quod hoc ideo dicitur, quia an aliquid sit possibile, subditus non debet suo iudicio definire, sed in vnoquoque iudicio superioris stare.* S. Bonauentura *in Speculo disciplinæ parte prima, particula prima, capitulo quarto. Illum optimum dixerim obedientiæ gradum eo animo opus iniunctum recipitur, quo & præcipitur, cum ex voluntate iubentis pendet intentio exequentis, nunquam de maiorum sententia iudicent, quorum officij est obedire, & implere, quæ iussa sunt.*

Patet ergo ex prædictis quemlibet subditum, in eo, quod est subditus teneri obedire suo superiori etiam in dubio, modo manifestè non constet de iniustitia rei, quæ præcipitur, quicumque ille sit, allatæ enim sententiæ Sanctorum Patrum non solum spectant ad Ecclesiasticos, & religiosos, sed quoslibet alios Christi fideles, Principes, & Magistratus cum ipsi subditi sint respectu suorum superiorum, & omnes summo Pontifici, cui ab omnibus obediendum est etiam dubiis, cum hæc circumstantia neminem releuet, nam dubium non ex conditione personarum, sed in ipsis rebus præceptis dicitur esse. [49] Dubium autem respectu rei præceptæ spectari potest dupliciter, vno modo respectu potestatis præcipientis, quatenus dubitatur, an eius potestas se possit extendere ad talem rem, vel talem personam e. g. an superior regularis possit excommunicare monitum pro tali crimine, &c. altero modo, an possit præcipere talem rem dubitando de eius iustitia sitne licitum, an illicitum exequi obedientiam circa eam rem. In quouis ex illis casibus siue dubitetur de potestate superioris, siue de iustitia rei præceptæ tenetur subditus obedire suo superiori, existendo, & credendo suum superiorem posse ita præcipere; neque rem examinare potest, nec debet, quia hoc facere est actus superioris erga subditum, certum autem est, personam, cui id præcipitur, & respectu ipsiusmet præcepti, superiorem non esse in tali, neque vt talem spectari posse in ordine ad dubium, quamuis alias superior esset, mere, & solum tunc esse subditam præcipiendi, cui ideò obedire tenetur.

Quæres 21. An superior regularis possit suspendere confessarios, qui de eius licentia legitime non obtinuit facultatem audiendi confessiones secularium ab Episcopo?

[50] Respond. Superior præsertim maior vt Generalis, & Prouincialis, ex quacumque causa legitima tamen, & concernente materiam confessionis, vel quid simile & accessorium potest suspendere, seu priuare subditos confessarios, etiam secularium, ob rationes adductas *à me Resolutione nona, numero decimo, octauo, & trigesimo quinto* & pro Generali censuit S. Congregatio, vt refert Lucerna Regularium verbo Generalis numero primo, Barbosa in suo Bullario verbo Generalis, dicit id facere posse Generalem ex quacumque causa, licet crimen occultum sit, & hoc efficere etiam extra iudicialiter. Sed magis expedit talem confessarium remouere à loco, hac enim ratione, velit, nolit, remanet suspensus. Prouincialis verò in hoc casu debet procedere iudicialiter, ita quod sibi testib. constet de corpore delicti ad effectum suspendendi confessarium, neque enim aliquis priuandus est iure suo sine culpa, ergo de ea constare debet superiori. [51] Quod si non obstante priuatione, seu suspensione hoc ministret sacramentum sacrilegus est in graue præiudicium proprium, & pœnitentium, qui scienter confitentes illi peccant mortaliter, & nullam faciunt confessionem, non solum ob peccatum proprium confitentes scienter ei, qui iurisdictione caret, sed etiam ob defectum iurisdictionis qua priuatus fuit à suo superiore confessarius; quod si

ſi ignoret, tenebit confeſſio ex parte pœnitentis, Eccleſia ſupplente defectum iuriſdictionis in fauorem animæ pœnitentium. Iſta autem ſuſpenſio cenſura non eſt, vnde attentans abſoluere irregularis non fit, ſed eſt pura pœna cum in ratione pœnæ inflicta principaliter ſit, non in emendationem, & contumaciam. 51

Quæres 22. An Prouincialis, vel ad minus Generalis poſſit ſine cauſa Prouincialem, vel Priorem priuare? Affirmat Suar. *& ex eo Lezana part. 1. cap. 18. numero 87.*

53 Reſpondetur. Non poteſt, ratio deſumitur ex illa communi regula vigeſima tertia in ſexto. Nemo ſine culpa eſt priuandus iure ſuo, niſi ſubſit cauſa, electi autem ſuperiores, & confirmati ius habent acquiſitum in ſuo officio, ergo eo iure priuandi non ſunt. Expreſſe *capit. Monachi de ſtatu monach.* ibi: *Gloſa verbo. Non* 54 *mutentur.* Verba autem illius capitis ſunt hæc. *Priores autem cum in Eccleſiis conuentualibus per electionem capitulorum ſuorum canonicè fuerint inſtituti, niſi pro manifeſta, & rationabili cauſa non mutentur, vt videlicet ſi fuerint dilapidatores, ſi incontinenter vixerint aut tale quid egerint, pro quo amouendi merito videantur, aut ſi etiam pro neceſſitate maioris officij de conſilio Fratrum fuerint transferendi.* Ita aliis citatis docet *Sigiſm. dubit.* 49. Vbi aduertit duplex officium, vnum per electionem à pluribus, alterum per prouiſionem ſuperioris ſine 55 electione. Et quando intra *capit. Petrus trigeſimo ſecundo de ſimon. capit. Qualiter vigeſimo quarto de accuſ.* dicunt, quod ordo iuris contra regulares perſonas vſquequa-56 que obſeruandus non eſt, quia facilius & liberius à ſuis poſſunt amoueri adminiſtrationibus. Intelligendum hoc eſt, de officiis non electiuis, à quibus facile remoueri poſſunt, eo quod ſine electione vt plurimum conferuntur ex arbitrio ſuperioris, eodem quoque arbitrio & nutu reuocari poſſunt etiam ſine cauſa. in hoc tamen caute etiam procedendum eſt, ne fiat iniuria proximo, vel detur occaſio maledicendi.

57 Quando ſuperior vult priuare prælatum, vel alium officialem ex electione factum, in cauſa procedat cum omni circumſpectione, & proceſſum formet, ita quod in neceſſariis illi nihil deſit, conceſſis defenſionibus reo cum debito temporis interuallo, iuxta negotij exigentiam non obſtante quod in capit. Ex quæ, citando, dicatur abſque ſtrepitu iudiciali, quia intelligitur ſecundum apices iuris, quibus non tenentur regulares, ſed ſolum ad ſubſtantialia. Cauſæ autem ad caſſandum ſuperiorem debent eſſe alicuius momenti, 58 *de quibus ſupra ex capit. Monachi, & notat Peyrin. tomo tertio, capitulo tertio, numero quarto* cuiuſmodi eſt dilapidatio bonorum monaſterij *capit. Ex quæ §. Quod ſi, de ſtatu mon.* Magna negligentia in officio, *Gloſa verbo Negligentia capit. Cum ad monaſterium, eodem per capit. Si quis Abbas* 18. *quæſtione ſecunda.* Aliæ ſunt cauſæ, vt peccati luxuriæ, vagatio eius, qui raro domi reſidet, alearum ludus, omiſſio lectionis nonnullarum Bullarum, ad hanc attendunt ſubditi non ex caritate, ſed tædio affecti ſubiectionis ad ſimile periculum inaduertenter aſpirantes, & reuera hæc cauſa vt plurimum nullam culpam inuoluit, cum omiſſio ex inaduertentia eueniat, & ſuperiores deberent in his occulis conniuere, & crimina extirpare, &c.

59 Quandoque prælatus remouetur ab adminiſtratione, in qua eſt negligens, & non à ſuperioritate in ſubditos *Gloſa fin. capit. fin. tertio, quæſtione ſecunda* vbi dicit, quod remotus ex mala adminiſtratione dilapidationis eſt infamis, ergo non ex aliis cauſis, 60 quæ infamiam non inducunt. *Dicit Nald. verbo Religioſus num.* 47. quod priuatus omnibus officiis, non eſt priuatus voce actiua, & paſſiua quo ad futura, immo ſimpliciter non eſt priuatus voce actiua, quæ non ordinatur ad officia recipienda, ſed danda tantum.

Quæres 23. An ſuperior poſſit aliquam cauſam tam criminalem, quam ciuilem delegare extra religionem ad minus perſonæ Eccleſiaſticæ ſeculari, vel regulari?

61 Reſpond. Poteſt, ſi non prohibeatur à Regula, vel conſtitutionibus ſui ordinis, probatur quia iure delegabilis eſt iuriſdictio ordinaria etiam perſonæ non ſubditæ, *ex cap. Sæpe* 28. 23. *q.* 8. *cap. In archiepiſcopatu* 4. *de raptor.* ergo nihil prohibet, quin poſſit, delegari ſaltem à Generali, quando agitur in criminalibus, in ciuilibus etiam à Prouinciali. Si tamen pars ex hoc præciſe reſiſtat euaneſcit delegatio, quia videtur habere rationabilem cauſam nolle iudicari ab extraneo. Eſt autem differentia inter delegatum ſubditum, & extraneum, quod ille cogitur acceptare delegationem ratione ſubiectionis, iſte vero rogandus eſt, & ſi nolit acceptare cogi non poteſt, cum non ſit ſubditus. Huiuſmodi autem delegationes fugiendæ ſunt, cum ſint præiudiciales decori ordinis. Neque obſtat, quæ dicit *Peyrin. de Subd. q.* 5. *cap.* 18. §. 2. non poſſe Generalem, neque Protectorem delegare viſitationem extraneo, quia is eſt alius caſus, & benedicit.

Quæres 24. An ſuperior ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis confeſſionibus præcipere poſſit confeſſarios, vt omiſſo hoc ſpirituali exercitio tempore celebrationis diuinorum officiorum interſint cum aliis in choro ad recitandum diuinum officium.

62 Reſpond. Poteſt, ratio eſt, quia obligationem habent accedendi ad chorum ex probatis *reſol.* 30. *num.* 5. audiendi autem confeſſiones nullum habent debitum, ſed eſt officium voluntarium caritatis erga proximum, ergo ex ſtante obligatione ſuperior poteſt cogere ad illius obſeruationem. Quæ ratio probat, abſoluere, licet chorus ex eorum abſentia alias nullum pateretur detrimentum, ſtante ſufficienti aliorum numero, quia ſuperior tenetur inuigilare magis ſuper iis, quæ decent ſtatum religioſum, quam ſuper illis, quæ extranea ſunt, vel ſaltem non obligantia. Quod ſi pœna ſuſpenſionis ſit ipſo iure cenſura iudicatur, & declaratus ſuſpenſus nullas attentatas abſolutiones facit. Vide quæ *dixi reſol.* 9. *num.* 28. vbi dixi poſſe punire, & n. 35. & prædicta procedunt reſpectu etiam localium ſuperiorum, quorum eſt inuigilare, vt omnes accedant ad chorum pro diuinis officiis.

Quæres 25. Ad quem ſpectet corrigere ſuperiorem regularem, qui non procurauit, vt determinati tempore legerentur Bullæ, & Decreta ſpectantia ad officium Inquiſitionis contra hæreticam prauitatem, iuxta Decreta S. Congr. edita fer. ſexta, die decima quarta Apr. 1633. incip. Sanctiſſimus, quæ vide apud *Dianam parte quarta Peyrin. tomo tertio priuilegio capitulo decimo ſecundo Tambur. tomo primo, diſputatione decima quinta quæſtione ſeptima* mandatur enim ſuperioribus regularibus, vt feria ſexta poſt octauam Aſſumptionis B.M.V. in publica menſa, vel capitulo, & in quouis capitulo, congregatione, ſeu dicta legantur huiuſmodi Decreta ſummarie, prout præcitati referunt. Non eſt dubium, quin ſuperiores non parentes memoratæ conſtitutionis ſubſint iudicio Inquiſitionis, his verbis docet *Cæſar Carena in ſuo Tractatu de Off. Inquiſit. impreſſo anno* 1641. *Cremonæ part. 2. tit. 17. ad finem n. 99. &* 100. ſubdit accipiendum eſſe denuntiationem, non tamen contra denuntiatum ſtatim eſſe procedendum, ſed ſupremum tribunal eſſe conſulendum; vnde Sanctitas ſua mandauit omnibus Inquiſitoribus, vt inuigilarent ſuper obſeruatione dicti Decreti, & oblatas denuntiationes contra tranſgreſſores recipientes proceſſum formarent. Ita legi in quodam edito publicato ab Inquiſitore Fauentiæ die primo Martij 1638.

63 Reſpond. Non ſolum Inquiſitores, vt ex dictis conſtat, procedere poſſunt contra non legentes Bullas contra hæreticam prauitatem emanatas, non tamen priuare ſuis officiis, aut voce actiua, & paſſiua inflictis in eo decreto contra tranſgreſſores, cum illis mandentur tantum duo, receptio denuntiationis, & for-

matio

mario proceſſus. Verum etiam prælati regulares procedere poſſunt contra eoſdem, cum ex eo, quod in hoc ſubduntur Inquiſitoribus negligentes ea decreta legere, non cenſeantur exempti quo ad hoc à ſuis ſuperioribus regularibus, quibus etiam in hoc ſubditi ſunt, vnde illos corrigere poſſunt priuantes ſuis officiis, ſeu potius declarantes eoſdem eſſe priuatos.

Dubium autem eſt, quomodo intelligenda ſunt ſequentia verba. *Semel ſaltem in anno, ideſt feria ſexta poſt octauam Aſſumptionis B. M. V. in publica menſa, vel in capitulo ad hoc ſpecialiter conuocato, & inſuper in quocumque generali, ac prouinciali capitulo, conuentu, dicta, vel alio quouis nomine nuncupato capitulari congreſſu.* Nam verbum *ſemel* importat vnicam lectionem, & tamen eodem anno quandoque fiunt plura capitula etiam in eodem conuentu, prouincia & religione, ergo non in quolibet capitulo legenda ſunt, ſi ſemel ſufficit illorum lectionem audire. In quibuſdam religionibus ſuperiores locales fiunt à vocalibus ipſius conuentus, & ſic capitulum ad huoc effectum conuocatur, legenda ne ſunt illa decreta in eo capitulo, dato quod eo anno die præſcripto feriæ ſextæ poſt octauam Aſſumptionis lecta fuerint? In aliis nonnulli patres cum ſuperiore congregantur pro examinandis nouitiis, ordinandis, confeſſariis, & prædicatoribus. Item in negotiis peragendis multoties congregantur, ſicut & in conficiendis inſtrumentis, an ſemper, & ſingulis vicibus legenda ſint?

64 Ego puto huiuſmodi lectionem habendam eſſe ſolum in capitulis formalibus, & ordinariis, cuiuſmodi ſunt illa, in quibus agitur de electione ſuperiorum, ſiue ſint conuentualia, & localia, ſiue Prouincialia, aut cuſtodialia, & generalia, quia hæc preſſe, & propriè vocantur capitula quod videntur inſinuare ea verba *Capitulo, capitulari, &c.* Quare Dominicani, qui ſibi eligunt in conuentu Priorem, ea legere debent eo die, quo congregentur pro electione Prioris, quamuis præcedenti tempore ea legiſſent, etiam præcedenti die, quia verbum *ſemel* refertur ad lectionem, cui determinatur dies præcitatus, & non extenditur ad tempus, quo capitula celebrantur, additur enim reſpectu capitulorum particula *Inſuper*, quæ eſt dictio additiua *ex capit. Statutum §. Inſuper, de reſcr. in 6. Barb. dict.* 146. multiplicatur ergo lectio ex die præfixo, & capitulo locali. In aliis congregationibus, in quibus nullæ fiunt electiones, ſed alia tractantur negotia conuentus, nouitiorum, confeſſariorum, & prædicatorum, non præcipitur eorum lectio, quia non veniunt

65 preſſe ſub nomine capituli. Sub nomine autem ſuperiorum, ad quos ſpectat procurare lectionem huiuſmodi, veniunt ſuperiores locales pro menſali lectione, pro capitulari vero illi, qui capitulis præſunt quibuſcumque illi ſint.

Quæres 26. An Generalis cuiuſdam religionis ſine licentia Epiſcopi, valide ſententiam triremium tulerit in ſuum ſubditum in curia epiſcopali detentum ea eius mandato, exiſtens in eadem curia, & non in ſuo conuentu, quando contra eum ſententiam protulit?

66 Reſpond. Nulla fuit illa ſententia, *per capit. l. fin. C. Vbi, & apud quos, ibi Doctores*, quia iuriſdictio contentioſa cohæret loco, ſeu territorio; neque enim exerceri poteſt extra territorium, *c. Statutum 11. §. Cum verò, de reſcr. in 6.* vnde extra territorium ius dicenti non paretur impune *capitulo 2. de conſtit. in 6.* Generalis autem illius proprius locus, & territorium non potuit eſſe curia Epiſcopi, ſed ſolum illius monaſterium, quod eius territorium dicitur, infra quod tribunal ſuæ iuſtitiæ erigere poteſt, & non extra conuentum, niſi de ſpeciali licentia Epiſcopi, aut domini temporalis, in cuius loco intendit exercere iudicium.

Quæres 27. An ſuperiores Regulares differentes lectionem Bullarum de S. Inquiſitione, de celebratione miſſarum, &c. puniri poſſint?

Reſpondetur. Non ſunt puniendi, quia dies præfixus affigitur non ad terminandam, ſed ad ſollicitandam obligationem, ita quod ſufficit vt legantur, motiuum enim earum lectionis eſt, ne vnquam deleantur de memoria religioſorum; ſed reuera parum eſt earum memoriam habere, multum verò ſi illæ executioni demandantur. *Vide Dianam parte quinta, tract. decimo quarto, reſolution. decima quinta & ſupra dixi quæſtione* 25. Si quis igitur ex obliuione, & inaduertentia, quod præſumi debet omittat illa legere die præfixo, ſufficit ad euitandas pœnas, medio iudicio, & reuera pio, & diſcreto, ac rationabili ſi eodem menſe legantur. 67

RESOLVTIO LIX.

De Filiatione Religioſa.

SVMMARIVM.

1 *Filiationis triplex genus.*
2 *Adoptio quid ſit.*
3 *Filiatio ſpiritualis triplex.*
4 *Filius cum parte vna perſona reputatur.*
5 *Filius dicitur perſona corporis patris.*
6 *Profeſſione quis ſe totum cum bonis transfert in religionem.*
7 *Profeſſio confirmationis ſacramentalis ſpeciem habet.*
8 *Profeſſio Pœnitentia aſſimilatur.*
9 *Filij religionis triplicis ſunt generis.*
10 *De filiatione agunt Pontifices.*
11 *Regula noſtra continet Filiationem.*
12 *Superior localis cum conuentu dat filiationem.*
13 *Maiores ſoli non recipiunt filios.*
14 *Argumentum tenet à natura ad artem.*
15 *Filiatio adoptioni aſſimilatur.*
16 *Maiores pro tota religione an recipiant?*
17 *Filiatio regulatur à profeſſione.*
18 *Caput ſine membris non operatur.*
19 *Filius duorum ſimul conuentuum eſſe non poteſt.*
20 *Filiatio mutabilis eſt.*
21 *Quenam transferat in ſecundum conuentum?*
22 *Transfert ſolum imperfecte acquiſita.*
23 *Tranſiens quæ ſecum deferat?*
24 *Cenſus, quo ad proprietatem eſt prioris conuentus, quo ad fructus ſecundi.*
25 *Cenſus ante ingreſſus tranſeunt ad ſecunda vota.*
26 *Acquiſita perfecte priori non transfert ſolus Generalis ad ſecundum.*
27 *Filiatio quot modis deſinat eſſe.*
28 *Expulſus adhuc eſt religioſus, membrum tamen præciſum.*

NVlli dubium eſt in religionibus dari filiationem, quam nouitij conſequentur per actum profeſſionis, vt infra patebit, ſed quoniam *Filiatio* vocabulum eſt æquiuocum, & multiplex, ideò opus eſt diſtinctione; & quantum facit ad propoſitum triplex genus filiationis aſſignari poteſt conſtituens tria genera filiorum, nam alij ſunt naturales à natura procreati, cuiuſmodi ſunt omnes filij à patre, & matre creaturis rationalibus concepti, & nati naturali propagatione ſeminis humani, de quibus vtrumque ius in ſuis titulis, & ab his filiatio vocatur naturalis quædam dependentia geniti à generante. Secundi generis filij vocantur legales ex ſola legis inſtitutione creati, quorum Filiatio dicitur adoptio, quæ eſt extraneæ perſonæ 1

sonæ legitima assumptio in filium, nepotem, vel alio nomine descendentium dictum, subditum in adoptione specificam, per quam filius alieni iuris adoptatus non transit in potestatem adoptantis, sed adhuc remanet sub priori potestate, neque succedit ab intestato adoptanti, sicut arrogatus, qui sui iuris, vel mancipatus authoritate principis transit cum filiis, & iuribus suis in potestatem arrogantis, cui ab intestato succedit, quem priuare non potest hæreditate, & arrogatione, de qua mox. Vide tit. de adopt. & ibi Doctores, Alphabetariis v. Adoptio. Tertij generis filij nuncupantur spirituales ex spirituali procreatione, qui ex multiplicitate actum spiritualium multiplicantur, vnde Sacri Canones triplicem statuunt Filiationem spiritualem, ex Baptismo, Confirmatione, & Pœnitentia; de filiis ex Baptismo, & Pœnitentia *capit. Omnes* 8. 30 *qu.* 1. ex Confirmatione verò *capu.* 1. §. *Ex Confirmatione, de cognat. spir. in* 6. *Vide Trident. sess.* 24. *capit.* 2. Filiatio autem, de qua Præsenti Resolutione, præfatis omissis, quæ sunt extra rem nostram, consurgit ex actu spirituali, non tamen sacramentali, sed ex alio, quia vocatur Professio religiosa, per quā nouitius post annum probationis solemniter vouet castitatem, paupertatem, & obedientiam in aliqua ex approbatis religionibus, & hæc cum prædictis habet similitudinem, nam sicut per generationem naturalem filios dicitur esse totus patris, cum ab eo recipiat totum suum esse, ex quo cum illo vnica reputatur persona in multis, l. *fin. C. de impub.* & dicitur persona corporis patris l. *Cum scimus* §. *fin. ff. de agric. & cens. lib.* 10. *Decian. lib.* 4. *Criminal. cap.* 9. *ex Arist.* 6. *Æth. cap.* 5. ita nouitius professione effectus religionis filius, non amplius patris est sed religionis, cui se totum tradit, mancipando se diuinis obsequiis, & seruituti religionis, à qua quicquid habet, recognoscit. Hæc religiosa filiatio similis est filiationi ex adoptione, sicut enim adoptione arrogatus transit cum suis iuribus in potestatem arrogantis, ita & professione religiosus transfert se totum, & omnia sua iura in potestatem religionis, si aliter ante professionem non disposuit, *Auth. Ingressi C. de sacros. Eccles. Auth. de Monach.* §. *Si quis autem, & Auth. si qua mulier, relicta cap. Si qua* 9. 19. *qu.* 3. Item sicut per Baptismum homo de nouo regeneratur, & fit filius Dei spiritualiter, ita per professionem à D. *Hieron. epist.* 8. & 25. *atque S. Bernardo lib. de dispens. & Precept. c.* 23. vocatam secundum baptismum nouitius in Christo renascitur, & fit filius Dei, & religionis. Nonne religiosis illis tribus virtutibus sub solemni voto comprehensis roboratur, & confirmatur contra mundum abiectione diuitiarum, contra carnem abstinentia à venereis, & aduersus Dæmonis incursus obediendo suis superioribus? quasi secunda confirmatione? Assimilatur Pœnitentiæ, quæ sicut peccata remittit, ita & professione quasi altera secunda naufragij tabula vtitur religiosos destructione peccatorum, dum omnes fere doctores asserunt per professionem religiosum acquirere remissionem omnium peccatorum, quos citaui in meo *Tract. de profess. regul. capit.* 5. *quæst.* 8.

Noto autem, quod filij religiosi sont triplicis generis. Primo namque alij sūt totius religionis filij, seu tales simpliciter, quia eorum professio pro nulla prouincia aut conuentu recepta fuit, sed simpliter recepti fuerunt, & hi dicuntur filij religionis, non prouinciæ, neque conuentus. Secundo alij vocantur filij prouinciæ, quia scilicet admittuntur ad professionem intuitu prouinciæ nullo respectu habito ad particularem conuentum prouinciæ. Tertiò demum dicuntur filij propriorum conuentuum, qui recipiuntur, & admittuntur ad professionem ad instantiam alicuius particularis conuentus. Isti igitur vocantur filij conuentuales, seu locales, secundi generis filij prouinciæ, seu prouinciales, demum primi generis dicuntur filij religionis siue alio addito, quamquam & omnes nuncupantur filij religionis, sed respectiuè ad prouinciam, vel conuentum. Vt autem distincte procedatur.

Quæres 1. An in iure communi, & constitutionibus Pontificiis fiat mentio de huiusmodi Filiatione spirituali, & quid de illa disponatur in eis?

Respond. *Cap. fin. de relig. domibus* ibi: *Ne quis in diuersis monasteriis locum monachi habere præsumat.* Habere autem locum in aliquo monasterio est illius esse filium, & facit *Glos. ca. pu. fin.* 18. *quæstion.* 1. De Filiatione Greg. XIV. constit. Circumspecta, apud Quar. pag. 316. nonnihil refert his verbis. *Cæterum cum acceperimus nonnullarum religionum, & ordinum, præsertim monachalium monasteria ita instituta esse, vt his perpetua Filiatio constituatur. Ideoque receptio nouitiorum in vnoquoque monasterio ad superiorem Prælatum, & Capitulum eiusdem monasterij tantum pertineat. Ideo statuimus, vt superiores illorum monasteriorum de consensu sui capituli præhabita simul cum his, de quibus in vnaquaque religione, vni monasterio iuxta eius constitutiones recipiendus interrogari solet, aliqua informatione super his, quæ in dictis constitutionibus continentur ad receptionem huiusmodi procedere valeant, &c.* Quæ & alia ibidem recensita spectant ad receptionem Nouitiorum, de quib. satis dixi *Resol.* 54. *à n.* 77. Clem. VIII. in Institut. Nouit. §. Quia verò hæc habet. *Quia verò in quibusdam ordinibus filiationis vsus receptus est, declaratur, quod licet decretum sit, vt Nouitiis educandis certa monasteria, aut conuentus designata quilibet ordo habere debeat, licitum tamen sit superioribus monasteriorum, & conuentuum huiusmodi ordinum, in quibus Filiationis vsus receptus est, eos, quos prænarratis qualitatibus suffultos repererint in suorum locorum filios iuxta cuiusque ordinis constitutiones adscribere, sicque adscriptos, cum iuxta præsentes Institutiones, & alias, seruatis seruandis ad ordinem recepti fuerint, ad loca nouitiatuum cum testimonialibus literis transmittere, vbi tamquam Dictorum conuentuum, seu monasteriorum filij eorumdem nomine, & instantia recipi.*

Quæres 2. An, & quomodo vsitetur Filiatio in religione Tertij Ordinis?

Respond. Colligitur Filiatio ex cap. 8. Regulæ illis verbis. *A cœnobiorum Ministris maiore Fratrum suorum parte assentiente Nouitios semper recipi posse volumus.* Et cap. 16. illis verbis. *Bona autem è vita decedentium, si quæ habere contigerit, illi Cœnobio acquirantur, in quo eos professionem emisisse constiterit. nisi aliud de bonis eorum Generalis, &c.* Ex quibus verbis satis aperte colligitur huiusmodi Filiatio, qua enim ratione Prior cum suo conuentu recipere habet nouitium, nisi vt eiusdem conuentus sit filius? Et verba illa: *In quo eos professionem emisisse constiterit*; explicatur. *Ad cuius instantiam professionem emisisse constiterit*; Neque his obstant Nouæ Constitut. sub secundo Generalatu Reuer. P. F. Francisci Guastamelij de anno 1639. ca. Circa il voto della Pouertà illis verbis. *Et perche nella nostra religione è già introdotto il lodabile vso delle Filiolanze, &c.* Quia explicantur de vsu deperdito denuo introducto, & non de institutione introducta, cum Regulæ ipsi coæua sit Filiatio.

Quæres 3. Ad quos spectat aliquem nouitium recipere in filium?

Resp. Spectat ad superiorem immediatum & Priorem conuentus simul cum suo capitulo cōuentuali, seu locali, nempe ad Fratres in eodem conuentu de familia habitantes, quamuis non omnes sint Filij illius conuentus, in cuius filiū coaptandus est recipiendus Nouitius, quod probatur per allegatam constit. Greg. præced. q. & in nostra religione alia ratione non probatur, nisi quia ad eosdem spectat recipere nouitium in ordine ad probationem, ergo & ad Filiationem, siquidem in præcitatis verbis Regulæ receptio nouitiorum includit Filiationem. Confirmatur quia soli parentes in naturalibus dicuntur generare sibi filium, & non extranei, ergo idem dicēdum in hac generatione spirituali ad eam necessario concurrere totum conuentum, qui eius futurus & spiritualis pater.

Quæres 4.

Quæres 4. An soli Generales, & Prouinciales possint creare filios conuentuum, e.g. Generalis solus in quolibet conuentu religionis, & prouincialis in quouis locu suæ prouinciæ sine consensu Conuentus? Et si non possint, an saltem co currere cum conuentu ad Filiationem, quamuis ibidem non habeant actualem, & ordinariam residentiam? Videtur quod possint & quia totam virtutem, quam Priores habent assumendi in filios suorum conuentuum nouitios, participant à suis superioribus maioribus ergo à fortiori eam potestatem habent maiores.

13 Respond. Generalis, & Prouincialis se soli non possunt nouitios assumere in filios huius, vel illius conuentus, sed id spectat ad conuentum, hoc est, priorem, & Fratres suæ familiæ, ad quam Filiationem Generalis, & Prouincialis concurrere possunt si volunt, vel suum votum præstandu, vel interponendo decretum, & authoritatem approbando Filiationem, eo modo quo Magistratus, aut Princeps autorizat adoptionem filiorum secundum iura ciuilia.

Primum, quod maiores non possint se solis adscribere, Tum ex cit. Constit. ibi: *Ideò receptio nouitiorum in vnoquoque monasterio ad superiorem prælatum, & capitulum eiusdem monasterij tantum pertineat.* Vnde particula *tantum* excludit alios, in quantum soli non possunt sine capitulo. Tum simili in naturalibus quia pater immediate, & formaliter est ad filium quatenus is habet rationem filij, & dependentiam ad patrem sed superiores maiores erga minores se habent vt patres patrum, & non vt patres ad filios præcisè, nam Generalis est superior, & pater respectu Prouincialium quatenus Prouincialiũ, & hi ad Priores quatenus Priores, hoc ipso quod minores subiiciuntur ratione suorum officiorum, ergo maiores non possunt immediate, & se soli procreare filios cõuentuum. Confirmatur, quia valet argumentum à natura ad artem secundum aliquam similitudinem, cum ars imitetur naturam, secundum vulgata.

14 Tum à simili de adoptione, cui multum assimilatur

15 Filiatio hæc, sicut enim adoptio inducta fuit maxime ob defectum, & indigentiam filiorum, neque enim qui filios habet in eorum præiudicium extraneos sibi adoptare potest; sed soli conuentus egent filiis, qui habeant succedere ipsis, ergo ad solum conuentum spectat procreatio filiorum, nam superiores maiores suos habent filios, nimirum nulli conuentui addictos, vt initio dictum fuit. Tum quia sicut in naturalibus vnusquisque pater proprium habet filium; ita idem dicendum de patre spirituali, consequenter si superiores maiores habent filios religionis, & prouinciæ, cum quibus non communicant superiores locales, ergo & locales proprios habere, debet ita quod creati non possint à solis maioribus exclusis minoribus. Tum quia aliquem profiteri in religione, est eius filiationem perfici, & consolidari; sed soli maiores superiores aliquem ad professionem admittere nequeunt sine consensu saltem maioris partis conuentus, ex probatis à me in Tract. de profess. regul. cap. 3. q. 9. Ita Nau. consil. 9. de constitut. num. 15. loquendo de Minimis.

Secundum, quod possunt concurrere ad filiationem cuiuslibet conuentus, probant per adductas rationes initio, & colligitur ex præcedentibus.

Quæres 5. An Generalis pro tota religione possit se solo procreare filium; Quod idem quæritur de Prouinciali; an requiratur consensus religionis respectu Generalis, & Prouinciæ respectu Prouincialis?

16 Respond. Requiritur consensus religionis respectu Generalis, & Prouinciæ respectu Prouincialis. Nomine autem religionis veniunt quatuor Definitores Generales, & Prouinciæ quatuor Definitores Prouinciales. Suadetur, Tum quia quod omnes tangit ab omnibus approbari debet. Tum quia Filiatio regulatur à

17 professione, cum ab ea suas vires accipiat, & perficiatur, ergo à solo superiore maiore filiatio recipi non potest, sicut neque professio, in qua radicatur, & firmatur. Huiusmodi autem consensus à prædictis capitulariter præstandus est simul cum suo capite; Definitores enim cum suo superiore faciunt vnum corpus politicum, cuius caput sine membris, neque membra sine capite operari possunt, sed simul vnita sint, sicut corpus naturale, cuius caput diuisum à membris, & hæc ab illo nequaquam vitæ opera operari potest. Vide quæso, qua ratione multi superiores à suis membris diuisi possunt aliquid determinare, & concludere petito consilio à membris præcisis, per literas, conclusum siquidem nullius est roboris, & tamen huiusmodi sæpe accidunt.

18 Quæres 6. An idem possit esse filius simul duorum conuentuum siue primo ingrediatur, siue sit iam professus? Videtur affirmatiue respondendum, quia quis potest simul habere duo domicilia, l. Non vtique 4. ff. de inuoic. etiam quo ad spiritualia, ex cap. 5. de sepult. in 6. & in terminis colligitur ex cap. Constitutis 47. de elect. expressius cap. 1. de priuil. in 6. ibi: *Cum non sit inconueniens aliquem, vtrobique locum habere monachicum.* Quibus tamen non obstantibus.

19 Respond. Idem non potest esse duorum simul conuentuum filius, probatur. Tum ex cap. fin. de relig. dom. ibi. *Ne quis in diuersis monasteriis locum monachi habere præsumat.* Supra in resp. ad quæstionem primam exposui de loco Filiationis. Tum quia non licet clerico seculari esse intitulato in duobus ecclesiis, *cap.* 5. 21. *q.* 1. *cap. Cum singula de præbend.* à fortiori religiosus filiari non potest in duobus conuentibus. Confirmatur à simili in naturalibus, nam natura abhorret duplices patres, & leges, quæ naturam imitantur, est enim innaturale, vt quis habeat duos patres.

Ad opposita respondeo ad primum facere illos textus legum, & canonum pro habentibus proprium secularibus, seu clericis. Ad cap. Constitutis nil contra nos, immo id damnatur ibidem. Ad postremum habere locum, quando vnum monasterium pendet ab alio, sic religiosus vtrobique potest habere locum, quia eo casu vnicum reputatur monasterium, & vnum corpus pare[...]

Quæres 7. An huiusmodi Filiatio mutari possit, ita quod aliquis religiosus possit exfiliari, vel ipso petente, vt alterius monasterij euadat filius, vel contra propriam voluntatem conuentu paterno? Videtur neutrum fieri posse, quia sicuti filiatio naturalis immutabilis est, ita & filiatio religiosa, ars enim imitatur naturam. Præterea sequeretur, quod possent saltem superiores priuare professum statu regulari, & ipsum deobligare, quod nequaquam fieri potest, cum religiosus ex voto solemni semper maneat religiosus sequela probatur, quia explicare religiosum est ipsum eximere à regulari obligatione, & sic illum efficere secularem, quod nec Papa efficere potest, *cap. Cum ad monasterium 6. de statu monach. in fine.*

20 Respond. Filiatio mutari potest, ita quod religiosus vnius loci filius, potest petere ab illo exfiliationem, & fieri filius alterius. Immo rationabili subsistente causa simpliciter exfiliari potest. Vtraque autem exfiliatio requirit consensum saltem Prouincialis, superioris localis, & conuentus siue exfiliatio sit voluntaria, vel coacta. Ratio est, quia res per quas causas nascitur per easdem dissoluitur, & prior cum sit voluntaria fieri non potest filiu reluctante, ex illius enim parte potissimum voluntaria dicitur. Quod si fiat alterius loci filius, postquam se exfiliauit, quod sortiri debet suum effectum, alias nullius roboris esset secunda filiatio,

21 eo, quod quis non potest esse filius duorum conuentuum, requiritur consensus illius secundi conuentus, & licentia superioris saltem Prouincialis, vt colligitur ex supradictis, cum secunda conuentus debeat fieri noui religiosi recipiendi pater.

Explicatio autem coacta fieri potest à superiore iudice cum consensu conuentus paterni in causis omnibus illis proportionaliter, propter quas iure ciuili pa-

ter potest exhæredare filium, de quibus *Instit. de exhæredat. liber. & Auth. Vt cum, de appell. cog. §. causas, vide ibidem Doctores, Alphabetarios v. eod.* exempla pone in percussore superioris monasterij, in eiusdem bonorum dilapidatione, in hæretico, in homicida, &c.

Quæres 8. An voluntarie exfiliatus secum transferat in secundum conuentum, cuius effectus est filius, quæcumque bona, & iura, quæ intulit priori monasterio?

Respond. Actu acquisita priori conuentui siue donatione, siue contractu, aut testamento ibidem remanent, cum sit perfecte proprietarius, & dominus absolute illorum bonorum, & ius acquisitum iam habeat, quod a nemine reluctante auferri potest sine legitima causa, cum sine culpa nemo priuandus sit iure suo. Reg. 23. in 6. Conuentus autem in hoc, vt suppono, non peccauit, sed potius filius in culpa est suæ instabilitatis. Et faciunt quæ tradit Sanch. lib. 7. cap. 32. n. 8. de transeunte ad secunda vota, vel episcopatum. Quando autem conuentus ex filiatione acquisiuit solam spem, & nihil actu habet ex bonis professi, eo casu secum transfert illam spem in secundum conuentum, cuiusde nouo efficitur filius, probatur id, quia primus conuentus habet solam spem illorum bonorum, quæ euanescit, statim ac professus desinit esse filius prioris conuentus, vt docet *Glos. cap. Vn 18. q. 1. & cum ea Sanch. lib. 7. disp. 12. n. 7. per Instit. de acquisit. per arrogat. §. Mortuo, vbi alios citat.* Quod si in religione probatus adsit vsus, vt professus de licentia superiorum habeat aliquos redditos, pensiones, libellos, seu census ad vitam, huiusmodi secum transfert, quia prior conuentus illorum nullam acquisiuit proprietatem, aut dominium sed solum quoddam ius permissiuum, vt professus dependenter a voluntate superioris, possit illos redditus recipere ad suos licitos, & necessarios vsus, conuentu non potente in totum occurrere omnibus indigentiis, consequenter ea bona nullo modo incorporata transeunt ad secundum monasterium Sanch. lib. 7. cap. 32. n. 14. limitando, si sit ea lege concessum, ne monasterium possit se intromittere, sed adducta ratio probat absolute, cum monasterium nullum ius acquisierit.

21

22

Quæres 9. An dicta præcedenti quæstione præcedant etiam quando fit transitus ad secunda vota, vel professus transfertur ad Episcopatum, vel ad aliam dignitatem extra religionem?

Respond. Procedit, vt de Episcopo creato tradit. *Glos. cap. Vn. 18. q. 1. & Nauar. consil. 6. de testam. n. 4. Aphor. Episcop. v. Monachus n. 4. Sanch. lib. 7. c. 32. n. 8.* quod extendunt ad alios quouis modo translatos.

23

Quæres 10. An quando redditus, pensiones, census, & huiusmodi prouentus creati fuerunt de peconijs acquisitis a professo de licentia superiorum, fundati siue supra bona extraneorum, siue super bona eiusdem conuentus, eo casu redditus huiusmodi transeant in secundum monasterium paternum, an remaneant apud primum, & quo ad ius, & quo ad exactionem, ita quod illos in secundo conuentu exigere non possit?

Respond. Ius ad fundum, seu census capitale remanet apud primum monasterium, & exactio transit cum professo ad secundum vsque ad mortem, postquam consolidatur fructus cum capitali apud primum conuentum, suadetur quia prius monasterium habet ius acquisitum, quo priuari non potest, fructus vero transit cum professo, cum de licentia superiorum sit destinatus ad vsus, & necessitates professi.

24

Quæres 11. An ex conditione Filiationis bona in spe, census extranei nimirum ex creatione eorum ante professionem, & exactio creatorum post professionem, transeant ad secundum conuentum, licet non fuerit facta mentio de transitu, sed de sola filiatione?

Respond. Transeunt, quia illa comitantur personam, & illorum, primus conuentus ius nun habet nisi intuitu filiationis, quæ cum extinguatur, & de nouo contrahatur in secundo conuentu illa secum transfert, quo ad fructus.

25

Quæres 12. An conuentu resistente possit Generalis, vel Prouincialis bona acquisita professi transferre in secundum conuentum, cuius efficitur filius? Et quid si consentiat?

Respond. Conuentu resistente non potest Generalis bona acquisita a professi transferre in secundum conuentum; vtique vero si consentiat.

26

Primum suadetur. Tum quia Generalis non est dominus absolutus bonorum religionis, sed eorum supremus administrator, tutor, & coseruator, ergo non habet plenam potestatem disponendi de illis, consequenter indiget consensu eius conuentus, à quo immediate possidentur eius bona. Tum quia bona particulari conuentui addicta, & propria spectant ad totum illum conuentum, consequenter sine consensu totius conuentus transferri non possunt, quod enim omnes tangit ab omnibus approbari debet. Tum quia sicut Episcopus non potest auferre vni Ecclesiæ, & donare alteri sine consensu patroni, & capituli, cap. Tua nuper 8. cap. Pastoralis 8. de iis, quæ fiunt à prælat. ita neque superior regularis.

Secundum, quod de consensu eius conuentus à quo fit translatio, probatur, Tum quia id colligitur à pari de Episcopo ex citatis testibus. Tum *ex Glos. v. A quocumque c. Constitutus 6. de relig. dom. ad finem Glosæ.* Tum quia auferendo vni Ecclesiæ, & dando alteri de cosensu eius à quo fit ablatio, non est alienatio prohibita, quando vtraque Ecclesia est sub eodē superiore auferente, *Glos. c. Ecclesiæ 45. 16. q. 1. per l. Voluntas C. de fidei cō.* vbi dicitur frater non videri alienare dando fratri. Tū quia licet *c. Vn. de relig. dom. in 6. §. fin.* prohibeatur trāsitus vnius cōuentus ad alium, consequenter alienatio vnius ad alii, id tamen intelligitur de conuentib. sub diuersis superiorib. & ordinib. vt inde colligitur. Tū quia maior est alienatio personæ, quam bonorum, *Glos. v. A Prior, ca. Post translationē 11. de renun. cum ibi allegatis;* sed de consensu vtriusq; potest alienari persona, vt probaui supra q. 7. de ex filiatione, ergo & bona vnius conuentus in alium de consensu vtriusque.

Quæres 13. Quot modis extinguatur, & desinat filiatio.

Respond. Multis modis. I. Ex filiatione voluntaria, vel coacta, iuxta quod dixi supra q. 7. II. Transitu ad secundam religionem professione in illa perficitur, & consolidatur noua filiatio totali extinctione veteris in priori religione, ita quod si reuertatur peracta professione, debeat profiteri, & effici de nouo filius. III. Translatione ad aliquam dignitatem extra religionem, vti ad Episcopatum, Abbatiatum, & Cardinalatum, &c. ex cap. Vn. 18. q. 1. iuncta glosa, Nau. cons. 6. de testam. IV. Expulsione à religione, expulsus enim & si adhuc dicatur religiosus, & vere sit in habitu quo ad obligationem castitatis, & paupertatis quia adhuc est incapax proprij, est tamen membrum præcisum à capite paterno priuatum quolibet regulari iure ob præcisionem, & sua demerita. V. demum filiatio extinguitur morte.

27

28

RESOLVTIO LX.

De Renuntiationibus Nouitiorum.

SVMMARIVM.

1 *Verbum Videor importat liberum arbitrium.*
2 *Renuntiatio cum reseruatione fructus remissibilis non sustinetur.*
3 *Remittere est actus proprietatis.*

4 *Largitio*

4 *Largitio munerum gratiosa, vel ambitiosa prohibetur.*
5 *Reseruare sibi aliquid est contra substantiam professionis.*
6 *Redditus non solutos exigit conuentus post mortem professi.*
7 *Renuntiatio paternorum non includit testamentum paternum.*
8 *Renuntiatio paternorum non excludit successionem cum fratribus.*
9 *Renuntiatione testamentum restringitur.*
10 *Renuntiatio premittitur etiam à profitente infra annum probationis.*
11 *Renuntiatio facta ante bimestre solum per diem nulla est.*
12 *Renuntiatio differri potest sicut prorogatur professio.*
13 *Professio dilata sine causa tenet.*
14 *Professus licet inualide non potest reuocare renuntiationem.*
15 *Renuntiatio reuocari non potest etiam ante professionem.*
16 *Renuntiatio non est sortita suam effectum per nullam professionem.*
17 *Ratificatione professionis firmatur renuntiatio.*
18 *Fructus renuntiatio facit suos solum tempore professionis.*
19 *Conditio alia suspensiua alia resolutiua.*
20 *Tempus renuntiatio incipit ab vndecimo mense anni 16. ætatis.*
25 *Bonorum tria genera. Peculium triplex.*
22 *Bonorum quorum fiat renuntiatio?*
Consensus cuius requiratur.
23 *Solemnitates iuris ciuilis non sunt necessaria.*
24 *Acceptatio an requiratur?*
25 *Nouitij vere non existentes mere secularium disponunt.*
26 *Seculares disponunt sine decreto Tridentini.*
27 *Nouitius post 15. annum non tenetur perseuerare in loco nouitiatus.*
28 *Episcopi ne nouitiatus an professionis licentia requiritur?*
29 *Renuntiationes quænam comprehendantur sub decreto?*
30 *Eleemosina magna comprehenditur.*
31 *Nouitio absenti non restituuntur donata ante ingressum.*
32 *Episcopus compellit ad restitutionem eorum quæ dedit nouitius recedens.*
33 *Hæreditas aditur à prælato cum interuentu professi instituti.*

Concilium Tridentinum *sess. 25. de Reformat. Regular. & Monialium cap.16.* Nouitiis præscribit modum, quem tenere debent in Renunriationibus, & obligationibus faciendis illis verbis. *Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio antea facta etiam cum iuramento vel in fauorem cuiuscumque causa pia valeat, nisi cum licentia Episcopi, seu eius Vicarij fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, aliter vero facta, etiam si cum huius fauoris expressa renuntiatione etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.* Vide quæ de hac re dixi in meo *Tract. de profess. regul. c. 3. de admitt. ad profess. q. 56. & q. 58.* in quib. locis docui quasnam renuntiationes includat decretum, & quasnam obligationes excludat, & contractus, vide ibi, ne repetam hic frustra, quod ibi dixi. Nonnullas difficultates ibi non tactas hic resoluam.

Quæres igitur primo. Frater N. tempore suæ professionis appropinquante de licentia Ordinarij iuxta supradictum Trident. decretum suam fecit renuntiationem suis consanguineis, eosdem aggrauando, & obligando ad soluendum sibi certam pecuniam singulis annis sequentibus verbis, *cum pacto, quod suprascripti mei consanguinei singulis annis obligati sint, & teneantur exbursare, & soluere mihi, durante vita mea, scuto viginti quatuor l. 7. sold. 6. pro quolibet scuto, si mihi videbitur petere, & exigere illos dictos scutos, aliter si non exigat, remaneant, & cedant in bonis ipsorum meorum cōsanguineorum, & eorum successorū supra nominatorū.* An huiusmodi obligatio cum ea clausula: *Si mihi videbitur petere, &c.* futura sit contra votum paupertatis emittendum, ita ut ipsa vitiet professionē, aut professio illā vitiet, ita quod pro non adiecta habeatur; & sequuta professione, an possit professus huiusmodi independenter à voluntate superioris remittere consanguineis huiusmodi debitum toties, quoties sibi videbitur.

Huiusmodi autem conditio subsistere videtur, quia quilibet iustam conditionem, seu modum rei suæ apponere potest. l. In traditionibus ff. de pactis. l. In re mandata, C. Mand. & vitiare professionem, cum sit contra illius substantiam, ex glos. v. Administratione, cap. a. de statu mon. maxime in casu nostro, in quo per adiectam clausulam, *Si mihi videbitur* nouitius sibi reseruat ius remittendi, & donandi independenter à superioribus religionis, verbum enim, *videtur*, importat liberum arbitrium *per l. Fideicommissa §. Quamquam ff. de legat. 3. Menoch. lib. 1. de arbitr. q. 8. a. 11.* & sumitur assertiue, *cap. 11. de homicid.* Nouitius autem licet habeat liberum arbitrium, ei tamen professione renuntiat, *cap. Non dicatis 11. 12. q. 1.* & eius voluntatis prælatus fit dominus ratione voti sibi promissi, *Rodr. tom. 3. q. 25. art. 5.* consequenter cum illa clausula à tempore conditi instrumenti renuntiationis, habuerit suum effectum valoris, & dicatur remanere, cum non fuerit cassata renuntiatio subsequenter professionem infringit. Quod vero secuta professione professus independenter à superiore debitum remittere possit, suadetur. Tum quia renuntiatio subsistit, ergo, & accessoria conditio remittendi debitum si debitori videbitur. Tum quia superior nouitio innuit, & concedit, vt renunciaret consanguineis etiam cum tali clausula. Quibus tamen non obstantibus.

Respond. Illa clausula. *Si mihi videtur, &c.* nulla est; ac proinde secuturam professionem impedire non potest; & professus valide, ea non obstante, independenter à superiore debitum remittere non potest, sed solum cum licentia superioris, qui sufficit si sit localis.

Primum de nullitate illius clausulæ probatur. Tum quia renuntiatio in tantum subsistit simul cum adiecta conditione ei accessoria, in quantum recipit suum valorem, & firmitatem à professione futura, vt colligitur ex citato decreto Trid. ibi: *effectum suum sortiri secuta professione*, ergo cum valor, & firmitas tam renuntiationis, quam accessoriæ conditionis pendeant, à professione, sine qua nullius sunt momenti, tantum abest, vt illi conditioni det esse, quin potius illam destruit, si quidem professio est causa destructiua cuiuslibet dominij, & proprietatis, consequenter illius conditionis & clausulæ. *Si mihi videbitur*, quæ importat proprietatem, & liberum arbitrium, quibus profitens renuntiat virtute professionis. Tum quia conditio vitiosa, seu turpis, & impossibilis habetur pro non adiecta in matrimonio, c. fin. de condit. appos. ergo & in spirituali, ab illo enim ad hoc valet argumentum, ex vulgatis iuribus. Quod autem ea conditio sit turpis constat ex eo, quod directe est futura contra votum paupertatis, & obedientiam superioris; ex quo etiam dicitur impossibilis, cum quæ lege prohibentur impossibilia dicantur, *Glos. in reg. 78. in 6. per cap. Faciat homo 15. 11. q. 2.* Tum quia conditio in fraudem legis pro non adiecta habetur, & vitiatur, *l. Secus 27. ff. ad leg. falcid.* sed prædicta est in fraudem, *c. Non dicatis 11. 12. q. 1. cap. Cum ad monasterium, de statu monach. cum aliis concordantibus.*

Nec obstat, quod impossibilis conditio adiecta contractibus non reiiciatur, sed illos vitiet §. si impossibilis, Instit. de inutil. stipul. ibi: *Si impossibilis conditio obligationibus adiciatur, nihil valet stipulatio.* Quod in omnibus contractibus disponitur, l. Non solum ff.

de

de act. & obligat. Quia conditio non est impossibilis respectu renuntiationis, sed respectu futuræ professionis, à qua cum dependeat eius valor non infringit, sed infringitur.

Secundum, quod professionem non impediat, suadetur, quia quod non subsistit impedimentum præstare non potest, ex cap. Illud 8. de iure patr. ibi: *Non potest aliquatenus impedire*. Constat autem neque renuntiationem, neque multo minus adiectam conditionem subsistere ex probatis, ergo impedire non potest professionem. Confirmatur, ex reg. 52. in 6. quia impedimentum non præstat, quod de iure non sortitur effectum.

Tertium de professo non valente remittere debitum independenter à superiore probatur, Tum quia ex pro- 3 batis nulla fuit conditio adiecta. Tum quia remittere est actus proprietatis, cuius professus est incapax. Tum quia remittere est donare, *arg. cap. Statutum de rescr. in 6. iuncta glos. v. Promissione*; professus autem non potest donare, cum abdicarit à se dominium, & proprietatem, quæ supponuntur a donatore §. Si itaque Instit. de act.

Quartum de requisita licentia, superioris saltem localis probatur. Tam quia voluntas professi immediate dependet à potestate superioris localis ergo, dependenter ab eo potest tale debitum remittere. Tum quia id non est aliquid grauioris momenti, quod maioribus superioribus reseruandum sit. Tum quia casus iste non est contentus sub constitutione Clem. VIII. de 4 Largitione munerum, cum non sit formaliter, & directe donatio, hæc enim nullum supponit debitum ex parte donatarij, sed gratiosa esse debet, vel ambitiosa ex citata constitutione, docet *Rodr. tom. 1. q. 27. art. 6. in fine, & facit, quod tradit Diana part. 1. tract. 6. resol. 19. de paupertate.*

Colligitur ex his præfatam conditionem in rigore sumptam dependenter præcise à solo arbitrio Nouitij pro eo etiam tempore, quo erit professus, esse turpem, impossibilem, & aduersam professioni religionis, & ideo tamquam talem reiectam fuisse. Nihilominus spectatam dependenter à voluntate superioris posse esse licitam, & honestam, ac proinde subsistere, si iustificetur authoritate prælati consentientis, vt professus possit remittere illud debitum, ea tamen lege, vt huiusmodi concessio reuocabilis sit ad nutum concedentis, & superioris.

Obiectis respond. & ad primum quidem quemlibet rei suæ adiicere posse conditionem, & modum, si is sit licitus, honestus, & iustus, constat autem ex supradictis conditionem illam non esse licitam, cum sit contra substantiam professionis, non honestam cum sit contra votum paupertatis, neque iustam, cum con- 5 tineat iniustitiam contra autoritatem superioris. Et licet sit contra substantiam professionis sibi reseruare aliquid, *prout dixi in meo tract. de profess. cap. 2. de admitt. ad profess. quæstione* 27. hoc tamen procedit, quando vtrumque contingit in eodem contextu, quod hic non habet locum, cum hi duo actus inter se differant non solum re, sed etiam tempore, & primum de renuntiatione, & adiecta conditione non sortiatur suum effectum, nisi paracta professione, ideo hanc infringere non potest ex supra adductis. Ad secundum patet ex supradictis, professum non posse remittere debitum pro suo arbitratu, quia ex hoc capite reiecta fuit conditio, potest enim esse, quod principale subsistat sine accessorio, cum illud ab hoc non dependeat, vt res se habeat è contra; accedente verò consensu, & bona gratia superioris professus debitum remittere potest, & non aliter.

Quæres 2. An post mortem professi, qui sibi reliquit in renuntiatione, vel alio modo certam pensionem singulis annis à suis consanguineis, vel aliis sibi soluendam, possit conuentus eam exigere, si religiosus dum viuebat non exegit? Non potest, Tum quia illa pensio non pertinebat ad conuentum nisi pro indigentiis professi mortui, quibus cum post mortem non indigeat, remanebunt apud consanguineos. Tum quia huiusmodi pensiones sunt præcise fructus, seu vsus fructus, qui cum vsufructuario extinguuntur, ergo super illis conuentus nullum ius habet post mortem professi.

6 Respond. Conuentus habet ius exigendi omnes pensiones ante mortem non exactas à professo mortuo. Probatur, Tum quia quicquid acquirit monachus siue ante professionem, si illud non renuntiet, siue post professionem acquirit suo monasterio, *Auth. de sanct. episc. §. Si qua mulier. Auth. de Monach. §. Illud quoque Auth. ingressi, C. de sacros. Eccles. cap. Si qua mulier, cap. Quia ingredientibus 19. q. 3.* ergo eam pensionem acquisiuit monasterio, consequenter habet ius eam exigendi quo ad fructus maturatos vsque ad diem mortis, sed etiam dum religiosus viueret. Tum quia monasterium retinet ea omnia iura, quæ haberet illi succedens, si religiosus effectus non fuisset, vt tradunt doct. *in l. fin. C. de episc. & cler. cum Tiraq. de nobilit. cap. 6. §. 5. Menoch. de consil. vltim. vol. lib. 8. tit. 12. n. 26.* successor illi in seculo potuisset exigere fructus decursos, ergo & conuentus. Ad rationes patet, quia ex eo, quod conuentus habet dominium, & ius ad huiusmodi pensiones bene illas exhibere potest, licet mortuus sit religiosus; huiusmodi autem fructus, & pensiones dicuntur extingui cum professo quatenus exiguntur illius durante vita, & non vlterius.

Quæres 3. An professus, renuntiatione de bonis paternis tam præsentibus quam futuris non obstante, sit capax hæreditatis, seu legati sibi relictorum per testamentum, seu legatum ab eodem suo patre, cui renuntiauit? Videtur quod, non, Tum ex cap. 2. de pact. in 6. ibi: *Nullum ad bona paterna regressum.* Tum quia professus per hoc videtur redire ad bona, quibus renuntiauit, quod fieri non potest *ex cap. Periculosum 87. q. 1. iuncta Glos.* siquidem remittentibus suas actiones non est dandus regressus ad eas. *l. Quæritur §. si venditor, ff. de adil. edict.* Tum quia renuntiatio est non solum præsentium, sed etiam futurorum, ergo etiam competentium sibi iure testamenti. Quibus non obstantibus.

7 Respond. Est capax hæreditatis, aut legati, seu potius monasteriū eius nomine acquirit relictum iure testamenti, vel legati, licet renuntiatio iurata sit, & in testamento non fiat specifice mentio professi instituti, sed tantum ipse contineatur sub verbis generalibus *Instituo filios meos, &c.* Probatur. Tum quia aliud est professum renuntiare bonis paternis, aliud patrem filium professum instituere hæredem, vel legatarium, seu etiam donatarium; siquidem per renuntiationem nouitius dicitur cedere bonis sibi obuenientibus iure suitatis, & ab intestato intuitu filiationis naturalis, per eam tamen non cessit eisdem bonis iure testamenti, vel legati, aut donationis, cum de his iuribus acquirendi non fuerit facta mentio in renuntiatione, vt suppono, alias non esset locus dubitationi, & cum de his iurib. non fuerit facta expressio in renuntiatione, præsumendum non est, renuntiantem illis cessisse, renuntiatio enim cum sit stricti iuris, ita interpretanda est, vt minus lædat renuntiantem, quam fieri possit. l. Si domus ff. de seru. prædior. & in ea non venit nisi expressum. *Calder cons. 5. de præbend. Dec. cons. 419. n. 2. Rota in Nouiss. vol. 2. decis. 242. M. Anton. lib. 1. resol. 108. n. 18.* neque extenditur vltra id, quæ expressum est. *Aymon. cons. 290. n. 6. Rota cir. vol. 1. decis. 664. n. 8.* Tum quia renuntiatio est factum nouitij, testamentum 8 vero est factum patris, quæ ad inuicem non aduersantur, & renuntiatio præcise efficit, ne testamentum sit inofficiosum, & nullum, si filius professus taceatur in testamento, & eumdem excludit à successione ab intestato *arg. l. Cum quæritur, C. de inoff. testam. Gomez tom. 1.*

tom. 1. Var. cap. 51. n. 9. Molina tom. 1. disp. 175. col. 14. Tum quia renuntiatio est fauore patris, cui de facto censetur renuntiare per factionem testamenti. Ita docent *Molin. cit. Tiraque Croius, Angelus, Azor. cum aliis, quos pro se citat Sanch. lib. 7. cap. 7. n. 10.* Procedunt, licet renuntiatio fuerit iurata, & quia non extenditur ad testamentum, & quia si alias extenderetur pater de facto dicitur renuntiare obligationi iuratæ, vt docet Sanch. cit. n. 11. Procedunt licet filius professus non fuerit expresse nominatus in testamento, cum filius professus non desinat esse filius, professione. n. huiusmodi non amittuntur.

Ad obiecta respondetur, ad primum, ea verba non habere locum hic, vbi agitur de regressu non facto proprio, sed virtute alterius, qui regressum concessit, in eo autem capite dicitur præcise filiam non posse contra voluntatem patris, & proprium iuramentum regredi ad bona renuntiata. Ad secundum, verum est non dari regressum ad bona renuntiata iure, aut facto proprio, vtique vero facto alieno, vt in casu nostro, in quo pater per suum testamentum dat filio regressum ad bona, quibus renuntiauerat; vel dic illa renuntiasse quo ad se, non vero quo ad patrem volentem illi concedere regressum per testamentum. Ad tertium licet renuntiatio fit omnium bonorum etiam futurorum, id tamen locum habet solum ex parte ipsius renuntiantis, non alterius volentis sibi aliquid relinquere, neque enim nouitius per suam renuntiationem potest præiudicare religioni, quæ eius nomine dicitur acquirere, quicquid ipse acquirit post professionem, *Auth. Ingressi, C. de sacros. Eccl. cap. Si qua mulier. cap. Quia ingredientibus 19. q. 3. cap. Abbates 18. q. 2. secundum omnes, Sanch. lib. 7. cap. 12. n. 53.*

Quæres 4 An non obstante renuntiatione omnium bonorum paternorum tam præsentium, quam futurorũ professus succedat in bonis paternis prout post mortem patris iam effectis bonis suorum fratrum, fratribus superuenientibus alteri iam mortuo? Idest, an professus simul cum aliis suis fratribus succedat vni ex fratribus mortuo ab intestato? Et videtur negatiue respondendum, & quia succedunt filii, ergo non fratres superstites, consequenter neque professus; & quia bona filiorum non desinunt esse patri, si ab ipso acquisita fuerunt, vt suppono, & de ipsis hic est sermo, constat ex eo, quod hæreditas parentum dicitur quasi debita filiis *l. Et quia ff. pro soc.* & sicut hæres, & defunctus vna persona reputantur in ordine ad bona *§. 1. Auth. de iureiur. & l. fi. C. de impub.* ita & bona adita à filio censentur adhuc bona paterna, vt enim talia transeunt ad filium.

8 Respond. Non obstante renuntiatione professus habet ius successionis in bonis paternis simul cum aliis filiis secularibus, respectu fratris defuncti. Ratio est, quia ea bona, quamuis alias essent paterna, tamen post aditam hæreditatem à fratribus ab intestato, seu ex testamento paterno, desinunt esse bona paterna, & incipiunt esse bona fraterna, nam hæreditas adita non amplius repræsentat personam defuncti, sed hæredis, quia amplius hæreditas non est. *l. Heres ff. de Vsucap.* ergo neque amplius bona paterna dicuntur, sed tantum hæredis, & fraterna, quibus cum non renuntiauerit, ex positis, ad illa ius habet succedendi cum aliis fratribus, modo testamentum non condiderit, vel filios habeat, quibus debetur hæreditas. Confirmatur, quia in illis bonis succedit simul cum aliis fratribus, quatenus sunt bona fraterna, non vt paterna. Sic docent omnes *cum Sanch. lib. 7. cap. 7. n. 6. Rodr. tom. 2. q. 78. art. fin. initio, Molin. tom. 3. disp. 579. Gutier. tom. 2. lib. 3. q. 80. n. 5.* docet optimum esse pro secularibus, si renuntiatio fit non solum de bonis paternis, seu maternis, sed etiam de fraternis, in quo casu ab intestato non succedit professus.

Quærea 5. An renuntiatione facta fauore religionis à nouitio rumpatur factum ab eo testamentum ante ingressum, etiam sine intentione ingrediendi, v.g. ob infirmitatem? Casus enim est talis. F. Stephanus multo tempore ante ingressum occasione infirmitatis suum condiderat testamentũ, postea religionem ingressus testamenti immemor, renuntiauit quo ad vsum fructum suis consanguineis, certa pensione pro suis vsibus sibi reseruata, iuxta probatam consuetudinem religionis, in qua professurus est, illis mortuis substituendo monasterium per fideicommissum, cum autem per illud testamentum ante ingressum instituerit matrem, & priuignum, dubitatur, an per eam renuntiationem, & morte ciuili per professionem annullatum fuerit, vel potius confirmatũ testamentum?

Vtrumque videtur subsistere; & quia renuntiatio est fauore consanguineorum, in quorum gratiam conditum fuit testamentum; ergo cum vnum alteri non obsit, vtrumque subsistit. Et quia renuntiatio habetur loco codicillorum, in quibus statuitur fideicommissum, codicilli autem non rumpunt testamentum cum illius pars sint, *Rota in Nouiss. vol. 1. decis. 228. n. 1.* sed solum illud declarant, ampliant, vel minuunt, & nunquam institutionem voluntarie destruunt, in qua testamenti essentia consistit, cum testamentum non detur sine institutione hæredis. Præterea quæuis dispositio nõ sufficit ad infirmandum testamentum, nisi id fiat solemniter per illud testamentum §. Posteriori, Instit. Quibus modis testam. infirmetur; sed in illa renuntiatione non fuit facta mentio reuocationis prioris testamenti, neque ipsa testamentum est, ergo testamentum subsistit, & nulla est renuntiatio. Nihilominus.

9 Respond. Per illam renuntiationem infirmatur, & reuocatur testamentum. Probatur, Tum quia actus posterior semper derogat priori. *l. Prætor §. Aliquis, ff. de noui oper. nunt.* Tum quia actui vltimo statur in iis, quæ pendent à mera voluntate, *In testamentis §. Posteriores Instit. Quib. mod. testam. infirm.* Tum quia per renuntiationem directe se opponit testamento, dum in ea disponit suos consanguineos esse tantum vsufructuarios, & post eorum mortem substituit in omnibus monasterium. Ita docent *quamplures, quos pro se citat Sanch. lib. 7. cap. 3. n. 38.*

Ad opposita respondetur, ad primum, maiorem fauorem continere testamentum, quam renuntiationem, quæ ex eo capite, quo facit illos solum vsufructuarios, destruit institutionem simpliciter, consequenter, & testamentum, quod sine institutione esse non potest. Ad secũdum Renuntiatio nunquam potest habere rationem codicillorum. Ad tertium voluntas prior disposita per testamentum sufficienter intelligitur reuocata per sequentem renuntiationem factam fauore religionis vigore fideicommissi.

Quæres 6. An renuntiatio fieri possit in bimestris ab eo, qui habuit priuilegium proficiendi ante completum annum nouitiatus; vt si quis nouitius in mense decimo sui nouitiatus infirmetur, seu ante, vel paulo post, & tunc emittat professionem ex priuilegio Pij V. ante completum annum probationis, an præmissa renuntiatio valeat facta intra bimestre computando à die emissæ professionis. Suppono autem professionem illam non valere, si infirmus nouitius conualescat, vt probaui Resol. 54. q. 4. consequenter neque tenere renuntiationem vti accessoriam professioni, intuitu cuius facta fuit. Difficultas ergo procedit, quando nouitius moritur, an substentetur renuntiatio facta quouis tempore intra illud bimestre proximum professioni.

Videtur nulla facta renuntiatio, quia est contra dispositionem Decreti Tridentini, in quo decernitur, vt fiat renuntiatio in bimestri ante professionem, de qua verba fecerat in præcedenti cap. 15. sess. 25. vbi decretum est, ne professio emittatur, nisi post completum annum nouitiatus, consequenter renuntiatio facienda

est

eſt in menſibus 11. ſeu 12. ante profeſſionem; Modo cum profeſſio, & renuntiatio ſint duo actus diſtincti, & independentes vnus ab altero, priuilegium conceſſum pro profeſſione non eſt extendendum ad renuntiationem, cum hanc non exprimat in ſua conceſſione, conſequenter renuntiatio fieri non poteſt, ſi fiat ante vndecimum menſem etiam eo die, quo fit ex priuilegio profeſſio; Quibus tamen non obſtat.

10 Reſpond. Renuntiatio fieri poteſt infra bimeſtre profeſſionis emittendæ ante menſem vndecimum nouitiatus; quod ſi profeſſio facienda ſit prima die vndecimi menſis, vel vlterius, obſeruandum eſt decretum Tridentini, & ſic illo die præmittenda eſt renuntiatio, quo fit profeſſio, & non præcedenti tempore. Hoc poſterius probatur, quia Concilium ſeruari poteſt, & illi non cenſetur derogatum per illud priuilegium profitendi infra annum probationis, & ſi enim renuntiatio fiat intuitu profeſſionis, ac proinde illi ſit acceſſoria, non tamen ideo priuilegium ad eam extenditur, cum inter ſe neceſſariam non habeant connexionem, vt dixi in ratione dubitandi, conſequenter facienda eſt renuntiatio iuxta decretum Tridentini.

Prius autem ſuſtinetur, Tum quia impoſſibile eſt obſeruare illud tempus Tridentini, conſequenter, cum impoſſibilium nulla ſit obligatio, reg. 6. in 6. decretum illius non habet locum in hoc caſu, ergo renuntiatio fieri poteſt infra bimeſtre ante profeſſionem emittendam ante completum probationis annum; & cum non ſit maior ratio de tempore proximiori profeſſioni, quam remotiori, cum vtrumque tempus ſit præter diſpoſitionem decreti, ideo quodlibet tempus videtur ſufficere; *quamquam Sanch. de hoc loquens lib. 7. cap. 5. n. 85. in fine*, concludat faciendam eſſe renuntiationem proxime profeſſioni, ductus ea ratione, quod credendum eſt, Pontificem quam minimum fieri poteſt, voluiſſe derogare Tridentino, ſic enim ſeruabitur in quantum fieri poteſt matura deliberatio ante renuntiationem in eo decreto petita. Quæ tamen non obſtant, quia in caſu noſtro nulla parte temporis quantumuis minima decretum ſeruari poteſt, conſequenter Papa præſumitur voluiſſe in totum derogare illi decreto, ſeu potius redditum fuit impoſſibile; conſequenter neque locum habet diuturnitas temporis ad deliberandum, hæc enim maior, & minor eſt reſpectiue ad profeſſionem. Poſtea, prædicta, à Sanch. locum habent reſpectu poſterioris dicti à me. Quod nouitius illud bimeſtre retractum habeat, confirmatur, Tum quia, quando non poteſt ſeruari lex temporaria quo ad ſubſtantiam, ſufficit, ſi obſeruetur quoad modum. Tum quia cum priuilegium hoc ſit fauorabile non habet impedire renuntiationem expediendam, ac ſi non emanaſſet, per illam reg. 61. in 6. Quod fauore alicuius eſt introductum non debet retorqueri in eius detrimentum. Tum quia contrariorum eadem eſt diſciplina, *Ariſt. 1. Top. & 4. Æthic. cap. 1. Inſtit. de iis, qui ſunt ſui, vel al. & l. 1. ff. eod.* ſed in poſteriori tempore vltra bimeſtre anni nouitiatus extendi poteſt renuntiatio, vt probabo q. 8. ergo & ante bimeſtre in priori tempore.

Ex his patet ad obiectionem decretum Tridentini cum in caſu præſenti ſit impoſſibile obſeruatu, non habere locum, conſequenter non negari factionem renuntiationis profitendi ex priuilegio ante probationis expletum annum, cum priuilegium ſic profitendi quodammodo ſecum trahat ius renuntiandi acceſſorium profeſſioni.

Quæres 7. An renuntiatio facta die antecedenti bimeſtre in Tridentino ſtatutum valida ſit? *Zechius de republ. eccl. tit. de Regul. cap. 3. n. 14. Zerola prax. epiſc. part. 1. v. Monachus* putant valere, quia aſſignatum tempus ſpectatur non mathematice, & naturaliter, ſed moraliter, cum ſimus in moralibus. Confirmatur, quia tempus momentaneum, quale eſt vnius dici, non habetur in conſideratione, *ex l. fin. C. de bonis, quæ liber*. Minima enim non ſunt in conſideratione.

Reſpond. Nulla eſt ea renuntiatio, quæ facta fuit vno die antecedenti bimeſtre, Tum quia tempus aſſignatum de ſubſtantia huius actus, cum ſit à lege præſcriptum, & certum, *Auth. Quæ ſupplicatio C. de precibus imper. off.* Tum quia id tempus eſt de forma huius actus, ac proinde eo omiſſo factũ nullius eſt momenti, *Bald. in cit. Auth. Rimital. vol. 3. conſ. 271. n. 3. M. Ant. l. 2. reſol. fin. caſu* 23. maxime quando incipit ab aliqua die determinata, & menſurari debet de momento ad momentum, in quo caſu momentaneum ſpectatur *ex l. 3. Minorem ff. de min. Anton. Gom. l. 72. Tauri n.* 25. ſicut enim totum tempus eſt de forma, ſubſtántia, & eſſentia negotij agendi quo ad ſuum valorem, ita & quælibet eius pars, cum quæ ſunt eſſentialia indiuiſibilia ſint in ordine ad illud, cuius de eſſentia ſunt; ex quo patet ad rationem dubitandi. Debet ergo hoc bimeſtre currere de momento in momentum iuxta calendarium inquit *Sanch. libro 7. cap. 5. numero* 81. *Bartol. de S. Fauſto q.* 193. *Vecchius. diſput. 8. dub. 9. n. 5. quos refert. Barboſ. ad cap. 16. ſeſſ. 25. n. 4. vbi refert. ex Aldan. in Compend. reſol. canon. lib. 4. tit. 3. n. 8. deciſum die 21. Januar.* 1617.

Quæres 8. An quando nouitius ex cauſa differt profeſſionem poſt annum probationis, vt ſi peregit nouitiatum in anno quintodecimo, vel etiam in ſextodecimo, vel vlterius, teneat renuntiatio facta vltra illud bimeſtre vndecimi, & duodecimi menſium anni nouitiatus? An neceſſario facienda ſit in illo bimeſtri vltimo nouitiatus, etiam quando differenda eſt profeſſio? Videtur bimeſtre ſumi in ordine ad profeſſionem præciſe coniunctam cum anno nouitiatus iuxta illud decretum eiuſdem cap. 16. ibi: *Finito tempore nouitiatus, ſuperiores nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant.* Huic autem decreto de profitendo immediate poſt nouitiatum, præmiſerat aliud de Renuntiatione; & cum ſub eodem capite comprehendantur, vnum aliud explicat, conſequenter cum Renuntiatio præmittatur illo bimeſtri proximo profeſſionis, quæ facienda eſt ſtatim poſt nouitiatum peractum, ſub nomine bimeſtri veniunt duo menſes poſtremi anni nouitiatus, & ſic renuntiatio facta poſt illos nulla eſt, vt quæ contra decretum Tridentini. *Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 82. & apud illum Menoch. conſ. 388. n. 7. vol 4. Vecch. diſp. 8. dub. 9. n. 5. Armend. quos citat Barboſa ad cap. 16. ſeſſ. 25. n.* 42. aſſerunt, factam renuntiationem illo bimeſtri vndecimi, & duodecimi menſium ſubſiſtere, licet differatur profeſſio, expreſſe tamen nihil dicunt de dilatione huius bimeſtri ſimul cum profeſſione.

Ego autem dico differri poſſe etiam renuntiationem faciendam ante profeſſionem dilatam per quoduis tempus poſt annum nouitiatus peractum, quod probatur clare per verba ipſius decreti, ibi: *Intra duos menſes proximos ante profeſſionem.* Ecce quod bimeſtre coniungitur profeſſioni, cum autẽ profeſſio fiat, vel ſtatim poſt peractum nouitiatum, vt ſolet ordinarie fieri, vel interpoſito aliquo temporis ſpatio, hinc eſt, quo illud bimeſtre attendi poteſt eo duplici tempore, vel profeſſionis coniunctæ cum nouitiatu, vel eiuſdem ſeparatæ ab illo interpoſitione negationis vtriuſque. Confirmatur, quia renuntiatio quo ad tempus regulanda eſt iuxta tempus profeſſionis, cuius tempus prorogari poteſt ex legitima cauſa, vt docent *Sanch. lib. 5. capit. 6. Nau. conſil. 30. de Regul. Rodr. in ſumma part. 2. cap. 8. n. 3. & tom. 3. q. 15. art. 10. fine, & q. 17. art. 60. cum ſuo Compend. reſol. 101. n. 83. Leſſ. lib. 2. cap. 41. dub. 7. Bart. à S. Fauſto Theſaur. lib. 5. q. 168. quos refert. Barb. ad cap. 16. ſeſſ. 25. n. 45. Laur. Peyr. tom. 1. priuileg. ad conſt. 2. Sixti IV. §. 11. n. 81. & 82. Lezana tom. 1. cap. 24. n. 41. Diana part. 2. reſol. 118. de Regul. Ego in meo Tract. de profeſſ. regul. cap. 2. q. 68.* ergo

&

& prorogari potest renuntiatio, quo enim prolixius est tempus eo maturior, & tutior efficitur delibera-tio ad disponendum, quod est finis huius decreti, vt praeceitati docent.

Ex his manet soluta ratio in contrarium adducta, illud enim bimestre accipi potest tam respectu nouitiatus, & coniunctae professionis, quam dilatae.

Sed quid dicendum si dilata professione sine causa, teneret renuntiatio prorogata intuitu professionis?

53 Dico, quod valeret renūtiatio vti accessoria professioni validae non obstante illicita, & vana dilatione professionis, non enim Concil. quod statuit emittendam illam esse a nouitio statim probatione peracta, apponit decretum irritans, sed simpliciter decernit, & à nouitio emittatur post nouitiatum absolutum, & valore professionis huiusmodi asserunt multi suppresso nomine cum *Diana particular. 2. de dub. regul. resolutione* 128.

Quaeres 9. Quidam religiosus amore, & precibus consanguineorum, occasione Breuis Vrbani VIII. super professionibus nulliter emissis ob praemissum nouitiatum in loco à sede Apostolica non deputato pro nouitiatu, de quo ego latius Resol. 8. per totam, procurauit cessari renuntiationem primo factam à se in bimestri vltimo sui nouitiatus, mediante sententia de nullitate professionis, lata ex praemisso processu à Vicario Generali eius loci, vbi tunc repetiebatur, nam virtute declaratae nullius professionis exuit se habitu religionis, & statim publico instrumento reuocauit renunciationem, seu potius nullam declarari fecit, nolitque amplius valere, quamuis iterum profiteretur in religione, vnde sequenti die resumpsit habitum professionis, quam ratificauit, & sic clausit religionem praeiudicando suo conuentui, cui multa bona reliquerat acquirenda post suam mortem. Quaeres, Inquam, an teneat huiusmodi annullatio renuntiationis, & declaratio nullitatis eiusdem? Videtur renuntiatio euanescere, & non amplius subsistere, quia in hoc casu professio non dicitur secuta, sed potius nouitius recessisse, cum habitu se exuerit iudice mediante, qui nulla professione declarata dimisit à religione ad seculum; sed nouitio recedēte à religione, & ad seculū redeunte euanescit, & redditur nulla renuntiatio, vt colligitur ex decreto Tridētini, & docēt omnes cū *Nau. conf. 9. de suc. ab intest. Rodr. part. 2. c. 90. num. 6. & to. 3. q. 47 art. 12. à S. Fausto in Thes. li. 5. qu. 186. Vecch. disp. 8. dub. 8. n. 3. dub. 9. n. 6. apud Barbosam ad cap. 16. sess. 25. ergo & in casu praesenti.*

54 Respond. Reuocatio huiusmodi nullius ex est momenti, sed renuntiatio adhuc in suo robore remanet, quae suum firmitatis effectum sortitur, professionis ratificatione. Probatur, Tum quia habet omnia requisita à Tridentino, facta enim fuit illo bimestri, & professione emissa licet nulliter ratificata tamen renunciatio sortita fuit suum plenum effectum, cum ratificatio fuerit illius antiquae professionis intuitu cuius facta fuit renuntiatio. Tum quia illa depositio habitus cum regressu ad seculum fuit fraudulenta, & dolosa, vt de se patet, consequenter non debet patrocinari fingenti recedere, vt renuntiationem praecise annullet in praeiudicium tertij, & praecipue conuentus, cuius bonis, & facultatibus nihilominus intendit ali, & sustentari. Praeterquamquod sicut habitus portatio non erat necessaria ad renuntiandum, ita neque ad renocandum eamdem, cum sit quid extrinsecum non solum ad contractus quosuis celebrandos, verum etiam ad profitendum praecise, quia habitum non facit monachum, cap. *Porrectum, cap. Ex parte de regul. & docuica. 2. de professi. qu. 19.* Tum quia renuntiationem factam nouitius ante professionem, licet non dicatur sortita suum firmitatis effectum, reuocare non potest, vt probabo infra qu. 1. ergo multo minus sequuta professione licet nulla, maxime cum postea illam ratificauerit. Tum illa habitus dimissio illegitima fuit defectu iudicis competentis, ille enim ordinarius iudex non erat competens, neque respectu causae, quia quinquennium iam transactum erat, vltra quod tempus sicut nulliter professus non auditur, neque aliquis est auditor iudex, excepto summo Pontifice, vt firmaui pluribus *cap. 7. de Reclamat. profess. t. 19. 20. 21. & supra Resol. 8.* fusius loquendo de dicto Breui, occasione cuius ille religiosus fecit declarare nullam suam professionem, neque respectu personae, qui non potest reclamare coram quolibet ordinario, sed tantum apud illum, cuius dioecesi peregit nouitiatum, vt decisum à S. C. referunt nonnulli, quos citaui eo cap. q. 29. ergo cum nulla fuerit dimissio habitus, nulla quoque fuit reuocatio renuntiationis. Et sic patet ad argumentum in oppositum, illum, qui sic ex nullitate illius sententiae se habitu exuit, non fuisse vere dimissum à religione, sed adhuc remansisse illo die religiosum licet nulliter professum. Oppositum docui *resol. 8. n. 41.*

Quaeres 10. An nouitius post factam renuntiationem antequam proficiat, vel an post professionem nulliter emissam antequam illam ratificet possit illam reuocare, vel saltem limitare, vel augere? *Armilla v. Nouitius n. 17.* supponit donata esse reuocabilia, per *Abb. in cap. In praesentia, de probat. 68. Angel v. eod. nu. 11. cum aliis apud Sanch. lib. 7. cap. 5. num. 57.* Ratio est, quia contractus celebrati in gratiam vnius tantum tenocabiles sunt pendente conditione quam rationem in simili refert *Alex. vol. 5. cons. 40. nu. 3. Menoch. cons. 388. vol. 4. dum dicit n. 19.* contractus gratiosos esse reuocabiles ante euentum conditionis. Sed renuntiationes nouitiorum sunt eiusmodi, cum sint factae intuitu professionis sequuturae.

Sanchez *l. 7. c. 5. n. 58.* respondet donationem irreuocabilem esse, seu quamuis aliam renuntiationē, quia non maior obligatio oritur in contractib. absolutis in re, & actu, quam in conditionalibus in spe, & quoad euentum conditionis, ergo sicut absoluti sunt irreuocabiles ita, & contionales.

55 Respond. Igitur renuntiationes factas à nouitio non posse ab eo reuocari, neque ante professionem, neque inualidam sequuta professione, modo non agatur de testamento, quod perambulatorium est vsque ad mortem naturalem, vel ciuilem professionis, *vt dixi Res. 55. de testam. & legat. qu. 1.* Probatur quia obligatio in contractibus conditionalibus respicit duo nempe ipsummet contractus substantiam, & euentum conditionis, consequenter si renuntians debet expectare euentum conditionis, vel illam simpliciter reiicere per recessum à religione, non poterit illam reuocare, si voluerit manere in religione, à qua si recedat contractus penitus dissoluitur.

Quaeres 11. An renuntiatio adhuc subsistat licet sequuta professio fuerit nulla?

56 Respond. Non subsistit seu adhuc non fuit sortita suum firmitatis effectum, probatur, quia firmitas, & substantia pendet à professione vera, & reali, non autem ab inualida, quae perinde est, ac si emissa non fuisset; Confirmatur, quia quod nullum potest producere effectum *l. 4. §. Condemnatum, ff. de sent. & re iud.* & & non entis nullae sunt passiones, neque qualitates *cap. Ad dissoluendum, de despons. impub.* & paria sunt non esse, & esse nullum. *l. Duo sunt Titij ff. de testam. tutel.* ergo cum professio nulla fuerit non potuit firmare contractum. Quare si recedat à religione nulliter professus, euanescunt renuntiationes ab eo factae in illo bimestri. *Sic docet Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 55. cum Rodr. part. 2. cap. 5. n. 55. cum Rodr. part. 2. cap. 7. n. 6. Ludou. Lopez l. 1. de consist. c. 49. q. 3. Barbosa ad c. 16. sess. 25. n. 17.*

Quaeres 12. An ratificatione professionis nulliter alias emissae consolidetur renunciatio, ac si primo nouitius valide professisset?

57 Respond. Affirmatiue cap. 6. de ratificat. profess. q. 29. quia ratificatio est essentialiter professio, ergo producet eumdem effectum, ac si primo facta fuisset.

Vide ibi alias rationes, & doct. ibi, & apud Barbosam ad c.16. sess. 25. nu. 18.

Quæres 13. An conuentus, seu alius, in cuius gratiam nouitius renuntiauit initio bimestri e. g. faciat suam rem relictam & quo ad proprietatem, & quo ad fructus à die conditi instrumenti, vel solum à die professionis emissæ?

18 Respond. Is, cui renuntiatio facta fuit, incipit habere dominium proprietatis, & facere fructus suos à die professionis, probatur, quia talis conditionis sunt contractus conditionales suspendentes omnem suum effectum vsq; ad euentum conditionis, conditio enim proprie suspendit actū vsque ad euentum sui, secūdum omnes cum *Bart. in l. 1. ff. de cond. & dem.* vnde nihil dicitur ponere in esse, l. *Si quis sub conditione ff. si quis omissa caus.* & nihil operatur ante illius euentum, *ca. Si pro te de rescr. in 6. c. Præterea 40. de appellat.* Sed renuntiationes, de quib. in Tridentino, sunt conditionales, vt patet ibi: *Ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione.* Ita docet *Sanch. l. 7 c. 5. a n. 59. ad 64. vbi ex Doctoribus cum Tiraq. de contr. conuent. §. Glos. 5. n. 74. & l. si vnquam v. Reuertatur nu. 283. de reuoc. donat. Menoch. vol. 4. cons. 388. nu. 15. ad 19.* referens duplicem conditionem suspensiuam, quæ actum ita suspendit, vt

19 maneat sine vllo penitus effectu ante euentum conditionis, de qua dixi agi in decreto Tridentini, & Resolutiuam, quæ valorem actus, neque illius effectus impedit, sed statim subsistunt, licet nondum extiterit conditio. Alia scitu digna vide apud ipsos, quia nolo paginas implere ex aliorum verbis.

Quæres 14. An huiusmodi decretum de renuntiatione disponat solum in ordine ad nouitios maiores, an etiam minore ætatis annorum quindecim, & sexdecim? Videtur comprehendere solum maiores, alias si includeret minores, & ætate, aut illos dispensaret ad contrahendum in illa minori ætate, aut certe Concilium se declararet per suum decretum non excludere nouitios à solemnitatibus iuris positiui, ergo cum nihil horum exprimat, concludendum videtur decretum disponere pro solis maioribus, qui non subsunt certis solemnitatibus iuri. *De qua re vide Sanchez libro septimo, capitulo quinto*, numero 18. *ad finem.* Alij voluit comprehendere solum minores sexdecim annis, eo quod Tridentinum præcedenti capit. decreuerat, ne quis ante decimum sextum annum completum, & non præmisso integro vnius anni nouitiatu, admitteretur ad professionem, & sequenti capit. decernit renuntiationem faciendam esse intra bimestre proximū professioni, de qua locutus fuerat in præcedenti capite emittenda post sextum decimum annum, ergo de nouitiis huius ætatis loquitur, & non de aliis; quod autem dicta duo capita sibi inuicem correspondeant patet ex particula, *Quoque*, copulatiua sequentium cum præcedentibus, *arg. §. Prætorum quoque, Instit. de iure natur. §. Posthumo Instit. de legat.* cuius etiam est pari formiter determinate, vt colligitur *l. 4. C. de impub. & aliis substit.* Hanc opinionem tenet *Menoch. de arbitr. lib. 2. cent. 5. casu 43. n. 8. Megal. t. 2. lib. 2. cap. 27. num. 27.* ob adductam rationem inferentes maiores sexdecim annis non adstringi solemnitatib. huius decreti, sed pro libito posse disponere de suis bonis.

20 Respond. Decretum comprehendit tam minores, quam maiores sexdecim annis, incipiendo tempus faciendi huiusmodi renuntiationes à bimestri ante inceptum annum decimum septimum ætatis, & non ante; alterius verò attento semper tempore professionis, quæ alias de iure emitti potest, peracto nouitiatus anno.

Primum, quod renuntiatio non possit fieri in vltimo bimestri nouitiatus peracti in anno ætatis nouitij quindecimo suadetur clare ex verbis ipsius decreti, ibi: *Intra duos menses proximos ante professionem*; illud autem bimestre extremum quintidecimi ætati anni non est proximum professioni cum adhuc nouitius debeat expectare complementum decimi sexti anni, & postea proficere. Et sic patet ad secundam rationem dubitandi, capit. 16. per particulam, *Quoque, copulari*, & intelligi iuxta capit. 15. nempe renuntiationem fieri non posse, nisi in bimestri postremo decimisexti anni, in quo solum completo emitti potest professio.

Secundum, quod renuntiatio debeat fieri iuxta illud decretum à nouitiis tam sexdecim annorum, quam vlterioris, & maioris ætatis, probatur, quia per dispositionem cap. 15. maiores non excluduntur, neque eximuntur ab onere peragendi completum annum nouitiatus, sed potius sub eo decreto & ipsi comprehenduntur, cum ab eo solum excludat minores septemdecim annis, pari ratione de vtrisque disponit etiam in sequenti *cap. 15. Vide Sanch. lib. 7. cap. 5. num: 7. & 8.*

Et ex his patet etiam ad primam rationem dubitandi prædictum decretum includere non solum maiores, sed etiam minores incipiendo, vt dixi à bimestri postremo anni sextidecimi nouitij, qui in ea ætate de suis bonis disponere potest sine solenmitatib. iuris ciuilis, cui in hoc non subditur, cum sit nouitius persona Ecclesiastica, *vt ego probaui supra Resolut. 53. n. 86.*

Quæres 15. An renuntiatio bonorum paternorum, & maternorum facienda sit de consensu illorum, ad hoc vt subsistat? Obseruandum est, quod peculium, seu bona sunt in triplici differentia Profectitia, Aduentitia, & Castrensia. 21 Bona perfectitia ea sunt, quæ proficiscuntur ex rebus paternis, seu occasione patris *ex l. Cum oportet, C. de bonis, quæ liber. l. Adduto ff. de acquir. hæred. l. Sed & si plures ff. de vulgar. & pupill. substit.* Aduentitia verò sunt illa, quæ filiis obueniunt non ex patris substantia, sed aliunde, vt à matre, ab auis maternis, ex nuptiis, ex testamento cognatorum, aut amicorum, vel ex labore, seu industria, ex cit. l. Cum oportet. Et horum bonorum proprietas est filij, vsusfructus verò pertinet ad patrem, auum, vel proauum Instit. Per quas person. nobis acquirere quem vsum pater non amittit, per ingressum filij in religionem, *Bart. in Auth. Idem est C. de bonis, quæ lib. Panor. & Dec. in capit. In præsentia, de probat. numer. 62. Nau. tom. 2. de Regul. numer. 55. Rodr. tom. 3. quæst. 16. art 4. Less. de iust. lib. 2. ca. 41. n. 63. Megal. t. 2. lib. 2. cap. 3. num. 8.* Intellige fructum esse patris, nisi qui dederit, expresserit, tam dominium, quam vtile spectare ad filium, vt docent prædicti. Bona castrensia dicuntur acquisita in bello, vel occasione belli l. *Castrense ff. de castr. pecul. l. 1. C. eodem lib. 12.* Quasi castrensia dicuntur acquisita ab eodem filio familias alicuius officij publici, vt in forensi malitia, in patrocinis causarum, & notariatu, ea magisterio, ex medicamine lectura, *& c. l. fin. C. de inoff. testam. l. Fori tui. C. de aduoc. diuers. iudic.* & in his filij sunt domini quoad proprietatem, & vsum, vide apud citatos. *De hoc triplici genere peculij Sanch. l. 7. c. 13. n. 24. Quibus positis.*

22 Resp. Quando filius familias renuntiat fauore patris, certum est, non requiri aliquem consensum paternum in specie, sed sufficit factum ipsum insistentiæ, seu possessionis, in quibus pater perseuerat dominando, & possidendo. Si verò renuntiat aliis, seu etiam monasterio, id efficere non potest, nisi respectu bonorum Castrensium, vel quasi castrensium, eo quod ista sint in eius potestate tam quod ad proprietatem, quam vsumfructum, & sic de illis disponere potest, licet teneatur habere respectu ad patrem si pauper est; reliquis verò, vt de profectitiis non potest, cum sint patris quod ad vtrumque dominium, neque de aduentitiis, cum sint patrisquo ad vsumfructum, vnde neq; huiusmodi bona ratione fructus transeunt in monasterium, vt pluribus probat Sanch. *li. 7. cap. 13. n. 39.* ex communissima Doctorum sententia.

Quæres

Quæres 16. An nouitius minor 25. annis in renuntiatione, & aliis contractibus præter dispositionem Tridentini debeat seruare solemnitates iuris ciuilis?

23 Respond. Negatiuè *resol. 53. q. 17.* illuc remitto Lectorem.

Quæres 17. An renuntiatio requirat consensum, seu acceptationem eius cui fit?

24 Respondi eadem *Resol. 53. q. 22.*

Quæres 18. An illi, qui recipiuntur quidem in nouitiatu, sed per aliquot menses remanent in proprio habitu, seu cum semihabitu, non tamen illud tempus computatur illis ad nouitiatum, possint illo tempore disponere de suis bonis, non obstante Tridentino, ita quod is casus non comprehendatur sub decreto Concilij?

25 Respond. Non comprehendi, probatur, quia qui sic ingreditur, licet etiam deferret habitum integrum nouitiorum, adhuc propriè non est nouitius, cum ibi maneat non vt formalis nouitius, neque illi computatur pro nouitiatu illud tempus, ergo cum reputetur ac si esset sæcularis, & nondum in probatione, more aliorum nondum ingressorum de suis bonis potest disponere, non secuta forma Tridentini. Et ita docet Megal. t. 2. *lib. 2. cap 27. num. 26.* de renuntiatione facta à suis clericis manentes, vt hospites per quatuor menses, & laicis per quinquennium antequam admittantur in numero nouitiorum. Quod autem Tridentinum nihil disponat de nondum ingressis probaui in

26 meo Tract. de profess. regul. cap. 3. q. 59. Barbosa ad *cap. 16. sess. 25. n. 20. referens doctores 26. & duas decisiones, vnam sub die 20. Decembris 1627. alteram sub die 13. Apr. 1630.* contra quamplures alios nempe quindecim doctores allatos ab eudem Barbosan. eod.

Quæres 19. Quando nouitius peregit nouitiatum in vno loco, & postea in alio emittit professionem, ad quem ordinarium accedere debet nouitius pro renuntiatione antequam proficiat? Suppono autem nouitium e. g. in anno decimo quinto posse peragere nouitiatum, vt communiter tradunt doctores, quos citaui *cap 4. de Nouitiatu q. 7.* & cum non possit proficere in fine decimiquinti, sed tantum expleto decimo sexto, quandoque nouitij de licentia superiorum recedunt à nouitiatu, & pergunt ad conuentus propriæ filiationis, & ibi post debitam ætatem proficiunt, quod fieri posse probaui *eod. cap. 4. q. 18.* Videtur esse facienda renuntiatio coram Ordinario, in cuius diœcesi nouitius peregit nouitiatum, quia renuntiatio fit in postremo bimestri nouitiatus ante professionem, consequenter nouitius recedens ad profitendum in alio conuentu, debet prius in loco nouitiatus obtinere licentiam ab ordinario ibidem, vt ibi, vel alibi renuntiare possit. Confirmatur, quia in fine dicti capitis, mandatur si quandoque nouitius recedat à religione, vt omnia eodem restituantur, ad quod Episcopus regulares compellat etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit; nouitius autem communiter dicitur à religione in loco, vbi peregit nouitiatum, ergo sicut nomine Episcopi venit ille, in cuius diœcesi est monasterium nouitiatus, ita etiam respectu renuntiationis nomen Episcopi in eodem capite repetitum diuersificetur loco, & diœcesi. Ex alia vero parte nomine Episcopi, cuius est dare licentiam renuntiandi videtur venire Episcopus loci, vbi professio emittenda est, ex eo quod ad hunc etiam spectat simul cum superiore profelli eiusdem loci audire professum nulliter reclamantem, & petentem exire à religione infra quinquennium à die nulliter emissæ professionis *ex cap. 19. Trident. sess. 25.* vt ego probaui de reclamat. *cap. fin. de profess. q. 29. & tradit. Barb. ad dictum cap. 19. & tradit. Barb ad dictum cap. 19. sess. 25.* Confirmatur maxime respectu eius nouitij, qui post decimumquintum anni sui nouitiatus iam peracti, à loco nouitiatus cum licentia superiorum recedit ad proprium conuentum, in quo post annum professurus est, esset enim valde incommodum si nouitius deberet reuerti ad Episcopum loci nouitiatus, vt interrogaretur ad obtinendam licentiam pro renuntiatione; præterquam quod Episcopus loci nouitiatus non amplius videtur ordinarius nouitij, cum non amplius in eius diœcesi habitet, sed in diœcesi alterius, consequenter ab hoc posteriore licentiam renuntiandi obtinere debet.

28 Respond. Quando nouitius post decimumquintum annum nouitiatus expleti recedit, cum eo casu renuntiare non possit in bimestri anni decimiquinti, licentia Episcopi, in cuius diœcesi extat monasterium, in quo nouitius professionem emissurus est, obtinenda est ab eodem nouitio renuntiaturo, quia ille Episcopus propriè quo ad hoc dicitur ordinarius nouitij volentis renuntiare, etiamsi tunc in eius diœcesi moram trahat, & non in loco nouitiatus, consequenter cum non amplius illi subijciatur, neque necesse est, quod ab eo obtineat licentiam renuntiandi. Confirmatur id per dicta secundo loco. Quando vero nouitius peregit nouitiatum in decimo sexto anno, si velit renuntiare illi bimestri tenetur petere licentiam Episcopi nouitiatus, quia in hoc illi subditur. Quod si professio prorogetur alibi postea emittenda, eo casu adhibenda est licentia Episcopi loci professionis, ex superius dictis; neque cogitur emittere illam in postremo bimestri nouitiatus, cum possit illam differre ad bimestre coniunctum professioni; ex probatis q. 8. consequenter neque tenetur petere licentiam à priori Episcopo.

29 Quæres 20. Quænam renuntiationes, & obligationes comprehendantur sub decreto Concilij, ita quod illæ celebrandæ sint illo bimestri cum licentia Episcopi, alias nullæ sint?

Respond. Sunt sequentes, Primo veniunt omnes contractus locatiui, *Rod. part. 2. sum. cap. 7. n. 4. Bartol. à S. Fausto lib. 5. Thesauri Relig. q. 179. Peyrin. ad const. Sixti. IV. n. 75. Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 31. Barbosa ad hoc cap. 16. n. 2.* Secundo, donationes inter viuos, *Nau. consil. 81. & 82. in nouis de Regul. Menoch. de arbitr. casu 437. n. 8. Molin. tract. 2. disp. 159. Rodr. part. 2. cap. 7. n. 8. à S. Fausto lib. 5 q. 180. Spin. in speculo testam. glos. 12. n. 50. Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 20.* Tertio renuntiationes officiorum publicorum, vt si esset nouitius. Tabellio *lib. 7. cap 5. n. 43. Bartol. de Vecchis disp. 8. dub. 7. n. 7.* asserentes in actu ipsius renuntiationis officium huiusmodi transire in eum, in cuius fauorem renuntiatum fuit. Quarto fideiussiones ex eisdem *Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 34. Vecchius. disp. 8. dub. 7. n. 8.* Quinto liberatio tutoris à reddendis ratiociniis, *Nau. consil. 83. de Regul. Vecchis disp. 8. dub. 7. n. 9.* Sexto comprehendi renuntiationem beneficij docent *Maiol. de irregul. lib. 3. cap. 6. Flamin. Paris. lib. 3. de resignat. benef. q. 13. n. 4. Campan. in diuers. iuris Rub. 12. cap. 3. n 10. Mirand. tom. 1. q. 23. art. 5. Marc. Anton. lib. 1. resol. 122 casu 62. Sanch. lib. 7. cap. 5 n. 38. Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 16. n. 2. A. S. Fausto lib. 5. q. 181. Vecchis disp. 8. dub. 7. n. 4. quos citat Barbosa ad cap. 16. n. 14. qui cum Garzia alleg. 99. n. 19. tenet oppositum.*

Sequentes vero renuntiationes, seu obligationes non comprehenduntur sub hoc decreto, consequenter quouis tempore fieri possunt etiam sine ordinarij licentia, sunt primo testamentum, donatio causa mortis, & codicilli *Nau. com. 2. de regul. n. 50. & consil. 83. n. 2. & 3. de regul. Rodr. tom. 3. q. 16. art. 1. & tom. 2. q. 47. art. 10. Aloysius Ricc. collect. decis. 584. Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 13. Miranda tom. 1. q. 23. art. 4. Campan. Rubr. 13. n. 11. Vecchis disp. 8. dub. 10. n. 3. Compend. Rodr. resol. 53 n. 10. apud Barbosam ad cap. 16. n. 16.* Secundo contractus ex vtraque parte onerosi, venditionis, permutationis, locationis, &c. *Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 33. Vecch. disp. 8. dub. 7. n. 15. Peyr. ad constit. 2. Sixti IV.*

n. 75. Barbosa a.12. Tertio oblationes, & donationes factæ monasterio à tutoribus vel consanguineis ea bonis non nouitiorum, *Suar. tom. 3. de relig. lib. 5. cap. 9. n. 16. Vecchis disp. 8. dub. 7. n. 14. Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 23.* modo non sit in dotem nouitij. Quarto duodena non comprehenditur, *Vecchis disp. 8. dub. 7. n. 12.* Quinto donationes factæ Deo, vel B.M. seu sanctis oblationes, & vota non comprehendi, *Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 28. Rodr. tom. 2. q. 47. art. 5.* negat. Vecchis *disp. 8. dub. 7.* initio, quando est alicuius momenti. Sexto Elemosinæ modici momenti attentis facultatibus nouitij *Vecchis disp. 8. dub. 7. a. 11. A.S. Fausto lib. 5. q. 180. Sanch. lib. 7. cap. 5. n. 21. Barbosa a. 7.*

30 Aduerto donationes, oblationes, de quibus quinta, & eleemosinas sexta exclusionibus potius comprehendi in decreto Tridentini, quam excludi, cum prædicta contineantur sub genere causæ piæ, illa enim est causa pia, quæ non solum refertur ad cultum parentum, & cognatorum, sed etiam ad religionem, & opera misericordiæ tam corporalia, quam spiritualia, secundum *Nau. tom. 2. de Reddit. eccles. q. 1. Monit. 26.* sed oblationes factæ Deo, & sanctis eius respiciunt religionem, & eleemosinæ opera sunt misericordiæ, vt omnes docent, ergo comprehenduntur sub dicto decreto ibi: *Vel in fauorem cuiuscumque causæ piæ*, & hoc mihi certum videtur, aliter frustratoria essent prælata verba.

Quæres 21. An nouitius siue sit minor, siue maior viginti quinque annis, simpliciter donando aliquid monasterio, si deinde nolit remanere, & profiteri, sed redire ad seculum, possit donatum repetere, & monasterium teneatur illud restituere?

31 Respond. Si nouitius ante ingressum, licet etiam intuitu religionis simpliciter donauit aliquid monasterio non potest illud repetere, si discedat ante professionem, posito quod aliunde teneat donatio. Ratio est, quia si recedens potest donatum repetere, & monasterium tenetur restituere maxime per dispositionem capit. 16. sess. 25. in quo mandantur omnia restitui, quæ sua erant, ad quod compellantur etiam sub censuris ab Episcopo, si opus erit. Sed huiusmodi dispositio non obstat, quia loquitur de datis ab eius parentibus, vel tutoribus, vt aperte tradit Tridentinum loco citato his verbis. *Sed neque ante professionem, excepto victu, & vestitu nouitij, vel nouitiæ illius temporis quo in probatione est quocumque prætextu à parentibus, vel propinquis, aut curatoribus eius monasterio aliquid ex bonis eiusdem tribuatur, ne hac occasione discedere nequeat.* Ecce quod ibi sermo est de datis de ipsius bonis à suis parentibus, propinquis, seu curatoribus, & eo tempore, quo est in probatione. In casu autem nostro nouitius ipse est qui donat, neque tempore probationis, sed ante ingressum; quod procedit etiam respectu quorumdam nouitiorum, qui in loco nouitiatus recipiuntur in suo habitu seculari, ibique retinentur per paucos menses, antequam illis incipiat currere tempus probationis, quod incipit per assumptionem habitus nouitiorum. Neque obstant ea verba. *Abeuntibus ante professionem omnia restituantur.* Nam intelligenda sunt de datis ab aliis de quibus supra, & non immediate à nouitiis; & si enim ex vulgatis iuribus, qui omnia dicit nihil excludit, tamen hoc non procedit, quando ex verbis præcedentibus colligitur restrictio, secundum *Bart. per tex. in l. Generalis §. Vxori ff. de vulg. Alex. consil. 167. vol. 7. alios citat Barbosa de dict. dict. 241. numero 17.* Neque dicas, in eodem capite initio dicit, nullas esse huiusmodi renuntiationes, donationes, & similes contractus, nisi secuta professione, consequenter cum nouitius recedat, nulla erit ante facta donatio; nam respondetur ibi sermonem esse renuntiationibus factis à nouitio post assumptum habitum probationis, quatenus est formaliter nouitius in probatione, ita quod decretum nullam comprehendit dispositionem factam ante ingressum, vt viginti septem Doctores, citatos à Barbosa super hoc *cap. 16. sess. 25. num. 20.* vbi ita decisum fuisse 20. Decembris 1627. & die 13. Aprilis 1630. contra nonnullos alios ibidem relatos; prædictis adde *Portel. v. Nouitius n. 42. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 10. nu. 10.* referentem ad verbum declarationem sacræ Congregationis. Neque demum obstat motiuum illud: *Ne hac occasione discedere nequeat*: quod videtur extendi etiam ad donationes factas ante ingressum, quia extendendum non est vltra proprietatem verborum, cõstat autem in eo capite sermonem esse de nouitiis formaliter acceptis, ergo excluditur quæuis dispositio facta ante ingressum, finis enim debet coæquari mediis, & cum illis proportionem habere.

Colligitur ex his, eam potestatem, quam Tridentinum hic tribuit Episcopo compellendi per censuras Ecclesiasticas superiores regulares ad restituendũ omnia nouitiis recedentibus, quæ sua erant, intelligendam esse respectu earum rerum, quæ traditæ fuerunt, vel ab eodem, vel ab aliis eius nomine, dum erat in probatione, non autem quæ ipse, vel eius parentes tradiderunt ante formalem ingressum in nouitiatum, quia ex probatis satis constat, illud decretum nihil disponere de renuntiationibus neque aliis actis ante ingressum, sed solum de dispositis post ingressum, ergo solum restituenda sunt, de quibus actum fuit in ipso anno probationis. 32

Quæres 22. An in adeundis hæreditatib. renuntiis, & legatis factis fauore professi sufficiat superior monasterij sine interuentu professi, qui institutus fuit hæres, vel legatarius? Res tractat *Sanch. l. 7. c. 12. à nu. 35. cum seq.*

33 Resp. Nullum professi factum requiri, sed à superiore relictum adiri posse, ratio est, quia hæreditas, & legatum immediate censentur facta monasterio, quod capax est iuris succedendi non ipse professus, qui caret velle, & nolle maxime in his. Sed quoniam forenses parum versati in his, quæ spectant ad statum regularẽ, veritati acquiescere nolunt, ad lites, & incommoda euitanda superior cum suo conuentu, & speciali interuẽtu personæ professæ cui relictum fuit, adeat hæreditatem, & alia relicta, vt sic securius tractetur negotium monasterij.

RESOLVTIO LXI.

De Electione.

SVMMARIVM.

1 *Elector priuandus per sententiam.*
2 *Inquisitus non amisit ius eligendi.*
3 *Carceratus non interest electioni.*
4 *Carceratis nemo loquitur.*
5 *Carcerati gesta nihil valent.*
6 *Excommunicatus non expectatur ad electionem.*
7 *Carceratus elector non agit de contemptu.*
8 *Contemptus sine dolo non est.*
9 *Procurator si sit de collegio habet duas voces.*
10 *Procurator mitti potest, nisi obstet capitulum.*
11 *In meo ordine non prohibetur.*
12 *Conuersus impeditus mittit procuratorem.*
13 *Etiam conuersum, vel clericum.*
14 *Procurator ad diuersos duo vota dirigere potest.*
15 *Procurator non datur ad certam personam eligendam.*
16 *Suspensus non potest eligere, neque eligi, exponitur 18.*
17 *Ordinatus ante legitimam ætatem non est priuatus voce.*
18 *Suspensus simpliciter, & denuntiatus caret vtraque voce.*

19 *Professio*

19 *Professio ius dat electionis apud regulares.*
20 *Ordo est conditio sine qua non contingit electio.*
21 *Officia regularia habent aliquid temporalis, à me negatur. 24.*
22 *Permutatio spiritualium simoniaca, à me negatur. 23.*
23 *Eligam te, si me eliges simoniam non continet.*
24 *Officia regularia mere spiritualia.*
25 *Pacta in electionibus, vt subornationes prohibentur.*
26 *Iuramentum prætermittere veniale.*
27 *Verbum imperatiui modi non inducit mortale.*
28 *Constitutiones papales pro regularibus non omnes recepta.*
29 *Confirmatio quomodo cadit super legem non receptam.*
30 *Iuramentum defertur à præsidente capituli.*
31 *Confessionis scientia nemo vti potest.*
32 *Minor pars concurrit sine mortali ad indignum.*
33 *Papatus acceptatur à religioso independenter à suo prælato.*
34 *Nolens accedere ad eligendum non potest agere de contemptu.*
35 *Illegitimi electio nulla.*
36 *Excommunicatus denuntiatus irritam reddit electionem, explicatur. 39.*
37 *Aperiri possunt schedula ex causa rationabili.*
38 *Votum vitiosum reucitur, & tenet electio.*
40 *Turbari potest electio facta, vel facienda ex causa.*
41 *Pœna contra Turbatorem succumbentem.*
42 *Prior per violentiam expulsus manutenendus est.*
43 *Eligi quinam prohibeantur.*
44 *Professio antecedit electionem.*
45 *Sacerdotium supponitur ad prælaturam.*
46 *Excommunicatus etiam occultus eligi non potest.*
47 *Suspensus item.*
48 *Interdictus pariter.*
49 *Irregularis est intelligibilis.*
50 *Aleator non potest eligi.*
51 *Ebrius assuetus.*
52 *Electus sine causa non priuatur.*
53 *Absens eligitur, si tunc alios eligere non habet.*
54 *Prælatus impeditus per alium celebrat capitulum.*
55 *Generalis eius vices tunc supplere potest, non tamen impedire commissionem.*
56 *Minor non cessat in iis quibus non dependet à maiore præsente.*
57 *Censurati carent vtraque voce.*
58 *Duorum vnus alterum eligere non potest.*
59 *Electio est vnius ex pluribus vocatio.*
60 *Votum, scrutinium, publicatio, & electio quatuor distincta.*
61 *Quæ simul sunt de essentia electionis.*
62 *Elector impediri non potest ab exercitio electionis.*
63 *Querela data non tollit ius quæsitum.*
64 *Causa criminalis agitari potest ciuiliter.*
65 *Nondum depositus non potest dici inhabilis.*
66 *Extr.* Ambitiosæ *non punit priuatione vocum.*
67 *Decretum de alienatione priuat superiores.*
68 *Querela quando proponenda ante tempus electionis.*

AN religiosus in carcere legitime detentus, vel in camera propria sequestratus, vocandus sit ad electionem, & si procedatur ad eam sine ipso, possit agere ad infirmandam electionem *per cap. Quod sicut 28. de electione.*

Vocandus est. Tum quia per illam carcerationem non perdidit ius eligendi argum. *cap. Cum causam 2. de causa poss.* ibi: *In eam quasi possessionem, quam ante controuersiam motam habuerant, reducentes,* iuncta ibidem 1 *Glossa v. Reducentes.* Tum quia, licet eius fama in aliquo læsa fuerit, non ideo tamen priuatus fuit per sententiam, quod necessarium fuerat, *Glos. v. Priuentur, cap. Quia propter 42. Gloss. in cap. 2. de postul. prælat. Silu. v. Electio 1. q. 2. Armill. num. 10. Vega part. 1. cap. 97. casu 4. & cum eis Peyr. de Subdito q. 1. cap. 31. §. 6.* Tum quia inquisitus tantum pendente inquisitione potest interuenire electioni, *Host. Ioan. Andr. & Felin. in cap. Meminimus de accusat.* quos citat, *& sequitur Lanor. tit. 4. cap. 15. de elect. n. 73.* inferens non repelli ab electione, qui non sunt ipso iure priuati, sed veniunt priuandi *per cap. Cum Vinton. de elect. vbi Panorm. num. 13.* Tum quia legitime impeditus potest mittere procura- 2 torem, *cap. Si quis 46. eod. in 6.* Tum quia in electoribus impeditis currit tempus, si possunt impedimentum tollere *cap. fin. eod.* sed carceratus potest tollere impedimentum, ergo vocandus est ad electionem. Quibus non obstantibus.

3 Respond. Licet carceratus non sit priuatus iure eligendi, tamen cum non possit interesse electioni, carcere impediente, coelectores non tenentur illum vocare ad electionem. Probatur ex cap. Quod sicut 28. de elect. ibi: *Si tamen sine periculo potuerint conuocari, siue nequiuerint, siue noluerint, ad electionem celebrandam accedere. Quod si eos vocatos non fuisse constiterit, sed contemptos infirmanda erit electio.* Cap. Quia propter 42. eod. dicitur. *Præsentibus omnibus, qui debent, & volunt, & possunt, commode interesse.* Ex quibus colligitur illos esse vocandos ad electionem, qui interesse illi possunt, constat autem hunc carceratum non posse interesse, quia impeditur detentione carceris, à quo propria authoritate exire non potest *ex Tit. C. de custod. reor. Rodr. tom. 2. q. 22. art. 6.* & si exeunt puniendi 4 sunt, Genues. cap. 42. neque superior tenetur illi permittere exitum ad hunc effectum, quia nullo iure id priuatur, immo carceratis communiter negatur consortium aliorum, vnde in statu ecclesiastico grauissimæ imponuntur pœnæ temporales contra alloquentes reos detentos in carceribus, ex quadam constitut. Pij V. *apud Nald. v. Notarius in fine. Pyr. Formul. lit. C. cap. 4. n. 5.* Deinde vocandi non sunt, qui commode vocari non possunt, ex citatis capitibus, carceratus autem commode interesse non potest, cum in tali casu probabiliter timeri possit de eius fuga. Quod si quis 5 dicat caute educatur de carcere, & in capitulo detineatur, ac si esset ibi ligatus? Respondeo præterquam quod id est inconueniens, electio sequeretur nulla, cum gesta à carcerato etiam extra carcerem deducto, sed detento, ac si esset in carcere, ligato, sint nullius momenti, arg. *cap. Accedens 10. de procur.* vbi dicitur, quod iudex procurare debet maxime in causis matrimonialibus, quod constituens procuratorem gaudeat plena libertate, quali non gaudet constitutus in carcere, ergo idem dicendum est in ordine ad electionem, & quia requirit plenam libertatem in eligentibus, *cap. Cum terra 14. de elect. Vbi periculum, §. Cæterum, eod. in 6. Rodr. tom. 2. q. 51. art. 10.* & quia ab matrimonio carnali tenet argumentum ad spirituale electionis. *Eneraud. in hoc loco, cap. 2 de translat. Episc.* Et quamuis in breui speraretur eius liberatio, adhuc propter hoc expectandus non est, & differenda electio, quia tempore statuto celebranda est ex *cap. Vbi periculum 3. eod. in 6.* vnde neque excommunicandus expectandus est, vt absoluatur ad effectum, vt postea possit interesse electioni, neque quiuis alius impeditus, vt exeat ab impedimento, *Gloss. v. Constitutus Clem. II. de ætate Lanor. aliis citatis tit. 4. de elect. cap. 15. num. 35.* Ex quo etiam se tueri 6 non potest prætextu procuratoris mittendi ad eligendum, cum prohibeatur in dicto cap. Accedens constitui procuratorem ab existente in carcere defectu libertatis, procurator autem ad eligendum mitti non potest nisi ab absente, & iusto subsistente impedimento, *cap. Quia propter 42. eod.* In casu autem nostro carceratus non est absens, cum sit in eadem domo, in qua electio celebratur, præsens enim dicitur ad effectum electionis, vt non mittat procuratorem, qui est in ciuitate, in claustro, vel in hortis. *Innoc. in cap. Quia propter cit. cum aliis allegatis Sigismund. Capucin. dub. 9. de elect. num. 2.* hoc autem impedimentum carceris

iuſtum quidem eſt ex parte ſuperioris, ſed ſatis iniquum,& culpabile ex parte carcerati, quare cum careat iuſtitia procuratorem conſtituere non poteſt ex hoc capite.

7 Carceratus ergo, qui non fuit vocatus ad electionem, agere non poteſt ex contemptu ad reſciſſionem electionis celebratæ, quia ad hoc præſtandum requiritur contemptus *ex ca. Quod ſicut 28. eod.* illis verbis, *Quod ſi eos vocatos non fuiſſe conſtiterit, ſed contemptos infirmanda erit electio*, quod non accidit in caſu noſtro, in quo cum adfuerit dolus, neque, conſequenter

8 potuit eſſe contemptus, qui ſemper cum dolo eſt, *Cardin. cenſ. 11. de verb. ſignif. & ex eo Grilenz. Cenſ. 152. n. 2.* præterea vbi non eſt obligatio vocandi ad electionem, ibi nullus poteſt eſſe contemptus, ſed ex probatis palam eſt nullam habuiſſe electores obligationem vocandi carceratum, ergo cum careat actione contemptus procurare non poteſt infirmari celebratam electionem. Confirmatur id totum, quia contemptus habet ius infirmandi electionem ſolum ante confirmationem *ex cap. fin. eod. in 6. Sigiſm. Capuc. dub. 10. de elect.* niſi ignorauerit factam electionem, quia etiam poſt petere poteſt reciſionem ex eod. n. 5. vbi ſubdit illud nõ procedere, quando eſt mera prouiſio facta electio, quia prouidentes ſimul eligunt, & confirmant, ex *Gloſ. v. prouiſionem in c. 1. eod. in 6. Vide Lauor. tit. 5. de elect. cap. 17. à n. 13.*

Reſtat reſpondere obiectis initio, ad prima tria probantia carceratum non eſſe priuatum iure eligendi, concedo hoc quo ad ius, ſed nego quo ad exercitium incidenter, & prætextu carceris, qui impedit illum ab acceſſu cum aliis ad electionem. Ad quartum de impedito valente tranſmittere procuratorem dixi ſupra, requiri, quod abſens ſit, & detentus inculpabili impedimento. Ad poſtremum dico procedere, quando Impeditus poteſt tollere à ſe impedimentum, & quod ſit iuſtum conſtat autem carceratum culpabile habere impedimentum, à quo ſe propria authoritate liberare non poteſt. Demum audiui prædictum fuiſſe carceratum, quia repertus fuit in fragranti crimine fornicationis, conſequenter cum ſit infamis ex probatis à me reſol. 26. n. 77. bene vocatus non fuit, nec debuit, cum ipſo iure ſit priuatus poteſtate eligendi; quando infamia facti fouetur à iure, qualis eſt in caſu noſtro excitata reſ. docent *Sigiſm. dub. 86. n. 7. cum Suar. tom. 5. diſp. 48 ſect. 3. n. 2. & eis Lauor. ſit 4. c. 15. n. 70.*

Quæres 2. An aliquis vocalis poſſit in capitulo habere duas voces, vnam quatenus eſt membrum capituli, altera quatenus eſt abſentis procurator ad eligendum? quod eſt etiam quærere, an idem de capitulo vocalis adhuc eligi poſſit ab abſente, vel ab alio legitime impedito?

9 Reſpond. Vocalis abſens legitime Impeditus poteſt emittere procuratorem conſtituendo vnum de collegio, vt expreſſis verbis dicitur *in cap. Quia propter 42. de elect. §. Illud autem*; propterea neceſſe eſt, vt de collegio conſtitutus procurator habeat duas voces in electione, vnam ratione ſui. & prout eſt vnum ex membris, & vocalibus capituli, alteram prout eſt procurator abſentis, cuius vices gerit in electione, ita ibidem *Gloſ. v. Venire, & expreſſius c. Si quis 46. eod. in 6.* vbi dicitur, quod procurator ad eligendum conſtitutus vnum nomine ſuo, & vnum nomine Domini ſui, eligere non poteſt, niſi à domino de certa perſona eligenda mandatum habuerit, tunc enim votum proprium dirigere poterit in quem volet; votum verò abſentis in perſonam ab eo deſignatam, *Sigiſm. dub. 14. n. 8. Portel. in Addit 2. n. 2. de elect. Mirand. tom. 2. qu. 23. art. 7. Nec his obſtat Trident ſeſſ. 25. cap. 6.* quia præciſe prohibet ſuperioris, ne propria authoritate ſuppleant vota abſentium, vt docent omnes cum præcitatis *Bard. ad dictum cap. n. 13. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 17. n. 33. Rodr. tom. 2. q. 51. art. 6.* Iure ergo præcitati, *cap. Quia propter*, procurator conſtitui non poteſt, niſi de corpore collegij à quo facienda eſt electio, nihilominus poſtea in capit. Si quis 46. citato, abſenti indulgetur, vt poſſit conſtituere extraneum, qui non ſit de collegio in procuratorem, & hoc ſolum de conſenſu collegij, quod ſi nullus de collegio voluerit acceptare officium procuratoris, neque extraneum admittere, eo caſu ſuum votum per literas ſupplere non poterit, & ſic excluſione procuratoris abſens conſequenter excludetur ab electione, non tamen per hoc dicetur contemptus ſi reliquis electoribus; & quia Papa in citato cap. 46. non reprobat excluſiuam, quam facere poteſt collegium de extraneo, & ſinguli de collegio; & quia procurator nemo cogitur eſſe inuitus. l. *Inuitus, C. de procur. Clem. 1. de procur. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 17. nu. 51.* cum ergo Collegium, neque ſinguli de collegio peccauerint nolendo acceptare, vel admittere officium procuratorium ad eligendum, dici non poſſunt contempſiſſe abſentem, qui proinde ius non habet reclamandi contra electionem, vt infirmetur. Intellige, niſi in hoc caſu adſit aliqua fraus, & malitia, tunc enim abſens agere poteſt ad infirmanda electionem, Lauorius citatus.

Quæres 3. An in illis religionibus, in quibus non eſt vſus mittendi procuratorem, poſſit quis illum mittere, & ſic introducere, & alij de collegio teneantur admittere conſtitutum procuratorem ab abſente legitime impedito?

10 Reſpond. Poteſt quis mittere procuratorem, niſi obſtet collegium, vel ſtatutum religionis, probatur ex citatis *c. 42. & 46. in 6.* in quibus locis indulgetur, neque his aduerſatur conſuetudo non mittendi, quia per non vſum, ſiue ex actu negatiuo, ſiue ex actu priuatu quis non perdit priuilegium, non enim in hoc apparet aliquis abuſus, neque culpa, conſequenter nulla ratio ſuadet illius perditionem, *Gloſ. Donec, cap. Abbate, de verb. ſignif. Benac. p. 7. de priuileg. §. V n. 5. & ego reſ. 32. de priuil. 1. 110. & 119. adde per Portellum v. Electio in Addit. 2.* non perdi priuilegium iuris communis, quale eſt hoc, per non vſum, ſed ſolum per contrariam legem, vel contrarium vſum, qui in caſu præſenti cadere non poteſt.

Dixi, *niſi obſtet collegium*, quia ex præcedentis quæſtionis reſolutione aperte conſtat ex c. 46. collegium poſſe contrariare, & eludere procuratorem.

11 Dixi, *vel ſtatutum religionis*, quia illi ſtandum eſt, quale extat apud Dominicanos, & Capucinos, teſte eodem *Capucino dub. 14. numero 11. Lauor tit. 4. de elect. capitulo 17. numero 66.* Neque tale ſtatutum habetur in mea religione, de quo poteſt dubitari capitulo primo, Regulæ illis verbis. *Declaramus præterea neminem ex Fratribus noſtris in eligendo Generali Viſitatore daturum, aut ſibi data accepturum fore ſuffragia, qui comitiis intereſſe recuſauerit, aut non potuerit, abſentium enim in tali electione nulla erit conſideratio.* Per huiuſmodi verba nullo modo excluditur conſtitutio procuratoris, cum nec nominetur, ſed mens capituli Generalis ibi ſtatuentis eſt conformis iure communi, *capit. Si quis 46. de elect. in 6. ad finem*, prohibenti electionem per literas, quibus ſuppletur reſponſio *ad quæſitum 20. reſolutione 26. in priori tom. huius operis vbi de hac re dixi, pag. 283. & 284.*

Quæres 4. An Conuerſus religionis Franciſcanæ, præſertim Tertij Ordinis, in qua illi admittũtur ad electionem diſcreti localis mittendi ad capitulum prouinciale, abſens à ſuo conuentu, & iuſte impeditus, vt quia e.g. eſt ruri habens curam alicuius fundi, & poſſeſſionis, poſſit mittere procuratorem?

12 Reſpond. Poteſt, quia citata capita conſtitutionem procuratoris admittentia loquuntur indiſtincte de quolibet habente ius ad eligendum, qui abſens, & legitime impeditus poteſt mittere procuratorem; ille autem conuerſus ſine dubio abſens eſt, & iuſte impeditus, cum extra conuentum ex obedientia ſuperio-

ris

eis detineatur pro negotiis conuentus, nec videtur posse relinquere ibi munus suum imperfectum cum periculo, & discrimine rerum monasterij.

Quæres 5. An dictus conuersus mittere possit in procuratorem alium nondum, vel non constitutum in ordine subdiaconatus, quod requiri dixi resol. 26. n. 60. doctoribus ibidem allegatis, mittitum alium conuersum, vel clericum?

13 Respond. Potest, quia iuxta doctoribus illis citata immediate diriguntur ad electores, non ad eorum procuratores, nisi in consequentiam, & ratione dictante, qui enim in procuratorem eligendus de se debet esse habilis ad suffragandum, quali non caret habilitate elector ipse, qui legitime impeditos non potest interesse electioni; modo cum conuersus (idem dic de clerico in minoribus tantum constituto) solius professionis titulo sit habilis ad vocem actiuam, consequens etiam est, vt pro se in procuratorem constituere possit alium correligiosum habilem, qualis est quiuis alius professus, licet non subdiaconus. *Vide Lauor. tit. 4. cap. 17. n. 47.*

Ex quibus infertur professum absentem, & impeditum non posse mittere quemlibet in procuratorem ad eligendum, sed necessariò debere mittere alium religiosum eiusdem religionis professum, siue sit de collegio, & familia eiusdem conuentus, siue alterius eiusdem ordinis, etiam alterius prouinciæ quia isti omnes dicuntur habiles ad suffragium præstandum in propria religione.

14 Quæres 6. An constitutus procurator, qui est de corpore capituli, ac proinde habens duas voces, iuxta superius dicta q. 3. possit propriam vni addicere nomine proprio, & alteram alij determinato ab electore absente? Et si enim *ex cap. Siquis 46. de elect. in 6.* casus decidatur affirmatiue, quando procurator habet in mandatis eligendi certam personam, quia per designationem certæ personæ factam ab electore absente, non cogitur procurator eamdem eligere nomine proprio, cum eidem non auferatur libertas suum dirigendi votum, in quem voluerit pro suo libito, nihilominus quia mandatum eligendi certam personam in illo capite §. Porro, non probatur, neque reprobatur, sed ibi narratur factum, quod accidere potest, & habet non lenem difficultatem contra forman electionis, quæ debet esse secreta, & fieri legitime, hoc est, in capitulo præcise ab omnibus capitulariter congregatis, quæ duo excluduntur per hoc speciale mandatum, cum electio non dicatur secreta, quæ procuratori notificata est antequam deueniatur ad illam in capitulo, neque dicatur fieri in capitulo per procuratorem, sed extra per ipsummet illum constituentem, ideo cum huiusmodi speciale mandatum tale non videatur, quale denominatur, sed potius sui voti expressio per literas, quod ante ipsum scrutinium faciendum non est, Sacra Congregatio, *teste Nicolao Garz. 5. de benef. cap. 4. n. 200. apud. Sigism. dub. 14. n. 9. Lauor. tit. 4. de elect.*

15 *cap. 17. n. 57. Barbosam ad cap. 6. sess. 25. n. 13.* decreuit tale mandatum speciale de eligenda certa persona non valere. Et sic quæstio non habet locum in casu hoc de speciali mandato, quod reprobatur, neque etiam respectu mandati generalis, vt dicit ibidem textus, nempe dirigentem vota ad diuersas personas nihil agere, & rationem reddit Glos. v. Nihil agit, quia qua conscientia tenetur eligere meliorem nomine suo, eadem ratione tenetur eligere eumdem nomine procuratorio, ad quod adducit cap. Sicut non suo, dist. 46 & regul. 67. in quibus locis dicitur. *Quod alieni suo non licet nomine, nec alieno licebit.* Et ea his difficultas in totum videtur sublata, nihilominus aliquid eius superest, dari enim casus potest, vt duo concurrentes sint pares meritis, & dignitate, consequenter videtur posse tuta conscientia dirigere vota proprium vni, & abentum alteri, neque hic necessaria est vnitas conscientiæ in ordine ad obiecta eligibilia, sed sufficit si conscientia non sit diuersa ex diuersitate meritorum secundum magis, & minus: Insuper qui mandatum dedit potest prohibere procuratori, ne det vocem certæ personæ, ad quam tamen inclinat procurator, & sic cum non priuetur libertate quo ad proprium ius, in diuersaire poterit; neque id obstat responsioni. S. C. de non eligenda certa persona, cum nulla cap. imatur in indiuiduo eligenda, sed tantum prohibeatur electio certæ personæ.

Respond. Vt supra, & sic tenent *Molin. de primog. lib. 2. cap. 5. n. 52. Gutier. cap. 11. n. 9. quæstion. Canon. Sigism. dub. 14. n. 8. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 17. n. 60.*

Quæres 7. An ordinatus ante legitimam ætatem sit priuatus voce actiua, & passiua? nam est suspensus saltem ab executione illius ordinis, quem suscepit ante debitam ætatem ex const. Cum ea sacrosanct. Pij II. 16 Suspensus autem non potest eligere, neque eligi, *cap. Cum dilectus 8. de consuet. cap. Cum inter 17. de elect. cap. Cum bona 8. de ætate, cap. Si celebrat 8. de cler. excom.* ergo neque ordinatus ante legitimam ætatem eligere poterit, neque eligi.

17 Respond. Ordinatus ante legitimam ætatem potest eligere, Probatur, quia non obstante illicita ordinis susceptione, sine dubio est valide ordinatus, ergo non caret ordine requisito ad eligendum, ius enim eligendi sufficit si sit fundatum in suscepto ordine, neque enim necessarium est, vt possit licite exercere actum illius ordinis, quem suscepit, cum non in exercitio, sed in ordine fundetur ius. Sic docent omnes *cum Rodriq. tom. 2. quæst. 51. art. 5. Lauor. tit. 4. de elect. capitulo 15. numero 37. Peyrin. de Subd. q. 1. cap 31. §. 8.*

Ad rationem dubitandi dico, cum ius suffragandi pendeat non ab exercitio ordinis, sed ab ipsomet ordine, non est cur ordinatus ante legitimam ætatem non possit suffragari in electionibus, cum aliud sit suspendi ab exercitio ordinis, aliud suspendi à voce danda in electionibus præsertim in casu nostro, cum suspensus, eo quod ordines suscepit ante legitimam ætatem, non sit simpliciter suspensus, sed tantum impeditus exercere actum illius ordinis, quem male suscepit, vt probo resol. 67. Ad hoc autem vt suspensus careat 18 voce, necesse est, vt simpliciter sit suspensus, & talis etiam denuntiatus, & declaratus, ratio est, quia suspensus simpliciter nullum actum ecclesiasticum, & legitimum, cuiusmodi est datio, & receptio vocis in electionibus, facere potest. Ita docent Sigism. dub. 67 *n. 6. Lauor. tit. 4. cap. 15. n. 61. Peyr. de Prælato q. 2. cap. 5. §. 1.*

19 Notandum autem, ius tam actiuum, quam passiuum eligendi inter regulares prouenire proprie ab ipsa professione, vnde S. C. declarauit suspensum à diuinis posse eligere, *Barbos. Bull. v. Præcedentia pag. 604.* vnde qui non est saltem tacite professus non potest eligere, vt expresse dicitur, *c. Ex eo 32. §. In eccl. de elect. in 6.* Ad vocem vero passiuam nullus admitti potest nisi sit expresse professus, *cap. Nullus 28. eod. ex* quibus colligitur vtrumque ius electionis fundari in professione; quod vero nullus eligere, vel eligi possit inter regula- 20 res, nisi vel sit subdiaconus, vel sacerdos, id non dicitur tribuere ius, sed est conditio, sine qua non potest professus exire in actum suffragij dandi, vel recipiendi, nisi sit initiatus ordine requisito, & ratio ea potest esse, quia ad huiusmodi actus legitimos canonicarum electionum non quilibet religiosi professi assumendi sunt, sed tantum digni, & aliquo ordine sacro cohonestati, maxime sacerdotio, quo munere fungi habent electi ad prælaturas, vt constat de superioribus Generalibus Prouincialibus, & localibus, qui nisi in sacerdotio constituti suo commode, & vtiliter fauore subditorum vti nequaquam possunt.

Quæres 8. An electio, qua vnus eligit alterum sub conditione si ab ipso electo eligetur postea ipse eligens, sit simoniaca vt si dicant, *eligam te in Priorem, si me eliges in Prouincialem*, an secura ex vtraque parte ele-

ctio, seu etiam ex altera tantum, altero deficiente, sit simoniaca? Videtur Simoniaca huiusmodi electio primo, quia id colligitur ex cap. *Quæsitum*, de rerum permut. vbi dicitur, quod permutatio rerum spiritualium ex pacto interueniente est simonia. Secundo, quia officia regularia non sunt pure spiritualia, cum

21 habeant admixtum saltem aliquoid temporalitatis, consequenter deducitur in pactum temporale pro spirituali. Tertio in cap. De hoc, de simon, damnatur simile pactum, dabo tibi suffragium in hac electione, si mihi dabis in alia, tamquam simoniacum. *Peyrin. in terminis. In Formul. lit. E. cap. 7. n. 11.* & quod non

22 possit fieri permutatio rerum spiritualium sine simonia docent *Ricard. in 4. dist. 25. art. 3. q. 1. ad. 1. Silu. v. Simonia q. 16. in fine, Armill. n. 42. P. Nauar. de restit. lib. 2. cap. 2. c. 386. apud dictum Peyr. n. 9. Portel. v. Simonia n. 1. Nau. cap. 23. n. 100. §. Secundo, Rodr. tom. 3. q. 63. art. 4. cum suo Compend. resol. 129. n. 3.* notanter requirit pactum expressum, & promissio suffragandi si aliter suffragabitur. *Diana de dub. regul. res. 125.* Quibus non obstantibus placet sententia *Sanch. tom. 1. opusc. lib. 2. cap. 3. dub. 44. n. 3.* (apud quosdam videtur opus adulterinum) sustinentis non esse simoniam sic pacisci. *Dabo tibi meum suffragium, si tu dabis mihi tuum votum.*

23 Respond. Electio huiusmodi non est simoniaca, Probatur, Tum quia Simonia est studiosa voluntas emendi, vel vendendi spirituale, vel spirituali annexum, ex communi opinione recepta *apud D. Thom. 2. 2. q. 100. art. 1. & alios Theologos in 4. dist. 25. Canonistas in Rubr. de simon.* Sed emptio & venditio sine pretio non consistunt, *Instit. de empt. & vend. §. Pretium autem, & l. 2. § Sine ff. eod.* in casu autem nostro nullum pretium datur, neque promittitur, vt notum est, ergo non committitur simonia. Tum quia iura prohibentia pacta, & conuentiones, ex quibus potest sequi simonia loquuntur de pactis, & conuentionibus, vel pretio æstimabilibus, vel pretio adnexis, seu alteri rei temporali, vt videtur est, *cap. Quam pio 1. q. 1. cap. Cum pridem 4. cap. Cum clerici 6. cap. fin. de pactis, cap. Tua 34. de simon. & sequen.* in quibus semper exprimitur pretium, vel aliquid temporale, Tum quia spirituale cum spirituali permutari potest, *Glos. v. Temporalia cap. fin. de rerum permut. per cap. Ad q. eodem, & cap. Statuimus de transact.* sed in casu nostro de nullo temporali tractatur, ergo excluditur omnis simonia.

Ad obiecta respondetur, ad primum in cap. Quæsitum, dicitur non posse fieri permutationem præbendarum præmissa pactione non solum ex interuentu pretij, quod simoniam importat, verum etiam neque si nullum interuenerit pretium, quia id est quædam alienationis species prohibita fieri sine licentia, cap. Alienationes 12. q. 2. Ad secundum dico officia, & prælaturas regularium esse mere spirituales, aliter

24 officiales, & prælati easdem acquirentes sibi titulo electionis euaderent proprietarij, neque enim propriæ, & in rigore beneficia sunt, *Rodr. tom. 2. q. 26. art. 2. Barbosa in collect. to. 3. lib. 5. extr. 2. n. 9. Peyr. de subd. q. 1. cap. 31. §. 9. dicto 21. Azor. part. 3. lib. 12. cap. 21. q. 6. Bonac. de simon. disp. 1. q. 7. §. 2. n. 4. apud Dianam part. 4. tract. 4. resol. 156.* beneficium enim proprie acceptum dignoscitur ex tribus, primo ex obligatione adnexa recitandi Diuinum Officium; secundo ex perceptione fructuum; tertio ex eo quod perpetuo conferuntur, nullum autem prædictorum reperitur in officiis regularibus, vt de se hoc patet. Ad tertium dico, colligi ex verbis textus præsertim finalibus interuenisse pactum pecunia, vel quid temporale connexum.

25 Nec demum obstat, quod cap. fin. de pactis, & alibi multis in locis iuris canonici omnino prohibeantur quæcumque pacta, & conuentiones tamquam turpia, quia licet hoc sit peccatum, & subornatio quædam illicita maxime in electionibus, quæ liberæ, & sinceræ esse debent, tamen hinc potest recte inferri, huiusmodi pactiones, & subornationes indigere simoniam, quando illis nullum temporale admiscetur; solum ergo manet dicendum huiusmodi promissiones esse illicitas, & peccata.

Quæres 9. An regulares, & quiuis alij electores prætermittentes iuramentum de eligendo digniore peccent mortaliter, vel excusentur ex ignorantia, vel ex præscriptione non iurandi.

26 Respond. Vbi receptæ fuerunt constitutiones Clem. VIII. de reformatione regularium prætermittentes iurare electores non videntur peccare mortaliter; vbi vero non fuerunt receptæ nullo modo peccant electores. Probatur primum ex verbis ipsorummet Decretorum Clem. VIII. sub n. 36. illis verbis. *Iurentq; electores secundum veritatem cuiusque conscientia probiores, ac magis idoneos se electuros.* Notandum est verbum,

27 *Iurent* modi imperatiui, nam verba modi imperatiui non habent vim obligandi ad culpam mortalem, docent *Caiet. 2. 2. q. 66. art. 4. in solut. ad 2. Castrus de lege pœn. lib. 1. cap. 5. docum. 4. Carbo de legib. lib. 7. disp. 4. fin. Sayr. lib. 3. cap. 7. n. 16. Nauar. cap. 23. n. 46. Sa lex cum quibus à se citatis est Diana part. 4. tract. 4. resol. 5. §. Sed restat.* Quare cum verbum illud

28 *Iurent* sit modi imperatiui non potest inferre contra transgressorem peccatum mortale. Vbi vero præfata constitutio recepta non est, nullum est peccatum prætermissio dicti iuramenti, vt videtur insinuare *Sigism. dub. 26. n. 4.* Et in multis religionibus non omnes constitutiones receptæ fuerunt, sed aliquæ non, aliæ vero sic.

29 Et quamuis confirmatæ fuerunt à successoribus, nihilominus confirmatio subintelligitur iuxta illarum obseruationem, ita quod confirmatio intelligitur cadere supra decreta, quæ apud regulares sunt in vsu, non vero supra reliqua, quæ vsu religiosorum recepta non fuerunt, neque enim Papa confirmat, nisi quod antea firmum erat, *cap. Ad nostram 5. cap. Porrecta 6. de confirm. cap. Inter dilecta 6. §. Cæterum, de fide instr.*

30 Cum autem in omni capitulo adsit aliquis præses, seu superior, & caput, is defert iuramentum electoribus, qui de more religioso iurare debent in pectore suo, & sic communiter practicatur præsertim inter regulares. Quod si & ipse caput sit elector ipsemet iurat aliis sentientibus, & videntibus, licet ab alio ipsi iuramentum non deferatur cum in capitulo non habeat superiorem, qui illius possit recipere iuramentum. Vide *Sigism. dub. 26. Lauor. tit. 4. c. 19. nu. 48. ad 53. Peyrin. Formul. lit. E. c. 2.*

Quæres 10. An possit quis refragari indigno præcise ex eo, quod illum indignum cognoscit ex sacramentali confessione? Affirmatiue tenent *Nauar. tom. 2. in cap. Humanæ aures q. 1. n. 5. & tom. 3. cap. Sacerdos dist. 6. de Pœnit. n. 147. Regin. lib. 3. de Sigillo n. 33. Sanch. lib. 3. disp. 16 n. 6. Suar. tom. 3. in part. 3. disp. 33 sect. 7. n. 12. & cum istis Peyr. de Subd. q. 1. cap. 31. §. 2. q. 1.* quia saluo secreto sacramentali potest indemnitati fratris animæ consuli, qui doctores cum aliis sustinent, quamuis possit negare suffragium non tamen teneri, sed posse suffragari, cum quibus à *Peyr. citatis sunt D. Thom. in 4. dist. 21. q. 3 art. 1. quæstiuncula. 1. ad 3. Rodr. tom. 2. q. 53. art. 4. apud dictum Peyrinum.*

31 Respond. Elector nequaquam vti potest scientia indignitatis eligendi negando illi suffragium. Tum quia omnibus modis procurandum est, ne pœnitentes retrahantur sub quouis prætextu etiam bono ad hoc sacramento Pœnitentiæ tam necessario fidelibus, quod sine dubio accideret, si fideles scirent, confessarium posse vti scientia, confessionis ad actus externos, quamuis alias sigillum non frangeretur, illud enim solum multum onerosam redderet sacram confessionem scientibus, confessarium posse vti cognitione confessionis ad

exteriuam

externam gubernationem. Tum quia Clem. VIII. in decreto casuum reseruandorum à superioribus regularibus, id prohibuit illis verbis: *Tam superiores pro tempore existentes, quam confessarij, qui ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissime ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur*. Sic docent *Rodr. tom. 2. q. 53. art. 4.* quicquid illum pro se citat *Peyrin. immo idem tenet Sarob. cit. n. 4. si bene legatur, & quamplures citat Diana resol. 76. tract. 4. de sacram. part. 2. Compend. resol. 58. de elect. n. 33. Sigism. dub. 37.* Ad rationes aduersariorum videtur respondere posse dignitatem tanti sacramenti præponderare cæteris quibuscumque etiam ad vtilitatem publicam gubernationis, ne reddatur onerosum fidelibus, quo vnico post primam naufragij tabulam peccatores indigent remedio, quod vt promptiori animo recipiant cum omni securitate liberum semper conseruandum est ab omni suspicione fractionis sigilli etiam quamuis leuissima.

Quæres 11. An vnicus, vel alter elector possit cum omnibus aliis volentibus omnino eligere indignum, concurrere sine peccato mortali? Dicunt Sotus *lib. 3. de iustit. q. 6. art. 2. concl. 9. dub. 2. Lessius lib. 2. cap. 34. dubit. 13. n. 60.* in eo casu pauciores concurrentes cum maiore parte vocalium intendentium in electionē indigni peccare; & quia cooperantur iniquæ intrusioni personæ indignæ; & quia sic eligere est res intrinsece mala consequenter concursus ad illam non potest esse nisi iniquus. Et cum illis est *Peyrin. de Subd. q. 1. cap. 31. §. 2. q. 4. citans Vasq. opusc. de benef. cap. 2. §. 3. dub. 3. Vegam part. 1. Summæ, ca. 97. cas. 10. Bannes 2. 2. q. 63. art. 2. dub. 3. §. Sed contra, Portel. v. electio n. 20.* asserentes tamen licere suffragari minus digno, relicto dignissimo, vt euitetur electio indigni, quia id est consentire in bonum ad euitandum maius malum.

31 Respond. Quando maior pars omnino determinauit ad electionem indigni, si minor pars nullo modo potest impedire talem electionem, non tenetur sua vota dirigere in dignum, sed potest suffragari quodammodo materialiter indigno conformando se cum illis, ex quo nullum incurrit peccatum saltem mortale.

Quod non teneatur suffragari digno constat ex eo, quod nullus tenetur ad inutile, & vanum, *cap. 4. §. Ex his omnibus 23. q. 6.* neque ad actum vanum nulla lex obligare potest, *docet Sanch. lib. 2. disp. 38. n. 6. §. Tertio.* Quod nihilominus conformando se aliis non peccet suadetur. Tum quia in tantum peccat sic suffragando, in quantum est causa electionis; sed nullo modo est causa electionis, cum à minori parte non pendeat valor electionis, sed à maiori, *cap. Quia propter, cap. In Genesi, cap. Vt Ecclesia, de elect.* Tum quia causa remota non attenditur, sed proxima, quæ vere, & efficaciter influit in effectum *l. Sed & si plures §. In arrogato ff. de vulgat. & pupill. substit. l. Cum de hoc ff. de except. rei iud. Odrad. consil. 25. de sepult.* Causa autem proxima est maior pars, remota vero est 32 minor, ergo ea attendenda est in ordine non solum ad electionem validam, sed etiam licentiam. Facit dictū prophetę. *Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.* Et minor pars conformando secum maiori, quod secreto sine dubio contingere debet, non dicitur cooperari, & consentire, neque approbare illorum factum, sed tantum permittere ea materiali suffragatione votorum. Confirmatur, quia ex probatis non tenentur suffragari digno in tali casu, cum agant actum frustratorium, vt supra probaui, neque possunt renuntiare iuri suo, cum non sit priuatum ius, sed publicum totius collegij, ergo possunt fingere se indigno suffragari, licet formaliter non suffragentur.

Quæres 12. An religiosus electus in Papam sine vlla sui superioris regularis licentia licite papatum recipiat assentiendo electioni de se factæ? *Glos. v. Ad ordinandum 18. q. 2. cap. Quam sit*, dicit religiosum à Cardinalibus electum sine licentia sui superioris reuocandum esse ad claustrum, neque hanc supremam dignitatem posse acceptare dissentiente suo prælato.

33 Respond. In eo casu religiosus ad papatum assumptus per ipsammet electionem tantæ dignitatis fit sui iuris, consequenter cum nulli subdatur, a nullo habet petere licentiam assentiendi electioni de se factæ, & in hoc nulla debet esse dubitatio, cum papalis electio nullam admittat exceptionem, nisi in casu hæresis, *capit. Licet, de elect. & ibi doct. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 6. num. 35. Vide Peyr. de prælat. quæst. 3. cap. 4. numero 9.*

Quæres 13. F. N. in capitulo simul congregato pro electione superioris per notarium præsentem duo protestatus fuit super nullitate futuræ electionis, vnum inter vocales, adesse talem N. qui caret voce ad eligendum, vt constat fide autentica de hoc exhibita, quam tamen præsidens capituli, noluit videre, sed reiecit; alterum est, illum, quem prætendebant vocales eligere in prælatum, vt publica fama erat, esse illegitimum ex concubitu sacrilego natum, vt etiam de hoc literas testimoniales exhibuit; quæ tamen visæ non fuerunt à vocalibus; Qua protestatione non obstante deuenerunt statim ad electionem, ad quam accessit etiam ille, qui dicebatur carere voce, & electus fuit in superiorem à capitulo ille, contra quem facta fuit protestatio de illegitimate.

34 Quæres, inquam, an non obstante illa protestatione, valida fuerit electio tam ex parte illius, qui voce carebat, quam ex parte electi, qui erat illegitimus? Protestans autem noluit interesse, sed recessit, an iste possit agere de contemptu? Hoc postremum facile resoluitur dicendo non posse agere de contemptu, quia ille dicitur contemni, qui vel non vocatur, vel iniuste reiicitur, vel non expectatur vsque ad præfixum tempus, *ex cap. Quod sicut 28. de elect. de quo supra sub n. 3. 7. & 8.* ille autem protestans vocatus, expectatus reiectus non fuit, sed ipse voluntariè à capitulo recessit, ergo ex hoc capite electio perturbanda non est.

35 Respond. Electio nulla fuit sine dubio ex parte electi defectu natalium, vt omnes docent, & expresse dicitur, *cap. Cum in cunctis 7.* & si ibi sermo sit respectu Episcopi, præcise, sicut in *cap. Innotuit 20. de elect. cap. Cum Vinton. 25. eod.* doctores tamen extendunt ad quamcumque prælaturam, & docui *tom. 1. resol. 26. quæst. 2. n. 63. Tambur. tom. 1. disp. 5. quæst. 14. Peyr. de prælato quæstione secunda, capitulo 5. §. 9. numero 132.*

36 Restat videre an electio saluari possit, in casu, quo electus esset legitimus, & nullum alium haberet defectum, non obstante quod ad electionem concurrit ille, qui voce carebat. Et videtur quod non, Tum quia excommunicatus denuntiatus etiam solus cum aliis legitimis vocalibus concurrentes irritam facit electionem, *Nau. consil. 1. de elect. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 15. num. 45. Sigismund dub. 66. de elect. num. 5. Peyrin. de Prælat. q. 2. c. 5. n. 14.* de communi apud prædictos, quia excommunicatus eligere prohibetur, & eius electio nulla, *cap. Nos in hominem 49. q. 1. cap. 15. qui 18. de sent. excom. in 6. ad rem, cap. Ad probandum 24. de sent. & re iud. cap. fin. de procur. alia iura citantur à Lauor. cit. num. 43.* quæ tantum arguitiue de hac censura intelliguntur. Ratio est quia excommunicatus repellitur ab omnibus actibus legitimis, *cap. licet 14. de sent. excomm. in 6.* sed eligere est actus legitimus, *Glos. v. Eligentium cap. Vt circa 4. de elect. in 6.* ergo excommunicatus eligere non potest, quando est excommunicatus maiori; non vero minori, quilibet eligi non possit, eligere tamen non prohibetur, *cap. fin. de cler. excommun.* Ergo idem dicendum est

est de eo, qui priuatus est voce, excommunicatus enim ideo non potest eligere, quia caret voce. Tum quia incertitudo suffragij eius, qui caret voce vitiat electionem, ignoratur enim, an per suum votum consenserit in maiorem partem, an ab illa dissenserit. Nec dicas, aperiri posse schedulas suffragiorum, & sic videri, an eius votum sit computatum in numero necessario electionis, vel non, nam si non fuit computatum, sed habetur numerus sufficiens legitimorum vocalium tenebit electio, & reijcietur votum carentis iure eligendi; nam per apertionem schedularum vitiaretur magis, & redderetur nulla electio, vt docent omnes cum Lauor. *tit. 4. de elect. cap. 19. n. 94. & 95.*

Sed quoniam in casu præsenti constat electum ex 40. vocalibus concurrentibus habuisse vota 24. præsidens capituli fauere volens electioni iussit aperiri omnes schedulas à scrutatoribus, & constitit eum, qui voce priuatus erat, consensisse in electum, & quia adhuc eius votum erat superuacaneum ad valorem electionis, reiectum fuit, & sic remansit electus cum 23. votis legitimis, vnde à præside eius electio tanquam valida, & canonica confirmata fuit. Dum remanent probanda, votum est, dictas schedulas potuisse aperiri ea ordine præsidis, alterum est, votum illud nullum non infecisse electionem.

37 Illud de apertione schedularum ea legitima causa alias probaui *resol. 26. in tit.*, vnde in illis electionibus, in quibus dubitatur, electum sibi dedisse suffragium, eius schedula cum alijs aperienda est, vt appareat, an sibi vocem dederit, *dixit Bonacin. de elect. summi Pontificis quæst. 5 concl. 4. num. 11.* hinc dico rationem, cur in schedulis sub sigillo describeretur nomen vocalis, vt nimirum cognoscatur ille, qui caret voce, vel qui sibi scribit suffragium, in ordine ad valorem electionis.

38 Quod ea diligentia adhibita potuerit reijci illud votum nullum absque præiudicio electionis alias validæ, probatur per doctrinam *Ricardi in 4. dist. 18. art. 7. q. 1. ad 3. cum Suar. quem citant Sigism. dub. 66. num. 8. Lauorius tit. 4. de elect. cap. 15. num. 50.* Ratio est, quia cæteri vocales legitimi per se sufficienter poterant validam producere electionem, ergo frustratoria fuit datio suffragij illegitimi. Neque enim ratio suadet, vt si suo voto nulla ratione poterat prodesse eligendo, neque eodem obfuerit, sine quo siue legitimo, siue non poterat sequi valida electio.

39 Ad obiectionem de excommunicato euitando concurrente cum aliis dico siue scienter, siue ignoranter, seu ex violentia admittatur, hac eadem cautione, & diligentia adhibita non inficere electionem, sed reijci eius suffragium, & tenere electionem, quando eius votum non est necessarium ad electionem factam, eo quod electus habet omnia vota legitima, præter illud excommunicati, cuius votum sicut non est bonum, ita neque computandum in toto numero comparatiue ad maiorem partem pro consequutione electionis validæ, Nec admitto doctrinam Ricardi limitatam procedere in casu, quo excommunicatus concurrit aliis ignorantibus, aut scientibus, sed contradicentibus, quia eadem ratio militat in omnibus prædictis casibus. Nam ea cautione adhibita constat electum habere omnia vota necessaria ad valorem electionis, siue procurauerint alij vocales reijcere excommunicatum, siue non, & sciuerint illum esse excommunicatum. Et allegat. textus intelligendi sunt, quando votum excommunicati necessarium est ad valorem electionis, seu alterius negotij, aliter allata doctrina ex Ricardo nullius momenti esset, si excommunicatus quispiam ex se irritaret electionem, quando alias eius votum esset superfluum, & hoc patet *ex cap. cit. fin. de procur. & cap. Ad probandum de sent. & re iud.* in quibus illi iurati, & iudices necessario concurrebant ad illud mandatum procuratorium, & sententiam, & ideo vtrumque nullum fuit declaratum.

Quæres 13. An quis turbare possit futuram electionem allegando defectus tam ex parte eligentium, quam eligendorum, & qua ratione id præstare possit?

Resp. Potest, vt colligitur *ex cap. Vt circa 4. de elect.* 40
Tales autem defectus opponere debet, qui ordinentur ad impediendum electionem e. g. quod elector sit excommunicatus maiori excommunicatione non tolerandus, vel suspensus, &c. *Glos. v. Eligentium eod.* Vel quod eligẽdus similiter est excõmunicatus illegitimus, carens voce passiua, &c. In appellatione autem sua tenetur exprimere ea omnia, & singula in specie, quam intẽdit opponere contra electores, vel eligendos, aut formam electionis, iurando corporaliter, quod credit illa vera esse, & ea se posse probare, & non auditur turbator nisi super illis, quem expressit, nisi noua emergat causa, per quam inquirendum sit, quam antea ignorabat appellans, adiecto de nouo iuramento vt supra. Licet autem prædicta videantur habere locum ex dicto capite post factam electionem, nihilominus intelliguntur etiam ante factam electionem *ex cap. Si forte 11. eod. in 6.* vbi dicitur, quod si inter reliqua, quæ promouendo ad dignitatem obijciuntur, defectus scientiæ, vel personæ obijciatur, hoc ante omnia examinandum est, & si reperietur falsum id quod obiectum fuit, opponens repellitur à prosecutione negotij, & hoc statim peragendum est, ne differatur electio contra *cap. Ne pro defectu 41. de elect.* intra competentem terminum à superiore statuendum. Quod si opponens aliquem defectum, quem non potuit probare contra personam eligendam, seu electam, aut electorum est à beneficijs triennio suspensus, & perpetuo priuatus si se interim ad illa miscuerit. Hæc locum, quo ad pœnam, non videntur habere inter regulares, quorum officia beneficia non dicuntur, Tamen superior debet huiusmodi calumniatores priuare iure vocis, vt in eo puniantur, in quo deliquerunt. Vide *Sigism. dub. 48. de modo opponendi contra electiones. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 19 à num. 115.* 41

Quæres 14. An Prior, qui primo anno sui triennij non potuit residere nisi per modicum tempus, coactus recedere tanquam aduena à loco vbi erat Prior, occasione imminentium bellorum, manutenendus sit in officio, quamuis absens, & residere non possit: vel in futura congregatione alius eligendus sit in Priorem de illa patria?

Respond. Manutenendus est in Prioratu suæ ecclesiæ, quamuis in ea residere non possit, ratio est, quia nulla legitima ratione suaderi potest eum esse priuandum neque enim afflicto addenda est afflictio noua, *cap. Cum percussio 27. q. 1. cap. Sunt 42. dist. 3. de Pœnis. pena 9. §. fin. ff. ad leg. Pomp. de parr. c. d. iuxta illud,* Non consurget duplex tribulatio, *cap. Ex parte 5. de cler. ægr.* vbi per hanc regulam Episcopo ægrotanti datur coadiutor, & non deponitur ab officio, ita in casu nostro huic Priori dandus est Vicarius, qui loco eius gubernet conuentum, ea conditione, vt in omnibus ab eo dependeat. Caueat autem superior maior, ne nouum eligat Priorem, ipsum cassando, quia præterquam quod male faceret, veniret, approbare aliqua ratione factum minus bene Principis, qui illum coëgit exire de sua cognatione. Quid si Princeps Dei timoratus roget (hoc non solet accidere) seu significet superiori maiori, vt illum remoueat? in tali casu dandus sit illi Vicarius, vel nouus eligendus sit Prior? Dic vt supra, propter easdem rationes, quia recessus ex parte Prioris illegitimus non est, neque iniustus, ergo neque pœnam meretur. 42

Quæres 15. Quot, & qui casus, in quibus quis eligi non potest ad prælaturam? Multi sunt de quibus breuiter dicam aliquid.

Primus est defectus ætatis, de quo satis dixi pro singulis officiis *tom. 1. Resol. 21. Vide ibidem, ne idem bis repetam. Tamb. tom. 1. disp. 5. q. 9. Peyrin. tom. de prælato q. 2. cap. 1.* 43

Secundus est defectus professionis, electio enim non professi in Ecclesia regulari nulla est, non obstante quauis consuetudine, *cap. Cum causam 27. de elect.* vnde non 44

Monachus

Monachus in Prælatum regularem eligi non potest. *cap. Cum ad nostram 37. eod. cap. Nullus 28. eod. in 6* quia in Abbatem eligi non potest, nisi instructus regula Monachali, *cap. Officij tui 38. eod.* Non professus tamen postulari potest in abbatem, si subsit aliqua bona causa, cap. Cum monasterium 13. eod. extra si professus eligitur requiritur consensus sui superioris, *cap. Quorumdam 24. cap. Si religiosus 27. in 6. Tambur. tom. 1. disp. 5. q. 10. & 11.*

Tertius est defectus natalium, nam illegitimi electio ad prælaturas, & dignitates nulla est, ex allegatis textibus & Doctoribus *sub q. 13. num.*.... *Peyrin. de prelato q. 2. c. 5. §. 9. Tambur. tom 1. disp. 5. q. 4. 5. & sequen. de dispensatione super hunc defectum dixi tom. 1. Resol. 12. vide ibi.*

45 Quartus est defectus sacerdotij, nulla enim est electio eius in prælatum, qui caret sacerdotali dignitate, arg. cap. Cum in cunctis 7. de elect. Prælati enim animarum religiosorum curam habere debent, & illis administrare sacramenta, atque pro illis offerre sacrificium Concil. sess. 22. cap. 8. & cap. 1. sess. 23. & docet *Tambur. tom. 1. disp. 5. q. 12. Rodr. tom. 1. q. 15. art. 2. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 16. num. 12.* Regula mei ordinis cap. 1. ad finem. Ratio est, quia prælati regulares sub se habent sacerdotes, ergo & ipsi sacerdotes esse debent, alias absurdum esset sacerdotem esse subiectum non sacerdoti.

Quintus est defectus bonæ famæ notorius impedit, & attentatam irritat electionem, iuxta quod probaui supra *Resol. 56. q. 11. præsertim à num 54. & sequent. vide Peyrin. de prelato q. 2. cap. 5. §. 4. Tambur. tom. 1. disp. 5. q. 20. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 16. num. 99. Vide quæ dixi de prelato Resol. 26. num. 22.*

46 Sextus est defectus excõmunicationis tam maioris, quam minoris, cap. Postulatis 7. de maiori, cap. fin. de minori, cler. excom. min. & nulla est electio facta de excommunicato tam tolerato, quam uitando omnes *cum Lauor. tit. 4. cap. 16. num. 85. & sequent Sigism. dub. 65. & 66. Peyrin. de prelato q. 2. cap. 5. num. 2.* licet excommunicatio sit occulta, & ignoretur ab ipso, vel etiam ab electoribus docent *Lauor. num. 86. Peyrin. num. 4.* Minori tamen ligatis electio ipso iure nulla non est, sed venit irritanda, illo cap. fin. ibi Glos. ex citatis doctoribus, Lauor. num. 92. Peyr. n. 22. Septimus est

47 defectus suspensi ergo electio nulla est ipso iure, *cap. Cum dilectus 8. de consuetudin. ibi glos. citat cap. Cum bone, de atate Lauor. tit. 4. de elect. cap. 16. nu. 93. Sigism. dub. 67. Peyrin. de prelato q. 2. cap. 5. num. 29.* qui aiunt procedere siue sit suspensus ab ordine, siue à iurisdictione tantum, vel à iure, vel ab homine, Vide quæ dixi hic num. 8. & 18.

48 Octanus est defectus interdicti, qui non potest eligi, & electio attentata est nulla, *cap. Cum inter 18. de elect. cap. 1. de postul. prelat. alia iura citat Lauor. tit. 4. de elect. cap. 16. num. 96. Sigism. dub. 68. Peyrin. de prelato q. 2. cap. 5. §. 2.* Qui in loco interdicto celebrauit scienter non potest eligi, neque eligere, ex prælatis cum *Peyrin. num. 40.* Facta vero electio in loco interdicto tenet secundum veritatem apud prædictos.

49 Nonus est defectus irregularitatis, quæ nullitatem inducit in electionem attentatam, *vt dixi tom. 1. resol. 11. num. 1. & 2. Peyr. de prelato q. 2. cap. 5. §. 3.*

50 Decimus est aleatoris publici & consueti, qui est ineligiblis, & attentata est nullius momenti, qui isti reputantur infames, & ita fere omnes docent cum *Peyrino de prelat. quæst. 2. capit. 5. §. V. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 16. num. 112. per cap. Inter dilectos, de excess. prelat.*

51 Vndecimus est eius, qui consueuit se inebriare, cuius electio nulla est, *ex cap. Venter dist. 35. cum aliis iuribus citatis à Lauor. cap. 16. num. 79. Peyrin. de prelato q. 2. cap. 5. §. 5. num. 78. vbi plurimos citat d Dores.*

52 Duodecimo, amentium, & furiosorum, licet patiantur lucida interualla electio nulla est, ex *ca. Petrus dist. 39. c. Quamuis 7. q. 1. cum aliis apud Lauor. cit. c. 16. n. 37.* Sed de aliis, ne sim longior vide apud prædictos, *& Tambur. tom. 1. disp. 5. q. 21.*

Quæres 16. An Prouincialis, vel ad minus Generalis sine causa ex imperio voluntatis suæ possit priuare Priorem, seu Prouincialem suo officio?

52 Respond. Negatiue Resolut. 53.

Quæres 17. An absens eligi possit in Generalem, Prouincialem, Priorem, Definitorem, &c.

53 Respond. Nulli dubium est nihil de iure obstare, quin possit eligi absens, & ignorans futuram de se electionem, vt colligitur *ex cap. Quam sit 6. & cap. Cupiens 16. de elect. in 6.* Quia in electione electus nullam actionem nullum consensum dum præcise eligitur præstare debet, nisi in eiusdem acceptatione, quæ postmodum fit, ergo eius præsentia necessaria non est. Limitanda tamen est responsio respectu earum religionum, inter quas est mei ordinis, quorum electi prælati in ipso electionis capitulo exercere habent aliquos electionis actus circa alios postquam confirmati sunt; vnde in Prouincialem eligi non potest absens, quando in eodem capitulo, vbi eligitur, celebrandæ sunt electiones Priorum, & aliorum, ad quas ipse concurrere debet; Priores vero absentes, & Generales similiter eligi possunt quia isti ad electiones aliquas non concurrunt.

Quæres 18. An superior infirmitate detentus, aut simili impedimento irretitus legitimo celebrationem capituli, dietæ, seu congregationis tempore instante delegare possit cum electionibus in eo faciendis aliquem constituendo in præsidem capituli, qui, vices suas in eo exerceat.

54 Respond. Potest, probatur, Tum quia si simplex elector impeditus potest mittere procuratorem ad eligendum, & exequendum ea, quæ spectant ad electionem, quantum ad se spectat, *cap. Si quis iusto 46. de elect. in 6. de qua re supra hic q. 3.* eo magis superior, qui caput est electorum. Tum quia exercitium electionis est delegabile, *cap. Quia propter 42. eod. iuncta glos. verbo*, quare cum prælatus sit ordinarius suam potestatem quoad celebrationem capituli, & electionis vices suas alteri committere poterit. In literis autem commissionis superioris exprimere non poterit talem, vel talem personam à se eligendam, quia aliter esset nulla commissio, & secuta electio, quæ omnino debet esse secreta.

Sed an Generalis in tali casu impedimenti, quo tenetur Prouincialis, iure suo possit congregare capitulum, & præstare in eo quicquid spectat ad Prouincialem?

55 Resp. Generalem iure proprio potest supplere loco Prouincialis, eo quod huius iurisdictio ordinaria eminentiori modo comprehendatur in potestate Generalis. Non tamen potest impedire commissionem, quia maior non facit cessare minorem, nisi quando is ab eo de-

56 pendet in esse, & operari, cuiusmodi sunt vicesgerentes, Vicarij, & delegati, *Tuscus v. Maior concl. 16. Peyrin. tom. 2. priuileg. ad const. 7. Pauli V. num. 54.* sed Prouincialis non est Vicarius, neque delegatus Generalis, sed ordinarius de iure institutus, ergo præsentia Generalis non facit cessare Prouincialem à commissione.

Quæres 19. An censuratus inualide eligat, & eligatur?

57 Respond. Excommunicatus licet nondum denuntiatus inualide eligitur, *Ita Sigism. dub. 66. num. 2. Lauor. tit. 4. de elect. cap. 16. num. 85.* licet ipse, aut electores ignorent censuram. Si nondum sit denuntiatus valide eligit, seu cum aliis concurrit ad electionem *apud eosdem Sigism. num. 5. Lauor. cap. 15. nu. 44.* Suspensus simpliciter, vel ab officio tantum, aut etiam à beneficio ratione cuius vocem habet, si iam sit denuntiatus inualide elegit, *Sigism. dub. 67. Lauor. tit. 4. cap. 15. num. 61.* Suspensus vero etiam nondum denuntiatus eligi non potest, *Lauor. cap. 26. num. 93.* Demum interdicti arcentur

centur ab vtraque secundum doctores, quos citat *Sigism. dub. 68. & Lauor. cap. 15. de actiua 67. & cap. 16. de passiua num. 96. Vide supra num. 36.*

Quæres 20. An in collegio, seu conuentu vbi sunt tantum duo vnus alterum eligere possit, quando eligendus aliunde non est vocandus?

58 Respond. Non potest, ratio est, quia in hoc casu impossibile est seruare essentiam electionis, quæ est assumptio vnius ex pluribus ad minus ex duobus, quia pluralitas saluatur in duobus reg. 40. in 6. in casu autem præsenti non sunt duo, quorum alter possit eligi, eo quod si vnus eorum est Prior, iam eligibilis non est, si vero non sit superior adhuc alter eorum non est eligibilis, nimirum ille, qui habet eligere, non enim potest idem eligere, & eligi, cum nemo possit omni à seipso, ergo electio remanet tantum respectu vnius, quod est contra naturam electionis, quæ ex pluribus est vnius vocatio, vt multis probat Sigismund. de elect. dub. 1. & probatur Act. 1. de electione S. Matthiæ, ibi enim ita dicitur. *Oportet ergo ex his viris, qui nobiscum sunt congregati testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis; & statuerunt duos Ioseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Iustus, & Mathiam, & orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus vnum.* Ecce, quomodo electio est vnius ex pluribus. Ita docent *Nau consil. 6 de elect. num 4 Mirand. tom 2. q. 23. art. 5. concl. 21.* ea ratione, quia non potest seruari forma electionis, cap. Quia propter de elect. quæ est, vt maior pars consentiat in aliquam, hic autem non datur maior pars, nec minor, neque vota dicuntur secreta.

Contrariam sententiam multis citatis ex antiquis cum quibus est *Sigismund. dub. 24. n. 5. sustinet Pasqualigus decis. 253.* cuius ratio est, quia inter duos saluari potest vera ratio electionis canonicæ, quæ à doctoribus definitur alicuius personæ canonice facta vocatio, potest. n. ait, vnus alterum canonice vocare ad id, ad quod eligitur præmisso prudenti, & discreto iudicio de eligibilitate personæ, quod contingere potest duobus modis, vno, si vnus eligat, alter eligendus cedat iuri suo eligendi, hic autem erit electus à toto collegio, cuius potestas saluari potest in vno ex iuribus, & doctoribus ab eo citatis; altero modo contingit electio, quando electus consentit suæ Electioni augendo numerum seruando, quod præscribitur. *cap. Quam 18. q. 1.* nimirum, quod electio debet esse concors, non enim esse concors, si electus in alium consentiret; probat autem consensum in suam electionem auctione numeri non esse actum ambitiosum, quia ipse non incipit suam electionem, sed iam ceptam ab illo complet.

59 Definitio illa est bona si intelligatur bene particula illa, *Alicuius persona*, quæ importat personam in indiuiduo non certo, neque determinato, sed in indiuiduo vago, quod plures indifferenter significat personas, ex quibus per exercitium electionis vna determinatur, & assumitur ad officium, itaque eius definitio à nostra non differt, illius enim est vocatio vnius personæ, alicuius personæ, hoc est, ex pluribus assumptio vnius. Confirmatur, quia dicto, *Aliquis*, pluralitatem importat, & licet proferatur in numero singulari, apta est tamen comprehendere, & significare plures, & ideo æquiualet numero plurali, *Peregr. de fidei commiss. art. 19. num. 17. & art. 32. nu. 61. Fulgos. concl. 47. apud Barbosam dict. hac. 22.* Parum autem refert præmittere iudicium, & discutere de futura electione eius personæ, quæ necessario, & sola eligenda est, in quo casu sicut consilio non eget, cum in certis non multum sit consulendum Arist. 3. Æthic. Ita neque de electione diiudicare debet, quia necessitas, non stat cum libertate, quæ agibilium est fundamentum. In primo eius modo, in quo eligendus renunciat voci actiuæ non saluatur, quod dicatur electus a toto collegio, quia licet in vno tantum saluaretur ius actiuum, necesse tamen est, quod electio fiat vnius de pluribus, siquidem electio essentialiter accepta ex parte iuris passiui includit pluralitatem ex supra probatis. Secundus modus non videtur subsistere, quia supponit electionem non posse consistere sine illo accessu, & consensu, consequenter proprie qui consentit dicitur eligere seipsum, nec obstat, quod ipse non inceperit electionem, quia eam perfecit, & absoluit, quod maius est ergo vere seipsum elegit.

Ad rationem Nauarri ait seruari dispositionem, cap. Quia propter, quia in vtroque casu electio est à toto collegio. Dico esse quidem à collegio non tamen à toto collegio, quia nomen, *Totum*, dicitur cum ordine ad partes, quæ hic desunt ex parte eligentium, cum vnus tantum sit vocalis, & in cap. Quia propter fit mentio de maiori parte vocalium, qui habent consentire in eligendum, & in consequentiam respectiue ad maiorem partem non consentientem; maior autem, & minor pars indicant pluralitatem eligentium, quæ in casu præsenti deest. Hinc est, quod in religionibus vbi vocales non sunt numero sufficientes sibi superiorem non eligunt, sed prælatus maior prouidet de superiore.

Quæres 21. An ista quatuor sint de essentia electionis, videlicet datio suffragij, scrutinium, publicatio scrutinij, & electio? Datio autem suffragij, seu voti, vel vocis est, cum quis habens ius eligendi suam voluntatem declarat voce, vel scripto velle talem esse eligendum in prælatum, superiorem, seu officialem in tali loco, Ecclesia, seu monasterio, & vocatur votum, suffragium, consensus in eligendum, vt colligi potest ex toto titulo de electione. Scrutinium autem est exquisitio, seu conquisitio facta à scrutatoribus, qui singulorum vota data diligenter videre, & considerare debent, vt inde colligant, quis inter competitores habeat maiorem partem votorum, & quoniam vota debent esse ita secreta, vt etiam à scrutatoribus ignoretur cuiusnam sint singula suffragia in scriptis oblata sibi, ideo in consideratione votorum attenditur solum excessus in numero, vt ille solum eligatur, in quem maior pars consensit *ex ca. Quia propter. 42. de elect.* illa enim maior, & sanior dicitur, quæ medietatem excedit, *Glos. v. Assensu, cap Vn. De sed. vac. in 6.* & quando proceditur per vota scripta, non potest scrutatio fieri per collationem zeli ad zelum, neque quis vocalium sit sanior; vnde semper statur excessui votorum, siue respectu vocalium, siue eligendorum. Et caput quia propter interpretari potest, quando electio agitur viua voce, loquendo in ordine ad vocales. Et quod comparatio zeli ad zelum, meriti ad meritum non fiat in electionibus respectu eligendorum, sed præcise attendatur excessus numeri suffragiorum, ea potest esse ratio, quia in electionibus semper electoribus proponuntur plures digni, si non æque, saltem parum inæqualiter, vnde huiusmodi collatio supponitur facta per ipsam propositionem eligendorum. Tertium est publicatio scrutinij, non enim sufficit, quod soli scrutatores sciant quot voces habuerint competitores, sed id totum notum faciendum est omnibus vocalibus simul congregatis, vt colligitur *ex eodem cap. Quia propter & ex cap. Publicato 58. de elect.* vbi dicitur, quod scrutinio publicato electores non possunt variare sua vota, sed debent prosequi electionem, quod est quartum, in quo electio perficitur, & absoluitur, neque enim per dationem vocis, neque facti scrutinij, neque eiusdem publicatio est facta electio, quia per dationem suffragiorum omnino occultorum vocales ignorant electionem, consequenter nondum censetur facta, neq; per scrutinium, aut illius publicationem, quia præter collationem ad inuicem, & illius publicationem nulla censetur facta electio, cum ambo referantur ad consensum, quæ formaliter electio non est constituens formaliter in communi expressione vnius vocalium nomi-

60

ne

ne proprio, & singulorum vocalium iuxta quod *dixi resol. 26. n. 86. & 87.* quod colligitur *ex cap. In Genesi 55. eod. cap. Sicut 21. eod. in 6. cap. Cum ab vno de ro ind. in 6.*

61 Respond. illa quatuor modo explicata sunt de substantia electionis, vt colligitur ex *cap Quia propter 42. de elect. illis verbis. Assumantur tres de Collegio fide dignis, qui secreto, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant.* Ecce duo priora suffragium, & scrutinium. *Et in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus obstaculo appellationis interposito.* Hæc clausula continet tertium, quod est publicatio scrutinij *Vt his collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior, & sanior pars capituli consentit.* Ecce electio demum facienda, & talis declaranda iuxta quod supra diai, aliter nulla est electio defectu formæ non seruatæ, & quia vere neque attentata fuit, de nullitate dicitur ibidem sic. *Aliter electio facta non valet.* Singulorum igitur defectus viciat electionem, & defectus quarti est formaliter non esse ipsius electionis.

Quæritur 22. responsio sequentis casus.

P. Magister Antonius à suis Aduersariis prætenditur priuatus voce actiua, & passiua, ac proinde non posse concurrere ad electiones proxime faciendas in futura Congregatione, ea autem priuatio asseritur ab eo incursa, eo quod cum esset Procurator alias Conuentus SS. C. & N. male se gessit controuertendo se confessorem nonnullarum pecuniarum, in quibus postmodum declaratus fuit debitor per sententiam, propterea fuit effectus in perpetuum inhabilis, vt in cap. 8. Constitut. Ordinis, & sic etiam incapax vocis actiuæ, & passiuæ, vt in Actis secundæ Congregat. General. §. *Nullus prætextus.* Attento etiam, quod bona dicti Monasterij vltra triennium locauit, contra Extrauag. & Decretum, *de reb. Eccles. non alien.* quæ præfatam priuationem vocum infligunt contra male alienantes.

62 Dictus P. Gatinara non potest prohiberi, nec impediri ab exercitio vocis actiuæ in ea Congregatione, in qua suffragium suū dare potest, non obstante dicta querela.

63 Primo quia querela data, & ea ea sententia nondum secuta non tollit ius quæsitum, quod habet dictus Pater ad suffragandum. *Host. Ioann. Andr. & Felin in cap. Meminimus de accusat. cum illis Lanor. tit. 4. cap. 15. num. 73.* quia inquisitiua pendente querela potest interuenire electioni, à qua non est remouendus nisi post sententiam, & per sententiam, & in hoc est differentia inter vocem actiuam, & passiuam, quod probata querela ante sententiam repellitur promouendus, non potest vero repelli ille; qui est in possessione, suffragandi, nisi, per sententiam deiiciatur à sua possessione, querelatus ergo non impeditur ante sententiam ad suffragandum, sed tantum à promotione *cap. Omnipotens 4. de accusat. Ego resol. 26. num. 22.* Quare P. M. impediri non potest à functione suffragandi.

64 Secundo, quia causa de reddendis ratiociniis coram deputatis à Reuerendissimo Generali tunc temporis, fuit ciuilis, potest enim causa esse de crimine, non tamen criminalis *cap. Super his 16. de accusat.* non criminalis, quod constat, quia per eam sententiam, quod erat debitor conuentui, nulla ei imposita fuit pœna, quare nullatenus erat querelandus tanquam criminis reus, cum reuera non fuerit culpabilis.

Tertio, textus constet in quo querelans fundat suam intentionem nihil habet contra P. M. nam verba sunt hæc: *Quel Priore, à Procuratore, che sarà conuinto di fraude nel vendere ò comprare, ò in qualche altro modo nel libro, dourà subito esser deposto dall' officio, & l'ho dichiariamo inhabile in perpetuo, & dourà star carcerato sin tanto, che haurà risarcito il fraudato.* Ex quibus constat ad has pœnas incurrendas requiri fraudem

65 primo, de qua non constat, cum differentias inter conuentum, & P. M. consisteret in eo, quod alter eorum prætendebat se creditorem contra alterum, in quo non datur fraus. Secundo, non fuit depositus ab officio, vt petit iste textus, ergo non fuit fraus. Tertio inhabilitas tanquam effectus depositionis non potest afficere P. M. cum non fuerit depositus, ergo neque factus inhabilis. Quarto inhabilitas refertur ad simile officium, à quo officialis deponitur, ad quod amplius promoueri non potest, hic autem non agitur de promotione passiua, sed tantum actiua, ergo & hæc vltima responsio vti elata, & palpabilis sufficere debet ad conuincendum aduersarium, qui dum sibi contraria prodigit honorem, nimirum sit proprij, quem paruipendit, dum pro nihilo habet alienum.

Quarto §. *Nullus, constit. Congreg. 2. Gener.* locum habet respectu illorum, qui per aliquem actum intendunt sibi acquirere ius ad suffragandum, quod non procedit in casu nostro, in quo Aduersarius prætendit excludere illum, quem constat alias esse legitimum vocalem, & non intrusum in possessionem per aliquem actum suffragandi, quem facere non poterat.

66 Quinto, quod spectat ad Extrauag. *Ambitiosæ* palam est, in ea nullam fieri mentionem de priuatione vocum, sed tantum officiorum, vt patet eam attentè legenti. Et cum in ea nulla fiat mentio de inhabilitate, certum quasi est, P. M. ex hoc capite esse in iure, & possessione vtriusque vocis, Imo esto P. M. esset priuatus omnibus officiis, adhuc ius conseruaret ad suffragandum, ea ratione, quia actiua non ordinatur ad officia recipienda, sed ad danda tantum, *Nuldus v. Religiosus num. 47. Ego resol. 58 num. 60.*

Demum Decretum, quod videtur vrgere, dum in eo transgressores eius priuantur vtraque voce, cum inhabilitate perpetua ad officia, non obstat, quia cum simus in odiosis eius verba stricte, & formaliter intelligenda, constat autem illud attente legentibus, & intelligentibus, nullam mentionem in eo fieri de Procu-

67 ratoribus, sed tantum de Capitulis Prouinciali, seu Generali, & Superioribus, quibus nominibus non venit Procurator. Quare Reuer. Pater Generalis attentis supradictis fauere debet P. Gatinaræ absoluendo eum ab impensis, declarando obiecta non impedire eius concursum ad suffragandum in Capitulo.

Subiicitur Decretum seruandum in querelandis electoribus, & eligendis tenoris sequentis.

Fabricius diuina miseratione tit. S. Augustini S. R. E. Presbyter Cardinalis Verullus nuncupatus totius Ordinis S. Francisci Minorum obseruantiæ, Protector, Corrector, & Gubernator.

68 *Ad tollendas inquietudines prædicti Ordinis, quæ in Capitulis Prouincialibus ob vocalium priuationem oriuntur, facto verbo cum Sanctissimo Domino nostro, renouamus Decretum Prælatorum Visitationis, & Reformationis Apostolicæ emanatum sub die 24. Octobris anno 1601. quod est tale.*

Priuationis vocis actiuæ, & passiuæ, ac inhabilitatis decreta, sententiæque ad eisdem Superioribus Ordinis latæ, ne deinceps in ipso electionis actu pronuncientur, promulgenturve, atque ea promulgata, vocales minime afficiunt; nisi per mensem ante fuerint parti intimata, Sanctitas sua omnino vetuit.

Quod Decretum omnino seruari mandamus sub pœnis nostro arbitrio infligendis contrauenientibus; concessionem vero, seu declarationem prædicti Decreti in contrarium factam à Sanctitate sua sub die 26. Nouembris 1606. de eiusdem Sanctitatis tunc mandato suspendimus. Datum Romæ ex Ædibus nostris die 27. Maij 1616.

F. Card. Verullus Protector.

RESOLVTIO LXII.

De Alienatione Rerum Ecclesię.

SVMMARIVM.

1 *Domus pretium conuerti potest in censum.*
2 *Terrula alienari possunt non obstante decreto S.C.*
3 *Domus illocabilis libellari potest.*
4 *Confraternitatum bona subduntur solemnitati de iure.*
5 *Licentia vendendi dari potest donatori vrgenti ad inopiam.*
6 *Alienatio necessaria non prohibetur à iure.*
7 *Donatio inferens paupertatem reuocatur.*
8 *Donatarius tenetur alere donatorem pauperem.*
9 *Legatum missarum renuntiari potest tertio.*
10 *Industria personæ non dicitur electa respectu corporis politici.*
11 *Reliquias alienans non subditur pœnis contra alienantes.*
12 *Reliquias vendere simonia est.*
13 *Reliquiæ alienantur de licentia conuentus & maiorum.*
14 *Reliquias furans nullas incurrit pœnas.*
15 *Boues aratores vendi non possunt.*
16 *Generalis alienat de conuentu ad conuentum* 17.
17 *Pretiosum paruum non attenditur ad valorem* 24. *aureorum.*
18 *Minores distrahentes librariam sunt excommunicati.*
19 *Libraria vendi non potest extrauaganti obstante.*
20 *Pecunia data ad causam fit statim immobilis.*
21 *Nec; id moueri potest per clausulam, vt non fiat stabile.*
22 *Rem de nouo fieri Ecclesiæ stat dupliciter.*
23 *Bona de nouo acquisita non possunt alienari.*
24 *Pecunia sub censu, vel cambio accipi non potest.*
25 *Pœna extrauagantis, & Decreti numerantur.*
26 *Relaxantur à solo Papa pœna Decreti.*
27 *A superioribus vero pœna extrauagantis.*
28 *Inhabilitatem nullam continet extrauagans.*
29 *Vtique decretum solum officiorum obtentorum.*
30 *Casus quibus alienatur sine licentia S.C.*
31 *Etiam post eiusdem decretum prohibitiuum.*
32 *Incorporatum dicitur instrumento acceptatum.*
33 *Moniales non comprehenduntur sub decreto.*
34 *Priuilegium Parmense alienationis*
35 *Ius Saluiani est vendibile sine licentia.*

DE hac materia fusius egi tom. 1. huius mei operis sub resolutione vigesima septima, sed quoniam postea nouæ mihi acciderunt difficultates, ideo aliud consilium proposui cum nouis dubitationibus resoluendis in sequentibus quæsitis.

Quæres ergo 1. An vendi possit domus, seu fundus, & ex pretio emi census.

Respond. affirmatiue, Tum quia is contractus non 1 dicitur proprie alienatio, cum non sit distractio rei venditæ, in quo videtur attendi prohibitio alienationis, vt videre est in extrau. comm. Ambitiosæ, de reb. Eccles. non alien. ibi: *Aut cum maximo illorum, ac diuini cultus detrimento exquisitis mediis vsurpare præsumunt.* Et in Decreto Sacræ Congreg. à me extenso dicta resol. 27. pag. 235. ibi: *Rerum experimento edocta, quantum, religiones accipiant detrimenti ex bonorum immobilium, & pretiosorum mobilium distractionibus.* Summi ergo Pontifices moti fuerunt ex detrimento, quod Ecclesiæ patiebantur, prohibere earum bonorum alienationem; sed in casu nostro nullũ est detrimentum, immo maior vtilitas, vt probo mox, ergo non cadit sub dispositiua prohibitione. Tum quia in *cap. Sine exceptione* 51. 12. *q.* 2. negatur alienatio quidem, sed non quæ vtilis est Ecclesiæ ibi: *Nisi forte aliquid horum faciat, vt meliora prospiciat*: vnde ad hoc *glos. v. Alienare, cap. Nulli* 5. *de reb. Eccl. non alien.* decretum huius prohibitionis limitat, non habere locum pro vtilitate Ecclesiæ; sed notum est apud omnes in euidentiorem vtilitatem esse censum, quam sit domus, & fundus, cum semper magis vtilis sit census, quam domus, & fundus, ex his enim vix tria, aut quatuor percipiuntur, ex censu vero septem cum dimidio ex quolibet centenario. Tum quia census non est subiectus tot euentibus fortunæ sicut est domus, & fundus. Tum quia domus est subiecta combustioni, non sic census, cum imponatur fundis.

Quæres 2. Sacra Congregatio inhærendo, *cap. Terrulas* 52. 12. *q.* 2. vbi Episcopo, consequenter etiam prælatis regularibus conceditur, posse sine consilio fratrum distrahere terrulas, aut vineolas exiguas, & Ecclesiæ minus vtiles, aut longe positas, *vbi glos. v. Exiguas*, explicat non valentes vltra viginti solidos, declarauit illas dici terrulas exiguas, & paruas, quæ in pretio non excedunt aureos vigintiquatuor, *vt refert Naldus v. Quantitatis n.* 6. responsum fuisse Episcopo Fauentino anno 1601. rem vero pretiosam quæ excedit valorem vigintiquinque aureorum ex *Compend. Priuileg. Theatin. v. eod. §. Ad quam.* Quæres, inquam, sermo sit de portione terræ, seu petiola terræ ab aliis partibus, & agris fundi diuisa, & separata non contigua, & vicina toti possessioni, sed remota? An vero possit etiam vendi aliqua pars vnius agri, seu fundi, quæ importet illud pretium, & non plus, licet totus ager valeat quinquaginta, vel centum aureos? Obserua autem dictum cap. Terrulas non posse derogatum per extrauagantem, *Quar. v. Alienatio* 41. neque per decretum Sacræ Congreg. notat Nald. ad dictam extrauagantem.

Respond. Terrula, seu vineola, & similis petiola, 2 vt aiunt, terræ distrahibilis, & non subiecta prohibitioni debet esse separata, & aliquo modo dissita, & remota à corpore possessionis. Probatur, Tum ex citato cap. Terrulæ ibi: *Aut longe positas paruas.* Tum quia si posset vendi pars vnius magni agri, ex eo quod illa non excedit illum valorem, paulatim totus ager, seu possessio maximi valoris distrahi posset cum magno Ecclesiæ detrimento, non enim est maior ratio de vna parte, quam de aliis, ergo vendi non potest, nisi sit separata. Tum quia non potest vendi vnus liber, licet exigui pretij, quia facit vnum quid pretiosum, & maximi pretij cum tota libraria, de qua re bene *Peregr. Compend. Theatin. v. Alienatio dub.* 3. ergo neque petiola terræ quantumuis exigue aliis agris continua, & vicina, cum quibus facit vnum corpus possessionis. Confirmatur, quia connexorum idem est iudicium, *ex cap. Si quis* 7. 1. *q.* 3. *iuncta glos. v. Neutrum, ex cap. Quanto* 3. *de iudic. ex cap. Translato* 3. *de constit.* vnde prohibito vno illorum prohibetur alterum *Glos. v. Subrogari cap. Hæc quippe* 9. 3. *q.* 6. quia pro vno reputantur, *Glos. v. Annexi, cap. Cum singula* 32. *de præbend. in* 6. Quare petiola terræ vnita, vel vicina vni fundo, vel possessioni distrahibilis non erit, cum eodem iure censenda sit, quod iudicatur totus fundus, qui prohibetur alienari.

Quæres 3. An quidam superior regularis domum pretio librarum mille sic æstimatam, quam post contagium vsque modo nunquam potuit locare alicui, opportuna occasione possit libellare tali pretio, quod non inueniret, si valet eam locare, reseruãdo sibi illius hypothecam in euentum, quod libellarius non solueret taxatam pensionem?

Respond. Potest id fieri, quod probant adductæ rationes ex primæ quæstionis resolutione, nam huiusmodi

modi contractus est in euidentem ecclesiæ vtilitatem, & monasterium adhuc remanet dominus illius fundi, & reuelatur à multis incommodis, & expensis, quibus erat subiectum, & certus est de annuis pensionibus, quibus inantea caruit, ergo similis contractus non videtur prohibitus à iure, immo præceptus, vt occurratur damno, cui subiectum erat monasterium.

Quæres 4. An confratres possint alienare bona sibi relicta, non seruata solennitate à iure requisita?

Respond. Non, de iure constit. Ambitiosæ, in qua prohibentur alienari bona ecclesiarum, monasteriorum, & locorum piorum; Confraternitates autem maxime erectæ authoritate Episcopi sunt ecclesiasticæ, & loca pia, ergo alienari non possunt earum bona. Tamen de consuetudine video non obseruari eam Bullam. *Vide, qua iterum dixi resolutione 72. sub numero 31.*

4

Quæres 5. Dominica fecit donationem omnium suorum bonorum inter viuos religiosis S.N. & ab illis acceptata fuit. Modo dicta donatrix deuenit in talem paupertatem, & inopiam, vt viuere non possit, nisi mendicet, quod facere erubescit, ideo petit à Donatariis regularibus, vt contenti sint dare sibi licentiam ex bonis donatis vendendi pretio librarum mille, vt possit sibi subuenire. An religiosi sine incursione pœnarum contra alienantes bona ecclesiastica possint dare licentiam dictæ donatrici vendendi tot bona ex donatis, quæ ascendant ad summam librarum mille, seu retrocedere partem illorum bonorum, quam possit vendere pro illo pretio? Videtur quod non, Tum quia, qui non potest alienare, neque alienationi consentire potest. *l. Cum quis 136. ff. de reg. iur.* vnde prohibitus alienare nullũ actum facere potest, per quẽ peruenitur ad alienationẽ *l. Sancimus 7. C. de rebus alienand. non alienand.* Tum quia res donata inter viuos statim transit in dominium donatarij, donare enim significat dominium transferre, *§. Si itaque Instit. de Action.* vnde donatio non dicitur, nisi donatum statim fiat accipientis. *l. In ædibus §. fin. ff. de donat.* Sed religiosi non possunt alienare, neque permittere, vt alienentur ea, quæ sub illorum dominio iam transierunt perfecte, maxime stante acceptatione facta in specie de donatione in casu nostro. Quibus tamen non obstantibus.

5 Respond. Religiosi possunt dare licentiam prædictam donatrici, vt tantum vendat, quantum sibi necessarium esset ad substandam propriam vitam, retrocedendo illi tot bona, quæ ascendant ad summam pecuniarum sibi necessarium, non obstante Sacræ Congregationis decreto de non alienando res ecclesiasticas, quamuis donatio iam acceptata fuerit, Probatur. Tum quia illæ solum res prohibentur alienari, quæ perfecte, & ad rem, & in re sunt sub dominio, & possessione ecclesiæ, à qua possidentur, *arg. cap. Cum Apostolica, de iis, quæ fiunt a prælat.* ibi: *Cum aliud sit alienare quod ab ecclesia possidetur.* Modo res donata à Dominica benefactrice simpliciter non est sub dominio ecclesiæ, & cum sibi vsumfructum reseruauit; & cuidam suæ sociæ post suam mortem; & cum res donata adhuc sit subiecta oneribus localibus tam ordinariis, quam extraordinariis, ergo in casu hoc nullus fit actus contra alienationem prohibitam, ex quo tollitur primum argumentum, quod procedit, nimirum, quem non posse facere aliquem actum, per quem peruenitur ad alienationem, quando s. res est prohibita alienari, in casu autem præsenti non est prohibita. Tum quia iura prohibentia alienationem intelligen-

6 da sunt de alienatione voluntaria, non necessaria. *l. Alienationes 13. ff. famil. ercisc.* sed hæc alienatio est necessaria ad sustentationem vitæ dictæ donatricis,

7 quæ vendit, ne cogatur mendicare. Tum quia hæc donatio non videtur subsistere, vel saltem videtur posse rescindi, aut saltem moderari propria authoritate à donatrice, arg. cap. fin. de donat. inter. vir. ibi: *Ex qua alter locupletior, & pauperior alter efficitur firmitatem non habet donatio.* ibi sermo est de donatione inter coniugatos, cum ergo inter hos donatio non constet, quando donator fit pauperior, ita quod viuere non potest, simili ratione procedendum esse in casu nostro, ne ergo religiosi in periculum probabile incidant perdendi totam donationem, dare licentiam possunt Dominicæ, ad vendendum, vt seipsam sustentare valeat, licet enim ecclesiæ alienare, vt

8 meliora, prospiciat, cap. Sine exceptione 12. q. 2. tum quia donatarius tenetur alere donatorem, quando vergit ad inopiam, aliter donationem reuocare potest, *Iul. Clarius de donat. q. 21. §. quid ergo, Vinius lib. 1. opin. 79. quos citat Suar. v. Donatio n. 272. Panorm. in cap. Propter de donat. num. 3. quem citat Megal. consil. 9. num. 21.* Ne ergo habeat occasionem illam reuocandi bene potest conuentus eam licentiam dare illi, hoc enim modo dicitur illam alere, & ecclesiæ negotia vtiliter agere; neque dicas, alat conuentus ex pecuniis, & cibariis: expeditus, & melius consulitur vtrique tam mulieri, propter eius conditionem sexus, quam conuentui, ne cogatur consumere totam donationem in alenda donatrice. Tum quia per hanc licentiam conuentus in nihilo factus fuit deterior, quia donatrix duo legata singula librarum quinque centum expunxit, & cassauit à sua donatione, & præterea suam sociam induxit ad donanda conuentui omnia sua bona, ergo per hanc licentiam ne dum alienauit, sed acquisiuit. Demum bona donata sunt omnia mobilia, quæ sunt lib. 5000. ex alimentis, seu dote sibi assignata à suo patre, summa autem pecuniæ quantumuis magna computatur inter mobilia *ex Ref. 27. n. 51. ergo* non est prohibita alienari.

Ad obiecta patet ex prædictis, huiusmodi alienationem non prohiberi cum sit necessaria, aut sit tantum mobilium, quæ simpliciter non prohibentur alienari, consequenter neque licentia interdicitur dari alteri, vt alienet. De translatione dominij, & possessionis patet ex dictis non constare, sed adhuc non perfecte transisse ad donatarios, eo quod præterea ipsamet donatrix super bona donata litigauit cum suis consanguineis, cum quibus ex concilio iudicis deuenit ad honestam, & vtilem compositionem, quod signum est perfectum dominium rei donatæ nondum fuisse apud conuentum donatarium, reseruauit enim sibi, & socio post suam mortem vsumfructum, nec constat de traditione rei donatæ, quæ per acceptationem non dicitur sortiri effectum dominij, sed tantum ne donatio reuocari possit.

Quæres 6. An Prior cum suo conuentu aditam hæreditatem possit ea ex parte, qua habet legatum, & onus celebrandi tot missas in perpetuum renuntiare N. vxori relictæ eius testatoris, qui vniuersalem hæredem instituit conuentum cum dicto onere, quæ velit in se suscipere onus faciendi celebrare dictas missas cum assignatione tantæ proprietatis, ex cuius fructibus possit satisfieri sacerdoti celebranti eas missas? Videtur, quod non, Primo, quia aliter mutaretur voluntas testatoris, quæ in eo cõsistit, vt sacerdotes cõuentus instituti eas missas celebrent. Tũ quia id est species alienationis partis hæreditatis aditæ, & iam incorporatæ conuẽtui. Tertio quia dicta vidua perpetuo viuere non potest, sicut sacerdotes dicti conuentus, qui nunquam moritur, ideo conuentus eam obligationem perpetuam in se suscipere potest, non vero vidua, quæ hodie est, & cras moritur, forsan nullis institutis, prædictæ obligationi satisfacere valeant. Pro resolutione, nota circumstantias, & conditiones, quibus vestitur iste casus magis in indiuiduo, moralia enim ita singulariter, & cum suis circumstantiis spectantur, vt indiuidualiter, quando opus est, resolui possint. Hæc vidua à conuentu hærede petiit suam dotem, quam promisit illi soluere, & quia assecuratam habebat super vna domo hæreditatis, super qua etiam aderant alia

onera, & præcipoe prædicti legat missarum, ideo conuentus pro dote eam domum insolutum dedit, & tradidit æstimatam pretio scutorum octo centum, quod pretium æquiualet oneribus prædictæ dotis, & alterius viduæ, & legari ex residuo constituendum, quod super domo & ipsum fundatum erat, vnde pro commoditate dictæ viduæ ne domus diuideretur tota illi renunciata fuit, vt reliquis satisfaceret creditoribus, quod onus in se sumpsit publico instrumento quare.

9 Respond. Conuentus potuit iuste illi renuntiare domum pro sua dote cum onere, quod satisfaceret aliis creditoribus, & legato. Probatur diluendo opposita in contrarium. Primo, quia non mutatur voluntas testatoris, quæ principaliter in eo sita est, vt creditoribus, & legato pro anima sua satisfiat; sed per dictam renuntiationem optime satisfit, neque enim ita stricte obligauit testator conuentum, vt per suos tantum sacerdotes satisfaceret missarum celebrationi, sed onus simpliciter expressit in suo testamento, vt solet fieri regulariter, nuo specificando, vt missæ celebrentur in ecclesia propria dictorum religiosorum, quod neque eius mentem talem fuisse, sed potius indifferentem coniici potest ex eo, quod domus, ex cuius fructibus celebrandæ sunt missæ, longe abest per milliaria triginta à loco vbi sepultus fuit; quod autem per aliũ Missa celebrari possit quam per expressum à testatore probat *Fraxin. sect. 4. de obligat. sacerd. concl. 4. §. XV.* loquendo de beneficiario simplici, à fortiori in casu nostro, io quo non fuit electa industria personæ, sed conuentus simpliciter, cui de se non competit industria, quæ singularem personam afficit, noo corpus

10 politicum. Secundo, quia nequaquam huiusmodi renuntiatio est species alienationis, quia hæreditas adita fuit solum quo ad mobilia non quo ad stabilia, quæ sunt illa domus sola subiecta dictis oneribus, quæ absorbent totum eius valorem, quare sapienter se gessit prior cum Fratribus renuntiando domum totam viduæ cum adiectis oneribus. Tertio, quia dicta vidua licet moriatur, non tamen cessabit onus Missarum, quia transibit apud eas personas, quæ post eius mortem succedunt in possessione eiusdem domus, res enim, ex vulgatis iuribus, transit cum onere suo.

Quæres 7. Ao prælatus regularis, qui sine aliqua licentia reliquiam insignem alienauit incurrerit pœnas cootra alienantes res ecclesiasticas iostictas?

11 Resp. Non incurrit, ratio est, quia pœnæ infliguntur contra alienantes bona tẽporalia ecclesiastica siue immobilia, siue mobilia pretiosa, quæ seruando seruari possunt, cuiusmodi sunt calices, lampades, paramenta, & huiusmodi materialia; neque enim nomine rerum pretiosarum, de quibus ibi, veniunt Reliquiæ sanctorum, quæ & si pretiosæ sunt in sensu rerom pretiosarum, quæ à iure prohibentur alieoari, nimirum pecu-

12 nia, res enim dicitur pretiosa, quæ est magni pretij, & multorum numorum, *Nizolius v. Pretiosus*; certi autem iuris est, *cap. fin. de reliquiar. & vener. sanct.* reliquias vendi non posse sine vitio simoniæ, *Bonac. de simon. q. 4. num* 8. *qui in tract. de alienat. p. 2. num. 31. §. Probabile* affirmat sic alienantem non incurrere pænas extrauagantis *Ambitiosæ*, ob rationem à nobis adductam, quem sequitur *Peregrin. in Compend. Priuileg. v. Alienatio dubit.* 5. sed nescio qua ratione dicat, non posse prælatum illas alienare absque consensu sedis Apostolicæ, ex eo quod sunt res pretiosæ, & cum eo *Riccius decis. 63. n. 6.* ex stilo curiæ & postmodum dixit non comprehendi sub extrauaganti, videtur enim hoc cum illo pugnare, cum pro ratione sumat dispositionem de se prohibita in extrauaganti, & ex alia parte prohibitionem eiusdem dispositionis casui nolit applicare, *necesse enim est, vt lex applicetur illi casui,* cui verba legis applicantur *l. 4. §. totius ff. de dam. inf. cap. Indemnitatibus de elect. §. fin. in 6.* neque stilus curiæ obstat responsis, cum alium inferat casum, nimirum ex vrbe nullas extrahi reliquias sine consensu apostolico, ex quo non prohibetur, quin possit prælatus donare benefactori reliquias de consensu tamen sui conuentus, cum agatur de re graui, & magni momenti, & præterea requiritur licentia Prouincialis, aut Generalis, quando reliquia tradita est perpetuæ sepul- 13 turæ, & sit integra, atq; insignis, *ex c. Corpora 36. de cons. dist. 1.* si verò reliquia sit aliqua minuta pars extracta ex insigni, puto sufficere authoritatem propriam prælati conuentualis, quia adhuc remanet reliqua insignis. *Tambur. tomo primo, disputatione 13. quæstione secunda, numero decimo tertio,* simpliciter requirit assensum apostolicum *ex Silu. Armilla & aliis,* qui tamen ab eo citati explicant citatum caput non solum de apostolico assensu, sed etiam Episcopali synodali, consequenter in re nostra loco synodalis succedit conuentualis consensus cum maiori superiore; & *numero decimo quarto,* Idem Tambur. impugnans Bonac. dicit alienantes reliqnias incurrere pœnas extrauagantis eo quod in ea prohibetur alienatio cuiuscumque rei Ecclesiasticæ pretiosæ, sed iam supra probaui, reliquias non esse res pretiosa in sensu, quo accipitur in dicta extrauaganti, cum non habeant fundamentum pretij pecuniarij. Ita etiam sentit *Diana cum aliis parte quarta, tract. quarto, Miscell. resolutione 223.*

14 An autem furans, donans, vel alio modo reliquias alienans incurrat aliquas alias pœnas iure inflictas? ego non inueoi aliqoam pœnam, consequenter peccabit mortaliter solum ille, qui furatur, vel alienat reliquias sine licentia, iuxta superius dicta.

Quæres 8. An inciderit io pœnas superior ille, qui vendidit par bonum, quibus indigebat colonus ad culturam agrorum sui monasterij.

Respondetur. Incidit, Tum quia boues destinati ad culturam agrorum sunt accessorij ad ipsos agros, 15 & tamquam bona stabilia, atque immobilia cum ipsis reputantur, *vt dixit Suar. tom. 4. de relig. tract. 8. libro secundo, cap. 27. numero decimo octauo,* Tum quia grex ouium ex se frugiferum inter mobilia pretiosa numerantur, *Quaranta ver. Alienatio num.* 24. & vocatur mobile pretiosum, quia seruando seruari potest per generationem successiuam, ergo & par bouum debet dici res pretiosa, quia ex se frugifera est, & maximæ vtilitatis; & seruaodo seruari potest, in quantum suo vsu perseuerat in esse. Ita docent præcitati cum *Tambur. tom. 3. disp. 13. num. 4. Bonac. p. 2. de alienat. nu. 4. §. Addo,* Permutari vero possunt debiles infortiores, quia id non est alienare, sed rem Ecclesiæ meliorem reddere.

Quæres 9. An potuerit Generalis quosdam redditus conueotus N. alienare, & transferre ad conuentum N. prætextu studij?

16 Respondetur. Potuit absque incursu pœnarum dummodo id fecerit de consensu Prioris, & capituli illius conuentus à quo sustulit illos redditus, loquẽdo in ordine ad valorem translationis talium redditũum, non ad effugiendas pœnas, cum non comprehendatur is casus in extrauaganti. Quod Gene- 17 ralis id possit cum consensu conuentus à quo aufert, probatur *per capitul. primum, de rebus Eccles. alienand. iuncta glos. ibidem, & Glosa verbo A quocumque capit. Constitutus sexto, de religiosibus domibus* in quibus locis id potest Episcopus respectu suarum Ecclesiarum, quibus præest, ergo & Generalis, nam ab illo ad hunc valet argumentum ex vulgatis iuribus, & à simili potestate iurisdictionis. Neque iste casus prohibetus per extrauagantem, quæ alienationem prohibet, ne res Ecclesiæ profanis vsibus applicentur, oeue cum maximo illorum, ac diuini cultus detrimento exquisitis mediis vsurpare præsumant; sed nihil horum apparet hic, immò huiusmodi translatio multum vtilis est pro communitate, & apta ad alendos studentes, qui processu

tempo[ris]

temporis per suas virtutes illustrant religionem. Ita docet Riccius *decis. 38. quem sequitur Tambur. tom 3. disput. 13 num. 19.* quia in eo casu non videtur transferri dominium extra religionem, cum vterque conuentus sit eiusdem ordinis oppositum tenet *Bonac. p. 2. alienat. nu. 14.* quia iura, inquit, simpliciter loquuntur, explicantur tamen per alias locis supra citatis, ergo nulla est ratio Bonaciœ.

Quæres 10. Quænam res dicantur pretiosæ, vt alienari non possint? An nimirum debeant excedere valorem 25. aureorum, vt refertur declarasse Sacram Congregationem? *Dixi reso. 27. num. 2. 19. & 38.* modicam rem esse illam, quæ non excedit pretium 24. aureorum ex responsione S.C. *apud. Naldum. v. Quantitas num. 7. secundum Peregr. Compend. priuil. v.* Alienatio, quæ non excedit 25. hæc enim alienari potest sine solemnitate à iure requisita, vt ibi docui, in hoc tamen casu Doctores requirunt tres conditiones, quod sit exigua, quod non sit vtilis Ecclesiæ, & quod alienetur ex necessitate, *ita Quar. v. eod. num. 41. Vgol. de potest. episc cap. 14. §. 7. num. 4 cum Rodoan. Robuff. Riccio, alios citatis à Tambur. tom. 3. disp. 13. qu. 9. num. 2.* & illæ conditiones expresse colliguntur *ex cap. Terrulas 52. 12. q. 2.* Multi dicunt quo ad eius valorem, seu paruitatem standum esse arbitrio iudicis, qui oculum habere debet ad consuetudinem loci, ad situm terrulæ, ad paupertatem Ecclesiæ, ad necessitatem monasterij. Hæc autem rei paruitas attenditur non solum in venditione, sed etiam in locatione, ita quod locari potest vltra triennium, vt affirmant *Crotus vol. 1. consil. 96. num. 14. Thomingius decis. 23. quos citat Diana part. 5. resol. 57. ff. de paruit. mater.* Et prædicta locum habent etiam respectu extrauagantis. *Ambitiosæ, Concil. Trident. vt docet ex Quaranta citato Diana resol. 37. de paru. mater.* & ego idem asserui locis citatis respectu Decreti Sacræ Congregationis, quod ibidem extendi, *& Tambur. tom. 3. disput. 13. quæstion. 6. & quæst. 9. numer. 3.* ait attendenda esse statuta prouincialia, & synodalia, quod & efficere possunt prælati regulares. Ad rem autem nostram.

17 Respondetur. Res pretiosa alienari prohibita non est attendenda respectu sui valoris, & pretij, iuxta caput Terrulas, secundum quod sola immobilia spectantur, cum in eo capite considerentur solum stabilia, & nulla fiat mentio de rebus mobilibus, quæ seruando seruari possunt, cuiusmodi sunt vtensilia præsertim Ecclesiæ, paramenta sericea, aurea, argentea, calices, cruces, lampades, & similia, quæ licet sigillatim acceptanon excedant singula neque decem argenteos, propter hoc non possunt alienari, cum sint Ecclesiæ necessaria, & valde vtilia, ac eius ornamenta. Vetustate tamen temporis confecta, seu valde antiqua quo ad formam non amplius in vsu in meliora commutari possunt. *Vide resolutione 27. numere 64.* de ornamentis Ecclesiæ non alienandis, quicquid dicat *Peregr. verbo. Alienatio §. Dico secundo.*

Quæres 11. An libraria in totum, vel saltem in parte distrahi possit sine incursione pœnarum de 18 rebus Ecclesiæ non alienandis? Pius V. Bulla incip. *Cum sicut accepimus* apud Rodr. Bulla 17. eiusdem Papæ, pag. 407. excommunicatione summo Pontifici reseruata affecit illos, cuiuscumque sint conditionis, & gradus etiam Pontificiali dignitate insignitos, qui extrahere, aut furari aliquem librum ex Bibliothecis monasteriorum, & domorum ordinis S. Francisci præsumerent. Est pro Franciscanis sub prima regula.

19 Respond. Libraria distrahi, neque alienari potest neque in totum, neque ex parte sub pœnis latis contra alienantes bona Ecclesiastica, Tum quia Bibliotheca ex sua conditione videtur computanda aliquo modo inter bona stabilia, cum continuo stet, neque suis vsibus consumetur, sed perpetuò perdurare possit; vnde & inter immobilia reduci potest eo modo, quo annui census, qui quo ad ius exigendi illos perpetui sunt, loco tamen moueri possunt pecuniæ transferendo ab vno fundo ad alium, vt contingit fieri inter regulares, dum emptor laicus illum extinguit restitutione pecuniæ, quam religiosi denuo tenentur inuestire in alia simili proprietate, vt alibi dixi. Tum quia alias saltem sunt bona pretiosa, & multum vtilia, & necessaria regularibus, sine quorum studijs via religiones conseruari, & contineri possunt in officio suo. Et sicut tota libraria vendi non potest, ita neque aliqua eius pars, quia totius, & partis est idem ius. *l. Quæ de tota 7. ff. de rei vendic. c. Pastoralis 28. §. Item cum totum ff. de off. deleg. Ener. in loco à toto, Barbosa loco 114.* Tam enim necessarius est aliquis liber, quam tota libraria, & è contra. Verum quidem est, quod paruitas materiæ excusare posset, vt si liber alienatus valeret vnum argenteum, vel quid simile. Si adsint libri duplicati, vendi possunt superflui pro vtilitate librariæ; item aliqui commutari possũt in meliores, quod non est alienare, sed meliorem reddere librariam. Possunt etiam transferri ab vno conuentu, vbi non sunt, qui studeant ad alium conuentum pro studentibus, sicut supra docui posse transferri bona alia ex parte ab vno Monasterio ad aliud ex legitima causa. *Vide de hac re Peregr. in suo Compend. v. Alienatio, dub. 3.*

Quæres 12. An pecunia census extincti distrahi possit sine periculo incidendi in pœnas extrauagantis, siue sit immediate monasterij; siue alicuius peculiaris religiosi iuxta vsum quarumdam religionum? Et quid si religiosus inuestiat cum clausula in instrumento posita, quod in casu extinctionis census, & restitutionis pecuniæ, possit religiosus eam distrahere in suos vsus licitos & honestos?

Respond. Pecunia tradita ad censum statim recipit 20 conditiones rei immobilis, consequenter inter stabilia computatur, ergo aliena non potest, cum prohibeatur omnium rerum stabilium alienatio, & distractio in dicta extrauaganti; & de censibus clarius in Decreto S. Congr. extenso *apud Tambur. tom. 3. disp. 13. qu. 6. nu. 8.* Et hoc verum est, siue pecunia sit immediate monasterij siue mediante aliquo particulari religioso; cui pecuniæ vsus concessus fuerit, cum iste contractus census de se talis sit, non respectiue ad personam ementem, vel vendentem, quæ ad hoc esse immobile ius sunt quid extrinsecum. *Vide quæ dixi resol. 27. numer. 55.*

Clausula autem illa in instrumento apposita, 21 quod in casu extinctionis census religiosus, vel etiam conuentus non intendit pecuniam restitutam iterum subiicere censui de nouo emendo alium fundum, sed sibi reseruat liberam potestatem superior distrahendi pecuniam in seruitium conuentus, similem etiam facultatem concedendo religioso; nullius est momenti, sed conditio turpis immediate contra Extrauagantem, & Decretum Sacræ Congreg. quæ omnino prohibent huiusmodi alienationes, & distractiones rerum Ecclesiasticarum, nam illa pecunia sine dubio est de iure Ecclesiæ, & monasterij siue sit conuentus, siue religiosi, consequenter si transeat in naturam, & conditionem census, statim perdit illud ius passiuum distractionis, quod habebat ante, ita quod per illam clausulam à superiore, vel religioso appositam dictum ius conseruari non potest obstante iure legali, quod est potentius iure priuato vnius personæ, vel conuentus, qui legem destruere, neque suspendere possunt. Neque obiicias me dixisse dicta resolutione 27. numero 69. testamentum factum cum conditione, vt religio possit alienare relictum, postquam deuenerit ad manus Ecclesiæ. Quia in eo casu non est persona Ecclesiastica, cui sit à iure prohibito, vt in casu nostro, sed laica, quæ illam conditionem rei suæ item laicali apponere potest, in casu nostro præsenti, & res

& persona est ecclesiastica; in illo casu fingitur persona laica alienare, in nostro non potest fingi, cum nulla sit persona secularis neque de se, neque ex dispositione instrumenti census.

Quæres 13. An extrauagans cum apposito Decreto S.C. prohibeant alienationem solum bonorum, quæ tunc erant acquisita tempore eiusdem extrauagantis; an eius de nouo acquisita postmodum, & in futurum acquirenda? Bona autem dicuntur acquiri de nouo duobus modis. Primo, quando per extinctionem locationis, seu emphiteusis res iterum redit ad ecclesiam, in quo casu res denuo locari, & emphiteuticari potest iuxta quod iste casus excipitur in extrauaganti, & docent omnes. Secundo primo acquiruntur titulo emptionis, testamenti, legati, &c. & nunquam antea de nouo acquisita fuerant ecclesiæ in quo sensu.

Respond. Huiusmodi bona non possunt alienari, sed sunt subiecta extrauaganti, & Decreto de reb. ecclesiæ non alienandis. Ratio est, quia lex futuris dat formam negotiis, cap. 2. & fin. de constitut. consequenter cum semper loquatur. l. Ariani C. de hæreticis idem est ac si nunc de nouo ederetur lex de non alienandis rebus ecclesiasticis, ex quo non solum comprehenduntur antiquitus acquisita, sed etiam postmodum acquisita, & in futurum acquirenda, quia respectu legis res ecclesiæ quamdiu sunt ecclesiæ illi acquisitæ dicontur.

Quæres 14. An accipi possint pecuniæ ad censum seu cambium super bonis ecclesiarum, & monasteriorum?

Respond. S.C. Procuratoribus Generalibus religionum sub die 21. Martij 1626. *apud Tamb. tom. 3. disp. 13. q. 7.* Negatiue, his verbis. *Cum post editum Decretum de rebus regularium non alienandis, compertum sit, Regulares, qui eodem Decreto prohibentur. census imponere super bonis ad eorum monasteria pertinentibus loco censuum huiusmodi pecunias ad cambium, vel mutuo accipere cum solutione lucri cessantis, & damni emergentis. Cumque ex huiusmodi contractu eludatur mens S. C. cui in primis in votis fuit consulere Religionum indemnitati, quæ ex impositione censuum huiusmodi plurimum laeduntur S. D. N. approbante distaut, & declarauit, huiusmodi contractum esse contra mentem decreti, vt supra editi, ideoque non licere Regularibus, pecunias, vt proponitur, accipere, ac si acceperint, in ipsius Decreti pœnas ipso facto incidere. Datum Romæ 21. Martij. 1626. Cosmus Card. de Torres. P. Faganus* Ratio prædictorum est, quia præfati contractus census, & cambij sunt species venditionis, & alienationis regularibus prohibitæ, ergo ab illis celebrari non possunt in præiudicium suarum ecclesiarum, & monasteriorum obligando suas domos, & agros cum euidenti periculo perdendi illa, vt solet contingere negligentibus solutionis fructuum.

Quæres 15. An prælati Regulares saltem Generalis absoluere, & dispensare possit in pœnis latis per extrauagantem, & Decretum contra alienantes res ecclesiasticas sine licentia sedis Apostolicæ: Pœnæ autem sunt Prima excommunicatio nulli reseruata contra præsumentes alienare, vel alienata recipientes, præter nullitatem contractus. Secunda est ingressus ecclesiæ interdictum Episcopi, & Abbatibus, an qua pœna si per sex menses indurare perseuerarint, incurrunt postmodum ipso iure suspensionem à regimine, & administratione suarum ecclesiarum, & monasteriorum tam in spiritualibus, quam temporalibus. Tertia est pœna priuationis ipso facto omnium officiorum, dignitatum, administrationum, beneficiorum, præbendarum, canonicatuum contra alios inferiores prælatos, commendatarios, Rectores, & administratores ecclesiarum. Ea quo priuati concurrentes præstando suum consensum eas pœnas non incurrunt, vt probaui resol. 27. num. 17. & 66. In Decreto autem Sacræ Congregationis prohibetur Regularibus Generalibus, Prouincialibus, capitulis, quibuscumque sub etribus alienatio sub pœna priuationis omnium officiorum obtentorum, & vtriusque vocis, cum inhabilitate perpetua ad illa in posterum obtinenda incurrenda ipso facto absque alia declaratione, sublata facultate etiam Generali, & Protectori illas relaxandi. Ex quibus patet à pœnis huius Decreti neminem posse in illis dispensare, vt clare ibi constat. Ex hoc tamen non colligitur, prælatos regulares non posse absoluere, & dispensare in pœnis supradictis contractus contra extrauagantem non reseruatis, quia de illis Decretum nihil disponit quoad hoc. Obserua autem quod inhabilitas nulla exprimitur in extrauaganti, sed solum in Decreto non respectu cuiuscumque officij, sed tantum restringitur ad officium, quod habetur tunc, cum fieri contingit alienatio.

Quæres 16. Quinam sint casus iuxta extrau. Ambitiosæ à iure excepti, quibus sine solemnitate, sed cum sola prælati regularis possit fieri alienatio?

Respond. Eorum primus fit paruitas rei, quæ ecclesiæ necessaria non est, *ex cap. Terrulas 12. quæst. 2. Genuens. cap. 60. num. 3. Quar. num. 41. & ego alia Resolut. hanc mater.* Res autem modici valoris est illa, quæ non valet vltra vigenti solidos, ex Glos. in citatum caput, & Romæ iudicatur illa res, quæ non excedit secuta 25. monetæ Romanæ. Secundus est respectu earum religionum, quæ stabilia sibi relicta retinere non possunt, *Clem. Exiui, §. Ac proinde, de verb. signif.* Tertius est, quando alienatio est necessaria ea præcepto testatoris e. g. ob fideicommissum, *l. 3. C. quando decr. op. non est.* Quartus est, quando alienatio necessaria est ea lege contractus, vt propter pactum de retrouendendo in eodem contractu simul adiectum. *Quos & alios referunt Barbosa Allegat. 95. Quar. & alij, quos citat P. Carolus Antonius Thesaurus ex Societate Iesu in suo De pœnis ecclesiasticis part. 2. v. Alienatio cap. 1. num. 3.* Procedunt etiam post Decretum Sacræ Congregationis prohibentis alienationem sine expressa sua licentia, quia illud Decretum non plus continet, quam ipsamet extrauagans, quæ solum derogat priuilegiis alias concessis ad alienandum sine licentia sedis Apostolicæ, & hoc certum est eo, quod in eodem decreto apponitur similis clausula de casibus iniure expressis. Vide supra numero 2.

Quæres 17. Quandonam res dicatur incorporata ecclesiæ, seu monasterio, ita quod amplius alienari non possit?

Respond. Quando publico instrumento acceptata fuit à prælato cum consensu, & interuentu sui capituli, absolute acceptatione absque aliqua limitatione, quæ incorporationem suspendat. Id quod videtur asserere *Bartol. in l. Si vacantia C. de bonis vocant. lib. 10. num. 8.* dum dicit, tunc rem dici incorporatam quando iam est facta de mensa ecclesiæ, & dicitur de mensa, si in Regulis, & libris monasterij, seu ecclesiæ sit descripta, & cum eo *Riminun. vol. 1. concil. 32. Abb. in cap. Vt super, eod. Anchar. consil. 156. & cum eis Bartolom. Perettus in suo Comment. super extrau. Ambitiosæ pag. 206. num. 69.* Dixi, *Absque aliqua limitatione*, nam si superior acceptet hæreditatem non solum vt faciat eam monasterij, sed præcipue, vel vt videat an profutura sit monasterio, vel in gratiam alicuius, vt deinde illi eam cedat cum pacto vtili monasterio, in similib. casibus non dicitur res simpliciter acceptata, sed in ordine ad illos fines, consequenter illi renuntiari, & cessio fieri potest in gratiam alterius.

Quæres 18. An moniales quo ad alienationem comprehendantur sub decreto de rebus ecclesiæ non alienandis sine licentia sanctæ Congregationis in scriptis obtinenda?

Respond. Non, quia in eo fit solum mentio de viris regularibus, ergo cum illud decretum sit odiosum non est extendendum ad moniales, quæ tuata earum priuilegia

priuilegia in casibus necessitatis alienare possunt; vide quæ dixi Res. 57. Bulla LI.

Quæres 19. An Decretum Vrbani VIII. incip. *Sacra Congregatio* à me extensum tom. 1. sub Resol. 27. interdicens Regularibus alienationem rerum Ecclesiasticarum, ad quam deuenire non possunt nisi obtenta in scriptis specialis licentia à S. Congr. reuocet, & annullet indultum Gregorij XIII. quo concedit, vt Parmenses laici contrahere possint cum quibuscumque Ecclesiasticis, etiam Regularibus super bonis Ecclesiasticis?

34 Respond. Negatiue, antequam autem id probem, prius extendam Bullam Gregorij XIII. tenoris sequentis.

Ad perpetuam rei memoriam. Vniuersorum præsertim cum Ecclesiasticis contrahentium securitati, & indemnitati, quantum cum Deo possumus, æquum est, nos salubriter prouidere. Alias siquidem venerabilis Frater Episcopus Ariminensis in ciuitate, & diœcesi Parmæ Visitator per nos deputatus, inuenisset in ipsis Ciuitate, & diœcesi Parmæ antiquissimam consuetudinem celebrandi alienationes, permutationes, emphiteuses, seu liuellos, & alios quoscumque contractus rerum, & bonorum ad Ecclesias, monasteria, & alia pia loca spectantium, & cum pacto affrancandi & clausula. Cui, vel quibus dederit, nullo in eis reseruato sedis Apostolicæ beneplacito, aut confirmatione Apostolica desuper obtenta, sed certis quibusdam solemnitatibus, & formis à partibus adhibitis, decretisque suis prohibuisset, ne alienationes, cæterique contractus cuiuscumque generis super rebus, & bonis prædictis absque sedis Apostolicæ autoritate celebrentur celebratosque à quadraginta annis citra examinari mandasset; cumque propter maximum contractuum prædictorum tam celebratorum, quam celebrandorum frequentiam, vniuersa fere Ciuitas, & diœcesis ipsa Parmæ perturbationem haud modicam inde recepisset, & dilecti filij Communitas, & Homines eiusdem Ciuitatis Parmæ Oratores ad nos misissent. Nos eorum precibus in parte inclinati, contractus omnes vsque tunc super bonis prædictis initos, dummodo in euidentem Ecclesiarum, & piorum locorum vtilitatem cessissent confirmauimus, seu confirmari mandauimus; ac licentiam, & facultatem concessimus, nouas in futurum alienationes, & contractus cuiuscumque generis etiam cum pacto affrancandi, & clausula prædicta, aliisque quibuscumque pactionibus in partibus conficiendi, dummodo bonorum, quæ alienarentur, redditus annuos valorem decem ducatorum non excederent, & alias, prout in nostris, superinde in forma Breuis confectis literis plenius continetur. Cum autem postmodum eidem Communitas, & Homines Parmæ alium denuo Oratorem ad Nos transmiserint, qui eorum nomine Nobis exposuit, Ciuitatem prædictam magnopere adhuc angi, executionemque prædictorum Decretorum ferre non posse, ob numerum prope infinitum contractuum, quos super bonis, & rebus prædictis medietatem, & forsan vltra agri Parmensis absorbentibus, in dies contingit inibi celebrari Præterea Communitatis, & Hominum prædictorum nominibus Nobis fuit humiliter supplicatum, vt Ciuitatem, & Diœcesim Parmen. prædictas, quo ad pristinas, & antiquas consuetudines alienandi, & contrahendi de rebus, & bonis prædictis in pristinum, & eum, in quo ante præmissa erant, restituere, ac eorum indemnitati in præmissis quacumque opportuna ratione consulere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur Communitatem, & Homines prædictos, quos iure pios, & munificos in Ecclesias, Monasteria, & alia pia loca animaduertimus, prout experientia rerum magistra docuit, quantum cum Deo possumus, amplioribus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, ac Communitatem, & Homines prædictos, & eorum quemlibet à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis à iure forsan, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum præsentium duntaxat consequendi, harum serie absoluentes, & absolutos fore censentes, ac Decretorum Visitatorum, & literarum nostrarum tenores, ac contractuum, alienationum rerum, ac bonorum huiusmodi qualitates, & quantitates præsentibus pro expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, confirmationi prædictæ præteritorum contractuum, & alienationum iam per Nos factæ inhærentes, & iura iuribus addentes; alienationes prædictas, & contractus quoscumque de & super bonis, & rebus Ecclesiarum, Monasteriorum, & Priorum locorum, Ciuitatis, & Diœcesis Parmen sub forma, & solemnitate hactenus in dicta Ciuitate seruari solitis celebratos, etiam cum huiusmodi pacto affrancandi, & clausula: Cui, vel quibus dederint, vt præfertur; ac etiam si qui vsque ad hanc diem cum Sedis Apostolicæ beneplaciti reseruatione celebrati sint, dummodo in euidentem Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum piorum vtilitatem cesserint, perpetuo confirmamus, & approbamus, ac Apostolicæ sedis auctoritate communimus, & roboramus. Alienationes vero domorum prope Ecclesias Parochiales, in quibus Parochi habitare solebant existentium minime volumus approbare, aut præsentibus includi, sed eas Ecclesiis omnino restitui mandamus, vt dicti Parochi apud eas commodius residere valeant.

Venerabili Fratri nunc, & pro tempore existenti Episcopo Parmensi, seu eius in Spiritualibus Vicario Generali licentiam, & facultatem concedentes iudicandi an dicti contractus, alienationes, & pactiones in euidentem vtilitatem, de qua supra, cesserint, & sigillatim super prædictis debitis informationibus declarandi, & pronunciandi, ac declarari, & pronuntiari faciendi; ac decreta, per dictum Visitatorem edita, & priores nostras literas locum sibi vindicare, & obseruari debere dumtaxat vbi redditus bonorum, quæ in futurum alienabuntur annuum valorem quinquaginta auri ducatorum de camera nouorum secundum communem ipsorum redditnum æstimationem non excedant, exceptis tamen Parochorum domibus, de quibus supra, quo ad res, & bona huiusmodi dictam summam quinquaginta ducatorum in annuo redditu non excedentia, decreta, & literas prædictas, ac si nunquam emanassent, penitus tollimus, & abrogamus dictasque consuetudines in pristinum, & in quem ante præmissa quomodolibet erant, statum vsque ad summam quinquaginta ducatorum prædictorum restituimus, reponimus, & plenarie redintegramus; ita vt eisdem consuetudinibus, decreta, & huiusmodi literæ nullatenus vnquam obstent; & quatenus expediat, nunc, & pro tempore existenti Episcopo Parmæ, seu eius Vicario Generali in Spiritualibus, vt quascumque alienationes, permutationes, liuellos, emphiteuses, ad longum tempus locationes, affrancationes, cæterosque contractus cuiuscumque generis, etiam cum pacto refrancandi, & clausula: Cui, vel quibus, & aliis promissionibus quibuscumque dummodo bonorum, quæ in futurum alienabuntur redditus annuum valorem quinquaginta ducatorum auri de Camera prædicti non excedant, confirmare, & approbare illosque & illas celebrandi, & confirmandi, licentiam, & facultatem, dummodo in euidentem Ecclesiarum, Monasteriorum, locorum piorum respectiuè cedant vtilitatem, vt præfertur, auctoritate, & tenore præsentium perpetuum futuris temporibus concedimus.

Decernentes quoque omnes, & singulos prædictos; sicut præfertur, contractus celebrandos perinde valere, & tenere, ac si beneplacito dictæ sedis Apostolicæ reseruato, ac postea impetrato, vel licentia præcedente celebrarentur, vel celebrati fuissent: sicque per quoscumque Iudices, & Commissarios quauis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, & S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, interpretandi facultate, irritum quoque & inane, si secus à quopiam quauis auctoritate scienter;

vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac dicti Visitatoris decretis, & literis nostris prædictis, ac recol. mem. Simachi, & Pauli II. necnon & Pauli IV. & Pij V. aliorumque Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum constitutionibus, & ordinationibus de rebus Ecclesiæ non alienandis, & male alienatis recuperandis; nec non Leonis X. Clementis VII. & Pauli III. etiam prædecessorum nostrorum Rescriptis, Prouincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, & edendis, generalibus, vel specialibus constitutionibus & ordinationibus, ac quibuscumque aliis Apostolicis, ac etiam in aliis vniuersalibus, seu generalibus, quibus omnibus, & singulis, etiam si de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac indiuidua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, illorum tenores præsentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogaremus, cæterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

In cæteris autem casibus hac nostra dispositione, & constitutione minime expressis, & determinatis, si quando dubitatio super alienationum, & contractuum prædictorum forma inciderit, ad constitutionem fælicis record. Pauli II. & iuris communis terminos recurri, & decreta memorati Visitatoris, literasque nostras prædictas, si generalius forte loquerentur, interpretari, & restringi volumus, & mandamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 25. Ianuarij 1581. Pontificatus nostri anno nono. De hac Bulla fit meotio in causa Placent. Aquam 10. Februar. & 24. Nouembris 1597. coram Orano.

Hæc Bulla cum originali registrata fuit in libro Visitationis Apostolicæ in Palatio Episcopali Parmæ anno 1594. die 26. Ianuarij. Est prætereare gistrata in quadam synodo Episcopi Ferdinandi excussa typis Regiensibus, cum decretis supra citatis.

Summa igitur huius Bullæ, quantum facit ad nostram quæstionem est, quod Parmenses quascumque alienationes, permutationes, libellos, emphiteuses, locationes ad longum tempus, affrancationes, cæterosque contractus cuiuscumque generis, etiam cum pacto refrancandi, & clausula: Cui, vel quibus cum Ecclesiasticis tam secularibus, quam regularibus celebrare possint cum licentia Episcopi, vel eius Vicario Generali Parmen. modo redditus bonorum, quæ alienabuntur non excedant annuum valorem quinquaginta ducatorum auri de camera. Ducatus aureus valet nunc viginti libras Parmenses.

Pro probatione responsionis, referendæ sunt clausulæ derogatoriæ ipsius Decreti, quæ sunt subiecti tenoris.

Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis in fauorem quarumcumque personarum, atque ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum etiam Sancti Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, ac cuiusuis alterius instituti, etiam necessario, & in indiuiduo exprimendi, Monasteriorum, Conuentuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcumque nec non illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, vel consuetudinibus etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque indultis, priuilegiis sub quibuscumque tenoribus, & formis & cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis; nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innouatis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, ac formis, specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, & aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, quibus quo ad ea, quæ præsenti Decreto, ac prohibitioni aduersantur, illis alias in suo robore permansuris, specialiter, & expresse Sanctitatis suæ auctoritate derogat, cæterisque contrariis quibuscumque Datum Romæ die septima Septembris 1624.

Ex diligenti inspectione prædictarum clausularum derogatoriarum aperte colligitur, per hoc Decretum non derogari, neque reuocari Bullam supradictam Gregorij XIII. siquidem supradictæ clausulæ derogatiuæ referuntur tantum ad constitutiones, & ordinationes Apostolicas editas fauore personarum Regularium, quibus per hoc Decretum derogatur, pariter reuocantur illorum statuta, consuetudines, & priuilegia aduersantia huic Decreto. Certum autem est Statutorum, & consuetudinem nomine venire tantum, quæ sunt propria ipsorum Religiosorum, vt supra patet, præcipue ex relatiuo, *illorum*, nempe monasteriorum, &c. refertur enim solum ad nominatos in proximo superiori versiculo, *Alexander lib. 2. consil. 204. num. 4. & 5 cum aliis Barbosa dict.* 147. constat igitur statutis, & consuetudinibus propriis ipsorum Regularium tantum fuisse derogatum; consuetudo siquidem antiquissima, de qua fit mentio in Gregoriana nunquam fuit propria Regularibus personis Parmen. sed peculiaris est, & immediate laicorum, & secularium Parmen. licet redundet in fauorem eorundem Religiosorum Parmensium. De Apostolicis constitutionibus potest esse aliqua difficultas, ex illis verbis: *Quarumcumque personarum*, quarum Bullæ fauorabiles per hoc Decretum reuocantur, ex eo, quod illa verba comprehendant omne genus personarum *gl. 1. clem. 1. de iudic. Barbos. dict. 317. num. 7.* ac proinde etiam laicos, quorum fauore emanarunt priuilegia contrahendi cum Regularibus; sed tollitur difficultas dicendo, per illa verba: *Quarumcumque personarum* intelligi tantum Religiosas, ea ratione, quod clausula derogatiua cum sit conseruatiua huius Decreti, & destructiua illi obstantium, æquum est, quod reuocet ea in ordine ad personas tantum affectas per illud Decretum, impertinens enim est, quod lex prohibeat aliquid certo generi personarum, & deinde eius derogatorio extendatur ad personas, quas lex sibi non subiecit, vt contingeret in hoc Decreto prohibens solis Ecclesiasticis alienationem; illa igitur verba: *Quarumcumque personarum*, vniuersaliter, & generaliter accipiendo, non sunt, sed restringenda ad personas habiles, nimirum subiectas illi Decreto, nempe Religiosas, *arg. l. Vt gradatim ff. de mun. & honor. Barb. dict. 317. num. 12.* Concluditur ex his per hoc Decretum non derogari Bullæ Gregorianæ, sed in omnibus remanere intactam etiam fauore Regularium.

Confirmantur prædicta, priuilegiis remuneratoriis, vti est Bulla Gregorij ibi: *Quos iure pios, & munificos in Ecclesias, Monasteria, & loca pia animaduertimus*, non censetur derogatum sine illorum expressione *Gonzal. ad. Reg. 8. Cancell. glosa 9. §. 2. num. 18. alij apud Dianam part. 6. in decis. 6. Rota, idem part. 4. tract. 1. resol. 82. fine, Tamb. tom. 1. disp. 16. q. 12. nu. 9.* probantes priuilegia remuneratoria, vt est nostrum esse irreuocabilia etiam respectu subditorum, quia transeunt in contractus naturam, quos tamen in hoc non sequor, sed in eo, quod non censentur reuocata sine specialissimas mentione. Tum quia non censentur reuocata priuilegia ad publicam vtilitatem, nisi de illis fiat specialis mentio, *Felin. in capit. Nonnulli, de rescr. numero 26. Rom. consil.* 498 *Ferretus consil. 32. numero 50. Barb. claus. 83. numero 20.*

huius

huius generis est Bulla Gregorij, de qua nulla mentio in Decreto. Demum dubitatur saltem, an derogatum fuerit; & tunc in dubio concludendum est, non fuisse derogatum, *Gonzal. gl. 9. §. 2. num. 29. Crotus lib. 3. cons. 371. num. 12. & 18. Rota Rom. vol. 1. decis. 468. Volum. 2. decis. 139. num. 6.* Princeps enim præsumitur illa ignorare, *arg. eorum, quæ tradunt Doct. in cap. 1. de const. in 6.*

Dices, Bulla Gregoriana est priuilegium commune laicis, & ecclesiasticis, ac proinde Regularibus, cum sit priuilegium contrahendi per vtrosque & cum non minus dicantur contrahere Regulares cum laicis, quam laici cum Regularibus, vtrisque æquè primo, & principaliter dicitur priuilegium concessum, consequenter est proprium ipsorum Regularium; sed omnia priuilegia Regularium propria concedentia alienationem sunt reuocata per Decretum, ergo & hoc contentum in Bulla Gregorij.

Respond. Obiectionem solum probare Regulares esse pares, & communicare in priuilegio Bullæ cum laicis quo ad vsum, & celebrationem contractuum, quod vsum, & celebrationem contractuum, quod non arguit Priuilegium esse æque primo concessum eisdem Religiosis, sed tantum illo vti posse, nam non priuilegiatus vti potest alterius priuilegio ob communionem, *Alex. vol. 4. consil. 122. Iason. in l. Emancipati C. de collat. à num. 5. ad 15. Mathesil. vol. 1. sing. 143. Roman. consil. 265.* constat autem ex tenore Bullæ communitatem, & Homines laicos petiisse priuilegium, cuius Bulla directa fuit ad eosdem supplicantes, nulla interueniente Ecclesiasticorum petitione. Quare cum Bulla hæc nulla ratione dicatur concessa Regularibus, non potest dici reuocata per Decretum reuocans solum Bullas, & constitutiones concessas ipsis Regularibus.

Dubitari potest super Bullam Gregorianam, *Primo*, an eius priuilegio vti possint clerici seculares cum Regularibus? Ratio dubitandi est, quia Bulla dirigitur ad solos laicos, à quibus petita fuit, Papa enim vtitur illis verbis: *Communitati, & Hominibus Parmæ, & Diœcesis*, sub quibus verbis veniunt tantum laici. *Secundo*, an Regulares inter se vti possint hoc priuilegio? Ratio dubitandi est, quia illis hoc priuilegium non fuit concessum, nisi in consequentiam, & accessorie, ergo non possunt ex vi illius contrahere nisi cum principalibus, in quorum fauorem immediate illud concessum fuit, hi autem sunt Communitas, & Homines, sub quibus vocibus non veniunt Regulares. *Tertio*, An Regulares contrahendo cum laicis debeant seruare formam præscriptam in suis constitutionibus? Ratio dubitandi est, quia loco huius formæ videtur succedere licentiam Episcopi, vel eius Vicarij Generalis. *Quarto*, an pecuniam receptam ex venditione distrahere possint Regulares? Ratio dubitandi est, quia de implicatione nulla fit mentio, ergo expendi potest ad libitum vendentium. *Quinto*, an Homines Parmenses vigore huius priuilegij contrahere possint cum Clericis, & Regularibus non habitantibus Parmæ, neque in Diœcesi, habentibus tamen bona ecclesiastica in diœcesi Parmæ, vel in ciuitate? Ratio dubitandi est, quia sicut Priuilegium conceditur solis Hominibus Parmensibus, ita & redundare videtur solum in fauorem Regularium, & Clericorum habitantium hic. *Sexto*, an è contra Parmenses vti possint hoc priuilegio cum Parmensibus Ecclesiasticis quo ad bona illorum existentia extra ciuitatem, & diœcesim? Ratio dubitandi est, quia priuilegium videtur loqui de bonis Ecclesiarum, Monasteriorum, & locorum Piorum ciuitatis, & diœcesis Parmæ, ergo non de bonis positis extra. *Septimo*, an Burgenses modo vti possint hoc priuilegio, cum olim fuerint sub hac diœcesi, & ius acquisiuerint?

Primo respondetur clericos vti posse eo priuilegio contrahendo cum Regularibus, quia in Bulla permittuntur contractus de rebus monasteriorum cum quibuscumque personis, & Hominibus Parmensibus ergo & cum clericis, qui in fauorabilibus veniunt sub illis terminis.

Secundo, Regulares inter se eo priuilegio vti non possunt, quia nullis Regularibus primo, & per se conceditur illud priuilegium, sed tantum in consequentiam cedit in eorum vsum, quatenus alij non Religiosi, quibus primo concessum fuit, volunt cum ipsis contrahere, ergo inter se contrahere non possunt, cum in vsum non possit deduci nisi concurrente aliquo Parmensi non regulari.

Tertio Regulares cum alijs contrahentes adhuc tenentur seruare formam suam Regularum, & Statutorum in materia alienationis, quia per hoc priuilegium non eximuntur ab obseruatione illorum, maxime cum hoc priuilegium illis primo non fuerit concessum. Idem probaui in alijs Resolut. 27. q. 8.

Quarto, recepta pecunia implicanda est in stabilibus, vel solutione debitorum, vel liberatione prædictorum ab oneribus, & debitis, aliter alienatio non cederet non solum in euidentem vtilitatem, sed neq; in vtilitatem, sed tantum in damnum contra mentem expressam Papæ in dicta Bulla.

Quinto Parmenses laici vti possunt eo priuilegio cum Ecclesiasticis extra existentes, modo bona, super quibus contrahitur, sint in ciuitate, vel diœcesi Parmæ, quia omnia bona hic existentia Ecclesiasticorum subijci possunt huic priuilegio, quamuis sint personarum aliarum diœcesum, quia de illis non fit mentio, sed tantum de bonis Ecclesiarum, &c. Quare laicus, vel clericus Parmensis potest emere à Monachis Regiensibus habentibus hic prædia, vel domos.

Sexto, Parmenses possunt contrahere cum Regularibus, & Clericis existentib. hic, super bonis horum existentibus extra diœcesim Parmensem, quia dicuntur bona Ecclesiarum, & monasteriorum ciuitatis, seu diœcesis Parmæ. Vbicumque ergo sint bona Ecclesiastica, siue hic, siue alibi contrahi possunt ad formam huius Priuilegij per Parmenses.

Septimo, quamuis pars bonorum Ecclesiasticorum Burgi S. Donnini olim fuerit sub diœcesi Parmensi, quia Burgenses obediebant Parmensi Episcopo, tamen postquam eorum Ecclesia erecta fuit in Episcopalem, desierunt esse sub hac diœcesi existentes sub propria, consequenter cessauit hoc priuilegium respectu illorum inter se.

Quæres 10. An sine licentia alienari possit fundus censualis possessus à conuentu titulo Saluiani ob decursos fructus non solutos. Vult enim quidam emere ea iura liberãdo fundum, extinguendo censum, & compensando fructus decursos.

Respond. Affirmatiue, quia conuentus illum 35 fundum possidet non simpliciter, sed intuitu fructuum, adeo quod si infra tres, aut quatuor annos *e. g.* sibi satisfaciat de omnibus fructibus decursis tenetur illum restituere domino proprietario, ideo cum non dicatur incorporatus monasterio vendi potest cuicunque soluenti totum debitum. Confirmatur, quia census de se est extinguibilis, ergo quandocunque ab aliquo offeruntur fructus cum capitali, conuentus tenetur illa accipere sine solemnitate, talis enim est natura contractus, nec enim hæc proprie est alienatio, sed census extinctio. Verum quidem est, quod idem capitale iterum est inuestiendum vel emendo alium censum, vel quid stabile frugiferum, quia census computatur inter stabilia, *Clem. Exiui, post med. de verb. signif.* De communi Pasqual. *q. 173. à num.* 6. Fructus vero sunt distrahibiles, cum sint extra rationem stabilis, & immobilis.

RESOLV.

RESOLVTIO LXIII.

De Casibus Iubilæi.

SVMMARIVM.

1 *Moniales non eligunt approbatum pro viris tantum.*
2 *Ieiunans alias ex præcepto lucratur Iubilæum.*
3 *Hebdomadam lucrandi iubilæum designat superior.*
4 *Visitatio Ecclesiæ restringi potest.*
5 *Opera diuidi possunt.*
6 *Ieiunia statis diebus præstanda.*
7 *Communio non necessario die Dominico.*
8 *Negligens differens in vltimum diem non lucratur.*
9 *Iubilæum semel quis lucrari potest valide.*
10 *Oblita reseruata auferuntur absolutione.*
11 *Formæ absolutionis efficacia.*
12 *Oblitorum votorum reseruatio tolli postea potest.*
13 *Connexorum idem iudicium si subsit eadem ratio.*
14 *Dominica postrema præstari possunt aliqua Iubilæi opera.*
15 *Confessarij designari possunt tempore Iubilæi particularis.*
16 *Non autem tempore Iubilæi vniuersalis.*

NOnnulla de Iubilæo dixi *tom. 1. resol. 34. q. 18. pag.* 388. vbi resolui, Regulares posse eligere confessarium sine licentia suorum superiorum, quando à Papa eisdem cum alijs Christi fidelibus indulgetur expresse talis facultas num. 45. In electione autem eum ordinem seruare debent, vt si volunt mutare proprium confessarium accedẽdo ad extraneos, necessariò debent eligere vnum ex approbatis ab ordinario locorum, hoc est, ab Episcopo, vel eius Vicario, num. 46. & 47. cuiuscumque sit diæcesis Episcopus approbans siue eligentis, siue electi confessarij num. 48. Et debet esse actu approbatus tempore electionis num. 55. exire tamen non potest nisi cum licentia sui superioris, siue ad eligendum siue ad lucrandum indulgentiam num. 57. Moniales etiam confessarium ab Episcopo approbatum eligere possunt num. 52. ad cuius electionem neque indigent licentia Episcopi, vel sui superioris, cum id habeant, sicut cæteri regulares immediate à summo Pontifice num. 53. non tamen possunt eligere approbatum pro viris tantum, quia caret iurisdictione erga ipsas mulieres, & moniales num. 54. ad hanc rationem posset quis dicere, non carere iurisdictione, quæ per electionem immediate illi confertur à Papa, vt in simili de iurisdictione ex electione dixi in dicta resol. 34. n. 14. & clarius num. 2. Satisfieri potest, dicendo non tantum requiri hanc electionis iurisdictionem, quam etiam Episcopi supponi à volentibus eligere confessarium. Nonnulla alia dubia retuli *resol. 39. à num. 16. ad 24.* quæ hic non repeto, ne videam prolixior inutiliter. Quibus adiectam sequentia.

Quæres 1. Sanctissimus Vrbanus Papa VIII. feliciter regnans vniuersale Iubilæum hoc anno 1641. per vniuersum orbem transmisit per trimestre duraturum incipiendum à die publicationis; & hic Parmæ die 3. Aprilis eiusdem anni publicatum fuit. Habentea autem casus reseruatos præter alia obligauit ad ieiunium tribus diebus Mercurij, Veneris, & Sabbati, vt beneficium absolutionis à confessario electo super reseruata obtinere possent. Quæres, inquam, an quis possit ieiunando in hebdomada Quatuor Temporum post Pentecostem, non solum satisfacere præcepto ecclesiæ, verum etiam oneri imposito de dicto ieiunio ad consequendum absolutionem à reseruatis?

2 Respond. Potest, probatur, quia si est aliqua difficultas maxime in duobus consistit, primo quia materia seu opus pium, & bonum pro consequendo Iubilæo, debet esse voluntarium, & alias non præceptum; secundo quia vnico actu non potest satisfieri pluribus obligationibus; vtrumque autem falsum probatur, ergo cum solo ieiunio Quatuor temporum satisfieri etiam potest præscriptis ieiunijs pro lucrando Iubilæo quo ad absolutionem à reseruatis. Primum probatur, quia nullo iure, aut ratione suaderi efficaciter potest bonum opus præscriptum pro consequendis indulgentijs debere esse solum voluntarium, & non posse etiam alias præceptum, siquidem adhuc est bonum, & pium, & Deo acceptabile, immo maioris efficaciæ, & virtutis, cum hoc immediate approbetur ab Ecclesia, à qua dependet, non sit voluntarium, quod à sola operantis voluntate dependet, ergo sufficiens pro consequendo Iubilæo. Secundum quod vnico actu pluribus satisfieri possit obligationibus, si non iustitiæ commutatiuæ, saltem iustitiæ legalis, constat ex eo, quod ordine Sacro insignitus, & beneficiarius satisfacit his duabus obligationibus vnica officij diuini recitatione, & vnico ieiunio satisfacit pluribus præceptis, ergo & pro lucrando Iubilæo. Confirmatur, tum quia Summi Pontifices quandoque in Quadragesima concedunt huiusmodi Iubilæa, quandoque incidunt cum vno ex quatuor temporibus, & sic vtrique satisfit. Tum quia in casu nostro Papa concedit, vt in qualibet hebdomoda trium mensium assignatorum quilibet possit lucrari Iubilæũ, sed intra id tempus occurrit septimana quatuor temporum, ergo infra illam sumi potest satisfaciendo vtrique obligationi, & pro quatuor temporibus, & præscripto ieiuniorum pro absolutione à reseruatis. Ita pluribus citatis *docet Bossius de Iubilæo sect. 4. casu 9. Diana part. 5 tract. 12. resol. 54 alijs citatis.*

Quæres 2. An superior localis pro consequendo Iubilæo indicto spatio trium mensium, immo etiam regulariter spatio duarum septimanarum, possit determinare vnam hebdomadam, in qua omnes habeant præstare opera in eo præscripta, si illud sumere solunt.

3 Res. Potest, probatur, Tum quia sic magis conseruantur in vnitate, & caritate bonorũ operum, tum quia vita communis exigit communem vitam, ergo potest superior ad eam cogere in hoc casu. Tum quia præcipere potest ea, quæ spectant ad communem vitam in refectorio exercendam. Tum quia ex constitut. Clem. VIII. n. 10. instituitur communis vita in victu, & potu seruanda in refectorio, ergo & in hoc casu manuteneri potest, & debet à superiore incongruum enim est in eadem mensa aliquos epulari, alios vero esurire ieiunio. Tum quia id seruatur in domibus secularium bene ordinatis, ergo perfectiori modo id præstandum est in domibus regularium; ex quibus congruentiis infertur prælatum id præcipere posse, & subditos teneri obedire.

Quæres 3. An præcipere possit, vt volentes lucrari Iubilæum visitent tantum vnam ex deputatis Ecclesiam, & eam viciniorem conuentui, quando in Bulla exprimitur sufficere vnius tantum visitationem?

4 Respond. Restringere potest superior suos Fratres ad visitandum vnicam Ecclesiam & viciniorem. Tum quia sic subtrahitur regularibus vagandi occasio, quæ est multum periculosa, cap. vt periculosa, ne cler. vel mon. Tum quia per hanc restrictionẽ non impeditur lucrum Iubilæi.

Quæres 4. An opera exequenda, cuiusmodi sunt eleëmosina, visitatio Ecclesiæ, ieiunium, confessio, & & communio diuidi possint, ita quod quis possit in vna hebdomada ieiunere v. g. in alia confiteri, & in alia visitare Ecclesias? Multi sequendo rigorem verborum Bullarum Iubilæi negant posse diuidi, sed asserunt exequenda esse omnia sub vna, & eadem hebdomada, quia ita colligitur ex contextu verborum, & commune axioma est, quod *Bulla tantum valet, quantum sonat.* Isti sunt Zerola *lib. 1. de Iubil. cap. 16. q. 9. Lauor. part. 1. de Iubil. cap. 21. num. 6. & 52. Graff. Append. lib. 2.*

lib. 2. cap. 5. quos & alios contra se citat *Bossius sect. 4. de Iubil. casu 5.*

5 Respond. Opera diuidi possunt non solum ex rationabili causa, verum etiam voluntarie, Tum quia fauores, qui nulli nocent, & omnibus prosunt ampliandi sunt. Tum quia nullum est inconueniens diuidere hæc opera, sed bonum videtur esse huiusmodi diuisio, quia continet prolixius tempus ad bene agendum. Tum quia licet alias expresse videatur contrarium deduci ex contextu verborum, id tamen non importat formam essentialem, sed ordinatum, & perfectiorem modum exercendi bona opera præscripta, consequenter conditio nō est, sed modus, cuius inobseruatio non impedit lucrum Iubilæi. Hanc tenent multi cum *Bonac. de indul. p. 5. nu. 34. Layman. lib. 5. tract. 7. cap. 8. num. 9. dub. 4. Nald. v. Indulg. 14. Diana part. 5. tract. 12. res. 24.*

6 Ieiunia verò non videntur diuidenda per hebdomadas, sed tribus diebus assignatis vnius hebdomadæ peragenda, sic dictante eorum fine, qui est carnis maceratio, quæ magis sentitur intra eandem hebdomadam, quam in

7 diuisis. Item assignata communio die dominico sequenti anticipari, vel differri potest ob allatas rationes ad differentiam ieiuniorum, nam illi dies pro ieiunio assignati habent quamdam proportionem cum ieiunio, secundum communem ecclesiæ praxim, sacra vero communio cum quolibet die indifferenter locum habere videtur, itaque non est alligata diei dominicæ. *Diana aliis citatis part. prima tract. 15. resol. 28. & part. 2. resol. 153. tract. 14. part. 5. tract. 12. resol. 17.*

Quæres 5. An qui se reduxit ad vltimam hebdomadam ex negligentia pro acquirendo Iubilæo, illius sit capax, & quo ad indulgentiam, & absolutionem à reseruatis, si non ieiunauit diebus Mercurij, & Veneris, posito, quod die sabbati vltimi accesserit ad pedes cōfessarij pænitentia ductus, an tunc cum eo confessarius electus dispensare possit, seu potius commutare illa ieiunia in aliud opus pium, vel illa transferre in sequentem hebdomadam extra tempus Iubilæi? Affirmant Filliuc. tom. 1. tract. 8. cap. 10. n. 268. & 273. Polachus de Iubil. *sect. 42. nu. 65. & 66. Alfons. de Leone part. 2. de Iubil. num. 186. Sanctarell. capit. 7. de Iubil. dub. prima Diana prædictos citans parte quinta, tract. 12. resolutione 25.* probans, & quia licet ex malitia omiserit, tamen pœnitentia ductus dicitur impotens; & quia licet voluntarie omittens non dicatur impeditus, tamen impedimentum voluntarium non est, sed tantum tale in causa, & posita pœnitētia euaderet impedimentum necessarium ex suppositione; Demum nondum est elapsum tempus, ergo dispensari potest à confessario.

8 Respond. Differens ex negligentia, seu malitia vsq; ad vltimum recipere Iubilæum dispensabilis non est in operibus omissis, consequenter Iubilæum consequi non potest, quia dispensatio in operibus præscriptis ad illud lucrandum non habet locum, vbi pœnitens nullo detinetur impedimento iusto, & legitimo, hoc enim expresse dicunt Bullæ Iubilæorum similibus verbis. *Alio quocumque impedimento detentis.* Iustum autem impedimentum est de forma essentiali, cum sit iusta, & legitima causa, sine qua existere neque dispensatio, aut commutatio fieri potest, vt tradūt omnes in materia de dispensationibus. Confirmatur, quia ex propria malitia inconueniens est commodum reportasse, ex vulgatis iuribus; neque negligentibus iura subueniunt *l. Non enim ff. ex* quibus causis maior, & negligentiæ ignosci non debet, l. *Veluti ff. de eden. Ita Prapositus Iesuita apud Dianam citatus.*

Resp. Ad obiecta ex præmissa probatione impedimentum ex negligentia, seu malitiose interpositum non posse iustificari per desiderium lucrandi Iubilæum, consequenter ex ductu illius pœnitentiæ cōfessarius electus nullum consequitur ius fauore pœnitentis petentis dispensari, seu commutari opera præscripta in alia, vel similia, seu potius tempus ipsum differri; ex qua neque ille vltimus dies prodest pœnitenti, vt tempus sibi prorogetur ad exequenda opera in Iubileo iniuncta, quia prorogatio non à tempore, etiam vtili, sed à iusto impedimento prouenire debet.

Quæres 6. An Iubilæum bis recipi possit tam quo ad indulgentiam, quam quoad absolutionem, durante tempore præfixo ad illius lucrum? Affirmant *Graff. Append. lib. 2. cap. 2. n. 23. Regin. lib. 8. cap. 5. n. 64. Molfes. tract. 7. cap. 16. n. 45. quos sequitur citatos Diana part. 2. tract. 17. resol. 49. & part. 5. tract. 12. resol. 28. vbi citat Benzonium lib. 5. de Iubil. cap. 15. dub. 23. Zerol. lib. 1. cap. 16. q. 20. Sanctarellum cap. 5. dub. 4. Lauorium part. 1. cap. 21. n. 65. Floronum. part. 1. cap. 6. §. 5. n. 2. Nald. n. 4. & 5. & alios*; Probant, quia indulgentia est res valde fauorabilis nulli perniciosa; & quia in prima hebdomada pluries potest absolui à reseruatis, & quia nulla videtur sufficiens ratio negandi Iubilæum ei, qui secunda vice adimpleuit opera, ex quarum executione sequitur lucrum Iubilæi.

9 Respond. Pœnitens potest quidem denuo opera in Iubilæo præscripta præstare ad eum finē, & effectum, vt possit consequi non secundo indulgentiam, & absolutionem à reseruatis de nouo contractis, sed solum vt rite consequatur Iubilæum quo ad vtrumque ex suppositione quod primo ex aliqua indispositione illud obtinere non potuerit. Non vero potest consequi Iubilæum, & quoad nouam indulgentiam, & quoad absolutionem reseruatorum, vel commutationem votorum factorum de nouo.

Primum suadetur, quia nondum dicitur lucratus fuisse indulgentiam, ergo adhuc ius habet ad illam; & quia semel dicitur acquisita, & quia si non valet actus primus, potest fieri secundus, ad notata *per Tiraque in l. Bones §. Hoc sermone limit. 6. de verbis signif.* & nomine actus venit solum validus, ita quod actus inualidus reputatur ac si factus non fuerit *ex eod. Tiraque citato à Sanch. lib. 3. disp. 2. nu. 5. & lib. 8. disp. 31. n. 3.*

Secundum probatur ex contextu verborum Iubilæorum, in quibus adsunt talia verba, quæ restringunt illius lucrum ad vnicam vicem. Confirmatur, quia sermo simpliciter prolatus verificatur in prima vice, l. *Dotis promissio, ff. de iure dot. l. Bones §. Hoc sermone ff. de verb. sign. l. Cum pater 79. §. Pater ff. de leg. & fideicom.* Præterquam quod absolutio à reseruatis est odiosa, consequenter restringenda, alias si posset pluries absolui à reseruatis occasio esset sæpius liberius incidendi in peccata. Vide autores huius nostræ responsionis apud citatum Dianam.

Quæres 7. An qui tempore iubilæi oblitus fuit aliquorum reseruatorum tam censurarum, & peccatorum, quam votorum; tempore transacto, possit absolui à quouis confessario tam à censuris, & peccatis, quam in commutatione votorum? procedit quæstio in eo, qui bona voluntate confessus est cum intentione lucrandi iubilæum, quamuis postea non fuerit consecutus illud. Certum ex inualiditate confessionis pænitentem nullum consequi ius super reseruatis, quia hoc priuilegium conceditur vere contritis, & confessis, seu vere pœnitentibus. Posita ergo validitate confessionis quæstio procedit iuxta propositum.

10 Respond. Valide confessus acquisiuit ius super reseruatis inculpabiliter oblitis tam censuris, & peccatis, quam votis, siue postea lucratus fuerit Iubilæum, siue noluerit illud obtinere, loquendo de peccatis, votorum vero oblitorum non potest consequi beneficium commutationis, si iubilæum lucratus non fuit.

Primum de censuris, & peccatis reseruatis suadetur. Tum quia valide confessus fuit, ergo obtinuit absolutionem etiam à reseruatis oblitis, non enim potest vnum peccatum mortale remitti sine aliis, Impium enim est sperare dimidiam peccatorum veniam ablata autem culpa, consequenter tollitur reseruatio accessoria

soria. Tum quia Papa concedendo iubilæum fauore pœnitentium, quantum in se est, intendit obligare pœnitentes Iubilæum lucrari volentes a reseruatione. Tum quia ea verbis formalibus formæ absolutionis traditæ in Rituali Pauli V. qua nostris temporibus omnes confessarij vtuntur, de iure debet habere absoluens intentionem absoluendi ab omnibus à quibus potest, habentur enim ea verba, *In quantum possunt, & tu indiges*: sed confessarius potest tempore Iubilæi absoluere ab omnibus censuris, & peccatis reseruatis, & illorum absolutione indiget pœnitens, licet tunc ambo absoluens nempe, & pœnitens id ignorent, ergo vere absoluit etiam à reseruatis oblitis. Ex qua efficaci ratione tollitur opinio eorum, qui ex parte confessarij actualem intentionem absoluendi ab omnibus reseruatis etiam in genere, & pro remedio pœnitentis, qui debet petere generalem absolutionem ab omnibus peccatis confessis, & oblitis, nam vtrumque virtualiter continetur in forma absolutionis, quam modo omnes confessarij adhibent. Qui ergo ritè obtinuit absolutionem tempore iubilæi, & reseruatorum oblitus fuit inculpabiliter cum intentione lucrandi Iubilæum, quamuis postea illud non fuerit consequutus, ab illis poterit transacto tempore Iubilæi absolui à quocumque confessario. Item dic de quocumque alio habente potestatem absoluendi à reseruatis, sub ea enim generalia absolutione includuntur etiam oblita virtute verborum Formæ absolutionis prolatæ prout iacet secundum intentionem, quam habuit Ecclesia in editione huiusmodi formæ. Est communis opinio doctorum *apud Bonac. q. 7. de Pænit. p. 5. §. V. n. 1. ad 6. & de censur. q. 3. p. 6. Gabriel. in 4. dist. 17. q. 1. art. 3. dub. 2 Silu. confessio 1. q. 4. Angel. n. 22. Suar. tom. 4. de Pænit. disp. 31. sect. 3. num.* 14. dum dicit hoc verum, quando confessarius habet generalem intentionem absoluendi ab omnibus, quam ego dixi habere, dum in absolutione vtitur forma à Paulo V. præscripta in suo Rituali. *Sanch. lib. 4. cap. 54. num. 45. & lib. 8. disp. 15. Floren. multa congerit part. 1. de casibus reseru. cap. 4. §. X. Bossius sect. 1. de Iubil. casu.* 28. vbi ait censuram reseruatam oblitam omnino tolli, & remanere solum obligationem confitendi peccatum cuilibet confessario.

12 Secundum de votis oblitis, præmisso rite iubilæo, suadetur, Tum quia acquisiuit ius ad priuilegium commutationis, cũ exequutus fuerit omnia in Iubilæo præscripta, & cum obliuio sit digna excusatione, ei nocere non debet. Tum quia in causa cœpta prorogatur iurisdictio iudicis, *l. De qua re 74. §. Index, ff. de iudic. cap. In literis 9. de off. deleg.* Et si prorogatio pendeat à consensu partium ex cap. De causis, de offic. deleg. tamen ad rem hanc non facit, quia ille communis consensus requiritur in causis forensibus vbi agitur de præiudicio alterius litigantis, in foro autem conscientiæ cum nulli præiudicium afferatur, prorogatio habet locum fauore animæ sine illo speciali consensu, quamuis alioquin accessus ad confessarium volentem commutare succedat loco communis consensus partium, quæ facile conueniunt, cum de nullius præiudicio agatur, consequenter quamuis confessarium petere potest pro obtinenda commutatione votorum ob allatam disparitatem. Hanc sequuntur *Zerola de Iubileo cap. 12. dub. 10. Sayr. in Claui lib. 6. cap. 12. n. 14. Sanch. lib. 4. cap. 54. num. 39. Bossius sect. 2. de Iubil. casu 45. contra alios apud citatos.* Quod si noluit lucrari iubilæum nullum ius habet ad commutationem, quia hoc ius non habet tempore Iubilæi cum ea intentione, ergo multo minus post tempus præteritum. *Ita Bossius cit. casu 40. Sanch. lib. 4. cap. 54. num. 51. qui num. 50.* dixerat bene obtineri posse executionem commutationis, quando confessarius generaliter commutauit omnia, vota etiam oblita, reseruando sibi opera, seu materiam ponendam loco præteritæ. *Diana resol. 41. de Indulg. tract. 12. part. 5. contra Homob. & Leonem,* ea ratione, quod absolutio à reseruatis habet connexionem cum commutatione votorum, consequenter sublatis peccatis reseruatis aufertur etiam reseruatio votorum, connexorum enim eadem est dispositio, procedit hoc axioma nisi adsit diuersa ratio, *Glos. v. Ex eo quod, cap. Præterea. de off. deleg.* quæ reperitur in casu nostro, nam absolutio à peccatis est per se ordinata ad consequutionem Iubilæi, non autem votorum commutatio, sine Indulgentia, consequi potest. Præterea nullam habent connexionem ad inuicem peccata. & vota, cum diuisim auferri possint.

13 Quæres 8. An tempus Iubilei numerandum sit à prima die, quo publicatum fuit, & cum semper publicetur diebus festiuis, seu dominicis, ille dies publicationis totus numerandus sit, an vero incipiendum sit à sequenti die post publicationem. Exemplum sit in Iubilęo vniuersali Vrbani Papæ VIII. dato anno præsenti 1641. quod Parmæ incepit die 7. Aprilis. Dominica in Albis, & desinit die 7. Iulij pariter dominica. Nam si primus dies vtilis est, vltimus superfluit, & tamen hoc vltimo die multi confessi sunt, & sacram communionem receperunt, ex quo videtur inferri primum diem non computari pro initio trium mensium, contra expressa verba Iubilæi, ibi: *Spatio trium mensium à die data præsentium computandorum.* Item. *In die Dominica immediate sequentium* Ampliandum ergo videtur spatium trium mensium.

14 Respond. Vltimo illo die dominico Christi fidelis non solum potest sacram recipere communionem, sed etiam antecedenter eodem die absolui à reseruatis, & votorum commutationem recipere, & Ecclesiam visitare etiam per illam totam diem, si eam non visitauerat. Probatur per ipsamet verba Bullæ. *Pariterque peccata sua confessi, ac saltem in die Dominica immediate sequenti sanctissima communione refecti fuerint.* Ecce confessio, & communio regulantur sub eadem Dominica, quia enim homo pronus est ad malum, & facile cadit, ideo necesse est illi præmittere eodem tempore confessionem sacræ communioni. Confirmatur per dictionem illam, *Saltem*, quæ est implicatiua præcedentium, non autem limitatiua, *Seraphin decis. 787. nu.* 8. Neque superfluit dies, illo enim primo die regulariter nullus incipit se disponere ad receptionem Iubilæi, sed sequentibus, consequenter postremus totus vtilis est ad perfectionem, & absolutionem consequutionis Iubilæi, fauores enim ampliandi sunt, & eorum dies non superfluunt, licet abundent. *Vide Nau. tom. 3. de Indulg. not. 19. num. 19. §. Præsupposito, & in Miscell. de orat. miscell. 95. tom. 4. alios citat Bossius sect. 1. de Iubil. casu 37. num.* 7. vbi id tenet de absolutione, & commutatione. Quod idem dicendum est de oratione, & visitatione Ecclesiæ cum totus ille dies postremus vtilis sit defectu primi, quo homo regulariter non se disponit ad aliquẽ actum faciendum eodẽ die.

Quæres 9. Sixtus V. Pontifex maximus concessit Iubilæum N. singulis annis percipiendum, cum facultate eligendi confessarium ex approbatis ab ordinario dicti loci, qui absoluat ab omnibus, & quibuscumque peccatis, censuris, & pœnis reseruatis iam sedi apostolicæ, quam eidem ordinario. Quæres, inquam, an pœnitens possit eligere quenlibet confessarium dicti loci, non obstante, quod Episcopus in eo casu declarauerit confessarios in specie pro absolutione in tali casu Iubilæi?

15 Respond. Si ab initio, non obstante tali confessariorum designatione, pœnitentes cœperunt accedere ad quemlibet confessarium simpliciter approbatum, nullam differentiam faciendo inter designatos, & alios, possunt prosequi in electione pro suo libito, quia ea designatio vsu pœnitentium probata non fuit, & rationabiliter, quia ex quo Papa Sixtus non expressit illam designationem faciendam ab Episcopo, infertur, neque Episcopum potuisse illam designationem facere

eo quod priuilegia Principis maximè fauorabilia, vt est Iubilæum, late interpretanda sunt fauore pœnitentium specialiter in ordine ad electionem confessarij, præterquam quod videtur fieri iniuria vni religioni, cui non datur designatio confessariorum, aliorum ordinum designatis confessariis. Quod si pœnitentes cœperunt accedere ad designatos tantum, signum est, quod Episcopi statutum circa hoc habuit suum effectum, quod & seruare tenentur, neque confessarij non designati reclamare possunt, obstante præscriptione enim contra illos, conniuentes, & tacentes intelliguntur cessisse iuri suo, si quod habebant acceptandi electionem de se factam à pœnitentibus.

16 Tempore iubilæi vniuersalissimi, immò & cuiuscumque alterius non licet assignare huiusmodi confessarios, quia Papa omnibus Christi fidelibus dat facultatem eligendi sibi confessarium ex approbatis ab ordinariis locorum, non distinguendo inter hos, vel illos, ergo neque Episcopus potest distinguere nisi cum iniuria graui eorumdem confessariorum, & designatio specialium confessariorum non intenditur à Papa, cù loquatur de confessariis approbatis, non designatis, quia iam supponuntur confessarij, ergo nulla ratio videtur facere pro Episcopis, consequenter hoc ius designandi confessarios nequaquam habent, nisi illud acquirant conniuentibus pœnitentibus & confessariis, vt dixi.

RESOLVTIO LXIV.

De Sacris Ritibus.

SVMMARIVM.

1 *Canones duo referuntur de sacris ritibus.*
2 *Ritus quid, & quotuplex.*
3 *Orationes in fine Litaniarum dicuntur flexis genibus.*
4 *Incensum ministratur à sacerdote stante ad medium altaris.*
5 *Celebrans stat in latere Euangelij dum benedicit Diaconum.*
6 *Euangelij liber in medio altaris vbi calix.*
7 *Liber alter ab illo sacerdotis, vel idem.*
8 *Versio in altari semper ad partem epistolæ.*
9 Gloria *cum* Lauabo *finitur in cornu epistolæ.*
10 *Reliquiæ non collocantur in medio, sed à latere.*
11 *Lectio simplicia legitur infra octauam Corporis Christi.*
12 *Dignitas in officio vbi attendatur.*
13 Gloria tibi Domine *dicitur ante Dominicam in officio Conceptionis.*
14 *Patronus religionis præcedit patronum vrbis.*
15 *Officium ad libitum, & ex præcepto quomodo celebrantur.*
16 *Imago non discooperitur dum missa celebratur.*
17 *Prælati regulares maiores sedent ad latus euangelij.*
18 *Antiphonæ quomodo præintonandæ sint?*
19 *Iudex sacrorum rituum quinam?*
20 *Tabernaculum sine stola, & cotta transferens p. v.*
21 *Tangens Eucharistiam præcisè in p. m. peccat solum v.*
22 *Dianæ opinio de non peccante mortaliter in communic.*
23 *Sacerdos dispensans Eucharistiam in p. m. peccat mortaliter.*
24 *Concurrit ad collationem gratiæ, sicut fit in aliis.*
25 *Dianæ oppositum rejicitur.*
26 *Probabilissima opinio quæ sit?*
27 *Eucharistia spectatur dupliciter.*
28 *Missa omissio nominis Episcopi, & sancti in canone peccatum quale.*
29 *Missalis, & Breuiarij mutua illatio tenet.*
30 Gloria tibi Domine *in 2. Completorio Conceptionis dicitur.*
31 Alleluia *in officio C. C. infra annum dicitur.*
32 *Fœmina esset vngenda in lumbis.*
33 *Sequentia mortuorum omissio veniale.*
34 *Gloria, vel Credo omissio veniale.*
35 *Memento applicatur ante missam.*
36 *Horis in canonicis religiosus conformatur vbi reperitur.*
37 *Completorium Passionis Christi sine Pater, neque ante, neque post.*
38 *Benedictio Missæ quomodo fiat diebus Passionis.*
39 *Dum musici canunt versum suum, quis potest orare.*
40 Alleluia *non dicitur in officio B. M. extra chorum, neque in aliis precibus.*

1 De Sacris Ritibus, & Cæremoniis Ecclesiasticis Sacrum Concil. Tridentinum ita definit Sess. 7. can. 13. *Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato à ministris pro libito omitti, aut in nouos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mutari posse: Anathema sit* De materia huius canonis *vide Henr. lib.* 1. sum. cap. 11. Coninch. tom. 1. de sacram. q. 66. n. 99. & q. 71. num. 3. Regin. lib. 26. num. 10. & 28. Ledesma part. 1. de sacram. c. 12. de Baptismo Bonac. q. fine de sacram. in gener. Honiob. parte 1. exam. tract. 4. cap. 2. quæst. 7. *Molfesium in sua Theologia mor. tract. 1. cap. 9. num. 7.* Idem Tridentinum Sess. 22. cap. 5. & can. 7. de sacrificio Missæ ita definit. *Si quis dixerit, cæremonias, vestes, & externa signa, quibus in missarum celebratione Ecclesia Catholica vtitur, irritabula impietatis esse magis, quam officia pietatis: Anatema sit.* De qua re vide *Sotum in 4. dist. 13. q. 2.* art. 4 Grafl. part. 1. lib. 2. cap 41. Bonac. de sacram. disp. 4. q. fin. p. 9. num. 20. & disp. 8. p. 2. num. 43: Suar. tom. 3. in part. 3. disp. 82. sect. 2. & 3. alios citat cum prædictis Barbosa super dictum cap. Becan. cap. 25. de sacram. q. 7. de vsu, & significatione vestium, bene Fagundez lib. 3. præcepto primo eccles. cap. 23. Faciunt quæ ego *dixi tom. 1. Resol. 17. de Benediction.*

2 Ritus autem apud præcitatos est actus externus, quo Deus colitur, vnde pertinet ad virtutem religionis, quæ est habitus inclinans naturam intellectualem ad Deum colendum. Sunt autem in duplici differentia, alij vocantur essentiales, intrinseci, & de necessitate sacramentorum, & sacrificij cuiusmodi sunt singulorum materia, forma, & intentio ministri; alij vocãtur accidentales, extrinseci, & de præcepto, vt benedictio, signum crucis, recitatio alta voce, secreto, stare, genuflectere, &c. Priores ritus sunt de essentia quorum omissione nullum conficitur sacramentum, nullum sacrificium, & graue sacrilegium eorum omissione contrahitur. Secundi generis ritus, & ad propositum magis vocatæ Cæremoniæ non sunt de substantia rei sacræ, sed eorum omissio culpabilis infert peccatum aliquando graue, quando notabilis cæremonia omittitur, vel alteratur, aut noua inducitur, quandoque veniales, si leuis sit omissio, alteratio, seu mutatio, & regulariter videtur esse solum veniale, si distributiue accipiantur in eodem contextu actionis. Sed vt distincte procedatur.

Quæres 1. An orationes septem Psalmorum Pœnitentialium à sacerdote in fine Lytaniarum dicendæ sint genuflexo, an stante? Idem & quando in choro recitantur Lytaniæ in diebus Rogationum?

3 Respon. Genuflexè, Tum quia initium, & medium recitatum fuit ab omnibus genuflexis, ergo & reliquum, cum finis, & mediorum sit eadem ratio. l. oratio ff. de spons. constat autem de genuflexione principij & mediorum, ergo ex illorum qualitate infertur conditio finis. Tum quia stare denotat resurrectionem Christi, quem sacerdos repræsentare non potest in

recitatione Psalmorum pœnitentialium, cum simul oret cum aliis pro remissione peccatorum tam propriorum, quam aliorum cum ipso in choro Psallentium. Nec obstat, quod in aliis officiis hebdomadarius stet *ex Rub.* 34. *num.* 4. quia est pro officio ordinario; quia in illis designat Christum stantem in sua resurrectione. In his autem quæritur à peccatis resurrectio, ergo genuflexione, quæ pœnitentiam indicat quærenda, Oppositum docet *Andraas Piscara Castaldus in suo Caremon. edit. sub anno* 1613. *lib.* 2. *cap.* 18 *num.* 30. & *Gauantus ad finem Breuiarij sect.* 10. *cap.* 1. extremis fere verbis, ea ratione, quia id præscribitur in fine Breuiarij; id tamen non inueni in meo edito 1634. Ideo me remitto, si ita est.

Quæres 2. An celebrans antequam Diaconus cantet Euangelium in medio altaris debeat stare, & ibi se vertere ad dexteram pro impositione incensus in thoribulum, & pro danda benedictione Diacono Euangelium cantaturo? Obserua autem verba Rubricæ ibi: *Et ibi ministrat celebranti, qui in medio altaris submissa voce dicto Munda cor meum, &c. deinde lecto Euangelio, quod in fine non osculatur, delato etiam per Diaconum libro Euangeliorum ad altare imponit incensum in thuribulum, postea Diaconus genuflexus ante altare dicit, Munda cor meum, & accipiens librum Euangeliorum de altari petit benedictionem à celebrante similiter genuflexus in superiori gradu altaris, & osculata illius manu. Interim celebrans post datam Diacono benedictionem retrahens se ad cornu epistolæ, ibi stat iunctis manibus.* Hinc oriuntur quatuor difficultates. Prima est, vbi stet in impositione incensus? Secunda vbi pariter quando benedicit Diaconum? Tertia, in quanam parte altaris reponat librum Euangeliorum? Quarta, an sit idem liber, quo celebrans vtitur? Singulis respondetur.

4 Primæ, stans in medio altaris imponit incensum in thuribulo, ita enim dicit *Gauantus part.* 2. *tit.* 6. *ad Rubr.* 6. *num.* 5. seruandum esse eumdem modum, quo prima vice impositum fuit, nam in Rubr. 4. num. 4. sic dicitur. *Ascendit cum Ministris ad medium altaris, vbi dicto, Oramus &c. ponit incensum.* Nota aduerbium *Vbi* importat enim medium altaris.

5 Secundæ dicit Gauantus ibidem sacerdotem stare in latere Euangelij, non omnino conuersum ad Diaconum, dum illum benedicit. Ratio potest esse, vt commodius possit Diaconus benedictione accepta deosculari manum celebrantis, genuflectit autem in superiori gradu ob commoditatem celebrantis, qui non debet recedere ab altari. Post quam autem Diaconus dixerit *Munda cor meum* recipiet Missale de altari; & postea petet benedictionem.

6 Tertiæ liber Euangeliorum ante incensationem ponitur super medium altaris, vbi calix collocatur, vt ex Baronio docet Gauantus cit. §. Hoc loco, & omnes alij docent ob dignitatem Euangelij, quod repræsentat Christum ipsum, qui in templo in medio doctorum audiebat illos, & interrogabat.

7 Quartæ respondet Dominicus Thedaldus sacerdos Placentinus cap. 11. Missa solemnis in sua Stacbyologia pag. 69. esse alterum librum ab illo celebrantis. Sed quid? siquis accipiendum esse illum sacerdotis diceret ob vnitatem euangelij, certe non male responderet, quia denotaret idem euangelium vtriusque ministri: & ad hoc facit S. Augustinus in Ioannem tract. 36. ibi: *In quatuor Euangelijs, vel potius quatuor libris vnius euangelij.*

8 Respond. Ad principale quæsitum, sacerdotem tam pro incenso, quam benedictione debere se vertere ad latus epistolæ, & motu naturali; quia is motus seruatur è sacerdote in aliis ritibus ad altare; & quia est perfectior cum sit à dextera ad sinistram; & quia commodior ad incensum imponẽdum in thuribulum, quod offertur ex parte epistolæ; & quia per hoc terga non vertit ad crucem, neque ad librum, cum vt posito super medium altaris defertur.

Quæres 3. An sacerdos finiat Psalmum. *Lauabo inter innocentes* dicendo *Gloria Patri, &c.* eundo ad medium altaris? an totum perficiat persistendo in cornu epistolæ? Gauantus hic dicit Versum, *Gloria Patri*, dici posse cum reditur, in medio altaris caput inclinatur.

9 Non placet, quia si ad *Gloria Patri* inclinatur caput, sine dubio persistere debet vsque ad illius finem in cornu epistolæ, & post redire ad medium altaris, aliter actum inclinationis capitis præstare non potest, quia capitis humiliatio fit sine motu locali personæ. Confirmatur, quia *Gloria Patri* est pars Psalmi, ergo in cornu epistolæ dicendus sicut dicitur Psalmus, totius enim & partis idem ius est. *l. Qua de tota* 75. *ff. de rei vendic. cap. Pastoralis* 28. §. *Item cum totum ff. de off. deleg.*

Quæres 4. An aliqua Reliquia exponi possit adoranda in medio altaris, vbi reponitur calix ante Sacramentum, vel Crucem, & remoueri crux, & in eius locum collocari Reliquia.

10 Respond. Reliquiæ collocandæ sunt à lateribus Euangelij, & Epistolæ, hinc inde ad Crucem, vt supponitur Rubr. 4. De Introitu, Kyrie, & Gloria, num. 5. licet exponantur adorandæ etiam in die propriæ festiuitatis, neque enim decet seruum obtinere digniorem locum supra dominum suum, & insinuat *Gauantus part.* 1. *tit.* 20. *ad finem.* §. *Vasa.*

Quæres 5. An infra octauas Epiphaniæ, Paschæ, Ascensionis, Pentecostes, & Corporis Christi, in quibus potest fieri commemoratio Sancti Simplicis, legi possit eius nona lectio propria, si in Breuiario assignetur? Ratio dubitandi est, nam in Rubrica de Epiphania dicitur. *De simplici fit commemoratio.* Euacuatur tamen difficultas, quia vnicus simplex sanctus nempe Higinus Papa, & martyr lectione propria carens. De festo Paschatis cum sua octaua nil dicitur. Infra octauam Ascensionis legitur etiam nona lectio sancti simplicis, vt expresse dicitur in fine officij illius diei. De festo Pentecostes ita dicitur. *Si infra octauam occurrat festum nouem lectionum transfertur post octauam, de simplici autem in hoc triduo nulla fit commemoratio.* Loquendo autem de festo Corporis Christi infra eius octauam sic dicitur. *De Simplici fit tantum commemoratio.* Difficultas autem circa festa Paschæ, & Pentecostes facile resoluitur *ex Rubr.* 9. *de commem. num.* 10. vbi dicitur nouam lectionem non esse legendam in officio trium lectionum, cuiusmodi sunt prædicta, restat ergo difficultas infra octauam Corporis Christi, quidam negant, quia non asseritur esse legenda nona lectio sicut exprimitur infra octauam Ascensionis, vt supra retuli; Gauantus vero hic asserit quia hæc rubrica exponitur per præcedentem de Ascensione, & colligitur ex citata *Rubr.* 9. *de commem. num.* 10. vbi dicitur legi nona lectio simplicis, nisi fiat officium trium lectionum, & sic obseruant omnes Calendarijstæ.

11 Sed non placet ratio Gauanti per primam Rubricam Ascensionis explicari secundam de Corpore Christi, & quia ante Clementem VIII. non exprimebatur nona lectio, sicut post, ergo signum est legendam esse infra octauam Corporis, cui non additur expresse, & quia ex diuersis non fit illatio, dignior enim est octaua Corporis Christi, quæ non admittit semiduplex occurrens, neque duplex translatum, vtique infra octauam Ascensionis vtriusque officium admittitur; & quia particula *Tantum* affirmatiue posita, vt in casu nostro, excludit omne id, quod in dispositione non continetur *Iason in l.* 1. *ff. si quis ius dic. non obtemp. Socin. Iunior lib.* 2. *consil.* 53. consequenter restringitur id, quod dicitur *Gauanto in citata Rubr. n.* 10.

Quæres 6. Inter quæ officia attendatur maior, vel minor dignitas tamen in festis occurrentibus pro transferendo minus digno, quam in concurrentibus in

Vesperis,

Vesperis, de quorum digni..i erunt integræ vesperæ cum alterius commemoratione?

12 Respond. Attenditur in occurrentiis in officiis quibuscumque duplicibus; in concurrentiis vero attenditur tantum in duplicibus primæ, & secundæ classis, & maioribus in alis non attenditur, vnde in istis fit semper à capitulo. Id tamen colligitur ex Tabellis appositis in fine Rubricarum.

Quæres 7. An apud Franciscanos Trium Ordinum, quibus indulgetur priuilegium celebrandi officium Conceptionis Beatæ Mariæ semper Virginis omnibus Sabbatis Officio nouem lectionum non impeditis, in Hymno Vesperarum, & Completorijs Dominicæ dicendus sit *Gloria tibi Domine*?

13 Respond. Dicendus est, & quia dicitur in antecedentibus vesperis die veneris, quando fit de S. Maria in Sabbato iuxta Breuiarium Romanum, licet de S. Maria solum commemoratio facta fuerit: & quia Officium hoc semiduplex est, consequenter continuatur vsque ad Completorium inclusiue.

Quæres 8. Die quarta Octobris Bononiæ occurrunt duo Patroni nempe S. Franciscus pro religione sua, & S. Petronius pro ciuitate Bononiæ, de quorum fit celebrandum officium? & cum vtriusque officium sit sub titulo duplicis primæ classis, & vterque patronus, ille totius religionis, iste totius vrbis, Sanctus Franciscus specialis Patronus generalis, & vniuersalis communis est regularibus, videndum est quis eorum dignior, de quo fieri debeat officium.

14 Respond. Agendum est officium de S. Francisco. Tum quia si attendatur dignitas personæ S. Franciscus excedit S. Petronium. Tum quia Regulares non tenentur ad octauam Patroni loci, vtique vero Patroni proprij, vt decisum refert *Gauant. sect. 3 c. 12.* de Patrono loci n. 4. Tum Regulares magis debentur proprio patrono, quam communi sibi cum alijs. Faciunt, quæ dixi resol. 30. n. 23. de sancto proprio religionis præferendo sancto Calendarij Romani, quando eodem die occurrunt.

Quæres 9. An officium ad libitum, vt sanctorum Philippi Nerij, Caroli, &c. sit impeditiuum alterius etiam duplicis translati, ita quod determinato die celebrandum sit officium semiduplex ad libitum, & translatum duplex adhuc differendum? Item ex duobus translatis eiusdem ordinis, quodnam illorum celebrandum sit, si vnum sit ex præcepto, alterum ad libitum?

15 Respond. Officium Sancti ad libitum suo determinato die celebratur, ita quod ille dies dicitur impediti officio nouem lectionum respectu translati, ratio est, quia etsi officium sit ad libitum, tamen posito, quod quis velit illud recitare, debet id facere eo die, quo determinatur ab Ecclesia, quo enim ad diem fixum nihil differt ab alijs officijs. Si vero sermo sit de vtrisque translatis eiusdem ordinis, ad libitum cedit officio ex necessitate, quia præceptum vrget accelerationem, fauor autem indulget tempus priuilegiario.

Quæres 10. Quæ preces veniant sub nomine Lytaniarum?

Respond. *resol. 55. à num. 28. ad 30.* Venire Lytanias post Psalmos Pœnitentiales vsque ad orationem Dominicam, non eas, quæ recitantur ante missam sabbati sancti.

Quæres 11. Quomodo fiat Benedictio mensæ in hebdomada sancta?

Respond. *resol. 56. n. 139.*

Quæres 12. Andnam nanitur missa discooperiri possit Imago B. M. V. seu alterius Sancti?

16 Respond. Non conuenit id maxime post consecrationem, & quia mens fidelium distrahitur à meditatione tanti Sacrificij; & quia ibi conuenit adorare Christum sub speciebus sacramentalibus, & non venerari Sanctos nisi accessorie ratione festi; & quia vbi honorandus est Dominus serui ratio non habetur; & quia minori obsequium præstandum non est præsente maiori, *cap. Est. 12. 33. q. 5.* & quia maiore præsenti cessat minor, *cap. Denique dist. 1. cap. Presbiter & fin. dist. 95.* Quod si discooperiatur celebrans prosequatur suum officium, ac si Imago non ostenderetur, neque enim decet, vt interrupto tam graui misterio sacrificij missæ, quo maius excogitari non potest, ad alia externa mentem diuertat.

Quæres 13. An Generalis, seu Prouincialis dum missam cantant solemniter possint sedere ad partem Euangelij, sicut facit Episcopus, loquendo præcise de sessione ratione loci?

17 Respond. Possunt, & quia honorandi sunt, cum non solum comparentur cum Episcopis, sed etiam cum Patriarchis, & Primatibus, *Rodr. tom. 1. q. 12. art. 5.* & quia principes sunt in suis religionibus *ex eod. Rodr. q. 68. art. 3. Compend. resolut. 90. n. 33.* & quia prælati abbates regulares in eodem loco sedent, *Cæremon. Canon. Regul. S. Saluat. e. 11 7. pag. 56. Gauant. part. 2. tit. 17. n. 6.* dicit celebrantem ideo sedere ad latus epistolæ, vt cedatur locus Euangelij Episcopo sedenti, si adsit; sed Episcopi non solent sedere in Ecclesijs regularibus, ergo talis locus est proprius Generalis, & Prouincialis.

18 Quæres 14. De præintonationibus Antiphonarum?

Respond. Sequentia refert Barbosa v. eod. Antiphonæ præintonandæ sunt iuxta formam cæremonialis, nisi adsit consuetudo immemorialis aliter disponens, S. C. 4. Mart. 1606. 22. Decembr. 1612. Magister cæremoniarum præintonationem Antiphonarum ad vesperas mutare, seu alterare non potest, S. C. 28. Apr. 1607. Antiphonas in vesperis præintonare spectat ad eum, qui die sequenti missam solemniter celebraturus est, S. C. die 28. Ianuar. 1606. Antiphonæ præintonandæ secundum formam libri Cæremonialis, non obstante quacumque Ecclesiæ consuetudine in contrarium, S. C. 16. Decembr. 1606. Hic loquitur de consuetudine, cuius initij extat memoria, ne responsio opponatur illi alteri supra relatæ. Archipresbiter præintonat Antiphonas Episcopo celebrante, si sit prima dignitas, die 20. Decembr. 1601. Ad Antiphonas omnes ex vtraque parte chori surgunt, iuxta cæremoniale, nulla obstante consuetudine, S. C. 23. Mart. 1602. In laudibus Antiphonæ præintonantur ab Archipresbitero sicut in vesperis; ea eadem S. C. Antiphona quinta præintonatur à canonico primum locum in choro obtinente, quouis dignitatis nomine vocetur, S. C. die 30. Ianuar. 1616. Antiphonæ absente Episcopo præintonatur prima à celebrante, & successiue à dignitatibus & canonicis, S. C. 9. Maij 1606. Prædictæ declarationes quamuis sint ad instantiam clericorum secularium, nihilominus in aliquibus accommodari possunt regularibus ipsis, cum in rebus bene accommodatis, & ordinatis non liceat regulares discrepare à clericis, si eorum institutis non aduersantur.

Quæres 15. An Ordinarij locorum, Episcopi, & Archiepiscopi possint esse iudices in declarandis dubijs exortis super Rubricis, Missalis, & Breuiarij.

19 Respond. Non ex declaratione S. C. Rituum in Visen. 11. Iun. 1605. apud Barbosam in suo Bullario v. Episcopus pag. mihi 307. Id tamen non tollit, quin tamquam doctores possint dicere suam opinionem in huiusmodi dubijs contingentibus, aliud enim est iudicare, quod proprium est legislatoris, aliud suam proferre sententiam, quod spectat ad doctores, & peritos; vt facio ego licet inter alios minimus.

Quæres 16. An sacerdos sine cotta, & stola transferendo tabernaculum, in quo custoditur sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ad aliud altare, siue id faciat priuatim ianuis Ecclesiæ clausis, siue coram aliquibus videntibus, peccet mortaliter.

20 Respond. Peccat solum venialiter ob indecentiam, & irreuerentiam transferendi illud vas, in quo corpus Christi asseruatur, non autem mortaliter, quia non

non conficit per hoc ſacramentum, neque ad id munus deferendi præciſe requiritur deputatio; ex quo 21 laicus etiam in peccato mortali exiſtens illud tangens, vel etiam in vſu neceſſitatis deferens ad infirmum non peccat mortaliter ex *Palud. in 4. diſt. 5. quæſt. 2. concl. 3. & ex ipſo Suar. in part. 3. tom. 3. diſput. 72. ſect. 4.* ergo à fortiori ſacerdos illud præciſe deferens in tabernaculo, neque proinde tangens immediate, non peccat mortaliter. Confirmatur in ſententia eorum, qui aſſerunt miniſtrantem illud in peccato mortali, non peccare mortaliter ergo à fortiori neque qui illud tangit mediate. Quæ rationes licet probent formaliter in ordine ad tactum, nihilominus coadiuuant etiam in ordine præciſe ad decentiam ſacrorum indumentorum, quorum omiſſio in eo caſu non infert tantam irreuerentiam, quantam inducit peccatum mortale in miniſtro, vel alio tangente Sacratiſſimum Chriſti Corpus.

Quæres 17. An ſacerdos miniſtrans in peccato mortali Sacram Euchariſtiam peccet mortaliter?

22 Pono quæſtionem propter *Diana, qui reſol. 23. de celebrat. miſſar.* negat probabiliter, quia miniſtrans Euchariſtiam non eſt miniſter Dei proxime ad iuſtificationem, ſicut in aliis ſacramentis, ſed tantum eſt velut applicans actiua paſſiuis, in aliis vero ſacerdos ſimul conficit, & miniſtrat, non autem in hoc, non enim eſt idem conficere, & aliis miniſtrare, vnde concludit Sacramentum Euchariſtiæ poſt conſecrationem permanere, alia vero in actione, & vſu conſiſtere, & pro ſe citat ſeptem doctores. Quod replicat *in Addit ſecund. reſol. 5. addendo Barboſam de officio Parochi, cap. 20 numer. 17.* amicum ſuum, quod fecit occaſione cuiuſdam (inquit) Theologaſtri, cuius opinione nimis laxa viſa fuerat, ex quo, vt magis habenas relaxat, hanc ſuam opinionem, quam primo loco probabilem dixerat, ſecundo probabiliſſimam aſſerit, vtitur tamen ſemper eodem argumento, ex quo opinio maiorem non poteſt recipere probabilitatem, neque ex additione Barboſæ, qui illum citat, & ſic remanet opinio cum priori probabilitate poſitiua, forſan illa obiurgatio, *Cuidam Theologaſtro*, deprimendo proximum, exprimit maiorem illam probabilitatem, ſed ad quid his ambagibus incomptis tempus confero, veniamus ad rationes, quibus directe aduerſarius impugnetur, nec timeamus notam Theologaſtri, vtinam talis non eſſem.

23 Reſpond. Sacerdos in mortali exiſtens miniſtrando Sacratiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum peccat mortaliter, & opinio Dianæ, ſeu potius aliorum, poteſt quidem in ſententiam eorum dici probabilis, in eius tamen ſententia, aut aliorum nequaquam dici poteſt probabiliſſima.

Primum de peccante mortaliter probatur I. quia dicitur Iſaiæ, cap. 52. num. 11. *Mundamini, qui fertis vaſa Domini.* Leuit. cap. 21. num. 17. *Qui habuerit maculam, non offeret panes Deo ſuo, nec accedet ad miniſterium eius.* cap. 22. 3. *Omnis, qui acceſſerit ad ea, quæ conſecrata ſunt, in quo eſt immunditia, peribit coram Domino.* Si tanta munditia neceſſaria erat in adminiſtratione ſacramentorum veteris legis, quæ erant tantum figura nouæ legis ſacramentorum, ſine dubio longe maior requiritur puritas conſcientiæ in adminiſtratione ſacramentorum nouæ legis, quæ longe excellentiora, & præſtantiora illis ſunt, & maxime auguſtiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti, quod continet omnium ſacramentorum autorem, & ideo inter alia præſtantiſſimum, & maximum. II. autoritate Eccleſiæ id præcipientis, *cap. Neceſſe 92. 1. q. 1.* his verbis. *Neceſſe eſt, vt munda ſit manus, quæ diluere ſordes curat*, cap. Sciſcitantibus 5. 15. q. 8. Nicolaus. Papa ad conſulta Bulgarorum habet hæc. *Quoniam mali bona adminiſtrando ſe tantummodo lædunt, & vnde aliis commodum exhibet, inde ſibi diſpendium præbet.* Quæ autoritates ſine dubio peccatum mortale arguunt. III. Ratione, quia ſacerdos ad id munus eſt conſecratus, & deputatus per ordinem ſacerdotalem, per quod in ipſa ordinatione recipit gratiam, inſinuando ſacerdotem in adminiſtratione omnium ſacramentorum debere eſſe in gratia, vt ſancte illa tractare poſſit; Et quia collatio Euchariſtiæ non eſt actio minus ſancta, & minus excellens actionibus aliorum ſacramentorum, ergo ſicut adminiſtrantes alia in peccato mortali peccant mortaliter, ita & Euchariſtiam conferentes conſcij peccati mortalis grauiter lædunt animam ſuam. Et 24 quia ſacerdos in collatione huius ſacramenti miniſterialiter concurrit ad gratiam ſacramentalem ſicut in aliis, Doctores ergo *cum Sancto Thom. part. 3. q. 64. art. 1. & 5.* ſimpliciter, & indiſtincte probat ſacramenta conferri à Miniſtris Eccleſiæ, qui miniſterialiter concurrunt ad gratiam ſacramentalem. Et quia ſimpliciter illud tangens in peccato mortali peccat venialiter, vt dixit *Palud. in 4. diſt. 5. q. 2. concl. 3. cum Suar. in part. 3. de ſacram. Euchar. diſp. 72. ſect. 4.* ergo à fortiori illud tangens cum adminiſtratione peccat pluſquam venialiter. Demum cum inter alia ſacramenta id ſit excellentiſſimum, & præſtantiſſimum continens ipſum Chriſtum autorem omnium ſacramentorum cum omni reuerentia, munditia, & puritate conſcientiæ, & animæ fidelibus diſpenſandum eſt, ergo qui illud adminiſtrat in peccato mortali fungitur hoc munere cum magna irreuerentia, & immunditia, conſequenter peccat mortaliter; ex maiore etenim perfectione ſacramenti arguitur maior imperfectio in miniſtro diſpenſante in peccato mortali.

Doctores huius veritatis ſunt *Palud. in 4. diſt. 13. q. 1. Soto art. 3. Silu. v. Euchariſtia 3. num. 4. quos pro ſe citat Suar. loco citato mox, Bonac. q. 3. de ſacram. in genere p. 2. §. 1. num. 13. vbi citat Sayrum, Valentiam, Conincum, & Camerotam. Diana contra ſe præter dictos citat etiam Villalobos, & Fillincium, cum aliis communiter de celebr. miſſ. reſol. 23. & Suar. vocat ſub ſect. 16. cum tamen ſit 4. iuxta noſtram citationem.*

25 Reſpondendum modo eſt ad oppoſitas rationes, ad eam, qua dicit, ſacerdotem non eſſe miniſtrum proxime ad iuſtificationem, ſed tantum applicare actiua paſſiuis, negatur id abſolute, quia ſacerdos in porrectione hoſtiæ conſecratæ cooperatur ad iuſtificationem miniſterialiter eodem modo, quo in collatione aliorum ſacramentorum, quod probatur per illas preces, quæ præmittuntur porrectioni ſacramentali à ſacerdote dicente. *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam tuam, &c. Cuſtodiat* i. ſanctificet animam ſuam, quæ enim maior cuſtodia, quam animæ ſanctificatio per gratiam? ex quo patet illam porrectionem non eſſe nudam traditionem, ſed ſacramentalem collationem, per quam ſacerdos concurrit ad conferendum gratiam, ſicut in aliis ſuo modo, & ſi enim ſumptio, & correlatiue collatio non ſint ſacramentum ab Euchariſtia diſtinctum, ſunt tamen vnum cum ipſa vt ſacramentum, ex quo aliqua ratione ſpectari poteſt in fieri, conſequenter cum aliis habebit idem commune fieri, & conferri, ex quo patet ad ſecundum, ad quod etiam dici poteſt ex illa differentia non poſſe inferri miniſtrantem in mortali excuſari à nouo mortali in collatione, quia mortale peccatum magis cauſatur ex illicita collatione, quam actione factiua ſacramenti, eo quod fieri ſacramenti reſpicit rem ſenſibilem ſacramentalem, conferri vero potiſſimum gratiam ſacramentalem, & quo longe maior, & excellentior eſt gratia ipſo ſacramento tantum ſpectato, eo grauior erit irreuerentia, & illicita adminiſtratio magis ex parte collationis, quam factionis.

26 Secundum, quod oppoſita opinio non bene dicatur probabiliſſima à Diana ſuadetur à definitione opinionis ſecundum maiorem, & minorem probabilitatem. Ea opinio dicitur probabilis poſitiue, quæ firmatur ſolidis rationibus, & probatis doctoribus; illa

vera

vero dicitur probabilior alia, quæ solidioribus rationibus,& probarioribus doctoribus nititur, ea vero dicitur probabilissima, quæ firmissimis rationibus, & probatissimis doctoribus in vtramque partem dispntantibus constat; igitur maior, & minor probabilitas desumitur à melioribus, firmioribus,& non ita melioribus, & firmioribus rationibus, & classicis, vel non classicis doctoribus. Vide, quæ diai de Opinione resol. 19. Sed opinio asserens existentem in peccato mortali peccare mortaliter dispensando Eucharistiam fidelibus constat solidioribus, & firmioribus rationibus, quam negatiua, vt ea dictis constat; quinam autem doctores vtriusque opinionis sint aliis probatiores, & peritiores nolo modo disputare, quia non capedit, vnum scio, quod doctori non creditur quia doctor, sed quia adducit rationes probantes id, quod asserit, vel negat, itaque creditur doctori propter rationem, & non rationi propter doctorem. Nemo negabit D. Augustinum esse classicum doctorem, immo est doctor doctorum, qui ad rem nostram lib. 2. contra Parmen. cap. 10. sic loquitur. *Omnia sacramenta cum obsint indigne tractantibus, prosunt tamen per eos digne sumentibus.* Idem super Psal. 103. *Videam quam rationem sint reddituri coram Deo, qui sanctis non sancte vtuntur.* Referente *Becan. cap. 5. de Sacram. quæst. 6.* Obsentia ista, & redditio rationis, quam reddituri sunt Ministri sacramenta male administrantes, sine dubio est præcipue de peccato mortali commisso ab existentibus in peccato mortali, isti enim indigne tractant, & non sancte vtuntur sacramentis; neque excludendum est sanctissimum Eucharistiæ ministerium, quia sanctus doctor dicit, *Omnia sacramenta*, qui autem omnia dicit nullum excludit ea vulgaris iuribus.

27 Adde ad infirmandas rationes in oppositum, Eucharistiam spectari dupliciter, vno modo vt adhibeatur ad cultum Dei, sub illis enim speciebus consecratis Christus adoratur; altero vt applicatur dispensatione pro salute fidelium. In priori sensu sacerdos non dicitur Minister, sed illius adorator, vt cæteri fideles, aut illius expositor adorandi tam à se, quam ab aliis. In posteriori vero sensu sacerdos dicitur Minister, & in applicatione actiua passiuis, vt aiunt, duo efficit, sacramentum constituit in fieri quo ad suum operari, & simul cum eo ministerialiter ex opere operantis, & opere operato ea parte sacramenti actu applicati confertur gratia suscipienti digne. Quod vero hoc permaneat, reliqua transeant, ratio est, quia id non tantum est ad salutem, vt reliqua, ac proinde parem cum illis habet carum consumptionis quo ad sacramentum tantum; verum etiam ad cultum, ex quo ab aliis differt; ea huiusmodi autem differentia non recte aduersarij inferunt suum intentum, quia quo ad permanentiam spectantur solum priori modo, non posteriori, in quo pari ratione transit in administratione cum aliis, quorum mala administratio ex peccato mortali sicut infert peccatum mortale in ministro, ita idem scelus arguit in ministro huius præstantissimi sacramenti.

Quæres 18. Cur sacerdos peccat mortaliter, quando in canone missæ loco Episcopi nominat alium, vt si religiosus nominet suum superiorem etiam Generalem loco Episcopi; non vero peccat mortaliter, sed tantum venialiter, quando debita opera omittit nomen alicuius sancti ibidem expressi, cum vtrobique sit peccatum omissionis, & vtrique derogetur, Episcopo namque aufertur debitum suffragium, & sancto debitus honor ex institutione Ecclesiæ. Quia dicere posset de omissione Episcopi constar de mente S. C. quæ si consulta fuisset, forsan idem respondisset de omissione sancti.

28 Respond. Ratio hæc est, quia in primo casu adsunt duo actus vitiosi omissio nimirum nominis Episcopi, & commissio additionis alterius nominis non exprimendi, continet enim rubrica duplex præceptum, affirmatiuum vnum nominandi Episcopum, & negatiuum non addendi nomen alterius prælati, in secundo vero casu est vnicus actus omissionis; forsan si loco expressi alius adderetur simile esset peccatum lethale. Deinde peccatum commissionis grauius est peccato omissionis, Theologi *cum S.Thom. 1. 2. quæst. 72. art. 6.* Præterea magis læditur Episcopus detractione illius suffragij multum illi proficui, sanctus vero nostro non indiget honore, cuius omissione in nihilo destrauatur. Committi autem peccatum mortale omissione Episcopi, & expressione prælati regularis, id mihi semper visum fuit arduum, ex vna enim parte transgressio vnius nominis vnius suffragij omissio leuis ex sua conditione videtur, cum sit contra caritatem tantum, ea alia parte peccatum mortale grauissima est pœna, qua maior excogitari non potest, Pro qua declaratione. *Diana resol. 47. de celebr. miss. citat Rodr. tom. 4. sum. cap. 51. num. 13. Villal. part. 1. sum. tract. 8. diff. 31. num. 3. Portel. v. Missa. num. 14. Gauantus autem part. 2. tit. 8. de canone missæ §. Hoc loco asserit editam 12. Nouembr. 1615.* & ea his patet ad obiecta.

Quæres 19. An religio Franciscana, quæ pro octauo Responsorio plurium martyrum sui ordinis Fratrum secundum professionem, non secundum carnem, assignauit, *Hæc est vera fraternitas*, rite fecerit? *Gauantus, sect. 8. cap. 2.* quod est de communi Martyrum num. 9. inquit quod hoc responsorium non dicitur vmquam, nisi vere ij sint fratres secundum carnem. Probat, quia pro Sancto Placido, & sociis adnotatus non fuit in Breuiario Romano, eo quod maior pars illorum martyrum dicantur fratres tantum secundum professionem, non secundum carnem, & tamen pro aliis martyribus secundum carnem fratribus illud Responsorium assignatur, vt videre est in Breuiario; & ad obiectionem sibi factam, quod in missa sanctorum Martyrum Nerei, & sociorum dicitur post epistolam *Hæc est vera fraternitas*; & tamen non omnes sunt Fratres secundum carnem; respondet non valere illationem à Missali ad Breuiarium; & forsan videns, hanc negatiuam illationem esse friuolam, dicit eam missam fuisse tantum de fratribus Nereo, & Achileo, Pancratium vero habuisse propriam, Domitillam additam fuisse à Clem. VIII. qui cognouit corrigenda, non mutauit congruentia, & potissimum fieri missam de sanctis fratribus. Ad aliam obiectionem de missa S. Sinforosæ & filiorum eius; in qua dicitur ille versus, dicit in rigore festum esse tantum filiorum fratrum, non matris, quæ pridie obierat. Hæc sunt quæ habet pater Gauantus. Quibus non obstantibus.

Respond. Illud Responsorium bene, & rite dicitur 29 in Franciscana religione, & aliis quando fit officium de pluribus martyribus secundum professionem tantum fratribus. Probatur, quia si aliqua ratio suadet oppositum maxime, quæ desumitur ex illa particula: *Vera fraternitas*: quasi adiectiuum illud fraternitatem restringat ad carnalem, quod tamen verum non est; quia ad vtrumque indifferens est, cum accipi possit tam pro carnali, quam spirituali fraternitate, est enim notum sacram scripturam plures admittere sensus; & in re nostra illa particula magis refertur ad sensum spiritualem, quam literalem, vt colligitur ex sequentibus: *Quæ numquam potuit violari certamine, &c.* veritas ergo fraternitatis desumitur magis ex spiritu professionis, & certaminis, quam ex carne. Deinde subiungitur. *Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum*; qui versus indifferenter dicitur de omnibus martyribus siue fratribus secundum carnem, siue secundum professionem, siue secundum solius etiam certaminis spiritum; ergo nulla ratio suadet negandi illud responsorium martyribus fratribus secundum professionem, professi enim ordinem S. Francisci vere eius fi-

dicuntur secundum professionem, & subinde inter se vere fratres secundum spiritum, sicut de Christo dicitur quod est lux vera, vitis vera non secundum naturam, sed secundum spiritum, proprietatem, & similitudinem, atque comparatiue, sicut Christus Natanaelem vocauit verum Israelitam, quod intelligitur secundum veritatem spiritus, & innocentiæ, in quo alios suæ nationis excedebat, sic Martyres vnius religionis alios eiusdem ordinis non Martyres excedunt in vera fraternitate professionis, & martyrij.

Ad probationem illam dici potest nihil probare, quia ex omissione non magis inferri potest vnum, quam alterum responsoriorum, non entis enim nullæ sunt proprietates, & passiones; nec vrget quod in aliquibus Breuiarijs, vt in nouis, & etiam antiquis assignetur Fratribus martyribus secundum carnem illud speciale responsorium, quia in aliquibus pro aliquibus assignatur, in aliis non, ex quo certa regula colligi non potest.

29 Quod respondet ad primam obiectionem, non valere illationem à Missali ad Breuiarium, nullius est momenti, immo falsum, quia mutua illatio haber locum, videmus enim ex rubricis preces Missalis, conformari Breuiarij orationibus, euangeliis, & aliis multis, & è contra. Nec verum est Pancratium habuisse Missam separatam ab illis duobus fratribus, in meo enim codice Missalis vna & eadem est Missa illorum trium cum eadē oratione, quæ nunc dicitur adiecta Domitilla, & hoc signum vere eorum vnitaris inmissa, codex autem meus approbatus per Clementem VII. excussus fuit anno 1533. Venetiis typis Lucæ Antonij Iuntæ Florentini, & in Breuiario Francisci Quignotij Cardin. S. Crucis in Ierusalem edito anno 1556. simul ponuntur, ergo nunquam diuisi fuerunt; simul etiam ponuntur in Breuiario Pij. V. antequam à Clem. VIII. adderetur Domitilla. Si ergo Dictum responsorium relictum fuit in Missa, cur non dicendum in Breuiario, si eorum festum transferatur extra tempus Paschale contra, id quod notat Gauantus ad diem 12. Maij.

Ad aliud, quod ille versus dicatur in Missa Sanctorum fratrum martyrum quia eorum tantum celebratur festum, & non etiam matris, quæ præcedenti die obijt, dico esse expresse falsum, eodem die 18. Iulij non celebrari etiam festum S. Symphorosæ, cum sub illo die clare exprimatur hoc modo. *Simphorosa cum septem filiis martyribus.* Debebat potius respondere, ideo dici, quia sicut vnitas non facit numerum, neque vna hirundo ver, ita neque sancta in causa est, ne plures fratres careant fraterno responsorio, ad quod aliæ plures congruentiæ assignari possunt.

Quæres 20. An versus. *Gloria tibi Domine.* apud Franciscanos de Conceptione B. M. V. infra annum in Sabbatis recitantes officium, dicendus sit in fine Hymnorum Vesperarum, & Completorij Dominicæ, vel alterius festi;

30 Respond. Dicendus est, modo de ea saltem fiat commemoratio in secundis vesperis, vt respondit S. C. Patribus Discalceatis, *apud Gauantum sell. 5. de Breuiar. cap. 6. numer. 15.* Ratio esse potest, quia huiusmodi officium cum aliis semiduplicibus incipit à vesperis primis, & perficitur in secundo Completorio, regulariter loquendo sicut officium duplex, ergo rationabile est, vt vnaquæque illius pars reguletur eodem modo in desinentia Hymnorum, qui in fine variari possunt.

Quæres 21. In religione Franciscana est indultum recitandi officium Sacratissimi Corporis Christi singulis quintis feriis ritu semiduplici, quando ille dies non impeditur officio nouem lectionum etiam translato, vel temporibus Quadragesimæ, & Aduentus, vt hæc omnia colliguntur initio Officij Proprij Ordinis Franciscani. Quæres, inquam, an recitandus sit cum omnibus *Alleluia*, vbi recipiuntur, an sine illis videtur sine illis, quia canticum *Alleluia*, importat quamdam solemnitatem proprium diei, ideo infra annum omittendum est, vt appareat differentia inter festum diem, & eiusdem commemorationem infra annum.

31 Respond. Recitandum est cum *Alleluia*, vbi reperitur; probatur, & quia ita colligitur ex verbis Bullæ Pij V. incip. *Exponi nobis* ibi: *Illud de Corpore Christi iuxta illud, quod in præsenti Breuiario Romano in eius solemnitatis die recitandum proponitur recitare libere, & licite valeatis.* Sed in Breuiario Romano est cum Alleluia, ergo cum hoc recitandum est. Et quia quodlibet diuinum officium omnino integrum recitandum est, vt certum est; non recitaretur autem, si omitteretur illud canticum, quod illius pars est non spernenda, neque omittenda sine aliquo veniali. Illud est, quod alias circumferebatur quædam schedula typis cussa, in qua dicebatur, omittendum esse *Alleluia*, quæ reiecta fuit, ex quo bene infertur illud canticum sine dubio non esse omittendum.

Quæres 22. An si mulier esset vngenda in extremis oleo sacro, tangenda esset in lumbis more virorum, an in vmbilico? Ratio dubitandi est, quia à lumbis viri originem trahit delectatio carnalis, ab vmbilico autem in fæminis, vt dicit Gregor. homil. 13. & refertur in Breuiariis antiquis lect. homil. *Sint lumbi vestri præcincti*, & hanc partem tenet Andreas Victorellus de Extrema Vnct. tit. Quæ corporis partes inungendæ pag. mihi 62.

32 Respond. Vngendæ essent in lumbis, quia omnes alij doctores asserunt delectationem carnalem simpliciter originem habere à lumbis non distinguentes inter masculos, neque fœminas, Petrus Chrysologus serm. 24. ibi: *Ex lumbis tota carnis negotia suscitantur, in lumbis tota est humani lapsus humanæ fragilitatis occasio.* Fulgentius Epist. term. de Confess. ibi: *In lumbis itaque concupiscentia carnalis ostenditur.* Et id aperte videtur colligi ex Rituali Romano Pauli V. in Rubrica hac. *Hæc autem vnctio ad lumbos vt dictum est, omittitur in feminis, & etiam in viris, qui ob infirmitatem vix, aut sine periculo moueri non possunt.* Ad autoritatem D. Gregorij dicitur, eam sententiam tanquam non suam expunctam fuisse à lectione Breuiarij Noui.

Quæres 23. An consulto omittens Sequentiam in Missis defunctorum peccet mortaliter? dicenda autem est in Missis in die commemorationis defunctorum, in die obitus, tertio, septimo, in Anniuersariis, & quotiescumque dicitur tantum vna oratio in Missa.

33 Respond. Non peccare, ratio est, quia hæc non est de essentia missæ, sed pars eius integralis. Confirmatur, quia omissio Gloriæ, seu Credo in missis viuorum est solum veniale, *vt docent Calosinus ex nostris in suo Compend. Theologiæ moralis, ex Fillinc. tom. 1. tract. 5. cap. 5. numer. 155.* de omittente nomen alicuius sancti in canone, & ex illo *Diana resol. 45. de parust. mater. vbi alios citat.* 34

Quæres 23. An sacerdos ante celebrationem missarum possit præmittere, *Memento*, hoc est, orare pro illis, pro quibus tenetur, & postea in Memento ipsius Missæ satisfacere similibus verbis, *Domine memento omnium eorum pro quibus decreui ante missam?*

35 Respond. Ante Missam sacerdos potest orare pro omnibus illis, quibus intendit applicare missam, seu orare in memento, applicando, & orando pro illis ante missam, quamuis etiam postea in progressu missæ de illis non recordetur, probatur, quia huiusmodi applicatio non est contra substantiam, neque ordinem missæ, ergo fieri potest cum vtilitate eorum, quibus applicatur. Confirmatur, quia huiusmodi applicatio facta ante missam etiam die antecedenti non euanescit,

euanescit, nec frustratur, sed perseuerat in illa voluntate non retracta, & perficitur in ipso mysterio celebrationis præsertim in Memento, & verbis subsequentibus ibi: *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt* Et hoc patet, & acritatem habet ex illa oratione, quæ præmittitur celebrationi Missæ. *Ego volo celebrare* ibi: *Pro omnibus qui se commendauerunt orationibus meis, &c.* Item in oratione secunda in Quadragesima tam voce clara, quam secreta, illa ibi: *Vt pro quibus effundere preces decreuimus*, hæc illis verbis. *Quos in oratione commendatos suscepimus.* Licet enim solum arguant, quod proposuimus in quæstione, nimirum, quod in Memento sufficiat applicatio in communi designata, tamen non reprobant applicationem actu, & perfecte omnino paractam ante celebrationem ob adductam rationem. *Ita docet Scotus in Quolibetis, Bonac. de sacrum. in genere q. 3. p. 2. §. 3. num. 11. alias pro se citat Diana resol. 47. de celebrat. miss.*

Quæres 24. Franciscanus in Quadragesima conciones habet apud Benedictinos, aut alibi, an in horis Canonicis possit se conformare cum religiosis, vel clericis, in diuino officio, apud quos diuersatur?

36 Respond. Potest religiosus extra siue solitarius, siue cum socio, aut cum aliis clericis tam regularibus, quam secularibus se conformare in diuino officio, etiam ritu Romano non vtentibus. Ita concessit Innoc. IV. Bulla 11. apud Rodr. incip. *Pro vestro collegio.* Idem extende ad alios religiosos ratione communicationis priuilegiorum.

Quæres 25. An in feriis quinta, & sexta hebdomadæ sanctæ postponatur Completorio Pater, Aue, & Credo? Ratio dubitandi est, quia in aliis Horis canonicis illo Triduo Passionis Christi præfatæ orationes præmittuntur sicuti fit aliis temporibus, ergo & postponendæ sunt in Completorio, sicut fit pariter aliis temporibus.

37 Respond. Neque ante Completorium, vt expresse dicitur post Vesperas Feriæ quintæ, neque in fine eiusdem dicuntur prælibatæ orationes, ratio est, quia Completorium terminatur eodem modo, quo fiunt aliæ Horæ Canonicæ, quæ post Psalmum *Miserere* desinunt in eamdem orationem officij propriam. Nec ratio dubitandi obstat, quia Rubrica exprimit prædictas orationes in cæteris horis præmitti, sicuti fiebat, non vero postponi Completorio, quod non terminatur ex propriis, sed communiter cum aliis Horis, cum quibus ideo indesinentia debet conformari.

Quæres 26. Quomodo facienda sit benedictio mensæ diebus Iouis Sanctæ, & Parasceues.

38 Respondeo. In Benedictione dicitur tantum, ℣. *Christus factus, &c.* cum *Pater*, quo finito mensa signo Crucis signatur, pro gratiarum actione repetitur idem versus sine *Pater*, sed finito versu, immediate dicitur Psalmus *Miserere*, quo finito dicitur *Pater noster*, post oratio. *Respice*, qua absoluta dicitur tantum, *Pater noster*, nihil aliud superaddendo. Ex quo apparet differentia in Horis canonicis, & Benedictione mensæ, nam in hac *Pater* postponitur in illis vero præponitur eadem oratio *Pater*. Psalmo *Miserere*. Sed de hac re dixi iterum resol. 36. num. 139.

Quæres 27. An dum in choro cantatur diuinum officium alternatione à cantoribus, & musicis, possit quis recitare officium paruum B. M. V. vel alias orationes, dum musici suum concinunt versum? Quod contingere potest duobus modis, primo attendendo etiam ad versum cantatum à musicis, & simul orando; altero modo celeriter proferendo versum illorum, & statim immediate prosequendo officium B.M.V. pro illo breui temporis spatio, quo musici canunt.

39 Respond. Potest præsertim secundo modo, quia vna oratio aliam non impedit cum vna alteri succedat, & nō prohibeatur celeriter supplere versum alterum musicorum, vnde ne maneat otiosus potest dicere orationes alias ab officio ordinario, neque enim tenetur audire alteram partem, sicut fit in recitatione sine cantu, si eam potest per se recitatione supplere loco auditionis. Satisfacit etiam primo modo, quia recitatio officij B. M. V. non deuiat ab auditione illius versus, qui canitur à musicis, siquidem respectu vtriusque attendit, & mentem eleuat ad diuina, quod sufficit ad satisfaciendum vtrisque. Confirmatur à simili de eo, qui audit Missam, & recitat pœnitentiam, vel aliam orationem, nam vtrique satisfacit, quia corporaliter, & mentaliter adest vtrique ex communissima opinione, de qua Bonac. p. 11. De Missa num. 25. contra nonnullos paucos.

Quæres 28. An canticum *Alleluia*, dicendum sit in officio B. M. V. recitato tempore Paschali addendo illud in fine Antiphonarum, Versiculorum, & Responsoriorum? Similiter in communibus orationibus, quæ in Ecclesia, vel extra fiunt addendo illud Salutationi Angelicæ, & aliis?

40 Respond. Non dicitur, quia nullibi repetitur expressum hoc, sed non esse dicendum notatur in eodem officio tempore Paschali. Ita quod non valet arguere à rubrica officij diuini ad alias preces, quæ singulariter, seu etiam communiter dicuntur.

RESOLVTIO LXV.

De Optione Beneficiorum.

SVMMARIVM.

1 *Textus c. fin. de consuet. in 6.*
2 *Casus optionis proponitur.*
3 *Optio quid sit?*
4 *Optio an requirat præscriptionem.*
5 *Statuto an possit induci.*
6 *An in Ecclesia vbi duo tantum sunt.*
7 *Congregationem, & collegium duo faciunt.*
8 *Antiquior receptione optat.*
9 *Gradatim optandum est.*
10 *Quomodo fiat optio.*
11 *Antiquus optat deteriorem.*
12 *Optio supponit vocationem.*
13 *Vacatio ad optionem debet esse absoluta.*
14 *Optio fit per procuratorem.*
15 *Beneficia quæ non possunt optari.*
16 *Domus canonicalis optatur.*
17 *Optio est repetibilis.*
18 *Dies viginti assignantur ad optandum.*
19 *Numerandi à die scientiæ vacationis.*
20 *Tempus hoc omnibus simul currit.*
21 *Ab illis omnibus limitari potest.*
22 *In receptione incipit à die litis.*
23 *Quibus peractis non licet optare.*
24 *Impedito quando non currat tempus.*
25 *Canonicus post 20. dies litis non potest secunde optare.*
26 *Regressus datur in optione.*
27 *Si casus accidat redeundi.*
28 *Non reditur post tempus nisi per omnes.*
29 *Infra tempus reditur per aliquos.*
30 *Non licet regressus lite terminata fauore eorum.*
31 *Secundus canonicus non redit ad suam præbendam.*
32 *Regressi recuperant omnia.*
33 *Lite terminata contra capitulum omnes redeunt.*
34 *Negligentia optandi non nocet aliis.*
35 *Censura non impediunt optionem.*
36 *Nullis illarum.*
37 *Irregularis potest optare.*
38 *Nondum subdiaconus potest optare.*

39. *Coadiutus optat non coadiutor.*
40 *Caecus & aliàs impotens optat.*
41 *Beneficia vacantia in curia non optantur.*
42 *Optare nemo potest in Ecclesia, cui non seruiuit,*
43 *Mensis terminat à media nocte mediam noctem.*

1 IN insigni collegiata N. est antiquissima consuetudo optandi Præbendas inter canonicos, iuxta quod dicitur cap. fin. de consuet. in 6. *Cum inutua Ecclesia, in qua consuetudo habetur, quod antiquiores canonici gradatim, meliores si voluerint, possint cum vacant, per se, vel per alios optare prebendas) prouideri mandamus alicui de de Prabenda, nulli alij de iure debita proximo. inibi vacatura, huiusmodi non obstante mandato, poterunt ipsi antiquiores canonici iuxta consuetudinem eamdem optare, cum Prebenda vacabit, & illa, quae optata non fuerit, si nulli sit debita, erit illi, pro quo scripsimus, conferenda. In Prebendis vero apud sedem Apostolicam vacantibus, (cum de ipsis per Romanum Pontificem ordinatur), locus pradicta consuetudinis non existit. Ne autem pratextu eiusdem consuetudinis, prouisiones auctoritate apostolica faciendae vltra debitum differantur, Statuimus, vt executores super ipsis prouisionibus deputati, optare volētes, per viginti dies dumtaxat, expectēt, quib. elapsis, libere id non optantis ad exequenda sibi mandata procedant, prafata consuetudine non obstante.*

2 Accidit casus mortis antiquioris canonici, qui vocatur Primus, animam exhalantis vltimo die mensis Decembris, hora noctis quarta anni 1642. vnde reliqui canonici, qui sunt septem, intendunt vti beneficio optionis, & peracto per suum notarium publico instrumento singula gradatim cum effectu optant præbendas, Secundus Præbendam mortui. Tertius Prædendam Secundi, Quartus Tertij, Quintus sua contentus sorte noluit optare, Sextus optauit Præbendam Quarti, Septimus illam Sexti, Octauus demum obtinuit Præbendam Septimi, Præbenda vero Octaui vacans collata fuit à Capitulo de nouo aduenienti. Isti autem Canonici addiderunt omnes simul, & etiam diuisim, quod non intendunt optare Præbendam sui antiquioris, in casu, quo optatio non sit habitura suum plenum, iuridicum, & irreuocabilem effectum, in ordine ad eum, qui de nouo aggregatur Canonicis, nec aliter, neque alio modo intendunt optare. Causam huius conditionis adiectæ dedit nescio quis procurans Præbendam mortui canonici apud sedem Apostolicam, quam & in effectu obtinuit, exponens in curia Romana, prædictum canonicum decessisse intra tempus mensium spectantium ad sedem Apostolicam, obtentam ergo Præbendam canonicus secundus, quam optauerat, per censuras cogitur dimittere, & de facto dimisit obediendo mandatis apostolicis, cum protestatione recurrendi ad sedem apostolicam pro tuendis suis iuribus, & manutentione in legitima possessione suorum iurium optatæ præbendæ, interim his non obstantibus à sede apostolica prouisus obtinuit possessionem præbendæ Primi Canonici mortui; hinc orta est lis inter Prouisum, & Canonicum. Secundum super Præbenda mortui, quam vnusquisque illorum putat esse suam, Prouisus quidem titulo collationis sibi factæ à sede Apostolica prætendente ad se spectare collationem, quia Primus decessit intra menses spectantes ad Papam; Secundus vero titulo optionis, quia Primus decessit intra mensem spectantem ad capitulum suæ collegiatæ, quæ illi contulit Præbendam optatam initio mensis Ianuarij. Secundus tædio litis ductus intendit redire ad suam Præbendam dimissam, & optatam litigiosam dimittere, & ne Tertius remaneat sine Præbenda optata, si illam restituat Secundo, cupit optare Præbendam litigiosam à secundo dimissam, sperat enim fore vt lis terminetur fauore capituli sui contra Prouisum Apostolicum. Pro resolutione huius difficultatis multa sunt expedienda, quæ faciunt ad intelligentiam totius huius controuersiæ. Primo videndum est quid sit optio? Secundo, an requiratur præscriptio? Tertio, an statuto introduci possit? Quarto, etiam in Ecclesia non collegiata? Quinto, Quis dicatur antiquior? Sexto, Quare gradatim optandum? VII. Quomodo fiat optatio? VIII. An optari possit deterior? IX. An vacare debeat aliquod beneficium? X. Quid veniat nomine vacationis? XI. An optio fiat per procuratorem? XII. Quæ beneficia possint optari? XIII. An domus canonicalis optetur. XIV. An sit repetibilis? XV. Tempus assignatū an habeat locum in repetitione? XVI. An optantes reuerti possint ad suas præbendas? XVII. An reuertentes recuperēt fructus? XVIII. An lite terminata contra capitulum debeant omnes reuerti ad suas præbendas? XIX. Quid agendum quando tardant ad optandum? XX. An censuratus optet? XXI. An irregularis? XXII. An nondum subdiaconus? XXIII. An coadiutor? XXIV. An cæcus? XXV. An optentur vacantes in curia? XXVI. An optare in extranea Ecclesia?

3 Primo, quid sit optio? Respondetur. Est ius quoddam non scriptum consuetudine introductum apud clericos de aliquo Collegio, per quam antiquiores clerici successiue, & gradatim meliores præbendas vacantes acquirunt relictis propriis deterioris conditionis, vt colligitur ex citato capit. fin. de consuetud. in sexto. Optio est ius quoddam, & quidem legitimum, & rationabile, nam is gradus cæteros antecedere debet quem labor prolixior, & stipendia meliora fecerint anteire, l. *Nemo C. de off. mag. mag.* ratio siquidem stipendiorum habenda esset, l. *Non omnes ff. de re militari*; certum autem est, & experientia constat, clericos antiquiores in Ecclesia maiora onera sustinuisse, ergo iustum est, vt isti possint successiue, & gradatim optare, & habere meliora beneficia, & præbendas vacantes, ex iis, quæ dicuntur in vna Vrbeuet. iuris sedendi in colleg. de anno 1609. Vide Maccabrunum consil. 16. Dicitur Optio consuetudine, non lege introducta, vt colligitur ex capit. fin. de consuetud. in sexto. De collegio debent esse plures optantes, quia est correlatiua optio, itaut inter duos ad minus debeat esse optatio, non enim idem potest optare beneficium quod habet, sed alterius, quo caret. Sed accedamus ad alia quæsita, vt definitio clarius explicetur.

4 Secundo, an consuetudo optandi sit legitima requiratur præscriptio? Respondetur non requiri, quia in dicto capitulo non exprimitur præscriptio, vt notat glos. v. consuetudo ibidem, ea ratione, quia in præcedenti capite adiecit præscriptionem ad legitimam consuetudinem corrigendi excessus subditorum per Episcopum sine consilio Capituli, de qua præscriptione in hoc vltimo respectu optionis nulla fuit facta mentio. Ratio etiam esse potest, quia hæc optandi consuetudo ex natura rei legitima est, & nulli de collegio præiudicat, imò prodest, cum singuli ex vacatione possint meliorem optare Præbendam, ex quib. infertur optationem esse simpliciter fauorabilem, quia per ipsam omnes Præbendarij ascendunt, & suam conditionem sibi meliorem reddunt; nec obstat, quod de nouo coaptatus in collegium sortiatur debiliorem Præbendam, quia meliorem non meretur, cum in vinea hac Domini nondum laborauerit, & aliunde solum meretur connumerari cum Præbendatiis antiquis. Oppositum tamen docet *Gonzal. ad regul. octauo, Glos. 34. num. 14.* requiri decennium in optione ex antiquo titulo, quadragenarium cum nouo titulo optatur.

5 Tertio, an Statuto vnanimiter per collegium facto introduci possit optio, quæ antea non extitit, neque illius extabat prohibitio? Resp. Affirmatiue, quia iure commmuni non prohibetur, sed permittitur, cum sit legitima, & rationabilis ex prædictis, ergo statuto introduci potest. Confirmatur, quia vnum-

quodque

quodque collegium potest sibi statutum condere obseruandum ab omnibus de collegio, vt docet in terminis *Glos.v.consuet.cit.ca.fi.de consuet.in 6.arg.c.1.de const.in 6.*

6 Quarto, in Ecclesia etiam non collegiata vbi ad minus sunt duo beneficia possit introduci consuetudine; aut statuto firmari optio illorum beneficiorum? Resp. Affirmatiue, quia optio iure communi non prohibetur, quod autem non est prohibitum censetur concessum, aut permissum, *cap. Sunt nonnulli, 23. 16. quæstione prima, cap. Iam nunc 7.28. q.1.* ibi: *Hoc non vetat Domin.* Et duæ personæ sufficiunt ad introducendũ consuetudinem, & statutum, ex cap.1.de constit.in 6. illis verbis. *Locorum specialium, & personarum singularium consuetudines, & statuta potest probabiliter ignorare,* Subintellige Papã, quia sunt quid facti, & in facto consistunt. Confirmatur, quia Collegium, & congregatio inducere possunt consuetudinem, & facere statutum, *glos. fin.C.de iurisd.omn.iud.* expressius *leg.2.fine C.de confess. pecun. Bartol.in l.omnes populi ff.de iust.& iure, Silu.v.*

7 *Collegium num.5.* Sed duo clerici in vna Ecclesia faciunt congregationem, seu Collegium, cap.1. de elect. facit S. Matth.cap.18.num.20. *Vbi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo.* Distinguunt aliqui inter congregationem, ad quam volunt sufficere duo, & collegium, ad quod tres personas requirunt, per *l. Neratius ff.de verb.signif.Glos.in cap.Nobis,de iure patron.vbi Ioannes de Anania numero 4. Anchar. numero 17.* sed hoc parum refert ad rem præsentem, siue duo, siue tres adsint, ex citato cap.1. de elect.Angel.v. Collegium n.2.nam leges tres requirunt ad faciendum collegium, duos verò sacri canones, inquit Angel.loco citato. Crederem clericos non Collegiatæ formalis debere requirere confirmationem sui statuti ab Episcopo tamquam Capite, à quo recipiat vires ab ipsis ordinatum statutum.

Hinc deducitur duobus tantum existentibus canonicis, seu beneficiariis, vno mortuo, alterum posse optare beneficium mortui, si in ea Ecclesia adsit consuetudo, aut statutum optandi, siquidem optatio per hoc

8 perficitur, quod debiliori beneficio dimisso, fit ascensus ad meliorem præbendam.

Quinto, quis dicatur antiquior clericus, seu canonicus ad effectum optandi? An antiquior in titulo, seu prouisione, an in receptione? Respondetur, conueniunt omnes cum glosa ver. Antiquioris cap.fin. de consuet.in sexto, intelligi, non ætate, sed tempore, *Ruin. consil. 19. numer.9.lib.1. Iason. consil. 192. lib.2.* Differunt vero circa tempus, an sit tempus prouisionis, & tituli, an receptionis; nam multi tenent, præferendum esse antiquiorem titulo, licet sit secundus in receptione, quia optio fit vigore præcedentis tituli, vt tradunt *doct.in capit.fin. de consuetud. in 6. vbi Archid. Ioan. Andr.numer. 2. §. Sed vt ibi, Franc. in sexto, §. Non obstat, Probus ad Monach.numer.27. in v. Antiquiores §. Et ratio in euidenti est, tradit Rota decisione sexta, de consuetudine in antiq.* Alij vero tenent, præferendum esse, & dici antiquiorem, qui prius receptus fuit licet sit in titulo posterior alio, quia ille dicitur antiquior, qui in Ecclesia militauit, vt ibidem dicit glosa, nondum autem receptus non dicitur militare, quod importat laborem spiritualem in Ecclesia, vt enim dixi sub quæstione prima in definitione Optionis, indulgetur optio pro seruitute facta in Ecclesia, labor enim prolixior, & stipendia meliora faciunt anteire, l. *Nemo, C. de off.mai.mag.* Sed habens titulum tantum sine receptione nondum dicitur militare, & operari in Ecclesia, ergo non dicitur antiquior. *Vide Maccabrunum consil.16.multis id probantem*, in ascensibus enim antiquior semper præferendus est, *Abb. capit. Dudum libro primo de elect. numer.25. Noto ex prædictis, Iason.l.cum quid ff.si certum pet. lect.2. num. 36.* Procedit etiamsi antiquior in prouisione, non ex negligentia, sed ex impedimento non fuisset primo receptus, In vna Vicent Præcedentiæ coram Gypsio, quia emolumentum optionis attenditur penes illos, qui actu in Ecclesia sustinuerunt onera.

9 Sexto, quare gradatim, & per ordinem optandum sit; Resp. quia in muneribus, officiis, honoribus, & dignitatibus de gradu in gradum ascendendum est, *ex ca. Legitimus dist.93.l.Vt gradatim, l. Honor, §. Gerendorum, ff.de mun.& honor.* nam iura valde abhorrent ascensum, & promotiones inordinatas, & per saltum, *ex c.Vn.de cler.per saltum prom.& ex notatis in c.Sollicitudo dist.52.* quia casum appetit, qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum, *cap. Sicut. dist.48.*

10 Septimo, quomodo contingat gradatim fieri optionem? Respondetur, fit hoc modo, quod primus clericos post mortuum optat præbendam mortui, secundus optat beneficium primi, & tertius illud secundi, & ita ordinatim successiue fit optio, vt docent omnes canonistæ, super ca.fin.de consuet. in 6. Quod si vnus illorum non vult optare, sua contentus Præbenda non cogitur, id enim est fauor, & beneficium, quod in inuitum non confertur, ex vulgatis iuribus, & relinquitur arbitrio Præbendariorum, ibi: *Si voluerint; possint cum vacant,* in eo casu subsequens canonicus in ordine poterit optare Præbendam eius; itaque nolens optare, aliis non præiudicat, nec nocet. Dictus autem ordo tenendus est, quia tunc adoptio fit gradatim, & de minori ad maiorem, non autem de maiori ad inferiorem, cum id sit contra naturam ordinis, & optionis, per quam quisque regulariter intendit meliorari. *Ita Glos.ibid.v.Gradatim cum omnibus glosatorib.*

11 Octauo, An antiquior canonicus possit optare deteriorem Præbendam? id enim est contra ordinem optionis, per quam ascenditur, non autem descenditur. Respondetur affirmatiue, quia optata licet in re non sit melior, tamen in opinione, & propter extrinsecas circunstantias respectu sui potest dici melior, quia sibi grata, & suæ satisfacit voluntati, quod videtur esse magnum bonum. Confirmatur, quia quilibet renuntiare potest iuri suo, ex vulgatis iuribus, & aliis allegatis à *Glos.v. Meliores, quæ ita sentit cum Anchar. Gemin.super dictum capit.fin. de consuet. in sexto, Moneta de opt.c.3.q.7.* Negat Rota *decis.3.de consuet. apud Parolettum part.1.cap.8.in sua Aurea clericali Palestra §.3. ad finem.*

12 Nono, an debeat vacare aliquod beneficium, ad hoc, vt possit exerceri optio inter canonicos? Respondetur, vt optio possit exerceri, necesse est, quod vacet aliquod beneficium, quia nullus rem alienam optare potest, prohibetur enim furtum, & desiderium furandi, esset autem fur ille canonicus, qui beneficium non vacans optaret, & sibi vsurparet, ergo ad iucundam optionem; necesse est, quod beneficium aliquod vacet. Et quoniam iura prohibent pluralitatem beneficiorum, vt ex D. Thoma bene tradit Silu.v. Beneficium, 4. initio, qui optat meliorem Præbendam dicitur, dimittere suam ad fauorem alterius optantis; ne dicatur duas simul retinere contra iura, vnde optio est quædam species permutationis, nam optans suum beneficium cambiat in melius, singuli igitur optantes receptione melioris Præbendæ ipso iure dicuntur propriam demittere ad fauorem alterius canonici inferioris. Initium autem optationis capi non potest ab vltimo beneficio vacante, quia optio fit ascendendo semper à minoribus ad maiora, & meliora; si vacet penultimum beneficium solum vltimus clericus poterit optare vacans beneficium, & non alij, cum non debeant descendere contra naturam optionis. Et hæc clara sunt apud omnes Doctores, cum Moneta cap. 6 de optione q.6. dicens vacare Præbendas canonicorum optantium, *Parolettus part.1.ca.8.§.3.* quia viuentium beneficia impetrari, nec optari possunt, *cap.1.de concess. Præbend.*

13 Decima, quænam vocatio sit necessaria ad optio-

nem promouendam? Ratio dubitandi est quia multis modis dicitur beneficium vacare, per mortem, renuntiationem, depositionem, translationem, permutationem, vel per alium quemuis modum, *glos. v. Vacare, cap. Si propter* 10. *de rescript. in* 6. de vacatione per mortem, & resignationem, quæ sunt diuersæ fit mentio cap. susceptum 6. de rescr. in 6. & ideo in literis ad beneficia impetratis, vno expresso, non venit alterum, vt ibidem concluditur. Resignatio autem debet esse admissa, & acceptata ab ordinario, aliter beneficium non dicitur vacare, *Lapus allegat.* 14. *Paris. lib.* 4. *consil.* 74. *num.* 4. *Rebuf. consil.* 38. *n.* 14. hinc resignans quo ad beneficium resignatum habetur pro mortuo ex eodem *Paris. consil.* 93. *num.* 25. *Cassador. decis.* 8. *num.* 2. *Puteus lib.* 2. *decis.* 468. Per matrimonium etiam vacat ipso iure beneficium, *Rota decis.* 1. *de Sponsal. in antiq. in vna Caligur. Thesaur. coram Aldobrandino, item coram Pamphilio lib.* 2. *dis.* 503. licet fuerit nullum, & etiam culpa non sequuta, in vna Lucana coram Lancelloto.

13 Respond. Quouis modo ex illis vacet beneficium locus est optioni, quia in *cap. fin. de consuet. in* 6. fit mentio simpliciter de vacatione, sub quod tamquam genere continentur omnes vacationis species, de quibus illud habet verificari, genus enim secundum Logicos prædicatur de omnibus suis speciebus, & de quibus verificatur, licet maior sit ratio in vna, quam in alia, *l.* 1. *§. Quod autem ff. de alear. Infer. l. in fraudem ff. de testam. ibi Bald. M. Anton. lib.* 2. *resolut.* 33. *num.* 2. *&* 3. *Nauar. tom.* 2. *cap. Inter verba, concl.* 6. *part. num.* 119. *Barbosa Vaz v. Genus num.* 10. Confirmatur, quia vacatio vno vel alio modo simpliciter dicitur vacatio, ex Nau. consil. 18. de Præbend. qui num. 2. dicit, quod habens facultatem conferendi beneficia simplicia Ecclesiæ suæ perinde conferre potest beneficium, quod vacat per renuntiationem, priuationem, ac alia vacantia per mortem, renuntiationem, & priuationem aliorum. Verum quidem est, quod hoc intelligendum est de vacatione simpliciter, & absolute facta, & perfecta, si quis enim beneficium suum resignaret cum debitis requisitis in fauorem tertij, non ideo beneficium resignatum dicitur absolute vacare in ordine ad præsentem materiam Optionis, eo quod resignatarius ad illud ius habet, ac proinde nullus ex canonicis potest illud optare in præiudicium alterius, beneficium enim nulli debet esse debitum; ex cap. fin. de consuet. in 6. vt optari possit. Eadem ratione permutatiue non dicitur vacare beneficium ad effectum Optationis, cum alteri, cum quo fit permutatio, sit debitum. Iste igitur duæ species vacationis per resignationem & permutationem fauore tertij obstant, & impediunt optionem, cum in hoc sensu non sint propriè vacationes, optionem inducentes. Ita docent omnes cum *Anchar. in cap. Quæsitum, de rer. permut. q. fin. apud Paroletum de opt. n.* 3. *Moneta c.* 3. *de optione canon. c.* 3. *q.* 5.

14 Vndecimo, an optio contingat fieri per tertium, & procuratorem? Respondetur affirmatiue ex cap. fin. de consuetud. in 6. ibi: *Per se, vel per alios*, est enim optio actus realis, qui per illum expediri potest, etiam per procuratorem generalem, dummodo postea habeatur rata à canonico. *Ita Bar. lib.* 3. *de iure Eccles. c.* 13. *ex Paroleto de optione initio.*

Duodecimo, quænam beneficia non possint optari?

15 Respondetur, *Primo*, certum est non posse optari beneficium nondum vacans, cum dicatur alteri debitum, & ab altero legitime possessum non optatur ex dictis. *Secundo*, nec optari potest vacans in fauorem tertij, vt in permutatione, ex dictis præcedenti quæstione. *Tertio*, optari non possunt beneficia vacantia in curia, aut reseruata, vel deuoluta ad sedem apostolicam, aut aliter, *ex Moneta cap.* 3. *q.* 3. *&*, Beneficia igitur reseruata non obstantur, *ita Cassad. deci.* 4. *de concess. præben. Calder. consil.* 3. *de consuet. Paris. lib.* 4. *consil.* 10. *numero* 5. *Puteus libro* 2. *decis.* 4. *Verall. quar.* 1. *decis.* 363. *in vna Lucana optionis domus* 24. *Ianuar.* 1607. *coram Manzanedo.* Procedit secundum Cassadorum citatum, & Puteum tam in generali, quam speciali reseruatione, si sit ex motu proprio. Intellige respectu tituli, & eorum, quæ dependent à titulo, non autem respectu temporalium, & separatorum à titulo beneficij, quia in istis reseruatio non impedit optionem, *Cardin. consil.* 126. *numero* 6. *Calder. consil.* 3. *n.* 2. *Quarto*, ius patronatus non optatur, quia Patronus successiue, & continuo habet ius præsentandi alterum loco mortui, cap. fin. de iurepatr. *Quinto*, Theologalis non optatur, quia habet successorem in officio, cui dicitur debita. *Ita* docet *Gonzal. ad regul.* 8. *Cancell. glos.* 34. *num.* 80. *Moneta cap.* 3. *quæst.* 6. *num.* 129. *Garz. in Addit. ad par.* 5. *cap.* 14. *num.* 132. *Barbosa de Episcopo part.* 3. *allegat.* 56. *num.* 10. Theologus non optat, quia non potest dimittere suam præbendam in optione, *Garz. cit. num.* 134. *Barbosa ad sess.* 5. *cap.* 1. *num.* 28. *&* 29. *Sexto*, Præbenda Pœnitentiaria non est optabilis, quia habet successorem in officio, *Nau. consil.* 14. *de reb. Eccl. non alien. Barb. ad cap.* 8. *sess.* 24. *n.* 10 *plures citat. Septimo*, impetrata per expectantes non optantur, *Rota decis.* 2. *de consuet. in antiq. & decis.* 9. *eod. num.* 3.

16 Decimotertio, an domus canonicalis optari possit? Respondetur sic, quia mediante titulo canonicali possidetur, *ex Cardin. de reseru. q.* 4. *effectu* 39. *§. Vnde ille*, & dicitur de pertinentiis illius Præbendæ, cum qua reperitur, Cardin. consil. 16. num. 3. fuit decisum hoc *in Lucana domus canonicalis* 13. *Martij* 1609. *coram Mazanedo. Moneta cap.* 3. *q.* 2.

17 Decimo quarto, an optio sit repetibilis toties, quoties opus est? Videtur quod non? Tum quia repetitio eiusdem actus in iure censetur vana, & inutilis, qui enim semel stipulatus fuit, frustra iterum stipulatur etiam ex interuallo temporis, *l. Qui bis idem ff. de verb. obligat.* & qui semel legauit aliquid, frustra iterum legat idem, *l. cum quæstio §. fin. C. de legat.* Tum quia id arguit instabilitatem animi ordinati ad interesse, & auaritiam. Tum quia non videtur posse quis iterum optare, nisi alter, cuius Præbendam optat, ad suam reuertatur, ac proinde secundo optare erit vnumquemque ad suã reuerti, quod fieri nõ potest, quia qui renuntiauit alteri ius suum ad illud reuerti non potest ex iuribus allegatis à *glosa v. Adducere, cap. Ecclesia* 57. *de elect.* actiones enim suas remittentibus nõ datur regressus, *l. Quæritur* 14. *§. si venditor, & ff. de edil. ed.* Et hac faciunt contra Tertium canonicum, de quo initio huius resolutionis, qui quærit, an possit iterum optare primam præbendam mortui canonici dimittendo præbendam optatam Secundo, cuius ante erat, qui per hoc dicitur reuertere ad suam Præbendam.

Respondetur, quod optio ab eodem pluries fieri potest, casu eueniente repetitionis, vt quia amicus postulat redire ad suam pristinam cedendo illi aliam meliorem, aut quid simile. Ratio esse potest, quia optio est actus fauorabilis, ergo non est limitanda ad primum actum, fauores enim sunt ampliandi, ex vulgatis iuribus intellige, quod ex statuto, seu consuetudine non restringitur, & consummatur per primum actum? alioquin si id non exprimitur, sed simpliciter, & absolute conceditur optio, verificatur tam in pluribus, quam in vna, nam licet sermo simpliciter probatus verificetur de prima vice, & in prima vice, *ex l. cum pater* 79. *§. pater ff. de legat, & fideicom.* 2. *l. Dotis promissio ff. de iure dot.* quod intelligitur in odiosis, tamen in fauorabilibus non habet locum, quæ repetibilia sunt, *Oldr. consil.* 32. *Nauar. tom.* 3. *in cap. Placuit, num.* 169. maxime quando causa, & ratio quibus est concessa facultas durat post primum actum, *ex Roman. consil.* 504. *Felin. in cap.* 2. *de Tregua fall.* 4. patet autem in optione peracta remanere ius optandi apud

canonicos,

canonicos, cum data qualibet vacatione iuxta superius dicta, fieri possit optio inter canonicos. Quod optio repeti possit docent *Barbosa lib. 3. de iure Eccles. cap. 13. ex illo Paroletus part. 1, cap. 8. §. 3. de optatione.* In casu quo non liceat pluries optare, tunc qui semel optauit, si lis sibi moueatur super beneficio optato, non poterit aliam optare, sed debebit se defendere propriis expensis, si habet potiora iura, *Calder. consil. 6. de consuet. Probus ad Monachum capit. fin. de consuet. in 6. num. 32. Gonzal. ad regulam 8. Glosa 34. num. 87. qui num. 88. post Bellam decis. 220. & Probum numer. 29.* bene docet, aliter negotium se habere, vbi optio simpliciter conceditur. *Vide Monetam, cap. 4. q. 3.*

Patet ex his rationes dubitandi, non enim frustra repetitur optio, quæ secundo exercetur in vtilitatem propriam, eo quod prior præbenda optata redditur litigiosa; ea quo tollitur etiam suspicio auaritiæ, & animi inconstantia, prudenter enim se gerit, qui consilium in melius mutat optione pacificæ Præbendæ et litigiosa, & demum datur regressus ad illud, quod fuit dimissum, non simpliciter, & absolute, sed sub conditione, quod sortiatur debitum effectum, habet enim Præbenda dimissa hanc intrinsecam conditionem, si dimittens assequatur alteram irreuocabiliter, l. *omnia. §. 1. ff. de leg. 2. Roman. singul. 454. Socin. lib. 2. consil. 170. numero 8.*

Decimoquinto, An tempus assignatum optandi infra viginti dies locum habeat etiam in repetitione optionis: Item, quando incipiat illud tempus, & an currat impedito?

18 Respond. Optare volentes habent dies viginti, intra quos possunt exequi optionem, numerandos à die scientiæ vacationis, & hoc beneficium ad hoc tempus limitatum competit omnibus simul, & non successiue, hoc autem tempus viginti dierum limitare, & restringere possunt de consensu omnium. Hoc spatium viginti dierum habet locum in repetitione optionis numerandorum à die moræ litis, & vlterius tempus protrahi non potest etiam prætextu impedimenti de nouo apparentis vltra præfixum tempus.

19 Primum, de viginti diebus numerandis à die scientiæ vacationis Præbendæ; statuitur expresse in eo, cap. fin. de consuetud. in 6. his verbis. *Ne autem prætextu eiusmodi consuetudinis, prouisiones auctoritate Apostolica faciendæ vltra debitum differantur, statuimus, vt exequutores super ipsis prouisionibus deputati, optare volentes, per viginti dies dumtaxat expectent, quibus elapsis, libere in non optatis ad exequenda sibi mandata procedant, præfata consuetudine non obstante.* Glosa v. viginti dies, dicit: *Credo hoc tempus currere à tempore scientiæ, arg. cap. Quia diuersitatem, 5. de concess. prebend.* eatenus verbis. *Moneta capit. 6. quæstione 1. & 4. Paroletus part. 1. capit. 8 §. 3. de optatione num. 4.* Ratio est, quia quando à iure præfigitur certus terminus necesse est, quod præcedat notitia, Abbas, & Couar. in cap. vos quidem, de testam. & sic tempus non currit Ignoranti, *cap. Si de pluribus 24. de prebend. in 6.* vltra hoc tempus spirat facultas optandi, *Gemin. ibidem n. 2.*

20 Secundum, hoc tempus viginti dierum omnibus simul, & non successiue competit, docet Glos. v. Dumtaxat, dixit enim ter. *Optare volentes*, quare sicut textus loquitur in multitudine, ita & pluraliter intelligendus est respectu omnium, ne sequatur absurdum, protrahi prouisionem sine termino contra mentem summi Pontificis tempus limitantis. *Ita Moneta cap. 6. de opt. qu. 3. ex illo Gauantus v. Canonicorum optio numero 26.*

21 Tertium, quod illud spatium viginti dierum possint restringere de consensu omnium, constat ex eo, quod quisque in re sua potest esse moderator, & arbiter, l. *Sed & si, §. consuluit ff. de pet. hæred. l. In re mandata C. Mand.* Requiritur autem consensus omnium omnino, & non sufficit placitum maioris partis propter interesse omnium, & singulorum, *dicit ex Riccio part. 2. resolut. 489. Paroletus num 4.* vnde fallit hic illa regula, quod factum à maiori parte censetur factum ab omnibus, *glos. v. Ciuitatis, in fine, cap. Nullus 12. dist. 61. l. Quod maior ff. ad munic.* nam locum non habet, vbi agitur de interesse singulorum, quorum omnium in singulari consensus est necessarius, *l. fin. C. de auctor. quæstione 1. In concedendo ff. de aqua plu. arc. Glos. in reg. 29. in 6.* maxime cum agitur de actu voluntario, *ex Paris. consil. 90. num. 25. vol. 4.* Ampliare autem nequeunt obstante illius capitis dispositione, neque enim Ecclesia debet pati aliquod detrimentum ob defectum seruitutis, si differatur prouisio vltra determinatum tempus, & ideo æquum non est ampliare illud tempus in præiudicium Ecclesiæ, anteponendo propriam vtilitatem communi bono Ecclesiæ.

22 Quartum, quod tempus viginti dierum ad optandum iterum ea causa numerandum sit à die litis, & non à die vacationis scitæ, probatur, Tum quia ignorans non habet potestatem experiendi, lege *Annus, ff. de calum. lege cum lex menses ff. de edil. edic.* Tum quia ignorans censetur legitime impeditus, l. *Quandiu C. qui admitti, per Paris. & Pereiram apud Barbosam Axiom. 113.* Legitime autem impedito non currit tempus, *cap. Quam sit 6. cap. Commissa 35. de elect. in 6.* Tum quia in prima optione tempus viginti dierum incipit currere à die scientiæ vacationis ea approbatis §. Primum, ergo & in secunda à die scientiæ litis motæ, est enim par ratio, cum in vtroque casu agatur de optione, quæ non variatur per sui repetitionem.

23 Quintum, quod illis viginti diebus à die litis transactis, quos canonicus habuit ad deliberandū velitne iterum optare, seu potiùs redire ad propriam Præbendam, dimittendo optatam litigiosam, vt alter illam secunda vice possit optare, non possit optare secunda vice, probatur, Tum quia prima vice optanti à die scientiæ currit tempus, licet occurrat impedimentum, ergo à fortiori volenti secunda vice optare, quia hic non acquisiuit potiora iura pro secunda vice, quam quæ habuit pro prima vice, in qua non potuit vltra præfixum tempus valide optare, nam tempus præfixum est de forma substantiali actus, cui præfigitur, *tex. in auth. Quæ supplicatio. C. de prec. imper. offer. vbi Bald. & Salicet. Tiraq. de Retr. lign. §. 3. glos. 4. num. 3. & 4.* ergo vltra illud tempus negatur facultas optandi. Tum quia quandoque talia occurrunt impedimenta, quæ diu durant etiam vltra annum, ex quo sequeretur Præbendam vacantem esse vacaturam vltra annum in graue præiudicium Ecclesiæ, quod esset absurdum, vt dicit *Glos. pen. cap. fin. sæpe citati.* Tum quia non est assignabile in casu nostro optionis tam graue impedimentum, quod remoueri non possit, aut tam efficax, quod possit impedire executionem optionis, hæc enim semper fieri potest sub conditione, si suum sortiatur effectum irreuocabiliter.

24 Nec obstat illud commune axioma, quod impedito non currit tempus, *cap. Quia diuersitatem 5. de concess. prebend. cap. fin. leg. 1. §. fin. C. de ann. except. Roman. consil. 228. Dec. consil. 443. Barbosa alios citans axiom. 116.* Quia patitur multas exceptiones, neque habet locum, quando datur in fauorem vtrique parti interesse habenti in negotio, & ad conuincendam alterius negligentiam, *ex Tiraq. de Retr. lign. §. 53. glos. 4. numero 25. Couar. capit. 3. de testam. numero 4.* constat autem illud tempus viginti dierum assignati in fauorem vtriusque & executorum, ne vltra debitum collationes Præbendarum differantur, & canonicorum, vt sufficiens tempus habeant ad deliberandum, ergo ea regula locum non habet. Deinde locum non habet, vbi de nullo agitur præiudicio, immo si aliquo, licet

licet modico, *Abbas lib. 2. conſ. 5. columna finali, Craneta conſil. 182. numero 15. quos refert Cardin. Taſcas lit. M. concl. 239. num. 9. ex illis citatus Barboſa axiom. 116.* Præterea, tempus numeratum à die ſcientiæ videtur excludi ab illo axiomate, in tantum enim temporis non dicitur currere impedito, in quantum adeſt ignorantia, quæ eſt radix impediens curſum temporis, ex eo, quod iura non negligentibus, ſed errantibus, cuiuſmodi ſunt ignorantes, ſubueniunt, *l. Regula §. Si quis ius, ff. de iur. & facti ignor. gloſ. cap. fin. de elect.* in caſu autem noſtro abeſſe non poteſt, ignorantia, eo ipſo, quod initium temporis deſumitur à notitia vacationis, aut litis motæ, ergo aliter impedito currit tempus.

25 Ex his deducitur reſolutio vnius difficultatis ab initio propoſitæ, qua quæſitum fuit, an Tertius canonicus in gratiam Secundi relinquendo Præbendam ab eo optatam, poſſit ſecunda vice optare Præbendam mortui litigioſam, quam illi dimittet ſecundus canonicus?

Reſpondetur enim, quod non poteſt, cum ſit elapſum tempus viginti dierum à die litis motæ numerandum, nam licet optio replicari poſſit ex probatis ſub. q. 14. id tamē intelligitur infra præfixum tempus viginti dierū à die litis, & non vltra, vt probaui mox ſub hac q. 15.

26 Decimo ſexto, an optantes ſinguli, vel partim eorū poſſint redire ad ſuam antiquam præbendam, quam dimiſerunt in optione alterius?

Reſpond. Liber eſt regreſſus ad præbendas propter optionem dimiſſas, per omnes & ſingulos in totum, poſt tempus elapſum viginti dierum iuxta dicta in præcedentibus quæſtionibus 14. & 15. ante vero fieri poteſt intra tempus etiam per vnum, & alterum canonicum, poſt litem terminatam, fauore canonicorum non amplius licet regreſſus ad antiquam Præbendam.

27 Primum, de libero regreſſu ad iura antiqua, probatur, Tum quia optio habet hāc intrinſecam conditionē, ſi dimittens alteram præbendam neceſſario, & irreuocabiliter conſequatur, *arg. §. Quod ſi pendente ff. de per. & commu. rei vend. l. Omnia §. 1. ff. de leg. 2. Roman. ſing. 454. Socin. lib. 2. conſil. 170. num. 8.* ergo conditione non purificata optio non intelligitur facta. Tum quia id videtur colligi *ex cap. Si beneficia 20. de prabend. in 6.* vbi, ſi quis ignoranter recipiat beneficium prius reſeruatum, vel alteri collatum per Papam, ſi ex quo ſciuit illud ſine difficultate dimiſit, recuperat priora beneficia propter illud dimiſſa, ſed in caſu noſtro conſtat quandoque beneficia optata fuiſſe prius aliis collata, ergo in eo caſu optans ad euitandas contentiones libere redit ad beneficium dimiſſum. Tum quia ſi non poſſet redire ſequeretur abſurdum, canonicum remanere ſine Præbenda, & tamen canonicatui de iure debetur Præbenda in eadem Eccleſia, vbi eſt quis canonicus, *cap. Relatum 9. cap. Dilectus 19. de prabend. cap. Cum ſuper 8. de conceſſ. prabend.* Regreſſus iſte debet fieri de conſenſu ſui capituli, arg. eorum, quæ tradit *Pariſius lib. 6. q. 5. num. 32.* de regreſſu ad beneficium reſignatum. Male igitur optantes, & ex cauſa litis poſſunt redire ad ſuas Præbendas, vt docent omnes *cum Moneta, cap. 5. q. 5. concl. 2.* Quod procedit, maxime, quando optiones per canonicos capituli celebratæ fuerunt cum debitis conditionibus, & clauſulis quæ ſunt. *Opto ſi, & quatenus Prabenda eſt optabilis, nec aliter, neque alio modo intendo optare.* Item his verbis. *Per præſentem optationem inter nos canonicos factam proteſtamur, & declaramus, nos ad illam veniſſe, quatenus eſt valida, & non aliter, nec alio modo, aliter ſi conſtabit eius inualiditas, & nullitas, nunc pro tunc nolumus eam celebratam fuiſſe, nobis reſeruantes antiqua iura noſtrarum Prabendarum, ac ſi nulla interueniſſet optio, &c.* Vel ſimili modo. *Declaramus præſentes optiones inter nos factas non cenſeri factas, neque pro talibus nos habere illas in caſu, quo Prabenda vacans N. valide ab extraneo obtinebitur, vel caſu, quo prabenda à nobis collata N. ſuum non ſortietur irreuocabilem effectum, &c.* & His ſimilibus clauſulis conditionalibus inſtrumento expreſſis ſine dubio datur locus regreſſui in optionibus, quia conditio ſuſpendit effectum tranſlationis dominij tam directi, quam vtilis in alium vſque ad purificationem conditionis, illa enim nihil ponit in eſſe, *Ariſt. 1. Periherm. cap. 1. l. Si quis ſub conditione ff. ſi quis omiſ. cauſ. teſtam.* & nihil operatur ante illius aduentum, *cap. Si pro te 13. de reſcr. in 6. cap. Praterea 40. de appellat. Grilenz. conſil. 159. Tuſchus lit. C. concl. 593.* Illæ clauſulæ operantur, vt proteſtantes defendantur à priuatione iurium ſuorum, *Ripa in cap. Cum M. de conſuet. Roland. vol. 2. conſil. 55. num. 30. Pariſ. lib. 4. conſil. 10. num. 285. Moneta cap. 5. de optione q. 5. numero 65.* Quod ſi taceantur, adhuc tenet regreſſus, quia conditio, quæ ex natura rei ineſt, ſeu quæ eſt intrinſeca, ſubintelligitur, licet non exprimatur, *ex c. 2. de reſcr. c. Quemadmodum 25. de iureiur. vtrobique gloſ. v. conditio.*

28 Secundo, quod poſt tempus viginti dierum elapſum non poſſit fieri niſi per omnes ſimul, ſingulis redeuntibus ad antiquas Præbendas, probatur, quia ſi tempore elapſo poſſet fieri regreſſus ab vno, vel altero, aliquis remaneret ſine Præbenda, nimirum ille, qui proximus reuertenti non, regrederetur, careret enim optata, quam alter recuperauit, & propria antiqua remanente apud eum, qui non vult reuertere ad ſuam dimittendo optatam; eſt autem abſurdum, quod canonicus aliquis remaneat ſine præbenda, ex iuribus citatis §. Primum, ergo poſt lapſum non datur regreſſus per partes, ſed in totum, & per omnes canonicos. Confirmatur id, quia nunquam per canonicos deuenitur ad hunc regreſſum cum effectu, niſi quando Præbenda vacans per mortem communicitur legitime collata extraneo, in quo caſu, ne qui optauit Præbendam vacantem, in lite ſuccumbens, ſine Præbenda remaneat, neceſſe eſt, quod omnes, & ſinguli redeant ad ſuas Præbendas.

29 Tertium, quod infra ſpatium viginti dierum liceat regreſſus inter aliquos, probatur, quia in hoc caſu cum partes adhuc ſint intra tempus, in quo licita eſt repetitio optionis, non ſequitur illud abſurdum, quod in regreſſu quis remaneat ſine Præbenda, quia alter reſtituēdo optatam poteſt reoptare dimiſſā, ſuper qua is pendet, ex quo apparet regreſſum ex parte, & non per omnes canonicos dari non poſſe ſine noua optione, quæ cum regreſſu ſemper miſcetur.

30 Quartum, quod lite terminata fauore canonicorum non liceat regreſſus, probatur, quia tunc dicitur purificata conditio, ac proinde perfecta, & ſtabilis optio, & de conditionali tranſiuit in abſolutam, conditione enim adueniente, factum ſub ea, non minus, & abſolute, atque independenter obligat, quam ſi ab initio abſolute omnino factum fuiſſet *l. Potior ff. qui in pign. potior* ibi: *Cum enim ſemel conditio extiterit &c.* eius enim eſt naturæ, vt adueniente ſtatim obliget. *§. Ex conditionali, Inſtit. de verb. obligat. cap. Verum 4. de condit. appoſit.* ergo lite terminata ad fauorem obſtantium, & verificatis conditionibus appoſitis in inſtrumento optionis, canonici non amplius poſſunt retrocedere ad ſuas Præbendas antiquas, quia obligati ſunt permanere in optatis ſtantibus conditionibus purificatis. Et colligitur id *ex cap. Si beneficia 20. de Prabend. in 6.* in quo dicitur licere regreſſum ad prius beneficium dimiſſum ob collationem alterius inualidam, non vero ſi fiat valida collatio ſecundi, pari ratione, ſi fuit valida optatio non datur regreſſus ad beneficium dimiſſum propter optionem, ſed optans debet remanere in optatis,

31 Colligitur hinc reſolutio alterius difficultatis ab initio propoſitæ, an ſecundus canonicus redire poſſit ad ſuam præbendam dimiſſam propter optatam

canonici

canonici mortui, cedendo optatam Tertio canonico, ŭ illi dimittat ab eo optatam? Respondendnm, enim est, secundum canonicum non posse redire ad suam Præbendiam in eo sensu, quatenus Tertius secunda vice debeat optare Præbendam vacantem ex morte primi canonici, ne remanear vtraque priuatus, quando reliqui non redeunt ad antiquas. Ratio ex dictis clara est, & quia regressus ex parte non conceditur, ne sequatur absurdum, quod aliquis canonicus remanear sine Præbenda, aliis non redenntibus ad Præbendas dimissas causa optionis, & quia ad euitandum illud absurdum necesse est, quod regressus coniungatur cum noua optione, quæ tamen fieri non potest, elapso tempore præfiao ad optandum ex supradictis, constat autem iam, tempus præterisse, ergo redire potest minime ille canonicus ad suam Præbendam.

Decimo septimo, An redeuntes canonici ad antiquas Præbendas recuperent easdem cum omnibus suis fructibus?

32 Respond. affirmatiue, Probatur, Tum quia vbi per errorem res, seu fundus dimittitur, ille recuperatur vna cum fructibus præceptis, nec bona fide excusat ab illorum restitutione, *l. Indebiti soluti ff. de condit. indeb l. Si non fortem, §. Libertus ff.....* Tum quia vbi datur aliquod ob causam, ea non extante, non solum reuocantur res ipsa, sed etiam fructus sunt restituendi, *l. Qui se debere §. fin. ff. de condit. ob. causam, l. Eum qui ff. eod. vbi doct. Bart. Angel. & Alex. l. Videamus in primo resp. ff. de vsufr.* Tum quia canonicus solum ius quoddam habet ad Præbendam optatam in spe eam consequendi, si purificetur conditio ex adductis in præcedentibus, ius autem ad rem, & in spe & conditionale non facit fructus esse illius, cum quo contractum fuit sub conditione, *arg. l. 1. & 2. C. de peric. & comm. rei. vend. Alex. consil. 75. lib. 2. Cardin. Paris. vol. 1. consil. 59. numero 35.* dicentium Venditorem percipere fructus ex conditionali. Tum quia fructus debentur ei, qui habet dominium rei, *cap. Conquestus, de vsur. l. Herennius ff. de euic. Gratus lib. 1. consil. 18. num. 2. Paris. lib. 1. de Resignat. q. 6. num. 13.* Fructus enim regulariter sequuntur dominium, *l. Fructus §. Ex diuersorum ff. de rei vend. l. De eo, §. Si quis ff ad exhibend. M. Anton. lib. 2. resol. 44. num. 3.* & fructuum perceptio arguit possessionem, *Menoch. de Retin. remed. 3. q. 72. num. 560. Rota Roman. vol. 4. decis. 167. Orani num. 4.* Sed per optionem non transfertur dominium, neque possessio in optantem, vnde ex optione non infertur ad possessionem, *in Vna Cremon. Prabend. 21. Maij 1617. coram Lancell.* per illam enim solum committitur cura Præbendæ optanti donec purificetur conditio, interim ille, cuius Præbenda fuit optata, non dicitur amittere possessionem suæ Præbendæ ab alio optatæ, sed semper sibi illam in animo conseruat, itaut contra illam non concedatur alteri remedium possessorium ex iis, quæ docet *Rota decis. 7. de restitut. Spoliat. Vide Monetam capitulo quinto quæst. 5. concl. 2. Gonzal. ad Reg. 8. glosa 56. num. 145.*

Decimo octauo, An lite terminata contra capitulum, & optatorem, fauore eius, qui valide impetrauit Præbendam, omnes, & singuli canonici velint nolint, teneantur redire ad suas Præbendas antiquas licet deteriores, vt ille, qui succubuit, nō remanear sine Præbenda?

33 Respondetur. Tenentur, quia lite sic terminata resoluitur, & euanescit omnis optio, ratione cuius canonici meliorem facere suam conditionem sperabant, ergo nulla ratione possint sibi retinere Præbendas optatas, cum ius illa sibi retinendi fundetur in optione, fundamento autem destructo, corruit quicquid super illud fuerat fabricatum, *cap. Cum Paulus 26. 1. q. 5. ex 1. Corinth. 3. l. Ego tecum 26. ff. de except. rei ind.*

Confirmatur, quia conditione deficiente contractus censetur resolutus ab initio, *l. Necessario §. 1. ff. de per. & commod. rei vend. Menoch. consil. 134. num. 30. & 31. Paris. lib. 5. de Resignat. q. 5. num. 27.* Prædicta autem procedunt, siue conditio regressus expressa fuit in instrumento, siue non, quia cum sit optioni intrinseca ea supradictis, parum refert si exprimatur, siue non.

Decimo nono, quid agendum, quando priores canonici tardant in optando cum periculo, vt assignatum viginti dierum spatium prætereat in præiudicium, & damnum aliorum?

34 Respond. In casu huius negligentiæ statuendus est terminus senioribus ad optandum per capitulum, vt iuniores habeant tempus legitimum ad optandum, vt dicit *glosa fin. ad cap. fin. de consuet. in 6. Barbosa de iure Ecclef. lib. 3. cap. 13. numero 6. ex eo Paroletus de optione numero 4. in declar. 2.* dicit, quod si optatio non fieret ab antiquiore canonico, inter debitum tempus, quod iunior posset optare ad damnum illius, & optatio sic facta teneret, Riccius parte secunda resolut. 193. Ratio est, Tum quia cum optio sit voluntaria ea citato capitulo censetur renuntiare iuri suo, & nolle optare. Tum quia vnius negligentia aliis nocere non debet, *l. Non debet ff. de reg. iur. l. Hæreditariam, in fine, ff. de euict.* Tum quia illi, qui diligens est, non debet nocere negligentia alterius, *l. Si non expedierit §. Si pupillus ff de bon. auct. ind. possid.* Tum quia negligens perdit ius ad rem, *cap. Si clericus 11. de prebend. in 6. iuncta glosa v. Negligenter,* ergo antiquior canonicus negligendo optare perdidit ius ad optandum, ac proinde in eo iure succedit alter.

35 Vigesimo, an canonicus, seu clericus excommunicatus possit optare? Quod idem quæritur de Suspensis, & Interdictis? Negat *Filluc. tract. 12. capitulo quinto numero 21. cum nonnullis aliis,* ex eo, quod electio, præsentatio, & collatio beneficij facta excommunicato etiam tolerato, & occulto est nulla, *capitulo Postulastis 7. de cler. excommun. Nauarrus capite 27. numero. 21. Sayrus libro secundo capite quinto Bonac. quæstione secunda de excommun. puncto quarto §. 5.* item facta suspenso, *capit. Cum bona 8. de ætate, Sayrus libro quarto capite sexto, numero 19. & 20.* facta vero interdictis valet, quia istis solum prohibetur per eam censuram exercitium aliquorum sacramentorum, diuinorum officiorum, & sacræ sepulturæ ex communi doctorum, inter quos effectus non connumerant actiones beneficiorum, neque proinde actio optandi, igitur sola difficultas remanet in excommunicatis quidem, quia illi negatur omnis actus tam spiritualis, quam temporalis, & ciuilis, à fortiori optio, quæ refertur ad spirituales ex parte beneficii, quod est quid spirituale, suspensus vero siue ab officio, siue à beneficio, nam hoc datur propter illud, cap. fin. de rescr. ac proinde suspensus ab officio, censetur etiam suspensus à beneficio; sicut priuatus ab vno censetur priuatus ab altero, vt infert idem *glosa v. Datur, vnde Mandos. ad Regulam. 32. Cancell. q. 2. num. 2.* dicit, valere argumentum à beneficio ad officium, & è contra *Anton. Olibau. cap. 53. de iure fisci num. 61.* ergo suspensus siue ab vno, siue ab vtroque vlterius optare non potest aliud beneficium, maxime si sit suspensus à beneficio, quia absurdum est, eum, qui priuatus est fructibus sui beneficij, posse sibi acquirere meliores fructus, hoc ipso, quod deterioribus priuatus est. Quibus tamen non obstantibus, &c.

36 Respond. Censuratum, seu excommunicatum, suspensum, & interdictum, etiam non toleratum posse optare licite, & valide. Licite quidem, quia excommunicatus in casu propriæ vtilitatis cum aliis agendo excusatur à peccato, *Sayr. lib. 2. cap. 54. num. 2. ex prima dictione illius versus. Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.* Valide vero, quia nullibi in iure irritatur

optio, neque enim est actus electionis, præsentationis, aut collationis beneficij, qui respectu excommunicati resoluuntur in nihilum ex dictis in obiectione, si quidem optio est acceptatio melioris præbendæ relictæ deteriore altera, qui velit illam optare, & hoc fit sine nouo titulo, sed per antiquum, qui ideo non mutatur, neque propterea est necessaria noua collatio, nam ex noua collatione, & acceptatione consurgit titulus & ius in rem, ex adductis à Paris. libro secundo, de Resignatione quæstione 26. numero Beneficiorum secundo, & tertio, Cardin. consilio 126. numero quarto, Nouus igitur titulus per optionem non acquiritur, consequenter in ea non datur electio, præsentatio, neque collatio, tamen non potest fieri optio sine titulo antiquo, Gemin. consilio vigesimo primo numero sexto §. Ex his infertur, Rota decisione dee una de Præbend. in antiq. ex quibus infertur nullam esse optionem, quæ non dependet à præcedenti titulo canonico, consequenter intrusum non posse optare, qualis est ille, qui beneficium occupauit indebite sine titulo, ex Doctoribus allegatis à Paris. libro septimo, quæstione prima, numero 14. Panorm. in capit. Cum iamdudum. de præbend. Felin. capit. Veniens, de accusat. numero secundo Rota Roman. vol. 2. decisione 21. numero tertio. Hanc responsionem de excommunicatis docent Moneta capitulo quarto, quæstione secunda, ex eo communiorem vocat Gauantus v. Canonicatuum optio numero vndecimo Sayr. libro secundo, capitulo sexto, numero decimotertio, ex eo, quod est quid facti, & quædam præcisa declaratio voluntatis, quod per excommunicatum præstitum tenet, & pro se citat Vgolinum Tabula secunda, de censuris, capitulo decimotertio §. secundo, numero decimotertio, Rebuffum in Repet. capitulo postulatis de clericorum excommunicatione numero 130. quos citando sequitur Bonacina quæstione secunda, de excommunicatione puncto quarto, §. primo, numero nono. Sed rem hanc, si tibi videbitur benigne lector latius explicatam inuenies apud Gonzal. Glos. 34. quæstione 8.

Nec obstant in oppositum adductæ, quia in odiosis non valet extensio ab electione, præsentatione, & collatione ad optionem, præterquamquod illa sunt quid iuris, hæc verò facti. Præterea licet negetur excommunicatis agere, & tractare ciuiliter, id tamen eis non prohibetur cum agitur de re vtili illorum, neque actus irritatur. Deinde suspensus ab ordine, seu officio, & beneficio non potest exercere aliquem actum sui officij, neque frui fructibus sui beneficij ex iis, quæ tradunt Doctores à Sayr. libro quarto, capitulo sexto, per totum, nihil autem horum facit canonicus suspensus dum optat meliorem, & quo ad illum vtiliorem Præbendam, cum is non sit actus iurisdictionis, neque ordinis, sed quid facti, & transitus à minori ad maiorem Præbendam. Demum non est absurdum, clericum posse acquirere fructus alterius beneficij melioris, à quo non est suspensus, quia suspensus ab vno beneficio ab aliis non est suspensus, si habet plura non solum in diuersis Ecclesiis, Glosa secundo, capitulo Si quis 24. septimo quæstione prima, tex. in capit. Cupientes decimosexto, iuncta Glosa verbo In ipsa Ecclesia, & capit. Si compromissarius 37. de elect. in 6. sed etiam in eadem Ecclesia, dum enim dicitur in illis capitibus priuati omnibus beneficiis, supponitur suspensionem expresse factam fuisse de omnibus beneficiis in eadem Ecclesia, non verò dicitur, quod si contingat suspendi ab vno, censeri suspensum à reliquis eiusdem Ecclesiæ non expressis, non est inquam absurdum, quia pœna inflicta, cum tenaat suos authores, debet esse contenta suis limitibus, & qui suspenditur à re habita, non ideo censetur priuatus aliis, quæ pro tunc non habet, cuiusmodi sunt beneficia optanda, Suspensio igitur à beneficio restringitur ad suos limites, & vt causa limitata producit limitatum effectum.

Vigesimo primo, An irregularis possit optare?

[37] Resp. Irregularis potest optare, quia irregularitas facit hominem solum incapacem passiuæ electionis, præsentationis, aut collationis beneficij, Nauar. ca. 27. num. 251. Sayr. lib. 6. cap. 2. num. 21. Bonac. qu. 1. de irregul p. 4. num. 6. optatio autem nullum est ex prædictis ex probatis præcedenti quæstione. Deinde irregularitate superueniente beneficiarius potest exercere omnes illos actus, qui dependent à suo beneficio, quatenus non sunt actus ordinis, ex Doctoribus citatis à Bonac. q. 1. de irregul. p. 4. n. 15. sed optatio non est actus ordinis, sed tantum dependet a beneficio iam valide obtento, quod non dicitur priuatus irregularis, qui per superuenientem irregularitatem illud non perdit, vt tenet Innoc. in cap. Cum nostris, de præbend. Felin. in capit. Inquisit. de Accusat. & alij allegati per Paris. lib. 5. de Resignat. num. 181. qu. 2. Ita docet Moneta cap. 4. qu. 7. concl. 3.

Vigesimo secundo, An nondum subdiaconus possit optare?

[38] Respond. Affirmatiue, quia clerici nondum actu ordine subdiaconatus insigniti recipi possunt inter canonicos tam catedralis, quam collegiatarum, vt colligitur ex capitulo 12. sess. 24. Imò ad canonicatus collegiatarum Ecclesiarum ætas quatuordecim annorum sufficit, ex capit. Super inordinato, iuncta Glosa ver. Fueri, de præbend. & tradunt Rebuff. in praxi tit. de dispens. ætat. num. 2. Moneta de distribut. part. 2. quæst. 19. nu. 14. Piaces. part. 2. praxis Episcop. cap. 5. numer. 21 Aloysius Ricc. in praxi aurea resolut. 289. num. 2. Neque id sublatum fuit per Tridentinum, aut aliquid super illorum ætatem innouatum, prout referunt decisum Gonzal. ad regulam 8. Cancellar. Glosa 5. num. 91. Ricc. ubi cit. in praxi rerum fori Eccles. in prima edit. decisione 735. in secunda, decisione 512. Barbosa ad prædictum capit. 12. numero 60. Sed recepti iam acquirunt ea omnia iura, facultates, & actiones, quas habent alij canonici in sacris ordinibus constituti, consequenter possunt optare, ac si essent ordinibus sacris constituti, non enim optare dependet ab ordine sacro, cum non sit actus ordinis, sed tantum supponit clericum actu habere beneficium, & esse actu de corpore illius capituli, in quo exerceri potest optio. Ita Moneta capit. 4. de opt. canon. quæst. 5. Paroletus de optatione num. 2. §. Declaro 2.

Vigesimo tertio, An Coadiutor, & Coadiutus possint optare?

[39] Respond. Coadiutor non potest optare, sed tantum Coadiutus, quia is dicitur habere titulum, & possessionem sui beneficij, quibus non priuatur, nec à se abdicat per coadiutorem, qui solum habet ius ad rem cum futura successione in beneficio, post mortem coadiuti, vt docent Nauar. tom. 4. capit. Si quando, de rescr. prælud. 5. numer. 10. Ludou. à Sarauia de iurisd. adiunct. qu. 29. numer. 44. quia coadiutoriæ non sunt propriè beneficia secundum Abbat. in capit. De rectoribus, de cler. ægrot. alios plures citat Barbosa ad sess. 25. capit. 7. num. 7. Qui autem caret beneficio non potest optare, quia hæc facultas pendet à titulo beneficij iam obtenti, & habet speciem permutationis, nam optato relicto priori beneficio assumit aliud melius, & pinguius. Ita docent Moneta de opt. quæst. 8. num. 152. & supracitatus Sarauia quæst. 29. num. 31. apud citatum Barbosam numero 22.

Vigesimo quarto, an canonicus cæcus factus, senex, aut continue infirmus optare possit?

[40] Respond. Affirmatiue, quia adhuc est canonicus illius capituli, & omnia iura, & actiones, quæ habent alij canonici, retinet, ergo non priuatur iure optandi. Confirmatur, quia aliàs daretur afflictio afflicto, quod est absurdum, lege Pœna 9. §. fin. ff. ad leg. Pompe. de Parricid. c. Cum percus. x. 7. q. 1. c. sunt 42. dist. 3. de Pœnit. neque duplex debet consurgere tribulatio, capit. Ex parte 5. de cler. ægrot. vbi dicitur, quod Episcopus, qui

qui propter impotentiam morbi non potest seruire, non deponitur, sed illi datur coadiutor, ergo neque priuandi sunt, aut intelliguntur priuati iure optandi, quo maxime tunc indigent ad subleuandas proprias miserias adeptione beneficij opulentioris. Ita de cæco *Moneta cap. 4. q. 6. concl. 4. apud Gauant. v. Canonicatuum optio, num. 16.*

Vigesimo quinto, An in curia Romana beneficium vacans, vel quia beneficiarius in ea fuit priuatus beneficio ob eius delicta, vel quia ibi illud resignauit, possit optari ab aliis canonicis, seu clericis eiusdem Ecclesiæ?

41 Respond. Negatiue, quia illud beneficiū dicitur vacare in curia, ac proinde affici reseruatione; reseruata autem non possunt optari ex dictis supra q. 12. ergo neque vacantia hoc modo. Ita *Rota decis. 1. de rerum permut. Gemin. consil. 30. Cardin. Parif. consil. 10. ex illis Parif. lib. 1. de Resign. q. 4. n. 56.*

Vigesimo sexto, an optatio fieri possit à canonicis duarum Ecclesiarum inter se separatarum, quarum vna non dicitur alteri vnita, vel subordinata?

42 Respond. Neutro casu fieri potest, quia optio inuenta est, ad remunerandos illos, qui onera spiritualia diu sustinuerunt in Ecclesia; idem autem non videtur posse militare simul in duobus exercitibus, neque duobus dominis seruire, neque in diuersis conuentibus simul habere filiationem, igitur cum in vnica Ecclesia sustinuerit onera Ecclesiastica, ibi tantum optare poterit.

Vigesimo septimo, An mensis reseruatus sedi apostolicæ incipiat currere à media nocte ad mediam noctem?

43 Respond. Affirmatiue, *ex l. More Romanorum ff. de feriis* non reprobata, sed admissa & citata, *cap. Consuluit 14. de off. deleg.* quod in terminis sequuntur *Rebuff. de nominat. q. 16. num. 2. & alios, quos pro se citat Gonzalez super reg. 8. Cancell. glos. 11. num. 10.* media igitur antecedens, pertinet ad diem præcedentem, media vero sequens spectat ad sequentem diem. Confirmatur id in aliis materiis, nam ad hanc normam diuidendi dies à media nocte ad mediam noctem reducuntur obligationes ieiuniorum, abstinentiæ ciborum prohibitorum, operum seruilium, ex Beia part. 1. casu. 2. à nuptiis temporibus prohibitis, Sanch. lib. 7. disp. 7. num. 2. procedit id etiam in materiis contractuum, & solutionum, vnde quia iutauit soluere intra quintum diem, non est periurus soluens in nocte quinti diei antequam transeat media nox, docet. *Nald. v. Æquitas num. 2. ex Archid. & Maleto de testib. cap. 7. num. 116.* In materia vero celebrationis diuinorum officiorum, & indulgentiarum dies incipit à vesperis ad vesperas sequentis diei ex c. 1. & 2. de feriis, vbi de diuinis officiis, de indulgentiis notum est, cum exprimatur in earum concessionibus id tamen non credetur habere locum in indulgentiis quotidianis, & continuis in Ecclesiis regularium, solent enim fideles maxime in Quadragesima visitare Ecclesias vsque ad primam, & quasi secundam noctis horam hic Parmæ, præterquamquod huiusmodi indulgentiæ in Ecclesiis regularium sunt antiquissimæ, & ad horam non sunt limitatæ, vnde & de nocte lucrati possunt; & in aliis, vbi exprimitur à primis ad secundas vesperas, videtur tempus protrahi vsque ad signū salutationis angelicæ, illud enim maxime dicitur tempus vespertinum, nam vesperi dicitur occidente sole, & vltimum tempus diei, seu huius extremum ex Calepino, & Nizolio. Igitur in celebratione diuinorum officiorum attenditur dies à vesperis ad vesperas, ex quo orta controuersia, in qua die celebrandum esset festum S. Caroli, die ne tertia, an quarta mensis Nouembris, quia è vita hac decessit hora tertia noctis ante diem quartum, decreuit S. C. celebrandum esse die quarta, quia is dies incipit à vesperis præcedentis diei tertiæ, ita refert decisum *Gratarola par. 1. capit. 10. §. Neque lib. infer. Successi merauigliosi della veneratione di S. Carolo.*

D. Iulius non potest redire ad suam antiquam Præbendam cum eo pacto, vt D. Paulus secunda vice optet Præbendam litigiosam, non ea ratione, quia id illi sit simpliciter prohibitum, cum vt apparet in instrumento optationis communiter facto, sibi ius reseruauerit redeundi, sed ex eo, quod huiusmodi Regressus coniunctus est cum repetitione optionis ex parte D. Pauli, qui non potest reoptare, quia iam præteritum est tempus, infra quod licitum erat optare, & reoptare, nam capitulum fin. de Consuetudin. in sexto, assignat ad optandum spatium viginti dierum à die notitiæ vacationis beneficij, quod dat initium ad optandum, hoc idem tempus assignandum est reoptantibus, & non maius, numerandum à die motæ litis super beneficio vacante, dico, *& non maius*, quia non maiorem facultatem habet reoptans, quam habet primo optans, cum exercitium optandi in vtroque casu pendeat semper à iure optandi cui non nisi viginti dies assignantur, intra quod temporis spatium bene se deliberare possunt Præbendarij ad optandum, & reoptandum ex causa litis; constat autem non tantum dies immo plures menses à die litis motæ præteriisse, ideo D. Paulus cum non possit reoptare, neque D. Iulius solus potest regredi ad suam antiquam Præbendam, sed expectandus est litis exitus, qua terminata ad fauorem capituli, tolliture difficultas huius prætensæ reoptionis, tunc enim libenter vnusquisque remanebit in optata, & necessario, cum purificata conditione, optatio etiam ab initio ex conditionali resoluatur in absolutam, à qua non possunt canonici recedere. Quod si litis terminatio fiat fauore D. Caroli prouisi in Curia Romanæ contra Capitulū Collegiatæ, eo in casu vnusquisque canonicus debet redire ad suam antiquam Præbendam, in quis illorum remaneat canonicus sine Præbenda contra iura, & tunc D. Ernestus remaneat in pace cum patientia, & spe futuræ vacationis alterius beneficij. Redeunt autem Præbendæ cum omnibus suis fructibus.

RESOLVTIO LXVI.

De Subordinatione superiorum ad inuicem.

SVMMARIVM.

1 *Subordinatio superiorum quid?*
2 *Remoueri non debet subditus inscio Priore, & n. 5.*
3 *Prædicator eligendus non est sine scientia Prioris.*
4 *Superiorum triplex genus.*
5 *Generalem de omnibus admonet inferiorem.*
6 *Prior non habet tantam potestatem quantam Prouincialis.*
7 *Inferior non dispensat in lege superioris.*
8 *Superior factum inferioris sine illo auferre non potest.*
9 *Inferior non tollit excommunicationem latam à superiore.*
10 *Nisi sit generaliter lata nulli reseruata.*
11 *Superior absoluit ab omni excommunicatione lata ab inferiore.*
12 *Debet tamen honestate illum admonere.*
13 *Inferior quandoque plus potest superiore.*
14 *Prioris est prima causa in negotiis sui conuentus.*
15 *Castigari potest male agens etiam extra Visitationem.*
16 *Prouincialis praeuenire potest Priorem in eodem conuentu.*
17 *Prior exit cum licentia Prouinciali.*
18 *Instrumenta conficiuntur multa sine Prouinciali.*
19 *Prouincialis exit admonito aliquo in conuentu.*
20 *Eximi non potest à Generali subditus Priori,*

21 *Nisi in aliquibus casibus.*
22 *Totus conuentus eximi non potest à Generali.*
23 *A capitulo vtique.*
24 *Procurator non remouetur à Prouinciali, nisi subsis causa.*
25 *Durat sub sequenti superiore.*
26 *Nisi constitutus fuerit à solo Priore.*
27 *Prouincialis quando remoueat positum à Generali.*
28 *Prouinciales quomodo ad inuicem permutent Fratres*
29 *Portellus impugnatur.*
30 *Visitaturus non tenetur monere visitandos.*
31 *Commissarij Minorum a iure.*
32 *Commissarij ab homine permanentes non fiunt.*
33 *Commissarij transeuntes ex causa fiunt.*
34 *Papæ potestas duplex iuxta duplex gladium.*
35 *Prior in T. ord. non est iudex, sed pater;*
36 *Maior non auocat ad se causam inferioris.*
37 *Prioris est prima correctio etiam in forma iudicij.*
38 *Metropolitanus æquiparatur Prouinciali in affirmatiuis.*
39 *Generalis, & Prouincialis quomodo immediatus prælatus Fratrum.*
40 *Prælati suam potestatem habent à iure, non ab homine.*
41 *Subordinatio quod importet in superiore respectu inferioris*
42 *Exeundi licentia petitur à Priore, non ab aliis.*

1 CVm Subordinatio sit quædam ordinis species, in eo videtur consistere, quod si mutua dispositio superiorum Maiorum & Minorum, ratione cuius dispositionis inter se ita conuenire debent, vt vnus ad alterum, in eo quod iurisdictionis potestas communis postulat, referatur. Importat autem huiusmodi dispositio ex parte quidem Maioris superioris potestatem, & iurisdictionem erga Minorem prælatum, qui obedire tenetur sibi præceptis, & quo ad se, & quo ad subditos vtrique communes, ex quo ex parte Minoris significat dispositionem subiectionis, & obedientiæ tam quo ad se, quam quo ad proprios subditos, in hoc enim vocatur Minor, & subditus, licet superior sit solum respectu suorum subditorum, sed inferioris gradus. In quantum verò huiusmodi dispositio vocatur mutua in vtrisque dicit potestatem vicissitudinis, & quandam conuenientiam, concordiam, & vt aiunt, intelligentiam, inter se in ordine ad subditos singulis illis communes; neque enim fas est, vt Maior suam potestatem exerceat in communem subditum sine conscientia Minoris in iis, quæ possunt huius iurisdictioni aliquod afferre præiudi-
2 cium e. g. à iure, & ratione alienum est, quod Prouincialis furtim remoueat religiosum à subiectione Prioris inscii huius facti, cum prius hunc absoluere debeat ab eius obedientia, & actuali subiectione, quam remouere, id quod facere sine dubio non po-
3 test, nisi rem cum Priore communicet. Neque, vt aliud addam exemplum, licet Generali, aut Prouinciali dimittere ad Episcopum sacerdotem pro examine ad excipiendas secularium confessiones, imò neque religiosorum, inscio Priore, qui melius aliis cognoscit idoneitatem dimissi, & indigentiam suæ Ecclesiæ, cum in his factis contingentibus ipsemet præsens sit, & cognitionem habeat experimentalem. Aliter autem se gerens aliqualem suo proximo defert iniuriam, & debitum peruertit ordinem, si vnicuique propria non seruatur iurisdictio, cap. Peruenit 36.11.q.1. Hæc autem dispositio non est inter pares, quia non possunt subordinari ad inuicem, neque vnum alteri, ex quo ordo est dispositio superiorum, & inferiorum, & par non agit in parem, cum par in parem non habeat imperium, *cap. Innotuit 20. de elect. l. Nam, & magistratus ff. de arbitr.* est ergo inter dispares, vt vnum alteri referri, & subesse possit in ratione potesta-
4 tis, & obedientiæ. Sed accedamus de more ad quæsita, supposito prius triplici genere superiorum, qui sunt Localis dictus Abbas, Prior, Guardianus, Rector, Minister, qualis est ille, qui in locum ex officio, & nomine proprio est immediate administrator, & gubernator religiosorum, & bonorum monasterij, seu conuentus. Secundi generis est prælatus prouincialis, qui ex officio & nomine proprio habet regimen plurium conuentuum vnius Prouinciæ. Tertij demum vocatur Generalis, qui toti religioni præest si non in toto orbe, saltem in aliqua parte, regno, aut regnis, vt Generalis Italiæ, &c. Inter hos præcipue, & ab iis institutos, seu delegatos cadit huiusmodi subordinatio.

Quæres 1. An conueniens iudicetur factum à Maiore fauore, vel contra subditum inscio Minore, cui subditur, e. g. An conuenienter Generalis transferat aliquem religiosum ab vna ad aliam prouinciam, Prouinciali non admonito. Idem quæritur de Prouinciali respectu Prioris.

5 Resp. Quicquid facit maior minore non admonito inconueniener dicitur factum, siue sit factum in personam, siue in rem immediate subiectam minori. Probatur, Tum quia aliter tollitur subordinatio illorum inter se, consequenter ordo, vbi autem ordo non est, ibi confusio est, ex vulgatis iuribus, vnde dixit Arist. 3. Cæli, quod ordo est propria natura rerum naturalium, ergo & rerum moralium, & artificiatarum, ars enim imitatur naturam. Tum quia Minor habet ius actuale super omnes suos subditos, ergo eo inscio auferri non potest à maiore. Tum quia subditus vtriq; communis est, ergo ad remotionem illius vtriusque consensus requiritur. Confirmatur id exemplis quamplurimis Sacræ Scripturæ, in qua legimus Dominum e. g. præcepisse Samueli, vt antequam vngeret Dauid in Regem, vocaret patrem eius Isai ad victimam 1. Reg. c. 16. quare hoc? si pater non erat necessarius ad vnctionem à solo Samuele præstandam? quia erat filius illi subditus, conueniens ergo fuit admonere patrem de alienatione filij à patria potestate per vnctionem in Regem. Christus Dominus noster, cuius omnis actio est nostra institutio, cum à lepra mundauit illum hominem Leprosũ, Math. 8. dixit illi. *Vade, ostẽde te Sacerdoti.* Ad quid hæc ostensio? iam enim mundatus erat, nullius indigebat; nihilominus illi præcepit, vt se ostenderet sacerdoti, vt insinuaret peccatores sub typo, & figura leprosi non solum à Domino, sed etiam à sacerdotibus mundari à lepra, vnde per illam ostensionem admonuit sacerdotem tamquam minorem superiorem, cui leprosus subditus erat, vti communis subditus vtrique superiori ad inuicem subordinatis ex quadam ordinis conuenientia.

Ex his infertur, non esse licitum Maiori remouere subditum ab obedientia Minoris, transferendo ad alium conuentum, quin etiam admoneat superiorem vtrumque: Neque dimittere ad confessiones, ordines, prædicationes, studia, &c. sine participatione superioris subordinati. Non dico factum esse nullum, tenet enim, sed illicitum, & inconueniens, quod potestatis virtutem non infringit, sed inficit tantum.

Quæres 2. An tanta sit potestas, & iurisdictio in Priore, quanta in Prouinciali, & tanta in hoc, quanta in Generali? Inquiunt enim nonnulli, quod Prælati locales habent tantam potestatem in suos subditos, quantam habet Prouincialis in sua prouincia, & tantam Prouincialis in subditos suæ prouinciæ, quantam Generalis in tota religione; quod probant, tum ex institutione, quod volunt prælatis etiam regularibus potestatem in subditos competere iure diuino, nonnullas rationes adducit *Rodr. tom. 1. q. 17. art. 2. & 4.* Tum *ex ca. Nullam* 18. *q.* 2. vbi dicitur, quod Abbatis est totà potestas monasterij.

6 Respondetur. Non habent æqualem potestatem, sed vnus alio maiorem, nam Generalis omnem habet potestatem non solum extensiue, sed etiam intensiue in iis, quæ expresse non prohibentur à Papa;

Prouincialis

Prouincialis vero minorem habet, tantam tamen, per quam sufficiens, & potens est regere suam prouinciam, nisi in aliquibus expresse prohibeatur à Generali, vel à Capitulo; Prior demum minorem omnibus habet potestatem, tantam tamen, quanta sibi necessaria est pro gubernatione sui monasterij in iis, quæ expresse non prohibentur à suis maioribus. Id autem totum alia ratione non probatur nisi ex radice subordinationis inter illos, cum non possint inter se esse pares, sed vnus ad alterum refertur in ratione subiectionis, & regiminis, ex quo sequitur vnum habere minorem alio potestatem, aliter inferior vnus alteri non esset, neque subiectio vnius ad alterum haberet locum.

Ad obiecta respondeti potest ad primum, rem esse in quæstione, & veriorem opinionem esse illis, hanc potestatem competere iure humano Papali, vt breuiter probaui consil. 2. q. 1. & magis communem vocat *Fagundez* loquendo etiam de Episcopis *lib. 7. de preceptis decal. cap. 1. n. 25. quem cum aliis citat Aphor. Episcop. v. Iurisdictio num. 6.* An secundum de tota potestate Abbatis respondet *Rodr. tom. 1. q. 17. art. 3.* in eo textu sermonem esse de Abbatibus immediate subiectis Papæ; quod in re hac non displicet, & idem importat ac non esse subordinatum, & sic non obstat intento à nobis, quamuis alioquio interpretatio Rodriq. verbis textus non quadret, quibus Pelagius Papa redarguit quorumdam monachorum subiectorum temeritatem, qui abbatis potestatem sibi arrogabant, immo ipsum abbatem sibi subiiciebant; verba enim eius sunt. *Nullam potestatem de cætero, nullam licentiam monachis relinquimus pro arbitrio suo, aut abbates expellere, aut sibimet alios ordinare, quia nulla autoritas remanebit abbatis, si monachorum potestati cœperit subiacere ad quem potestas tota pertinere conuenit.* Et glosa ibi explicat illud verbum, *tota*, excludere monachos, non vero Episcopum, & consequenter neque maiores superiores.

Quæres 3. An inferior possit dispensare in lege superioris? Et è contra, an superior possit in lege, potius præcepto, seu ordinatione inferioris dispensare, seu eam delere, aut alterare. Contra primum est illud commune axioma, quod inferior sedes potiorem soluere non potest, *cap. Inferior 4. dist. 21.* nec inferior potestatem habet in superiorem, *c. Cum inferior 16 de maior. l. Fermam, C. de offic. præfect. prætor.* fauore vero secundæ dubitationis ex eisdem legibus colligitur superiorem ligare, & absoluere posse inferiorē, & in eius lege disponere, & dispensare.

7 Respond. Inferior non potest dispensare in lege superioris regulariter loquendo ex allatis iuribus, & aliis à me adductis *resol. 10. q. 10. q. 8. n. 8.* in pœnis autem legis non reseruatis potest, vt probaui ibidem q. 24. Dixi, *regulariter*; quia in aliquibus potest casibus, quod ibidem retuli initio resolut. §. Inferior, recurre illuc, ne bis idem repetam.

8 Superior vero factum, seu pœnam, aut priuationem inductam siue in iudicio, siue extraiudicialiter ab inferiori dispensare, aut tollere non potest, vt verbis expressis in Trident. sess. 14. cap. 1. dicitur restitutionem factam contra voluntatem prælati, qui suum subditum interdixit, aut suspendit à suis ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus Ecclesiasticis, non suffragari subdito interdicto, aut suspenso. Ita ex hoc capite *docet Rodr. tom. 1. q. 22. art. 8. de suspenso ab actibus legitimis, & ordinibus. Portel. v. Prælatus 72. 12. ex eo Zambellus in suo Repertorio Morali v. eod. num.* 10. Subdit tamen hoc procedere quamdiu superior priuans est in officio, nam finito officio superior maior potest gratiam facere, quia cum sit functus iam officio suo nullam illi iniuriam facere dicitur, neq; illius dicitur autoritatem contemnere, cum iam expirauerit. Ne quis autem dicat citato capite sermonem esse de Episcopis, exclusis prælatis regularibus, quia id falsum est, verba enim *Præpositorum*, *Prælati* magis accommodantur inferioribus, quam Episcopis, & ita decisum fuit 3. Aprilis 1621, referente *Aldamo in Compend. canon. resol. lib. 3. tit. 4. n. 15. apud Barbosam ad hoc cap. 1. sess.* 14. nimirum Prælatis regularibus competere hanc facultatem attributam Episcopis in hoc decreto.

Quæres 4. An Minor possit absoluere ab excommunicatione lata à superiore in particularem subditum vtrique communem? Et è contra, an Maior possit absoluere ab excommunicatione lata à Minori? Neutrum videtur fieri posse, quia per hoc alter alterum contemnere dicitur, præsertim minor agere non potest in factum maioris hoc ipso quod est inferioris iurisdictionis, & potestatis.

Respond. Minor non potest excommunicationem latam à maiore in certam personam etiam vtrique subditam auferre, siue eam sibi reseruauerit superior illius lator iudex, siue non. Ab excommunicatione vero lata in subditos generaliter absoluere potest, si non sit reseruata. Maior vero prælatus excommunicationem ab inferiore latā siue in genere, siue in specie, siue reseruatam, siue non, auferre potest non solum quando excommunicatus recurrit per modum appellationis, verum etiam per modum simplicis querelæ, aut auxilium implorando, in quo tamen postremo casu conueniens et auferri non admonito prius iudice excommunicatore.

Primum de inferiore non valente absoluere ab excommunicatione lata in suum peculiarem subditum à superiore constat ex dictis in ratione dubitandi, & allatis iuribus citatis sub q. 3. & probatur in specie ex cap. Per tuas, cap. Sacro, de sent. excom. quia huiusmodi excommunicationis sententia auferri potest solum ab eo, qui eam tulit, vel ab eius superiore, vel à delegato ab vno ex illis; sed ille inferior eam non tulit, nec superior est hoc ipso, quod est inferior ferenti illam; nec habet potestatem delegatam, ergo nullo modo potest absoluere. Confirmatur, quia excommunicatus qua excommunicatus non dicitur subditus inferiori, quemquam alioquin in aliis subditus, ergo absolui non potest, absolutio enim relatio est inter superiorem, & subditum. Quare Prior non poterit absoluere suum Fratrem excommunicatum à Prouinciali, aut Generali, neq; Prouincialis censura ligatum à Generali.

10 Secundum de eodem inferiore absoluente ab excommunicatione generali non reseruata constat ex communi doctorum in cap. Nuper; de sentent. excommun. Dico, *Non reseruata*. quia super reseruata nullum ius habet, præsertim si sit reseruata à iure speciali religionis, vt probaui resol. 39. de absolutione à reseruatis, à iure vero communi reseruata extra bullam Cœnæ tunc absoluunt, quando maiores superiores huiusmodi reseruationem sibi propriam non faciunt.

11 Tertium de superiore absoluente à quauis excommunicatione lata ab inferiore in subditum communem, probatur ex citatis textibus, cap. Per tuas, cap. Sacro, de sent. excommun. Ita omnes *cum Sayr. lib. 2. de censur. cap. 19. Bonac. q. 3. de absolutione censur. propos. 1. in terminis doctorib. citatis Tambur. tom. 2. disp.* 14. *q.* 7.

14 Demum de intelligentia inter vtrumque superiorem *non* probatur ex cap. 3. de off. ord. ibi: *Et eam sine congrua satisfactione, & absque eiusdē plebani conscientia non relaxes*, ex p. Per tuas 40. de sent. excommun. ibi: *Metropolitanus eum debet absoluere, nisi suo duxerit suffraganeo deferendum.* cap. Sacro 48. eod. ibi: *Grauatus apud superiorem deponat de iniusta excommunicatione querelam, qui si absque periculo monere potest, ad excommunicatorem illum cum suo mandato remittat.* Vnde Megal. *lib. 1. de censur. cap. 7. nu.* 55. infert superiorem absoluentem excommunicatum

 non

non citata parte, nec audito excommunicatore peccare, quia dicitur contemnere iura aliorum. Tenet tamen absolutio, *Glos. fin. cit. capit. 3. de offic. ordin.* Video tamen quosdam prælatos nimium fimbrias suæ potestatis dilatare, & excommunicatos à canone ob iniectionem manuum violentarum in clericos non tam publicam, quam expressam quoque absoluere nulla parte citata, neque admonito Episcopo, sic mundus transit cum ambitione, & famulorum interesse.

Quæres 5. An quicquid potest facere superior localis, hoc idem præstare possit Prouincialis, & Generalis, & quicquid efficere potest Prouincialis possit etiam facere Generalis.

13 Respond. Affirmatiue, quando faciendum illi competit iure ordinario e.g iure ordinario superior localis potest approbare sacerdotes sibi subiectos in confessarios suorum Fratrum, hoc idem efficere potest Prouincialis, qui sicut in prouincia potest sibi subditum religiosum transferre de vno conuentu ad alium, ita & Generalis hoc idem præstare potest, & sic de similibus. Probatur hoc quia totam potestatem, quam habet Prior potiori ratione possidet Prouincialis, & Generalis, & quam habet prouincialis etiam Generalis, inferior enim suam potestatem recipit à superiori, ergo tota potestas inferioris inest per prius superiori. Deinde prælatus inferior se habet ad prælatum superiorem sicut causa particularis ad vniuersalem à qua mouetur ad operandum. Præterea inferior se habet ad superiorem, sicut numerus minor ad maiorem, sed omnes vnitates, quas habet numerus minor, continet numerus maior, ergo & superiori competit tota potestas, quæ inest inferiori.

Dixi, *iure ordinario*, quia iure delegato potest esse, quod aliquid possit Prior e. g. & non Prouincialis, aut Generalis, vt si Papa delegare aliquid agendum à Priore, vel Generali Priori non Prouinciali, vel si Episcopus concederet suos casus Priori, & non Prouinciali, & in hoc difficultas. Ex quo Doctores assignant duplicem modum conferendi alicui aliquam potestatem; primo cumulatiue, seu ampliatiue, quæ scilicet inferiori datur non priuando superiorem illius, si eamdem habet quouis titulo; secundo priuatiue, nimirum, aut priuando illa superiore, aut non valente illa vti, cum illi non competat ex officio, neque reuera sit illi tradita per collationem factam inferiori prælato sibi subdito.

Quæres 6. Quomodo se gerere debet Prior, & Prouincialis residentes in eodem conuentu?

14 Resp. Prior in negotiis sui monasterij tam quo ad ministrationem bonorum, quam quo ad gubernationem familiæ sibi subditæ primum habet locum. In quibus si excedat potest à Prouinciali quouis tempore puniri, aut factum indebite ab ipso emendari. Quandoque Prouincialis præuenire potest negotium, & causam Prioris. Prior exeundo de monasterio quasi habet debitum petendi benedictionem à superiore. In instrumentis conficiendis non concurrit, nisi in iis, in quibus est necessaria illius licentia, & approbatio. Prouincialis exeundo non male facit, immò eius statum decet, semper admouere vnum ex partibus si non superiorem, de suo exitu.

Primum de primis causis Priori debitis suadetur. Tum quia est ordinarius in suo conuentu, ergo ad eum primo spectant negotia sui monasterij. Tum quia habet omnimodam potestatem in iis, quæ non sunt sibi expresse prohibita, tam quo ad bona, quàm quo ad Fratres sibi subditos, *cap. Nullam 18. qu. 2. Archidiac. in cap. De capellis 16. qu. 2. Innoc. in capit. Vt fama, de sent. excomm. num. 3. Abbas in cap. Ioannes, de Regular. & ex eis Bertius tom. 4. ad quæst. regul. Rodr. tit. 2. capit. 2. n. 1.* Tum à simili de causis, quæ in prima instantia pertinent ad Episcopum *sess. 24. capit. 20.* eo quod sit ordinarius, ergo idem dicendum apud regulares. Tum quia aliter frustaretur eius potestas, si prouincialis omnia, quæ spectant ad priorem vellet expedire. Quod autem prima causa sit prioris erga suos subditos tradit *Nau. cons. 6. de foro comp. & com. 2. de regul. num. 63.*

15 Secundum de emendatione malefacti à priore, extra tempus visitationis, probatur, quia eius potestas corrigendi, emendandi non dependet à visitatore quasi ad illam consequens, sed id ius habet ex debito officij sui Prouincialatus, & sicut omni tempore sui triennij est prouincialis, ita suum munus, & officium omni tempore exercere potest, etiam in eo conuentu vbi simul cum Priore residet.

16 Tertium de præuentione Prouincialis probatur, Tum quia præsentia Prioris non infirmat potestatem Prouincialis. Tum quia inconueniens non est super eodem negotio habere plures iudices, *Glos. v. Negotio, ca. Ex tenore de rescr. per cap. Cum non ignoretis de off. legat.* Tum quia Prouincialis in quolibet conuentu suæ prouinciæ censetur Prior localis, & præcipue in conuentu, vbi residet, *Peyrin. de Prælat. quæst. 3. capitulo 1. §. 3. numero 116.* Tum quia Prouincialis totam potestatem Priori competentem habet, ergo non debet esse inferioris conditionis, consequenter præuenire potest Priorem in causis conuentualibus, non autem conueniens est, nisi ex causa legitima easdem à Priore præoccupatas, ad se vocare, vel impedire expeditioné assumptam à Priore, cum & ipse sit ordinarius sicut prouincialis.

17 Quartum, de debito honestatis non exeundi sine licentia Prouincialis, probatur, quia & ipse clausuram non solum custodire erga alios, sed etiam pro se illam obseruando, petendo licentiam dum vult exire non solum ex voluntate, sed etiam ex necessitate *Peyrin. tom. 2. Priuileg. ad constit. 7. Pauli v. num. 52.* vbi dicit negatam haberi pro obtenta; quod tamen non ita absolute asserendum est, quandoque enim Prior potest esse nimis inclinatus ad exitum, quasi effectus vagus à superiore emendandus est, ne subditi eius exemplo occasionem accipiant vagandi, quod religiosis valde periculosum est.

18 Quintum, de instrumentis probatur, tum ex *dictis resol. 53. numer. 70.* quia Prouincialis non immediate est super bona monasterij, sed prouinciæ præcisè. Tum quia non potest subintrare sub illis clausulis, in quibus vocatur corpus capituli conuentualis, quod constituitur ex locali capite & membris item localib. neque conuenit, vt idem corpus constet duobus capitibus, sufficit ergo si concurrat tamquam superior prouincialis super corpus locale; quando eius expressa licentia necessaria est, vel dubitat ex eius non interuentu aliquid præiudicij in bonis monasterij generari posse.

19 Denium valde conueniens est, dum vult cum socio exire clausura monasterij, motum facere, & admonere aliquem de suo exitu, vt subditi occasionem habeant benedicendi de suo prælato, etenim & pater familias, qui in domo sua nullum se maiorem recognoscit pro bono suæ domus regimine de exitu è domo admonet vxorem, aut filios, ergo à fortiori pater familias spiritualis, vt post se bonum relinquat odorem.

Quæres 7. An Generalis possit eximere aliquem ab obedientia Prouincialis? Item, an idem facere possit Prouincialis respectu Prioris? Quod idem quæri potest respectu administrationis, nimirum, an Generalis possit facere priuilegium alicui monasterio, ne Prouinciali reddat rationem Prior cum suis officialibus, dum Prouinciam visitat, reseruando sibi immediatè visitationem illius conuentus.

20 Respondetur. Capitulum generale, neque Generalis, multo minus Prouincialis possunt aliquem religiosum quantumuis grauem penitus, & in omnibus eximere ab obedientia sui superioris; à quo tamen

tamen illum eximere poſſunt quo ad aliud, iuſta ſubſiſtente cauſa meritorum in ſubdito eximendo. Neque Generalis propria autoritate aliquem conuentum eximere poteſt ab obedientia & iuriſdictione ſui prouincialis, & ſibi immediate ſubijcere? ſiue quo ad viſitationem, ſiue quo ad diſpoſitionem bonorum monaſterij; vtique vero poteſt ipſe cum ſuis Definitoribus in aliquo capitulo.

Primum de omnimoda exemptione ab obedientia, probatur, Tum quia id eſt diſpenſare in voto obedientiæ, quod eſt vnum ex tribus ſolemnibus, in quibus Papa vix poteſt, cap. Cum ad monaſterium fine, de ſtatu monach. Cum quia id non eſſet eximere religioſum ab obedientia, ſed confuſionem parere in religione, vt bene dicit Leo X. conſtit. Licet alias. Dat. 3. Septembr. 1516. illis verbis. *Nos attendentes præcipuum quarumuis religionum fundamentum obedientiam exiſtere, qua ſublata, non religio, ſed confuſio potius dicenda eſſet.* Tum quia obedientia præſcribi non poteſt, *ex cap. Sicut nobis 17. de regular.* ibi Canoniſtæ, *Rodr. tom. 1. q. 23. art. 3. & tom. 2. q. 74. art. 3. & ex illis Sanch. lib. 6. cap. 5. num. 30.* ergo neque exemptione gaudere. *Ita Rodr. tom. 1. q. 23. art. 3. cum ſuo Compend. reſol. 63. n. 58. Portel. v. Generalis num. 3. Mirand. tom. 5. q. 7. art 6.* qui dicunt Generalem non poſſe aliquem Priorem eximere ab obedientia Prouincialis, neque ſubditum Fratrem ab obedientia Prouincialis, & Prioris, neque Generalem poſſe creare aliquem prædicatorem, qui per totam religionem concionari poſſit ſine licentia ſui ſuperioris, cui ſubditur, cum id ſit contra Tridentinum, cap. 2. ſeſſ. 5. ibi: *Niſi à ſuis ſuperioribus de vita, morib. & ſcientia*, vbi ſermo eſt pluralis ad denotandum mutuam intelligentiam, & ſubordinationem ſuperiorum in hoc concionatorum negotio, vide *Barboſam ad hoc cap. citantem num. 18.* doctores de concionatoribus regularibus, *Lezana tom. 1. cap. 18. num. 53. Peyrin. ad conſtit. quintam Iul. II. n. 6. tom. 1. priuileg. & in Formul. lit. E. cap. 35. n. 3*

21 Secundum de exemptione in aliquo caſu, probatur, quia legitima ſubſiſtente cauſa ſuperior maior limitare, & moderate poteſt votum obedientiæ, quo ad aliquos actus, quod non eſt diſpenſare in ſubſtantia voti, ſed in accidentariis, neque per id ſequitur confuſio inter alios, aut fit iniuria ſuperiori, cum id fiat eo admonito, & conſentiente ob merita religioſi priuilegiati; vt, quando lector eximitur à choro, à communi oratione, proceſſionibus, & ſimilibus. Item ſenes eximuntur a Matutino, ab abſtinentiis, à menſa communi, &c. De his exemptionibus quomodo nunc ſe debeant gerere ſuperiores in illis concedendis vide conſtitut. 99. Vrbani VIII. tom. 4. Bullar. quam citat *Peyr. loco citato, & aliam adducit per extenſum tom. 3. priuileg. cap. 12. pag. mihi* 354. in qua Papa reuocat omnia priuilegia concesſa fratribus in Regnis Hiſpaniarum, propter quæ ab obedientia ſuorum prælatorum eximebantur.

25 Tertium, de Generali propria autoritate non valente eximere Priorem, neque eius conuentum ab obedientia Prouincialis, ſuadetur eiſdem rationibus, quibus probatum fuit non poſſe eximi particulare religioſum, valet enim argumentum à parte ad totum ex doctoribus citatis à Barboſa in locis citatis commun. loco 85. à parte. Si enim non licet eximere hunc, & hunc, conſequenter neque totum conuentum, qui ex illis componitur.

23 Quartum, de capitulo Generali eximente aliquem conuentum, probatur, quia nullo iure id illi interdicitur, poteſt enim rationabiliter hoc ſtatuere ob aliquam ſpecialitatem loci, vel ob merita alicuius patris Generalis, vt conuentus ſibi commendatus à nullo prouinciali viſitetur, ſed ſit immediate ſubiectus Generali ſimul cum religioſis ibi habitantibus.

Quæres 8. An Prouincialis factum Procuratorem ſiue ſecularem, ſiue regularem à Priore cum ſua familia etiam per inſtrumentum publicum, ſine eius ſcientia, reuocare poſſit? Loquor de procuratore electo in eo conuentu, vbi reſidet ipſe Prouincialis, nam facto in alio conuentu non videtur grauis difficultas, niſi prohibuerit ex iuſta aliqua cauſa, ne facerent procuratorem talem, vel talem religioſum.

Reſpond. Prouincialis, qui non fuit contemptus, etiam in conuentu ſuæ reſidentiæ, neque interdixit electionem procuratoris ſiue in ſuo conuentu reſidentiæ, ſiue in aliis ſuæ prouinciæ, nulla ſubſiſtente cauſa, non poteſt reuocare procuratorem electum à Priore cum ſua familia, quia quilibet poteſt ſibi procuratorem eligere, *arg. l. 1. ff. de procur. etiam* religioſi pro ſuo conuentu, *Gloſ. v. Monacho, cap. Præſentium 16. q. 1.* & id docet Nauar. *conſil. 12. de elect. num. 4.* vbi dicit ab illis deſtitui poſſe, à quibus electus fuit, per illam generalem regulam. Res per quas cauſas naſcitur per eaſdem diſſoluitur. Nota autem, quod procurator non cenſetur remotus per mutationem prioris, *Gloſ. & cap. in Clem. fin. de procur. Anchar. in cap. Si duo eod. n. 5. in 6.* quia eſt factus nomine Eccleſiæ, quæ nunquam moritur, *Rota Romana in Nouiſſ. vol. 1. decif. 554. n. 2.* vnde prior nouus cenſetur ſtare veteri procuratori, donec reuocet illum, aut ſi nihil appareret, vt poſt *Innoc. docet Felin. in cap. Ex parte de reſcr. num. 5. & 6. ex eadem Rota num. 9. Nald. v. Mandatum num. 15.* niſi fuerit factus à ſolo priore, *Rota decif. 31. de Procur. apud eundem Nald. v. Prælatus* 2. Non cenſetur autem prouincialis contemptus, quando ab eo licentia petita fuerit; licet non interfuerit inſtrumento; item ſi alias electus non fuerit ſine eius ſcientia, ſeu interuentu, cum illi in his, & ſimilibus nulla fiat iniuria. 24 25 26

Quæres 9. An Prouincialis à Prouincia ſua excludat religioſum poſitum à Generali, vel de illius conuentu transferat ad alium ſuæ prouinciæ.

Reſpond. Attendenda eſt mens Generalis, ſi enim ex tenore obedientiæ colligatur ſuperiorem prohibuiſſe aliis ſibi inferioribus prælatis remotionem ſibi reſeruando, nulli dubium eſt, Prouincialem Fratrem ſic collocatum non poſſe remouere, neque etiam ab eodem conuentu in quo illum Generalis locauit, quia ille non poteſt contra mandatum ſui ſuperioris. Quod ſi ſimpliciter collocauit de familia in prouincia, vel aliquo ſpeciali conuentu, remoueri poteſt à Prouinciali iuxta exigentiam negotiorum ſuæ prouinciæ; verum quidem eſt, quod Prouincialis remittens religioſum ad ſuam natiuam prouinciam debet illum dimittere cum literis fidem facientibus de tali dimiſſione ad Prouincialem illius prouinciæ, ad quam mittitur licentiatus; ſicut neque Prouincialis alienæ prouinciæ in propriam recipere poteſt religioſum ſine dimiſſoriis eius Prouincialis, vt dicitur in Regula mei ordinis, cap. 20. & de hac remotione admonendus eſt etiam Generalis ex debito ſubordinationis. *Vide Nau. conſil. 5. de appell. num. 2. Portellum part. 3. caſu. 34. quem citat Zambellus in ſuo Repertorio Moral. v. Religioſus num. 51. ſub caſu* 24. ſed male, defectu tamen impreſſoris, qui refert caſum cuiuſdam religioſi, qui à ſuo Generali obtinuerat licentiam faciendi certum quid, confirmatam per D. Collectorem, cum clauſula; *cui licentia nullus audeat contradicere.* finito autem officio à Collectore, Generalis datam à ſe licentiam reuocauit. Portellus ibi multa quærit, præcipue an dicta licentia à Collectore confirmata, valeat finito illius officio, & egreſſo à Prouincia? Probat valere, & à ſimili de licentia data pro recipiendis ordinibus durante poſt mortem Epiſcopi; & quia licentia, ſeu potius gratia facta durat poſt mortem concedentis. Prima tamen eius ratio non facit ad rem, quia hæc licentia non eſt inter conſtitutiones, quæ durant perpetuo, vt clarum eſt, ſed eſt quid ab homine, quod quia gratioſum eſt, & facta gratia durat donec reuocetur, per ea, quæ *ego dixi reſol. 58. numer.* 39. Deinde num. 32. 27 28 29

dicit nullum religionis prælatum, consequenter neque Generalem potuisse illam licentiam à Collectore confirmatam reuocare, quod probat, quia inferior non potest annullare legem superioris. Dico ego, Portellum nimis deprimere potestatem Generalis, siue enim illa confirmatio fuerit facta in forma specifica, seu in forma communi, quod verisimilius videtur, non dicitur negata autoritas Generalis saltem pro eo tempore, post quod Collector suum finiuit officium, aliter enim id esset eximere illum religiosum ab obedientia superioris etiam Generalis, & hoc absolute, & perpetuo, nam cum amotus ab officio censeatur ciuiliter mortuus illam licentiam à se confirmatam reuocare non potest, cum non amplius sit officialis, consequenter ille religiosus erit perpetuo exemptus ab obedientia, quod melius efficere potest præter Papam, quia hoc est dispensare in voto solemni obedientiæ. Præterea nullus in dubio præsumitur velle derogari iuri tertij, nisi id exprimat, & minus quam fieri possit, neque ipse summus Pontifex, ex vulgatis iuribus; ergo Collector ille confirmando gratiam religioso, factam à suo Generali censetur solum illi fauere, ne molestetur circa gratiam sibi factam, solet enim plus timeri, quod singulariter pollicetur, maxime à personis magnæ autoritatis, *cap. Quamquam distinct.* 24. non autem velle illi auferre facultatem, quam habet reuocandi gratiam factam ab illo, & sicut confirmatio Papæ non tollit iurisdictionem ordinariam, cap. 1. & 2. de confirmat. Ita neque confirmatio huius Collectoris abstulit iurisdictionem ordinariam Generalis, quam habebat reuocandi eam licentiam. Deinde sub illa clausula *Nullis contradicentibus.* non comprehenditur Generalis, qui nunquam venit in onerosis, nisi exprimatur per suam dignitatem, est enim persona priuilegiata habens nomen speciale, & elegans Trimarchus disput. 8. de solicitat. num. 43. Nec allata ratio multum suadet, aliud enim est legem tollere, aliud gratiam alicui factam reuocare, illa enim non dicitur gratia Collectoris nisi accessorie, sed Generalis, consequenter cum suitatem non amiserit, eam dissoluere potest, quia res per quas causas nascitur per easdem dissoluitur. Neque exemplum de Prouinciali adductum quidquam probat, cum adsit lata differentia, siquidem Prouincialis subordinatur in sua iurisdictione Generali, qui cum Collectore nullam habet subordinationem in regimine regulari. Ex his consideret Zambellus supracitatus qua ratione, seu iniuria protulerit ea verba, Deus caueat nos à superioribus ignorantibus. Bene dixisset: Fauores huius mundi deprauant regularem disciplinam.

Quæres 10. An Generalis, Prouinciales, & Visitatores dum volunt visitare debeant admonere suos subditos de proxima futura visitatione? *Peyrinus in suo Formul. liter. P. cap. 9. numer.* 2. affirmat, ad hoc vt superiores conuentuum se præparent ad recipiendum visitatorem & visitationem, *& citat Gauantum. §. VI. in praxi Visitat. & Piasecium part. 2. cap. 3. numer. 4.*

30 Respond. Nullum esse debitum, nisi honestatis, immo consultius videtur accedere ad hoc munus insalutato hospite, vt possit prouidere circa ea, quæ magis egent reformatione extirpando vitia, & abusus.

Quæres 11. An Generalis pro suo libito possit constituere Commissarios permanentes in prouinciis, non obstante, quod vna quæque prouincia habet suum prouincialem residentem, & gubernantem sibi subiectos in prouincia religiosos? Nota autem, quod in aliquibus

31 religionibus per vniuersum orbem monasteria, & prouincias habentibus, non potest Generalis per se ob infinita fere negotia, singulis præsto esse Prouinciis propter locorum maximam distantiam, & religionis dilatationem, ideo operæ pretium est prouidere de aliis superioribus vltra prouinciales, qui possint diuturnis necessitatibus, & præsentibus negotiis occurrere, quæ Prouinciales respectu suarum prouinciarum, vel inter se interdum expedire non valent, hinc est, quod Leo X. sua constitutione incip. *Ite & vos in vineam meam.* vocata Vnionis certior factus, ea difficultate præpediri ordinem Minorum Seraphicæ religionis B. Patris S. Francisci, concessit, quod religio posset eligere pro familia Vltramontana Commissarium Generalem fungentem vices Generalis super Vltramontanos, quando Generalis esset Citramontanus, & è contra, de qua re vide Rodriq. tom. 1. quæst. 51. cum suo Compend. resol. 29. Mirand. tom. 2. quæst. 11. Aliquando etiam apud nos eligebatur in capitulo Commissarius Generalis simili fere modo, quo apud Minores, vt induisit Paulus III. Bulla incip. *Pastoralis officij.* postmodum sublatus à Sixto V. in constit. incip. *Romani Pontificis*, in restitutione Generalis. De iure ergo in ordine Tertio nullus Commissarius eligi potest in capitulis. Tota ergo difficultas consistit, An Generalis, facto proprio, Commissarios huiusmodi constituere possit.

32 Respond. Generalis pro suo libito, & sine causa huiusmodi Commissarios constituere non potest. Probatur. Tum quia frustratorij sunt, & vani, cum vnaquæque prouincia sufficienter, & bene regi possit per suos prouinciales, sicuti conuentus reguntur per suos Priores, frustra enim factum dicitur, quod iure fieri non potuit Ferret. in constitutione Catalon. Glos. 7. numero 133. Barbosa Vaz verbo. Frustra num. 57. Tum quia committere est delegare, cap. Cum te 18. de off. deleg. ibi: *Si super causa, quæ tibi ex nostra delegatione committitur.* Sed delegatio non fit nisi legitima subsistente causa, ex cap. Inter cætera, de off. ordin. cap. si pro debilitate de off. deleg. sed hic nulla est legitima causa, quia Priores in suis conuentibus omnibus possunt occurrere negotiis, & Prouinciales vnusquisque in sua prouincia æque bene, & commode gubernare potest, & prouidere in casibus in dies accidentibus, ergo frustra ponuntur Commissarij, nec dicas, occurrere casus appellationis subditi à priore ad Generalem, vel differentias inter prouincialem & priores, & tunc difficilem multum esse recursum ad Generalem, qui tunc temporis potest esse apud Siculos, & recurrentes in Lombardia; quia dico in his casibus difficultatem euacuari per literas ad Generalem, qui tunc Commissarium pro tali causa prouidebit dirimenda, quamquam alioquin institutio Commissariorum ad huiusmodi causas, & lites terminandas inter inferiorem, & superiorem prælatum frustratoria non est, sed vtilis & necessaria, vnde sic limitate institui possunt, & non ad omnia negotia delegari. Tum quia constitutio huiusmodi Commissariorum multùm lædit iurisdictionem ordinariam prouincialium, si sint destinati super prouincias, & proprium destinati super particulares conuentus, & videtur impertiuens prouisio Commissarij super vnum conuentum, quando prior bene se gerit, & id nullo modo præstare potest Generalis, neque prouincialis, quia non est quodammodo auferre potestatem ordinariam à priore sine causa, vel ad minus limitare, & restringere, quod nequaquam fieri potest. Tum quia horum institutio peruertit debitam subordinationem seruandam inter maiores, & minores superiores, quæ dictat maiorem superiorem sine causa non posse, nec debere limitare iurisdictionem ordinariam minoris, nisi subsit legitima causa, quæ non videtur assignabilis in constituendo huiusmodi Commissarios permanentes. Nec obstat quod habens potestatem ordinariam libere possit illam committere aliis, cap. Aqua de consecr. quia id intelligitur respectu earum causarum, quæ sibi immediate competunt, vel deferunt à subditis, non autem de causis, quæ iure ordinario spectant ad inferiores prælatos.

Ex

Ex his ergo infertur male facere superiores maiores, qui sine causa aliquibus Patribus, licet grauibus, dant commissiones permanentes super Prouincias, aut monasteria, quando Prouinciales, & Priores bene se gerunt in gubernatione Prouinciæ, monasteriorum, & suorum subditorum, illis enim non leuem inferunt iniuriam subijcientes aliis, quibus de iure alias non deberent esse subiecti, eorum restringentes autoritatem, & potestatem illis à iure concessam, sine dubio enim peruertitur ordo gubernationis, si vnicuique propria non seruatur iurisdictio, *cap. Peruenit* 36. 11. *quæst.* 1.

Dicta maximè procedunt in paruis religionibus, quæ e. g. Generalem habent solum per vniuersam Italiam, & prouincias habent plures, & commodas ad visitandum, in his enim cessat distantia locorum, & difficilis accessus ad supremum prælatum, in quantum numero puto esse meum ordinem.

33 Possunt vero superiores maiores Commissarios occasione data nominare pro hac, vel illa causa, & negotio occurrente, & non aliter; vt, si Prior est inexpertus alias bonæ vitæ sustineri potest in officio adiuncto sibi coadiutore; si subditus appellat in graui causa à Priore, vel Prouinciali datur Commissarius; si lis sit inter Prouincialem, & Priores à Generali committitur causa tertio, item Prouincialis absens cōmittit suas vices seniori, & prudentiori è prioribus Prouinciæ. Aduertant autem committentes, debere in his causis delegare aliquem alium superiorem alterius prouinciæ, si lis vertatur inter Prouincialem, & Priorem, vel alium, sicut inter Priorem, & subditum alium Priorem, vel patrem grauem, ne præiudicium afferatur aliquod eorum dignitati.

Quæres 12. An potestas laica etiam suprema vti imperatoria, regalis, ducalis, &c. subordinatur Papali, itaut ab hac dependeat illa etiam in temporali?

Respond. Affirmatiue, probatur, capitulo Certum 3. distinct. 10. ibi: *Regiam voluntatem sacerdoti-*
34 *bus Christi studeatis subdere, non præferre* Gregor. Nazian. ad Imperatorem Constantinopol. relatus cap. Suscipisne 6. dist. 10. illis verbis. *Lex sacerdotalis vos subijcit potestati, atque istis tribunalibus subdit, dedit enim & nobis potestatem, dedit & principatum multo perfectiorem principatibus vestris.* Et id probat euidentibus rationibus subiungendo. *Aut nunquid iustum vobis videtur, si cedat spiritus carni, si à terrenis cælestia superentur, & si diuinis præferantur humana?* Magis expresse Gelasius Papa Arcadio imperatori, quem Innocentius Papa excommunicauit, quia S. Ioannem Chrysostomum à sua sede expulerat, relatus, cap. Duo sunt 10. dist. 95. ibi: *Nostri itaque inter hoc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam posse redigi voluntatem.* Ioan. Papa relatus, c. Si Imper. 11. dist. illis verbis. *Imperatores Christiani subdere debent executiones suas ecclesiasticis præsulibus, non præferre.* Lege sequens caput cum duabus paleis, & videbis papam maiorem habere potestatem Imperator, immo Imperator eidem suam temporalem potestatem, coronam, & omnem regiam potestatem in vrbe Romana, & in Italia, & in partibus occidentalibus Apostolico concessit. Quare papa duplicem habet potestatem, in vniuersum orbem nimirum spiritualem, & temporalem, illam quidem immediate sibi à Deo tributam, hanc vero à Deo, sed consequentem ad spiritualem iuxta illud ad Rom. 13. *Non est enim potestas, nisi à Deo*, & ex illo Lucæ 22 *Ecce duo gladij hic.* De quibus gladiis duobus vtramque denotantibus potestatem, quam papa habet, agitur in extrau. com. 1. de maior. & ne quis dubitaret de hac secunda potestate Constantinus vetern fide cōstans suam papæ cedendo declarauit papatui à sua origine eamdem omnino inesse, ideo in festo vtriusque cathedræ S. Petri in responsorio 4. fit mentio de hac vtraque potestate illis verbis. *Tibi tradidit Deus omnia regna mundi, & ideo tibi tradita sunt claues regni cælorum.* Habet ergo papa dominium immediate à Deo super omnia regna mundi, consequenter imperialem, & regiam potestatem, vnde dicitur Imperator, & Rex, nam antea Pontifices erant simul reges, vt inquit Isidorus relatus, cap. 1. distinct. 21. *Nam maiorum hæc consuetudo fuit, vt rex esset sacerdos, & pontifex, vnde & Pontifices Romani Imperatores appellabantur.* Et quod dicitur in fine Psalmi 19. *Domine saluum fac Regem*, intelligitur de summo Pontifice, qui Rex, & Imperator est, cui Deus tradidit omnia mundi regna; immo Imperator, & Reges alij papæ officiales, & delegati sunt, quod probatur per cap. Solitæ 6. de maior. illis verbis *Fecit Deus duo luminaria magna in firmamento cæli, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti; vtrumque magnum, sed alterum maius. Ad firmamentum igitur cæli hoc est vniuersalis Ecclesiæ fecit, Deus duo magna luminaria idest, duas instituit dignitates, quæ sunt pontificalis autoritas, & regalis potestas, sed illa, quæ præest diebus idest, spiritualibus maior est, quæ vero carnalibus minor, vt quanta est inter solem, & lunam, tanta inter Pontifices, & reges differentia cognoscatur.* Modo sicut luminare minus, lumen recipit à sole, vt palam est per ecclipsim lunæ, ita Imperator suam potestatem figuratus in luna luminari minori accipit à papa significato per luminare maius; sicut enim sol suum lumen communicat lunæ, sine quo lucere non potest, neque suum exercere officium, ita papa suam potestatem temporalem communicat, & delegat Imperatori, & Regibus, sine quo nihil possunt; & hoc expresse asserit Albertus Imperator scribens ad Bonifacium VIII. illis verbis. *Quod ius eligendi Romanorum Regem in Imperatorem postmodum promouendum certis principibus Ecclesiasticis, & secularibus ab eadem sede concessum, à qua Reges, & Imperatores, qui fuerunt, & erunt pro tempore, recipiunt temporalis gladij potestatem ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Referuntur à Franciscano Longo Capucino *in suo Breuiario Chronologico in vita Gregorij V. & ex illo Laurius tit. 4. de elect. cap. 1. numer.* 3. Vnde & ad Papam pertinet examinatio electionis huiusmodi, cuiusmodi approbatio, inunctio, coronatio, & confirmatio, & si sit indignus reijcitur à papa, qui dignum nolentibus eligere, supplet, *cap. Venerabilem* 34. *de elect.* Confirmatio autem est signum superioritatis, *Bald. in l. fin. §. Noto vlterius C. de leg. Abbas post Hostiens in cap. 1. & 2. de locato, Berous in Rubr. de confirmat. vtil. vel inutil.* hæc autem superioritas respicit potestatem temporalem cum versetur circa officium temporale, licet dependeat à potestate maiori, in eo, quod necesse est gladium subesse gladio, sicut minor maiori subiectus esse dicitur. De hac potestate temporali propria papæ, quam communicat, & delegat Imperatori, Regibus, & cæteris potestatibus laicalibus illi subiectis loquuntur, & affirmant *de S. Anton. part. 3. tit. 22. cap. 3. §. 7. Panor. Angel. Augustinus de Ancona, Silu. v. Papa 2. quæst. 7. 10. 11. 14. v. Legitimus 4. & 5. Hostien. in cap. Super his de votis quos citat Corduba, licet non sequatur lib. 1. Quæstion. q. 57. dub. 3. Megal. t. 2. lib. 2. cap. 17. num. 9. Medinus lib. 1. §. I. ex est dubit. 101. numer. 51. Thomas opusc. 20. lib. 3. cap.* 10. dum asserit papam posse deponere principes, & eos constituere per spiritualem potestatem, quam habet super omnes mundi homines, dicas tu etiam per temporalem propriam spirituali subordinatam, sicut enim spiritualis, ita temporali potestas temporalis, vtraque significata per illos duos gladios vnum alteri subordinatum.

Quare Molina *tom. 1. de iustitia tract. 2. disp. 29. numer. 29. citando Victoriam, Riccium, Durandum, Turrecrem. Sotus in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 1; concl. 4. Angianus tom. 1. de legib. lib. 2. controu. 17; num. 79.*

num. 79. quos pro ſe citat Diana part. 1. reſol. 123. de immun. Eccleſ. docent duos principes inter ſe in diſcordia exiſtentes poſſe Papam concordare quamuis alium ſuperiorem ſupra ſe non recognoſcant, imò debere inter illos iudicare, quando dubitatur probabiliter de perturbatione reipublicæ, limitant tamen, quando non conſentirent in arbitrum, ſed dicunt abſolute Papam eſſe iudicem non tantum ex gladio ſpirituali, verum etiam ex temporali, quo gaudet ſuper omnes mundi principes. Item inſtitutio nouæ reipublicæ per ſubſtractionem ab imperio fit authoritate ſedis Apoſtolicæ, vt de republica Veneta teſtatur Petrus Iuſtinianus Hiſtor. Venet. authorizata à Summo Pontifice Adeodato electo anno 672. tertio idus Aprilis.

Quæres 13. An prælati maiores poſſint ad ſe vocare cauſas pendentes coram iudicibus inferioribus;

35 Quæſtio procedit de Generali reſpectu Prouincialium, & Priorum, & de vtroque reſpectu ſuperiorum localium, quando poſſunt eſſe iudices. In meo ordine iudices eſſe non poſſunt Priores, quibus tantum conceditur à iure facultas corrigendi ſubditos paternaliter ſine iudicio fori externi *ex ca. 5.* Regulæ ibi: *Errantem corrigat delinquentem puniat*, eſt ergo eorum punitio correctoria, & & paterna. Tetigi difficultatem ſupra ſub num. 16. negatiue. Sed quoniam Paſqualigus nouiſſime in ſua deciſione 57. erudiriſſima oppoſitum probat ex differentia Archiepiſcopi, cui denegatur auocatio huiuſmodi, cum ius ſuper ſubditos ſuffraganeorum habeat ſolum in cauſis appellationis, ca. Romana de appell. in 6. à ſuperiore non poſſunt, quia illis non ſubduntur niſi per appellationem, religioſi verò ſimpliciter, & immediate ſubduntur ſuis prælatis maioribus per votum obedientiæ, ex quo infert prælatos maiores ad ſe poſſe vocare cauſas pendentes religioſorum ex ſubiectione, non verò Archiepiſcopum, cui ſimpliciter, & immediate non ſubduntur ſuffraganeorum ſubditi. Quibus tamen non obſtantibus.

36 Reſpondetur. Prælatus maior cauſam ab inferiori iudice præuentam, & pendentem ad ſe auocare non poteſt. Probatur, Tum quia iudicium finiendum eſt ab eo, à quo cæptum fuit, l. *Vbi cæptum ff. de iuriſd. omn. iud. leg. Si quis poſtea, ff. de iud.* Tum quia maior factum inferioris non tollit ſine ipſo, neque relaxat pœnam ſubdito impoſitam à Priore, ex ſupra probatis numer. 8. ergo multo minus totam cauſam ad ſe

37 vocare debet. Tum quia Prior in ſuo conuentu eſt ordinarius, *Gloſſ. fin. capit. 2. de iud.* & ad eum ſpectat prima correctio, *ex capit. Corripiantur 14. quæſt. 3. cap.* Ea quæ de ſtatu monach. capit. Quanto, de off. ordin. quia tota poteſtas monaſterij eſt in Abbate, ſeu Priore, *capit.* Nullam 18. *qu. 2.* qui ideò eſt immediatus iudex ſuorum ſubditorum, *Gloſ. v. Si prælati, capit. Quarto cit.* etiamſi procedatur in forma iudicij ergo non eſt defraudandus ſua iuriſdictione, quam à iure habet ſuper ſuos ſubditos. Tum quia confunditur ordo, & iuſtitia, ſi vnicuique non defertur in propria iuriſdictione, *capit. Peruenit. 11. quæſt. 1.* Tum quia delegatus à delegato principis cauſam commiſſam, & cæptam reuocare non poteſt, *cap. Venerabilis 37. de off. de legat.* ergo à fortiori reuocari non poteſt cauſa ab ordinario cæpta ex officio. Tum quia & ſi Generalis ſubiectos ſibi habeat omnes religioſos, & Prouincialis ſuæ prouinciæ Fratres etiam ſuperiores inferiores, mediante voto obedientiæ, non ideò tamen pro ſuo libito de ſubditis diſponere debet, ſed ſecundum quod iure agere poteſt, conſequenter deferre debet inferiori ſuperiori in ſuo officio reſpectu cuius præciſe non dicitur ſubditus, niſi in quantum in eo errat, ſubiectus quo ad punitionem ſuo prælato, cum de iure communi locis citatis fungatur ſuo officio, licet habito à ſuperiore maiore ex diſpoſitione iuris, ergo impediri non poteſt ab illo, qui ſupra ius non eſt. Tum quia ſubiectio ex voto obedientiæ bene ſaluatur in multis aliis, vt in remotione Fratrum ab vno ad alium locum, & in præuentione cauſarum, nam prælatus maior inferiorum cauſas nondum cæptas præuenire poteſt, & in his bene ſaluatur iuriſdictio illius. Tum quia prælati maiores non 38 in omnibus æquiparantur Patriarchis, & Metropolitanis, ſed tantum in affirmatiuis, non negatiuis, & limitatis. Ex his patet argumentum Paſqualigi, qui ſupponit Generales ſibi ipſis immediate ſubiicere omnes profeſſos, quod mihi non probatur, quia 39 inter ſuperiores debet eſſe ordo reſpectu ſubditorum, ita quod ſicut localis dicitur ſuperior immediatus ſui conuentus, & Fratrum, ita Prouincialis dicatur immediatus Prouinciæ, & Fratrum in ordine ad Generalem, Generalis verò immediatus totius religionis in Fratribus, cum religio formaliter ſit vniformis omnium congregatio. Itaque immediatio reſpectu ſuperiorum maiorum eſt Fratrum magis in genere, & in communi, quam in ſpecie, & in indiuiduo, quod eſt ſuperiori localis, qui immediatione, vt ita dicam, virtutis, & ſuppoſiti agit in ſuos ſubditos.

Idem Paſqualigus in hac quæſtione fauore Prouincialium deciſione 59. num. tertio ſibi obiicit hoc argumentum. Eſſe diſparem rationem de Prouincialibus, qui non eligunt, neque confirmant inferiores prælatos, nam tunc illorum iuriſdictio non dependet ab ipſis, & ideo non poſſe eos limitare eam, & reſtringere. Reſpondendo, licet in tali caſu iuriſdictio prælatorum inferiorum non dependeat à Prouincialibus in fieri, & conſeruari, dependet tamen in exerceri, & ideo poſſunt eam reſtringere, ratio eſt, quia vel illam recipiunt immediate à Generali ſolum, vel cum aliis concurrentibus cum ipſo ad electionem, & tunc illam accipiunt cum dicta ſubordinatione ad Prouinciales, quia iſti repræſentant in ſua Prouincia Generalem, & ipſius tribunal, atque adeo poſſunt, quod poſſet Generalis cum cæteris ſui tribunalis, exceptis eidem Generali reſeruatis. Vel eliguntur à familia, vel aliquo alio modo, & tunc quia electores non habent authoritatem continuam, nec faciunt tribunal cenſentur electi cum iuriſdictione ſubordinata Prouinciali, penes quem reſidet illa authoritas, quæ reſideret apud electores, ſi haberent authoritatem, & ſuperioritatem permanentes, itaut facerent tribunal. Tota ergo vis eius argumentis ſuadentis etiam Prouincialem ad ſe auocare poſſe cauſas inferiorum in eo conſiſtit, quod in ſua iuriſdictione dependeant non ſolum à Generali, ſed etiam à Prouinciali, licet his non concurrerit ad electionem, quia eligentes tunc eligunt inferiorem prælatum ſubordinatum Prouinciali in iuriſdictione. Siue ergo inferior eligatur à maiori, ſiue 40 non iuriſdictionem, quam ordinariam habet non recipit ab electoribus, quia eam non habentes aliis tribuere non poſſunt, ſed ſolam electionem, ad quam de iure conſequitur iuriſdictio, neque à Prouinciali quamuis illi ſubordinetur in ea, ſed eſt à iure, per quod differt iuriſdictio ordinaria à delegata, nam illa à iure habet eſſe, Gloſ. in cap. Cum ab Eccleſiarum, de off. ordin. hæc vero ab homine, & ideo hæc limitari, reſtringi & limitari poteſt ad libitum ſuperioris, cum ab eo totaliter dependeat, *Abbas in cap. Tua nobis, de off. vicar. Rota Roman. vol. 1. deciſ. 197. numero tertio*, & vnum faciat tribunal delegatus delegante, immò vnius cenſeantur voluntatis, nam delegatus debet moueri ea ratione, qua mouetur delegans, *Gloſſ. v. Et perpetuo cap. 1. de reſcr.* Similiter mortuo delegante expirat poteſtas delegato collata re integra, *cap. Licet vndique 30. de offic. deleg.* Aliter res ſe habet in iuriſdictione ordinaria, quam prælati omnes ab vniuerſitate ſecundum ius commune, vel ſtatuta electi dicuntur habere ab vniuerſitate, vt à iure, non vt ab homine, hæc enim limitabilis non eſt ab homine cum vt

homo

homo eam non contulerit, sed nomine, & virtute iuris, ideo etiam ab eodem nomine iuris, & non alio titulo auferri, aut restringi potest, sed ad se causam cœptam ab inferiore auocando non dicitur limitare iurisdictionem inferioris secundum ius, nisi id præstet ius capitulo, ergo eam restringere non potest, cum vt homo eam non dederit.

41 Neque subordinatio, quam inferiores habent ad superiores istis dat hoc ius, quia subordinatio importat ordinem in regimine regulatum, ergo prædictum effectum inordinatum, quo inferiori sine causa restringitur potestas, producere non potest, neque enim inducta ad boni ordinis conseruationem, contrarium effectum habent operari, *arg. l. Legata inutiliter ff. de legat.* 1. & subordinatio sufficienter suum locum habet in præuentione causarum, & in punitione inferiorum, quando in suis officiis errant, & similiter in appellationibus, si enim superior maior plenam haberet potestatem super inferiorem prælatum vt prælatus est, iam prælatus non esset, nisi solo nomine, sed simplex delegatus, aut mercenarius ad nutum amouibilis.

Quæres 14. A quonam petenda est licentia exeundi, quando in eodem conuentu reperiuntur simul cum Priori Prouinciales, & Generalis.

42 Respond. Subditus regulariter licentiam exeundi petere debet à superiore locali, probatur, Tum quia tota potestas monasterij tam respectu personarum, quam bonorum residet apud superiorem localem, ergo & licentiandi extra subditos, is enim est actus potestatis eius, & cum sit à iure ab eo auferri non potest simpliciter à superiore maiori, licet quandoque suspendi, vt mox dicam. Tum quia Prior est ordinarius suorum subditorum, cap. Ea quæ, de statu monach. cap. Quanto, de ff. ordin. Tum quia ita colligitur ex constitut. Clem. VIII. de Reform. regul. sub num. 19. ibi: *Nullus à conuentu egredi audeat, nisi ex causa & cum socio, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione accepta à superiore.* Tum magis proprie, quia superior localis præ cæteris nouit religiosos sibi subditos, quos licentiare potest, & quos dimittere non expedit, sed retinere intra clausuram, nam Prior quotidie eorum vitam, & mores experitur, ex quo seipsum regulare potest in concedendis huiusmodi licentiis, & benedictionibus, vt aiunt; non ita se habent maiores superiores, qui fere semper cum sint in continuo cursu visitationis non tam bene cognoscere possunt, quinam religiosi extra licentiari possint, & quinam retinendi sint intra clausuram, negando eis recessum à clausura. Soli ergo priori competit de iure licentiare Fratres extra domũ ex probatis, non autem superioribus maioribus; non nego tamen per hoc illis facultatem licentiandi, cum possint ea omnia, quæ priores valent efficere pro, vel contra suos subditos, solum ex his infero non expedire prælatis maioribus concedere licentiam exeundi Fratribus inscio superiore locali, qui maiorem prælatum informare potest, an licite petatur exitus à subdito, ita etiam distante subordinatione, quam ad inuicem habere debent superiores in functione suorum officiorum. Quando superiores maiores in suis visitationibus volunt alloqui, & visitare religiosos sibi subiectos prohibere possunt recessum illorum à conuentu, suspendendo etiam à prioribus facultatis exercitium concedendi licentiam exeundi è domo, quia in eo casu id omnino spectat ad actum visitationis, quam superior celebraturus est.

RESOLVTIO LXVII.

De Sacra Ordinatione.

SVMMARIVM.

1 *Interstitiorum spatium moraliter attenditur.*
2 *Interstitia locum habent in omnibus ordinibus.*
3 *Interstitiorum spatium quodlibet sufficit inter minores.*
4 *Interstitiorum dispensatio est Episcopi.*
5 *Prælati maiores potestatem habent æqualem Episcopo.*
6 *Dispensationem interstitiorum petunt prælati regulares.*
7 *Attestationi de causa standum est ab Episcopo.*
8 *Abbates dispensant super interstitiis minorum tantum.*
9 *Quando etiam mittunt suos ad Episcopum ordinandos.*
10 *Familiaris à suo Episcopo familiari dispensatur.*
11 *Causa requisita ad dispensandum super interstitiis.*
12 *In maioribus ordinibus.*
13 *Causæ in specie pro interstitiis.*
14 *Omissa in prædictis dispensatio nullam inducit pœnam.*
15 *Dispensatio verbalis necessaria est.*
16 *Licentia superioris regularis requiritur.*
17 *Abbas, vel prælatus maior licentiat.*
18 *Episcopus regulares non licentiat.*
19 *Negari non potest licentia legitime petita ad ordines.*
20 *Volumus quando importet præceptum.*
21 *Licentia quando spiret.*
22 *Gratia facta, & facienda differunt.*
23 *Licentia amotione licentiati spirat.*
24 *Excommunicatus validè licentiat suum subditum.*
25 *Excommunicatus etiam vitandus non amittit suam potestatem.*
26 *Tamburini opinio reijcitur.*
27 *Licentiandi sunt ad Episcopum diœcesanum.*
28 *Si recte ordinat etiam ad alium.*
29 *Ad quemcumque Episcopum dimitti possunt, quando proprius non ordinat.*
30 *Titularis, vel alius quomodo ordinet in aliena diœcesi.*
31 *De licentia diœcesani proprios, & eius subditos.*
32 *Cum sola licentia exercendi Pontificalia extraneos non ordinat.*
33 *Regulares non requirunt illam specialem licentiam.*
34 *Ecclesiis regularibus non ordinant ipsis inuitis.*
35 *Episcopo ordinanti per alium subduntur.*
36 *Sede vacante dimittuntur.*
37 *Nullius dimittuntur ad viciniores.*
38 *Differre licentias, vel mutare religiosum pro ordinibus.*
39 *An sit peccatum huiusmodi dilatio, & mutatio.*
40 *Decreti pœna quomodo intelligantur.*
41 *Abbates quos ordines, & quibus possint conferre? vsque ad 46.*
45 *Nouitij ordinantur à suis Abbatibus.*
46 *Quomodo extraneos ordinent?*
47 *Impediti per alios Abbates ordinant.*
48 *Interstitia Abbates dispensant pro minoribus.*
49 *Nouitij ordinari possunt ab Episcopo domicilij.*
50 *Nouitij dimittuntur à superioribus regularibus.*
51 *Licet non extet priuilegium dimittendi ad quemlibet.*
52 *Potestas super nouitios est ordinaria.*
53 *Sanchez opinio reijcitur.*
54 *Nouitius ordinatus inconsulto superiore expelli potest.*
55 *Nouitius cum patrimonio ordinatur in sacris.*
56 *Nouitius etiam sine priuilegio ordinatur.*
57 *Interstitium dispensatur inter vnam, & alteram ordinationem.*

58 Exa

58 *Examinari possunt ab Episcopis.*
59 *Scientia mediocris sufficit minor, quam in clericis secularibus.*
60 *Fidem de non ordinatione habenda dat prælatus.*
61 *Fidem ætatis exprimit prælatus.*
62 *Formularium licentiæ ad ordines.*
63 *Interstitiorum dispensatio non venit sub ætate.*
64 *Exercere debent actus ordinis suscepti ante ascensum ad alios.*
65 *Pœna contra male licentiantes referuntur.*
66 Incurrent *importat pœnam comminatoriam.*
67 *Pœna contra male ordinates referuntur.*
68 Eisdem *quid importet?*
69 Sic *quid significet?*
70 *Titulus patrimonij necessarius alias suspensus.*
71 *Professas nulliter recipiens scienter ordines suspensus.*
72 *Excommunicatus suspensus ab ordine suscepto.*
73 *Suspensus vero, & interdictus non?*
74 *Sixti V. pœna contra male promotos.*
75 *Simoniaci excommunicati, & suspensi.*
76 *Absoluantur, & dispensantur à suo prælato.*
77 *Iuramentum de facta professione non exigunt Episcopi.*
78 *Excommunicatio indicta ab Episcopo est comminatoria.*
79 *Orationes præscriptæ ab Episcopo obligant.*
80 *Professus statim ordinari potest.*
81 *Corpore vitiati quomodo dispensantur.*
82 *Continentiæ obligationem ignorans adhuc tenetur.*
83 *Non qui illam respuit, ex vi voti.*
84 *Nihilominus postea tenetur vouere.*
85 *Nouitius recedens ordinari potest.*
86 *Ordo non est de essentia religionis.*
87 *Dubitans de ætate non promouetur, neque cui deest aliquid.*
88 *Morbo caduco laborantes cur singultiunt, & spumant.*
89 *Non promouentur, in susceptis ante dispensantur.*
90 *Energumenus non potest promoueri.*
91 *Ordinari quis non potest solo verbo* Esto Diaconus.
62 *Incendiarius non Ecclesiarum promouetur.*
93 *Incendiarius Ecclesiarum non est excommunicatus.*
94 *Incendiarius infamis non est.*
95 *Assumptio habitus clericalis quando in fraudem.*
96 *Iudex laicus clericum effectum non punit personaliter.*
97 *Nouitius criminosus quando dicatur in fraudem ingressus.*
98 *Fraus non ità facile præsumitur in nouitio sicut in clerico.*
99 *Abbas Nullius licet Episcopus suis non confert ordines.*
100 *Examinat Episcopus ad se licentiatum clericum iam probatum.*

QVidam superior regularis suum clericum anno 1640. die 22. Septembris sabbato quatuor temporum ordinatum, sequenti anno die 21. eiusdem mensis sabbato quatuor temporum ordinandum sacerdotio dimisit literis patentibus, in quibus tamen non expressit suum clericum indigere dispensatione super interstitijs, ea ratione ductus, quia spatium vnius anni ad minus requisiti in Tridentino sess. 23. cap. 14. sumi debet Ecclesiasticè, & moraliter hoc est, ab vna Quadragesima ad aliam, ab vno Pentecoste ad aliud, &c. & non Mathematicè, seu Physicè, & naturaliter, quibus tamen non obstantibus Episcopus nolebat dimittere clericum religiosum, nisi à suo superiore corrigerentur literæ dimissoriæ addendo in illis clericum indigere dispensatione interstitiorum; edoctus tamen Episcopus, religiosum reuera non egere dispensatione admisit ad sacrum Presbiteratus ordinem, & certe ipse Episcopus non errauerat, sed deputatus ad examinanda requisita pro ordinandis.

Responsum ergo fuit interstitia esse sumenda Ecclesiasticè, & moraliter. Tum quia tempora ordinationum sumuntur Ecclesiasticè, *cap. De eo autem 3. de tempor. ordin. cap. Literas 23. eod.* ergo & tempus interstitiorum ei accessorium. Tum quia si Mathematice spatium vnius anni interstitiorum acciperetur, vt plurimum, hoc interuallum excederet annum, cum ordinationes haberi non possint nisi in statutis sabbatis ieiuniorum, quæ præfixis temporibus, neque eiusdem quantitatis recurrunt, consequenter non sufficeret annus integer naturaliter, sed quandoque excederet. Tum quia in solis ieiuniorum temporibus Ecclesiastice sumptis habentur ordinationes, vt de iure constat, ergo & annus interstitiorum Ecclesiasticè accipiendum est. Ita decisum *refert Sorbus in Compend. privileg. v. Ordines sacri §. Circa id. Quaranta v. eod. in fine Bonac. de ordine p. 5. num. 33. cum aliis Barbosa ad citatum cap. 13. sess. 23. num. 6.* Nec vrget illud adiectiuum. *Annum integrum*, quia etiam integritas spectatur in anno ecclesiastico, vt notum est.

Quæres autem 1. super interstitijs I. An interponantur omnes ordines? II. Ad quem spectet in illis dispensare ad Episcopum ne ordinantem, an ad prælatum dimittentem? III. Quæ causæ requirantur ad dispensandum super illis? IV. An ordinans, licentians, & ordinatus non seruatis interstitiis incurrant aliquam pœnam iure statutam? V. An ordinans scienter ante reuolutionem anni censeatur dispensare?

Primo, interstitia habent locum inter omnes ordines, nam de Minoribus dicitur sess. 23. cap. 11. *Minores ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligant per temporum interstitia, nisi aliud Episcopo expedire magis videretur conferuntur.* Inter hos etiam, & Maiores interstitia debent intercedere, vt subiungitur in fine capitis his verbis. *Hi verò non nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum ordinum ad Sacros Ordines promoueantur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas iudicio Episcopi aliud exposcat.* Ibidem cap. 13. dicitur. *Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per annum saltem in eo non sint versati ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur ascendere non permittantur.* De interstitio vnius anni inter Diaconatum, & Presbiteratum ita decernitur, cap. 14. *Hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesiæ vtilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministrauerint.* Ex his ergo habet tempus interstitiorum seruandum esse in omnibus ordinibus, cum ea tamen differentia, quod dispensatio respectu Minorum relinquitur arbitrio Episcopi; respectu verò maiorum requiritur necessitas, aut vtilitas Ecclesiæ, iuxta quod dicam infra num. 15. Dubitant autem quodnam spatium temporis mediare debeat inter vnum, & alterum ordinem minorem, nam *Marius cap. 24. de Irregul. lib. 3. §. 13. & Vgolin. de officio Episc. cap. 27. num. 4.* asserunt sufficere tempus ab vna ad aliam ordinationem statutis temporibus à iure; *Sorbus v. Ordo §. Et sic bene, & Campan. in diuersorio iuris canon. rubr. 6. cap. 3. num. 13.* aiunt sufficere interuallum ab vno die festo ad aliud proximum: quos citat *Barbosa ad cap. 11. sess. 23. n. 4.* Sed de hoc non multum est disputandum, cum vsu receptum sit hic in Italia, vt omnes quatuor Minores simul eodem die conferantur petentibus pro suo arbitratu prælati regulares, qui solet vnica licentia suos clericos dimittere ad omnes quatuor ordines minores, in quo casu assignari potest causa etiam legitima, ne scilicet religiosi ex diuisa receptione ordinum diuersis temporibus habeant occasionem vagandi. De qua consuetudine conferendi simul ordines Minores tradunt *Silvester. v. Ordo 2. num. 7. §. Tertium, Campanil. cit. cum aliis à Barbosa n. 6.* Inter maiores, & ab vltimo minorum expressum est interuallum vnius anni, vt ex verbis supra relatis clarum est.

Secundo

4 Secundo, ad Episcopum, qui religiosos ordinaturus est, spectat dispensare super interstitiis ordinandi, vt fere omnes docent *cum Bonac. de ordine pag. 5. numer. 34. Portel. v. Ordo numer. 5. Mirand. tom. 1. quæst. 38. art. 7. Compend. Rodr. resol. 106. numer. 20. quos, & alios plures refert Barbosa ad cap. 13. num. 9. Lezana cap. 14. numer. 15. tom. 1. Tambur. tom. 2. de iure abbat. disp. 2. quæst. 24. numer. 1.* quia sicut Episcopi proprium est ordines conferre, ita & dispensare super interstitiis accessoriis ordinibus, sed quis hic dicere posset, id illi non competere potestate ordinis, sed iurisdictionis, ex quo huiusmodi potestas dispensandi transit in Capitulum, seu eius Vicarium sede vacante, vt docent *Quaranta v. Capitulum quæsito 10. Aloysius Riccius in praxi rerum fori Eccles. decis. 715. & 561. Bonac. de Suspens. part. 4. §. 2. num. 5.* & de Vicario capitulari *refert decisum ex Armend. Marta, & Grasso, Barbosa ad cap. 13. sess. 23. num. 8.* consequenter in opinione aliquorum apud Diana resol. 32. de regul. in illis prælatum regularem posse dispensare, quia eius potestas quo ad iurisdictionem non est inferior potestate Episcopi, potestas enim iurisdictionis in Prælatis

5 regularibus maioribus æquiparatur potestati iurisdictionis Episcoporum, *Glos. v. Regularis, cap. Ne pro defectu 41. de elect. per cap. Si quis deinceps 16. quæst. fin. Rodr. q. 20. art. 10.* immo quandoque maiorem habent *ex eodem quæst. 24. art. 16. quæst. 62. art. fin. Homob. parte 4. consult. n. 88. Portel. v. Prælatus 1.* Nihilominus quia Episcopi reijciunt regulares accedentes dispensati a suis superioribus, & iam vsu receptum est, vt ab Episcopis tantum dispensentur, ideo priorem sententiam velint nolint in praxi sequi debent. Quare probatus vsus habet, vt prælati regulares in literis dimissoriis petant ab Episcopo, vt dignetur dispensare super interstitiis suorum subditorum, quos dimittunt ad ordinationem, & de legitima causa Episcopum,

6 qui dispensaturus est, in eisdem literis admonent, & fidem faciunt, ad eos enim huiusmodi attestatio spectat; vt docent *Bonac. de ordine pag. 5. num. 34. Quar. v. Ordo §. Quæritur, Mirand. tom. 5. quæst. 38. art. 7. alios quamplures citat Barbosa ad cap. 13. sess. 23. num. 9. vbi ex Molfesio in sum. tract. 2. cap. 1. num. 56.* refert decisum teneri Episcopos se conformare cū supplicatione superiorum regularium quorum est prouidere, &

7 iudicare de necessitate, & vtilitate Ecclesiarum suarum. Episcopi ergo est dispensare, prælati vero regularis est petere illam, & attestari de necessitate, & vtilitate suæ Ecclesiæ, & ita practicatur rationabiliter; atque ita fuisse decisum *ex Peyrino tom. 5. privileg. const. 2. Sixti IV. §. 51. num. 35. Diana resol. 112. de dubiis regul. Tambur. tom. 2. disp. 2. quæst. 22.*

8 Abbates dispensant super interstitiis suorū subditorum, quibus ordines conferant, quia cuius est ordinare suum subditum, eius est etiam dispensare, quod vt accessorium sequitur ordinationem, vt principalē sic docent *Mirand. tom. 1. q. 38. art. 7. concl. 3. Rodr. tom. 3. q. 24. art. 3. & Tambur. tom. 2. disp. 2. q. 22. num. 2. aliis citatis.* Quando eos mittunt ordinandos ab aliis Epis-

9 copis, tunc, vel possunt similiter eos dispensare, vel rogare Episcopum ordinatorem, vt dispenset à similis de Episcopis, qui nolunt suos subditos dispensare, possunt rogare Episcopum ordinatorem, vt dispensare dignetur, dispensatio enim semper spectat ad proprium Episcopum diœcesanum, quamuis subditus eius ordinetur ab alieno Episcopo, vt docent *Marta de iurisd. part. 2. cap. 9. num. 14. Piasec. in praxi Episc. part. 1. cap. 1. num. 11. Grassis de effectib. cleric. in prælud. num. 339. Mirand. tom. 5. q. 38. art. 7. concl. 2. quos citat Barbosa ad cap. 53. sess. 23. num. 7.* Abbates ergo suos dispensare possunt circa ordines minores, vel rogare Episcopum, ad quem illos pro ordinatione mittunt, vt dignetur dispensare. Ita Rodr. & alij citati à *Barbosa super cap. 10. sess. 23. num. 5. Tambur. disp. 2. q. 23. vbi citat Compend. resol. 1. num. 22. Tiberium Iesuitam q. 58. de instruct. ordin. Peyrinum de Prælato quæst. 3. cap. 7. num. 24.* vbi quod subdit, non esse necessarium, vt Abbates in literis dimissoriis mentionem faciant de tali dispensatione, displicet, potest enim huiusmodi taciturnitas Episcopo ordinatori inijcere scrupulum, an fuerit dispensatus à suo Abbate, & sic non poterit illum ordinare, remittendo illum cum displicentia inordinatum, ne igitur simile absurdum sequatur, debent Abbates exprimere factam dispensationem, vt Episcopus sciat, quid sibi agendum sit cum securitate conscientiæ. Quæ autem dicta sunt de Abbatibus dispensare valentibus habent locum respectu eorum ordinum, quos ipsi conferre possunt, *ex quo Tambur. disp. 2. cit. quæst. 24. numer. 1.* infert quosdam Abbates Cistercienses posse dispensare super interstitiis Subdiaconatus, & Diaconatus, si adhuc viget quoddam eorum priuilegium conferendi illos ordines sacros.

51 Proprius Episcopus super interstitiis respectu familiaris est ipse Episcopus familiaris sicut enim illum ordinare potest ex cap. 9. sess. 23. ita & dispensare, vt docet *Diana aliis citatis resol. 190. part. 3. tract. 4. de sacram. contra nonnullos.*

Tertio, Causæ requisitæ pro dispensatione interstitiorum, minoribus ordinibus nullæ in specie assignantur, dispensatori sunt arbitrariæ, & quæcumque etiam leues sufficiunt, hæ enim adhuc retinent rationem causæ, neque suam iustitiam, & rationabilitatem perdunt, cum in illis detur magis, & minus. Adest autem particula, *Videretur*, quæ dictum arbitrium boni viri importat, argum. eorum, quæ dicunt *doct. in l. Fideicommissa §. Quamquam, de legat. 3. Menoch. lib. 1. de arbitr. quæst. 8. numer. 15. Mar. Anton. lib. 3. resol. 25. numer. 4. aliis citatis à Barb. de dictionib. dict. 424. numer. 4.* immo quandoque arbitrium regulatur pro libito, & sic stat pro ratione voluntas, argum. eorum quæ habet *Menoch. lib. 5. cit. quæst. 8. numer. 35. Moneta de commun. vlt. volunt. cap. 7. numer. 144.* & vt supra dixi apud plures Episcopos duo ordines Minores, quandoque omnes simul conferuntur, adhibita dispensatione potius fatali, quam verbali. De leui causa in ordinibus minoribus respectu interstitiorum, *Rodr. tom. 3. quæst. 24. art. 4. Tambur. tom. 2. disp. 2. quæst. 22. Mirand. tom. 1. q. 38. art. 8.*

52 Ad dispensandum vero interstitium ab Acolitatu ad Subdiaconatum requiritur necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas ex cap. 51. A subdiaconatu vero ad Diaconatum nulla specificatur causa, sed relinquitur iudicio Episcopi, vt videre est, cap. 13. ibi: *Nisi aliud Episcopo videatur.* Id ergo relinquitur arbitrio Episcopi, causa tamen debet esse maioris considerationis, quam respectu ordinum minorum, cum agatur de ordine maiori, & sacro. A Diaconatu ad Presbiteratum requiritur necessitas, & Ecclesiæ vtilitas simul, ex cap. 54. per quod differt ab interstitio ab Acolitatu ad Subdiaconatum, in quo ad dispensandum sufficit alterum illorum necessitas, aut vtilitas, vt expressis verbis colligitur ex citatis capitibus, ita exigente ratione ob sacerdotium, quod inter ordines alios, vt supremum, consequenter ad illud cum magna consideratione, & diligentia, atque ex maioribus, & pluribus causis accedendum est. Quare vero sufficiat arbitrium Episcopi in dispensatione interstitij ad Diaconatum, non autem ad Subdiaconatum, in quo requiritūr necessitas ordinandi, vel Ecclesiæ vtilitas, videtur colligi ex eo, quod à statu Ecclesiastico dubio, vt ita dicam, & remouibili fit transitus ad eumdem statum effectum irreuocabilem, quodāmodo se habens vt status nouitiis ad statum professionis, nouitius enim infra annum probationis pro suo libito recedere potest, post professionē remanet firmus in statu irreuocabili, sic clericus in minoribus constitutus arbitrium habet recedendi à statu Ecclesiastico, abiecto spirituali cingulo, ducendo vxorem, vel in seculo more aliorum secularium libere viuendo; in ordine vero Subdiaconatus consti-

tutus retrocedere non potest ad secundum, cum transiit ad statum immutabilem, & inuariabilem id ordine ad statum laicalem. Hæc autem ratio non militat in accesso ad Diaconatum, ideo id relinquitur arbitrio Episcopi dispensandi, vt Subdiaconus transire possit infra annum ad Diaconatum.

13 Necessitas autem in specie censetur, quando desunt ministri, vtilitas, vero quando pauci sunt, & non ita idonei, docent communiter *cum Rodr. tom. 3. q. 24. art. 7. cum suo Compend. resol. 106. num. 23. Miran. tom. 1. q. 38. art. 8. Confessa, tit. 15. cap. 3 Tambur. tom. 2. disp. 2. q. 14. num. 5. Portel. v ordines sacri nu. 5. alios refert. Barbosa ad cap. 14. sess 25. num. 2. Bonac. de ordine p. 6. num. 2.* Appono ego in specie sequentes, si clericus habeat, vel in proximo speret aliquod beneficium requirens ordinem sacrum. Item, vt pluribus ministris abundet Ecclesia iuxta exigentiam loci, vbi est magnus populi concursus. Item si religiosus non potest recipere aliquem gradum in religione, quo est dignus, nisi sit in sacris constitutus. Item si religio indigeat aliquo religioso multum apto ad prædicandum. Item si religiosus sit multum adultus, &c. Neque enim semper necessaria est vtilitas publica, cum id relinquatur etiam prudenti iudicio superioris, vt cum *Menochio casu 427. de arbitr. docent Sorbus v. ordines sacri, & Rodr. q. 24 art. 7. Bonac. q. 6. de ordine num. 2. & ex illis Barbosa ad cap. 14. sess. 23. numero 3.*

14 Quarto, prætermissa dispensatione, præter peccatum mortale in subdiaconatu, & sacerdotio, in aliis veniale, vel nullum, si adsit vsus conferendi omnes simul minores, nulla incurritur censura, aut pœna, cum nulla in iure exprimatur, nec irregularis per hoc est ordinatus, neque suspensus ab executione suorum ordinum docent omnes *cum Tambur. tom. 2. disp. 2. q. 24. num. 8. Bonac. p. 5. de suspens. §. 1. num. 3. Diana resol. 32. de regular. alios plures citat Barbosa ad c. 13. sess. 23. num. 11. & 12. est communis Nan. consil. 4. eod.*

15 Quinto, ordinans Episcopus scienter eum, quem scit indigere dispensatione super interstitiis, censetur de facto dispensare tacite, asserunt *Maiolus lib. 3. de irregul. cap. 24. n. 14. Homob. Menoch Vgolin. Grassis, Molses. cum aliis citatis Barbosa ad cap. 13. sess. 23. num. 10.* Ego in hoc dubitarem, quia sibi debet constare de necessitate, seu vtilitate Ecclesiæ ex supra adductis maxime pro subdiaconatu, & sacerdotio, quod esse non potest, quando Episcopus nihil quæsiuit de insta causa dispensandi in lege Conciliari, & cum causa potuerit non subsistere vix excusatur vtens fatali dispensatione.

Quæres 2. An religiosi ordinandi sint cum licentia sui superioris? & quinam ille sit?

16 Respond. Religiosi non possunt ordinari, nisi cum licentia sui superioris, qui in religionibus monachalibus est Abbas localis, apud Mendicantes in plerisque id munus spectat ad prælatos maiores, Prouincialem, vel Generalem, iuxta vniuscuiusq; ordinis statuta.

Primum constat ex diuersis iuribus, cap. 1. & 2. dist. 58, in quorum primo prohibetur ne quis monachus ordinetur sine licentia abbatis loci, *cap. Si quis 28. cap. Monachi 33. Cum pro vtilitate 34. 16. q. 1. cap. Qua 5. 18. q. 2. cap. Ad aures. 5. de tempor. ordin.* Sic docent omnes cum *Rodr. tom. 1. q. 18. art. 5. Mirand. tom. 1. q. 39. art 3. Lezana tom. 1. cap. 14. num. 18. Tambur. tom 2. disp. 2. q. 25. Nauar. consil. 36. de temp. ordin.* Ratio potest esse, quia ea licentia fidem facere oportet de vita, & moribus ordinandi, vt id colligitur ex Tridentino, cap. 8. sess. 23. ibi; *Mores ordinarij sui testimonio commendentur,* nullus autem alius melius potest cognoscere mores religiosi ordinandi, quam suus superior regularis, qui cum eo fere quotidie conuersatur, & degit sub eius oculis.

17 Secundum de Abbate locali patet supra *ex cap. 1. dist. 18. Tambur. tom. 2. disp. 22. quæst. 25.* De Prouinciali in religione Mendicantium præsertim Franciscana patet ex *Rodr. cit. q. 18. art. 5. Mirand. q. 39. art. 3.* Et in meo ordine, cap. 23. Regulæ id munus committitur Generali, & Prouincialibus; ibi sermo etiam est de Commissariis Generalis, intellige vel de commissariis à iure, qui olim eligebantur in capitulis postea sublati per constit. Romani Pontificis, Sixti V. in nostro Bullar. pag. 90. vel ab homine Generali, si hoc specificetur in literis commissionis.

18 Filiuc. *tom. 1. tract. 9. cap. 5. num. 98 cum Henr. lib. 10. sum. cap. 23. num. 4.* asserunt literas dimissorias regularibus concedi ab Episcopo, in cuius diœcesi morantur, vel ab eo ordines recipiant, ex statuto Greg. XIII. quod colligunt etiam ex cap. 8. sess. 23. Esto ita decretum fuerit à Gregorio, non tamen inde infertur, non requiri literas dimissoriales superioris regularis, alias id esset contra votum religionis, & obedientiæ, sine qua religiosus cum careat velle, & nolle, nihil efficere potest, maxime in rebus magni momenti, cuiusmodi est receptio ordinum. Et quod refertur ex Gregorio, habet hunc sensum, vt si Episcopus proprius religiosum noluerit ordinare illum dimittat ad alium Episcopum, vt ordinetur semper cum licentia sui superioris, vt multis textibus probaui; & ex loco Concilij colligitur contra præcitatos requiri licentiam superioris regularis, qui venit sub nomine ordinarij ex supra citatis *Tambur. cit. q. 25. n. 5.*

Quæres 3. An prælatus regularis suo subdito petenti ad ordines dimitti teneatur concedere literas dimissorias? *Peyrinus de Prelato q. 3. cap. 7. n. 19. & Tambur. tom. 2. disp. 2. q. 25. n. 4.* videntur negare cum aliqua moderatione adhibenda à senioribus, posita causa, & vtilitate Ecclesiæ.

19 Respond: Nulli dubium est ex legitima causa, vt si petens ignarus est, vel culpabilis, quod superior in eo casu non solum potest, sed debet negare licentiam indigne petenti, quia indigni, & ignari non sunt admittendi ad ordines, cap. Ad aures, de temp. ordin. cap. 8. sess. 23. ibi: *Nisi eius probitas, & mores ordinarij sui testimonio commendentur.* Maxime in susceptione ordinum sacrorum ex eod. cap. 12. ibi: *Sed dignos dumtaxat, & quorum probata vita senectus sit.* Quod si nulla subsit causa neq; ex parte petentis, neq; ex parte ecclesiæ, quia indiget ministris licet in proximo, superior denegando licentiam peccat grauiter, & repulsus potest recursum facere ad superiorem petendo ab eo licentiam. Probatur, tum: quia facit iniuriam petenti rationabiliter id, ad quod habet ius, nam religionem professus est in numero clericorum eo fine, vt debitis temporibus ordinibus initiaretur, & cum sub nomine clerici receptus fuerit superior tacite se obligauit ad dimittendum illum statutis temporibus ad ordinationem. Tum quia Papa mandat religiosos dignos, quos morum grauitas, & vitæ institutio sancta commendat, sacris initiari, cap. Monachos 29. 16. q. 1. ibi: *Et optamus, & volumus.* nam hoc verbum, *Volumus*, & si secundum aliquos sit tantum consilij, quos sequitur

20 *Sanch. lib. 6. cap. 4. num.* 40 nihilominus ex præcedenti deprecatiuo satis constat esse præceptiuum, & importare necessitatem, vnde infertur prælatum regularem teneri dimittere suum religiosum idoneum ad ordinationem. Confirmatur, quia id relinquitur iudicio superioris sess. 23. n. 16. iudicium autem non est nisi sit discretum, & iure factum, sed denegatio facta iuste petenti est indiscreta, & iniuria & sine iudicio facta, consequenter peccaminosa.

Quæres 4. An licentia, qua religiosus vsus non fuit in prima ordinatione, vt quia reprobatus fuit, vel quia non accessit, &c. valeat pro aliis temporibus? Item superiore mortuo, vel amoto ab officio; Item si amoueatur ab obedientia concedentis, & transferatur sub obedientia alterius prælati, cui ex officio incumbit concedere dimissoriales?

Respond.

21 Respond. Licentia, recipiendi ordines non expirat per mortem, amotionem, terminationem concedentis; Vtique translatione etiam à conuentu ad conuentum eiusdem prouinciæ.

Primum, quod licentia non expiret per illas causas ex parte concedentis, probatur, quia est gratia facta, quæ vlterius durat, *secundum iura cap. Relatum 19. cap. Gratum 20. eff. deleg. cap. si super gratia 9. eod. in*

22 *6. capite. Si cui 36. de prebend. in* 6. Confirmatur, quia gratia facta in hoc differt a gratia facienda, quod illa valorem suum recipit à superiore concedente, & sine illo in esse conseruatur, ista vero non solum primum esse recepit à concedente, sed etiam in conseruari ab eo dependet. Ita docent *Nauar. consil. 5. de rescr. & tom. 3. in cap. Placuit distinct. 6. de Pœnit. numer. 34. & 163. Tiberius Iesuita in sua instruct. pro ordin. quæst. 53. & alij cum Tambur. tom. 2. disp. 2. quæst. 29. quicquid dicat Peyrin. in Formul. lit. o. capite. 6.*

23 Secundum probatur, quia licentia huiusmodi semper restringitur ad proprium Episcopum loci, in quo actu de familia habitat religiosus, quare licentiatus ad ordines, & postea translatus ad alium conuentum non existentem in diœcesi eiusdem Episcopi, non amplius dicitur priori Episcopo subiectus, à quo debebat recipere ordines. Neque suffragatur clausula, quam solent apponere superiores. *Si tuus diœcesanus non erit habiturus ordinationes, ad quemcumque alium accedendi facultatem indulgemus* quia iam desiit Episcopus prior esse diœcesanus per illam translationem, ea enim verba, *Tuus diœcesanus*, intelliguntur de diœcesano A quo, non Ad quem fit transitus.

24 Quæres 5. An superior excómunicatus possit hanc licentiam ad ordines suscipiendos dare? videtur quod sic, Tum quia solum ea acta ab excommunicato vitando sunt nulla, quando pendent à iurisdictione; & communi doctorum cum Bonac. p. 5. de excommun. sed licentiare ad ordines non est actus iurisdictionis, id enim se tenet ex parte Episcopi ordinantis, & ex parte superioris est solum actus superioritatis, qui contradistinguitur ab actu iurisdictionis ex iis, quæ habet Sanch. lib. 5. cap. 4. numer. 78. Tum quia Parochus excommunicatus vitandus ideo valide concedit alteri facultatem, & licentiam assistendi matrimoniu, quia huiusmodi concessio non est actus iurisdictionis, sed simplex licentia assistendi matrimonio tanquam testis *Sanch. lib. 3. disp. 21. num. 7.* Idem ergo videtur dicendum de superiore regulari concedente licentiam suo subdito, vt ab Episcopo ordines recipiat, neque enim per illam licentiam transfunditur aliquis iurisdict. actus in religiosum ordinandum.

25 Tum quia prælatus excommunicatus etiam vitandus non amittit suam potestatem, & superioritatem ad gubernandam domum, & religionem, neque subditus ab eius superioritate, & subiectione eximitur per excómunicationem, *vt ex Soto, Vasq. Auila, & aliis docet Bonac. p. 6. §. 2. de excommun. num.* 26. neque per excommunicationem est priuatus sua prælatura, *Peyr. de Prælato q. 2, cap. 5. num. 11.* Et hæc opinio effecta ex præcedentibus rationibus mihi multum placet.

26 Tamburinus, tom. 2. disp. 2. quæst. 28. ait nullam esse huiusmodi licentiam ductus ea ratione, quia huiusmodi concessio est actus iurisdictionis, qua caret superior sine dubio, citando *Sanch. lib. 3. disp. 21.* qui tamen ibi nihil dicit ad rem nostram, *& Suar. tom. 5. de censur. disp. 14. sect. 1. num. 6. & 7.* ex quo infert cum Præsecio, Barbosa, & aliis sic ordinatum incurrere pœnas inflictas contra promotos sine licentia legitima, qualis non est data ab excommunicato vitando, dicas esse quidem illicitam, sed legitimam, si vis tenere cum prima sententia, quæ est autoris negantis esse actum iurisdictionis, nullum enim iurisdictionis vestigium transfunditur in religiosum ordinandum, sed tantum illum dimittit ad ordines recipiendos, sicut si dimitteret ad faciendum quemcumque alium actum, quem præstare non potest nisi dependenter ab eius voluntate, neque enim ad recipiendum ordines requiritur in ordinando aliqua iurisdictio, sed tantum habilitas, & idoneitas ad eos rite suscipiendos, ad quos, vt ita dicam, tantum se passiue habet, quod excludit iurisdictionem, cum sit actus, non de genere passionis.

Quæres 6. Ad quem Episcopum spectet ordinare religiosum? seu ad quem Episcopum prælati regulares debeant licentiare suos religiosos pro ordinibus recipiendis?

27 Resp. Sacra Congregatio de mandato Clem. VIII. sub datum 15. Maij 1596. his verbis. *Literas dimissorias concedere ad Episcopum tamen diœcesanum, nempe illius monasterij, in cuius familia ab iis, ad quos pertinet, regularis positus fuerit; & si diœcesanus abfuerit; vel non esset habiturus ordinationes ad quemcumque aliũ Episcopum, dũ tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit examinatus quo ad doctrinam, & dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriam in id tempus quo Episcopus diœcesanus, vel absfuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes, &c.* Proprius ergo Episcopus regularium ordinandorum est ille, in cuius diœcesi ordinandus de familia moratur, & eius defectu quilibet alius, ad quem religiosus à suo prælato dimittetur. Illud decretum attendunt *Quarant. v. ordo, Nald. v. eod. Sorbin. eod. Mirand. tom. 1. q. 38. art. 2. Tambur, tom. 2. disp. 2. q. 21.* Emergunt ex supra allatis nonnullæ dubia proponenda, & resoluẽda in sequentibus quæstionibus.

Quæres 7. An quando Episcopus tenet secreto ordinationes, nullis expositis edictis, possint tunc prælati regulares suos subditos dimittere ad quemcumque aliom Episcopum pro ordinibus recipiendis? Videtur quod non, quia in duobus tantum casibus dimittuntur, primo, quando Episcopus diœcesanus abest, secundo quando non habet ordinationes, & cum non distinguat inter secretas, & publicas decretum comprehendit vtrumque casum, consequenter prælatus regularis non potest suum subditum dimittere ad alium.

28 Respond. Prælatus regularis in eo casu potest licentiare suum subditũ ad alium Episcopum, quia proprius reputatur, ac si habiturus non esset ordinationes immo ordinationes de iure publicandæ sunt, & publice agendæ, *cap. Quando 5. dist. 24.* renouatum in Trident. cap. 7. sess. 23. ergo in dicto Congregationis decreto de illis tantum sermo habetur, & consequenter Episcopus tunc censetur non habere ordinationes, neque enim legislatores considerant in suis legibus, & decretis ea, quæ sunt per accidens. *l. Nam ad eaff. de legib.* occulta autem ordinatio vnius, vel alterius ordinaria non est, sed incidens, quæ ideo in consideratione non habetur.

Quæres 8. An prælatus regularis quando Episcopus diœcesanus non est habiturus ordinationes, suum subditum possit dimittere ad quemcumque Episcopum siue in prouincia sua, siue in aliena, siue etiam vltra montes?

29 Respond. Potest, quia in eo decreto videtur id dici illis verbis. *Non est habiturus ordinationes ad quemcumque alium Episcopum.* Particula enim *Quemcumque* est generalissima, omnem includens, & nullum excludens, notat *Glos. v. Quicumque in cap. Quicumque de sent. excom. in 6. Roland. consil. 5. num. 44. quamplures alias citat Barbosa de diction.* 317. & tantæ efficaciæ est, vt comprehendat eos, quos alias non comprehenderet ex doctoribus ibid. numer. 5. Possunt tamen prælati restringere hanc facultatem ad viciniores Episcopos suæ prouinciæ, vel confinantes, est enim indiscretum licentiare suum religiosum ad remotiorem Episcopum, si potest dimitti, & debet ad viciniorem. Neque expedit limitare ad vnum Episcopum, cum accidere possit, vt neque ille sit habiturus ordinationes.

Quætes 9. An licentiari possint ad Episcopos titulares, vel ad eos, qui populo carent, & renuntiarunt Episcopatui?

30 Respond. Possunt, quia huiusmmodi Episcopi non amiserunt potestatem ordinandi,& comprehenduntur sub ea dictione *Quemcumque*, ex supra adductis. inutilis ex tamen huiusmodi licentia, quia nulli Episcopo licet pontificalia, licet locus sit exemptus, & Ecclesia regularis ex sess. 6. cap. 5. vbi derogatus priuilegiis, quibus olim Episcopi vocati poterant apud Regulares eorum subditos ordinare inconsultis Episcopis diœcesanis. Ita docent *Rodr. tom. 3. quæst. 24. art. 2. Mirand. tom. 1. quæst. 38. art. 3. alij apud Barbosam ad dictum cap. 5. sess. 6. numer. 10. Tambur. tom. 2. disp. 2. quæst.* 19. vbi mouet difficultatem, an Episcopus licentiam habens à diœcesano tenendi ordinationes possit ordinare non solum personas subiectas ordinario danti licentiam, verum etiam extraneas siue seculares, siue regulares? Tridentinum dicit aperte. *Et in personas eidem ordinario subiectas tantum*: quæ est dictio restrictiua, includens expressum, & reliqua excludens, notat Bartol. in l. 2. ff. si quis ius dicenti non obtemp. & habet negatiuam implicitam, ita quod aliter fieri non possit, *Aimon. de antiquis. temp. part. 4. numer.* 122. *alios citat Barbosa dict.* 401.

Miranda in hoc dubio loco citato *quæst* 38. *art.* 3. Respondet affirmatiue, quia ea verba ad hunc sensum intelligenda sunt, quod prædicti Episcopi non possunt ordinare eos, qui Episcopo diœcesano non sunt subiecti, nisi etiam ipsi à suis propriis ordinariis literas dimissorias habeant, illasque præsentent ante Episcopum ordinatium, quod ait practicari in Hispania. *Tambur. tom. 2. disp. 2. quæst.* 19. *loco citato* ait inspiciendum licentiam diœcesani, in qua si exprimatur licere Episcopo ordinare personas subiectas tantum, nil aliud addendo, credit tunc illum Episcopum posse ordinare quemcumque accedentem cum dimissoriis, modo prius constaret diœcesano de idoneitate, & sufficientia, & rationem ait esse, quod sicut potest diœcesanus ordinare aliquem alterius diœcesis, quia cum literis dimissoriis fit illi subditus, ita pariter cum ijsdem literis tanquam subditus videtur comprehendi in illis verbis. *In personas eidem ordinario subiectas.* Quod si vellet subditos proprios examinari ab Episcopo admisso, & nil aliud requiri, nisi approbationem ipsius admissi, idem ait esse indicium, ita quod posset Episcopus vocatus illos examinare, & approbare, modo sibi constaret de assensu diœcesani. Sed quicquid sit de istorum opinione, quæ, vt sic, impugnatur infra.

31 Respond. Episcopus vocatus non potest ordinare nisi personas subiectas ordinario concedenti illi facultatem ordinandi intra suam diœcesim in locis siue exemptis, siue non exemptis. Vnde si velit ordinare clericos extraneos, hoc est, non subditos in re concedenti diœcesano non solum requisitur expressa licentia ordinandi in sua diœcesi, verum etiam in ea licentia exprimenda est facultas ordinandi extraneos clericos seculares. Pro ordinandis vero regularibus, quorum eorum diœcesanus ordinationes non est habiturus, sufficit sola licentia prælati regularis, & non est necessaria licentia Episcopi concedentis.

Primum patet ex verbis Concilij, vbi dicitur exercentem Pontificialis in aliena diœcesi de licentia expressa diœcesani ea non posse exercere nisi in personas eidem ordinario subiectas. Sola ergo licentia, de qua ibi, est fauore subditorum concedentis, ergo ex hoc capite extraneos ordinare non potest.

32 Secundum ergo, quod ex sola licentia exercendi pontificalia non possit extraneos ordinare probatur non solum ex aperto intellectu Concilij, sed etiam quia nullum ius hab[illegible]n extraneos, ergo illos subijcere non potest Episcopo vocato, ex quo aufertur fundamentum *tam Mirand. quam Tambur.* quia ex ostensione dimissoriarum præcise non fit subditus ordinandus Episcopo vocato, nisi concurrat specialis consensus Episcopi concedentis diuersus à licentia exercendi pontificalia; pro cuius clariori intelligentia duæ licentiæ sunt necessariæ ex parte Episcopi vocati, vt possit ordinare clericos seculares extraneos; prima est licentia exercendi Pontificalia, quæ est tantum fauore subditorum concedentis, de qua in Tridentino, consequenter ex hoc capite ordinare non potest extraneos, cum restringatur solum ad subditos concedentis; secunda est specialis licentia danda à concedente Episcopo vocato ordinandi extraneos, si se præsentent Episcopo vocato cum debitis requisitis dimissos à suis ordinariis, neque enim vllum est inconueniens, quin possit dare talem licentiam ordinandi extraneos dimissos à suo Episcopo, & quilibet Episcopus suos mittere potest ordinandos ab alieno Episcopo ex cap. 8. sess. 23. Requiritur ergo specialis licentia Episcopi diœcesani *ex Barbosa de potest. Episcop. part. 2. alleg. 4. numer.* 64. *Vide Dianam tom. 4. tract. 4. Miscell. resol.* 144. *Vide cap. 2. sess.* 14. vbi habens priuilegium Episcopus sine populo ordinandi quoscumque ad se accedentes nullum ordinare potest alienum subditum sine licentia sui ordinarij. Itaque in casu nostro Episcopus vocatus in aliena diœcesi non solum proprios subditos de licentia expressa diœcesani, sed etiam ipsius diœcesani clericos ordinare, decisum refert ex *Aldano Barbosa ad cap. 5. sess. 6. numer.* 5. 6. & extraneos de speciali licentia Episcopi loci concedentis habentes literas dimissorias sui ordinarij, vt idem refert ex *Amendar. decisum ibidem num. 4. Rodr. tom. 3. quæst. 24. art.* 2.

33 Tertium de regularibus, qui cum sola licentia sui superioris possunt ordinari ab Episcopo exercente Pontificalia de licentia Episcopi diœcesani ex illo cap. 5. sess. 6. quando eorum diœcesanus non habet ordinationes, absque alia licentia, probatur ex differentia clericorum regularium à clericis secularibus, nam proprius Episcopus regularium non solum est ille in cuius diœcesi moratur ordinandus non simpliciter, sed tunc solum, quando tenet ordinationem, vt apertis verbis colligitur ex sopradicto decreto, sed eius defectu, quilibet alius, ad quem Prælati regulares, sine licentia diœcesani loci, suos subditos ordinarios mittere possunt, vt idem dicitur. Proprius vero clericorum secularium est ille, in cuius diœcesi ordinandus natus est ex parte patris, vel habet beneficium, vel domicilium iuxta quod tradunt doctores, quos plures vocat *Barbosa ad cap. 8. sess. 23. num.* 25. Ab isto ergo Episcopo originis, beneficij, vel domicilij subditus ordinandus est, vel ad alium Episcopum dimittendus, si placet, itaque semper requiritur proprij Episcopi licentia; non sic respectu regulariũ, vt enim dixi, ab Episcopo domicilij, qui ordinationes habiturus non est, religiosus nullam licentiam petere tenetur, ergo cum licentia tantum sui superioris potest accedere ad Episcopum vocatum exercentem de licentia Pontificalia in aliena diœcesi, maxime apud regulares.

Ex his patet ad dicta Mirandæ, & Tamburini, non esse necesse, vt literæ dimissoriæ præsententur Episcopo ordinario, qui concessit Pontificalia in sua diœcesi, quia sicut ad eum non spectat ordinare, ita neque videre requisita, hæc enim duo se consequuntur ex cap. Venerabili 34. de elect. ibi: *Etenim regulariter, & generaliter obseruatum, vt ad eum examinatio personæ pertineat, ad quem impositio manus spectat.* Confirmatur, quia in literis testimonialibus faciendis ab Episcopo ordinatore fit mentio ordinatum habere requisita, ergo signum est illa videre, & approbare spectare ad ipsum, & non ad Episcopum concedentem, cui sufficit concedere licentiam ordinandi extraneos,

neos, & videre requisita suorum subditorum. Quod addit Tambur. sub licentia concessa iuxta tenorem illius cap. 5. sess. 6. venire etiam extraneos habentes licentiam suorum ordinariorum omnino pugnat cum ipso decreto, quo expresse per illam licentiam prohibetur ordinatio extraneorum, hoc ipso, quod conceditur ordinatio tantum subditorum, & facit quod licentia concessa intelligitur secundum ius illam dictans, & gratia censetur facta secundum terminos iuris. Nec quod subdit de examine faciendo ab ordinatore subsistit, quia ordinans alienos subditos de licentia sui ordinarij Episcopi non examinat, cum dimittantur examinati, & approbati cum omnibus suis requisitis à suo ordinario, ita quod ordinator visis dimissorialibus præcise illos ordinat nil vltra inquirendo, immo & proprij Episcopi dimittentes super interstitiis subditos dispensant, si qua indigent, vt probaui supra q. 1. num. 6.

Quæres 10. An Episcopus siue diœcesanus, siue alius extreneus, vel titularis in Ecclesiis regularium possit tenere ordinationes sine illorum licentia? Non loquor de licentia Episcopi diœcesani, nam certum est, nullum Episcopum in aliena diœcesi sub prætextu cuiusuis priuilegij, posse ordinationes tenere si expressa licentia diœcesani ex sess. 6. cap. 5. neque in locis nullius diœcesis, aut exemptis ex cap. 2. sess. 14. *Peyr. de prælato q. 3. cap. 1. n. 26. alios citans.*

34 Respond. Episcopus nullus, neque diœcesanus potest ordinationes habere in Ecclesiis regularibus, prælatis regularibus repugnantibus, probatur, Tum quia ibi Missas celebrare non possunt sine licentia regularis prælati, *cap. Abbas a cap. Luminoso 6. 18. q. 3.* Ordinatio autem teneri non potest sine celebratione Missæ, ergo neque ordinatio sine licentia prælati regularis. Tum quia loca regularium exempta cēsentur esse extra diœcesim, & æquiparantur, *Ioan. Andr. in Clem. de foro comp. v. Quia nomine Megal. part. 3. lib. 1. cap. 3. n. 36. Rodr. tom. 1. q. 36. art. 3.* sed nullus Episcopus extra suam diœcesim potest exercere pontificalia, & ordinare sine licentia Episcopi diœcesani ex cap. 5. sess. 6. & licentia prælati exempti, cap. 2. sess. 14. Ita docent *Anchar. in Clem. Archiepiscopo, de priuileg. n. 8. Cardin. n. 5. Imola n. 4. Abbas num. 3. Vitalin. num. 20. & ex illis Tambur. tom. 1. disp. 15. q. 15. num. 10 Rodr. tom. 2. q. 63 art. 10. fine,* ex priuilegio à Ioanne X. concessu Camaldul. Alios doctores de alieno Episcopo non valente exercere id munus in Ecclesiis regularibus sine licentia prælati regularis citat *Barbosa ad cap. 5. sess. 6. num. 10. Quæ dixi resol. 7. q. 31.* prætextu erectionis Baldachini posse ordinare intellige de licentia prælati regularis, neque enim

35 Episcopus absolute potest erigere Baldachinum in Ecclesiis regularibus, sed ex suppositione iuris exercendi in illis aliquam functionem exigentem Baldachinum, modo Episcopus ex probatis ordinare non potest in Ecclesiis regularibus, eorum prælatis, inuitis, ergo erectio Baldachini non potest dare hoc ius, si illud habet supponere, & sic corrigo dicta ibi per supradicta.

Quæres 11. An Episcopo diœcesano ordinationes non tenente per se, sed per alium Episcopum, aut sede vacante, possit prælatus regularis suos religiosos dimittere ad alium Episcopum non obstante supradicto decreto ex parte relato sub q. 6.

Respond. Non potest, quando ipse diœcesanus ordinat per alium, quia eo casu ipse censetur ordinare, consequenter ille solus tunc est proprius Episcopus ordinationis; ita docent *Peyrin. & ex eo Tambur. tom. 2. disput. 2. q. 18. num. 4.* restringens in casu præsentiæ Episcopi diœcesani munus alteri committentis. Quod si Episcopus diœcesanus abest, & ordinationem committat alteri Episcopo transeunti, eo casu asserit prælatum regularem posse suum subditum dimittere ad alium quemcumque Episcopum, ductus ea ratione, quia supradictum decretum est stricte interpretandum, vt minus lædat, cum sit contra regularium priuilegia, & ideo vltra casus expressos ampliandum non est. Sed non placet eius assertum, cum omnimoda sit ratio in hoc casu secundo, quæ est in primo, nam Episcopus committens alteri ordinationes in sua diœcesi, siue præsens sit, siue absens, ipse censetur ordinare per illam regulam, qui per alium facit, per seipsum facere videtur. Nec obstat ratio in oppositum adducta, quia hæc interpretatio decretum non extendit vltra significationem verborum, nam is casus comprehenditur sub illis verbis affirmatiue conceptis. *Ordinationes habiturus est* intellige siue per se, siue per alium. Et illa clausula. *Si diœcesanus abfuerit* Apponitur ad significandum Episcopo præsente, & ordinationes non tenante dimitti posse religiosum, sicut & absente, sed ordinationes per alium non tenente.

36 Sede vacante religiosi possunt dimitti ad alium Episcopum, vt expressis verbis dicitur in eodem decreto, prout refertur Tambur. tom. 2. disp. 2. quæst. 18. ibi: *Vel sedes Episcopalis vacaret.* Quod tamen non replicat in eodem decreto à se iterum relato sub. quæst. 25. ibidem; & apud *Quaranta v. Ordo, Mirand. tom. 1. quæst. 38. art. 2. Nald. v. Ordo, numer. 26.* in secundo decreto fere eiusdem tenoris ea clausula continetur. Ratio est, quia nulla maior est absentia, quam mors, quæ omnia soluit, reuera ergo Episcopus mortuus dicitur abesse, & ordinationes non habere, ergo sede vacante, dimitti possunt ad quemcumque Episcopum.

Quæres 12. An si monasterium existat in nulla diœcesi possit prælatus religiosum ibidem existente dimittere ad quemcumque Episcopum? An vero teneatur licentiare ad viciniorem Episcopum?

37 Respond. Dimittendi sunt ad viciniorem Episcopum, qui dicitur illorum proprius quo ad ordinationem. *Ita decisum fuit anno 1619. apud Nald. v. Ordo, ex eo, Tambur. tom. 2. disp. 2. q. 18. n. 5.*

Queres 13. An prælati regulares ex industria differentes mittere suos subditos ad Episcopum diœcesanum, eo fine, vt quando non erit habiturus ordinationes, possint illos licentiare ad Episcopum alium habentem benigniores examinatores, peccent mortaliter contra hoc Decretum? Item, an collocantes suum subditum debilem, ac parum scientificum in conuentu aliu sub diœcesi, in qua facile ordinabitur hoc fine tantum, vt ordines recipiat, & postea remoueatur, & reuertatur ad antiquum domicilium, in quo est de familia, constitutus faciant contra eiusmodi decretum?

38 Respond. In vtroque casu faciunt contra Decretum, primus casus expresse habetur ex illis verbis. *Et dum ipsi regulares non distulerint de industria concessionem dimissoriarum in id tēpus, quo Episcopus diœcesanus vel absuturus, vel nullas habiturus esset ordinationes.* Decernitur ergo ibi, quod prælati regulares habent facultatem dimittendi suos subditos ab quēcumque alium Episcopum, quando diœcesanus abest, vel non est habiturus ordinationes, dum ipsi non differant, &c. Ex quo deducitur secundi casus responsio affirmatiua, quia si non possunt differre, multo minus auferre subditum in huc Episcopo diœcesano.

39 Difficultas autem præcipue in eo consistit, an superiores sic licentiantes in vtroque casu peccent mortaliter, & incurrant pœnas? *Peyrin. de Prælato quæst. 3. cap. 7. num. 4.* loquendo de primo casu asserit peccare mortaliter, & ex eo *Tambur. tom. 2. disp. 2. quæst. 18. numer. 6.* ex duplici ratione; & quia faciunt contra decretum Papæ in re graui; & quia diœcesano Episcopo præiudicant, quæ rationes videntur etiam facere pro secundo casu licet Peyrin. nil dicat de peccato num. 7. dum dicit non posse superiores ad effectum ordinationis præcisæ subditum localem facere in aliquo Episcopatu, & secuta ordinatione, statim remouere

ad pristinum domicilium, quia id est deludere legem. Excusant à peccato, quando superiores id facerent bona fide, vel ea aliquo motiuo licito, vt quia examinatores sunt nimis rigidi, vel male affecti versus regulares, vel ordinandus non ita sciens, vt deberet, &c.

Ego dico in vtroque excusari à mortali. Probatur eludendo opposita. Tum quiam in Decreto duæ transgressiones spectari possunt, prima est, quando prælatus regularis licentiaret suum subditum ad extraneum, dum diœcesanus eo tempore ordinationem haberet, eo enim casu transgressio est grauis, & præiudicialis iuribus Episcopi, quia ei de facto aufert subditum, & sic procedant rationes aduersariorum. Secunda est, quando prælatus regularis differt, vel remouet in ordine ad ordinationem, vt suus subditus ab alio ordinetur Episcopo, in quo sensu transgressionem non puto mortiferam, nam non est grauis violatio decreti, quia non continet verba præceptiua, neque materiam principalem, seu principale dispositum, quod est vt quilibet religiosus recipiat ordines ab eo Episcopo, in cuius diœcesi moratur, quod vero differatur licentia, vel quod remoueatur ad alium conuentum, vt supra, se habent in consequentiam addispositionem decreti, & sic eius transgressio in his erit solum venialis. Neque in his casibus graue infertur præiudicium, quia episcopi parum curant ordinationem huius, vel illius religiosi hic, & nunc; & ius quod habent super religiosos quo ad ordines est variabile iuxta mutationem religiosorum, qui modo in vna diœcesi, modo in alia habitant, neque enim habent permanentem mansionem. Neque obstat argumentum à pœnis inferri graue peccatum, quia respondeti potest, non valere argumentum à grauioribus pœnis ad grauiora peccata, *Glos. v. Existimes cap. Admonere* 33. q. 2. præterea pœna excommunicationis grauissima est, & tamen quandoque transgressio alicuius rei prohibitæ sub pœna excommunicationis non est peccatum mortale ex iis, quæ docent *Caietan. Castrus & Nauar. cap. 23. num.* 53.

40 Demum dici potest, pœnas in decreto expressas non extendi ad hos casus, sed solum ad principalem dispositionem, ibi: *literas dimissorias concedere ad episcopum diœcesanum* nam solum ad hanc aptantur, ibi: *quod qui non fecerint*, idest, qui non dederint literas dimissorias ad episcopum diœcesanum incurrent pœnas ibidem inflictas. (de his autem dicam infra quæst. 24.) quæ verba commodari non possunt prædictis duobus casibus negatiue conceptis.

Quæres 14. quid possint Abbates regulares circa collationem ordinum? Primo, quo iure possint conferre ordines. Secundo, An debeant esse benedicti? Tertio, quos ordines conferre possunt? Quarto, an suos tantum, vel extraneos etiam ordinare possint? Quinto, si nolunt eos ordinare ad quosnam mittere illos possint? Sexto, an super interstitiis possint dispensare?

41 Primo, iure communi Abbates possunt conferre clericalem tonsuram, & lectoratum ex cap. 1. distinct. 69. confirmatum *cap. Cum contingat, de ætate, cap. Abbates de priuileg. in 6. Glossa dict. 69. ex.* sub nomine Tonsuræ comprehendit quatuor ordines minores; & Abbates in posse supponitur in Tridentino sess. 23. cap. 10. siue ergo iure communi, siue iure priuilegij certum est Abbates regulares posse conferre primam tonsuram, & ordines minores, vt iuxib. & doctoribus citatis firmat *Tambur. tom.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 1. *numer.*8.

42 Secundo de iure communi locis citatis Abbas nullus poterat conferre ordines, nisi esset sacerdos, & benedictus; iure vero priuilegij Abbates nunc non benedicti, cuiusmodi sunt Abbates temporales, qui non benedicuntur, ordinare possunt. *Ita Rodr. tom.* 1. 18. *art.* 2. *Mirand. tom.* 1. *q.* 38. *art.* 9. *concl.* 3. *alios citat Barbosa ad dictum cap.* 10. *sess.* 23. *num.* 9. *Tambur. tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 3.

43 Tertio, conferre possunt primam tonsuram, & quatuor ordines minores, vt colligitur ex *Glos. super dist.* 69. *& doctoribus citatis supra sub §. Primo, ex cit. cap.* 10. *sess.* 23.

44 Quarto, iure antiquiore poterant illos conferre solum suis subditis, ex illo cap. 1. dist. 69. postmodum ex cap. Abbates, de priuilegiis, conferebant non solum conuersis, idest, iam professis, sed etiam illis, qui ad eos connolabant, idest, nouitiis, vt fiant monachi, *ex Glos. ibi v. Conuolauerint*, & etiam aliis, in quos habebant potestatem quasi Episcopalem; demum Tridentinum cap. 10. sess. 23. decreuit, quod: *Abbatibus, & aliis quibuscumque quantumuis exemptis, non liceat in posterum, intra fines alicuius diœcesis consistentibus, etiamsi nullius diœcesis, vel exempta dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram, vel minores ordines conferre: Nec ipsi Abbates, & alij exempti, aut collegia, vel capitula quæcumque etiam Ecclesiarum Cathedralium literas dimissorias aliquibus clericis secularibus, &c.* Ex quibus verbis infertur Abbates non posse ordinare nisi suos subditos regulares. Sic docent *Mirand. tom.* 1. *quæst.* 38. *art.* 9. *Peyrin. de prælato. quæst.* 3. *cap.* 7. *numer.* 21. *Rodr. tom.* 1. *quæst.* 18. *art.* 1. *& 2. & tom.* 3. *quæst.* 23 *art.* 2. *cum suo Compend. resol.* 3. *num.* 4. *&* 20.

Duo dubiola sunt resoluenda, an sub illis verbis *Regularis subditus* veniat nouitius, itaut illum possit ordinare: Item, an extraneos siue regulares eiusdem ordinis, siue alterius, seu clericos seculares accedentes cum dimissoriis suorum superiorum possit Abbas ordinare?

45 Illud resoluitur affirmatiue, Tum quia non minus est subditus, quam sit professus, cum dum permanet in probatione nulli subdatur nisi prælato regulari, neque enim Episcopus, neque secularis princeps super illum ius aliquod habent, ergo simpliciter est subditus Abbati; neque refert, quod possit recedere, quia etiam clericus in minoribus potest retrocedere, nihilominus ante recessum est simpliciter Episcopi subditus. Tum quia ex illo cap. Abbates, de priuileg. sunt subditi quo ad ordines, ergo etiam tunc, cum per Tridentinum illi derogatum non fuerit, nisi quoad clericos seculares. Ita Suar. & ex eo Peyrin. de Prælato q. 3. c. 7. n. 22. contra communem *apud Barbosam ad dictum cap.* 10. *sess.* 23. *n.* 3. *alios quamplures citat Tambur. tom.* 2. *disp.* 2. *q.* 10. *n.* 4.

46 Hoc vero de ordinandis extraneis cum licentia suorum superiorum resoluitur pariter affirmatiue, quia si aliquid obstaret maxime Tridentinō loco citato, sed ibi solum prohibetur ordinatio extraneorum ex propria autoritate, non autem accedentium cum debitis requisitis suorum prælatorum; sicut enim Episcopus propria autoritate non potest ordinare nisi suos subditos, de licentia vero aliorum prælatorum etiam extraneos, & quare non poterit Abbas simili ratione ordinare extraneos? & pro his faciunt relata à me *supra sub num.* 30. *& à Tamburino tom.* 2. *disp.* 2. *quæst.* 7. *num.* 2. *&* 3. Respectu vero monachorum non requiritur licentia episcopalis, sed sufficit dimissoria sui Abbatis tantum, qui sicut potest illum ordinare, ita per alium quemcumque id præstare; cum in hoc non subijciantur supradicto decreto. Respectu vero illorum regularium, quorum superiores non habent priuilegium ordinandi, ordines recipere non possunt ab Abbate, quia iuxta decretum supradictum, quando Episcopus diœcesanus non est habiturus ordinationem tunc mittendi sunt ordinandi ad Episcopum alium quemcumque nisi ex speciali licentia Episcopi diœcesani, iuxta superius dicta sub num. 33. & præcedentibus.

Quinto, quando impediti sunt Abbates, vel nolunt ordinationem tenere possunt per alios Abbates ordinare sui ordinis in suis Ecclesiis, vel mittere ad ipsos, quia in Tridentino prohibetur Abbas exemptus

exemptus id facere propria authoritate, & sine licentia. Neque hic requiritur licentia Episcopi diæcesani, vt requiritur respectu Episcopi vocati, quia is nullibi habet ius ordinandi; Abbas vero ab alio Abbate inuitatus potest ordines conferre, *Gloss. in cap. Quoniam dist. 69. Domin. de S. Gemin. in cap. Abbates, de priuileg. Graff. part. 2. decis. lib. 1. cap. 10. n. 2. Sayr. lib. 4. de censur. cap. 13. n. 5.*

48 Sexto demum Abbas dispensat super interstitiis suorum subditorum non solum quos est ordinaturus, *Sorbus v. ordo, §. Quando vero Abbates, Mirand. tom. 1. q. 38. art. 7. concl. 3. Compend. resol. 1. num. 21. Tamburin. tom. 2. disp. 2. q. 22.* sed etiam quando mittit pro eisdem ad Episcopatum, *Villalobos tom. 1. sunt. tract. 11. diff. 12. num. 4. Compend. resol. cit. num. 22.* A suis Abbatibus tantum examinandos, & non ab Episcopis ordinatoribus, *Nau. consil. 14. de priuileg. quos omnes fere citat Barbosa ad hoc cap. 10. sess. 23. numero. 5* Ratio, est quia eius est dispensare, qui potest ordinare, & à simili negotium procedit, sicut de Episcopis. Quando vero eosdem mittunt pro ordinibus sacris, dispensatio, & examinatio spectat ad Episcopem ordinantum, eo quod tunc Abbas sicut non potest ordinare, ita neque dispensare; & examinandos esse ab Episcopo colligitur ex decreto Clementis VIII. in quo expressa mentio fit de examine faciendo ab Episcopo ordinante, illi enim decreto quo ad ordines maiores subduntur monachi, sicut ceteri regulares. Verum quidem est, si Abbas potest conferre etiam ordines sacros, eo casu ad ipsum etiam spectat dispensatio, & examen, pro quo faciunt adductæ rationes.

Quæres 15. An prælati regulares possint dimittere nouitios ad ordines, sicuti licentiant professos. Suppono autem nouitios posse ordines saltem minores suscipere infra annum probationis, quia id illis non interdicitur, nam *cap. Monasteriis 19. q. 3.* nomine tonsuræ non venit ordinatio, sed regularis professio, vt ex doctoribus notat Sanchez lib. 6. cap. 10. num. 19. Dixi, *saltem minores*, quia ex Bulla Pij V. incip. *Romanus Pontifex*, sub dat. ibid. Octob. 1568. de qua Barbosa ad cap. 2. sess. 23. nullus nondum professus, aut taliter professus, qui possit redire ad seculum ordinari in sacris potest, nisi habeat titulum beneficii, vel patrimonij, &c. Nouitij ergo sunt capaces ordinum etiam

49 sacrorum, seruata tamen forma præscripta in ea Bulla. Prima opinio negat prælatos regulares posse dimittere suos nouitios ad ordines recipiendos. ita *Sanch. lib. 4. cap. 39. num. 21. cum Suar. & Henr. & lib. 6. cap. 10. num. 22.* dum dicit, licet possint ordinari ab Episcopo loci, vbi sunt in probatione, tamen ad id non sequiri licentiam prælati regularis, quia quo ad hoe illi non subiciuntur, subdit postea cum prædictis prælatos regulares habentes priuilegium dimittendi suos religiosus pro ordinibus ad quemcumque Episcopum, posse etiam mittere nouitios, quia gaudent priuilegiis regularium; quos sequitur *Tambur. tom. 2. disp. 2. q. 27. alios citando, Vecch. disp. 11. dub. 8. numero 3. Peregrin. in constit. sue relig. part. cap. 4. lit. A. §. 1. Nald. v. Nouitius num. 8. & v. ordo num. 10.* Isti ergo doctores cum multis aliis negant, prælatos regulares posse dare dimissorias nouitiis, & quia in hoc non subdunturr prælato regulari; & quia potestas, quam habent superiores regulares est educationis in ordine ad probationem tantum, & quia non expedit eos vagari prætextu ordinum recipiendorum. Cum ergo sint capaces ordinum, & non possint dimitti à prælatis regularibus, dicunt illos ordinari posse ab Episcopo proprio, cui subiecti erant ante ingressum, vt docent *Henriq. Suar. quos citat Sanch. lib. 6. cap. 10. num. 20. qui num 21.* iudicat probabilius cum multis, nouitios ordinari posse ab Episcopo, in cuius diœcesi nouitij manent in probatione, quia nouitij in conuentu probationis domicilium acquirunt stabile, & permanens, cum omnes religionem ingrediantur animo in ea perpetuo perseuerandi, & secundum *Gofredum in sum. de sepult. num. 7. Host. in cap. De his, de sepult. & in Ioan. Andr. cum aliis*, nouitius censetur nouum domicilium, & antiquum seculi delerere, acquisendo.

50 Secunda sententia affirmat prælatos regulares posse suos nouitios licentiare ad ordines, quam probabilem putat *Lezana tom. 1. cap. 24. num. 6. citando pro se Dianam resol. 7. de dub. regul. qui si bene legatur loco citato, & part. 4. tract. 4. Miscell. resol. 7. & part. 5. tract. 10. resol. 43.* absolute non concedit, posse prælatos regulares dimittere nouitios ad ordines, sed solum, si habeant priuilegium siue religioni concessum, siue communicatum mittendi professos ad quoscumque Episcopos, consequenter posse etiam licentiare nouitios, quia gaudent priuilegiis professorum, & vnum adducit concessum Congregationi S. Benedicti Vallisoleti à Clem. VIII. anno 1590. & aliud extensum etiam ad nouitios concessum Societati Iesu, communicatum aliis ex eodem Diana primo loco citato, quibus indulgetur facultas superioribus regularibus dimittendi suos religiosos ad quoscumque Episcopos.

51 Respond. Prælati regulares dare possunt literas dimissoriales ad ordines tam minores, quam maiores nouitiis, eo prorsus modo, quo illas concedunt professis, nempe ad diæcesanum loci, vbi agunt nouitiatum, aut ad alium quemcumque si ipse diæcesanus non sit habiturus ordinationes. Hoc procedit, dummodo respectu sacrorum nouitius habeat patrimonium, nec refert prælatus regularis habeat priuilegium nec ne dimittendi professos ad quemcumque Episcopum, licet diæcesanus teneter ordinationes.

52 Primum de illis dimittendis ad ordines sicut mittuntur professi probatur, quis si est aliqua difficultas tota videtur in eo consistere, quod nouitij in hoc non sunt subditi prælato regulari, qui quo ad hoc non est illorum prælatus ordinarius; sed id falsum esse suadetur; Tum quia prælatus regularis super nouitios habet omnimodam potestatem, ex Institut. Nouitios. Clem. VIII. §. *Habeat etiam Magister plenam, & absolutam potestatem circa institutionem, & regimen nouitiorum.* quod licet respectu magistri sit potestas educationis, vt alibi dixi, tamen respectu prælati regularis, de quo enim ibi fit mentio, est iurisdictionis ordinariæ, cum prælatus sit eorum ordinarius, *Rodr. tom. 1 q. 17. art. 11. cum suo Compend. resol. 114. num. 14. Nau. consil. 6. de foro compet. Peyrin. de Prelato q. 3. cap. 1. §. 7* ex quo eos punire potest ex citatis doctoribus; & sic non tantum sunt superiores in ordine ad probationem præcise, sed simpliciter. Tum quia ex dictis institut. quo ad sacramenta subiiciuntur prælatis regularibus, ergo etiam quo ad hoc, ad regimen enim nouitiatus spectat, vt nouitij ordinentur ad eum effectum, vt in probatione manentes possint addiscere, quæ spectant ad rectum exercitium ordinis suscepti, & cum inseruiant Ecclesiæ, & choro, laudabilius est & decentius, vt ex officio seruitiis munus præstent magis, quam sine ordinibus. Tum quia ratio, quia professus non potest promoueri ab Episcopo sine licentia sui superioris regularis, *ex cap. 2. dist. 58. cap. Monachi 33. cap. Cum pro vtilitate 34. 16. q. 1. cap. Ad aures, de tempor. ordinat.* ea est, quia professi sunt subiecti iurisdictioni prælati regularis, sed hæc ratio militat etiã in nouitiis, qui subditi sunt prælatis regularibus, & exempti à iurisdictione Episcopi, vt docent omnes; neque logica est responsio dicere, illos non esse exemptos quò ad hoc, nam id est adducere pro resolutione, quod est in quæstione, & nimis extendunt subiectionem nouitij in hoc casu, cui sufficit si sit subiectus quo ad examen, & receptionem ordinum, nequaquam quo ad licentiam promotionis.

Et ex his patet ad obiecta partis aduersæ, præ-

latis enim regularibus nouitij sunt subiecti, non solum titulo educationis, sed etiam potestate iurisdictionis, sunt enim pars licet imperfecta religionis, & sunt de collegio religiosorum, qui autem sunt de collegio subiiciuntur omnimodæ potestati, & iurisdictioni illius capitis, & prælati, ex iuribus, & doctoribus citatis à *Nauar. conf. 4. de maior.*

53 Nunc placet, quod subdit *Sanch. li. 6. c. 10. n. 21.* postquam asseruit, non requiri licentiá superioris regularis, vt nouitius suscipiat quoscumque ordines, & illos recipiendo sine illius licentia non peccare nisi venialiter, sed grauiter, quia nunc est in hoc subditus, nec habet votum obedientiæ, sed voluntariè ibi viuit, asserit tamen esse grauem deordinationem contra regularem disciplinam, sufficientem ad expellendum illum à

54 religione. Ego puto hunc peccare mortaliter ex probatis, quia reuera est subditus, & si non peccauit contra votum obedientiæ, quam nondum promisit peccauit tamen in eo, quod vt pars communitatis illi non se conformauit, & sui superioris potestatem contempsit, & aliis occasio non leuis scandali fuit, & vt eijceretur à religione; quæ non nisi peccatuio mortale arguunt.

55 Secundum de patrimonio respectu ordinum maiorum constat, quia posito patrimonio non impediuntur à promotione, & non est maior ratio de licentia respectu maiorum, quam minorum, remoto illo impedimento. Confirmatur, quia in certis ordinibus, vel collegiis, in quibus non fit solemnis professio, nondum professi non prohibentur promoueri ad sacros ordines, si habeant patrimonium, vt supra retuli sub numero 49. ergo licentiari possunt etiam ad maiores ordines.

56 Tertium, quod illud priuilegium, quo ad hoc non prosit, nec obsit, suadetur. Tum quia allatæ rationes absolute probant prælatos regulares eas licentias nouitiis etiam concedere posse, cum id sit illorum munus proprium. Tum quia tale priuilegium non tollit difficultatem, cum dici possit esse pro professis tantum, & non pro nouitiis, qui licet gaudeant priuilegiis, non tamen hoc, cum non sint subditi. Tum quia censentur sublati per nouissimū decretum Clem. VIII. de quo supra, & confirmatum, tum innouatum de anno 1619. vt videre est apud Naldum verbo ordo.

Quæres 16. An Episcopus teneatur dispensare religiosum illum, qui e. g. ordinem subdiaconatus recepit in temporibus Quadragesimæ super interstitiis pro ordine Diaconatus recipiendo Tempore Sitientes eiusdem Quadragesimæ, ita prælato regulari petente, & attestante adesse necessitatem, &c.

Respond. Tenetur Episcopus dispensare, Probatur, quia Episcopus debet stare, & credere attestationi prælati regularis. Ita decisum esse refert *Molfesius in sum. tract. 2. capitulo primo, numero 56. apud Barbosam ad capitul. 13. sess. 23. numero nono*, Ratio est quia posita legitima causa prælatus habet debitum dispensandi, *Glosa verbo Necesse, capit. Domino sancto, dist. 50. Turrecr. ibidem numero nono, Anton. in capit. At si clerici §. De adulteriis, de indic. numero 12. ibi Cardin. numero secundo, Alex. de Neuo numer. 29.* Sed in casu nostro adest legitima causa, & talis approbata per superiorem regularem, cui in hoc credendum, vt dixi, ergo dispensare tenetur Episcopus. Confirmatur, quia vnusquisque tenetur ad opera misericordiæ, dispensatio autem est quidam actus misericordiæ, *Gloss. v. Detrahendum capitulo Vt constituerentur 21. dist. 50.* Neque dicas aliud est Episcopum credere attestationi, cui stare debet ex dictis, aliud dispensare, quod in eius est arbitrio, cum relinquatur eius iudicio, consequenter non necessitatur ad dispensandum. Quia respondetur arbitrium, & iudicium referri ad causam mouentem Episcopum ad dispensandum, & ab ea regulari actum dispensationis, & sicut Episcopus tenetur stare legi imæ causæ, ita & dispensare, alioquin frustratoria esset attestatio si non consequeretur suum finem, qui est dispensatio super interstitiis, ad effectum consequendi ordinem sacrum. Vnde non placet vsus quorumdam Episcoporum qui nolunt dispensare nisi per sex, ad minus menses, neque enim regulatus videtur hic mos, cum causa vt plurimum magis vrgens in vno ordinando, quam in alio.

Quæres 17. An regulares ordinandi sint ab Episcopo ordinatore examinandi super Doctrina requisita in eo, qui vult initiari? *Dixi sub quæstione decimaquarta, ad finem numero 48.* Abbates ordinantes suos etiam per Episcopum Diœcesanum examinare illos, non autem Episcopum ordinatorem per ibi adducta. *Tamb. tom. 2. disputat. 2. quæstione 20.* Quare difficultas remanebit tam de ipsis, quam omnibus regularibus non valentibus conferre ordines siue minores, siue sacros.

57 Resp. Religiosi ordinandi etiam ad primam tonsuram examinādi sunt ab Episcopo ordinatore de Grammatica, & sufficientia, & dummodo competenter respondeant, libere dimittat ad ordines; ita statutum fuit in Consil. Later. sub Leone Decimo Bulla incip. *Dum intramentum §. Quodque Fratres.* Idem statutum fuit postmodum in Trident. ca. 12. sess. 23. ibi: *Regulares quoque nec in minori etate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur.* Ratio huius desumitur ex cap. Venerabili, de elect. vbi dicitur, quod eius est imponere manus eiusdem quoque est examinare personam. *Rodr. tom. 1. quæstione 18. art. fin.* refert priuilegia in oppositum sublata per Tridentinum, vt ipse tandem concludit.

Nota autem, quod in potestate est Episcopi examinare regulares ordinandos, maxime quando sibi nota est eorum sufficientia, similiter quando superiores regulares in suis licentiis testantur in specie de sufficientia Doctrinæ, cum non soleant dare illis licentias sine præuio examine facto per suos patres examinatores deputatos ad hoc, vnde credere possunt literis patentibus superiorum, & consequenter ordinare sine examine. Ita docent *Mirand. tom. 1. quæst. 38. art. 4. Portel. v. ordines sacri in Addit. num. 1. Tambur. tom. 2. disp. 2. quæstione 22. Peyrin. tom. de Prælato q. 3. capit. 7. n. 3.*

Quæres 18. An tanta scientia requiratur in clericis regularibus, quanta in clericis secularibus in recipiendis ordinibus? Videtur sic, ex Tridentino, cap. 4. sess. 23. pro prima tonsura requirente, vt sciant rudimenta fidei, scribere, & legere; pro minoribus verò, vt saltem linguam latinam intelligant ex cap. 11. cum spe maioris profectus in scientiis, & ad sacerdotium promouendi non sunt nisi idonei sint idonei populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda sacramenta fidelibus ex capit. 14.

58 Respond. Quando qui intendit ordines præcise, vt choro inseruiat, & missam tantum celebret communissima sententia habet non requiri tantam scientiam sed sufficientem, per quam sciat recte legere verba prout iacent, more quarumdam fœminarum, & virorum, qui latinum distincte legunt, licet ignorent quid dicant; probant ex differentia clerici secularis, qui intendit curam animarum, à clerico regulari, qui talem finem non habet. Ita docent *Rodr. tom. 1. qu 24. art. 7. cum suo Compend. resol. 106. num. 24. Portel. ver. ordines sacri in Addit. Diana part. 1. tract. 16. resolutione 31 & resolutione 86. de dub. regul. Tambur. tom. 2. disputatione 2. q. 21.* vbi eam fuse tractat. Sed reuera videant sacerdotes præsertim qua conscientia possint quotidie celebrare Missas, & diuina officia, qui ita modice sciunt legere, vt in singulis lineis vnum, vel alterum, verbum

verbum mutant, alterant, & adulterant, perkos, & bene scientes legere sua ignorantia circumstantes ad risum mouentes, certe expectent tremendum Dei iudicium expulsionis, quam illis comminatur Deus per Oseam Prophetam, cap. 4. 6. illis verbis. *Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.* Et reuera non multum mihi probatur hæc opinio maxime respectu sacerdotij, si enim inexperti in aliqua arte mechanica reprobantur, & reiiciuntur, quia in ea sunt rudes? quæ ratio suadet non esse repellendos rudes, & ignaros, qui linguam latinam non legunt, sed lædunt, & sæpius à suo statu mutant, & pauci sunt, qui ignorantes bene, & distincte legant sicut scriptum; & impressum inueniunt. *Vide quæ dixi resolutione 11. quæstione secunda, & resol. 54. numero 18. ad 23.*

Quæres 19. An quando religiosi dimittuntur ordinandi ab alio Episcopo, quam diœcesano, qui vel adest, vel si adest, non est habiturus ordinationes, debeant habere testimonium ex Episcopali palatio, quod non habentur ordinationes, an sufficiat, quod superior regularis de hoc defectu fidem expressam faciat in suis literis dimissoriis?

60 Respond. Sufficit fides superioris regularis. Expresse in decreto Clem. VIII. illis verbis. *Literæ dimissoria dabuntur, in eis aliqua huiusmodi causam absentia diœcesani Episcopi, vel ordinationum ab eo non habendarum exprimendam esse.* La Bariola *in suis Aphor. v. Regulares pag. 242. citans Quar. v. ordo, Prax. Neapolit. cap. 83. Rodr. quæstione 18. art. 5. item Peyrinus de Prælato quæstione 3. cap. 7. numero 5. & ex eo Tambur. tomo secundo disput. 2. quæstione* 18. qui illum citat numero 9. sit error compositoris, non autoris, in pluribus citationibus. Bene conqueritur Peyrinus de requirentibus fidem Episcopalem, eo quod sine causa grauent regolares, & eos cogunt ad expensas ad quas non tenentur. Quandoque tamen non sine causa eam requirunt, quia prælati regulares eam causam in suis literis non exprimunt, forsan quia ignorant sit ne Episcopus habiturus ordinationes, quia aliquando tempore multo ante conceduntur dimissoriæ cum ea clausula. *Quod si tuus diœcesanus non erit habiturus ordinationes, facultatem tibi concedimus, vt accedas ad quemcumque, &c.* Et sic communiter euacuatur huiusmodi fides de ordinatione non habenda, ex quo Episcopi illam requirentes ex sede Episcopali diœcesani de manu religiosi ordinandi, non sunt causa huiusmodi expensarum, neq; religiosis dicuntur aggrauare. Experti sint religiosi attendentes, an clerici seculares dimittantur extra ad ordines, & tunc cum eorum fide Episcopali, & ipsi transeant sine grauamine, & expensis, Episcopo enim ordinatori sufficit vna pro omnibus.

Quæres 20. An Episcopus debeat stare attestationi de ætate requisita ad ordines factæ à superiore regulari in literis dimissoriis?

61 Respond. Debet stare, Tum quia vnus Episcopus stat literis alterius dimissoriis, vt videre est in eorum Formulariis, non enim est minoris fidei prælatus regularis, quam Episcopus. Tum quia iuxta Decretum supradictum Clem. VIII. religiosum Episcopus examinat tantum quo ad doctrinam, ergo in reliquis spectat ad prælatum regularem. Tum quia prælatus regularis venit sub nomine ordinarij, cap. 8. sess. 23. cuius est probitatem, mores, & cætera requisita suo testimonio commendare Episcopo ordinatori. Sed quoniam video superiores regulares quandoque omittere expressionem ætatis requisitæ, seu vnico pertransire verbo, forsan quia religiosi non habent in promptu fidem baptismalem suo exhibendam superiori, vel locis ambo remoti suos, vsus inoleuit ostendendi fidem Baptismatis in forma probante Episcopo ordinaturo. Licet subiicere Formularium Dimissoriarum, quibus soleo dimittere religiosos ad ordines.

62 *Frater Franciscus Bordonus Parmensis Fratrum Minorum Tertij Ordinis Regularis Sancti Francisci in Prouincia Bononiensi Prouincialis.*

Dilecto nobis in Christo filio Fratri N, N. in seculo nuncupato N. eiusdem nostri ordinis clerico professo, primu Tonsura, & quatuor ordinibus minoribus insignito salutem.

Tibi nullo canonico impedimento ad sacrum Subdiaconatus ordinem recipiendum irretito, sed vita, moribus, ætate, ac sufficienti doctrina prædito, sicut ab examinatoribus nostris super præmissis deputatis, fideliter accepimus, facultatem, & licentiam in his scriptis damus, vt ab Illustrissimo, & Reuer. Episcopo N. in cuius diœcesi in nostro conuentu N. de familia manes, ad prædictum Subdiaconatus ordinem promoueri possis; si præfatus diœcesanus tuus ordinationes non erit habiturus, eadem facultate licentiam Tibi concedimus, vt ad quemcunque alium Episcopum pro eodem subdiaconatus ordine recipiendo accedere valeas, rogantes eum, qui te ordinaturus est, vt super interstitiis tecum dispensare dignetur, si indiges, stante necessitate, & vtilitate similium ministrorum, quibus nostra Ecclesia indiget, de quibus omnibus, & singulis fidem facimus. Datum in conuentu N. &c. Nota, quod illa clausula. *In seculo nuncupatus N.* apponitur sumpto ordinibus sacris, vt Episcopus ætatem colligere possit ex fide baptismali habita ratione ad licentiam concessam a superiore regulari.

Quæres 21. An à Papa dispensatus super ætate vnius anni requisiti ad Presbyteratum, egeat dispensatione interstitiorum, quando initiatus fuit Diaconatu infra annum vigesimum tertium; An includatur sub dispensatione ætatis? Dico, *infra annum*, nam ordinatus initio anni vigesimi tertij non eget dispensatione recipiendo sacerdotium ex Papali gratia initio anni vigesimi quarti suæ ætatis, quia in diaconatu permansit annum integrum, prout de iure requiritur, & non vltra.

63 Respond. Indiget dispensatione, quam dare potest Episcopus ordinaturus, illud constat, eo quod alia est dispensatio super ætate, alia super Interstitiis, vt de se notum est, & quandoque Diaconus eget dispensatione super ætate ad assequendum sacerdotium ante tempus, & non super interstitiis vt euenit quando Diaconatum recipit initio anni vigesimi tertij, ex supra dictis in quæstione. Dispensatus ergo in ætate non censetur super interstitiis habilitatus, sed eget dispensatione conferenda ab Episcopo ordinatore, cui non aufertur potestas huiusmodi à Sancto Concilio sibi attributa. Et infacti contingentis præterito mense vnus ex nostris Diaconus super ætate à Papa dispensatus ab Episcopo ordinante super interstitiis exemptus fuit hoc anno 1641.

Quæres 22. An clerici regulares teneantur exercere actum sui ordinis habiti antequã ad vlteriores gradus promoueantur, & de exercitio fides facienda sit Episcopo ordinatori? Nam cap. 11. sess. 23. dicitur. *Ac in vnoquoque munere iuxta præscriptum Episcopi se exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt Ecclesia, nisi forte ex causa studiorum absint, atque ita de gradu in gradum ascendant.*

64 Respond. Tenentur exercere actum sui ordinis recepti aliter peccant ad minus venialiter, videntur enim quodammodo negligere, officium sibi gratis à Deo concessum. De hoc tamen exercitio nullam fidem exhibere tenentur Episcopo, cum nullibi præcipiatur, & in Tridentino citatum decretum potius ad clericos seculares refertur, vt ex textu patet, quam ad regulares. Sicut neque eorum nomina publicanda sunt a Parocho in Ecclesia, neque de ipsorum vita inquirendum, neq; de tali inquisitione literæ ad Episcopum transmittendæ sunt, vt de clericis secularibus decernitur, cap. 5. sess. 23. Sed hæc munera spectant ad superiores regulares, qui satisfaciunt sufficienter huic oneri per literas dimissoriales

dimissoriales iuxta tenorem à nobis suppositum sub num.62. Ita referunt decisum *Rodr. tom. 3. qu. 24. art. 1. Vgolinus, Henriq. Campanilus apud Barbosam ad hoc capitulo 5. sess. 23. numer. 2. Tambur. tom. 2. disp. 2. q. 24 n. 6. ex Villalobos, & Rodr. tom. 3. qu. 23. art. 5 licet ab eo citetur tom. 2. q. 43. sed falsò, in quod incidit Diana resol. 112. de regul.* sed sit error compositoris, si placet, non Authorum, referunt priuilegium Societatis Iesu, quò eximuntur eius religiosi ab his functionibus, & communicatur, aiunt ipsi, ad alios religiosos, sed non aduerterunt Iesuitas habere hoc speciale, quod rarissime obeunt huiusmodi munera in suis Ecclesiis, aliorum verò Ecclesiæ regularium huiusmodi functionibus singulis fere diebus decorantur, & ideo pro illis non videtur habere locum huiusmodi priuilegium, per quod etiam conceditur, vt possint ordinari interstitiis non obseruatis, & extra tempora, vide Rodr. loco citato. Sed ad quid hæc priuilegia, quorum executio dependet ab Episcopis, qui nolunt acquiescere?

65 Quæres 23. Quibus pœnis afficiantur superiores regulares dimittentes male suos subditos ad ordines? Possunt autem male licentiare. Primo, quia eos non dimittũt ad Diœcesanum, sed ad alium, Diœcesano ordinationem habente. Secũdo, fingẽdo clericum esse de familia in ea Diœcesi, in qua speratur subd. initiari. Tertio, dando licentiam ordinandi ante debitam ætatem. Quarto, in literis non petendo dispensationem, qua clericus indiget super interstitiis. Quinto, non exprimendo in dimissoriis Episcopum proprium abesse, vel non esse habiturum ordinationes. Sexto, dando licentiam alicui non subdito. Septimo an si quæ pœnæ sunt statutæ incurrantur, quando subditus literis dimissoriis non vtitur. Octauo, an licentiantes multum ignaros peccent mortaliter.

Primo, prælati dimittentes ad alium Episcopum, quam Diœcesanum, quando est habiturus ordinationes præter peccatum affici possunt priuatione officij, & dignitatis, seu administrationis, atque vocis actiuæ, & passiuæ, & aliis pœnis castigari arbitrio

66 sanctitatis suæ reseruatis, vt dicitur in calce Decreti, vbi adest particula *incurrent*, quæ denotat dictas pœnas non incurri ipso facto, sed illis puniri posse prælatum male licentiantem suum subditum ad ordines. Quòd illud verbum *incurrent*, futuri temporis importet pœnam comminatoriam, non latæ sententiæ docent omnes *cum clara Regia libro 5 capitul. 8. nu. 10. & tenet Peyr. de Prælato quæstion. 3. capitul. 7. numer. 4. quem sequitur Tambur. tomo secundo, disputatione 2. quæst. 18. Thesaur. de Pœnit. Eccles. part. 2. v. ordo ca. 27. fine.*

Secundo fingens suum subditum esse de familia, vbi reuera non est, & consequenter subditus ordinatur à non Diœcesano ordinationes habente, subiectus est supradictis pœnis, cum faciat contra decretum.

Tertio, licentians non habentem requisitam ætatem, si hoc facit scienter, vel etiam negligenter, quia non vidit requisita peccat mortaliter, non facit tamen contra hoc decretum, neque aliã incurrit iuris pœnam cum non extet, nisi de crimine falsi. Pœna autem lata contra Episcopum ordinantem aliquem ante legitimam ætatem in c. 14. de temp. ord. non extenditur ad licentiantem, cum pœnę sint restringendæ, & intelligendæ iuxta proprium verborum sensum, neque enim licentians ad ordines ordinare dicitur.

Quarto, non petens in literis dispensationem, qua indiget ordinandus, nota negligentię, & ignauię dignus est, & suum inscite peragit officium, nullam ex hoc incurrit pœnam, cum non extet.

Quinto, tacẽs in literis quod Episcopus abest, vel nõ est habiturus ordinationes nun facit contra decretum, vt probaui q. 13. in fine n. 40.

Sexto, dans licentiam non subdito facit contra decretum; ibi: *Superiores regulares posse suo subdito videri regulari*, vnde & puniendus ex prædictis pœnis. Non incurrit autem suspensionem ab officio, & beneficio per annum latam in Trident. c. 10. sess. 23. quia hæc est contra Abbates ordinantes, & capitula sede vacante concedentes dimissorias contra formam decreti Pauli III. de quo ibi.

Septimo, ex suppositione quod supradictæ pœnæ essent latæ sententiæ dubitant, an concedens easdem incurreret, quando ordinans illis non vteretur? *Peyrin. tomo secundo, de Prælato quæstione tertia, capitulo septimo, numero sexto, quem sequitur Tambur. tom. 2. disputatione 2. quæstione 18. fine*, putat non incurrere, & quia statutum Clem. est odiosum, & contra antiqua regularium priuilegia, quibus poterant ordinari à quocumque Episcopo, vnde est strictè interpretandum; & quia verba sunt cum effectu intelligenda. Oppositum sentit *Riccius parte, quarta, prax. decisione 218 num. 10. ab illis citatus*, si per eum non stetit quin ordinaretur, quia actus fuit perfectus ex parte concedentis, & sic tenet etiam *Garzias in Addit. ad suum tract. de benef. part. 5. cap. 7. num 92. apud Barbosam ad cap. 10. sess. 7. num. 22. & ad cap. item 10. sess. 23. nu. 21.* Quorum sententia mihi satis placet, quia & si actus concessionis sit ordinatus ad receptionem ordinum, nihilominus quia in ratione concessionis habet totam suam perfectionem, & complementum ex parte concedentis, respectu cuius pœna attenditur, ideò cum in se sit actus completus, & absolutus, nihil prohibet, quin inducat pœnæ incursionem. Nec vrgent allata à Peyrino, quia licet alias prælati regulares possent dimittere suos subditos ab quoscumque Episcopos, tamen ex decreto hoc nunc non possunt, & cum etiam constet de pœnis, & de perfectione actus, non potest inferri nisi incursio pœnarũ, quicquid deinde sit de non vsu dimissoriarum, neque ex hoc extenditur decretum, sed intelligitur secundum verum sensum, & priuilegia illa cum iam sint extincta nihil operari possunt defendendo superiorem ab incursu pœnarum, quando directè fuit transgressus decretum. Et bene licentia obtinuit suum effectum ex parte concedentis, licet subditus non fuerit ordinatus, nam effectus ordinationis supponit quidem licentiam, sed ab ea non pendet, vt à sua causa, sed ab ordinatore, licentia enim sufficienter habet suum effectum, quandò obtenta fuit à petente.

Octauo, licentiantes multos ignaros, & alia vitia habentes non excusantur à peccato mortali, quia eligunt indignos ad tam graue ministerium suorum ordinum, quod graue est sacrilegium, arg. eorum, quæ dicuntur, *c. Cum sit 14. c. Quamuis 15. de ætate, & ego dixi supra q. 18 fine.*

67 Quæres 24. De pœnis inflictis cõtra male promotos. Primo de ordinato à censurato Episcopo? Secundo, ab eo, qui renuntiauit? Tertio, à non suo Episcopo? Quarto sine licentia, vel cum non legitima licentia? Quinto ante debitam ætatem? Sexto extra debitum tempus? Septimo non seruatis interstitiis? Octauo, per saltum ordinatus? Nono, de recipiente duos ordines eodem die? Decimo de apostata ordinato? Vndecimo, de ordinato sine titulo? Duodecimo de mulier professo ordinatu? Decimotertio, de furtiue ordinato? Decimo quarto de excommunicato, & censurato recipiente ordines.

Primo, recipientes ordines ab Episcopo excommunicato, censurato, vitando est suspensus ab executione ordinis suscepti, *cap. Ordinationes 3 quæst. 3 cap. 2. de ordinat. ab Episcopo. Ita Tabiena irregularitas 4. num. 6. Armilla numer. 78. Sayr. lib. 4. cap. 14. numer. 1. Tambur. tom. 2. disp. 2. qu. 12.* Qui tenent ordinatum ab occulto nondum denuntiato non esse suspensum. Dubitant de eo, qui ignorabat huiusmodi defectum Episcopi, quidam enim asserunt ignorantiam non excusare ordinatum *cum Fillliu Bonac. & Suar. apud Dianam parte 5. resolut. 39. de suspens.* qui tenet oppositum cum Turriano, quando ignorantia fuit probabilis, nam

textus cap. Ordinationes cit. ait ignorantiam excusare, *& capit. de ordin. ab Episcop.* explicatur per præcedens, in cuius fine dicitur, quod ignorantia crassa, & supina non excusat, ergo excusabit probabilis, licet alias culpabilis etiam non crassa inexcusabilis sit ex eodem capite, *contra Sayrum cit. qui numer.* 2. nullam vult ignorantiam excusare ordinatam, & à solo Papa esse dispensabilem, contra expressum tex. citati c. 2. vbi dicitur, cum clericis, qui ab Episcopo excommunicato ignoranter, intellige culpabiliter ordines receperunt, per suos posse Episcopos dispensari, si verò ignorantia esset supina, & crassa non dispensarentur, vide ibi: *Glosam finalem. Idem Sayr. numer. 5.* excusat ordinatos per vim cadentem in constantem virum, *ex Silu. v. Irregularitas q. 7.* Prælati irregulares absoluere possunt ab hac suspensione siue illam contraxerint ordinati ex ignorantia culpabili, possunt enim absoluere ab iis omnibus, à quibus Episcopi, ex alibi probatis; siue etiam ex scientia, aut ignorantia crassa, & supina, vt constat ex eorum priuilegiis, de quibus dixi res. 3.

Secundo, ordinatus in sacris ab Episcopo, qui renuntiauit loco, & dignitati suspensus est ab executione ordinis suscepti, & si ignoranter culpabili ignorantia id fecit, dispensari poterit ab Episcopo, si scienter, vel ex crassa ignorantia à solo Papa. Regularia autem dispensatur à suo superiora iuxta dicta in præcedenti.

Tertio, ordinatus à non suo Episcopo manet suspensus ab executione ordinis suscepti, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, *cap. 8. sess. 23.* De hac suspensione citat Doctores Barbosa ad *hoc cap. numer. 40.* Sub ea non comprehenduntur religiosi, quia ex hoc textu Tridentini religiosi non tenentur recipere ordines à proprio Episcopo, quem nullum habent ex hoc capite, sed tantum per Decretum Clementis VIII. dispositum fuit, illos quo ad ordines subiici Episcopo Diœcesano, si ordinationem habiturus est, alias non contra *Peyr. de Prælato qu. 3. cap. 7. num. 17.* Iure veteri mandabatur suspendi ordinatus à non suo Episcopo, *cap. Quod translationem 11. de temp. ordin.* consequenter superior regularis suum religiosum ordinatum ab alio, quam Episcopo Diœcesano ordinationes habente posset suspendere ab executione ordinis suscepti.

Quarto, ordinati sine licentia legitima, seu absque literis dimissoriis à suorum ordinum executione ipso iure sunt suspensi, ex Bulla incip. *Cum ex sacrorum.* Quæ comprehendit non solum clericos seculares verum etiam regulares, cum materia, de qua agitur vtrisque æque bene, & directe aptetur, docet in specie *Rodr. tom. 3. q. 23. art. 8. cum suo Compend. resolut. 106. numer. 10. Mirand. tom. 1. quæst. 39. art. 6. Peyrin. de Prælato q. 3. capitulo 7. num. 17.* Non incurritur propter susceptionem ordinum minorũ, quia in ea Bulla fit mentio solum de sacris, *Diana part. 5. tract. 10. de suspens. resol. 30. cum Riccio part. 4. decis. 93. num. 6. Nau. cap. 25. numer. 70. Mirand. cit. ar. 7. concl. 1. Sayr. lib. 4. capit. 14. num. 12.* Neque incurritur, quando quis bona fide, aut ex negligentia, seu ignorantia ordinatur sine literis sui superioris, putans id sibi licere, vel non aduertens id sibi illicitum, quia in Bulla adest verbum, *Presumpserint*, quod importat malitiam, & dolum, ex vulgatis iuribus, sic docent *Compend. resolut. 106. numer. 10. Mirand. art. 6. fine, alios citat Diana parte tertia, resolut. 192. de sacram. & resolution. 32. de suspens. Portel. parte tertia, casu 30. concl. 2.* Ab ea suspensione absoluunt prælati regulare, cum ibi non sit reseruata, seu alias iure priuilegij, & ab irregularitate ob exercitium ordinum prohibitorum incursa, docent *Compend. cit. numer. 26. Portel. ver. ordines sacri numero decimoquarto, quos citat Diana parte quinta, resolution 31. de suspens. Peyrin. de Prælat. quæstion. 3. capitul. 7. numer. 12. Tambur. disputation. 2. qu. 13. num. 11. Lezana cap. 14. num. 21. restringit* ad forum conscientiæ, sed absoluere possunt, & dispensare in vtroque foro, vt alibi de eorum ampla potestate probaui. Suspensio autem non est simpliciter ab executione omnium ordinum, sed tantum illius ordinis male suscepti, quia pœna debet esse proportionata culpæ, & quis puniendus est in eo, in deliquit; & in specie confirmatur ex verbis Bullæ, ibi: *In eisdem ordinibus*, supple male receptis, particula enim, *eisdem*, est relatiua. *leg. ff. filio, §. Testator. ff. de alim. & cib. leg. Rota Romana vol. 4. decisione 455. numero secundo*, referens dictum antecedenter iuxta suam qualitatem. Et ad hoc facit alia suspensionis pœna inflicta contra eos, qui ab Episcopo titulari recipiunt ordines siue maiores, siue minores etiam primam tonsuram sine expresso consensu, & literis dimissoriis sui proprij prælati, pœna autem est suspensio ipso iure ab executione ordinis suscepti, donec suo prælato visum fuerit, *capit. 2. sess. 14.* ibi: *Taliter vero promoti ab executione ordinum sic suscep.* Particula enim *sic*, repetit præcedentia sub vniformi paritate verborum, *Iason consil. 228. lib. 2. numer. 2.* est enim declaratiua modi expressi, *Sarnens. de Triennal. quæstion. 10. numer. 7. Rota Roman vol. 1. decisione 568.* & ad illum præcise restringit *Gratus lib. 2. consil. 106. numer. 52.* Ita docent *Suar. de censur. disp. 31. sect. 1. susp. 6. apud Quar. v. Ordo §. Quod si vera est,* subdentem cum ipso, impediri male ordinatum ab ascensu aliorum, non verò ab exercitio aliorum inferiorum bene susceptorum, alios citat *Diana parte quinta, resol. 35. de suspen. contra quosdam alios, & Bonac. p. 5. §. 1. de suspens. numero secundo, §. Secundo*, dum dicit eam suspensionem, vt colligitur ex Extrau. Sixti V. esse omnium ordinum susceptorum cum repulsione aliorum suscipiendorum; sed Sixtus non ita loquitur habet enim hæc verba. *Eosdem clericos male promotos ab executione, ministerio, & exercitio ordinum susceptorum, & ab omni spe, & facultate ascendendi ad alios*, nam illa particula, *susceptorum*, refertur ad ad malam susceptionem, immò si inspiciantur verba Bullæ Pij II. ingerunt maiorum suspicionem, quæ sunt: *Ad aliquē ex sacris ordinibus se fecerint promoueri à suorum ord. exec. ipso iur. susp. sint*, & tamen ex supra allatis ea verba referuntur ad ordines tantum male susceptos, Quod additur. *Ab omni spe:* non est quid nouum, sed implicite continebatur in Bulla eiusdem Pij, nam cui non licet, quod est minus, neque licere debet, quod est maius, *capitul. Cum illorum de sent. excommunicatione de communi doct. cum Bonac. p. 2. de suspens. n. 7.*

Quinto ordinatus ante debitam ætatem incurrit eamdem suspensionem eisdem modis, & forma, quibus præcedenti quæsito quarto. Iure antiquo ex capit. Vel non est 14. de temp. ord. ordinatus ante legitimam ætatem remanebat suspensus vsque ad tempus præfinitum, & postmodum sine alia absolutione poterat exercere actum sui ordinis, *Sayr. libro sexto, capit. 13. numer. 12. nunc verò, vt dixi ex Bulla Pij II.* indiget absolutione. Ordinatus ante tempus in minoribus nullam incurrit pœnam, idem *Sayr. numero nono*, Neque in maioribus si bona fide defectum ætatis ignorauit, *ex dictis praced. num. 68. Portel. v. ordines sacri num. 13. ex eo Diana resol. 182. de sacram. cum Mirand. Filiuc. & Suar.* Vnde aduertente mala fide si ministrat antequam perueniat ad debitam ætatem irregularitatem non incurrit, quia cum non suspensus, nulla causa assignabilis est, quæ irregularitatem inducat, neque enim irregularitas producit aliam irregularitatem, *ita Peyrin. tom. 1. priuileg. ad constit. 1. Iulij II. §. 16. numer. 29. citans Quar. Mirand. & Nau. quos citat, & sequitur Diana dicta resolutione 182. de sacram.* Peccat tamen mortaliter, vt docent *cum Diana ibidem Villal. omnes, excepto Nau. & Ledesma* putantibus non peccare, ratio est, quia sub eadem lege prohibetur quis exercere actum ordinis ante ætatem, qua prohibetur promoueri ante debitum tempus, prohibito enim

enim antecedente prohibentur consequentia & dependentia ab eodem *arg. l. 1. §. Huius rei ff. de officio eius. Granera consil. 231. n. 1.* ideo enim clericus prohibetur ante assignatam ætatem ascendere ad ordines maiores non tantum, vt illos nun recipiat, verum etiam quia non docet minori ætate constitutum exercere illas functiones, quæ per illos ordines præstantur. Qui bona fide suscepit ante debitam ætatem ordines sacros, cum ad eam peruenerit, nulla absolutione, aut dispensatione eget, sed in illis potest se exercere, quia à sola ætate impediebatur, cuius defectus sublatus, processu temporis impedire non potest exercitium ordinis male suscepti, cum non amplius sit, vt ex Scortia notat supradictus Diana; & qui etiam mala fide eosdem recepit, sublata suspensione per absolutionem, & defectu temporis per aduentum ætatis poterit sine alia dispensatione vti suis ordinibus *ex Gregorio de Valentia cum Sayro lib. 6. cap. 13. num.* 12. Demum religiosus absolui potest ab ea suspensione à suo prælato maiori, quia non est reseruata iuxta dicta præced. numero 67. Ita docent *Portel. in Addit. v. ordines sacri*, qui multum laborat in probando id contra Sorbum; sed ratio optima sit ea, quod non est reseruata, & quia regulares prælati, si sit occulta possunt vti priuilegio Tridentini sess. 24. cap. 6. prout diait resol. 2. num. 19. & 22. si vero sit publica absoluere possunt virtute priuilegiorum, de quibus resol. 3. per totam. Diana resol. 85. de regul. & in irregularitate, si quam contraxerint ministrando contra suspensionem, vt docent præfati, & in terminis de irregularitate contracta in hoc casu *docui resol. 11. q. 5. num. 29. & q. 9. num.* 41. Ordinatus presbiter ante legitimam ætatem cum sacerdote concelebrans non incurrere irregularitatem docent multi *cum Sayr. lib. 4. cap. 16. num. 5. apud Tambur. disp. 3. q. 13. num.* 18. melius Quarant. *v. ordo §. Ampliatio illa. Nota*, ex eo quod prælatus dispensat in irregularitate hac, vel à suspensione absoluit, non ideo dicitur illum facere habilē ad exercitium sui ordinis, à cuius vsu adhuc prohibetur, donec sit completa ætas à iure statuta. Non placet quod ait Portel. distinguendo sub num. 12. duplicem suspensionem, vnam propter defectum ætatis, aliam propter delictum, nam defectus ætatis, cum culpa non sit, suspensionem inducere non potest, sed potius ipsemet defectus est species irregularitatis impediens receptionem ordinis, est ergo vnica suspensio contracta ex eo delicto inflicta à Pio II. in sua Bulla.

Sexto, ordinatus extra tempora iure antiquo, *cap. 2. 8. & 16. de temp. ordin.* erat suspendendus ab exercitio ordinis suscepti, per Bullam aorem Pij II. est ipso iure suspensus ab executione ordinis suscepti. Intellige hanc pœnam iuxta dicta in præcedentibus præsertim sub num. 67. Qui ordines recipiunt extra quatuor tempora ex aliquo priuilegio excipiuntur ab hac pœna, Regulares dicuntur habere hoc priuilegium, *de quo Rodr. tom. 3. q. 23. art. 5. cum suo Compend. resol. 106. num. 7. Portel. num. 4. apud Barbosam ad cap. 8. sess. 23. numero 4. Mirand. tom. 1. q. 38. art. 4.* ait huiusmodi priuilegia ante Clem. VIII. non valere, secus post, Diana resol. 31. de regular. Videant ipsi fundamentum multum fragile fundare de, super certis priuilegiis, contra quos vsus est in contrarium, & Episcopi nullo modo volunt acquiescere.

Septimo, ordinatus interstitiis non seruatis nullam incurrit pœnam, ex communi docui *sub q. 1. n. 14. Portel. part. 3. casu 40. Diana resol. 40. de suspens.*

Octauo, ordinatus per saltum est suspensus ab executione ordinum susceptorum docent omnes ex cap. Vn. de clem. per saltum promoto apud *Barbosam ad cap. 14. sess. 23. num.* 5. Suspensio autem hæc est tantum ab executione ordinis suscepti per saltum. i. ante ordinis inferioris susceptionem, docent *Henr. Riccius, Mar. Alterius apud eundem Barbosam numero 6. Bonac. p. 5. de suspens. §. 2. numero 6. Diana part. 5. resol. 28. de suspens. est communis contra Naldum, & Maiolum.* Cum promotis per saltum, si non ministrauerint, potest Episcopus dispensare ex legitima causa, *ex cap. 14. sess. 23.* quod procedit siue ignoranter, siue scientes fuerint promoti ex *Alterio disp. 10. cap. 5. §. Hoc in loco, & alij.* Ista autem dispensatio in hoc consistit, vt posita absolutione à suspensione, fiat habilis ad recipiendos superiores ordines, receptis prius omissis *ex eodem Mar. Alterio, Riccio, Campanili, & aliis cum Barbosa ad dictum cap. n.* 8. Quod si ministrauerint in ordine per saltum collato, dispensatio spectat ad Papam ex eisdem doctoribus, & clare colligitur ex Tridentino per eam clausulam, *si non ministrauerint*, quæ affirmatiue concepta potestatem restringit, & vnum alterum excludit per ea, quæ habet *Zabar. consil. 68. num. 1.* quod procedit licet delitum sit publicum, quia Consilium absolute id concedit, *Sayr. lib. 4. cap. 14. num. 27. Acugna in Decretum ad dist. 52. cap. 5. num. 13 referente Diana resol. 29. de suspens.* dicit, Episcopum non posse dispensare cum promoto per saltum præcise in hoc, quod taliter promotus ascendat ad superiores, Tridentinum vero non negat quin possit Episcopus dispensare cum, qui publice ministrauit ante dispensationem in male suscepto ordine, vt prætermissum recipiat, & ministret in male suscepto. Sed quia dispensatio indistincte conceditur sub ea conditione, simpliciter etiam est intelligenda, vt non valeat dispensare, si promotus per saltum ministrauit in male suscepto, neq; quo ad inferiorem ordinem prætermissum, neque quo ad superiores recipiendos.

Prælati regulares suos subditos per saltum promotos possunt absoluere à suspensione hac, cum illis dispensando, vt prætermissum ordinem possint recipere, & ad vlteriores ascendere, in tis omnibus casibus in quibus potest Episcopus, valet enim argumentum, à potestate Episcopi ad prælatum regularem, vt pluribus in locis probaui. In terminis casus citat doctores *Tambur. tomo 2. disp. 2. quæstione 13. numero 15. ad 17. Peyrin. de prælato quæstione 3. cap. 7. numero 13. & 14.*

Portellus part. 4. casu 41. numero 3. putat probabiliter eam suspensionem, quam in currit promotus per saltum ad ordines, non habere locum, quando quis saltat inter minores, vel à minori ad maiores, *secundo Nauar. consil. 44. de sent. excom.* qui id multis probat à num. 11. contra alios, qui suspensionem referunt etiam ad minores, qui saltus tam irrationabilis est, & turpis in his, quam in maioribus, ergo si legislator ex turpitudine huius saltus motus fuit ad infligendam illam pœnam, sine dubio voluit illam esse æqualem respectu omnium ordinum; nec obstat maioritas ordinum, quia hæc differentia compensatur cum proportione ordinum ad inoicem secundum executionem suorum actuum, & sic minor est suspensio minorum ordinum, maior vero sacrorum. Id autem decisum referunt *Sayr. lib. 4. cap. 14. num. 26. Campan. & Riccius apud Barbosam ad illud cap. 14. numero 10.*

Nono, recipiens duos ordines e. g. Acolitatum simul cum subdiaconatu, permittitor in minoribus dumtaxat ministrare, non in subdiaconatu, Prælatus tamen regularis, vita, & moribus illius exigente, poterit cum eo dispensare, vt ascendat ad superiores, vt dicitur expresse vtrumque cap. 2. de eo, qui ordines furt. Qui vero eodem die, seu successiue recipit simul duos ordines maiores, remanet suspensus ab executione posterius suscepti, donec Papæ videbitur, *in fine cap. Literas vestras 23. de tempor. ordin.* Ita docent quamplures *cum Bonac. p. 5. de suspens. §. 1. numero 4. alios citat Barbosa ad cap. 13. sess. 23. num.* 15. Si quæ priuilegia habebant regulares sublata sunt per Tridentinum, vt dicitur in fine illius capitis, *Mirand.*

rand. tom.1. q.38. art.5. Rod. tom.3. q.23. art.4. In his autem absoluere, & dispensare potest prælatus regularis ea supradictis. *Diana resol. 36. de suspens.* tenet probabiliter *cum. Suar. & Villalobos*, nullam incurri suspensionem ipso facto, sed prior sententia vtque verior ex citatis textibus tenenda est, nam ea cap. Literas, habemus, eum qui recepit simul duos ordines sacros, debere manere tamdiu suspensum quamdiu videbitur Papæ, quæ verba non ferendam, sed latam pœnam sine dubio arguunt.

Decimo ordinem recipiens in Apostasia, quamuis reconciliatus fuerit suo Abbati, & receperit pœnitentiam non potest ministrare in ordine sic suscepto sine dispensatione Papæ, *cap. fin. de Apost. Vide Peyrin. de Subdito q. 1. cap. 26. §. Dico tertio*; Possunt Prælati regulares cum eo dispensare, vt ibi docet §. *Sed quares. Vide quæ dixi de Apostasia resol. 41. per totam.*

70 Vndecimo, ordinatus sine titulo est suspensus ab executione ordinum susceptorum sine titulo, cap. 1. & 2. dist. 70. quod patet ea verbis Tridentini, cap. 2. sess. 21. ibi: *Antiquorum canonum pœnas super his innouando.* Canones autem de quibus Concilium, sunt supracitati, & cap. Cum secundum 16. de præbend. contra ordinatorem, qui clerico ordinato à se sine titulo compellitur prouidere de necessariis, donec titulũ acquisierit. Docent *Nauar. consil. 14. & 46. de temp. ordin. Suar. de censur. disp. 31. sect. 1. post. num. 35. (Campanil. citati à Barbosa super hoc cap. 2. sess. 21. num. 71. qui seq. n. 72.* quamplures alios citat asserentes contra præcitatos, in Tridentino innouari solum præallegatos canones, & non cap. Cum secundum, & quidem melius, quod colligitur ex illa dictione, *Innouando*, quæ importat renouationem, & reualidationem eius; quod alias anullatum fuit ea Clem. 2. initio, de sepult. ex cap. autem. Cum secundum, videbatur derogatum illis canonibus, ibi: *Licet autem prædecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo titulo promouentur, in iniuriam ordinantium irritas esse voluerint, & inanes, nos tamen benignius agere cupientes, &c.* Benignius autem agere non potuit, nisi indulgendo, vt sic ordinati possent exercere suum munus, ea quo in hoc illis canonibus fuit derogatum. Neque placet, quod communior doctorum sententia relatorum ab eodem Barbosa cit. num. 73. docet, ordinatum sine titulo nullam incurrere pœnam, eo quod dicunt Tridentinum non renouare illos canones pœnam suspensionis continentes contra sic promotos, sed tantum alios canones contra Episcopos ordinantes, qui tenentur alimenta præbere ordinato à se sine titulo, ex *cap. Episcopus, cap. Cum secundum, de præbend. cap. Accepimus, de ætate, & cap. Si Episcopus, de præbend. in 6.* Nam Concilium ibi simpliciter & indistincte renouat pœnas antiquorum canonum, nomine autem antiquorum canonum magis veniunt canones Decreti, quam Decretalium, & horum magis quam Sixti, ergo à fortiori loquitur de illis Decretis; prætetea sacrorum canonum antiquorũ propriissime veniunt, quæ complectuntur Decreto Gratiani, cum inscribantur eo nomine, in Decretalibus vero sub nomine capituli. Deinde pœna contra ordinatores nunquam sublata fuit, sicuti pœna contra ordinatos, vt multi colligunt ex illo capite. Cum secundum, & ex alijs, dum volunt Episcopum teneri prouidere de beneficio, quod cum detur propter officium, *cap. fin. de rescr. in 6.* signum est, illos non caruisse executione sui ordinis post illud tempus, ergo innouatio prædicta potius habet recipere pœnas contra ordinatos, quam ordinatores, de quorum pœnis nulla erat dubitatio. Demum disposita in illo cap. 2. sess. 21. directe tangunt clericos ordinandos, quibus prohibetur accessus ad sacros ordines sine titulo vero, & reali. Vide doctores *pro vtraque parte citatos à Diana part. 1. tract. 16. resol. 5.* qui tenet renouari pœnas solum contra ordinatores, non vero ordinatos sine titulo, quos nullam vult incurrere pœnam, & praxi vocat tutissimam, sed nescio qua ratione, cum ea opinio dicatur tutissima, in qua nullum adest periculum peccandi, qui autem sequitur opinionem asserentem ordinatum sine titulo esse suspensum, procul dubio sequitur opinionem tutissimam, quia hanc sequendo in praxi nullum potest committere peccatum, cuius periculum potest esse in opinione aduersariorum. Quod referunt decisum in Trident. renouari solum pœnas latas contra Episcopos in dicto cap. Cum secundum, vt loco citato refert ea Pistrcio Diana, videtur falsum, & quia nullibi constat pœnam contra Episcopos alias fuisse sublatam; & quia vnica est pœna nimirum prouidere de necessariis ordinato sine titulo; in Tridentino autem renouatio fit pœnarum in plurali, consequenter omnium pœnarum. Denique confirmatur ex constit. Romanus Pontifex Pij V. Decretum Tridentini continere pœnas contra ordinatos sine titulo, nam in ea Summus Pontifex illud decretum de non recipiendis sacris ordinibus sine titulo extendit ad quosdam religiosos, qui licet in communi viuant, nunquam tamen; aut nisi post certum tempus professionem solemnem emittunt, & ordinatos sine titulo vult ipso iure esse suspensos ab executione ordinum susceptorum, subdendo ad nostrum propositum contra ministrantes in susceptis ordinibus contra decretum Tridentini hæc verba. *Quinimmo ministrantes priuilegiis, exemptionibus; immunitatibus, & alijs gratiis clericis concessis omnino priuari, & irregularitatis, aliasque pœnas in dicto decreto contentas eo ipso incurrere.* Sed in decreto Tridentini nulla pœna in specie exprimitur, ergo signum est, ibidem sermonẽ esse de pœnis contra promotos sine titulo renouatis. Adde, quod Diana sibi contrarius est, cum resol. 113. de dub. regul. & resol. 82. de irregul. asserit, religiosum nulliter professum remanere suspensum iure communi, quia ordinatur sine titulo.

Ea dictis corrigo, quæ dixi *cap. 6. de ratif. profess. quæst. 5. §. Secundo, & resol. 8. numer. 32.* in opinione aliorum dixi, nullam extare pœnam contra ordinatos sine titulo, & in Tridentino innouari, cap. cum secundum, & non illos canones, dist. 70. ibi enim hæc mea sum referendo potius aliorum placita.

Duodecimo, religiosus nulliter professus, & hoc sciens sacros recipiens ordines remanet suspensus ab eorum executione; similiter & alij religiosi nondum professi illarum religionum, in quib. non solet fieri professio, tradunt decisum *die 3. Martij* 1595. *coram Blanchetto, & Nicolao Garz. part. 2. de Benef. cap. 5. numer. 12. Sanctar. Riccius, Maiol. cum Barbosa ad cap. 1. sess. 21. numer. 5.* qui volunt Bullam Pij V. quam præcedenti §. Decimo citaui, comprehendere non solum illos religiosos, qui nunquam profitentur, vel tarde, de qua agunt *Bonacina de suspens. quæst. 1. p. 8. seipsum citando de Clausura quæst. 2. p. 10. diff. 5. numer. 4. quem pro hac re citat Diana resol. 82. de irregul. & de dubiis regul resol. 113. Tambur. tom. 2. disp. 2. quæst. 30. numer. 6. & 7. Portel. v. ordines sacri numer. 8. Compend. cum suo Autore resol. 106. numer. 25.* Hæc autem procedunt etiam de nouitiis, quæ sine dubio professi non sunt, sed simpliciter non professi, ad quos etiam extenditur Decretum Concilij, si in professis nulliter, à fortiori in nouitiis, qui nullo contradicente exire possunt, non sic nulliter professi, qui debent reclamare; ab ea autem suspensione absolui possunt à prælatis regularibus, & in irregularitate, si quam contraxerunt, & ad reliquos dispensari possunt, post ratificationem professionis, alias non. Nec obstat reseruatio pœnarum facta à Pio V. quia intelligenda est de illis, qui non profitẽtur, præterquamquod habent priuilegia posteriora in hoc derogatoria illi Bullæ quo ad reseruationẽ.

71 Decimo tertio, qui ordines suscepit furtiue idest sine licentia sui prælati, & sine examine, vt explicat *Glos. cap. 1. de eo qui ordin. furt.* est suspensus ab executione ordinis suscepti, absolui tamen, & dispensa-

ri potest à suo Abbate, vel Episcopo, si clericus secularis erit, vt dicitur ibidem. *Vide Diana resol. 55. de irregul.* vbi eam vocat irregularitatem, *Bonac. p. 5. de suspens. §. 1. num. 12.* vocantem suspensionem, seu potius irregularitatem *q. 3. de irregul. p. 4. num. 6.* Sed est suspensio respectu executionis, irregularitas vero respectu suscipiendorum.

72 Decimoquarto excommunicati recipiendo ordines Ecclesiasticos sunt ipso iure suspensi ab ordine recepto in excommunicatione absque spe dispensationis ad recipiendos vlteriores, *cap. Cum illorum* 32. nisi accedat Papæ indulgentia, *de sent. excom.* subditur tamen in his posse superiores regulares absoluere, & dispensare. *Vide Bonac. p. 5. de suspens. §. 1. num. 10.* vbi de suspensione, *& q. 3. de irregul. p. 4.* vbi de irregular. referentem aliorum opinionem restringentium ad solum ordines maiores, sed textus vritur illis verbis. *Ecclesiasticos ordines* quæ includunt omnes tam maiores, quam minores. Aliqui *cum Silu. Conar.*

73 *Auila, Henr.* has pœnas extendunt ad suspensos, & interdictos, quia suspensi, & interdicti prohibentur exercere actus ordinis sub irregularitatis nota; recipere autem ordines, est exercere actum ordinis, sed cum id falsum sit, quia diuersi actus sunt, probabilior aliorum opinio est asserentium non extendi cum dicto *Bonac. Suar. Sayro,* quia iura expresse loquuntur de excommunicato, ergo de illo tantum intelligenda sunt, cum odiosa non sint extendenda.

74 Scio Sixtum V. in sua incip. Sanctum, & salutare, sub dat. nonis Ianuar. 1588. contra male promotos diuersas inflixisse pœnas, quæ nihilominus multis visa fuit satis rigida, ideo Clem. VIII. in sua incip. Romanum Pontificem, sub dat. 28. Februar. 1595. illam Sixti V. reduxit ad terminos iuris sacrorum canonum, constitutionis Pij II. & dispositionis decretorum Concilij Tridentini, abolendo censuras, & pœnas in ea inflictas, saluis tamen remanentibus pœnis in ea inflictis, contra ordinantes, & ordinatos simoniace, & in Bulla Pij II. & Decretis.

75 Simoniace autem ordinans, & ordinatus etiam ad primam tonsuram variis supponuntur pœnis; & quo ad rem nostram ordinatus simoniace est ipso iure suspensus, cap. Per tuas, cap. penult. de sim. extrau. com. 2. de simon. vbi. additur excommunicatio reseruata Papæ, quæ, pœnæ renouantur in Bulla Sixti V. & præterea ipse eosdem suspendit ab exercitio ordinum susceptorum & remouet ab omni spe, & facultate ascendendi ad vlteriores, & si in eis præsumpserint ministrare esse irregulares, ac priuatos voce actiua, & passiua cum perpetua inhabilitate, & capacitate, sibi absolutionem, & dispensationem reseruando, licet crimen sit occultum. *De excommunicatione plene Bonac. T. V. q. 7. de simon. §. 2. De suspensione vero ibidem §. 6.*

76 Simoniace ordinatus absolui potest ab excommunicatione, & suspensione, & habilitari ad reliquos ordines à prælato suo maiori, docet & probat Portell. v. Prælati potestas numer. 19. non obstante rigorosa constitutione Sixti V. prætereа, quia quo ad hoc illi derogatum fuit per Clem. VIII. Bullam Incip. Ratio pastoralis, sub datum die 20. Decembris 1597. quam communem Minoribus de Obseruantia, Monialibus S. Claræ, & de Tertio ordinibus, per extensum refert Confect. pag. mihi 286. cum clausula ex certa scientia, per quam reualidantur priuilegia à suis prædecessoribus annullata vt probaui resol. 52. de priuileg. numer. 64. & cum amplissima clausula derogatoria derogatoriarum, ex quibus efficacissimis clausulis satis constare potest sufficienter de ga um fuisse Bullæ Sixti V. Sic etiam tenet *Compend. resol. 3. nume 7.* contra suum Autorem *tom. 1. q. 20. art. 13. & Lezanam tom. 1. cap. 18. num. 39. ita etiam Tambur. tom. 2. disp. 14. Vecc...s disp. 9. dub. 13.* teneat posse absolui.

Qu. 25. An Episcopi cogere possint religiosos ordinandos ad iurandum voce, vel scriptis, se professionem validam emisisse, aut alias nullam se ratificasse, antequam illos promoueant ad ordines siue minores, siue maiores; Nam id statutum esse in Concilio Prouinciali V. Mediol. refert. *Gauantus in suo Manuali Episcop. v. ordines maiores numer. 28.* Quod idem ordinauit sanctæ memoriæ Federicus Borromeus post mortem ab omnibus in magna venerarione habitus, *vt refert Diana resol. 82. de irregular.*

77 Respond. Non possunt inducere religiosos ad prædicta, nisi eos expresse constet nulliter esse professos, in quo casu eos reijciunt à promotione. Probatur, Tum quia id extraneum est ab ordinatione, & Episcopus suspicando de illorum professione rationabiliter non se gerit, talis enim quisque præsumendus est, in quali habitu se gerit, *cap. Si iudex 12. §. Iustum est enim, de sent. excom. in 6.* sed religiosus accedens ad ordinationem fert habitum professorum, & cum professis se gerit, ergo præsumendus est professus. Tum quia Episcopus super religiosum nullum aliud ius habet ex decreto Clem. VIII. nisi interrogandi illum super doctrina requisita ad illum ordinem, quem intendit recipere. Tum quia iuramentum non potest legitime deferri nisi à proprio iudice, cum sit actus iurisdictionis *Abb. in cap. Si quis testium, de testib. Aretin. cap. 6. eod. §. Illud.* qui non est exercendus nisi versus proprium subditum, ex vulgaris iuribus, ergo Episcopus cum non sit superior religiosi, nisi quo ad doctrinam, & collationem ordinis, non poterit cogere illum ad sic iurandum.

Quæres 26. An excommunicatio indicta ab Episcopo sub similibus verbis. *Nullus accedat ad ordinationem, qui est à iure prohibitus sub pœna, &c.* quam solent Episcopi promulgare contra ordinandos non habentes requisita, sit latæ sententiæ, an tantum comminatoria?

78 Respond. Bariola. v. Regularis ordinatus pag. 263. in suis Aphorismis, eam excommunicationem, esse solum comminatoriam, vt videre est in Pontificali recognito iussu Clem. VIII.

Quæres 27. An ordinatus teneatur recitare officia, Missas, & alias precationes ab Episcopo impositas in ordinatione? *Sotus & Valent. apud Dianam res. 20. part. prima tract. 12. de Horis canon.* putant illud esse debitum honestatis, & sic eorum omissionem esse solum veniale.

79 Respond. Tenetur sub mortali, cum huiusmodi impositio pendet ex præcepto in materia graui. Et ita fere omnes tenent *cum Diana loco citato, Villal. Laym. Suar. Azor. Palud. Nauar. Less. & alij, quos pro se citat Bonac. disp. 1. de Horis canon. quæst. 2. p. 3. num. 2.*

Quæres 28. An quis peracta professione statim possit recipere ordines quoscumque.

80 Respond. Vnusquisque sui ordinis statuta inspiciat. Iure communi nihil in contrarium, neque ea statutis, vel Regula mei ordinis aliquid in contrarium, & ita nihil obstare asserit *Bertius in sua praxi ex tom. 4. Redr. tit. 1. cap. 2. n. 11.*

81 Quæres 29. Quando dubitatur, an religiosus corpore vitiatus possit promoueri ad ordines, ad quem spectet ferre iudicium, ad Episcopum ne, an ad Prælatum regularem licentiantem? *Dixi resol. 11. de dispens. irregul. numer. 18.* spectare ad prælatum regularem, & per totam illam resolutionem prælatos regulares posse virtute suorum priuilegiorum dispensare in omnibus fere irregularitatibus. Sed quoniam scitum Dei proprium est immurabilitas, ita & hominis mirabilitas, ideo his appono animaduersionem, iuxta quam nunc placet immorare ita dicta & vbicumque egi de dispensatione in ordine ad recipi-

pien-

piendos ordines, quo ad vitiatos corpore.

Non possunt negare Sixtum IV. in suo Marimagno expresse concedere prælatis regularibus facultatem dispẽsandi in omnibus fere irregularitatibus, cuius verba retuli eadem resol. 11.q.1.& eam hactenus simpliciter reuocatam non fuisse, cum de reuocatione non constet, nihilominus quia quandoque priuilegia non solum reuocatione cessant, verum etiam tempore, loco, & causis variantur, & mutantur, *cap. Quia sancta 28. dist. 63.§. Verum quia* mihi placet distinguere triplicem vsum huiusmodi priuilegij dispensandi in irregularitatibus. Primus est in ordine ad officia, & prælaturas in religione. Secundus est in ordine ad exercendas functiones ordinum susceptorum. Et in his duobus remaneant firma, quæ dixi de facultate dispensandi in resol. 10. 11. 12. & sequentibus. Tertius vsus est in ordine ad recipiendos ordines, & respectu huius probabilius puto hisce nostris temporibus priuilegia abiisse in disuetudinem, & nullius nunc esse momenti propter rationes adducendas. Primo, quia de illa dispensatione habilitante ad ordinum promotionem legitur solum in Marimagno, & à subsequentibus Pontificibus nihil in specie dictum fuit, quod videtur aliquale signum non amplius vigere dispensationem quo ad hoc. Secundo in multis aliis priuilegiis fit mentio de dispensatione ad officia, & exercitium ordinum susceptorum, & non ad promotionem eorumdem. Tertio, Episcopi nequaquam volunt admittere huiusmodi dispensationes habilitantes irregulares religiosos ad promotionem ergo saltem ex hac negatiua nullius amodo sunt momenti. Quarto, in priuilegiis amplissimis Iubileorum etiam Vniuersalium excipiuntur irregularitates omnes. Quinto aliàs religiosi quo ad ordines nulli particulari Episcopo erant subiecti, ex quo mirum non est, si eorum prælati dispensabant cum illis habilitando ad promotionem ordinum, modo cum subiecti sint proprio Episcopo, in cuius diæcesi morantur, licet inferre eidem etiam esse subditos quo ad hanc dispensationem, & rationabiliter quando potest dispensare, vt cum quiete animi, & bona consciantia præuidere possit, an religiosus habilis sit ad promotionem. De hac re vide *Tambur.tom.2.disp.17.q.4.vbi cum Suar.disp.51.de censur.sect.2 num.10. Molin. disp.70. tom.4.num.19. Sayr. lib. 6. cap. 8. num. 16. Filliuc.tract.19.cap.6. num. 180. Regin. lib.30.num.46.& 59.* cum aliis asserunt nullum præter summum Pontificem dispensare posse cum corpore vitiatis.

Quæres 30. An in sacris constituti teneantur continere ab omnibus actibus venereis ex vi voti, an solum ex præcepto Ecclesiastico, ita quod si aliqui ordinentur cum *ex* formali intentione non se obligandi sub ratione voti, sed tantum præcepti Ecclesiastici, si non se contineant, violent tantum præceptum, & non votum, & consequenter nullum incurrant sacrilegium, sed tantum peccent contra virtutem castatis, vt faciunt alij qui nullum habent votum se continendi à venereis; Certum autem est ab ineunte Ecclesia vsum coniugij non fuisse interdictum ab Ecclesia, sed postmodum, & primo in Ecclesia Romana, & occidentali, demum in orientali *ex c. Aliter 13. dist. 23. in qua dist. & sequẽti* de hac re fuse tractatur, & præceptum continentiæ ab vxoribus in ordinibus sacris constitutis videtur primo introductum fuisse in Concilio primo Carthaginensi celebrato ann. 332. de quo *in cap. Placuit. 13. dist. 32.* & confirmatum in eodem Concilio secundo de anno 396. *ex cap. cum in præterito 3. cap. Cum de 4. dist.84* Ex quibus patet continentiam non iure diuino, sed Ecclesiastico tantum esse annexam ordini sacro, vt pluribus probat *Sanch. lib.7.de matrim.disp.27.per totam.*

82 Respond. ordinatus in sacris, qui penitus ignorauit annexum castitatis votum, adhuc tenetur se continere ex vi voti, alias transgressor existens peccat mortaliter peccato sacrilegij contra votum. Qui vero sciens huiusmodi obligationem ordini sacro esse coniunctam, & illam omnino respuit nolendo se obligare ex voto, transgressor existens post susceptum ordinem non peccat contra votum, sed tantum contra Ecclesiæ interdictum ex motiuo virtutis castitatis, & ideo ex hoc capite sacrilegium non committit, peccat tamen mortaliter recipiendo ordinem cum tali voluntate non vouendi iuxta Ecclesiæ decretum, cum deficiat in re grauissima.

Primum suadetur, quia volens recipere ordines intendit velle facere quod vult, & ordinat Ecclesia, quæ præcipit, vt in receptione ordinis sacri voueat castitatem, consequenter ignorans hanc obligationem receptione ordinis tacite vouet continentiam. Confirmatur, quia qui vult antecedens, vult etiam efficaciter annexa illi, ex vulgatis iuribus. Sic docent *Azor. lib.13.cap.14.q.10. Cardin. & Imola in cap. Cum olim de cler. coniug. & ex aliis Sanch.lib. 7. disp.27. num.11.* contra opinionem *Vincentij & Gofredi in cit. cap. Cum olim. Abbas, Monald. Rosella*, & *Silu.* asserentium teneri ex solo ecclesiæ præcepto.

83 Secundum, illum, qui obligationem voti reiicit in ordinatione, teneri solum ex decreto ecclesiæ, probatur, quia votum est talis conditionis, vt neminem obliget, nisi qui in illum saltem tacite consentit, est enim essentialiter voluntaria promissio, & quædam lex priuata, cui nullus subiicitur nisi voluntarie, ergo qui illud formaliter, & directe respuit, ad illud idem nullatenus tenetur. *Ita docent Sanch.lib. 7. disp.27.num.12.vbi. citat Palud.in 4. dist 37.q.1.art.2. cum aliis multis, cum quibus est Bonac.p 1 de voto nu .8.* contra opinionem aliorum asserentiũ teneri, sed illos vide; iam enim est quæstio trita, & vulgata.

Dubitabis hic, an sic ordinatus, reiecto castitatis voto, teneatur illud emittere promittendo Deo, se velle continere iuxta ecclesiæ mandatum. Videtur quod non, quia hoc præceptum vouendi habet locum solum ante susceptionem ordinis, *c. Nullum 1. dist. 28.* ibi: *Nullus ad ministerium altaris accedere debet, nisi cuius castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata, cap. Præterea placuit, vt deinceps non ordinentur diaconi coniugati, nisi qui prius conuersionis proposito confessi fuerint castitatem.*

84 Respond. Qui respuit castitatis votum in susceptione ordinum, postea tenetur illud emittere promouendo in statu clericali cum simili obligatione more aliorum clericorum. Probatur, Tum quia inualide professus si vult remanere in statu regulari tenetur nullã professionem ratificare, vt probaui e.6.de profess.ratif.q.3. Tũ quia si aliquid omittatur in ordinatione suppleri debet, *per doct. in cap. Presbiter, de sacram. non iter. Silu. v. ordo.2.num.10.* ergo pariter ordinatus supplere debet votũ castitatis cũ ordini sit adnexum. Tũ quia malefacta emendanda sunt, *arg. cap.19. de off. ordin. vbi glosa v.* Per te ipsum ex Auth. de nuptiis refert dictum imperatoris. *Non enim erubescimus corrigere, quæ prius diximus, nec ab aliis corrigi expectare volumus.* Nec obstant adducti canones in contrarium, in quibus designatur ordo temporis ad vouendum, non vero præfinitur obligatio vouendi, sicut in receptione ordinum statuitur tempus, non tamen restringitur obligatio, quin teneatur ordinatus per saltum recipere ordinem omissum.

Quæres 31. An nouitius recedens voluntarie, vel à religione reiectus tamquam inutilis, vel quia noluit præcise eum admittere ad profitendum, fiat irregularis, & inhabilis ad ordines recipiendos in seculo?

85 Respond. Negatiue, sed potest recipere ordines quoscunque, si illud non obstet impedimentum, *capit. Postulasti 21. de regular.* ita docet *Riccius. lib. 8. de iure eorum, qui sunt extra. cap. 2. num. 2.*

Quæres 32. Vtrum ordo Ecclesiasticus sit de essentia religionis, ita vt aliqua institui non possit sine ordine?

86 Respond. Ordo non est de essentia religionis, sed sine ordinibus consistere potest religio. Probatur, quia religio est status perfectionis, ad quem requiritur, & sufficit professio obedientiæ, castitatis, & paupertatis in aliquo ordine à sede Apostolica approbato, vt probatur *ex D. Thom. 2. 2. q. 186. per totam, & q. 189. art. 8. ad 2.* dicit, ordinem per accidens esse statui religioso, quod late probat *Gabriel. Penottus Canon. Regul. in sui ordinis præsertim cap. 5. lib. 1. & sequent.*

Quæres 33. An qui dubitat de ætate requisita ad ordines, possit nihilominus recipere ordines? sicut & ille, cui deest semihora, seu quadrans?

87 Respond. Dubitans de ætate non potest promoueri, quia possessio stat pro præcepto, cum ætas requisita sit determinata, consequenter illa est expectanda. *Ita Sanch. lib. 2. disp. 41. num. 38. ex eo Portel. v. Ordines sacri, in Addit. numer. 2.* Item ille, cui deest e. g. semihora ad incipiendum annus vigesimus secundus ad Subdiaconatum, annus vigesimus tertius ad Diaconatum, annus vigesimus quintus ad presbiteratum, non potest recipere illos ordines, quia Concilium sess. 21. cap. 12. prohibet, nequis clericus ordinetur ante illud tempus assignatum, ergo necesse est tangere de anno præfixo, aliter non dicitur cœptus annus, nisi saltem de illo assignari possit ad minus quadrans, vel quid modicum principij anni à lege determinati, annus enim hic Mathematice, & naturaliter sumitur. Ita docet *Nauar. consil. 9. de tempor. ordin. & Villalobos, quos citat Diana part. 1. tract. 16. resol. 29.*

Quæres 34 An laborantes morbo caduco sint irregulares tam quo ad promotionem, quam quo ad executionem ordinum susceptorum, & quomodo cum illis Prælatus regularis possit dispensare? Morbo autem isto laborantes solent cadendo rogitum emittere

88 eo quod venis stipatis flatum emittere non valent, & spumas edunt ex ore, in causa existente nimia vehementia pulmonis se mouentis ob aspirationem, Ita ex medicis refert *Sayr. lib. 6. cap. 9. num. 11.*

89 Respond. Laborantes hoc morbo promoueri non possunt ad ordines; in susceptis vero ministrare dispensari possunt ab Episcopo, si Dei misericordia conualuerint, aut non frequenter hoc morbo agitantur, sunt tamen prius probandi spatio triginta dierum, ex cap. 1. & 2. quæst. 2. antequam autem dispenset superior debet medicorum adhibere consilium, & ordinare, vt aliquis sacerdos ieiunus assistat, vt si casu caderet, possit perficere missam, *cap. Illud, cap. Nihil 7. quæst. 1.* Ita docent fere omnes cum *Sayr. loco citato,* qui dicit ex communi tempus expectandum, quo iudicentur liberi esse arbitrarium. *Bonac. q. 2. p. 2. de irregul. numer. 22.* illum dicit raro cadere, qui semel in mense cadit, & hunc posse cum socio assistente celebrare; addit *Nauar. cap. 27. num 203.* non posse celebrare licet raro cadat, quando spumas emittit, sed id non colligitur ex citatis textibus cum cadentes ex hoc morbo semper spument ex allatis initio. Dixi posse dispensari ab Episcopo intellige clericos seculares, nam regulares dispensare spectat ad prælatos regulares Prouincialem, seu Generalem adhibitis supradictis cautelis, nam in hoc tantum potestatem habent, quantum Episcopi pro bono regimine, & vtilitate monasterij, & suorum subditorum, licet quo ad promotionem neque etiam Episcopus, spectat enim ad Papam.

Quæres 35. An à dæmone vexati, & energumeni sint irregulares quo ad receptionem ordinum, & eorum executionem? & an prælatus regularis possit cum istis dispensare?

90 Respond. Energumenos non potest promoueri; & promotus est perpetuo suspensus ab executione ordinum susceptorum, *cap. Maritum cap. Communiter, cap. Clerici distinct. 33.* Ita omnes *cum Sayr. lib. 6. cap. 9. numer. 14. Bonac. quæst. 2. de irregul. p. 2. num. 24.* Qui vero post ordines susceptos fit energumenus, si per annum non apparet fuisse vexatus, adhibito medici, & aliorum consilio poterit dispensari à suo superiore, vt exerceat actus sui ordinis assistente sibi socio per aliquot dies, dum est celebraturus. Hæc autem differentia de energumenis ante promotionem perpetuo irregularibus, & effectis post ordines susceptos dispensandis in eorum exercitio clare colligitur ex citatis capitibus. Prouincialis ergo habita fide prioris localis cum sua familia aliquem sacerdotem alias energumenum per annum non apparere vexatum à dæmone, cum medici consilio poterit illum dispensare, ad celebrandum assistente sibi aliquo sacerdote ieiuno per aliquot dies, vt si aliquo casu discooperiretur immundus spiritus, assistens sacerdos potest prosequi missam post consecrationem.

Quæres 35. An summus Pontifex de plenitudine suæ potestatis solo verbo e. g. *Esto diaconus, vel sacerdos,* clericus sit valide ordinatus? Suppono autem clericum nullam tangere materiam sed à Papa sibi dici illa verba cum intentione ordinandi illum.

91 Respond. Non est ordinatus, quia hoc sacramentum ordinis conficitur essentialiter, & substantialiter ex materia, & forma, sicut efficiuntur reliqua; modo deest materia, quam Papa de plenitudine suæ potestatis supplere non potest, cum non sit iure Ecclesiastico, sed tantum diuino inducta, ergo nullum est sacramentum, neque ordo, cum desit illi pars essentialis. Confirmatur, quia tunc fit sacram. cum materia, & forma moraliter vniuntur, sed in casu nostro non possunt vniri defectu materiæ non existentis, ergo non potest fieri sacramentum ordinis. Demum illa verba non solum formaliter, sed neque virtualiter continent substantialem sensum formæ, quæ applicatur materiæ huius sacramenti, consequenter ex nullo capite fit ordo.

Quæres 36. An Petrus testibus conuictus de incendio proprij fænilis, super quo extabant pabula bestiarum in magna quantitate possit promoueri ad sacros ordines?

92 Respond. Si aliud non obstet, promoueri potest, quia ex illo incendio nullam contraxit censuram, aut infamiam, quæ sunt canonica impedimenta ad recipiendos ordines. De censura excommunicationis probatur, quia hæc in iure communi non inuenitur expressa, nisi contra incendiarios Ecclesiarum, *cap. Canonica 105. 11. q. 3. cap. Omnes 4. 17. q. 4. cap. Conquesti 22. de sent. excom.* vbi dicitur, istos post denun-

93 tiationem non posse absolui nisi à summo Pontifice, vt etiam dicitur, *cap. Tua nos 19. eod. vbi glosa v. Publicati,* quod soli incendiarij Ecclesiarum, & Religiosorum locorum sunt excommunicati, aliorum vero locorum, vel rerum non sunt excommunicati, sed excommunicandi, *cap. Pessimam 31. 23. q. 8.* vbi dicitur, quod carent sepultura Ecclesiastica, intellige nondum absoluti, & parte satisfacta. Quod autem incendiarij non sint excommunicati docent *Angel. Excom. 5. casu 5. Tabien. ibid. casu 7. Sylu. 7. n. 13. §. septima, Pisanella n. 4.* Quod neque etiam incendiarij Ecclesiarum docent *Caiet. Excom. cap. 22. Nauar. cap. 27. num. 94. quos pro se citat Sayr. lib. 3. cap. 29. numer. 8. Gherius in Thesauro anima v. Incendiarij;* nec obstat, quod in cap. Pessimam cit. dicitur, quod incendiarij excommunicentur, quia id intelligitur in ordine ad contumaces, qui nolunt satisfacere.

94 De infamia, quæ non contrahitur ex incendio, constat ex eo quod hæc nullo iure exprimitur, nam de illa nulla fit mentio *in cap. constituimus q. 3 q. 5. cap. Infames 57. 6. q. 1.* neque in legibus ciuilibus. Nec dicas factum ipsum notorium infamare, quia hoc non sufficit, sed præterea requiritur, vt ipsum crimen in iure exprimatur inducere infamiam, secundum. *Suar.*

Filline. Tolet. & alias, quos retuli resol 56. num 41. Ex quibus deducitur responsio *ad cap. Tantis Daniel. 3. distinct. 81. cap. fin. de temp. ordin. cap. Omnipotens Deus 4. de accusat.* in quibus locis criminosus repellitur à promotione ordinum, & dignitatum; nam prædicta intelligenda sunt de criminosis notariis illorum delictorum, quibus à iure irrogatur infamia.

Quæres 37. Petrus in minoribus constitutus ordinibus, clericatum coram ordinario suo deposuit, transeundo ad statum laicalem, in quo statu post aliquot menses nonnulla perpetrauit delicta, de quibus accusatus fuit, informationibus acceptis à iudice per legitimos testes. Quo stante dum processus formabatur, de licentia Episcopi, apud quem Ignorabatur delictum, iterum resumpsit habitum clericalem, quæres, inquà, an huiusmodi resumptio dicatur facta in fraudem iudicis, quod non obstante habitu clericali possit ab illo citari ad se defendendum, & non comparens condemnari possit?

95 Respond. Assumptio habitus clericalis tunc dicitur facta in fraudem legis, & ad declinandum forum iudicis laici primo, quando post illius renunciationem coram superiore factam in breui resumitur e. g. intra vnum, vel alterum mensem, tam enim subita mutatio sui ipsius videtur fraudulenta, & non ex vero motiuo inseruiendi Deo in statu clericali, cui paulo ante renuntiauerat. Secundo, quando post perpetratum crimen statim sumit, vel resumit habitum, nam receptio huiusmodi præsumitur proxime, & principaliter causata a delicto, cuius pœnam vt effugiat delinquens, assumptione habitus clericalis intendit declinare iudicium laicale, actus enim immediate subsequens videtur factus ex præcedenti causa. *l. Quædam C. de rei vendic. cum doctoribus*, quos in re hac contra nouitios retuli *resol. 54. num. 129. Bonac. disp. 10. de leg. quæst. 2. p. 1. §. 1. num. 17.* E contra vero fraus non præsumitur in receptione habitus post perpetratum crimen primo, quando intuitu alicuius beneficij assumit habitum, patet enim huius causam non esse delictum, vt effugiat iudicium laicale, sed beneficium, quod vt obtineat fit clericus; secundo quando licet non habeat causam beneficij statim tamen in primis temporibus petit ordinem Subdiaconatus vt solet fieri, quod si non ordinatur ea sua negligentia præsumitur potius fraus, quam legitima habitus assumptio, sicut præsumeretur fraus in illo, qui fere nihil sciret legere, dicitur enim ineptus ad ordines sacros.

96 Quando igitur laicus post perpetratum crimen assumit habitum in fraudem fori cum intentione subtrahendi se ab illius iudicio, adhuc puniri potest à iudice laico, ita docent *Molina tom. 4. inst. tract. 3. disp. 49. numer. 21. Ambrosin. cap. 19. de immun. numer. 5. Menoch. lib. 6. de præsumpt. quæst. 76. numer. 35. Gutier. lib. 1. practic. quæst. 5. Ceuallos tract. de cognit. per viam violent. part. 2. quæst. 44. numer. 7.* intellige non quo ad corporalem pœnam, sed quo ad pœnam bonorum, *Belletus part. 1. Disquis. Clerical. tit. 3. §. 4. numer. 3.* citando duodecim doctores, *Cenedo in Collect. iur. can. part. 1. coll. 3. numer. 13. cum aliis apud Molinam citatum, quos citat Diana part. 1. resol. 26. de immun. Eccles.*

97 Genuensis in praxi Neapol. *cap. 8. & Bonac. disp. 10. de legib. p. 2. p. 1. §. numer. 16.* Asserunt, clericum nulla ratione neque in persona, neque in rebus puniri posse à laico iudice, licet in statu laicali debitum perpetrauit, probat ille, quia delinquens post perpetratum crimen fugiens ad Ecclesiam animo fraudandi curiam, gaudet immunitate, ergo à fortiori ille, qui se totum Deo dicat, per assumptionem habitus. Dici potest quod de illa immunitate constat, de hac vero non, sed dubia valde est, & præsumi potest fraudulenta, quæ à iure non permittitur, cum fraus nemini debeat patrocinari, & non subsit causa, quæ reperitur in immunitate Ecclesiæ, qui fauor à iure conceditur non intuitu personæ delinquentis, sed pro honore, & reuerentia exhibendis loci sacris. Probat Bonac. Quia vtitur iure suo, & sic nulli facit fraudem. Dico non habere ius assumendi statum clericalem, quia criminosi non admittuntur *dist. 23. 24. & 25. præcipue cap. Si quis 7. dist. 24.* & tradit Tridentinum sess. 23. cap. 5. neminem recipiendum, nisi prius inquiratur de vita, & moribus; ea quo Episcopus comperiens aliquem esse criminosum, & iudicio laicali obnoxium, hunc sine dubio non acceptabit ad statum clericalem, nisi cum iniuria iudicis laicalis. Et quamuis quo ad personam suam non sit subiectus iudici laico, nisi postquam ab ordinario declaratum fuerit, in fraudem assumpsisse habitum, & non animo perseuerandi, & recipiendi ordines sacros, tamen est subditus ratione rerum, respectu quarum puniri potest. Addit ibi Bonac. de communi tunc puniri posset, quando habitum assumpsit non animo perseuerandi in statu clericali; quia in isto can. assumpsit hunc statum in fraudem iudicis.

98 An prædicta locum habeant respectu nouitiorum? Respondi Resol. 54. num. 127. nouitium criminosum nullo modo personaliter puniri posse; vtique vero realiter, si ingressus fuit in fraudem, præsumitur autem ingressus fraudulentus, quando laicus ingreditur statim post crimen commissum, vel post cœptum processum contra ipsum; excluditur autem præsumptio fraudis primo, si nouitius recipiat ordines etiam minores; secundo si disponit de suis bonis maxime per contractum donationis; tertio si habebat votum ingrediendi, *Rodr. tom. 3. q. 10. art. 8.* dicit probari solo iuramento, quod non placet *Portella v. nouitius num. 17.* quia talis non videtur mens Papæ, & multi falso possent iurare se habere hoc votum, meo tamen iudicio excludit fraudem, si probari possit saltem aliquo teste dicente, se ante perpetratum crimen audiuisse de tali voto loquentem illum, qui postea religionem ingressus fuit. Parum autem refert si admittatur etiam ad statum conuersorum, quia conuersi nouitij eodem gaudent priuilegio, quo clerici. Demum minor fraus, seu non ita facile præsumenda est fraus in ingrediente religionem, sicut in assumente habitum clericalem, nam clericus modo cum habitu clericali, modo cum laicali incedere potest, non impediente verecundia, sicut in nouitio erubescente si recedat à religione; deinde nouitius post annum per professionem ita se constituit in statu religioso, vt ab eo se reuocare non possit, sicuti clericus secularis, qui à nullo cogitur remanere in eo statu, neque recipere ordinem sacrum, ratione cuius se constituat irreuocabiliter in statu clericali, intellige nisi cogatur Initiari propter aliquod beneficium.

Quæres 38. An Abbas exemptus Nullius Episcopus titularis possit suis subditis conferre ordines etiam maiores?

99 Respond. Ex eo præcise quod est Episcopus titularis non potest ordines maiores sine licentia Episcopi diœcesani conferre etiam aliis suis subditis, ratio est, quia vt Abbas præcise illos conferre non potest, vt notum ex Tridentino sess. 23. cap. 10. & ex traditis supra q. 14. neque vt Episcopus titularis, quia, vt talis caret subditis, neque enim vt Episcopus habet sibi subditas personas, quæ eidem vt Abbati subduntur, cum non dicatur Episcopus loci nullius, vbi est Abbas, sed alterius loci, & ciuitatis, vbi non potest residere, quia occupatur à paganis, seu hæreticis, & aliis Christiani nominis inimicis. Confirmatur, quia Episcopi titulares licet non careant potestate cōferendi ordines quoscumque illos tamen actu conferre non possunt, nisi de licentia expressa Episcopi diœcesani, sess. 6. c. 5. Abbas autem præfatus licet nullius est pure Episcopus titularis, ergo exercere non potest pontificalia sine licentia Episcopi diœcesani, intra cuius fines habet

suam Abbatiam vt etiam colligitur ex eodem *capite 10. sess. 23.*

Quæres 39. An Episcopus ordinaturus possit examinare extraneum clericum etiam secularem ad se transmissum cum literis dimissoriis fidem facientibus de omnibus requisitis, etiam de sufficientia scientiæ requisitæ ad ordinem suscipiendum à clerico?

Respond. Episcopo ordinaturo non est prohibitum examinare ordinandum extraneum ad se transmissum, de scientia, si velit ratio est, quia cuius est imponere manus, eius quoque est examinare personam, cap. Venerabili, de elect. Neque obstat cap. 3. sess. 23. in quo disponitur, quod ab extraneis Episcopis non ordinentur clerici, nisi fuerint prius probati, examinati à proprio Episcopo, quia per hoc non interdicitur Episcopo ordinaturo proprium examen, id quod in terminis videtur docere *Piasecius in praxi Episc. part. 1. cap. 1. numer. 12. & ex eo Barbosa ad dictam cap. numer. 1.* Videant tamen Episcopi, quid agant quia proprijs ordinandorum Episcopo, seu Vicario eius videntur parum deferre, qui eisdem vicem rependere possunt.

RESOLVTIO LXVIII.

De Potestate Episcopi respectu Regularium.

SVMMARIVM.

1. *Carcerare non potest regulares delinquentes secretè.*
2. *Conditiones quatuor ad hoc requiruntur.*
3. *Fornicatio ex se nunquam delictum notorium.*
4. *Fornicatio adnexam habet magnam verecundiam.*
5. *Notorium quid sit?*
6. *Carceratio consuetudine induci non potest contra regulares.*
7. *Certior iuridice faciendus est Episcopus de punitione.*
8. *Delinquens in Ecclesia subditur Episcopo.*
9. *Ecclesia intra claustra claustrum est.*
10. *Censuris quomodo ligandi non accedentes ad processionem 19.*
11. *Superiores tantum ligandi sunt.*
12. *Excommunicari non potest conuentus.*
13. *Excommunicari non potest vnus pro alio.*
14. *Suspendi non potest conuentus hic.*
15. *Suspensio supponit peccatum mortale.*
16. *Confessarios omnes simul suspendere non potest.*
17. *Interdici non potest conuentus hic.*
18. *Interdictum supponit grauissimam causam.*
19. *Censura cadit super superiores, supra num. 10.*
20. *Confraternitates quomodo coguntur ad processiones.*
21. *Processiones in Ecclesiis regularium conuocare non potest.*
22. *Sacerdotes simplices non coguntur ad processiones.*
23. *Campanas in proprijs Ecclesiis tantum consecrant.*
24. *Episcopi tamen non puniunt consecrantes extra.*
25. *Subditi tantum comprehenduntur sub cap. 14. sess. 25.*
26. *Delinquens intra claustra aliena non subditur dicto cap. 14.*
27. *Religiosus punitur à prælato claustri vbi deliquit.*
28. *Territorium dicuntur habere prælati regulares.*
29. *Claustri nomine quid veniat in dicto cap. 14 sess. 25.*
30. *[illegible]dens clericus in conuentu non incurrit censuram.*
31. *Absolui non potest intra claustra excommunicatus ab Episcopo.*
32. *Confessarius non limitandus locus nec personarum [illegible]enus.*
33. *Ægrotantes audire [n]on possunt prohiberi.*
34. *Iuramentum exto[r]quere non potest Episcopus à religiosis.*
35. *Episcopus cogit regulares restituere accepta à nouitio in probatione recedens.*
36. *Confraternitates in quo subijciantur Episcopis.*
37. *Benedicere, & reconciliare Ecclesias non potest innitis Abbatibus.*
38. *Benedicunt, & reconciliant prælati regulares.*
39. *Processiones, quæ dicantur publicæ.*
40. *Abbas non tenetur ad eas, quæ fiunt ad instantiam secularium.*
41. *Vrbanitatis factum non inducit obligationem.*
42. *Synodus confirmata à Papa non ideo ligat regulares.*
43. *Ægrotis confessarius debet admonere per infirmarios parochum, & medicum.*
44. *Omittens admonitionem non punitur ab Episcopo.*
45. *Elapso tempore approbationis data absolutio nulla est.*
46. *Processioni synodali Regulares non tenetur.*
47. *Accedunt ad processiones licet absit Episcopus.*

De hac materia fuse egi in primo tomo Res. 7. de exemptione, & subiectione odiosa regularium Episcopis, & Res. 16. de potestate gratiosa eiusdem pro eisdem. Sed quia amplissima est, persæpe diuersi, & difficiles casus occurrunt, ideo præsentem proposui resolutionem compositam ex sequentibus casibus in subiectis quæstionibus resoluendis.

Quæres igitur 1. An Episcopus in sequenti casu potuerit legitime præcipere capturam contra quemdam religiosum, qui stimulo carnis vexatus secessit extra vrbem ad diuersorium, prætextu iter agendi quasi aduena, ibidem concubuit cum fœmina, cum qua ante hoc turpe pactum inierat inueniendi se se ambos in loco indicto, vt commodius, & secretius possent explere libidinem, seu potius augere, hoc enim vitium eius est conditionis, vt quo plus quis illi se dedit, eo magis se ad illud inflâmet, è contra, quanto magis quis à venereis se abstinet, tanto plus decrescit desiderium inordinatum. Casus ergo supponit nullum adesse scandalum saltem notorium, immo simpliciter nullum, similes enim gentes, quæ de omni genere, vt aiunt, personarum hospitio recipiunt non scandalizantur, immo quandoque fœminas mercenarias exponunt; offerunt volentibus emere.

Respond. Non potuit Episcopus dare tale mandatum, probatur, quia si habet ius carcerandi religiosum, & puniendi maxime virtute decreti Tridentini, cap. 4. sess. 23. Sed ex illo capite Episcopus non habet ius nisi quatuor concurrentibus. Primo, requiritur, vt delictum sit perpetratum extra claustra: Secundo, vt illud sit notorium: Tertio, vt sit scandalosum; Quarto, vt delinquens non fuerit punitus a prælato regulari instante Episcopo. Ita dicunt omnes, qui de hac re tractant, *quos citaui resol. 7. quæst. 9. quib. adde Tamb. tom. 3 disp. 5. q. 11. n. 62. & seq. Peyrin. Formul. lit. P. cap. 7.* Quamuis autem in casu præsenti adsit primum requisitum, deficit tamen in reliquis, in secundo quidem, quia delictum fornicationis notorie non perpetrauit, neque proxime, neque remote, quia illa fœmina alias abusus non fuit, consequenter cum defuerit practica, & frequentia ad eam, nulla potuit generari in hoc facto notorietas, in hoc enim genere criminis notorietas non potest habere locum immediate, & proxime, sed tantum remote, & ex circumstantiis consuetudinis, & frequentiæ, cum nequaquam publice committi soleat delictum luxuriæ, inuoluit enim propter eius fœditatem magnam verecundiam, ex quo etiam insani, & mente non integri in eius perpetratione se in abditis recondunt latibulis, meretrices enim in fornicibus solebant se prostrare, à quib. Etimologiæ nomen accepit luxuria, & fornicatio. Confirmatur, quia illud dicitur notorie factum, quod fit multis videntibus & illud tale dicitur, quod maior pars populi, viciniæ, collegij, &c. euidenter scit, *Nau. cap. 15. n. 75. & ex eo Portel. p. 1. casu 6. n. 4.* inferatur ex ipso illud dici notorium,

notorium, quod factum fuit ad minus coram sex personis; neque sola fama facit notorium, *ex cap. Lasinnagam 13. de simon. Rota Rom. in Nouiss. vol. decis. 523. n. 3.* De hac notorietate *dixi supra cit. res. 7. q. 9. §. Tertia.* Ex his deducitur defectus tertiæ conditionis, quæ exigit, vt delictum perpetratum ita notorium sit, vt generet scandalum, neque enim in casu nostro potest cadere scandalum in populo, cum delictum vti occultum ignoret; Demum cum omnino desit quarta conditio, quia hic nulla est negligentia prælati, neque Episcopi instantia, concludendum est Episcopum tale mandatum dare non potuisse, & egisse contra iustitiam infamando religionem, & religiosum, cum adhuc ius haberet ad suam famam, delinquendo, qua maiori potuerit cautione, & secretudine. Audio satellites manu tenere exploratores ad hunc effectum, vt data opportunitate possint capere religiosos, & Ecclesiasticos, qui hac nostra tempestate siue occulte, siue publice Deum offendant indifferenter cum magno Ecclesiastici ordinis dedecore, & ludibrio capiuntur, & quod peius est per publicas plateas meridiana luce cum meretrice, imò cum fœmina alias putata honesta coniugio, vel viduitate complice deducuntur ad carcerem, quod dedecus & ludibrium meo iudicio existimo peius crimen, quam perpetratum luxuriæ vitium, hoc enim priuatas personas inficit in anima, illud verò præiudicat statui Ecclesiastico, & illæ personæ, quę in suo peccato occultæ erant, in fama, & honore sine ratione & cum magna iniuria opprimuntur Et quid est in causa; Forsan zelus vindictæ, & condignæ punitionis? Non sed occulta hæresis, hoc est, interesse, auaritia, & auiditas pecuniæ.

Quæres 2. An, quando adsunt tres primæ conditiones, sed deest quarta, licitum sit Episcopis mandare carcerationem, si non de iure, vt probaui resolut. 7. quæstion. 10. saltem de consuetudine, de qua ibidem §. Dixi, retuli Episcopos ita practicare carcerando, & processando repertos in fragranti crimine. Punctus ergo difficultatis in eo consistit num huiusmodi consuetudo carcerandi, & processandi regulares repertos in fragranti crimine legitime introducta sit, per quam modo sint in pacifica possessione illos carcerandi: Videtur quod sic, quia aliter nunquam possent instare de punitione non facta à prælatis regularibus, nisi prius notitiam iuridicam haberent de delicto perpetrato à religioso, hanc autem iuridicam cognitionem alia via habere non possunt, quam per carcerationem, & processum, ergo ad id ius habent illa adiuuante consuetudine.

6 Respond. Episcopi nequaquam possunt carcerare, & processare religiosos captos, neque id consuetudine aliqua introducere possunt, vt iuridice carcerentur, & examinentur super delicto aliquo, nisi concurrentibus simul illis quatuor causis. Probatur, Tum quia consuetudinem inducere est actus iurisdictionis, *Bartol. in leg. Omnes populi ff. de iust. & iur. Iasoc. in capit. Cum accessissent, de constit.* sed Episcopi super regulares exemptos nullam habent iurisdictionem, ergo neque super eosdem inducere consuetudinem. Tum quia consuetudo hæc cum sit contra decus religiosi status, irrationabilis est, *Gloss. ver. Postulasti, cap. Cum Ecclesia, de elect.* Tum quia consuetudo est stricti iuris, consequenter non extenditur de casu ad casum. *Natta consil. 46. numer. 2. Surd. decis. 87. num. 12. & vol. 1. consil. 138. num. 7.* ergo quamuis alias possit sumere informationea de delicto perpetrato, ad effectum suo tempore puniendi delinquentem in defectum prælati regularis negligentis post factam ab Episcopo instantiam, quæ consuetudo probatur consuetudo probatur per allatam rationem in oppositum, tamen ab hoc casu processus præcise informatiui ex parte testium, vel denuntiantium non debet fieri transitus ad casum carcerationis, & examinationis religiosi deliquentis, cum enim constet de exemptione religiosorum ab Episcopis, & huiusmodi præallegati actus sint præiudiciales eorum exemptioni, acquisita ex consuetudine potestas Episcopi super regulares stricte omnino interpretanda est, vt minus lædat, quam fieri possit, Demum omnes prælati regulares totis viribus sibi et huiusmodi carcerationibus, processibus contendunt semper contra Episcopos, ergo nullum ius, neque probatam consuetudinem dici potest hactenus illos legitime introduxisse, sed simpliciter esse factum vsurpatum. De qua re in terminis *Peyrin. Formul. lit. P. cap. 7. num. 2.* refert Monarchiam Regiam sententiasse fauore religionis.

Quæres 3. An sufficiat superiori Episcopum certiorē facere de punitione, ore tenus per se, vel per tertium, an verò in scriptis hoc præstare debeat?

7 Respond. Tenetur iuridice certiorem facere Episcopum, hoc est, per scripturam autenticam, & legitima documenta, vt decisum apud *Barbosam ad hoc cap. 14. sess. 25. num. 9. refert Albanus in vna Lucana 14. Decembris 1630; & Compend. resol. 62. num. 8. Tambur. tom. 2. disp. 5. q. 11. num. 64.* Non tenetur autem superior procurare, vt legalizetur scripta huiusmodi, sed sufficit, vt ei fides adhibeatur ab Episcopo, si sit subscripta à maiori parte suæ familiæ, vel à grauioribus Patribus, ad quos spectat grauiora conuentus negotia tractasse.

Quæres 4. An delinquens intra ecclesiam subdatur decreto Tridentini?

8 Respond. Subditur in rigore verborum, quia in Ecclesia delinquens, dicitur delictum extra claustra commisisse, claustrum enim, seu monasterium, & Ecclesia sunt diuersa, vt notum est. Ita *Barbosa decisum refert ad caput. fin. de statu monach. a numer. 8. fine, ex eo Tambur. tom. 3. disp. 5. qu. 11. a numer 62. Compend. resol. 62. a numer. 8. §. Denique.* Sed quid dicendum, quando, Ecclesia est intra claustra, vt sunt Ecclesiæ Cartusianorum, & quædam aliorum regularium, talem habent nostri apud Comum sub nomine S. Donati? Dicitur

9 deliquisse tunc intra claustra, quia quicquid continetur intra clausuram, dicitur esse intra claustra consequenter delinquens intra Ecclesiam sitam intra claustra non dicitur commisisse delictum extra claustra, ac proinde Decretum Tridentini non habet locum in hoc casu.

Quæres 5. Quidam Episcopus pro Sacratissimi Corporis Christi Processione proposuit simile edictum pœnale, quo præcipiebat singulis Ecclesiasticis, vt ante inceptionem processionis omnes adessent præsentes, vt recto ordine illa incipi posset, sub pœna duorum aureorum singulis clericis secularibus beneficiis, alij verò vnius, collegiatis autem clericorum, conuentibus Mendicantium, & monasteriis non mendicantium sub pœna quatuor aureorum; & in casu quo tarde peruenissent, sub pœna interdicti eisdem collegiis, conuentibus, & monasteriis ipso facto incurrenda prohibuit, ne quod eorum cum propria cruce auderet intermeare processionem. Eisdem pœnis subiecit collegia confraternitatum. Quæres igitur, an hoc edictum fuerit legitimum, & subsistens præcipuè im afficiens regulares. Suppono autem antea tale edictum nunquam emanasse, quod originem habuit à quoddam nouo officiali, quo sine, bono ne, an zelo auaritiæ id factum fuerit iudicent eius acta, nam postmodum ob sua demerita deiectus fuit.

10 Respondetur. Illud edictum quo ad pœnam interdicti nullius est momenti. Probatur, Tum quia aliud est cogere simpliciter ad processionem, aliud prohibere ne tarde venientes cæptam processionem intermeare possint suis locis; hoc posterius interdicere videtur iniurium fieri collegiis, & conuentibus, si cogantur redire ad sua claustra, ex quo dedecus, & confusio generatur, & seculares scandalizentur, maxime quando non incipit processio hora statuta, vidi enim ego, quandoque processionem cæptam fuisse ante ho-

ram statuta, interdum & hoc saepius post duas, & tres horas à praefixa; & mirum non est, quia vbi non est ordo, ibi confusio; & vt plurimum Ecclesiae regularium remanent defraudatae celebrationibus missarum, & diuinorum officiorum, satis maturae accedendo ad Ecclesiã, vbi incipit processio, & coguntur perambulare Ecclesiam, quod pauci, quorum interest, animaduertere nolunt, neque his prouidere, quae ad eorum spectant officium. Illud verò, nimitum simpliciter cogere ad processionem edicere possunt sub poenis temporalibus, de quo non est dubium, & etiam sub poenis spiritualibus censurarum, non quidem immediate contra collegia, & conuentus, sed tantum [11] contra superiorem, & caput monasterij, in cuius est potestate mittere statutis horis suos religiosos sub cruce ad processiones, neque enim religiosi etiam praetextu processionis exire possunt sine licentia superioris, cum nõ ipsorum, sed superioris sit officium, vt detur signum leuandi crucem, & accedendi ad locum desti- [12] natum processionis. Quod ergo conuentus immediate censuris subiici non possit suadetur, quia excommunicari non potest, cap. Romana 5. de sent excommunicatione in 6. subiectum enim excommunicationis est persona determinata singularis, quae supponitur peccasse mortaliter ex communi Doctorum; modo nullus singularis religiosus in praesenti casu peccare potest, cum eius non sit promouere accessum ad locum processionis, sed solius superioris de iure, ergo cum nullus de conuentu, excepto superiore, delinquere possit, neque conuentus ipse, qui ex illis constituitur excommunicari potest, neque ex eo, quod praelatus negligit accedere cum suo conuentu, & cruce ad processiones, censura afficiendi sunt subditi, cum non possit excommunicari vnus innocens pro peccato alterius [13] nocentis, *ca. Si habes 24. q. 3.* Quid spectat ad suspensio- [14] nem non videntur posse suspendi ab eorum officiis, & exercitiis ordinum, sicut. n. Episcopus non contulit eisdem officia, & praelaturas, extra rationem est, velle ab illis auferre illod, quod non dedit; praeterquamquod suspensio supponit peccatum mortale ex communiori [15] opinione, quam tuentur *Suar. de cens. disp. 4. sect. 4. Filliuc. tom. 1. tract. 11. ca. 1. q. 8. Hurtadus de censur. in communi diff. 10. n. 43. quos citat Diana part. 5. tract. 9. de excomm. res. 47.* est. n. suspensio grauis poena proinde non infligenda nisi praecedat graui culpa, modo in casu nostro nullus de conuentu subditus peccare potest, ergo totus conuentus immediate mulctãdus est. Confirma- [16] tur, quia sicut non potest omnes confessores vnius conuentus simul suspendere, *vt decisum sub die 20 Nouemb. 1615. ex Aldano refert. Barb. ad cap. 15. sess. 23. n. 52. ad verbum extendit Tamb. tom. 2. disp. 6. q. 12. n. 7.* ita neque totũ conuentum in hoc casu, cum militet idem absurdum, vt innocentes puniantur nulla praecedente culpa. Neque licet dicere, collegia, conuentus, & monasteria esse posse subiectum suspensionis, vt videre est *extrau. 1. de elect. c. Quia de elect. Clem. Sane de simon.* in qua suspenduntur conuentus, qui aliquid directè, vel indirectè accipiunt ob receptionem alicuius in religionem, quia est dispar ratio, nam in praeallegatis omnes fere de capitulo vt plurimum sunt culpabiles, in casu autem nostro, culpa à solo superiore originem. Quod [17] verò spectat ad Interdictum, idem omnino dicendum, quod de aliis censuris conclusum fuit, nimitum Episcopum non posse conuentum, aut monasterium interdicere, quia interdictum siue sit locale, siue personale respectu plurium, seu vniuersitatis, collegij, & conuẽtus requirit grauissimam causam, vel saltem multum grauem, ex communi Doctorum, quos pro se citat *Sayr. li. 5. ca. 11. Portel. v. Interdictum n. 50.* In casu autem [18] praesenti, quod conuentus tarde accesserit ad processionem, vel etiam ad eam nullo modo accesserit, non est delictum grauissimum, nec multum graue, sed leue, ordinarium, & bono publico nequaquam praeiudiciale, quod requirit interdictum, ergo frustra in casu praedicto Episcopus apposuit hoc genus censurae. Confirmatur, quia nunquam antea vllus Episcopus, vel eius officialis similes apposuit poenas, ergo neque postea potuit talis poena pro leui culpa afficere transgressores. Quod si dicas extare declarationes S. C. [19] quibus. Eminent. censuris censuerunt posse Episcopos procedere contra huiusmodi transgressores, de quibus ego ipse *Resol. 7. qu. 45. num. 130. 131.* Dictas respons. non esse contra meam resol. non. n. simpliciter nego posse per censuras Episcopos cogere ad processionem regulares nolentes accedere, sed solum dico non posse immediate cogere non totum conuentum, aut monasterium, in quo sensu, ne verbum quidem protulere Patres. Vnde ad rem nostram Barb. in suo Bull. v. Processio, refert, quod Episcopus sub censuris cogere potest regulares, vt publicis processionibus inseruiant, eisdem faciendo intimare earum incursum facto, sed quando non obediunt, illos punire non valet, sed hoc casu consulenda est S. C. in vna Vercell. 20. Maij 1616. & cum in plurali sermo sit de censuris, consequenter etiam de excommunicatione quae afficit solum personas staturas, & non immediate collegia, conuentus, neque monasteria, inferendum est, esse solũ sermonem de iis, quib. ex officio incumbit promotio processionis à conuentu ad Ecclesiam deputatam.

[20] Confraternitates nullo iure obligantur ad processiones, ideo ex hoc capite cogi non possunt ab Episcopis ex communi Doctorum *apud Barbosam ad capitul. 13. sess. 25. numer. 28.* Nihilominus quia sponte se obtulerant, & accedunt ad omnes, Episcopi videntur, stantibus eorum edictis, quibus & ipsa conuocantur, acquisiuisse ius super illas, vnde qui sunt in quasi possessione possunt easdem nolentes accedere sub poenis arbitrariis cogere, vt ex eodem refert decisum *Aldanus sub die 21 Iannar. 1622. & die 8. May 1627.*

Quaeres 6. An Episcopus in Ecclesiis regularium, in quibus nullum habet ius, possit conuocare processiones ordinarias? [21] Respondi affirmatiue resolution. 7. quaest. 45. num. 132. Ex falsa ratione de erectione Baldachini in eorum Ecclesiis, ibi enim erraui supponendo simpliciter Episcopum in quibusuis regularium Ecclesiis Baldachinum erigere posse, per Decretum Sacrae Congr. incip. *Decet, Episcopis*, apud Mald. v. Episcopus num. 36. per quod declaratur, Episcopum posse erigere Baldachinum in Ecclesiis regularium exemptis, non tamen quouis modo, & absolute, sed ex suppositione, quod in illis possit exercere pontificalia, inter quę nõ est inuocatio processionis, cum non depẽdeat ab ordine Episcopali, ergo illis iunctis processiones inuitare non potest, sic tenet Portel. v. Processiones n. 10.

Quaeres 7. An clerici, & presbiteri nullum habentes beneficium possint cogi ad publicas processiones?

[22] Respond. Sacerdotes nullum officium, aut beneficium habentes in ciuitate, vel Dioecesi Episcopi, ab eo cogi non possunt ad processiones, *decis. anno 1597. die 9. May, & anno 1632 die 16. Martij, ex Sellio Barb. ad c. 13. sess. 25.*

Quaeres 8. An Abbas, qui potest consecrare calices, & campanas etiam alienas, possit ad spirituale munus praestare extra propriam Ecclesiam, in Ecclesiis, aliorum regularium, quibus de benedictione inseruit? & possit id facere sine licentia Episcopi loci? Resolution. 17. initio probaui Abbates Regulares virtute suorum priuilegiorum posse consecrare calices, & campanas non solum pro suis Ecclesiis, sed etiam aliorum, non sublatorum in hoc, vt resoluit sacra Congregatio fauore Cassinensium, cuius decretum per extensum refert *Tamb. tom. 1. disp. 23. q. 1. & 2.* Punctus difficultatis in duob. consistit, an consecrationem huiusmodi respect. extraneorũ possint facere extra propria loca apud Ecclesias, seu loca eorũ, quorũ cãpanas,

sen

seu calices volunt consecrare, & antequam tur licentia Episcopi, alias punire illos possit?

23 Respond. In propriis ecclesiis & locis tantum suæ iurisdictionis huiusmodi præstare possunt, vt colligitur ex tenore priuilegiorum, apud Tambur. cit. q. 15. ubi. *In locis, & domibus dicti ordinis benedicere, & calices consecrare, tam de dicto ordine, quam si ad vos aliunde nonnunquam deferantur.* Non possunt ergo illa consecrare extra propria loca, vt clare colligitur ex allatis verbis. Quod si extra consecrationem faciant requisiti ab aliis regularibus priuilegio quidem abutun-

24 tur, non tamen per hoc puniri, nequ; molestari possunt ab Episcopo. Tum quia Episcopi non est punire transgressores priuilegiorum papalium, sed solius Papæ ex eo quod, qui abutitur priuilegio meretur illud amittere, *cap. Vbi ista 7. dist. 74. cap. Priuilegium 60. 11. quæst. 3. cap. cap. Licet quibusdam 18. de regular.* Episcopus autem priuilegium, quod non dedit auferre non potest, ergo neque Abbatem in eo casu punire. Tum quia dari iure extra suam iurisdictionem in loco exempto, in quo nullum omninoius habet, locus enim exemptus licet sit in diœcesi, non tamen est de diœcesi, sed æquiparatur loco existenti extra diœcesim, ex vulgatis iuribus, extra autem territorium ius dicenti non paretur impun. *l. fin. ff de iur. om. iud. cap. fin. de constit. in 6.* Tum quia non obstat, cap. 5. sess. 6. quia ibi sermo est de Episcopis, & ibi etiam de Abbatibus, loquitur decretum de ordinatione tantum, vt inde clare colligitur, & ex cap. 2. sess. 14 Tum quia si Episcopus habet aliquod ius maxima virtute, cap. 14. sess. 25. in quo decernitur Regularem non subditum Episcopo degentem intra claustra, & extra ea ita notorie delinquentem, vt populo scandalo sit, Episcopo instante, & illius superiore punitionem negligente ab Episcopo puniri posse; modo casus noster non potest comprehendi sub hoc decreto; & quia non afficit Abbates, cum non veniunt sub eo

25 generali nomine *Regularis*, sub quo neq; puto venire superiores maiores, vt sunt Generalis, & Prouincialis, immo neq; locales cum habeant nomina propria, & elegantia, & in pænalibus, atq; odiosis non veniant sub nomine suorum subditorum, quia personæ qualificatæ non veniunt sub terminis generalibus in odiosis, cap. Sedes 15. de rescr. vbi doct. cum Glos. alia adducunt iura, & personæ quæ habent nomen speciale, & elegans, non veniunt sub generali locutione, *cap. De multa, de præbend Gutier lib. 3. Practic. q. 16 num. 51. ex Trimarca disp. 8. de solicit in confess. sect. 4. num. 43.* vbi loquitur de Generali prælato, non enim prælati veniunt in statutis odiosis comprehensi, nisi nominentur, *vt dicit Diana part. 4. tract. 4. resol. 1.* loquendo de Generalibus, & Prouincialibus in similis. Et id aperte colligitur ex verbis Decreti, in quo verbum *Regularis* accipitur pro mero subdito, contradistincto à superiore non solum maiore, sed etiam minore, & immediate, ibi enim fit mentio de superiore minori, & maiore. Et quia Decretum Tridentini loquitur de regularibus, quorum delictum gignit scandalum ibi: *ita notorie delinquerit, vt populo scandalo sit,* Quis autem audebit asserere, Abbatem benedicentem calicem, aut campanam apud Regulares Mendicantes delinquere, & populum scandalizare? Demum non delinquit in principali cum ius, & potestatem habeat consecrandi, sed in accessoriis, & circumstantiis, ergo puniendus non venit, licet a suo superiore maiore increpandus de excessu.

Quæres 9. An quando religiosus delinquit intra claustra alterius ordinis, intret dispositio dicti cap. 14. sess. 25. Videtur quod sic per illa verba. *Qui intra claustra monasterij degit, & extra ea ita notorie deliquerit.* Vbi per claustra venit proprium monasterium, quare Franciscanus e. g. delinquens in claustro Dominicanorum, sine dubio ... ut delinquere extra claustra monasterij, vbi degit, & sic in huiusmodi casu videtur subiectus Episcopo iuxta dispositionem dicti capitis. Nihilominus.

26 Respond. Episcopus nullum ius ex Tridentino habet super religiosum Franciscanum delinquentem in claustris Dominicanis. In quo casu non solum proprius prælatus errantis, verumetiam superior Dominicanus punire potest Franciscanum reum, quia is ratione delicti, & loci factus est de foro prælati Dominicani,

27 *arg. cap. Licet 20. de foro compet. per iura ibi allegata à Glosa.* Confirmatur, quia etiã prælati regulares dicuntur habere territorium, quod est illorũ monasteriũ, intra quod

28 delinquentes castigare possunt, *Cardin. in Cle. 1. de statu mon. n. 6. Verall. part. 2. decis. 225. Portel. part. 1. casu 19.*

Quod Episcopus in hoc casu iudex esse non possit ex eo decreto, suadetur. Tum quia ibi nomen claustri

29 non sumitur absolute, sed comparatiue ad diœcesim Episcopi, cum ergo claustrum alienum etiam qua alienum non sit locus diœcesis quo ad iurisd ictionẽ Episcopi, dispositio Tridentini non potest subintrare in eo casu. Tum quia delictum debet esse perpetratum extra omne claustrum, ad hoc vt ex eo gigni possit scandalũ in populo, non enim populus est in claustris. Tum quia

30 clericus delinquens in monasterio exempto, puta ludens aleis non incurrit censuram suspensionis latam à suo Episcopo contra ludentes, & eam Gemin. docet Megal. de cens. lib. 1. cap. 5. n. 35. cum aliis Diana de excommuno. resol. 66. ergo a fortiori persona exempta ibidem delinquens Episcopo subdi non potest. Tum quia persona delinquens, & locus, in quo illa peccat, sunt omnino exempta, vt notum est, ergo Episcopus nullum ius habere potest in religiosum delinquentem in alieno claustro. Dicta procedunt siue deliquerit in personam subditam. Episcopo, siue non, quia non attenditur persona vt sic, sed persona vt in loco ratione delicti ibidem perpetrati.

Quæres 10. An excommunicatio lata ab Episcopo contra aliquem regularem, in casu, quo potest, auferri possit à superiore regulari? Respond. Non potest, vt

31 pluribus probaui *resol. 3. q. 7. contra Tambur. tom 2. disp. 14. q. 12. num. 5.* vbi quidem ait iure communi non posse, vtique vero iure priuilegij, quo conceditur facultas absoluendi à censuris quomodolibet latis contra regulares indistincte, & simpliciter, citando pro se *Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 25. num. 7.* Sed ibidem probaui priuilegia non extendi in specie ad censuras latas contra certam personam, notabiliter enim in hoc casu læderetur iurisdictio Episcopi, & contemneretur eius sententia, quod verisimile est, immo certum nolle summum Pontificem in hoc illi aliquale præiudicium afferre.

Quæres 11. An Episcopus præcipere possit, vel ordinationem facere, ne regulares intra suas ecclesias, vel claustra audiant secularium confessiones in tali, vel tali loco, vel tales, aut tales personas, &c. Iam dixi resol. 36. q. 3. num. 23. ordinarios locorum posse sacerdotes regulares approbare in confessarios limitate non solum quo ad tempus, sed etiam quo ad personas, & loca, quando non erunt ita idonei. Quoniam autem apud plerosque ordinarios non distinguuntur idonei simpliciter ab idoneis tantum secundum quid, cum fere omnes admittantur ad annum tantum, illa restrictio loci, & personarum non videtur intrare in casu nostro, ideo.

32 Respond. Confessarij regulares non debent, nec possunt coarctari ab ordinariis, vt certis locis audiant confessiones secularium in suis ecclesiis, vel monasteriis, ratio est, quia si sunt omnes vniformiter admissi, fit iniuria illis, quibus limitatur certus locus & genus personarum, cum non sit maior ratio de vno, quam de alio. Ex quo nõ possunt prohibere, ne audiant ægrotantes in eorum propriis domibus, Sacra

33 enim Congregatio dicit posse regulares confessarios audire ægrotantium confessiones in eorum domibus, relinquẽdo ibidem fidem de audita cõfessione, & data absolutione

absolutione apud *Tambur.tom.2. disputat.6.q.12. numero 10.*

Quęres 12. An Episcopus ordinarius religiosum cogere possit ad iurandum, se professisse, vel iam habuisse professionem alias nullam, ad effectum consequendi ordines?

34 Resp. Negatiue *ref.67.n.77. vide ibi.ne idem frustra repetam.*

Quęres 13. An Episcopus virtute c.16.sess.25.in omni casu possit procedere contra regulares nolentes restituere ea omnia, quę intulit nouitius in religionem, quando vult recedere?

35 Respondetur. Potest procedere solum respectu earum rerum, quas ipse, vel eius parentes, propinqui, & curatores de eius bonis tradiderunt post ingressum in nouitiatum ad probationem; non autem respectu earum rerum, quæ ante ingressum dedit, intulit, seu tradidit, excipitur victus, & vestitus, & si alias expensas intulit monasterio, alias non, ratio est, quia de illis tantum. i. de traditis vel à se, vel ab aliis de eiusdem nouitij bonis dum est in probatione disponitur, vt probaui *resolution.60.numero 31. & 32.*

Quæres 14. An, & quam potestatem habeant Episcopi super confraternitates erectas in Ecclesiis regularibus?

36 Resp. Res.72. per totam, ad illos spectare approbationem illarum de nouo erigendarū sub n.3.eos visitare, n.20.000 tamen earum altaria, seu capellas in Ecclesiis regularib.22.neque illa interdicere n. 28. vocantur ad processiones n.27.coram ipsis in Episcopis conueniri debent n.36.

Quæres 15. An Episcopus loci contra voluntatem prælati regularis, aut furtiue possit nouam Ecclesiam benedicere, vel antiquam pollutam rebenedicere, non obstante contradictione superioris regularis patroni Ecclesiæ? Suppono ea dictis resol. 16.num.6. & 7. Abbates, & alios prælatos regulares vi priuilegiorum primo benedicere posse nouas Ecclesias, *vt testatur Tambur.tom.2. disp. 23. quæst. 9.* priuilegiis ibidem allatis, & etiam pollutas reconciliare ea eodem

37 q.10. vbi notat ea communi, in reconciliatione ecclesiarum consecratarum adhiberi aquam ab Episcopo proprio benedictam cum vino, & cinere admixtam, & huius reconciliationem fieri non posse à regularibus, nisi de licentia Episcopi Diœcesani, qui si fit in remotis per duas dietas, vel oeget rebooiliationem, his casibus possunt prælati regulares etiam locales aqua per eos benedicta reconciliare suas Ecclesias. Illas vero, quæ non sunt consecratæ sed tantum benedictæ, reconciliare potest superior regularis, ita ea eodem de communi testatur *Barbosa de potest. Episc. part.2. Allegat.28.num.7. Nam cap.27. num.151. Silu. v. consecratio qu.8.* Duæ autem dietæ faciunt miliaria quadraginta, *Glos. in cap. Nonnulli, de rescr.* Quare hic Parmæ, à qua remotissimus est Episcopus, & nunc Romæ moratur, quilibet prælatus regularis propriam Ecclesiam siue consecratam, siue benedictam pollutam reconciliare potest, iuxta superius dicta. Et de hac benedictione, & reconciliatione extat Bulla Leonis X incip. *Religionis suadet* apud Confect.pag.140. ad instantiam Minorum de Obseruantia, ad quod munus Guardiani in capitolo Generali deputandi sunt.

38 Resp. Non potest, quando iure priuilegiis regularis prælatus habet hoc munus consecrādi, vt quidam Abbates, seu benedicendi, & reconciliandi, Tum quia id est mittere falcem in segetem alienam *contra Deuter. 23. relatum.ca.1.6.q.3.ca. Venerabil.34. de elect.* Tum quia hoc esset aufette beneficium regularibus prælatis concessum contra *reg.17.in 6.* Vnde ad hoc propositum *Tamb.tō.2.disp.16.q.1.ad fin.refert* S. C. declarasse quemdā Abbatem S. Petri de Augubio legitime interdixisse quemdam nouam Ecclesiam ad suum monasterium spectantem eo quod Episcopus illam furtiue benedixisset.

Quæres 16. An nouus Abbas N. ab Episcopo, cum suis monachis cogi possit ad processionem, quæ singulis annis fit pro bono publico ad instantiam Dominorum ciuitatis, ad quam solebat accedere illius antecessor cum suis monachis absque vlla repugnātia? *Res.7.q.45. docui n.127.* Regulares ea Tridentino etiam Monachos teneri accedere ad processiones publicas, quod Pius V. explicans in sua Bulla incip. *Etsi Mendicant.* publicas

39 processiones declarat eas esse, ad quas secundum consuetudinem loci antequam soliti sunt accedere, vel quæ pro bono pacis ecclesiæ, vel pro victoria contra infideles fiunt; vnde ibidem subiunxi num. eodem processiones, quas Episcopi statuunt, pro indulgentiis ponendis; pro exponendis quadraginta horis etiam ad publicam vtilitatem, non contineri sub processionibus publicis, ad quas cogi possint regulares accedere, doctoribus citatis. Alia vide infra *q.20. num. 46.*

40 Respond. Abbas nouus cum suis monachis non tenetur accedere ad eam processionem, non obstante, quod eius antecessor accesserit in antea; primum ostenditur, quia huiusmodi processio publica non est, licet aliàs proueniat ex causa publica, cum non sit introducta pro pace, aut victoria, neque ea antiqua consuetudine fiat, quia constat memoria hominum de eius principio, vnde antiqua non est, *ca. Super 26. de verb: signif.* Secundum probatur, quia antecessor ad proces-

41 sionem accessit deuotionis causa, non ex debito, sed ex vrbanitate, quæ obligationem non inducunt, neque præiudicant iuri publico, nec priuato, nec in petitorio, nec in possessorio.l.*Qui iure familiaritatis ff. de acquir. possess. ibi Bartol. Imol. Alex. cum aliis cit. à Bariala consil.29.S. Respondetur primo.* Imò puto in rigore iuris regulares ad nullas teneri processiones, quas Episcopi dirigunt ad instantiam secularium, neq; enim iste casum publicitatis suæ, de qua in Tridentino, & in Bulla Pij V. habent originaliter ab Episcopo, sed à sola potestate seculari, cuius non est processionē efficere publicam, sed solius prælati Ecclesiastici, quod contingit quando Episcopus iustis motus de causis, & publicis processionem indicit.

Quæres 17. An synodus à Papa confirmata liget Regulares in ea expressos etiam in illis casibus, in quibus aliàs Episcopus nullum de iure ius habet contra religiosos?

42 Respond. Negatiue, ratio, quia confirmatio Papæ synodis dat robur, & vires si eius statuta, & ordinationes valent de se, confirmatione existente in forma communi; in forma verò, seu nulla reualidat, si confirmatio fiat in forma specifica, per ea, quæ dixi *tom.1. resol.7. nu.8. & hic res.52. num.137. & 321.* Non verò auget authoritatem Episcopi ratione sui, aut synodi, sed talem, qualis in eo est, relinquit etiam in ordine ad synodum.

Quæres 18. An Episcopus possit corrigere regularem confessarium, qui non reliquit fidem scriptam de audita confessione infirmi; Nam Quaranta v. Priuilegia regularium refert sequentia verba ex declaratione Sacræ Congregationis sub die 2. Iulij 1587.

43 *Qui autem in domibus laicorum confessiones ex causa audierint, statim Parochum admonere teneantur, & fidem audita confessionis pro medico adueniente relinquere.* Vtrique confessarius satisfacit committendo illis, qui infirmi curam habent, vt admoneant parochum, & medicum aduocandos, neque enim dicitur, quod confessarius debeat per se admonere parochum, & sufficienter illum admonet per consanguineos, & propinquos ægroti, qui enim per alium facit per seipsum facere videtur; præterea fides auditæ confessionis relinquitur ore tenus commissa curam infirmi gerentibus, cum hic non agatur de præiudicio tertij, sed de salute animæ infirmi, cuius in eo

casu

caſu immemores non ſunt præ...menti illius propinqui, ſed veritatem decretam parocho, quam medico infirmum recepiſſe ſacramentum pœnitentiæ. Confirmatur, quia per tenorem illorum verborum non inducitur confeſſarium teneri per ſe perſonaliter admonere parochum, neque reſtoquere fidem ſcriptam, neque enim ſemper ſunt in promptu inſtrumenta ad ſcribendum, neque confeſſarius ea ſecum habere tenetur. Quare ad quæſtionem.

44 Reſpond. Epiſcopus non poteſt punire confeſſarium, eo quod non admonuit Parochum, neque medicum ſcripto, quod probatur ex dictis, immo neque ſi nihil dixit infirmis Parentibus, ſufficit enim ſcivi ... ægrorum confeſſum fuiſſe, ergo alia non egent admonitione ex vulgaris iuribus. Confirmatur, quia non eliquit cum ſcandalo, neque de pœna fit aliqua diſpoſitio contra regularem non admonentem. *Vide Reſol. 36. q. 29* vbi dixi poſſe ſuſpendi, vnde hic intelligitur non poſſe puniri alia pœna.

Quæres 19. An confeſſarius admiſſus ad annum, eo finito valide abſoluat, ſine noua approbatione?

45 Reſpond. Non, quia abſolutio data ſine poteſtate iuriſdictionis nulla eſt, *ſeſſ. 14. cap. 7.* ſed finito anno præſcripto ſacerdos non amplius habet iuriſdictionem, quia ea regulator ſecundum licentiam, & approbationem datam per Epiſcopum, ita quod iuriſdictio in eſſe dependit ab approbatione, ergo ceſſante approbatione ceſſat & iuriſdictio. Et id clare dicitur in Bulla Vrbani VIII. incip. *Alias a nobis, apud Tambur. tom. 2. diſp. 6 q. 1. ...ibi: Siquidem ... ad approbationem ... ad certum tempus, elapſo eo poſſunt confeſſiones audire abſque noua ... ipſius licentia, & approbatione, præuio etiam ſi ... examine.* Procedit hoc, licet omnes confeſſarij indiſtincte approbentur ad annum, etiam Theologi, & viri inſignes, quia ſicuti Epiſcopus initio poteſt hunc, vel illum non admittere ad confeſſiones, ita à fortiori admittere cum limitatione temporis, ſiquidem approbatio eſt in poteſtate Epiſcopi, & examen fit ſolum, vt Epiſcopus veniat in cognitionem idoneitatis ſacerdotis, vnde approbatio non neceſſario amplior, vel ſtrictior regulatur ab examine, ſed à voluntate Epiſcopi.

Quæres 20. An Epiſcopus cogere poſſit Regulares ad proceſſionem pro ſynodo celebrando? Videtur, quod ſic. *Primo*, quia Regulares tenentur accedere ad publicas proceſſiones ex Trident. *ſeſſ. 25. cap. 13.* ſed huius generis eſt hæc, nam proceſſiones publicæ dicuntur illæ, quæ pertinent ad omnes, ergo ad eam tenentur accedere maxime cũ ſynodus ſpectet ad publicam vtilitatem, à qua proceſſio ſumit denominationem publicæ. *Secundo, ex cap. Nimis praua 17. de exceſſ.* prælator. Regulares non ſunt cogendi ad proceſſiones, quæ fiunt ex leui cauſa, ergo ad eas, quæ fiunt ex graui cauſa, à contrario ſenſu, ſed proceſſio præuia ad ſynodi celebrationem eſt ex graui cauſa, cum in ſynodo agatur de reformatione morum Chriſti fidelium. *Tertio*, ſynodus eſt etiam in vtilitatem Regularium, ac proinde cum poſſint cogi intereſſe, poterunt quoque compelli ad proceſſionẽ, quæ eſt diſpoſitio ad rite, & digne illam celebrandi.

46 Reſpond. Regulares non tenentur, nec cogi poſſunt ad proceſſionem huiuſmodi ſynodalem. Probatur, Tum quia hæc proceſſio non connumeratur inter proceſſiones publicas, ad quas tenentur accedere Regulares ad præſcriptum Trident. *ſeſſ. 25. cap. 13.* nam proceſſiones publicæ quæ ſint, ad quas tenentur, explicat Pius V. in ſua Bulla incip. *Et ſi Mendicantium.* extenta apud Peyrin. ad Conſtit. VII. huius Pontificis §. 29. his verbis. *Id quo ad Fratres prædictos, de illis tantum proceſſionibus volumus intelligi, ad quas ſecundum conſuetudinem antiquam locorum ſoliti ſunt accedere, vel quæ pro bono pacis Eccleſiæ, vel pro victoria contra in fideles indicuntur.* Item S. Congr. apud prædictum in fine præfatæ Bullæ ita reſpond. *Ordinarius poteſt præcipere Regularibus, vt eant ad proceſſiones publicas, vt puta in feſto Corporis Chriſti, in Litanijs, & Iubilæis faciendis in plebibus, in quibus ipſi habent monaſteria, dummodo proceſſiones ſint eius generis, quod in Bulla S. D. N. Pij V. &c.* De qua etiam *Lezana tom. 1. cap. 9. numero 47. Barb. de Epiſcopo part. 3. alleg. 78.* ſed huiuſmodi proceſſio non eſt ex conſuetudine, neque pro bono pacis, aut pro victoria contra Infideles, ergo non obligat Regulares. Tum quia illa eſt proceſſio publica, quæ confert ad vtilitatem cleri, tam regularium, & laicorum indifferenter, & æqualiter ſingulis illorum generum prodeſt, vt patet in proceſſionibus ſanctiſſimi Corporis Chriſti, & Litaniarum, de quibus non eſt controuerſia, an ſint publicæ, nec ne, cum ab omnibus pro talibus habeantur, illa enim prodeſt quo ad animam omnibus prædictis, & cedit in publicum totius Eccleſiæ decus, hæc Litaniarum, quarum proceſſio inſtituta fuit ad placandum Deum ob immanitatem peſtem inguinariam, Gauantus de feſtis infra octauã Paſchæ n. 7. & ſic diſcurre de alijs ſupra expreſſis; cuiuſtat autem ſynodum, ad cuius felicem progreſſum indicitur proceſſio, de qua in præſenti quæſtione, non pertinere ad vtilitatem publicam illarum trium generum, ſiquidem ad illam non conuocantur Regulares, neque laici, ſiquidem contra Regulares, neque pro Regularibus aliquid in ſynodis ſtatuendũ eſt, ſicut enim Epiſcopo legiſlatori non ſubduntur, ita neque illarum ſtatutis, cum ab vtroque ſint exempti, ideo neque accedere tenentur, *cap. Nimis praua 17. de exceſſib. prælator. cap. 1. ſeſſ. 24. Tambur. tom. 1. diſp. 24. q. 4.* Tum quia inter proceſſiones de iure, vel vſu faciendas, quibus intereſſe debent Regulares, non connumeratur ſynodalis, nam à diuerſis Doctoribus recenſentur ſequentes, proceſſiones Corporis Chriſti ſiue octaua, Rogationum maiorum, & minorum, pro imminente peſte, pro aduentu Epiſcopi, pro pace, vel parta victoria contra Infideles, ex citatis Bulla Pij V. & Decreto Sacræ Congregationis, *Rebus in Aphor. Epiſcoporum v. eod. num. 4. vbi citat Albanum in c. Nimis, de exceſſib. prælat. Vgolin. de poteſt Epiſc. c. 20. §. 2. n. 6. par. 1. Tamb. tom. 1. diſp. 24 q. 8.* vbi quod Monachi non tenentur niſi ad proceſſionem Sanctiſſimi Sacramenti, de qua extat Bulla incip. *Nuper pro parte* Vrbani VIII. pro Caſinenſ. relata à Peyrino ad calcem tom. 3. de priuileg. *Ege tom. 1. reſol. 7. q. 45. num. 127.* vocans proceſſiones publicas præter dictas, quæ fiunt in iubilæis magnis, & vniuerſalibus, quæ mittuntur in caſibus occurrentibus; & pro peſte, fame, bello, intemperie aeris, pro gratiarum actione, & liberatione ab illis, adde quæ fiunt pro Principe naturali in occurrentibus eius vrgentijs. Ad eas vero, quæ ex deuotione Principis introducuntur ſtatutis diebus faciendis, non tenentur Regulares, quia publica non ſunt, cum deuotio non vrgeat, ſed neceſſitas. Quare concludendum eſt proceſſiones ſynodales non eſſe publicas, quia non ſunt pro omnibus, ſed tantum pro clericis.

Nota illam clauſulam. *Et quæ tales videbuntur Epiſcopo, vel eo abſente eius Vicario.* Gratis me appoſuiſſe loco prædicato ſub num. 127. potius referendo aliorum verba, quam ſententiam, Non enim ſpectat ad Epiſcopum iudicium ferre, an hæc, vel illa proceſſio ſit publica, ac proinde de illis, ad quas Regulares poſſunt compelli, quia controuerſia orta dicitur eſſe inter ipſum & Regulares, ideo cum non poſſit eſſe iudex, & pars, ad ipſum non ſpectat ferre hoc iudicium, ſed ad maiores.

Quod nonnulli addunt fauore Regularium, non teneri religioſos accedere niſi ad proceſſiones, in quibus intereſt Epiſcopus, & non ad alias eo abſente, 47 vel in oppidis, aut Caſtris, in quibus Epiſcopi non reſident,

dent, omnino falsum est, quia in Tridentino *sess.* 25. *q.* 13. absolute dicitur, quod Regulares accedant ad processiones publicas, nulla facta mentione de præsentia, aut absentia Episcopi, neq; de loco sitne Ciuitas, an castrum, seu villa, sed eos, vbicumq; fiant, Tridentinum sine vlla restrictione coëgit; & de processionibus faciendis in plebibus locuta fuit Sacra Congregatio superius allegata, ergo de hac re nullatenus est dubitandum.

RESOLVTIO LXIX.

De Reclamatione Professionis.

SVMMARIVM.

1. *Reclamatio exprimitur in iure.*
2. *Quid sit.*
3. *Iudices reclamationis quinam sint.*
4. *Vnus sine altero nihil facit.*
5. *Iuramentum petitur an ratificarit.*
6. *Episcopo subiectus conuentus superiorem habet.*
7. *Ordinarij nomine qui veniant in Tridentino.*
8. *Altero volente alter expedit causam.*
9. *Licet expediens sit superior.*
10. *Moniales reclamant coram vtroque.*
11. *Manando intra clausuram.*
12. *Testes quales in probanda nullitate.*
13. *Coram coniudicibus etiam in aliis casibus:*
14. *Quinquennium à die tantum professionis.*
15. *Impedito iuste quando currat tempus.*
16. *Fauore publico quando fuit restrictum.*
17. *Vltra quinquennium à coniudicibus audiri non potest.*
18. *A solo Papa postauditur.*
19. *Minor petit restitutionem à Papa tantum.*
20. *Maior pariter.*
21. *Qui habet quadriennium.*
22. *Probat ignorantiam, & impedimentum.*
23. *Æquiuocat se ignorasse.*
24. *Religio reclamat etiam post quinquennium.*
25. *Deposito habitu nullus auditur.*
26. Nullatenus *quid importat.*
27. *Habitu resumpto reclamat.*
28. *Quinquennium numeratur etiam à die illegitima.*
29. *Professus metu leui non potest reclamare.*
30. *Defectus loci designati quomodo probatur.*
31. *Solemnitates in antiquis præsumuntur.*
32. *Alendus est à monasterio reclamans.*
33. *Metum incutiens metum probat pro reclamante.*
34. *Vnus religiosus pro alio probat.*
35. *Militares non videntur subdi.*
36. *Dubius de nullitate non reclamat.*
37. *Iuramentum non probatur.*
38. *Sermo de omnibus impedimentis non perpetuis.*
39. *Iure ordinario ex delegatione procedunt.*
40. *Iurisdictio ordinaria quæ.*
41. *Causam cur non reclamauit adducere non potest.*
42. *Ratificans non potest reclamare.*
43. *Statutum destruens reclamationem fieri potest.*
44. *Quæ recuperet allata in religionem.*
45. *Nulliter professus in secunda acquirit prima.*
46. *Dimissus dispensatione non vtitur extra.*
47. *Ordinum, & beneficij capax dimissus.*
48. *Recuperat aliis relicta.*
49. *Vxorem dicit dimissus,*
50. *Professio de iure scribitur.*
51. *Scriptura an probet nullitatem professionis.*
52. *Decretum Vrbani volentium reclamare quomodo intelligatur.*
53. *Ex[illegible]ditur ad nulliter professos post eius datam.*
54. *Habet locum in fo[illegible] fori.*
55. *Consensus extran[illegible]us n[illegible]u supplet professionem.*
56. *Iudices Reclamationis quinam sint.*
57. *Nullius prælatus index.*
58. *Reclamatio impugnatur.*
59. *Par non citatur.*
60. *Actus nullus actus non est.*
61. *Biennio expedienda.*

Dixi plura de hac materia in Tract. de profess. *c.* 7. *& tom.* 1 *resol.* 23. vbi probaui Tridentinum habere locum in quibuscumque impedimentis similibus aliis ibidem expressis, & posse religionem reclamare contra nulliter professum; retuli etiam per extensum Decretum, quo prohibetur cognitio nullitatis professionis defectu nouitiatus non præmissi in loco deputato, & nonnulla alia, quibus adiungo sequentia.

Quæres 1. In quibus locis in iure canonico fiat mentio de Reclamatione professionis.

1 Respond. In multis locis, præsertim *cap. Præsens* 4. 20. *q.* 3. *cap.* 2. *de regular.* & expressius in Tridentino *sess.* 25. *cap.* 19. ex quo colligitur, quod Reclamatio est deductio causarum coram legitimo superiore facta à professo, habitu retento, per quas intendit probare nullitatem suæ professionis non ratificatæ, vt declarata ab eo eiusdem nullitate, valeat dimittere habitum, & redire ad sæculum. Colligitur hæc definitio præsertim ex citato cap. Tridentini, professus autem suas causas deducere non potest dimisso habitu, aliter, vt apostata, puniendus est, tanquam sui instituti desertor, cum nondum constet de nullitate professionis; legitimus superior est non tantum Episcopus, verum etiam superior loci, in quo profecit, vt *dixi cap.* 7. *quæst.* 59. & tradunt *Armentar. in Addit. ad recopil. leg. Nauar. lib.* 2. *tit.* 18. *lib. de relig. num.* 18. *Barbosa de off. Episc. part.* 3. *Alleg.* 104. *num.* 12. *& ad hoc cap.* 19. *sess.* 25. *num.* 23 *vbi ex Sellio in select. canon. cap.* 80. *num.* 10. refert decisum nomine superioris venire localem, vbi nouitius profecit. Vtriusque autem iudicium, & sententia ita necessaria est, vt si vnus sine altero dimittat professum, nulla sit dimissio, & reuocandus sit ad ordinem, qui contra huius decreti dispositionem licentiatus fuit, cum aliis *Tamb. tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 26.

Quæres 2. An iudices initio processus debeant petere iuramentum à reclamare cupiente, quod antea professionem non ratificauerit;

2 Respond. Petendum est siue reclamet ante, siue post quinquennium, ratio est, quia potest esse, quod eam ratificauerit, & putet nihilominus se posse reclamare; & hoc seruat Curia Romana in Rescriptis impetratis contra professionem prætensam nullam. Et de hoc iuramento exigendo fit mentio *in vna Vlixibon. nullitatis profess. die* 17. *Maij* 1641. *coram. D. Carillo, quam extendit Diana part.* 6. *ad finē, decis.* 14. Si professus respondeat se professionem ratificasse, vlterius non auditur, sed remittitur ad claustrū. Si vero neget, auditur, quia adhuc subsistit nullitas professionis, quæ sola est obiectum reclamationis, ex quo cum ex ratificatione inducatur valida professio, quæ alias erat nulla, non datur locus reclamationi.

Quæres 3. An quando conuentus est subiectus Episcopo habens suum superiorem localem, in eo casu sint ambo coniudices in hac causa reclamationis? *Barbosa de potest. Episc. Allegat.* 104. *n.* 11. *quem citat pro se Tamb. tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 26. *num.* 3. dicit in eo casu sufficere Episcopum, quia Concilium dum vtrumque coniungit præsupponit vtrumque adesse.

3 Respond. Adhuc ambo requiruntur, quia licet monasterium sit vnitum, seu subiectum Episcopo, nihilominus habet immediatum superiorem vltra Episcopum, ergo vterque adest requisitus in Tridentino. Confirmatur, quia monasteria subiecta Episcopis non carent proprio Abbate, & superiore, *cap. In venditionibus* 33. 17. *q.* 4. *cap. Nullus* 14. *cap. Abbates* 16. *& alibi sæpius*, ergo ex subiectione

monasterium

monasterium non dicitur carere proprio superiore.

Quæres 4. An sub nomine ordinarij veniat eius generalis Vicarius, item & Prælatus Nullius, seu alius habens sub suo territorio monasterium regulare.

7 Resp. Veniunt prædicti omnes, eo quod illi veniunt sub nomine ordinarij, qui habent iurisdictionem ordinariam, *Gemin. in ca. Ordinarij. de off. ordin. in 6.* constat autem apud omnes prælibatos eam iurisdictionem habere, & dici ordinarios, ergo veniunt sub dispositione Trident. Ita *Bonac. de claus. q. 2. p. 10. diff. 3. n. 3. ex eo Tambur. 3. disp. 6. q. 26. nu. 3.*

Quæres 5. Quando huiusmodi causa deducta coram iudicibus, non fuit terminata spatio biennij, an ab vno solo illorum expediri possit?

8 Respondetur. Terminato processu, altero nolente irrationabiliter concurrere ad declarandam nullitatem professionis, poterit alter solus procedere ad sententiam, monito prius negligente sui officij exequutionem. *Probatur ex cap. Prudentiam 21. §. Adiecimus, de off. de l.* vbi dicitur, quod in causa commissa duobus, si vnus non potuerit, vel noluerit procedere, alter nihilominus exequetur, iuncta Gloss. Noluerit ibidem, si ergo hoc verum est in delegatis, a fortiori in ordinariis. Confirmatur, quia, quis ex negligentia perdit iurisdictionem, *Gloss. fin. capit. Ex transmissa 6. de foro compet. Vide quæ dixi capitul. 7. qu. 27.* vbi retuli ex Doctoribus allegatis a *Barbosa ad cap. 10. sess. 24. n. 58.* ordinarium post biennium, inuite superiore nolente, vel subterfugiente, posse solum hanc causam terminare.

9 Puto idem dicendum respectu superioris, negligente Episcopo, quia hoc idem probant allatæ rationes. Confirmatur, quia non est maior ratio cur id facere possit Episcopus, & non superior, altero repugnante irrationabiliter, aut negligenter, sunt enim ambo æqualiter in hac causa iudices, immo superior videtur potior iudex cum reclamans sit illi simpliciter subditus, Episcopo verò solum ex hac speciali causa, vnde bene Tridentinum nomen superioris præmisit ordinario cum pronomine demonstrante actam subiectionem, ibi: *Coram superiore suo, & ordinario.*

Quæres 6. An in reclamatione monialium regularib. subiectarum recurratur ad vtrumque iuxta Tridentini decretum?

Resp. Sic, non obstante particula, *quicumque* quia in 10 fauorabilibus, vti est materia de Reclamatione, masculinum concipit fœmininum, *leg. Aut Diuus ff. de iure fisci*, & Doctores communiter in *l. Si ita scriptum 46. ff. de l. 2.* in terminis *Zerola in praxi Episc. part. 1. v. Monialis §. Ad secundum*, dictionem prædictam vertit *Quæcumque* Ratio est, quia non minus monialis quam religiosus est capax Reclamationis, cum vterque inualide profiteri possit.

An autem monialis extrahenda sit è monasterio, vt possit probare nullitatem suæ professionis? *Portellus part. 1. casu 9. numero 9. ex Marcilla, & Farinacio* affirmat suam responsionem ex S. Congr. refert, & opinionem Nau. consil. 1. de confessis, & adducit cum eodem *Nauar. simile ex capitul. Cum locum, de sponsalib.* vbi Papa iubet puellam interrogandam super validitate matrimonij reponendam esse in loco tuto, vbi possit libere, & sine timore respondere.

11 Sed non video hanc necessitatem, quia in casu reclamationis simplex dictũ monialis reclamantis non facit fidem, nec probat in eius fauorem, vt eximi possit à iugo religionis, quia licet contra se quisq; testari possit, tamen pro se nemo testificari potest *caus. 12. q. 2.* initio, quia in propria causa nemo idoneus testis esse potest, *cap. Si testes, §. Nullus 4. q. 2. & 3.* est priuilegium solius Dei, ibi: *Testificor quia ego Deus tuus sum.* Nullitas igitur professionis probanda est per testes productos à moniali, ergo nulla necessitas extrahendi monialem, vt libere valeat fateri nullitatem suæ professionis, hoc ipso quod propria confessio eidem nihil prodest. Si ad alium effectum necessaria sit confessio monialis extrahi potest, quando timetur de libertate eius in confitendo veritatem fauore alterius, & sic priora procedunt.

Quæres 7. An par debeat esse probatio nullitatis professionis ad quemcumque effectum? Aliquando enim professus reclamat ad eum finem, vt exeat à religione, & restituatur ad priorem libertatem. Interdum probatur nullitas professionis ad effectum successionis, aut alterius causæ, quæ non tangit expoliationem habitus.

12 Resp. Quando intenditur exitus à religione probationes debent esse exactæ, & firmiores clare concludentes nullitatem professionis, & tales requiruntur, quales exiguntur in probãda nullitate matrimonij carnalis, qui ad minus debent esse duo testes omni exceptione maiores 13.

In aliis verò casibus sufficiunt leuiores probationes, vt docet *Gem. cons. 17. Seraph. decis. 1282. n. 6.* & dictum fuit in vna *Bonon. fideicom. de Nascent. 19. Nouemb. 1638. cora Ghisler. vt dicitur in vna Firmana Profess. die 2. Decemb. 1659. coram Rosas, apud Dianam part. 6. in fine, decis. 7. §. Tertio.*

13 An autem ad declarandum nullitatem professionis in aliis casibus, quam exitus, & dimissionis, seruandum sit decretum Tridentini, ac proinde declaratio facienda sit à superiore, & ordinario, de quibus supra? Respondetur sic, quia nullibi conceditur facultas declarandi professionem nullam, nisi in prædicto loco Tridentini.

Quæres 8. An quinquennium, infra quod nulliter professus reclamare potest coram suo superiore, & ordinario ex dispositione Tridentini incipiat a die professionis? An verò à die scientiæ nullitatis? An à die remotionis impedimenti metus, aut alterius causæ.

14 Respond. Quinquennium incipit à die professionis nulliter emissæ, non quonis casu negligentiæ, ignorantiæ, metus, aut alterius impedimenti. Probatur, quia id expresse dicitur in Tridentino illis verbis. *Non audiatur, nisi infra quinquennium tantum à die professionis.* Expressio enim diei refertur ad diem naturalem actus gesti, non ad diem scientiæ aut sublati impedimenti, maxime stante adiunctione dictionis, *tantum*, quæ ad expressum tempus naturale restringitur, & morale excludit. Et in casu negligentiæ, res clara est, quia negligentibus semper currit tempus, siquidem mora cuique est nociua, Reg. 25. in 6. & negligentibus iura non subueniunt, leg. *Non enim ff. ex quibus causis maior. & facit, capit. fin. de elect.* cum ibi notatis. In casibus verò ignorantiæ, & aliorum impedimentorum videtur difficultas propter illud axioma, quod tempus non currit iuste impedito, *lege 1. §. fin. C. de annali except. ca. Quam sit 6. capit. Commissa 35. de elect. in 6.* Ignorans autem censetur iustum habere impedimentum, *l. Quamdiu C. qui admitt. ad bon. possess. Paris. lib. 1. de resignat. quæst. 5. num. 75. Barbosa Vaz. ver. Ignorantia num. 3.* Pari ratione metuenti non currit tempus, cum iustum habeat impedimentum timendi minas patris, aut alterius, si voluerit reclamare. Nihilominus prædicta non obstant, quia tunc impedito non currit tempus, quando à lege appositum fuit in fauorem vnius, licet non in odium alterius, qui agere tenetur, *Gloss. v. Numerandum, cap. 4. de prabend. in 6.* illud autem quinquennium expressum fuit fauore religionum, ne continue molestarentur à Professis. Præterea metus patris, aut alterius non videtur impedire posse professum à reclamatione, maxime quando ab inuicem longe distant, & potest inscio metum incutiente, tentare reclamationem, ergo non censetur vere impeditus, quando aliqua ratione potest impedimentum remouere, *Dec. in capit. Cum*

fnero, de appellat. not. 3. Verall. part. 2. decis. 72. Ita docet *Sanch. lib. 7. disp. 37. q. 2. num. 19. citando Nauar. tom. 2. comment. 4. de regul. n. 71. & consil. 6. de iis, qua vi. Bonac. q. 2 de claus. p. 10. diff. 4 num. 5. Portellus part. 3. casu 42. vbi citat pro se Rodr. in summa tom. 4. c. 75 concl. 5.*

Quinquennium hoc currere minime iuste impedito, sed prorogari eidem vltra naturalem cursum docuerunt quamplures, *Graff. tom. 1. consil. 6. de Regul. num 9. & consil. 7. eod. n. 2.* quem inaduertenter retuli in contrarium, *cap. 7. q. 5. Rodr. tom 3. q. 17. art. 16. cum suo Compend. resol. 101. num. 66. Less. lib. 2. cap. 41. num. 64. Mirand. tom. 1. q. 32. art. 3. Diana resol. 53 de dubiis regular. aliis citatis, Pasqualigus decis. 432.* qui asserit iure ordinario audiendum esse professum nulliter, qui non potuit reclamare infra quinquennium, & probat præsertim respectu eius, qui fuit impeditus per metum durantem vltra quinquennium, quia Tridentinum vltra illud spatium ideo negat audientiam reclamantibus, quia præsumit illos professionem ratificasse, & contra hanc præsumptionem, quæ est iuris de iure non datur probatio; modo in casu supposito durare metum vltra quinquennium, præsumptio hæc non potest habere locum, ergo neq; restrictio quinquennij, nam hoc beneficium quinquennij concessum respicit capacitatem nulliter professi, ergo habet incipere à tempore, quo illo vti potest.

Hoc argumentum probat adhuc constare de nullitate professionis eodem metu durante, ac proinde posse reclamare, coram autem cõiudicibus in Tridentino expressis non probatur, hæc enim duo diuersa sunt inter se, constabit autem sequenti quæstione, illos coniudices post quinquennium naturale ibidem præscriptum carere authoritate ibi eisdem restricta. Deinde præsumptio ratificatæ professionis fuit causa finalis restringendi tempus reclamationis ad quinquennium, quia contra ratificatam non reclamatur, cum dicatur valida; cessante autem causa finali in hoc, vel illo particulari casu, non ideo cessat legis dispositio etiam in dictis casibus, sed solum quando causa cessat in omnibus casibus, *Glos. in capitulo Neophites 8. dist. 61. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 37. num. 22. Rodr. tom. 1. q. 56. art. 12. §. Et licet,* vbi plures Doctores citat; nam ad ea, quæ raro accidunt, lex non se extendit, l. Nam ad ea ff. de leg. Præterea Tridentinum non distinxit inter metum transeuntem, & durantem, sed simpliciter dixit. *Quicumq; regularis prætendat per vim, & metum ingressum esse religionem,* ergo neq; nos, ex vulgaris iurib. Insuper Tridentini lex est in numero illarum, quæ fundantur in præsumptione, quæ licet non obligent in foro conscientiæ, quando adest veritas in contrarium, ligant tamen in foro externo, & iudiciali, *Rodr. tom. 3. quæst. 54. art. 6. aliis citatis, Nauar. tom. 2. de incompat. benef. num. 6. Megal. consil. 6 n. 11.* in materia autem reclamationis attenditur forum externum, & iudiciale, ergo sublata etiam præsumptione, attendendum est decretum Tridentini iuxta præfixum quinquennium. Demum doctores, quos citaui *resol. 133 q. 19. n. 23.* asserunt, metum etiam in casu præsenti esse difficilis probationis.

Quæres 9. Qui noluit, seu non potuit reclamare infra quinquennium à die professionis numerandum iuxta Tridentinum, an postmodum audiri possit ad iisdem iudicibus saltem iure extraordinario per beneficium restitutionis in integrum?

17 Respond. Nullatenus audiri potest à suo superiore & ordinario, sed recurrere debet ad sedem apostolicam.

Primum, quod non possit audiri ab illis coniudicibus, suadetur. Tum quia iure antiquo *cap. 2. de regul. pubes.* per vim ingressus qui intra annum non reclamauerat, vlterius non audiebatur, quod extensum fuit ad quinquennium iure nouo Tridentini, ergo eo peracto non habent plus iurisdictionem expediendi hanc causam. Tum quia summus Pontifex Vrbanus VIII. in suo decreto, quod retuli *tom. 1. resol. 23. num. 7.* Statuit, nulliter professos defectu loci nouitiatus designati nullo modo posse audiri vltra quinquennium. Tum quia hoc idem multis probaui, *cap. 7. q. 19. & tom. 1. Resol. 8. n. 50. §. Tertia ratio.* Confirmatur ex mox dicendis.

18 Secundum, quod solus Papæ sit audire nulliter professum post quinquennium, probatur, Tum quia quoties in iure agitur quæstio de cognoscenda validitate; aut nullitate professionis recurritur ad summum Pontificem, *cap. Porrectum, cap. Cum. simus, cap. Sicut tenor, cap. Sicut nobis, cap. Ex parte de regul.* ergo signum est hoc iudicium spectare ad summum Pontificem, maxime excluso quinquennio, extra quod nullibi in iure caputmitur hanc causam spectare ad inferiores iudices. Tum quia agitur de causa spectante ad votum solemne Pontificis, quam alio aliud iure non exprimitur, vt in casu quinquennij. Tum quia ita praticari testatur *Portell v. Professionis nulla reclam. num. 45. §. Circa quod, ex eo Compend. Rodr. resol. 101. n. 71. Scrofa in libello de inualid. profess. dub. 1.*

Quæres 10. An quouis tempore quinquennio transacto nulliter professus, qui professionem non ratificauit à sede apostolica possit petere restitutionem? *Dico à sede apostolica,* quia ex probatis, post quinquennium nullus, præter Papam, est iudex in hac causa: Videtur quod non, Tum quia beneficium restitutionis in integrum non habet locum in spiritualibus, siquidem non videntur decepti, qui meliorem vitam elegerunt, *Glos. fin. cap. penul. de iis, quæ vi.* Tum quia restitutio in integrum supponit læsionem, *l. Nam. & postea, §. Minor. ff. de iureiur. l. minoribus ff. de in integr. rest.* Sed professus non dicitur læsus; maxime, quando sponte elegit statum religiosum, ergo non est capax huiusmodi restitutionis. Alia adducit *Sanch. lib. 7. disp. 37. q. 3. n. 21 ad finem.* adducit contra se duos doctores *Cenallum, & Flaminium, quibus adde Bonac. q. 2. de claus. p. 10. diff. 4. dub. 3 §. Ego.*

19 Respondetur. Minor potest petere restitutionem in integrum, licet ex negligentia infra quinquennium non reclamarit. Maior pariter eamdem petere potest, quando infra quinquennium non potuit reclamare, obstante ignorantia nullitatis, aut aliquo impedimento. Huiusmodi autem restitutionis beneficium eisdem competit etiam vltra centum annos, si totidem annis duraret ignorantia, aut impedimentum; nulliter professus post minorem ætatem habet quadriennium numerandum à die scientiæ, aut impedimenti sublati. Vtrumque autem maior probare tenetur, nimirum antea ignorasse nullitatem professionis, aut impedimentum durasse. Interrogatus autem super ignorantia potest iurando æquiuocare se ignorasse nullitatem suæ professionis, licet de illa scientiam antea habuisset.

Prima pars, quod minor possit petere restitutionem, probatur, quia in aliis causis minorum, qui nondum viginti quinque annos expleuerunt, læsis datur restitutio in integrum, *Glos. & Doct. in Authent. Quas actiones C. de sacros. Eccle.* ergo est etiam nulliter professis, cum dicuntur læsi hoc ipso, quod non obligati detineantur sub iugo monasticæ disciplinæ priuati sua libertate, quæ auro pretiosior est, & omnibus rebus fauorabilior est. *l. libertas 165. ff. de regul. iur.* inæstimabilis res est, *l. libertas 107. eod.* & libertati in dubio fauendum est, *l. quoties 21. eod.* Ex quibus tolluntur obiectiones initio allatæ. Nec obstant, quod non datur probatio contra præsumptionem iuris de iure; & quod in Tridentino prohibetur audientia post quinquennium, quia ad prius dicitur, quod non admittitur probatio iure ordinario, vtique extraordinario, vt doctoribus citatis docet in hac re *Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 22.* ad posterius dico in Tridentino negari

gari audientiam coram iudicibus ibi expreſſis, vel ex eodem Sanch. negare iuri ordinario. *Ita Gloſ. v. Diſcretionis, cap. Cum virum 12. de regular. Sanch. lib. 8. diſputat. 37. qu. 3. num. 22. cum Nauar. tom. 2. comment. 4. de regular. numer. 71. conſil. 6. de iis, quæ vi. Rodr. tom. 3. quæſt. 17. art. 17. §. Ex quibus, Leſſius lib. 2. cap. 41. num. 75.* Procedunt dicta, licet antea neglexerit reclamare, quia hoc beneficium indulgetur præciſe ratione minoris ætatis, quæ labilis eſt, & ſubiecta deceptionibus.

20 Secunda, quod in maiori ætate conſtituto competat beneficium reſtitutionis, probatur, quia omnibus læſis, qui in minori ætate non potuerunt reclamare, conceditur hoc beneficium ex illa generali clauſula, *Si qua mihi iuſta cauſa, l. 1. ff.* Ex quibus cauſis ma ot. *Ita Sanchez, lib. 7. diſp. 27. num. 23.* Dixi autem, quod non gaudet hoc priuilegio, quando ante potuit reclamare, quia beneficium huiuſmodi reſtitutionis fundatur in iuſta cauſa, quæ abeſt, quando tempore debito poterat reclamare, ex eo quod cognitionem habebat nullitatis profeſſionis, & ſublatum erat impedimentum. *Sanch. lib. 7. diſput. 37. n. 23. Leſſ. lib. 2. cap. 41. nu. 65. Sedes Apoſtolica, vt refertur per Dianam part. 6. deciſ. 14.* conceſſit B ene reſtitutionis in integrum cuidam moniali, quæ in religione permanſerat per annos viginti quatuor. Beneficium autem hoc competere læſis etiam vltra centum annos, *ex Couar. docet Sanch. li. 7. diſp. 37. n. 26. in terminis cum Nau. illo com 4. de regul. n. 71. §. Tertio, Azor li. 12. c. 4. qu. finali.* quia ex diuturnitate cuiuſvis temporis, profeſſio nulla non reualidetur, quia non firmatur tractu temporis, quod ab initio non ſubſiſtit.

21 Tertia pars de quadriennio pro maiori numerando à die ſcientiæ, ſeu impedimenti ſublati, colligitur *ex l. fin. C. de in integr. reſtit. c. 1. & 2. eod. Sanch. li. 7. diſp. 37. n. 26. Nau. com. 4. de reg. n. 71.*

22 Quarta pars de ignorantia, & impedimento probandis conſtat ex eo, quod huiuſmodi præſupponuntur ignota iudici, qui cauſam tractare debet, nec conceditur priuilegium hoc niſi illis ſuppoſitis. Ignorantia autem iuramento probatur à iudice præſtito, ſicut & quod non ratificauit profeſſionem, ad quod faciũt, quæ habet *Caiet. 2. 2. q. 88. art. 1. fine,* aliud verò impedimentum alio medio eſt probandum, quamuis etiam iuramentum cũ adminiculis ſufficiat, vt docet *Sanch. l. 7. diſp. 37. nu. 27. Compend. reſol. 101. num. 72. Portel. ver. Profeſſio num. 40. & 50.*

23 Quinta, quod interrogatus poſſit reſpondere æquiuocando, probatur, quia quandocumque iudex procedit ex falſa præſumptione non cenſetur iuridice interrogare, cum habeat cognitionem negotij, ergo interrogatus poteſt æquiuocare reſpondendo, ſe antea ignoraſſe nullitatem ſuæ profeſſionis, de qua tamen notitiam habebat. *Ita ex Sanch. lib. 7. diſp. 37. num. 28. Portel. v. Profeſſio num. 51. Compend. reſol. 101. n. 73. Sanct. lib. 1. Var. reſol. qu. 48. num 15. apud Barboſ. ad hoc capit. 19. ſeſſ. 25. numer. 13. quos citaui capit. 7. de Reclam: qu. 9.*

Quæres 11. An religio contra nulliter profeſſum poſſit vti priuilegio prædicto reſtitutionis in integrum Probaui Reſ. 23. q. 2. Superiores religionis virtute Trident. infra quinquennium poſſe reclamare contra nulliter profeſſum, ſicut ipſe profeſſus habet hoc idem ius reclamandi contra religionem, ex quo facile deducitur reſolutio quæſtionis.

24 Reſp. Religio poteſt vti hoc eodem remedio, quia nõ minus cenſetur læſa alendo non profeſſum pro profeſſo, quam ipſemet profeſſus detentus contra ſuam libertatem in religione, ergo poteſt petere exemptionem ab huiuſmodi onere beneficio reſtitutionis in integrum. Confirmatur, quia correlatiua non iudicantur ad imparia ex vulgatis iuribus. Verum quidem eſt, quod nulliter profeſſus hoc remedium eludere poteſt, aſſerendo ſe profeſſionem ratificaſſe, in quo contra ipſum ſuperiores agere non poſſũt ad excluſionem, quia profeſſus eſt per eam ratificationem, in quo caſu ſtandum eſt eius aſſertio iuramento firmata, quia huiuſmodi atteſtatio eſt illi oneroſa, cum cogatur remanere ſubiectus obſeruantiæ regulari.

Quæres 12. An nulliter profeſſus reſumpto habitu, quem propria authoritate depoſuerat prætextu nullius profeſſionis, audiendus ſit ex decreto Tridentini?

25 Reſpondetur. Reclamans poſt depoſitum habitum non eſt audiendus, ibi: *Quod ſi ante habitum ſponte dimiſerit, nullatenus ad allegandum quãcumque cauſam admittatur.* Nullo igitur modo audiendus eſt, vt de

26 ſe verba clara ſunt, & particula, *Nullatenus,* excludit omnes caſus, & omnem potentiam, *lege, fin. C. de teſtam. milit. Marta part. 4. de iuriſd. cenſur. 2. caſu 153. numer. 10.* & importat nullitatem actus ipſo iure, *Gloſa, ver. eod. Autent. Si qua mulier C. ad ſenatuſ. Velleian. Gloſ. v. eod. Clem. fin. de ſeq. poſſ. & clem. 1. de ætat.* Habet etiam virtutem decreti irritantis, *Felin. in ca Ex literis, de conſtit. caſu quinto. Roland. conſil. 27. numer. 11. & 12.*

27 Quod ſi habitu reſumpto reclamet auditur, ac ſi antea habitum non depoſuiſſet, quia tunc ſe fatetur eſſe in ſtatu religioſo, ac alias profeſſum, licet nulliter, talis autem auditur ex dicto Tridentini decreto, hoc ipſo, quod per reſumptionem habitus ſe religioni reſtituit, quam ſpoliauerat. *Ita Gloſ. ver. reuocare, capit. Si cuſtes 19. 17. quæſtione prima, Portell. ver. Profeſſio numero 45. Mirand tomo primo. quæſtione 30 art. 6. concl. 1. Gratianus capitul. 413. numero ſeptimo, alios citat Diana reſolution. 53. de dubiis regular. §. Notandum. Bonac. quæſtione de clauſ. p. 10. diff. 3. num. 2. & alij omnes.*

Quæres 13. An quinquennium numerandum ſit à quouis die profeſſionis nulliter emiſſæ, e. g. quis profitetur in decimo quarto, an decimo quinto, expletis, an ab eo die incipiat quinquennium? An verò incipiendum ſit à die iuridico profeſſionis emiſſæ, hoc eſt, poſt annum decimum ſextum expletum, nouitiatu etiam præmiſſo? Hoc ſecundum, *Beia part. 4. caſu 28. videtur aſſerere §. Nec dici poſſe, ex aliorum opinione?*

28 Reſp. Quinquennium accipiendum eſt à quouis die profeſſionis ſiue ſit iuridicus, ſiue contra ius, & id manifeſtè patet ex textu Tridentini, vbi ſpecificantur duæ cauſæ annullantes profeſſionem metus, & illegitima ætas, quare etiam à tempore illegitimæ ætatis numerandum eſt quinquennium, aliter Tridentinum ſibi contradiceret.

Quæres 14. An liceat reclamare contra profeſſionem emiſſam ex metu leui ad reciſionem? Videtur quod ſic, quia alij contractus per metum leuem initi reſcinduntur *l. fin. C. de his, quæ vi. Leſſ. l. 2. c. 17. n. 38.* & votum metu contractum à parte irritatur, ergo dicendum idem reſpectu profeſſionis.

29 Reſpond. Negatiue, quia obiectum reclamationis eſt profeſſio nulla, non autem valida, qualis eſt emiſſa ex metu leui, nam profeſſio ſemel valida irritari, neque reſcindi poteſt, quia indiſſolubilitas, & perpetuitas eſt de illius eſſentia vſque ad mortem profitentis, ca. Vidua 13. 20. qu. 1. Confirmatur à pari de matrimonio valido, quod nullatenus reſcindi poteſt, quia eſt indiſſolubilis contractus. Non obſtant in contrarium adducta, quia contractus temporales ideo poſſunt reſcindi, quia de illorum ſubſtantia non eſt indiſſolubilitas. Et vota filiorum ideò irritari poſſunt, quia in ſuo eſſe dependent à voluntate parentum, non ſic profeſſio, quæ à ſuperiore acceptatur, & ita conualidatur, vt contra eam venire nullus poſſit.

Quæres 15. Prætendens nullam eſſe profeſſionem defectu loci nouitiatus non deſignati à ſede apoſtolica iuxta Decretum Clem. VIII. Quomodo hoc impedimentum probare poſſit?

30 Reſpondetur. Probandum eſt id per religioſos ordinis reclamantis, nam affirmanti incumbit proba-

tio ea vulgatis iuribus. Quare si religiosi exhibebunt Breue Sanctissimi approbantis locum nouitiatus, vel alias scripturas, seu chirographa, aut memorias in libris monasterij approbationem nouitiatus iudicantes, debet desistere a reclamatione, quia reuera ex hoc capite est professus valide. Quod si instante reclamante conuentus nihil ostendere potest, & locus nouitiatus est antiquus vsque ad tempora Clementis VIII. qui designationem nouitiatuum primo ordinauit de anno 31 1596. præsumendum est esse ea designatis, quia in antiquis solemnitates præsumuntur interuenisse ea diuturnitate temporis, etiam extrinsecæ, lege. *Qui in aliena 6. ff. de acquir. vel omit. hered. l. Si filius, de pet. hered. Aymon de antiq. temp. part. 3. nu.* 14. vbi ait procedere etiamsi agatur de graui præiudicio, *Rota Rom. in Nouiss. vol 4. decis.* 201. *numer.* 8. Tempus autem antiquum est etiam spatium quinquaginta annorum, Puteus par. 1. decisione 212. modo autem sunt fere quinquaginta anni, quo nouitiatus cum designatione loci à sede apostolica instituti fuerunt; quando igitur non inuenitur memoria scripta fidem faciens de nouitiatu legitime deputato, & constat eius institutionem esse fere coæuam Decreto sanctissimi tenendum est pro certo locum esse ea legitimis, nisi in contrarium adsint testes negantes approbationem legitimam, quia tunc fauendum est reclamanti, alíter tenetur tanquam valide professus remanere in religione.

Quæres 16. An toto tempore reclamationis nulliter 32 professus alendus sit expensis monasterij? Resp. sic, *Res.* 116. *q.* 7. quia pro filio conuentus habetur vsque ad sententiam definitiuã, postquam non amplius dicitur filius, sed exhæredatus, ac proinde proprijs pecunijs tenetur ad sententiam.

Quæres 17. An qui metum incussit profitenti, qui ideo nulliter professionem emisit, assumi possit in testem fauore ipsius reclamantis, qui metum passus fuit?

33 Resp. Affirmatiue, *Res.* 105 *q.* 23. *n.* 61. vide ibidem, ne hic frustra repetam.

Quęres 18. An vnus religiosus pro alio reclamante testificari possit?

34 Resp. Affirmatiue, quod probaui supradicta *Res.* 5. *q.* 25. *n.* 95.

Quęres 19. An religiosus militaris reclamare volens subijciatur decreto Tridentini, & causa agitari debeat coram suo superiore, & ordinario? Videtur quod sic, quia huius generis non minus religiosi sunt, quam non militares, & Tridentinum generaliter loquitur de religiosis, ergo comprehendit etiam militares. Quod sint vere religiosi habeo, *cap. 1. quæst.* 10. *Diana res.* 49. *de immun. tract.* 2. *& resolutione* 30. *de dubiis regular.*

35 Respond. Negatiue per *Beiam part. 4. casu* 22. *vbi §. Adducor*, asserit regulares Militares non comprehendi sub decretis 15. 19. de quo in præsenti Tridentini, & refert decisionem Rotæ coram Seraphino die 11. Decembris 1570. Ex quo videtur inferendum, religiosum militarem audiendum esse solum à suo superiore maiori; nihilominus videtur obstare ius commune antiquum, quod capit. 2. de regul. hoc munus dicit spectare ad Papam, vel Episcopum, aut eius Vicarium Generalem, ergo de iure antiquo non spectat ad solum superiorem religionis, quare ego requirerem vtrumque sequendo etiam dispositionem Tridentini, cum sit fauorabile decretum religiosis. Et ita practicatur. Et sine dubio locum habet Trident. in Militibus Hierosolymitanis ex eorum statutis, & ordinationibus.

Quęres 20. An dubius de nullitate suę professionis possit reclamare?

36 Resp. Negatiue, quia dubia professio habetur pro valida ex probatis *Res.* 120. *q.* 28. *n.* 69. Ergo contra eam nemo reclamare potest, quia obiectum reclamationis est professio nulliter emissa, vnde probatio relinquens rem dubiam non releuat reclamantem, sed cogendus est remanere religione.

Quæres 21. An qui simulauit profiteri, sed reuera non consensit, sed tantum finxit, possit reclamare, & probare nullitatem suæ professionis medio iuramento?

Respondetur. Iuranti se finxisse professionem nul- 37 latenus credendum est, nec admittendus est, quia in foro externo iuranti non creditur pro se, maxime quando extat gestum in contrarium, aut præsumptio iuris, *Bartol. in leg. inter omnes §. Ratio ff. de fur. ex eo Modum §. Lex est, dubit.* 71. *numer.* 5. *Sanchez, lib.* 5. *disputation.* 15 *numer.* 12. *Ita expresse colligitur ex cap. Viduas* 8. 27 *quæstione prima, & cap. 2. de regul.* qui textus coinciduut. *Sanch. lib. 7. disputation.* 37. *num* 14. *Portel. n.* 50.

Quæres 22. An Tridentinum loquatur de omnibus impedimentis, & defectibus impedientibus valorem professionis? Inter impedimenta alia sunt intrinseca, vt metus, defectus ætatis, consensus in professionem, &c. alia extrinseca, vt defectus loci non designati, anni, nouitiatus, &c. Alia sunt ad tempus, vt defectus ætatis, &c. alia perpetua, vt conditio sexus, de *quib. dixi plura ca.* 6. *q.* 19. *& ca.* 7. *q.* 16. *&* 17. *& Res.* 132 *q.* 14. *n.* 29.

Resp. Ibi sermo est de omnibus impedimentis per- 38 petuo non durantibus respectu illorum volens reclamare sequi debet dispositionem Tridentini, vt multis probaui Resol. 23. Decretum vero eiusdem Tridentini locum non habet in impedimentis perpetuis, cum illud disponat tantum respectu eorum casuum, in quibus cadere potest ratificatio, eo quod post quinquennium præsumit ratificationem, sed in impedimentis perpetuis non potest præsumi, neque cadere ratificatio, quæ locum habet tantum respectu eorum professorum, qui carent impedimento, dum professionem nulliter alias emissam volunt ratificare, ergo in impedimentis perpetuis non datur ratificatio, neque proinde reclamatio iuxta dispositionem Tridentini, quare fœmina professa inter viros cum sola licentia prælati regularis, & etiam sine illa recedere debet, item cõiugatus professus repugnante, & contradicente vxore coram superiore tantum regulari dimitti potest, sine vllo interuentu Episcopi, probaui *c. q.* 22. *& facit Nau. cons.* 26. *&* 48. *de regul.* Quod Tridentinum non comprehendat impedimenta perpetua, *docet Sanch. lib.* 7. *disp.* 37. *n.* 32.

Quæres 23. An hæc potestas, quam habent superior, & ordinarius audiendi intra quinquennium nulliter professos reclamantes, vt dimittantur ab obedientia religionis, sit ordinaria, an delegata? c. 7. q. 18. docui hanc potestatem illos habere iure delegato, non autem ordinario. Primo, quia in multis locis Tridentini Episcopus ius habet in regulares delegatum à Sede Apostolica, & id aliquando exprimitur, aliquando non, quia clausula, quæ tacite inest, parum refert siue exprimatur, siue non ex vulgatis iuribus. Secundo, quia iurisdictio ordinaria generalis est respectu causæ, & personæ, in casu præsenti restringitur ad vnicam causam. Tertio, quia delegatus ille dicitur, qui in causa procedit non ex officio suo, sed alieno, maxime cum procedat contra exemptum. Quibus non obstantibus.

Respondetur. In hac causa vterque iudex proce- 39 dit iure ordinario, probatur, quia illa iurisdictio vocatur ordinaria, quam quis exercet ex officio suo, & 40 idem competit ex dignitate, & non intuitu personæ, seu à lege eidem concessa, *Bart. in l. Ambitiosa ff. de decr. ab ordin. fact. num.* 34. *Bald. Imola, & alij in capit. fin. de off. ordin. Couar. lib. 3. Var. capit.* 20. *numer* 9. *Nau. consil.* 9. *de priuileg. Rod. tom.* 1. *qu.* 17. *art.* 11. Sed vterque hanc potestatem habet ex officio, & dignitate, & ex lege præcitati Tridentini, & de Episcopo constat, etiam iure

iure antiquo, *cap. 2. de regul.* Neque obstaor in oppositum adducta, quia etiam delegatus à principe, seu ex vi legis prouisus dicitur vti iurisdictione ordinaria respectu causæ sibi commissæ. Et quando Episcopus in ea causa procedit simul cum superiore regulari dicitur agere contra, vel pro religioso sibi subdito, quia iure antiquiore quo ad hoc nulliter professus nunquam exemptus fuit, sed semper subiectus. Sed hæc quæstio non multum prodest in praxi.

Quæres 24. An non obstante, quod religiosus non potest reclamare transacto quinquennio naturali, saltem possit vltra illud admitti ad probandum, cur non reclamauerit tempore debito? *Rodr. tom. 3. q. 17. art. 16.* dicit, quod quamuis nulliter professus non possit admitti ad allegādum, quamcunque causam professionem annullantem non tamen est excludendus allegans causas, cur non reclamauerit, non obstantibus illis verbis, *Quamcumque causam*, quæ restringuntur per narratiuā respectu volentis probare nullitatem professionis, non autem referuntur ad causam probantem, cur non reclamauerit, & cum eo *Compend. resol. 101. n. 68. Portel. v. Professio n. 45. Mirand. tom. 1. q. 30. art. 1.*

41 Respond. Neque causam, cur infra quinquennium non reclamauerit adducere non potest coram dictis iudicibus. Probatur, quia negato principali, prohibentur ea omnia, per quæ ad illud perueniri potest ex *reg. 39. in 6.* Allegatio enim causæ, cur non reclamauit, est via ad allegandum causas nullitatis professionis, quas non potest audire vterque ordinarius post quinquennium. Tum quia iudicium finiendum est ab eo, à quo fuit cæptum, *l. Vbi captum ff. de iur. om. iud.* non potest autem finiri. Demum hæc admissio videtur frustratoria, cum admissus non possit postea obtinere sui intentum. Hanc tenet *Bonac. q. 2. de clans. p. 10. diff. 4. n. 4. §. Ad rationem.*

Quæres 25. An nulliter professus, qui tamen in foro conscientiæ apud Deum secreto ratificauit professionem, possit nihilominus reclamare.

42 Respond. Nequaquam, quia iam vere, & valide est professus, reclamatio autem conceditur existente adhuc nulla professione iam emissa, & nondum conualidata. Quare Tridentinum prohibuit reclamantes audiri, quia præsumit illos ratificasse professionem. Et supra sub *quæst. 2.* dixi iudices initio causæ debere inquirere à volentibus reclamare, an ratificauerint professionem, mediante iuramento, & illis asserentibus, vlterius non esse procedendum in causa, sed remittendis ad claustra sub disciplina sui superioris.

Quæres 26. An regulares superiores pro nouitiis professuris ad euitandum in posterum reclamationem ob nullitatem professionis, possint concedere statutum similibus verbis. *Ego N. sciens, & volens iuro, me non contrauenturum huic meæ professioni, etiamsi deinceps venero in cognitionem nullitatis eius ex quacumque causa, quia nunc pro tunc ratifico illam, & volo valere.* Ratio dubitandi est, quia hoc statutum videtur destruere decretum Tridentini de reclamatione, eo enim posito nullus reclamare potest. Tum quia, vt quis ratificet professionem debet præcise eius nullitatem, quam tamen in eo casu præsumitur ignorare. Tum quia si tempore professionis, vel ante ei incutiatur metus aut ipse fingat profiteri sine intentione profitendi, hæc extenditur ad statutum, & sic ad iuramentum, & ratificationem, & ita neutrum subsistere poterit, quia ille metus, aut fictio, quæ irritauit professionem annullabit etiam reliqua ei adiuncta.

43 Respond. Regulares in suis capitulis Generalibus simile statutum condere possunt. Tum quia conditionem iustam quilibet potest apponere suis contractibus, modo non sit contra bonos mores, & nulli fiat iniuria, *l. in traditionib. ff. de pact.* ergo professioni cum sit contractus, neque enim nouitio fit iniuria, cum ab eo volente recipiatur huiusmodi iuramentum, & consolidetur professio fauore animæ, in quantum non potest reclamare; neque est contra Tridentinum, in quo non præcipitur Reclamatio, sed tantum conceditur volentibus eam. Tum quia hoc statutum est multum vtile saluti professorum, qui in statu religionis melius, & perfectius Deo seruire possunt, quam in seculo, cui voluntarie semel renuntiarunt; & valde proficuum religioni, cuius tranquillitati, & paci consulitur, remotione litium, & discordiarum, quæ solent accidere in reclamationibus, vt experientia rerum magistra multos docuit occasione Breuis Sanctissimi Vrbani. Tum quia licet ratificatio supponat scientiam nullitatis professionis, sufficit tamen scientia conditionata, seu in actu signato, in quantū quis ratificat professionem ex suppositione si nulla est, quamuis de facto ignoret nullitatem, vt docui *resol. 132. q. 7.* Demum destruitur tertia ratio, quia iuramentum relatum ad ratificationem, metu graui subsistente, non tenet, consequenter ratificatio nulla est, cū facta sit coacte, neq; iuramento mediate accedit consensus, sicut neq; in simulatione consensus; Si vero vtrumq; refertur ad reclamationem, sine dubio tenet, ita quod nulliter professus reclamare non potest, nisi prius petat relaxationem iuramenti, & si enim iuramentum adiectum professioni, seu eius ratificationi inualidis eas non ratificet, quia per hoc illis consensus non accedit, adhuc tamen tenet, quia cadit præcise super reclamationem, cui non obstat metus quantumuis grauis, quia libertas necessaria est ad efficiendam professionem, non vero ad illam destruendam, quod contingit per reclamationem, cui aliquis cogi potest ad renunciandum, cum id non sit perficere, sed solum resistere eius destructioni, quod bonum est.

Quæres 27. An à religione dimissus nullitate probata suæ professionis recuperet ea omnia, quæ secum transtulit, aut acquisiuit in religione? Bona illata, vel acquisita in religione spectari possunt tripliciter. Primo vt simpliciter donata religioni præscindendo ab ingressu religionis, licet eius occasione, vt cum quis absolute facit donationem religioni nulla expressa mentione facta de ingressu. Secundo prout ea secum transtulit occasione ingressus, & incorporauit religioni secuta professione. Tertio prout ea acquisiuit post professionem per conciones, lectiones, confessiones, & huius generis munera, aut à parentibus seu aliis relicta fuerunt.

44 Resp. Donata absolute non recuperantur, vtique secum transportata, aut acquisita à parentib. vel aliis ante professionem; post vero acquisita ex officio religioso recuperantur quoad vsum fructum, quo ad proprietatem perpetuo sunt religionis.

Prima pars de simpliciter donatis tempore ingressus probatur, quia ea reliquit absolute præscindendo ab actu professionis, seu ingressus, licet ad eam occasionem aliquam dederit ingressus, non dependent tamen ab eo in substantia donationis, ergo simpliciter donatio sortita fuit suum effectum.

Secunda pars de transportatis, & acquisitis ante professionem, probatur. Tum quia religio succedit in quantum professio tenet. Tum quia in hoc nulliter professus æquiparatur nouitio abeunti, cui omnia restituenda sunt *cap. 16. sess. 25.* & Episcopus censuris, si opus est, cogit regulares nolentes restituere. Tum quia acquisita in secunda religione, in qua non valet professio restituuntur priori, in quia valide profecit, *Nau. tom. 2. comment. 4 de regul. num 24. §. Vndecimo. Armilla v. Religiosus 17. Angel. 44. Ita ex Anchar. & Decio Rodr. tom. 3. q. 52. art. 27. cum eo Compend. resol. 123. num. 82. Silu. v. Religio. 4. num. 10. Tabien. q. 27.*

Tertia pars de acquisitis exercitiis religiosis, quod

remaneant apud monasterium quo ad proprietatem, probatur ex eo, quod ea acquisiuit intuitu religionis, & religio in se illa transtulit iure dominij vsusfructus verò comitatur illam personam, quam etiam respiciebat in religione. Relicta verò à consanguineis, & aliis testamento, aut legato transeunt cum persona, quia potius spectata fuit persona quo ad ius etiam proprietatis, quam monasterium.

Quæres 28. An dimissus, si alias erat illegitimus, possit promoueri ad ordines minores, ad quos poterat licentiari in religione sine dispensatione?

46 Respondetur. Negatiue, quia professio ex qua habilitatur professus illegitimus ad ordines minores fuit nulla, ergo nullum produxit effectum. Neque formalis dispensatio accepta in religione prodesse illi potest in seculo, quia illa non tenuit, vt quæ applicata fuit vere non subdito, præterquamquod dispensatio dicta a superiore primis ordinis non seruit dispensato transeunti ad secunda vota, asserit *Rodr. tom. 1. q. 13. art. 13.*

Quæres 29. An criminosus capax sit ordinis, & beneficij?

47 Respond. Affirmatiue, quia in hoc æquiparatur nouitio, qui illorum capax est, ex ca. Postulasti de regular.

Quæres 30. An dimissus probata nullitate suæ professionis, recuperet quæcumq; aliis renunciauerat intuitu religionis disponendo de suis bonis?

48 Resp. Recuperat, quia renuntiationes, & dispositiones factę intuitu ingressus iuxta dispositionem Tridentini non valent, quando professio est nulla. *Ita Sanc. l. 7. c. 5. n. 55. Bart. à S. Faust. in Thes. relig. l. 5. q. 187. Peyrin. ad const. 2. Sixt. IV. n. 78.*

Quæres 31. An legitime dimissus probata nullitate suę professionis, qui nondum erat in sacris constitutus possit ducere vxorem? *Diana part. 6. tract. 7. res. 51.* Negat, quia cognita nullitate suæ professionis non remanet liber à voto castitatis, ac proinde non potest matrimonium contrahere, ca. Placet. 12. *de conuers. coniugat.* & si enim votum professionis includens votum castitatis solemne vt tale non valeat, tenet tamen vt simplex, & pro se adducit *Palud. Sanch. & Tiberium. Quibus non obstantibus.*

49 Respondetur. Licite contrahit matrimonium, qui nulliter profecit, & nullum aliud ante votum castitatis habuit, quam illud professionis nulliter tamen emissæ, quia vt clare dicitur in Tridentino, c. In quacomque 15. sess. 25. professio nulla nullam inducit obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obseruationem, aut ad alios quoscumque effectus. Et hoc pluribus probaui *Resol. 16. quæst. 5.* vbi dixi eitsiom textum supponere, personam, de qua ibi habuisse votum simplex independenter à voto solemni & ita tenet in hoc *Sanch. lib. 5. capit. 4. num. 105.* illis verbis. *Quare vt maneat simplici voto ligatus, oportet, vt habeat intentionem se obligandi illis votis in professione emissis independenter ab ipsa, vel saltem non restringendo intentionem ad vota solemnia.* Sed regulariter loquendo nullus se obligat, nisi ad id quod exprimit, exprimit autem solum solemnia, ergo hæc tantum intendit.

Quæres 32. Quidam nouitius proxime professus intendens probare nullitatem suæ professionis protulit in medium fidem emissæ professionis extractam ex libro Nouitiatus subscriptam solum ab illo superiore, qui eius professionem acceptauit, & admisit, eo quod ipse superior solus subscripsit, & nullus alius, neque idem nouitius, neque testes subscripserunt, quia ad id nullus testis vocatus fuit. Quæres, inquam, an per hos defectus subscriptionis, & testium professus reclamans sufficienter probauerit nullitatem suæ professionis? Et

50 videtur, quod sic. Tum quia id colligitur ex cap. Omnes fœminæ 37. 27. q. 1. ibi: *Scriptam, roboratamque professionem faciant*, ergo sine propria scriptura, aut saltem signo aliquo crucis, vt fieri solet ab ignorantibus scribere, cap. Vidua fin. 20. q. 1. Institut. Clem. VIII. pro educat. Nouit. nullius momenti est facta professio, siquidem robur significat vim, & efficaciam, seu valorem, si ergo professio per scripturam roboratur, signum est, sine illa nullius esse valoris. Tum quia subscribere est confirmare, & approbare factum, *cap. Non liceat 12. q. 2. Glos. v. Subscripserit arg. cap. Si quis 6. de rebus Eccles. non alien.* Tum Demum, quia & si ex vna parte chirografum professionis factæ magis sit contra ipsũ professum, *ex Glos. v. Scriptis, ca. fin. 20. q. 1. per ca. Saluberrimum*, nimirum vt scriptura propria obstet ei, qui vult reclamare, nihilominus ex alia parte cum illa scriptura nullius sit momenti, quia caret solemnitatibus requisitis, videtur inferendum magis prodesse reclamanti, quam illi obesse. Quibus tamen non obstantibus,

51 Respondetur. Dictus religiosus, qui reclamando intendebat probare nullitatem suæ professionis defectu subscriptionis propriæ, & testium tantum, nihil probauit, quia ille defectus subscriptionis licet aliqualiter suspectam reddant eam scripturam, non irritat tamen emissam professionem, quam non negat emisisse ille religiosus, siquidem valor professionis, iam emissæ, si nihil aliud obstet, quam illa subscriptio, non pendet ab illa scriptura, cum illi sit accidentalis, & extranea, solum facta, vt ex ea constet in foro externo, religiosum profecisse, ita quod non possit simpliciter eam negare, vt colligitur ex eo capite. Omnes fœminæ supra citato. Debet igitur reclamans alia via probare nullitatem suæ professionis, aliter cogendus est desistendo ab inceptis remanere in religione, cui primo se sponte dedicauit. Nec dicas, cum ea scriptura careat debitis requisitis, ac proinde in iudicio non probet, non potest illi obstare, arg. dicti capit. Omnes fœminæ, & dicti capit. Saluberrimum, quod enim nihil est nullum producere potest effectum, maxime in præiudicium tertij, consequenter neque religio illum cogere potest ad remanendum, cum legitime non constet de professione. Quia respondeo, cum reclamanti se profecisse neganti, aut asserenti se profecisse, sed nulliter, id non probando, credendum non sit, vt fit in præsenti casu, siquidem nullitatem certo, & clare probare tenetur per media legitima, & proportionata, qualia non sunt illa scriptura minus legitima nullum ius habes exeundi, & sic iure cogi potest ad remanendum.

Nec adducta in oppositum quicquam probant fauore Reclamantis, sed potius illi præiudicant, cum ex illa scriptura licet inautentica deduci possit profecisse, & cum sit registrata in libro ad hoc deputato præsumitur non falsum, sed verum factum supponere, & cum fuerint à superiore subscripta videntur sufficienter probare quo ad casum nostrum emissam fuisse professionem

Quæres 33. An Decretum Vrbani VIII. incip. Sanctissimus, Dat. die 5. Ian. 1636. quod extendi sub res. 23. num. 7. quo declarauit, receptos, & professus contra decreta Clem. VIII. de Nouitiis non admittendis nisi in conuentibus designatis, non posse post elapsum quinquennij quoquomodo audiri, eosdem verò volentes infra quinquennium exire, decreuit, vt iura sua prius deducant coram Sacra Congregatione, quæ super hoc ex speciali sanctitatis suæ facultate prouidebit, intelligendum sit de professione nulla respectu cuiuslibet defectus, & causæ annullantis professionem, an vero solum respectu defectus loci non deputati pro nouitiatu.

52 Respond. Decretum habet locum præcisè, quando professus prætendit suam professionem fuisse nullã defectu loci, eo quod non præmisit nouitiatum in loco, & conuentu legitime non deputato à Sanctitate sua, seu Sacra Congregatione, vt clare deducitur ex tenore ipsius decreti, ibi: *Ad occurrendum motibus,*

qui

qui possent in religionibus oriri, occasione receptionis nouitiorum, & professionis per eos emissæ in conuentibus non designatis contra formam decretorum sanctæ memoriæ Clem. VIII. de nouitiis. Quare in aliis casibus nulliter professus reclamare potest iuxta dispositionem Tridentini.

Quæres 34. An volens reclamare pro nullitate professionis defectu loci designati debeat quouis tempore habere recursum ad Sacram Congregationem ex tenore præfati Decreti, de quo in præcedenti quæsito? Hoc est, an non solum loquatur de nulliter professis ante datam dicti Decreti, hoc est ante diem quintum Ianuar. 1636. sed etiam extendatur ad nulliter professos defectu loci post emanatum Decretum. Accidere enim potest iniuria superiorum, vt aliquis nouitius probetur in loco non deputato. Et videtur loqui de professis solû ante dictum Decretum, quia in eo fit mentio de receptis, & professis, quæ sonant in præteritum, & nullum adest verbum extendens Decretum ad profitendos in futurum.

53 Respond. Decretum comprehendit non solum professos ante datam eiusdem Decreti, verum etiam qui postmodum professerunt, quod constat ex eo, quod Decretum absolute loquitur, & habet vim legis, quæ semper loquitur l. Ariani C. de hæreticis, nec obstat obiectio, quia illa participia licet grammaticaliter spectata sint præteriti temporis, legaliter accepta sumontur in vim nominis, *arg. Glos. v. Humilitas, cap. Perfecta 40. distinct. 1. de pœnit. facit, quod dixi resol. 39. num. 58.* super hæc verba, *Casus reseruatus,* quæ accipiuntor nominaliter, non participaliter. Vel dic loqui in præteritum respectu reclamationis, non dispositionis.

Quæres 35. Ex eodem Decreto, an in eo præcludatur recessus à religione etiam in foro conscientiæ, itaut nulliter professus defectu loci, præciso etiam scandalo non possit occulte fugere, quando alio modo non possit obtinere effectum reclamationis? *Probaui autem cap. 7. de Reclamat. q. 12.* Non valentem reclamare, vel etiam ea omissa, & quinquennio quoque transacto nulliter professum exclusis scandalo, & ratificatione, posse fugere; & superiorem fugiendi copiam illi facere posse occulte ibidem quæst. 13. Ratio dubitandi est, quia in eo decreto nulliter professis negatur omnino audientia, & ibidem mandatur, quod qui ausi fuerint recedere, & fugere puniantur tamquam Apostatæ, & pro talibus habeantur, & contra eos procedatur iuxta formam Decreti de electis, & Apostatis. Ex quibus videtur inferri eo mediante decreto eorum professionem, validam sustinendam esse, apostasiam enim non incurrunt nisi vere professi.

54 Respond. Professionem eorum, qui vere nulliter professi sunt defectu loci hoc Decretum nullatenus reualidat, consequenter qui nunquam ratificauit professionem, præciso scandalo, si non potest reclamare potest fugere; captus tamen non euadet huiusmodi pœnas. Primum, quod virtute huius decreti non reualidetur, professio, certum est, quia ad ratificandam professionem alias nullam, necessario requiritur personalis, & specialis, ac voluntarius consensus nulliter professi, *cap. 6. de Ratificanda profess. quæst. 10. & quæst. 20. vbi quæst. 21.* probaui neque Ecclesiam posse supplere consensum nulliter professi, & sic reualidare eius professionem, nullo actu consensus ipsius con-

55 currente. Secundum quod possit fugere hoc non obstante decreto, suadetur, quia disponit iuxta forum externum præsumendo eum, qui post professionem licet nulliter emissam, remanet, illam ratificasse, & proprio consensu reualidasse, vnde recurrentes ad sedem Apostolicam pro egressu prætextu nullitatis rescripta obtinent cum clausula: *Dummodo non ratificarint professionem*: & iudices reclamationis deferunt iuramentum, per quod à reclamante probatur negatiua ratificationis. Tertium denique quod non euadat pœnas pro foro externo, si fugitiuus capiatur, claris verbis exprimitur in fine decreti. Et in terminis nostris, quod possit fugere hoc decreto non obstante, docuit expresse *Remigius, Scrofa Dominicanus in suis Solution. q. 8. extremis verbis,* & ibi decretum extendit ad verbum. Non placet, quod dicit ibidem §. Respondetur secundo, posse Ecclesiam actum professionis inualidum validare, si hoc intelligatur ab ipso verum esse nullo actu ipsius nulliter professi concurrente ad consentiendum, est enim proprius consensus de substantia professionis, quem Ecclesia supplere non potest, nisi concurrat ratificatio ex parte professi, vt dixi.

56 Quæres 36. Coram quibus superioribus reclamandum sit? Respondi eo cap. 7. de Reclamat. quæst. 29. reclamandum esse coram superiore monasterij, in quo professio emissa fuit, & coram ordinario eiusdem loci, vbi est monasterium superioris regularis; quod confirmari potest ex alio simili de Apostatis, qui olim causas egressus è religione ostendere tenebantur coram ordinario loci, & superiore monasterij, in quibus prima, originaria professio emissa asseritur, ex Bulla Pij IV. incip. *Se Apostolice,* apud Tambur. tom. 3. disp. 8. q. 9. Ibidem dixi, quando monasterium est

57 sub nullius diœcesi, in quo nouitius nulliter profecit, non esse reclamandum coram prælato Nullius, ob rationes adductas alio loco, cap. 6. de Ratificat q. 25. Placet nunc asserere reclamandum esse coram Ordinariis Nullius, quia in Tridentino fit mentio de ordinario, quo nomine venit etiam prælatus Nullius, cum habeat iurisdictionem ordinariam, & confirmatur à simili de prælato Nullius, qui dat licentiam renunciandi nouitiis degentibus in monasterio sub Nullius diœcesi, vt docet *Sanch. lib. 7. cap 5. numer. 68. & ex eo Barbosa ad cap. 16. sess. 19 num* 31. vbi nominatur expresse Episcopus, vel eius Vicarius, ergo à fortiori in casu nostro de reclamatione, nam Concil. simpliciter loquitur de ordinario, quo nomine venit quilibet prælatus habens potestatem ordinariam, magis quam nomine Episcopi. Neque multum vrgent adducta ibidem, quia in illis casibus Papa se explicat, quod non facit in hoc casu de professione. Quæ procedunt siue ille prælatus sit secularis, siue regularis, hæc enim differentia est extra rem, cum vterque æque habeat ordinariam potestatem, à qua pendet actus iudicij, & licet prælatus alias esset eiusdem ordinis distinctus à superiore monasterij, cum non debeat esse deterioris conditionis aliis prælatis Nullius.

Quæres 37. An superior monasterij, cuius est filius possit impedire reclamationem, seu cœptam impugnare contra reclamantem fauore monasterij? Idem quæritur de parentibus, vel consanguineis, quorum fauore renuntiauit?

58 Respond. Certum est prædictos posse dissuadere regressum à religione, quem intendit reclamans, quia id est conforme dicto illo Apostolico. *Manete in vocatione, qua vos Deus vocauit,* & melius est remanere, quam recedere; & tridentinum eo cap. 19. sess. 25. non præcipit, neque proprie indulget, aut suadet egressum à religione per reclamationem, sed eis, qui omnino se deliberant ad egrediendum, tradit modum, quem tenere debent in reclamando, & quod exitus potius sit fugiendus, quam quærendus docui ego cap. 7. de Reclamat. q. 3. Et etiam impedire, & impugnare, quando negotium est obscurum, quia habent ius, religio quidem cum sit in possessione, quia constat illi de emissa professione, non vero de eius nullitate, ideo rationes allatas à reclamante, quæ sunt obscuræ, dubiæ, vel fragiles, impugnare, & infirmare tenetur, non solum ex zelo charitatis, sed etiam ex officio, ne ouis sibi credita temere ab ouili recedat; Consanguinei vero tum ex charitate propinquitatis, tum ex interesse, quod habent in bonis fortunæ, quorum iam possessionem habent: & sicut vt plurimum professi propter interesse bonorum temporalium indu

cuntur ad reclamandum, vt bona renuntiata rehabeant, ita & propter interesse eorumdem bonorum consanguinei, vel alij legitime pro tunc possidentes reclamantem impedire, & impugnare possunt licitis mediis, & per viam iuris, ea enim actione, & sibi quo ad corpus proficiunt, & reclamanti quo ad animã, & corpus quoque prosunt. Quod si clare constet probatum de nullitate professionis desistere debent ab impugnatione via iuris, quia nullum ius habent impediendi egressum illi, qui aperte probauit nullitatem suæ professionis. Bonum autem consilium ineido parentibus, & aliis personis interessatis cum professo, offerant illi aliquid ex bonis datis cum ipso transigendo, & facile reclamatio conuertetur in silentium, qui enim reclamant, vel ad id mouentur propter facultates aliis relictas, vel quas acquisiissent, si in seculo mansissent; vel propter libertatem, quia ægrefe-runt remanere intra claustra subiecti; vel quia male tractantur in religione, siue propter eorum demerita, vel propter aliorum culpas.

Quæres 38. An Reclamatio siue ante quinquennium, siue post impediri possit ab habente interesse? seu an pars citanda sit?

59 Respond. Neutrum est, quia si esset, maxime, vt habens interesse sibi consuleret, & prouideret circa futurum damnum contra iustitiam impediendo Reclamationem, seu impetrationem Rescripti ad reclamandum; sed ex hoc nullum patitur damnum contra iustitiam, quia e.g. Nouitius renuntiauit suis bonis in gratiam consanguineorum, vel aliorum sub conditione, si futura professio valebit, quod semper subintelligitur, siue exprimatur in instrumento Renuntiationis, siue non, nam Tridentinum sess. 25. cap. 16. disponit non valere, nisi factam in bimestri ante professionem, & secuta professione, ibi: *Ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione, aliter vero facta etiam iurata, sit irrita, & nullius effectus.* Non potest autem dici secuta professio, quando attentata fuit nulla, quia actus inualidus actus non est, cuius no-

60 mine venit solum validus, *ex adductis à Sanch. lib. 3. disp. 2. num. 5. §. Quarto*; & actus irritus reputatur ac si non esset factus, *ex Tiraq. Sanch. lib. 8. disp. 31. n. 3.* Quare nuper mihi narratũ fuit, Rescriptũ reclamandi post quinquennium impetratum à quodam religioso, parte non citata, quæ magnum habebat interesse in causa reuocatum, adhuc restitutum fuit in pristinum, quia cum potissimum agatur de interesse animæ, & non contra iustitiam, ideo in hoc absolute impetrantur, Tridentinum enim non negat, sed simpliciter concedit Reclamationem.

Quæres 39. An causa Reclamationis biennio expedienda sit, sicut expediendæ sunt aliæ causæ vigore *cap. 20. sess. 24. in Tridentino?*

61 Respond. Sic, *ex allegatis à Barbosa super dictum caput num. 17. Ioannes Maria Nouar. concl. 55. in suis practicis concl. iuris noui Pontificij, Riccius part. 4. decis. 273. num. 6. ex illis Cespedes de exempt. regular. dub. 46. num. 4.* Citius ergo expediendæ sunt causæ Reclamationis, quia in his; in quibus vertitur periculum animæ, mora vitanda est, *ex cap. Baptizari 2. dist. 5. cap. Ne quod absit 96. dist. 4. de consecrat.* Id etiam obseruandum est in Curia Romana, cum ibidem Tridentinum exactius obseruandum sit in exemplum aliorum, nisi Papa expresse aliud determinet.

RESOLVTIO LXX.

De spectantibus ad Confessarios.

SVMMARIVM.

1 *Licentia regularium ab beneplacitum non spirant per mortem.*
2 *Concedi illa possunt multis modis.*
3 *Beneplacitum secundum communem expirat per mortem.*
4 *Remotio ab officio est mors ciuilis.*
5 *Beneplacitum gratiosum spirat, non iustitia.*
6 *Beneplacitum reuocabile non semper.*
7 *Vicario amoto adhuc durat licentia e c e.us placito data.*
8 *Vicarij, & Episcopi idem auditorium.*
9 *Delegatus nihil proprij habet, sed delegantis vtitur potestate.*
10 *Beneplacitum confessionale spirat morte concedentis.*
11 *Expositus pro viris, si audiat feminas, an puniatur.*
12 *Punitur licet eligatur tempore Iubilei.*
13 *Oratio post absolutionem quid operetur.*
14 *Eam omittens sine causa peccat venialiter.*
15 *Pœnitentiam leuem pro magnis peccatis imponens p. m.*
16 *Pœnitentiam pro defunctis imponere non potest.*
17 *Confessarius finito tempore quandoque prosequitur.*
18 *Confessarius non excusatur ab officio, vtique prædicater.*
19 *Absoluendi à Sodomia vtrumque includit facultas.*

DE Confessariis egi, quo ad potestatẽ prælatorum Resolut. 3. de simplicibus Confessariis quo ad religiosos pœnitentes Resol. 4. quo ad Moniales Resolut. 5. De eorumdem potestate quo ad seculares Resolut. 6. De electione confessariorum inter regulares Resolut. 34. De Confessariis Regularibus approbandis ab Episcopo pro secularibus. Resolut. 36. Remanent nonnulli casus resoluendi in subiectis quæsitis.

Quæres 1. Quidam Confessarius habet facultatem audiendi confessiones secularium à Vicario Generali Episcopi sibi concessam cum limitatione temporis sub his verbis. *Ad Beneplacitum nostrum.* An remoto Vicario ex ordine Episcopi, statim cesset, & expiret facultas huiusmodi ad beneplacitum Vicarij remoti concessa? Ex dictis citata Resolut. 36. q. 9. num. 38. & 39. videtur colligi responsio affirmatiua, nempe expirare illam licentiam, qui ex communi doctorum ibi- 1 dem asseruit Beneplacitum expirare per mortem concedentis; excepi tamen licentias regularium ex diuersis priuilegiis summorum Pontificum, de quibus ibi, expresse Clem. IV. constit. incip. *Exoquentibus*, apud Confect. pag. 18 his verbis: *Licentia sit concessa, quia tamen ipsis prælatis decedentibus, vti licentia huiusmodi, Ecclesiis sic vacantibus dubitatis, nobis humiliter supplicastis, vt prouidere vobis super hoc paterna diligentia curaremus: Vestris igitur supplicationibus inclinati, præsentium vobis autoritate concedimus, vt in huiusmodi casu possitis vti tamdiu libere prædicta licentia, donec viduatis Ecclesiis prouisum fuerit de pastore.*

Quamuis autem licentia multis modis concedi pos- 2 sit, vel simpliciter absque determinatione temporis, in quo casu sine dubio currit mens summi Pontificis in eo priuilegio; vel ad tempus, quod contingit, vel ad determinatum tempus, e. g. per sex menses, per annum, vel ad indeterminatum tempus, vt ad beneplacitum sedis, ad arbitrium nostrum, &c. atq. dubium posset esse, an priuilegium possit habere locum in concessione ad tempus tam determinatum, quam indeterminatum,

minustum, puto tamen non habere suam veritatem, quando tempus determinatur, quia ex multis Sacræ Congregationis responsis, & ex nouissima Vrbani VIII. Bulla incip. *Alias à nobis extensa apud Tambur. tom. 2. disp. 6. q. 12.* elapso tempore non possunt amplius audire, nisi nouam accipiant approbationem; Si vero tempus erit indeterminatum dependenter à sede præcise dispositio priuilegij habet suum effectum, quia sedes nunquam moritur, & huiusmodi facultas æquiparatur concessioni factæ absque limitatione temporis; tota igitur difficultas versatur circa licentiam concessam sub his verbis personam respicientibus. *Ad beneplacitum nostrum*, de quo in casu præsenti, & meo iudicio illud priuilegium non solum loquitur de licentia simpliciter concessa, verum etiam de licentia ad tempus indeterminatum concessa sub illa clausula; & quia ex verbis priuilegij supra allatis non colligitur huiusmodi distinctio, cum absolute ibidem sermo sit de licentia in genere, ergo neque nos distinguere debemus; & quia regularium priuilegia ampla interpretanda sunt, *vt probaui resol. 52. num. 40. 41. 42. 43.* & licet in opinione quamplurium doctorum huiusmodi 3 verba, *Ad beneplacitum nostrum*, operentur, vt licentia duret solum vsque ad mortem concedentis, & cum eo expiret, sicuti extinguitur, & moritur beneplacitum, cum amplius sibi placere non possit, neque alteri, cui gratiam fecit, *ex cap. Si gratiose 5. de rescriptis in 6. Angel. consil. 217. Secin. consil. 89. numer. 36. vol. 1. cum Graff. tom. 2. & diff. 1. de Pœnit. num. 7.* in terminis nostris, *Barbosa de Clausul. clausul. 3. num 2. doctores citando, & in hac materia Bossius sect. 3. de Iubileo casu 2. num. 10.* ait licentiam audiendi confessiones ad beneplacitum concedentis expirare cum morte cedentis, esse communem opinionem, ibi doctores citando, nihilominus aliqui, quibus ipse multum fauet, sustinet huiusmodi licentiam ita concessam ab beneplacitum concedentis non expirare per illius mortem, sed adhuc durare, & non leuis ratio potest esse hæc, quia huiusmodi licentia proprie, & in rigore non est gratia, sed concessio fundata in iustitia factæ approbationis ex prævio examine, & actus iustitiæ, vt alibi probaui, *& ex Suar. & aliis docet Bossius cit. dub. 5. num. 15.* & ad hoc maxime respectu regularium faciat allatum priuilegium, & aliud insertum in corpore iuris, extrau. Inter cunctas, prout eam citaui resol. 36. n. 38.

Ea hactenus dictis non videtur resoluta difficultas, quia in casu sermo est de amotione temoriore nó morte Vicarij, quæ duo inter se differunt; & præterea allata videntur fauere tantum religiosis. Sed dicta etiam probant in præsenti casu, nam amotio ab officio, & mors officialis in hoc æquiparantur, amotio 4 enim ab officio est quædam mors ciuilis, *vnde Gloss. verbo Mortuo prelato, in capitulo Vn. Ne sede Vacan. in 6. per iura ibi citata ait*, eam clausulam non solum verificari in morte naturali, sed etiam ciuili. Et quod beneplacitum expiret morte concedentis ex citato cap. Si gratiose 5. de rescr. in 6. absolute verum, non est, sed in sensu, quo illud Papa ibi accipit nimirum, quando importat aliquid gratiose concessum, vt colligi potest ex illi verbis; *Si gratiose*: neque enim ille, 5 de quo ibi illa beneficia obtinuit ex præuio examine, seu ex iustitia distributiua, sed ex mera Pontificis gratia, consequenter mirum non est, si morte beneplacitum expirat, quamquam alioquin concessum ex beneplacito etiam sine causa reuocari possit, quia beneplacitum importat libertatem voluntatis, quæ non cogitur regulari ea causa, sed ea mera sua virtute, cum ipsa voluntas stet pro ratione *Corneus Consil. 92. numer. 31. vol. 2. Menochius vero de arbitrariis lib. 1. quæst. 8. num. 10. Marta de Clausul. 1. num. 12. apud. Barbosam de Clausulis Clausula 3. num. 8.* dicunt tunc beneplaci6 tum importare liberam voluntatem, quando exprimitur similis clausula. *Ab beneplacitum, & voluntatem nostram*, & sic intelligendus est etiam Corneus, aliter Beneplacitum denotat arbitrium boni viri, bonus autem vir licentiam alteri datam, non reuocabit sine causa, aliter bonus vir non erit, sed imprudens, immo verbum ipsum *Beneplacitum* ex se hoc significare videtur, nempe placitum rectum, & ita factum ea vsque *ex Baldo, Iasone, Menochio, & aliis, affert Barb. sa dict. Bene, dict. 48.* Episcopi ergo si volunt habere liberam potestatem reuocandi licentias confessariorum, prædictam opponant clausulam beneplaciti simul, & voluntatis, alias sine causa non reuocant, *Diana resol. 26. de regular.* Ex his ergo deducitur resolutio casus nostri.

Respond. Amoto Vicario Generali, seu etiam 7 mortuo, licentia confessario data ab beneplacitum ipsius Vicarij adhuc durat, de quo non dubito respectu regularium, quod dico ne in totum me corrigam super illis, quæ dixi ea Resolut. 36. num. 38. tenendo vtrumque probabile respectu confessarij secularis. Probatur ex duplici capite, primo ex allatis hactenus, & quia non est simpliciter gratia, sed potius iustitia; & quia de hoc extant illa duo priuilegia. Secundo alio medio magis proximo, & propinquiori casui, nam licet remotus fuerit Vicarius Generalis, & licentia fuerit ad beneplacitum ipsius, quia tamen adhuc viuit Episcopus, cuius virtute exercebat potestatem Vicariatus, consequenter dicitur adhuc perseuerare beneplacitum illud tamquam beneplacitum Episcopi, 8 voluntas enim, & potestas Vicarij, quatenus Vicarius, vna est in genere moris cum voluntate Episcopi; & quia faciunt vnum tribunal, & vtriusque idem est auditorium, *cap. 2. de consuet. in 6. cap Romana 5. de appellat. in 6.* & quia est quasi delegatus ad Episcopo, delegatus autem nihil proprij habet, sed alienam iurisdictionem exercet. *Glos. v. Impendant extr. com. 2. de* 9 *sepult. Megal. part. 3. lib 3. cap. 10. numer. 55. per iura ab eo citata, Nauar. consil. 8 de offic. de'egati*; vnde delegatus debet moueri eadem ratione, qua motus fuit delegans, *Glos. v. Et perpetuo, cap. 2 de rescr. per cap. Super literis, in fine, eod. vbi expresse.* Cum ergo adhuc maneat beneplacitum licet Vicarius mortuus, vel amotus fuerit ab officio, consequenter adhuc durat licentia audiendi confessiones.

Quod licentia concessa ad beneplacitum Episcopi 10 audiendi confessiones expiret eo mortuo, vel remoto, vel renuntiato officio, docet *Graff. tom. 2. consil. 1. diff. 1. de Pœnit. num. 7. Sayr. lib. 7. de censur. cap. 14. numer. 7. Sanch. lib. 8. disp. 28. num. 50. ex num. 72. bonac. de priuileg. p. 1. numer. 13. p. 8. §. 1. num. 19. & 24. vbi citat Sà v. Gratia num. 7. Henr. lib. 6. cap. 6. num. 7. Suar. de Pœnit disp. 26. sect. 5. numer. 5. & ex illis Bossius sect. 5. de Iubil. casu 2. numer. 10. Nald. v. Concedere numer. 5. Graff. part. 1. lib. 1. cap. 13. num. 49. & 50.* & horum opinio, quæ communis est, fundatur super illud cap. Si gratiose 5. de rescr. in 6. vbi dicitur. *Per quem ipsius beneplacitum omnino extinguitur.* Consequenter hac opinio putatur probabilior, quam tenui ea resol. 56. superius autem oppositam iudicaui etiam probabilem, & iure priuilegij respectu regularium, æque probabilem iudico sententiam asserentem licentiam audiendi confessiones regularibus concessam ad beneplacitū concedentis eius mortem non extingui, quam forrassis sequitur *Rodr. tom. 1. q. 59. art. 6. fine. & Peregrin. in suo Compend. Priuileg. v. Absolutio quo ad secular, §. 2. in schol. dum allegando priuilegium Clem. IV.* dicunt licentias audiendi confessiones secularium regularibus concessas, durare etiam post mortem Episcopi. Accurate *Pasqualigus decis. 499.* probat non expirare beneplacitum morte Episcopi.

Quæres 2. An confessarius regularis iuxta sui ordinis statuta eis ostrus pro audiendis confessionibus virorum tantum, possit tempore Iubilæi à suo Prælato puniri, si excipiat confessiones mulierum contra statutum suæ religionis? *Diana resol. 93 & ex eo Tambur. tom. 2. disput. 6. quæst. 4.* fine, negant posse puniri,

Primo,

Primo, quia probabilis est ea opinio, quæ docet, sic limitare expositos posse audire confessiones fæminarum tempore Iubilæi non obstante statuto in contrarium, quam tenent doctores plures ab illis citati. Ergo cum in eo casu confessarius prudenter se gerat nulla ratio debet suadere superiorem ad puniendum hunc confessarium, cum nullo modo peccauerit. Secundo ex amplissima liberalitate summi Pontificis videtur inferri, derogatum fuisse statutis regularibus, immo id expresse videtur colligi ad finem Bullæ Iubilæi, cui solent addi similes clausulæ. *Ac quorumcumque ordinum, & congregationum, siue institutorum regularium, & au iuramento, confirmatione Apostolica, &c.* Quibus tamen non obstantibus.

12 Respond. Prælatus regularis iuxta sui ordinis statutum punire potest suum subditum regularem confessarium ad viros tantum, excipientem etiam fæminas vigore Iubilæi plenissimi. Quod probatur, Tum quia in opinione longe probabiliori isti non possunt eligi à fæminis, cum careant potestate respectu illarum, *vt probaui resol. 34. numer. 54. quod tetigi resol. 63. num.* 1. & de punitione *ego resol. 9. quæst. 9. numer.* 27. non tamen respectu huius specialis casus, ergo cum temerè se exponant sine dubio puniendi sunt. Tum quia Summus Pontifex per suum Iubilæum, quamuis amplissimum, & vniuersalissimum nulli censetur præiudicare, & maxime statutis religionum, sed potius singulis prodesse; non censetur autem derogare statutis particularium, nisi de illis faciat mentionem, expresse *cap. 1. de constitut. in 6.* priuilegia enim in dubio nulli præiudicant, *l. 1. §. Si quis à principe ff. Ne quid in loco publ.* licet contineat verba generalia, quæ ita explicanda sunt, vt tertio non noceant, *Glos. fin. cap. Cum olim, de consuet. cap. Licet, de translat. prælat. cap. Ex tuarum, de autorit. cap. Licet, de off. ordin. cap. 2. de relig. domib. iuncta. glosa. fin. Rebuff. in praxi benef. de iure alter, quæsito non toll. Glos. 6. num. 37. vbi, Soares in suo Enchir. lib. 2. de contract. v. Iuspatronatus*, §. Immo nunquam, docet quod Papa nunquam intendit derogare iuri quæsito alteri, quibuscumque verbis vtatur & clausulis, etiam si addat *ex certa scientia; Motu proprio; & de plenitudine potestatis.* In Iubilæis autem nulla reperitur huiusmodi clausula derogatiua statutorum; & si qua adest, vt supra in obiectione secunda, intelligenda est fauore pœnitentis, vt nimirum illi non obstet statutum sui ordinis, quo prohibitionem habet confitendi extra religionem, non vero fauore confessarij electi, siquidem in Iubilæis nullus fauor, nulla gratia directe confertur confessariis, vt talibus, sed tantum pœnitentibus, quibus Iubilæum conceditur. Ex quo patet, *Fagundez. & ex ipso Diana, & Tambur.* voluntarie interpretari statuta prohibentia excipere confessiones mulierum, non habere locum tempore Iubilæi, siquidem absolute loquuntur, & cum contineant præceptum negatiuum, semper, & ad semper, vt aiunt, obligant, idem enim finis, quo legislator motus fuit ad condenda huiusmodi statuta, nimirum immatura ætas, & carnis fragilitas, eludi non potest, vt notum de se est, per huiusmodi voluntariam interpretationem, immo casus videtur periculosior in Iubilæis, ob frequentiam, & conditionem quarumlibet fæminarum sine delectu accedentium tunc ad sacramentum pœnitentiæ. Et satis prælatus ex sua parte, liberalis est, si det commoditatem suis religiosis lucrandi Iubileum cum facultate eligendi confessarium cuiuslibet conditionis; neque enim liberalitas prælati commensuranda est cum liberalitate Papæ, neque liberaliter attenditur respectu confessariorum, sed pœnitentium, non igitur in hoc superior auarus censetur, cum respectu Iubilæi nil possit concedere, nisi exitum extra pro lucrando Iubilæo, & tam multi sint confessarij respectu personarum vtriusque sexus, vt amplam habeant copiam eligendi aliquem, relictis illis, qui habent prohibitionem excipiendi fæminas; præterea magis ad rem contra Tamburinum, superior regularis respectu fæminarum non potest dici auarus, si eius statutum habeat locum in casu Iubilæi, quia illas nequaquam afficit, sed solum confessarium, quem eo casu exponere non tenetur, cum in Iubilæo non fiat mentio nisi de electione confessarij ex parte pœnitentis, & non de quouis confessario, sed solum antea iam approbato.

Nostram responsionem docuerunt *Rodriq. Compend. resol. 32. num. 10. & Nugnus apud præcitatos.*

13 Quæres 3. Quid operentur ea verba *Quicquid boni feceris, & mali sustinueris sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ.* Apposita ad finem formæ absolutionis in Rituali Romano sub Paulo V. quibus omnes confessarij vtuntur? *Diana resol. 97.* de sacram. asserit, quod licet determinatæ pœnitentiæ pro peccatis non sint in vsu, sed id relinquatur arbitrio prudentis confessarij attentis circumstantiis peccatorum, tamen si confessarius paruas imponat pœnitentias pro magnis peccatis, ait, hunc peccare ex communi doctorum, à quo peccato releuatur, & excusatur, si prædictam orationem compleat cum reliquis partibus formæ absolutionis, beneficio pœnitentis illam recitando super pœnitentem, & pro se citat *Beiam part. 3. casu primo in fine; Homobonum de Examine part. 1. tract. 5. cap. 15. q. 94.* idem asserentem, sed vterque id dicit sub dubio, *Beia sub dictione, Forte,* quæ est nota dubitationis, *in l. Vrbana prædia. l. Absentem ff. de verb. signif. Barbosa dict. hac 127.* vnde qui loquitur per hanc dictionem nihil concludit, quia dubitatiue loquitur, *Menoch. consil. 112. num. 33.* Similiter verbum, *Videor,* importat dubitationem, & nihil probabile concludit, *Rota Romana in Nouiss. vol. 3. lib. 2. decis. 15. num. 3.* Consequenter horum dictum opinionem probabilem facere non potest, sed tantum rem dubiam relinquit, dubium enim aliud est ab opinione. Prædictis adde ex *Bonac. q. 5. de pœnit. sect. 3 p. 2. num. 13. Nauar. Reg. & alios* dicentes, ex hoc vsu receptum esse, vt modicæ pœnitentiæ iniungatur, quia id, in quo deficiunt pœnitentiæ iniunctæ, suppleri potest per bona opera.

14 Respond. Quamuis sacerdos confessarius ex Rituali Pauli V. teneatur in absolutione adhibere eam orationem deprecatoriam post formam absolutionis, aliter peccat ad minus venialiter illam omittens sine causa est enim sub præcepto, & Papa eam addidit, vt dicatur pro pœnitente; nihilominus si paruam imponat pœnitentibus pœnitentiam pro magnis peccatis, & hoc sine causa, & pro mero suæ voluntatis arbitrio, non faciendo differentiam inter grauia, & leuia, sine

15 dubio peccat mortaliter, vt ex Abulen. Adriano, & maiore asserit Beia part. 3. casu 1. in conclus. quod deduci videtur ex Trident. sess. 14. cap. 8 illis verbis. *Debent ergo sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia suggesserit pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate conuenientes satisfactiones iniungere, ne, si forte peccatis conniueant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.* Non ideo per additionem huius orationis excusatur à peccato confessarius imponendo parum prudenter modicam pœnitentiam pro grauissimis peccatis, quod probatur, quia recitatio illius orationis non est medium aptum, neque ordinatum ad excusandum à peccato mortali, quod committitur à confessario imprudenter iniungendo leuem pœnitentiam pro grauibus peccatis, cum neque ex contextu verborum, neque ex intentione Ecclesiæ id colligitur; neque talem vim habet quatenus recitatur, in hoc enim dependeret ab ipsomet confessario quatenus recitat, & sic seipsum excusaret, quod inconueniens dicendum non est. Confirmatur, quia pœnitentia, vt plurimum, imponitur ante absolutionem, quod obseruatur à confessariis prudentibus,

dentibus, nam satisfactio est pars integralis complens sacramenti materiam, cum qua forma absolutionis adiuncta conficitur sacramentum Pœnitentiæ, quo casu nescio, quo modo excusari, & releuari possit à peccato confessarius, cum hæc oratio non sit maioris efficaciæ, immo longe minoris à forma essentiali absolutionis, quæ nullam vim habet, nisi quatenus actu applicatur pœnitenti contrito, & confesso iam cui tantum prodest, & nequaquam confessario; quod si pœnitentia leuis pro grauibus peccatis imponatur post datam absolutionem integraliter cum illa oratione, adhuc dicendum est per eam orationem iam recitatam non euacuari cōfessarium, quia totam suam vim habet dum profertur, sicut ipsa forma essentialis absolutionis, ergo post eam iam dictam, nulla ratione releuare potest confessarium, & hoc a fortiori, cum sit minoris virtutis forma essentiali absolutionis. Præterea ea oratio dupliciter spectari potest, primo prout regulariter recitatur eodem modo, quo forma essentialis absolutionis, qua ratione aliam virtutem habere non videtur, nisi quod significat sacerdotem deprecari Deum, vt ibi expressa, vel ab eo facienda, sint illi in remissionem peccatorum, & sic tantum est tanquam pœnitentis; nullatenus facit pro confessario secundo spectari potest, quatenus pœnitentem admonet, si fecerit bona opera, vel malum aliquod patienter sustinuerit, se ex illis habiturum esse remissionem peccatorum quo ad pœnam, & cum ex hoc nullam denuo pœnitentiam iniungat, ad quam teneatur, nulla ratione releuatur, neque excusatur à peccato, si leuem satisfactionem imponit pro grauioribus culpis.

De hac re *vide Nauar. cap. 6. numer. 23. tom. 3. in principio de Pœnit. numer. 36. & sequentibus*, vbi bene de sensu huius orationis, vbi numer. 37. ad finem, ait ex hoc inoleuisse vsum minuendi pœnitentias, non tamen dicit imponendi leues pro grauibus peccatis, *& D. Thom. Palud. P. Sotus, & ex illis Suar. de Pœnit. disp. 38. sect. 6. fine*, asserit, per eam orationem bona opera eleuari ad satisfactionem ex opere operato, intelligit autem hoc respectu peccatorum, quæ pœnitens subiecit illi iudicio.

Quæres 4. An confessarius pœnitenti imponere possit officium defunctorum, vel alias orationes recitandas pro animabus purgatorij sub titulo Satisfactionis, & pœnitentiæ? affirmat *Turrianus de Pœnit. disp. 37. dub. 4. apud Dianam de Sacram. resol. 54. & in Addition. secund. resol.* 11. vbi hanc, & sequentem probabilem æque putat, licet videatur magis inclinare in negatiuam; Turrianus autem dicit satisfactionem prout habet effectum ex opere operato non posse pro alio offerri, neque alteri applicari, quia effectus sacramenti ex institutione Christi datur recipienti illud; vtique vero si sumatur effectus satisfactionis ex opere operantis alteri applicari potest, reddit rationem, quia satisfactio ex opere operantis alteri applicari potest, eo quod hæc non respondet soli recipienti sacramentum, cum nullum sit fundamentum dicendi talem esse institutionem; vnde infert conclusionem, confessarium posse pœnitenti imponere opus pœnale cum obligatione, vt satisfactionem ex opere operantis offerat pro anima purgatorij, nihil enim est, quod hoc impediat; subdendo oppositam rationem solum probare, effectum satisfactionis ex opere operato alteri applicari non posse. Quibus non obstantibus, negatiuam opinionem meo iudicio probabiliorem tenent *Sancius, disp. 16. numer. 1. & Philippus della Cruz in Thesau. Eccles. tract. 2. §. 6. num. 11. apud eundem Dianam.*

16 Respond. Confessarius nullo modo imponere potest pœnitenti pro satisfactione, vt recitet aliquam orationem pro animabus defunctorum, probatur; Tum quia opus satisfactorium ex sacramento pœnitentiæ præcise institutum fuit pro delendis pœnis debitis pro culpis, & peccatis iam remissis, & hoc ex primaria sua institutione, ergo non est credendum ad alium finem, quam intentum à Christo Domino in ipsamet institutione. Tum quia sacramenta tantum prosunt recipientibus, & non aliis. Tum quia confessarius super pœnitentem nullum aliud ius habet, nisi in ordine ad salutem animæ eius, ergo illi præcipere non potest, vt orationibus impositis loco pœnitentiæ satisfaciat, & prosit aliis, neque enim pœnitens quatenus pœnitens est; neque simpliciter, vt suppono, habet debitum orandi pro mortuis hic & nunc, ergo neque à confessario cogi potest, in tantum enim pœnitens subditur confessario in quantum pœnitens est, cum extra hunc actum, quandoque pœnitens sit aliunde superior confessarij, sub ratione autem pœnitentis nihil debet mortuis, sed tantum sibi ipsi; aliter eadem difficultas moueri posset fauore viuorum. Neque valet distinctio Turriani, quod confessarius possit imponere satisfactionem pro mortuis ex ea parte, qua opus spectatur ex parte operantis, quia vt sic hoc tantum se tenet ex parte ipsius pœnitentis, vt confessarius imponendo satisfactionem iniungit id solum quod deest ad perfectionem, & complementum sacramenti, consequenter per suam potestatem ordinatur tantum ad opus operatum, & ad partem sacramentalem. Vel dicas huiusmodi considerationes se tenere tantum ex parte pœnitentis, quatenus subiectum est huius sacramenti, consequenter confessarium in pœnitentia iniungenda non posse recedere à natura sacramenti, cuius finis est, vt totum opus, tam ex parte operati, quam operantis solum prosit ipsi pœnitenti. Deinde quandoque satisfactio ex parte operantis in peccato mortali nihil prodest, consequenter saltem in eo casu mortuis frustratoria est. Demum opus operantis, vt quid minoris conditionis, vti accessorium dependet ab opere operato, & per ipsum regulatur, ergo soli pœnitenti potest prodesse, sicut opus operatum.

Quæres 5. Demus casum, Episcopum multum abesse in remotis à suo Episcopatu, vt si Episcopus sit Neapoli absens à suo Episcopatu Cremonæ, & nullum Vicarium habere residentem Cremonæ, non enim casus est impossibilis, an confessarij ad annum tantum admissi, possint, tempore elapso, prosequi suum munus confessionis, interim procurando epistolis prorogationem ab Episcopo? Fortasse aliquis negabit, quia limitatum producit effectum, & refertur decisum, absolutiones datas à confessariis regularibus, qui anno, seu tempore transacto non petierunt renouationem suarum licentiarum, nullas esse, ergo idem dicendum erit in casu præsenti.

Respond. In tali casu confessarij prosequi possunt interim procurando prorogationem, quia Episcopus de præsenti præsumitur esse contentus, ac proinde præstare suum consensum; sicut enim Deus non deficit in necessariis, ita neque Episcopus præsumitur in eo casu velle deesse suis confessariis in re tam necessaria; facit illud commune axioma. *Necessitas legem non habet*, & locum tenet etiam in iure diuino, *Anchar. consil. 191. & consil. 143.* & procedit etiam in spiritualibus *per doct. citatos à Ricciul. lib. 4. cap. 52. n. 3.* & in casu necessitatis tollitur reseruatio, *Sanch. lib. 2. disp. 40. numer. 3.* & sic datur iurisdictio non habenti, prorogatur ergo iurisdictio siue ex præsumptione de præsenti, siue ex necessitate legali; ex quibus patet ad rationes dubitandi, iam licentiam non dici amplius limitatam. 17

Quæres 6. An Concionator quotidianus in Quadragesima, item & confessarius, qui tota die occupatus fuit in confessionibus audiendis exempti sint à recitatione Diuini officij?

Respond. Concionator quotidianus meo iudicio videtur excusandus a recitatione diuini officij, nisi esset ita felix memoria, vt facili negotio modicum temporis insumeret in ediscendis concionibus. Ratio est, quia commune bonum præfertur priuato. Confessarium 18

fessarium autem maxime regularem, qui voluntarie, & ex charitate operatur nescio, qua ratione excusare ab onere recitandi diuinum officium, nam ad hoc tenetur ex debito, ad audiendas autem confessiones nequaquam, sed eius ministerium est voluntarium. Præterquamquod Sacramentum Pœnitentiæ de die tantum administratur, & de nocte id munus spirituale exercere non expedit, ergo in nocte adest tempus sufficiens illud recitandi. Neque mihi dicas confessario concedi debet aliqua temporis mora ad recreandum animi vires; dico nullam obligationem illum constringere ad continuandum tota die in hoc ministerio, & si habet horas reficiendi corpus opportunas, quare & illas inuenire non debet ad recreandum animam recitatione diuini officij. Ita sentire videntur, qui dicunt, confessarium summo mane surgere debere ad recitandum horas canonicas, quando præuidet tota sequenti die in confessionibus audiendis se detinendum esse, *Silu. v. Hora. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 54. quos & alios citat Bonac. q. 6. de Horis canon. p. 2. n. 2.*

Quæres 7. Confessarius à suo Prouinciali obtinuit facultatem absoluendi a Sodomia passiua fauore pœnitentis, sed cum vult eum absoluere ab hoc scelere subiungit pœnitens se etiam egisse partes agentis in hoc peccato, an possit illum absoluere ab vtroque peccato per illam priorem licentiam obtentam in ordine ad passiuum crimen? Videtur, quod non, Tum quia limitata causa limitatum producit effectum ex vulgatis iuribus. Tum quia concesso vno censetur negatum alterum, *cap. Qualis 4. dist. 25. Glos. v. Negatur, cap. Nono, de præsumpt.* Tum quia concessio specialis strictè est interpretanda. *l. 1. C. de dot. promis. Iason in l. fin. ff. de const. princ. num* 35. ergo concessio pro vno peccato non debet extendi ad aliud peccatum. Et qui ita sentit errare non potest.

19 Respond. tamen potest, illum confessarium eadem facultate sibi delegata potuisse absoluere suum pœnitentem ab vtroque peccato, quod probatur, Tum quia prælati intentio fuit, vt pœnitens, releuaretur à peccato per absolutionem sed non poterat releuari ab vno, quin releuaretur etiam à reliquis reseruatis, cum in ordine ad absolutionem peccata omnia sint essentialiter connexa quo ad sui destructionem, ergo ne dicatur frustratoria facultas interpretatur virtualiter comprehendere etiam secundum casum, & sic tollitur medium argumentum contrarium, nam tunc vno concesso censetur reliquum negatum, quando non habent connexionem ad inuicem, *Domin. in cit. cap. Qualis ex Nauar. consil. 25. de temp. ordin. & tom. 4. in cap. Cum contingat remed. 6. num. 3. Beia pars. 2. casu* 25. Tum quia concesso vno censentur reliqua concessa, sine quibus illud expleri non potest, *cap. Præterea, de off. deleg,* sed confessarius non potest absoluere illum pœnitentem, si illa facultas interpretetur ita strictè, vt petita fuit, ergo vt aliquid operetur intelligenda est habere effectum quo ad vtrumque casum, & sic tollitur primum, & tertium argumentum, quia facultas illa adhuc remanet intra suos limites, & strictè interpretatur, cum restringatur ad idem peccatum specie, cuiusmodi est Sodomia actiua, & passiua, *ex Alphonso de Leone, quem citat pro se Diana resol. 159. de sacram.* licet numero duplex, quod extra suam speciem non vagatur. Confirmatur, quia ex citatis doctoribus in confessione sufficit dicere se commisisse peccatum Sodomiæ non explicando actionem, seu passionem, quæ sunt circumstantiæ accidentariæ, ergo qui petit facultatem absoluendi ab actiua absolute voluit absolutionem à toto peccato secundum substantiam, consequenter ab vtraque tam actiua, quam passiua.

Quæres 8. An Episcopus prohibere possit, ne Regulares Cõfessarij audiant infirmos in propriis domibus?

20 Respond. S. C. Minoribus de Obseruantia petentibus in hæc verba: Sacra Congregatio Cardinalium Regularium præposita inhærens declarationibus alias desuper editis, censuit, Regulares prædictos à locorum Ordinariis ad audienda, confessiones personarum secularium approbatos non posse ab eisdem Ordinariis prohiberi, ne earundem personarum degentium in propriis illarum domibus confessiones audire possint absque licentia Parochorum, dummodo relinquant schedulam, vel notificent ipsis Parochis, quod Pœnitentiæ Sacramentum eiusmodi fuerit ab eis administratum. Romæ die 13. mensis Septembris 1641.

F. Ant. Card. S. Honuphrij.

L. Archiep. Theban. Secr.

Extractum è filio impresso Romæ per Reuer. Cam. Apost. 1641.

RESOLVTIO LXXI.

De Duratione electionis.

SVMMARIVM.

1 *Ab initio superiores erant perpetui.*
2 *Perpetuitas magis placet.*
3 *Generales perpetui apud quosdam.*
4 *Duratio officiorum in Tertio ordine.*
5 *Generalis ex Regula perpetuus.*
6 *Ex Bulla ad triennium.*
7 *Non redit ad idem officium nisi post sexennium.*
8 *Definitores Generales sunt triennales.*
9 *Prouinciales item cum suis.*
10 *Procurator item Generalis, & Custos.*
11 *Redeunt ad idem post annum.*
12 *Prorogatio officij inualida.*
13 *Licet non adsit irritans.*
14 *Tractatus consultorius non vitiat secretum electionis.*
15 *Tempus ciuiliter accipitur.*
16 *Capitulum prorogari potest ex causa.*
17 *Prorogari non potest officialis in alio conuentu.*
18 *Prorogatur sub alio titulo, quam electionis.*
19 *Et sequenti anno reeligi potest.*
20 *Monialium Priorissæ sint ad triennium.*
21 *Dicta à iure, & doctoribus de electione competunt monialibus.*
22 *Defectus vnicus voti non vitiat electionem.*
23 *Electio valida non potest impugnari.*
24 *Extraneus Scrutator non vitiat electionem.*
25 *Impugnari quomodo possit electio.*
26 *Respectu defectuum emergentium.*
27 *Opponentes interesse habeant.*
28 *Procurator huius non potest esse laicus.*
29 *Appellatio in his quomodo fiat?*
30 *Instrumento iurato.*
31 *Examinandi sunt defectus.*
32 *Scientia examinatione personæ.*
33 *Incitatus non potest deyci*
34 *Neque à Papa.*
35 *Citatio est de iure naturæ.*
36 *Cap. 42. de elect. loquitur solum de superioribus.*
37 *Scrutatores sunt ipsi definitores.*
38 *Scriptor votorum quilibet potest esse.*

OMnes fere religiones ab exordio sui esse superiores habuerunt perpetuos, quia erant viri sanctissimi, ideo nulla ratio, nulla necessitas in eis mutationẽ suadebat, sed postmodum crescente posteriorum malitia superiorum aliquorum, & subditorum ambitio, & inuidia inhiantibus de perpetuis in temporales transeuntes, suam conditionem deteriorem fecerunt. Disputant autem doctores, an melius sit, & magis expediat, prælatos esse perpetuos, an vero ad tempus? Perpetuitatem defendunt, *Nauar. tom. 2. comment. 3. de regul.*

regal.num. 3. *Mirand. tom.* 2. *q.* 7. *art.* 6. *Suar. tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap* 7. *num.* 5. *Samuellius tract.* 3. *de elect. disp.* 1. *controu.* 2. *concl.* 1. *alios citat Diana resol.* 124. *de regul.* Ego tamen hac te dicerem, hanc esse probabilem, quia Religionum fundatores viri sanctissimi illos iudicauerunt perpetuos, censentes sine dubio id magis expedire religionibus, & pro aliis prælatum non charitas, & zelus boni regiminis, sed ambitio, & inuidia subditorum ægre tererent iam perpetuam gubernationem, qui ideo nullam habent spem ad huiusmodi officio perpetuo ab aliis iam occupata.

Tres confeci Tractatus de electione, primum sub Resolut. 26. tomo primo; secundum Resolut. 61. sub secundo, tertium sub hoc Resol. 131. d. electionibus ambitiosis, quibus addo hanc quartam resolutionem complementum huius tertij tomi.

Quæres igitur primo, Quænam religiones habeant Generalem superiorem perpetuum, hoc est durante vita electi?

3 Respond. In primis perpetuum habent Dominicani, & Societatis Iesu religiosi Franciscani ex instituto Regulæ, cap. 8. Generalem habebant ad vitam, & in hoc Regula obseruata fuit vsque ad Leonem X. qui in Bulla incip. *Ite,& vos.* sub datum 1517. prima in Bullario Rodriq. excessa, in qua decreuit illius Generalem durare tantum per sexennium, & non vltra. Generalis Cisterciensis perpetuus est *apud Tambur. tom.* 1. *q.* 12. *q.* 2. *Vide Sig fin.dub.* 101. *de elect. Samuellium tract.* 3. *de elect. disp.* 1. *controu* 2.

Quæres 2. Quotannis durent officiales electi in religione Tertij Ordinis S. Francisci?

4 Respond. Est decretum in calce capitis primi Regulæ, seu Statutorum, quo I durent triennium illis verbis. *Nec quisquam vltra triennium eodem fungatur officio, nisi vno minimum anno ab eodem vacauerit: successiue autem quemlibet diuersa officia habere posse concedimus.* Quod decretum exponi: tempus limitatum à Regulis Nicolai IV. & Leonis X. indefinitum relictum, nam inquit S. Pater in Regula Nicolai. *Officium autem cuiuslibet certi temporis spatio limitetur. Nullus minister instituatur ad vitam, sed eius ministerium certum tempus comprehendat.* Ita habetur, cap. 15. & apud Leonem X. cap. 5. *Et eligentur per suos conuentus, vel instituentur per suos Prouinciales superiores, seu Generalem visitatorem, ita tamen quod nullus sit perpetuus sed certi temporis.* Ex prædictis colligitur ab exordio ordinis superiores institutos fuisse ad tempus licet indefinitum, postmodum definitum per supradictum e.t. Statutorū.

Sed numquid officium Generalatus, seu Visitatoris 5 Generalis ex intentione S. Patris Francisci, & ex vi dictarum Regularum sit ad tempus, an perpetuum, & ad vitam? Respondetur ex vi Regularum sit potius perpetuus, quia de ipso non loquuntur præcitati textus, sed de Ministris, hoc est, superioribus localibus, & aliis officialibus, vt legenti patet, & in cap. 16. Regulæ Nicolai IV. dicitur. *Habeant Visitatorem sacerdotem, qui alicuius approbata religionis existat.* Sanctus Pater ob suam humilitatem ab initio, noluit ex se declarauit, cuius religionis deberet esse assumendus in Visitatorem Generalem, sed reliquit illorum arbitrio, sed postmodum idem Nicolaus confirmando Regulam à sancto Patre conscriptam decreuit, vt assumeretur ex ordine Fratrum Minorum, eo quod præsens viuendi forma idest, hæc tertia Regula institutionem habuit à Beato Francisco. Itaque ex institutione huius ordinis Generalis est perpetuus, nullum enim tempus illi definitur, ac proinde censetur perpetuus, *arg. l Iurisperitus* 33. *ff. de excusat. tutor.*

6 Generalis nihilominus assumptus ex sacerdotibus eiusdem ordinis eligitur ad tempus. triennij ex Bulla Nicolai V. incip. *Hodie siquidem.* sub datum 1447. die 20. Iulij Paulus III. in sua Bulla incip. *Pastoralis officij.* confirmauit quasdam constitutiones, quas fecerant nostri pro conseruanda pace in electione Generalis, statuentes alternatiuam triennij Generalatus, ad cuius officium per vnum triennium eligeretur vnus sacerdos ex dominio Venetorum, & alio triennio vnus ex reliquis partibus Italiæ, deinde quod qui functus fuisset muneri Visitatoris Generalis non posset amplius ad illud idem officium redire, nisi post sex annos à fínito triennio computandos. Extinctum Generalem per Bullam Pij V. incipiente. *Ea est officij nostri.* restituit Sixtus V. in sua incip. *Romani Pontificis* sub datum 29. Martij 1586. eligendum cum aliis officialibus excepto Commissario Generali, quem solebant ante eligere ex citata Bulla Pauli III. extincto penitus, in capitulo Generali per triennium, quo peracto, possent illum eundem confirmare in aliud triennium, eum omni eadem potestate, quam antea habebat, quam suppimetetur à Pio V.

7 Difficultas est super eo sexennio transituro, antequam qui fuit alias Generalis redire possit ad idem officium Generalatus, an scilicet illud expectandum sit. Videtur quod non, quia ex c. Regulæ vnusquisq; potest redire ad idem officium post triennium, ergo à fortiori Generalis, ne sit minoris cōditionis aliis. Præterea per extinctionem factam officiis Generalatus à Pio V. & restitutionem eiusdem per Sixtum V. intelligitur sublata Bulla Pauli III. nam expresse sustulit officium commissariatus, ergo & reliqua in ea contenta.

Respond. viget adhuc illud statutum de sexennio expectando, quia nullatenus sublatum fuit per dictas Bullas Pij & Sixti V. quia correctio iuris non præsumitur, nisi de ea constet, sed oportet iuribus concordare, immo Sixtus restituendo Generalem dicit, se nolle restituere Cōmissarium, ergo in reliquis remansit Bulla Pauli III. ac proinde etiam quo ad hoc sexennium; exceptio enim firmat regulam in casibus non exceptis, ex vulgaris iuribus. Neque obstat decretum Regulæ allatum indulgens, quod quisque ad Idem officium redire possit post triennium, quia quo ad Generalem sublatum fuit à Paulo III. vt colligitur ex generali clausula in Bulla inserta derogante statutis, & consuetudinibus.

8 Definitores Generales per triennium tantum durant, vt colligitur ex eadem Bulla Nicolai V. cum capitulum, in quo sunt eligendi, fiat solum de triennio in triennium. Et si contingat officium Generalis prorogari subintelliguntur etiam protracti definitores, cum sit incongruum esse Generalem sine illis.

9 Prouincialis cum suis quatuor Definitoribus, Discretus, & Priores eliguntur de iure tantum per annum, ex cap. 2. Regulæ, ex Bulla Pauli III. ex Bulla Pij V. quibus dicit Prouincialem posse reeligi vsque ad triennium duraturum, in quo casu definitores eius videntur esse renouandi, quia Pius V. expressam mentionem facit solum de Prouinciali. Ex vi tamen Regulæ quis præponi potest etiam semel Prouincialis in triennium ex dicto cap. 2. vbi de eo dicitur. *Habeatq; cum suis definitoribus, &c.* ex quo colligitur cum eodem perdurare definitores illo toto triennio, & sic probata consuetudo hoc declarauit, vt electio Prouincialis cum suis quatuor definitoribus, & etiam Discreto, atque Custode fiat per futurū triennium. Remanent ergo Priores de iure solum annales, vnde & singulis annis reeliguntur, si digni sunt, & confirmantur regulariter.

10 De Procuratore Generali, & Custode nulla fit mentio in bullis, & Regulis, sed tantum in Bulla Clementis VIII. de electione officialium; nihilominus more aliorum eligentur per triennium duraturi.

11 Facit difficultatem Bulla Pij V. illis verbis. *Hæc vero officia annalia duntaxat esse, & in singulis capitulis Prouincialibus prædictis resignari debeant, itaut elapso anno illa vacare censeantur; poterunt tamen ipsimet Visitatores Prouinciales rursus in sequentem annum, & eo finito etiam in tertium, si idonei reperiuntur, eodem modo eligi, & confirmari, sed omnes suis huiusmodi officiis quandocumque perfuncti, denuo ad illa, nisi trans*

transacto sexennio nequeant reuocari. Statutum de sexennio contra Generalem tantum à Paulo III. confirmatum, extendit Pius V. ad quoscumque officiales. In rigore iuris Sixtus V. non videtur reuocare Bullam Pij V. quo ad supradicta, sed tantum circa ea, quæ concernunt ipsum Generalem cum cæteris officialibus, & Fratribus, quos exemit à subiectione Minorum de Obseruantia, & subiecit regimini sui ordinis superiorum, deinceps eligendorum ex propria religione. Nihilominus nonnulli Bullam Pij V. sublatam in hoc etiam fuisse, quia destructo principali, quod fuit illa extinctio Generalis per restitutionem factam à Sixto V. omnia illi accessoria censentur abolita; ac proinde supradictum decretum de electione, & reelectione Prouincialis, atque sexennio reditus ad idem officium, esse sublatum. Est tamen in contrarium consuetodo probata, de qua dixi resolut. 26. numer. 21. Quare electiones à Sixto V. vsque modo fiunt iuxta caput primum, & secundum Regulæ cui sine dubio standum est.

Quæres 3. An vltra triennium, seu aliud tempus à Regula, Bulla, aut statuto præfixum aliquis licite, & valide immediate eligi possit ad idem officium, cui paulo ante renuntiauerat, quia vlterius procedere non poterat? Quod etiam est quærere, an continuare possit in eodem officio per reelectionem, aut confirmationem superioris per se, aut cum suis vocalibus? *Samuellius tract. 3. de elect. disp. 1. controu. 4. concl. 4.* Generalem expleto suo officio rafirmari posse in eodem in duobus casibus, primo, vbi alius non reperiretur idoneus, *per. l. Honor. §. Gerundorum ff. de mun. & honor.* secundo vbi omnes electores, nemine reluctante, ei suffragarentur, *ex auth. de defens. ciuit. § fin. vers.* Si vero nondum. Hæc accepit ad verbum à *Sigism. dub.* 103. *numer. 4. & numer.* 5. vbi dicit, hunc secundum casum apud regulares esse potius speculariuum, quam practicum, obstante Tridentino, quod præcipit, vt electiones ita secreto fiant, vt nunquam nomina eligentium publicentur, nullus autem modus excogitari potest, quo & Concilium seruetur, & omnes nemine discrepante suffragentur superiori, qui tunc ab officio cessat. Sed pace vtriusque vana mihi videtur eorum ratio, & inutilis. Quare.

12 Respond. Primus casus videtur magis speculatiuus, immo simpliciter, quam secundus, quia quod inter tot prætensores nullus ex aliis reperiatur idoneus, imaginarium est, & iudicium præsumptionis, qua ratione etiam nunc non attenditur sanior, sed tantum maior pars suffragiorum ad effectum electionis, vnusquisque enim vocalis se parem saltem facit cum aliis, si non meliorem, & saniorem, vnde cum huiusmodi collatio sit odiosa non adhibetur, sed maior numerus imbibit saniorem partem, non obstante cap. Ecclesia 57. de elect. quia ibi sermo est, quando ad electionem concurrunt vocales cuiuscumque conditionis, quod non accidit apud regulares ad quorum capitula præsertim maiora accedunt patres vocales benemeriti indifferenter, & quod nunc attendatur numeros docent *Mirand. & Sigismund. apud Lauer. cap. 19. de elect. num* 89.

Secundus casus nequaquam admittitur, aliter attentata electio, seu confirmatio nullius est momenti, nulla & inualida, quod probatur, Tum quia tempus à lege præscriptum est de forma illius substantiali, *Auth. Quæ supplicatio C. de precib. imper. offer.* ibi: *Nisi sub hac forma,* iuncta *glosa v. Forma, ibi doct. Feli. in cap. Dilecta, de rescr. in 6. §. signum octauum,* nisi tempus prorogari possit ex eodem *Felino cum aliis, quos citat Sanchez lib. 3. disp. 5. §. Tandem,* sed Bullæ Pontificiæ, & statuta religionum præfigunt certum tempus pro electionibus durandis, ergo vltra illud progrediendum non est, aliter nihil fit. Tum quia electus vltra trennium immediate non est amplius capax electionis, neque confirmationis ad idem officium, ergo frustra eligitur, & confirmatur, incapacis enim electio irrita est. Tum quia per illud tempus limitatum aufertur electoribus ius eligendi vlterius immediate eandem personam ad idem officium, ergo ex nullo capite electio attentata tenet, Procedit hoc, licet in 13 Bulla, seu Constitutione non adsit decretum irritans expresse, siquidem determinatum tempus, vltra quod electus procedere non debet in officio eodem sufficienter comprehendit huiusmodi decretum, cum per tempus præfixum intelligatur sublata, seu impedita facultas eligendi, seu potius prorogandi electionem antiquam in electo. Quicquid videatur *dicere Sigism. dub.* 103. requirens decretum irritum, *& cum eo Samuellius tract. 3. de elect. disp. 1. controu. 4. concl. 3.* Sed adductæ rationes absolute probant, quod respondimus, finito enim præfixo tempore spirat authoritas per illud limitata.

Quod Sigismundus, & ex eo Samuell. dicit, hanc reelectionem seu confirmationem ex vnanimi consensu suffragantium vocalium prorogantium electum in suo officio, si liceret, esse contra decretum Tridentini de secretudine votorum, non est verum, quia tunc reeligeretur per vota secreta, ac quilibet alius, qui primo assumeretur ad officium, neque secretudini votorum obstaret prudens tractatus, qui haberetur 14 de illo iterum eligendo, & prorogando illi officium, quia tractatus etiam super tali persona, vtrum sit bona ad officium hoc, vel illud non est subiectus secreto, cum nullibi id præscribatur, *vide Peyrin. in Formul. lit F. cap. 7. numer. 1.* & cum differat à datione votorum, cum ad hanc dicatur esse dispositio, nullatenus obstat Tridentini Decreto de electione per vota secreta.

Quæres 4. Quomodo numerandum sit tempus præscriptum ad decisionem officij naturaliterue, an ciuiliter à capitulo ad capitulum?

Respond. Tempus est computandum ciuiliter à 15 capitulo ad capitulum, vt multis probaui resolut. 39. quæst. 11. ibi vide. Confirmatur ex responsione sequentis.

Quæres 5. An capitulum differri possit vltra tempus præfixum? Nota quod quandoque capitula habent præfixum diem suæ celebrationis, aliquando habent tempus limitatum, sed mensem, & diem incertum, vt si dicatur celebretur capitulum singulis annis, aut de triennio in triennium, vt dicitur apud nostros in Bulla Nicolai V. & cap. 2. Regulæ de capitulis Prouincialibus. Ex cap. 1. capitulum Generale singulo triennio est celebrandum ad vigesimum secundum diem post Dominicam Resurrectionem.

Respond. In vtroque casu prorogari potest legiti- 16 ma subsistente causa, quælibet enim constitutio, & statutum admittit exceptionem causæ rationabilis, vt dixi præced. resolut. axiom. 38. Exempli gratia si Generalis, vel alius, qui debet esse præsens capitulo, vt Præsidens, infirmitate detineatur, vel alio graui negotio impediatur, differri potest capitulum vsque ad tempus libertatis; similiter tempus belli, pestis, & similium sunt sufficiens causa differendi capitulum. Faciunt ad hoc allata *à Rodr. tom. 2. q. 52. art. 1. ex ee Sigism. dub.* 103. Nec obstat, quod præfixum tempus, sit de substantia, & valore electionis, quia huiusmodi tempus ciuiliter acceptum non præteritur, sed tantum Mathematice, quod in consideratione non habetur ex probatis superius.

Quæres 6. An prorogari possit, & manuteneri quis in suo officio vltra tempus præfixum saltem in alio, conuentu vt practicatur apud quasdam religiones?

Respond. Nequaquam, quia illud tempus exem- 17 pli gratia triennij limitatum absolute capiendum est respectu personæ, vt vlterius non procedat siue in eodem conuentu, siue in aliis, & in hoc non est difficultas.

Quæres 7. Princeps quidam petit gratiam à capitulo

tudo Prouinciali, vt ab eo postulatus prosequatur regimen Monasterij, quamuis suum finierit triennium. Quo modo superior capituli potest illi complacere?

Respond. Capitulum, quamuis non possit manutenere illum religiosum in superioratu finito suo biennio, potest tamen eidem gubernationem Monasterij seu collegij committere alio titulo, quam electionis, prouidendo conuentui de eodem sub nomine Præsidentis, Vicarij, aut Commissarij, quousque prouideatur de superiore via ordinaria per actum electionis. Sed id raro faciendum est, & non nisi instante necessitate.

19 An autem religiosus postulatus, & à superiore promissus vt supra, sequenti anno possit vocari legitime ad idem officium per formalem electionem? Respondetur affirmatiue, quia formaliter va... per annum ab eo officio. Ad hoc officium faciunt quæ dixi *resolut. 118. q. 2.*

Quæres 8. An moniales superiorissæ eligantur de trieno o in triennium, an vero sint perpetuæ?

20 Respond. Superiorissæ officium vltra triennium non potest durare loquendo de monialibus in Italia, cuiuscumque sint ordinis etiam Militiarum, etiam Hierosolimitanorum, vt ex Aldano, Barbosa ad c. 7. sess. 25. num. 12. fert decreuisse Gregorium XIII. subdendo attentatam prorogationem per nouam electionem nullius esse momenti, & inualidam, qui sequ numer. 14. cum eodem Aldano subiungit, vnam sororem secundum carnem succedere posse alteri, nisi prohibeatur per statutum ordinis, vt fit in ordine Prædicatorum, *Lauor. tit. 4. de elect. cap. 24. n. 39.*

Quæres 9. An quæ dicuntur à doctoribus, & in iure præscripta sunt de electione locum sibi vindicent tam in monialibus, quam in viris religiosis?

21 Respond. Affirmatiue, nisi conditio sexus, aut speciale statutum aduersetur, quia iura, & doctores vt plurimum loquuntur in communi de requisitis ad bonam electionem præscindendo à conditione sexus. Quare, primo, nullam habet vocem in capitulo nisi sit professa, *Lauor. tit. 4. cap. 24. de elect. num. 3.* Secundo, tenentur seruare cap. Quia propter de elect. & transgredientes supponuntur pœnis, quo ad nullitatem, non quo ad priuationem eligendi pro ea vice eas excusante ignorantia, docet Sigism. dub. 3. de elect. apud. *Lauor. tit. 4. de elect. cap. 19. numer. 11.* Sed ego id non admitto, quia moniales sunt tam practicæ in suis electionibus ceteris patribus, quam religiosi, ideo non sunt excusandæ.

Quæres 10. Nonnulli religiosi an possint impugnare electionem factam in capitulo Prouinciali, in quam consenserunt, ex duobus capitibus, primo, quia vnus scrutatorum non erat de corpore capituli, secundo, quia vnus vocalis dictus Discretus conuentus erat illegitimus. Isti autem duo defectus erant noti omnibus vocalibus, & tamen tacuerunt. Defectu primi certum est non tenere electionem, vt de cummuni

22 *probaui Resolut. 26. quæst. 1. numer. 8.* Defectu secundi puto non vitiari electionem, quando concurrentes vocales sunt plures, & in pluribus excedunt vota fauorabilia, quia illud votum illegitimi vocalis computandum tunc est in numero superfluorum, actus enim debet interpretari, vt magis valeat, quam pereat ex vulgatis iuribus, & id videtur confirmari per *Glos. cap. 4. 9. q. 1.* vbi sustinetur electio, vno vocalium existente excommunicato, item ex Nau. consil. 9. de elect. colligitur subsistere electionem, quando publicatio vnius voti non dedit causam electioni. Faciunt, quæ dixi resol. 120. n. 46.

23 Respond. Supradicta electio non potuit ab illis patribus impugnari ex duplici capite, primo, quia illa fuit valida, ideo est inexpugnabilis, non obstantibus illis duobus defectibus, primo quidem, quia ex literis illius ordinis à sede Apostolica ap... forma specifica conceditur capitulo P... tas ca... , qui non sit de corpore capituli, admendi in scrutatorem. Immo nonnulli cum Tancredo, & Abbate antiquos, *& Mandagot. cap. 23. de elect. v. 24 Irritari dicunt*, substantialia præscripta *in cap.* Quia propter non comprehendere tres scrutatores, sed tantum, quod vota secrete, & sigillatim exquirantur, ac decretum mittans referat ad illa verba incipiendo. *Qui vota cunctorum*, &c. prædictis fauent *Peyrin. in Formul. lit. F. cap. 3 numer. 2. citans pro se Mirand. tom. 2. quæst. 23. art. 29. Portellus v. Electio numer. 142* Defectu pariter secundi non infringitur electio, tum ob adductas rationes, cum illegitimus esset incapax Discretatus localis, quod verum non est. Tum quia illegitimus potest eligi in Discretum conuentus sine alia dispensatione, quia non est officium dignitatis sed suffragatorij tantum, vt probaui *resolut. 147. quæst. 1. numer. 10.* Ex his igitur infertur religiosos illos pacis perturbatores temere, & sine ratione bili causa insurrexisse contra prædictam electionem, ideo confusi retro abierunt.

Quæres 11. Quid requiratur ad impugnandam electionem nullam, & inualidam?

24 Respond. Debent sequentia seruari. Primo, qui elegit, vel in eum consensit non potest se opponere electioni propter eos defectus, qui noti erant sibi tempore electionis, vt dicitur expresse cap. Nulli 8. de elect. in 6. & ta io potest esse, tum quia factum proprium nemo impugnare potest, *l. post mortem ff. de adopt. l. Sicut C. de act. & oblig. cap. Veniens 5. de fil. Presbyter.* vbi Episcopus, qui scienter contulit beneficium filio sacerdotis exinde eum remouere non potest. Tum quia quod semel placuit amplius displicere non potest, nec debet, *cap. 21. de Reg. iur. in 6.* & habet locum in electione, vt ibi glosa dicit. Tum quia nemo debet mutare consilium in alterius præiudicium, *reg. 33. in 6. l. Nemo 70 ff. eod.* vnde per hanc regulam publicato scrutinio electores mutare non possunt consilium, cum sit in detrimentum electi, sed debere debent ad expeditionem electionis iuxta publicationem votorum, cap. Publicato, de elect.

25 Dixi non concedi appositionem, quando defectus noti erant tempore electionis, concedituf vero ex citato cap. Nulli 8. eod. in 6. quando superuenit noua causa, & defectus postea dicoo... eniuntur, quæ entus de nouo emergunt nouo indigent auxilio, *l. oratione ff. de fer. glos. v. de nouo cap. Pastoralis. 4. de except.* Ita Sigism. *dub. 48. num. 6. Lauor tit. 4. de elect. cap. 19. num. 115. Peyrin. de Subd. q. 1. c. 31. §. 2.*

26 Secundo requiritur, quod opponentes interesse habeant in electione, vnde debent esse vel de illo capitulo, vel subditi illius Prouinciæ, seu conuentus, contra cuius superiorem opponitur, vt colligitur ex *cap. Cum inter 16. de elect. cap. Quod sicut 28. eod. Cajetan. cap. 16. de elect. num. 4. Layman. in quæst. Canon. Pralutor. cap. 11. q. 115.* Id autem præstare possunt per se, vel per institutum procuratorem, ex cap. 1. de

27 elect. in 6. debet autem esse persona Ecclesiastica, eiusdem ordinis, quia agitur de causa Ecclesiastica, quæ per laicum tractari non conueuit, *cap. Decernimus 2. de ind. cap. Tua. 25. de decim.*

28 Tertio, quando agunt oppositores per modum appellationis, requiritur, quod appellatio interponatur infra decẽ dies à die sententiæ grauaminis, si appellatio fiat extra iudicium, post illud tempus appellatio non conceditur, potest tamen grauatus per remedium iuris communis audiri, *cap. Cum certatorum 8. de appellat. in 6.* In casu quo appellatio sit super electione quo ad formam, vel personam ad Papam, intra mensem à die oppositionis... tam ab appellante, quam à defendente, tempus alterá expectata per viginti dies post aduentum alterius non venerit, in negotio procedatur; *cap. 1. elect. eod. & facit cap Cupientes 16. eod. Sigism dub. 48. de elect. n. 22. Lauor. tit 4. de elect. cap 19. n. 122.*

29 Quarto appellans publico instrumento autheutico

tico exprimere debet se esse paratum probare ea omnia, quæ obijcit electo, & iurare se credere illa esse vera, *cap. Vt circa 4. de elect. in 6.* Idem facere debet respectu eorum, quæ de nouo emergunt, iurando se ignorasse tempore electionis, ea quæ intendit obijcere electo, vel eius electioni, *cap. Nulli 8. de elect. in 6.* Formam autem appellationis ad verbum refert *Laur. tit. 4. de elect. cap. 19. num. 126.*

Quæres 12. Quid agendum sit à iudice capituli ante electionem promouendorum quærelatorum?

31 Respond. In primis examinandus est defectus obiectus, & si reperitur falsum fuisse obiectum, querelans a prosequutione negotij repellitur, & punitur perinde ac si defecisset in probatione omnium obiectorum *cap. Si forte 11. de elect. in 6.* Promouendus autem nullatenus impeditur à prætenso iure electionis, cum reuera non dicatur grauata eius opinio, quia contra ipsum nihil constat, etenim reus non est statim, qui accusatur, sed qui conuincitur criminosus, cap. Scitcitantibus 15. quæst. fin. Eligendus autem repellitur per vnicum testem idoneum ex probatis resolut. 105. num. 41. Defectus autem scientiæ alio me-

32 dio securiori probari non potest quam examine formali ipsius promouendi..

Quæres 13. An electus, probata euidenter eius inhabilitate, seu defectu, deijci possit à sua dignitate, ipso non citato?

33 Respond. Necessario citandus, aliter sententia lata depositionis ab officio nulla est, probatur cap. 1. de causa possess. vbi dicitur. *Nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire.* Papa igitur ipse dicit se carere potestate definitiuam sententiam ferendi parte non citata, ergo attentans deijcere nihil facit. Ita citatio partis est necessaria, vt nec Princeps eam supplere possit, *Glos. v. Non obstantibus extr. 1. de dolo, Panorm. in capitulo primo cit. de causa possess. Iason in l. Gallus ff. de liber. & posthum. num. 18.* dicit, nec

34 Papam posse de plenitudine potestatis omittere citationem, quia est contra ius naturale, *Cenar. pract. cap. 23. numer. 6. Alexand. vol. 2. consil. 5. numer. 2. Sotus*

35 *lib. 5. de iustitia quæst. 3. art. 3. ad 1. §. At vero virum. Mirand. quæst. 14. de ordine iudic.* Ita in casu electionis, *cap. fin. de elect. in 6. Viuian. de iurepatr. lib. 9. cap. 1. num. 24. Portellus part. 2. casu 4. num. 3.* quod procedit non solum in electo iam cõfirmato, sed etiam in eo, in quem omnes sua vota contulerunt scrutinio publicato, eo quod non possunt amplius variare.

Quæres 14. An forma electionis præscripta in cap. Quia propter 42. elect. quod communiter citatur ab omnibus habeat locum in omnibus officiis electiuis, Generalatus, Prouincialatus, Prioratus, Discretatus, Definitoratus, &c.

36 Respond. Habet locum solum in officiis superioritatis, vt ex eodem capite colligitur, in quo prouidetur de forma electionis respectu Ecclesiarum viduatarum, ibi. *Magna pericula imminent Ecclesiis viduatis.* Forma autem præscripta ibi est sequens. *Statuimus, vt cum electio fuerit celebranda, præsentibus omnibus, qui debent & volunt, & possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secreto, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta, mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstacule interiecto, vt is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior, & sanior pars capituli consensit. Vel saltem eligendi potestas aliquibus, &c. Aliter electio facta non valeat, nisi forte communiter esset ab omnibus quasi per inspirationem absque vitio celebrata.* Debent igitur omnes, qui volunt esse præsentes in loco, vbi fit capitulum. Secundo, debent assumi tres de eodem collegio, qui vota exquirant omnium, de his trib. dixi resol. 26. quæst. 1. esse de substantia electionis de communi. nonnulli tamen tenent oppositum posse extra accipi, quos citaui hic numer. 24. Sed quid in definitorio, vbi sunt, solum quinque Prouinciales nimirum cum suis Discreto, & quatuor de-

37 finitoribus? in hoc casu Prouincialis cum duobus definitoribus vident schedulas, & singulorum vota scribit Discretus, alio modo non est possibilis scrutatio, votorum, & hæc est optima scrutatio, in qua non potest contingere deceptio, practicatur in mea religione.

38 Tertio debent redigi vota exquisita ab illis redigi in se ipsis per secretarium capituli, qui est apud nos Discretus, non vitiaretur electio, si redigerentur per alium extraneum, quia ibi non exprimitur persona, quæ debet scribere. Quarto, nullo actu alio interposito post scriptionem publicanda sunt vota proferendo, talis habuit tot vota, alius vero tot, &c. Quinto demum eligendus est, & nominandus electus ille, in quem maior pars capituli consensit.

RESOLVTIO LXXII.

De Confraternitatibus in Ecclesiis Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Confraternitas quid sit?*
2 *Confraternitas non erat ante Mendicantes.*
3 *Clemens VIII. dat formam erigendi illas.*
4 *Vnica in singulis Ecclesiis, excepta Sanctissimi.*
5 *Sixtus V. Cordigeros instituit.*
6 *Indulgentia Sixti Cordigeris concessa.*
7 *Gregorius XV. nostro Generali dedit facultatem erigendi.*
8 *Indulgentia Pauli V. Cordigeris.*
9 *Indulgentia Greg. XV. Cordigeris.*
10 *Indulgentia Pauli V. Religiosis.*
11 *Mortuorum religiosorum non fuerunt sublata.*
12 *Indulgentia Sixti non videntur sublata.*
13 *Cordæ conditiones ad lucrandum indulgentias.*
14 *Describendus est Cordiger.*
15 *Statutum soluendi aliquid in ingressu licitum est.*
16 *Præsentia describendi non est necessaria, nisi.*
17 *Reseruatorum absolutionem fere nullam obtinent.*
18 *Interdicti tempore non sepeliuntur apud Regulares.*
19 *Tridentinum de obseruatione Interdicti suffert priuilegia.*
20 *Episcopus visitat Confraternitates.*
21 *Altaria in Ecclesiis regularium visitat.*
22 *Nequaquam reuera.*
23 *Parochus habet iura in Ecclesiis Confratrum secularium.*
24 *Capellani Confratrum quid possint.*
25 *Eucharistiæ sacramentum non seruant.*
26 *Electio officialium quomodo fiat.*
27 *Processionibus interesse debent, si adsit consuetudo.*
28 *Interdictum in Ecclesiis regularium non ponit intuitu confratrum.*
29 *Tridentinum loquens de interdicto locali generali.*
30 *Præcedentia confraternitatum.*
31 *Alienari earum bona non possunt de iure.*
32 *Gabellas non soluunt.*
33 *Ecclesiastica dicuntur, & loca pia.*
34 *Immunitate proreus gaudent eorum oratoria.*
35 *Domus item earum, si illis actu vtantur.*
36 *Conueniunt coram iudice Ecclesiastico.*
37 *Confraternitates in nostris manent, licet superueniant alij Franciscani.*
38 *Generalis noster subdelegat facultatem erigendi.*
39 *Erigit in oratoriis, & grangiis suis.*
40 *In extraneis Ecclesiis non instituit.*
41 *Religiosus non fit confrater sine licentia.*
42 *Oblationes cedunt Ecclesiæ.*
43 *Seminario contribuunt.*

De

1 CONfraternitas est congregatio quorumdam fidelium in vnum quandoque conuenientium sub certo modo ad benefaciendum ab Episcopo approbanda in scriptis. Dixi, *Congregatio*, quia est plurium Christianorum secundum spiritum, & fidem fratrum societas, particula enim, *Con*, in compositione importat vnitatem plurium in vno instituto, ordine, seu professione. Dixi, *quorumdam fidelium*, vt Confraternitas distinguatur ab vniuersali Ecclesia, quæ est omnium fidelium vnio, & Congregatio, cap. Ecclesia 6. de consecr. d. 1. Confraternitas vero est tantum quorumdam fidelium adunatio. Dixi, *in vnum quandoque conuenientium*, quia eorum institutum non est, vt semper, & quotidie simul sint, in quo differunt etiam à Congregationibus religiosorum, qui simul sunt, & viuunt in suis claustris, confratres vero in suis priuatis domibus, sicut faciebant, antequam describerentur inter confratres in congregatione. Dixi, *ad benefaciendum*, quia finis Confraternitatis, cuiuscumque sit nominis, & instituti, est incumbere ad opera pia & spiritualia tam pro seipsis, quam in bonum, & vtilitatem cæterorum fidelium. Dixi demum, *approbanda ab Episcopo in scriptis*, quod apposui ob constitutionem Clem. VIII. incip. *Quæcumque à sede, in Bullar. Nouo sub num. 125. apud Quar. v. Confraternitas, quam paucis perstringit Lezana tom. 2. cap. 15. n. 8.*

Quæres autem 1. quo tempore inceperint huiusmodi Confraternitates? Videntur fuisse ante ordines Mendicantium, nam in Concilio Lateran. sub Alex. III. qui electus fuit anno 1159. relato cap. 3. de priuileg. fit mentio de Confratribus, vbi in §. fin. dicitur, quod Confratres exemptorum, seu ipsorum oblati, qui in totum se non transtulerunt, iudicari possunt ab ordinariis locorum; de quibus etiam dicitur sub eodem Concilio, ibid. cap. Vt priuilegia 24. quod priuilegium religiosis concessum, vt possint sepelire Confratres suos tempore interdicti, intelligitur de illis confratribus, qui licet maneant in seculo, tamen se obtulerunt ordini; mutato habitu seculari, vel de illis qui bona sua eis dederunt, vsufructu retento; & cap. Quidam 32. eod. dicitur, quod confratres priuilegiatorum, nisi ad eos in totum se transtulerint, ad Episcopalia iura tenentur. Hoc vltimum caput est Gregorij IX. qui fuit electus anno 1227. quo paulo ante religiones Mendicantium S. Dominici, & S. Francisci, quæ sunt primariæ, incæperant.

2 Respond. Confraternitates incæperunt sub ordinibus Medicantium, & non ante sub ordinibus non Mendicantibus, ita colligitur ex Confect. in fine sui Summar. Bullar. dum dicit, Confraternitates vtriusque sexus fidelium erectas fuisse sub titulo Sanctissimi Nominis Dei, & Iuramentorum, Rosarij gloriosissimæ Virginis Mariæ in ordine Prædicatorum, & Cordigerorum in ordine Minorum, de quibus *Rodr. tom. 1. quæst. 58.*

Ad obiecta ex iure Canonico dico, in illis locis non venire Confratres, quibus conuenit allata superius descriptio, & de quibus in præsenti, nam isti suas faciunt congregationes absque eo, quod se, & sua bona conferant, & offerant religioni, cuius dicuntur congregationem facere, in illis ergo locis nomine confratrum veniunt illi, quos nostri vocant Tertiarios respectu Mendicantium, aut oblatos respectu aliorum, præsertim non Mendicantium, de quib. *Nauar. consil. 49. de regular. Rodr. tom. 3. q. 21. art. 1. Sanch. lib. 7. cap. 8. numer. 42. Compend. resol. 104. Lezana tom. 2. cap. 8.*

Quæres 2. Quid determinauerit Clemens VIII. in prænarrata constitutione circa erectionem confraternitatum?

3 Respond. Determinauit primo, vt vnica in Ecclesiis siue secularibus, siue regularibus, & non plures institui possint, & de licentia ordinarij loci. Secundo, quod Regulares Confraternitati institutæ, vel aggregatæ non possint communicare nisi illa priuilegia, gratias, & indulgentias, quæ ipsis in specie, & nominatim sunt concessa, non vero quæ communicata illis fuerunt per participationem. Tertio, quod illis non possint assignare, vel tradere statuta primo, quæ prius non fuerint approbata ab ordinario. Quæ postmodum fiunt a Confratribus inter se ipsos post institutionem, & aggregationem non egent approbatione Episcopi, cum de illis nulla fiat mentio in ea Bulla, Lezana citandus num. 12. Quarto, eleemosinas excipere non possint, nisi cum licentia ordinarij, quas expendere debeant ad reparationem, seu ornatum Ecclesiæ, cui sunt addicti. Quinto, quod confessarius ab illis eligendus sit approbatus ab ordinariis locorum, & etiam à superioribus regularibus, in quorum Ecclesiis Confraternitates sunt erectæ, quos tamen absoluere non possint à reseruatis Papæ, & Episcopi. *Vide Peyrin. tom. 3. priuileg. cap. 9. num. 78. & Lezana tom. 2. cap. 15. num. 7. prædicta referentes.*

Quæres 3. Circa primam determinationem, an habeat locum respectu omnium Societatum?

4 Respond. Negatiue, quia excipitur Societas Sanctissimi Sacramenti Corporis Christi, quæ ante erecta non impedit alterius erectionem, neque impeditur ab alia diuersi instituti prius erecta, post cuius erectionem Societatis Corporis Christi institui potest; vt respondit. S. C. suis literis directis ad Episcopum Senensem, *apud Peyrin. tom. 3. priuileg. cap. 9. num. 79.* & ad Archiepiscopum Mediolan. fere eiusdem tenoris, *apud Nald. v. Indulgentia.* Societas ergo Sanctissimi non facit numerum cum alia Confraternitate, quæ adhuc institui potest in Ecclesiis regularium, & aliis.

Quæres 4. circa secundam determinationem, quænam sint illæ indulgentiæ, quas Regulares possunt communicare suis confratribus, & quomodo illas eis communicare debeant? Vnusquisq; Regularium videat priuilegia suis Confraternitatibus concessa; interim *vide Lezanam tom. 2. cap. 15. à n. 32. vsq; ad 51.* in quibus locis agit de Confraternitate S. Mariæ de Carmelo; & à num. 51. deinceps vsq; ad finem refert priuilegia, & indulgentias Confraternitatis Rosarij B. M. V. Solum hic succincte tangam de Confraternitate Cordigerorum quo ad eius institutionem, priuilegia, indulgentias, & quis possit eam instituere in suis Ecclesiis?

5 Sixtus V. sua constit. incipien. *Ex superna dispositione* apud Bullar. Non. Bulla 13. apud Confect. Bulla X. in Ecclesia S. Francisci Assisij instituit, & ereait Archiconfraternitatem Cordæ S. Francisci, dando facultatem Generali Magistro Conuentualium in Ecclesiis sui ordinis, & Minorum de obseruantia, ac Capucinorum alias aggregandi Confraternitates Cordigerorum. Indulgentiæ autem concessæ sunt Primo indulgentia plenaria ipso die ingressus cordigeris confessis, & communione refectis. Secundo eamdem indulgentiam plenariam eisdem in articulo mortis nomen Iesu saltem corde dicentibus contritis, & confessis concessit. Tertio indulgentias concessas Archiconfraternitati Confalonis B. M. V. in Ecclesia S. Lucæ de Vrbe communicat, de qua vide Bullarium Bulla 38. Gregorij XIII. & ibidem in Scholis. Quarto omnes indulgentias concessas ordini Minorum, eiusque Fratribus, & personis extendit ad Cordigeros, modo antea non essent reuocatæ. Quinto in alia Bulla incip. *Diuinæ Charitatis*, apud Confect. pag. 261. indulgentiam plenariam concedit Cordigeris interessentibus processioni singulis mensibus solitæ fieri. Sexto, recitantibus officium B. M. V. vel aliud quodvis diuinum officium, vel interessentibus; item associantibus ad communionem infirmorum, vel defunctum ad sepulturam; item subuenientibus alicui miserabili personæ; item pacem componentibus, toties quoties aliquid illorum fecerint, concessit centum dies de iniunctis. Septimo Indulsit, vt huius-

modi indulgentias possent applicare in suffragium animarum defunctorum. Octauo facultatem erigendi huiusmodi confraternitatem cordigerorum, cum communicatione prædictarum indulgentiarum, quam concesserat Generali Conuentualium, extendit ad Generalem, & Commissarium Generalem Minorum de Obseruantia, erigendi hanc confraternitatem vbi non sunt eiusdem ordinis conuentualium monasteria, vel hæ confraternitates nondum erectæ.

7 Gregorius XV. in sua incip. *Alias à felicis.* sub datum 27. Iul. 1622. instante Reuer. patre Francisco Guastamilio de Curla Bononiensi initio sui Generalatus, nostro Generali concessit facultatem erigendi Confraternitatem cordigerorum sequentibus verbis. *Nos supplicationibus eorum nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, moderno, & pro tempore existenti Tertij Ordinis huiusmodi Magistro Generali, quod ex tunc de cætero in domorum, & locorum regularium dicti ordinis Tertij Ecclesiis, ijs tamen in locis existentibus, vbi Minorum Conuentualium, ac de Obseruantia, & Capucinorum nuncupatorum Fratrum prædictorum domus, seu conuentus, & alia regularia loca non essent, confraternitates vtriusque sexus Christi fidelium Cordigerorum huiusmodi instituere & erigere, illasque sic erectas, & institutas, præfatæ Archiconfraternitati, vt supra, erectæ cum omnibus, & singulis indulgentiis, ac peccatorum remissionibus, ac pœnitentium relaxationibus in præinsertis literis concessis, seruata tamen forma constitutionis fel. recor. Clem. Papæ VIII. prædecessoris nostri desuper editæ aggregare, ipsasque indulgentias illis, & illarum Confratribus communicare libere, & licite valerent Apostolica authoritate concessimus, & indulsimus, ac facultatem tribuimus, & impartiti sumus, prout in nostris desuper in simili forma Breuis literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus plenius continetur. Cum autem sicut nomine eorumdem superiorum, ac Fratrum Tertij Ordinis huiusmodi nobis nuper denuo expositum fuit, ipsi in diuersis terris, & locis, in quibus domus, seu conuentus Fratrum Capucinorum prædictorum dumtaxat reperiuntur, multas domos, & alia regularia loca habeant; Fratres vero Capucini prædicti Confraternitates Cordigerorum huiusmodi in Ecclesiis eorum domorum, seu conuentuum prædictorum erigere, & instituere non consueuerint, cupiantque propterea Superiores, & Fratres prædicti sibi per nos vt infra indulgeri. Nos Superiores, & Fratres prædictos amplioribus fauoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibuscum; excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absoluentes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, moderno, & pro tempore existenti Tertij Ordinis huiusmodi Magistro Generali, quod in domorum, & aliorum locorum regularium Dicti Tertij Ordinis Ecclesiis, in etiam in locis existentium, vbi Fratrum Capucinorum prædictorum dumtaxat domus, seu conuentus, & alia regularia loca existunt, Confraternitates Cordigerorum huiusmodi erigere, & instituere, illasque sic erectas, & institutas præfatæ Archiconfraternitati modo, & forma præmissis aggregare, & prædictas indulgentias illis, & earum confratribus communicare libere, & licite valeant autoritate prædicta tenore præsentium concedimus, & indulgemus, ac facultatem tribuimus, & impartimur. Non obstantibus præmissis, &c.*

8 Paulus V. in suo Breui expedito 2. Martij 1607. concessit Cordigeris sequentes indulgentias. Primo indulgentiam plenariam primo die ingressus. Secundo, Cordigeris scriptis, vel scribendis confessis, & communione refectis visitantibus Ecclesiam, vel oratorium huius Societatis in die festo eius principali ibidem orantibus pro tribus solitis concessit indulgentiam plenariam, Tertio, eisdem confessis, & communione refectis, vel si non poterunt hæc præstare ad minus contriti dixerint saltem corde, *Iesum*, in articulo mortis indulgentiam plenariam. Quarto, recitantibus, vel interessentibus Confratribus recitantibus, officium B. M. centum dies de indulgentia. Quinto, confessione, & communione refectis diebus festis Sanctorum Francisci, Antonij, Bonauenturæ, Ludouici Episcopi, Bernardini, & Claræ Virginis visitantibus Ecclesiam Minorum Conuentualium, & orantibus pro illis tribus solitis concessit septem annos, & septem quarantenas indulgentiæ. Sexto, associantibus cadauera ad sepulturam, subuenientibus pauperibus, vel pacem componentibus indulsit centum de iniunctis. Septimo, concessit, vt supradictæ indulgentiæ possent applicari mortuis. Octauo, demum concessit Generali Conuentualium facultatem erigendi huiusmodi confraternitatem, & voluit esse sic erectas aggregatas Archiconfraternitati Assisij, seruata tamen forma Breuium Sixti V. & Clem. VIII. Idem Pontifex in alio sub datum 1609. die 3. Octobris concessit indulgentiam plenariam cordigeris interuenientibus processioni solitæ fieri semel in mense, confessione, & communione refectis, & orantibus pro tribus solitis. Idem pariter Paulus V. in alio Breui dato 15. Iunij 1610. concessit indulgentiam plenariam Confratribus, & Consororibus prædictis sacra confessione, & communione refectis visitantibus Ecclesias Minorum Conuentualium in festo Portiunculæ secunda die Augusti.

9 Gregorius Papa XV. in suo Breui dato die 10. Nouembris 1622. concedit primo eisdem omnes indulgentias concessas regularibus personis. Secundo, illis, qui impediti non possunt visitare Ecclesias, quas tenentur visitare religiosi pro consequendis suis indulgentiis, easdem concedit quinque Pater, & Aue cum quinque Gloria, ac si personaliter illas visitassent. Tertio, concedit, quod supradictæ indulgentiæ, & alias pro festo Portiunculæ possint applicari defunctis. Quarto, quod prædictæ, & aliæ indulgentiæ à prædecessoribus concessæ possunt communicari confraternitatibus huiusmodi erectis, & in posterum erigendis.

10 Referendæ modo sunt indulgentiæ concessæ Regularibus Personis, vt Confratribus possint explicari. Paulus ergo Papa V. in sua Bulla Incip. *Romanus Pontifex*, apud Bullar. Bulla 21. Primo, concedit indulgentiam plenariam habitum suscipientibus confessis, & communione refectis, etiam die receptionis. Secundo, eandem legitime profitentibus. Tertio, eandem in festo principali sui ordinis confessis, & communicatis, vel celebrantibus rogando pro tribus solitis, & Romano Pontifice. Quarto, eamdem in articulo mortis confessis, & communicatis, aut saltem contritis si inuocauerint ad minus corde, *Iesum*. Quinto, eandem legitime ordinatis celebrantibus primam missam, vel assistentibus confessis tamen, & communicatis, aut celebrantibus eodem die. Sexto eandem se sequestrantibus in cella per decendium in spiritualibus exercitiis; aut ab aliis separati in spiritualibus se exercuerint ad minus per duas horas diei, & noctis, confessis, & communicatis. Septimo, propriam visitantibus Ecclesiam ibidem orando, vt supra, concedit easdem indulgentias, quas in diebus stationum lucrarentur, si visitarent personaliter Ecclesias in Vrbe, & extra. Octauo, dicentibus quinque Pater, & Aue ante altare propriæ Ecclesiæ quolibet die quinque annos, & tot quadragenas indulgentiæ, quas concedit aliis peregrinantibus de licentia suorum superiorum. Nono, per mensem integrum spatio semihoræ mentaliter orantibus, confessione, & communione refectis vltima mensis eiusdem Dominica sexaginta annos, & tot quadragenas indulgentiæ. Decimo, corde contrito accusantibus suas culpas in capitulo culparum

culparum se in virtutibus exercentibus tres annos, & tot quadragenas indulgentiæ. Vndecimo, euntibus ad infideles cum licentia Papæ, & suorum superiorum, confessione, & communione munitis, vel celebrantibus indulgentiam plenariam initio itineris, & eum primo ingressi fuerint prouinciam infidelium, ad quam erunt destinati. Duodecimo, indulgentiam plenariam concedit singulis, qui spatio duarum horarum confessione, & communione, vel celebratione munitis interfuerint orationi quadraginta horarum, quæ solet exponi in visitationibus generalibus à superioribus, orando pro illis tribus, Pontifice, & conseruatione disciplinæ regularis. De supradictis indulgentiis regularibus de nouo concessis à Paulo V. qui antiquas omnino reuocauit loquuntur *Portel. v. Indulg. initio*, *Compend. resol. 77. à num. 46.* qui subdunt præterea eundem Pontificem postea concessisse indulgentiam plenariam recitantibus Coronam. B. M. V. *Peyrin. tom. 3. priuileg. cap. 10. n. 59.* & Compend. addit Religiosis recitantibus septem Pater, Aue, & Gloria ante altare principale Ecclesiæ propriæ concessit stationem Sanctissimi Sacramenti, in qua continentur omnes indulgentiæ stationum Romæ, Ierusalem, S. Iacobi, & Portiunculæ, quam ait confirmasse Vrbanum nunc regnantem.

11 Obseruat *Peyrin. ad dictam Bullam Pauli. n. 10. & tom. 3 priuileg. cap. 10, num. 57.* probabiliter sustineri posse non esse sublatas indulgentias pro defunctis Fratribus, *Apud Lezanam tom. 1. cap. 3. num 19. Peregrin. in suo Compend. v. Indulg. num. 9. Lucern. Regular. v. Indulgentia num. 3.* neque similiter concessa pro articulo mortis. Ratio illius esse potest, quia in supradictis de nouo conceduntur tantum regularibus viuentibus, ergo præcedentes reuocatæ intelliguntur tantum de viuis religiosis. Ratio huius est, quia ipsemet concedit indulgentiã pro articulo mortis, ergo non reuocauit similes pro articulo mortis, quia contrarium effectum non debent operari inducta ad vnum finem. *l. Legata inutiliter ff. de legat. 1. l. 2. ad fin. C. de iuram. calum. c. Maiores § sed adhuc, de baptism.*

Ex hactenus allatis manet resoluta quæstio, nimirum supranarratas indulgentias superiores regulares ordinum S. Francisci in erectione Confraternitatis Cordigerorum nominatim communicare suis confratribus, & consororibus, hoc ipso quod Confraternitas erigitur, & aliquis accipit cordam, & describitur in libro Confraternitatis; quæ procedunt etiam respectu nostri Generalis proportionaliter, vt infertur ex præmissis.

Quæres 6 An omnes supradictas indulgentias enumeratas lucrentur Cordigeri; nam difficultas potest esse respectu indulgentiarum à Sixto V. concessarum supra sub n. 6. siquidem videntur reuocatæ à Paolo V. ex supradictis.

12 Respond. Non obstante ea reuocatione videntur subsistere indulgentiæ eiusdem Sixti V. in quantum denuo exprimuntur à successoribus Pontificibus. Et loquendo magis in specie, renouatæ fuerunt, quæ continentur sub primo, secundo, quinto, sexto, & septimo loco, fere sub eisdem verbis, & forma. Indulgentiæ Confalonis B. M. V. de Vrbe tertio loco, & aliæ concessæ eo tempore Minoribus quarto loco videntur pati aliquam difficultatem; illas nihilominus Confalonis adhuc lucrantur, quia hoc ipso, quod Gregorius XV. supra communicauit Confratribus omnes indulgentias, quas Paulus V. concesserat Regularibus, inter quas ea continetur, quod religiosi visitantes propriam Ecclesiam lucrantur omnes indulgentias, quæ acquiruntur in diebus stationum à visitantibus Ecclesias in Vrbe & extra, sequitur Confratres acquirere etiam indulgentias concessas Ecclesiæ S. Mariæ Confalonis, cum sit Ecclesia Vrbis Romæ. & si quis instaret dicendo sermonem esse de indulgentiis non omnibus, sed tantum stationum, dico omnes indulgentias abstoberi à stationibus. Concessas vero ordini, & particularibus fratribus non lucrantur, quia ex supradictis nõ constat fuisse renouatas nisi eo modo, quo eas denuo concessit Paulus V.

Quæres 7. quid requiratur ad lucrandum illas indulgentias ex parte cordæ? quod est quærere I. An debeat esse benedicta? II. Ad quem spectet illam concedere? III. An semper ferenda sit? IV. An si prima perdatur confrater propria autoritate aliam accipere possit licet non benedictam? V. An cingẽda primo sit a superiore regulari?

13 Respond. ad singula. Primo, corda est benedicenda ab aliquo superiore, vel eius præsidente eius ordinis, qui potest erigere confraternitatẽ, vt colligitur de huiusmodi benedictione ex Bulla incip. *Ex superne dispositionis.* & alia incip. *Diuina caritati, apud Censell. Bulla 3. Sixti V. pag. 294. sic docent Rodr. tom. 1. q. 58. art 1. § Quarto, Compend resol. 31. n. 2. Lezana tom. 2. p. 15. n. 44. Compend. Bull. ad Bullam 13. Sixti resol. 2.*

Secundo, cordam cõcedere possunt omnes superiores & ab illis deputati, vt colligitur ex eisdem Bullis, & citatis doctoribus, vt patet sequẽti dicto, in licet non fiat mentio de deputatis, neque delegatione, tamen delegari id potest, quia à principe concessa per alios explicari possunt, quam à designatis a principe, de quare infra. 25.

Tertio, hæc corda semper deferenda est, vt colligitur ex dicta Bulla illis verbis *Volumusque, vt cordam ordinis S. Francisci, quam confratres vtriusque sexus gestare debent, superiores Fratrum Minorum de Obseruantia benedicant, intelligendo per superiores, etiam Guardianos, atq; præsidentes.* Licet autem in prædictis verbis non exprimatur particula, *continue*, aut *semper*, subintelligitur tamen, quia si illam Cordigeri debent gestare, & tempus non designatur, relinquitur sub qualis sua differentia, cum non sit maior ratio de vna differentia, quam alia temporis, & tempus à lege præscriptum in dubio cẽsetur continuum, *Glos. in Rubr. de diuers. & præscript. temp.* neque enim tẽpus momentaneum spectatur, sed diuturnũ, *l. fin. C. de bonis, quæ liber.* De modo eam ferendi dicitur simpliciter, quod eam gestare debẽt; ex priori vero Bulla incip Ex supernæ dispositionis dicitur. *Ex illorum deuotione deferant, ac illa cingatur sub inuocatione eiusdem S. Francisci?* ex quo modo diuerso loquendi non videtur referre, gesteturne cincta, an portetur in vno globulo conseruata. Quod si quis aliquando illam dimittat, non ideo desinit esse confrater, sed solum pro illo tempore, quo illam non defert, non lucratur indulgentias, licet præstet opera præscripta pro locatione illarum. Non solum corda cingi potest à superiore, sed etiam quisq; illam iam benedictam sibi cingere primo potest, quod colligitur ex verbis vtriusque Bullæ supra allatis, nam de cinctione solum fit mentio in prima Bulla sine expressione personæ, quæ actionem hanc præstare possit, & illa verba indifferenter intelligi possunt tam de superiore, quam confratre.

Quarto, si corda perdatur, vel conteratur, confrater propria autoritate aliam eius loco substituere potest licet non benedictam, quia vsus ita se habet, nec contrarium ex prædictis Bullis colligitur, cum cordæ datio, & benedictio à superiore bene intelligi possint pro prima vice, ad quod facit illud axioma, sermo simpliciter prolatus verificatur in prima vice. *l. Cum pater 79. § Pater ff. de legib. & fideicom 2.* maxime quando per primum actum satisfactum fuit intentioni concedentis, Felin. in cap. 2. de Tregua § Fallit 5 Confirmatur, tum quia per amissionem cordæ non desinit esse confrater; tum quia in religionibus solum primus habitus benedicitur; tum quia cordæ in festo S. Francisci ante fores ecclesiæ exponuntur venales.

Quinto, an cingenda sit à superiore, patet ex §. Tertio id non esse necessarium, sed cordigerum illam se

se cingere posse, vt plurimum tamen religiosi cingunt illa cordigeros.

Quæres 8. Vt quis dicatur cordiger, & locrari illas indulgentias, an sufficiat, quod à superiore receperit benedictam cordam, an prætereà debeat esse descriptus in libris?

14 Respond. Non sufficit cordæ receptio, sed debet ingredi confraternitatem per descriptionem in illa, colligitur ex Bulla incip. *Ex superna dispositionis*, illis verbis. *Ac præfatam cordam, quæ prius à superioribus dicti ordinis benedici debeat ad reuerentiam, & memoriam eiusdem Sancti Francisci gerentes, sacraque communione refecti, præfatam Archiconfraternitatem ingredientur.* Ex quibus verbis clare constat, non sufficere gestationem cordæ, sed requiri ingressum, quod contingit per descriptionem in libro. Ita docent *Rod. tom. 1. q. 58. art. 1. cum suo Compend. resol. 31. a. 2. Compend. Bull. ad Sixtam Bull. 13. schol. 2. Lezana tom. 2. capitul. 15. numer. 44.*

Quæres 9. An statutum soluendi aliquid ipso ingressu sit simoniacum?

15 Respond. Licitum est huiusmodi statutum, nam fit pro manutentione Confraternitatis, & vtile est pro aliquo opere pio in ea faciendo, ex quo patet non esse simoniacum, quia non datur pro ipso ingressu, sed in ingressu pro manutentione Confraternitatis. Ita docet *Nau. tom. 4. Missellan. 6. de oration. §. Dubitaui Tertio; & ex ipso Compend. Bulla ad Bullam 98. Clem. VIII. Schol. 2.*

Quæres 10. An necessarium sit volenti Confraternitatem ingredi, vt personaliter compareat coram superiore, vel alio deputato ad scribendum confratres in libro? *Nauar. eod. Miscell. § Dubit. 2.* Non esse necessariam præsentiam in loco asserit, quia id nulla lege præcipitur.

16 Resp. Non est necessarium, vt dixit Nauar. quod ingrediendus in Confraternitatem aliquam personaliter adeat locum, vbi solent notari volentes ingredi, sed sufficit per tertium mittere proprium nomen regulariter loquendo; quia id expresse non præcipitur in Bullis Pontificiis, vt suppono; nihilominus, si superior debet dare habitum, seu cordam cingere, necesse est, quod ambo sint simul, & vnus alterum conueniat, vt actio dandi, vel cingendi suum possit sortiri effectum. Quod autem dixit Nauar. simpliciter intelligi potest de Confratribus Rosarij, quib. ipso ingressu nihil necessario datur, coronam enim Rosarij Confratres sibi aliunde accipiunt.

Quæres 11. An Confratres habeant facultatem eligendi sibi confessarium, qui illos absoluat à quibuscumque reseruatis nostris temporibus.

17 Respondetur. Habent omnes cuiuscumque Confraternitatis ex Bulla Clement. VIII. incip. *Quæcumque à sede*, apud Quartum verbo eodem in Bullar. Nouo 115. illis verbis. *Præterea volumus, vt confessarij, qui vigore priuilegiorum ipsis ordinibus, religionibus, institutis erigentibus, instituentibus, & communitatibus, seu Archiconfraternitatibus, & Congregationibus aggregandi concessorum, ac confraternitatibus, & congregationibus aggregandis communicandorum pro tempore eligi possunt, & poterunt, seculares scilicet in alma Vrbe à prædicto nostro Vicario, extra vrbem verò à locorum ordinariis; Regulares autem non solum a prædicto Vicario nostro, & à locorum ordinariis respectiue, sed etiam à suis superioribus approbati sint; vtque Confratres confitentes à criminalibus casibus, & censuris iuxta dictorum priuilegiorum, quatenus tamen sint in vsu, & sacris Concilij Tridentini decretis, ac Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum, & nostris constitutionibus non aduersentur, nec reuocata, aut sub aliquibus reuocationibus comprehensa sint: formam, & tenorem dumtaxat absoluere valent.* Subdit Demum prohibitionem faciendi se absoluer. à casibus Bullæ cœnæ Domini, & à quinque casibus, quos sibi idem Clemens reseruauit, qui sunt primus violationis immunitatis Ecclesiæ in terminis constitutionis Greg. XIII. Secundus, violationis clausuræ monialium, tertius prouocantium, & pugnantium in duello in terminis Concil. Constitutionis eiusdem Gregorij XIII. Quartus, iniicientium manus violentas in clerico. Quintus, simoniæ realis scienter contractæ, & confidentiæ beneficialis. item à casib. reseruatis, & pro tēpore reseruandis tam a [illegible] Clemente, quam ab ordinariis locorum, & a quauis excommunicatione ab homine lata; & in irregularitatibus siue ex defectu, siue ex delicto prouenientibus. Itaque vt vno complectar verbo à nullo casu absolui possunt ab his confessariis electis. Vnde nescio quo iure circumferuntur quædam priuilegia absoluendi à quibuscumq; se confratres in articulo mortis, cum tunc quilibet sacerdos non quatenus electus à confratre, ed quia amplissimam habet potestatem ab omnibus censuris, & casibus reseruatis etiam in Bulla cœnæ Domini absoluendi, pro illo enim articulo nullus reperitur casus reseruatus.

Quæres 12. An Confratres tempore interdicti possint sepeliri in Ecclesiis regularium, quorum sunt confratres? Lezana tom. 2. capit. 35. numer. 61. ex Casarobios refert priuilegium fauore Fratrum ordinis Prædicatorum, quod possunt suos Confratres tempore interdicti sepelire in suis Ecclesiis, & cœmeteriis ex concessione Ioannis XXIII. subdens ex eodem Casarubios hoc priuilegium discussum fuisse in vniuersitate Salmantina intelligendum iuxta capit. Vt priuilegia, de priuileg. Bene dicit Lezana hoc priuilegium non esse intelligendum iuxta prædictum iuris caput, quo illud fuit posterius, & dicit, dubitari posse, an illi Confratres, de quibus in eo capite, sint illi, qui vocantur Confratres Rosarij? Ad quod iam respondi sub qu. 1. esse diuersi generis. Vide ibi. Ad rem vero nostram.

18 Respondetur. Regulares tempore interdicti huiusmodi confratres non posse sepelire in suis Ecclesiis, neque cœmeteriis, eo quod Regulares tenentur seruare interdicta siue à sede Apostolica, siue à locorum ordinariis emanata, capitul. 12. sess. 25. per quod derogatur priuilegiis regularium, loquendo respectu secularium personarum, quod intelligitur, vt dixi resol. 51. à num. 107. ad 110. nam Personæ seculares hisce temporibus fere omnes sūt confratres huius, vel illius religionis, & consequenter si omnes possent recipi ad diuina officia tempore interdicti, esset frustratoria, & vana interdicti positio, & decretum Tridentini inutile esset, & superuacaneum, & fere nullum daretur tempus, quo religiosi tenerentur illud seruare respectu secularium. Nec obstat, quod expresse non derogatur eorum priuilegiis, quia virtualiter, & implicite illis censetur derogatum, hoc ipso, quod decretum vult interdictum seruandum esse in Ecclesiis regularium, & quod illis fuerit derogatum patet *ex cap. 12. eiusdem sess. 25.* & docent *Nau. consil. 7. de priuil. Nicol.*

19 *Garzias part. 3. de benef. cap. 2. num. 278.* & ita responsum fuisse ipsemet asserit *part. 5 c. 8. n. 87. cum aliis Barbosa ad dictum cap. num. 3.* contra opinionem aliorum, *qui sunt Henr. lib. 13. cap. 48. Rodriq tom. 2. qu. 112. art. 1. cum suo Compend. resolut. 80. numer. 25. Sayr. lib. 5. de cens. cap. 13. numer. 24. & 25. Cruz lib. 2. cap. 7. dub. & conc. 2. Mirand. tom. 2. q. 37. art. 12. Homob. cum aliis apud eumdem Barbosam*, reuera aliam rationem afferre non possunt, nisi quia nulla priuilegiorum regularium reuocatio exprimitur in eo decreto; quæ tamen parui est momenti, & quia, vt dixi, reuocata fuerunt ex cit. 22. & quia priuilegium huiusmodi potius tale dicitur respectu secularium, quam religiosorum, cum illud immediate redundet fauore secularium, quibus conceditur posse interesse diuinis tempore inte[illegible]cti. Itaque priuilegium hoc respectu omnium [illegible] laicorum, etiam confratrum, & qu[illegible] omnibus aliorum qui non sunt de familia religiosorum manentes extra

claustra

claustra censetur omnino sublatum; Illæ vero personæ, quæ intra claustra manēt quamuis mere seculares gaudent priuilegio tempore interdicti, *vt dixi resol. 51. n. 109. & 172.* Quod procedit non solum respectu personarum, quæ inseruiunt tamquam eorum famuli, sed etiam respectu scholarium, qui inibi propriis expensis aluntur, illi enim dicuntur esse de familia religiosorum, ex Trident. *sess. 25. cap. 11.* illis verbis. *Præter eas, quæ sunt de illorum monasteriorum locorum familia.* decreuit enim ibi Tridentinum Regulares curam animarum exercentes cum personis, quæ non sunt de illorum familia, esse subiectos iurisdictioni Episcopi, ergo personæ manentes intra claustra censendæ sunt eodem iure, quo personæ regulares curam animarum in specie non habentes.

Quæres 13. An Confraternitates Ecclesiis regularium erectæ visitari possint ab Episcopis?

20 Respond. Visitari possunt, vt expresse dicitur in Tridentino *sess. 22. cap.* 8. vbi excipiuntur hospitalia, loca pia, & Confraternitates sub protectione Regum, ergo includuntur quæcumque alia loca, & confraternitates etiam Regularium, licet ibi nulla mentio fiat de Confraternitatib. Regularium, nihilominus tamen quia nomen Confraternitatis simpliciter, & absolute ibi exprimitur, generaliter accipiendum est respectu quarumuis confraternitatum, etiam regularium, maxime cum dicta exceptio firmet regulam in casibus non exceptis, *c. Dominus 6. 32. q. 2. c. 2. de coniug. lepros.* consequenter comprehendit Confraternitates regularium, cum non excipiantur ibi. Ita quod omnibus derogatur priuilegiis, & consuetudinibus quibuscumque, non habent ergo Confraternitates aliquod remedium, neque refugium eximendi se a visitatione, & correctione Episcopi, a quo possunt visitari licet erectæ sint intra Ecclesias regularium, vt decisum refert *Barbosa v. Confraternitas in vna Vercell. 17. Iulij 1615. Galeius, Armend. Aldan. apud eumdem in c. 8. sess. 22. num. 24. vbi ait declaratum fuisse in vna Ostiensi 2. Octobr. 1626.*

21 Confraternitatum altaria, & capellas in Ecclesiis regularium visitari non posse, antea vero in vna Nucerin. 20. Iulij 1622. decisum fuisse oppositum, nimirum visitari posse; exponit ipsemet Barbosa locis citatis ex Sellio, primam declarationem habere hunc sensum, illas capellas visitari non posse quatenus respiciunt administrationem ipsorum regularium; secundam vero intelligendam esse de visitatione quoad administrationem ipsorū confratrum, & sic etiam *ex Barbosa refert Lezana tom. 2. cap. 15. nu. 27.*

22 Sed ego dubito circa illam priorem responsionem, nam capellæ non possunt visitari nisi in ordine ad ornatum, & supellectilem earum, quæ omnia cedunt in proprietatem Ecclesiæ ipsorum regularium; deinde ornatus, & supellectilis ordinarie sunt sub cura ipsorum regularium; præterea eadem res diuerso iure censenda non est ex vulgaris iuribus; insuper non possunt visitari, nisi aliquo modo visitentur ipsi regulares in ordine ad huiusmodi capellas, & altaria; sed nullo modo possunt visitare regulares, ergo neque altaria huiusmodi. Ex his deducitur, neque multo minus posse visitare sacristiam ipsorum confratrum, si quam habeterent apud Regulares.

Quæres 14. An Parochi habeant ius aliquod in Ecclesiis, seu oratoriis, altaribus, aut capellis Confraternitatum?

23 Respond. Parochus in Ecclesiis, seu oratoriis confraternitatum consistentibus intra fines suæ parochiæ debet assistere funeribus, missas solemnes cantare, & alia sui officij munera præstare, S. C. die 20. Aug. 1601. *apud Gauant. v. Confraternitas num. 42. iterum fauore Parochorum die 18. Maij 1602. ex eodem v. Parochus num. 21. & Lezana tom. 2. cap. 15. num* 21. Confraternitates non possunt in propriis Ecclesiis per suos capellanos facere solemniter celebrare, confessiones audire, sepeliri, sacramenta ministrare, & similia, quæ ad solum parochum spectant absque expressa licentia ordinarij, & parochi, *S. C. in Cesarang. 24. Ianuar. 1612. apud Barbosam in Bull. V. Confraternitas.*

24 Capellani confratrum possunt facere solitas professiones, quando non fiunt in parochiali, & primaria Ecclesia; & possunt in eorum Ecclesiis prædicare facere à prædicatore approbato ab ordinario, & benedicere palmas, ignem & aquam, *S. C. 9. Februar. 1608. apud eumdem Barbosam.*

25 Non possunt, nec debent tenere Sanctissimum Sacramentum in suis Ecclesiis, nisi ex causa, & expressa licentia ordinarij *S. C. 19. Iunij 1694. die 3. Apr.* 1632. Quæ omnia potissimum procedunt respectu confraternitatum laicorum habentium proprias Ecclesias, & oratoria; nam erectæ in Ecclesiis regularium, vel oratoriis, vel Ecclesiis, seu capellis vnitis ipsis regularibus, iuxta quorum instituta, & pragmaticas se gerere debent, exempti sunt à prædictis.

Quæres 15. Quomodo Confratres procedere debeant in electione suorum officialium?

26 Respond. Vnaquæque Confraternitas seruet statuta, & ordinationes factas pro ipsis. Refert Gauantus v. eod. num. 10. officiales quotannis eligendos esse per suffragia secreta, decisum 18. Iulij 1594. huiusmodi autem electione quo ad confirmationem spectare ad Episcopum, exceptis confraternitatibus sub protectione Regum, decisum die 11. Augusti 1617. & cum præsentia Parochi, vel alio sacerdote deputato ab Episcopo, & hoc est speciale Concilij quinti Prouincialis Mediolanensis. Sed quoniam Clem. VIII. in Bulla incip. *Quæcumque* sub datum 1604. dedit quasdam ordinationes pro erectionibus, & aggregationibus Confraternitatum, & in specie, quod eorum statuta, & decreta primo facienda debeant ab Episcopo approbari, ideo quascumque ordinationes pro electione suorum officialium seruare debent, licet alias non essent in terminis cōformes prædictis declarationibus, quia saltem æquiualenter multum conformes censentur eisdem, cum in illis omnibus virtualiter concurrat Episcopus, hoc ipso, quod ea statuta, & decreta approbauit.

Quæres 16. An teneantur accedere ad processiones publicas.

27. Respond. Dixi resol. 68. num. 20. non posse cogi, Quar. v. Præcedentia in fine, Gauant. v. Processio 15. nisi supposita consuetudine, ex Barbosa v. Confratres in Bullario; ergo præcisa consuetudine tantum inuitari possunt, vt refertur decisum *Franciscus Leo in suo Thesaur. part. 1. cap. 8. num. 18. Barbosa de offic. Episcopi Allegat. 78. num. 24. & ex illis Lezana tom. 2. cap. 15. num. 24* Sed ponamus casum, quod in aliquo Episcopatu singulis annis exponatur edictum pœnale contra clerum, religiosos, & confraternitates non accedentes, an si quandoq; confraternitates aliquæ non accedunt, & propter hoc neq; puniuntur, dicantur ex consuetudine accedere, ita vt in sequētibus valeat prætextu consuetudinis illas cogere ad processiones: Respondeo, adhuc illas cogere non posse prætextu consuetudinis. Tum quia ex eo quod modo procedunt, modo non procedant non arguitur inducta consuetudo, quia hæc requirit actus vniformes, *Bart. in l. 2. ff. solut. matrim. Decius consil. 214. num. 2. Alexand. lib. 5. consil. 5. Roland. lib. 1. consil. 87. n. 53. M. Anton. lib. 1. resol. 46. num. 4.* & enim probatus diuturnitate temporis, & frequentia actuum, *Craueta consil. 134. num. 6. Rochus de Curte cap. fin. sect. 8. num. 25. de consuetud.* constat autem eam consuetudinem nondum esse probatam talem, cum modo procedant, modo non procedant, & sic videatur hoc esse in arbitrio confratrum. Tum quia Episcopus tacendo, & eos non castigando censetur eos velle manere in sua libera voluntate accedendi ad processiones, quando illis placuerit; Confirmatur, quia tacens consentire videtur, *cap. 43. de regul. iur. l. 2. §. Voluntatem ff. solut. matrim.*

trum.l Qui tacet, de reg.iur. procedit in iudicialib. etiam tacent. ipsæ iudicantibus, *Tiraq. de iure mar. Glos. 7. n. 37. Surd. decis. 47. nu. 9. Barb. in l. Diuortio, §. ob donat. nu. 14. solut. matrim.*

Quæres 17. Demus casum sub prætextu legitimæ consuetudinis in aliquo Episcopatu publicari edictum sub pœna interdicti tam personalis, quam localis contra confratres non accedentes ad processiones publicas. An confratres Regularium non accedentes incurrant interdictum tam personale, quam locale sui altaris, seu capellæ existentium intra Ecclesiam regularem? Nulli dubium est interdictum personale confratrum sortiri suum effectum, & etiam locale, quando confratres non sunt regularium, eo quod proprias habent Ecclesias, seu oratoria subiecta regimini, & iurisdictioni Episcopali. Loquendo autem de Confratribus regularium, qui in Ecclesiis regularibus habent sua oratoria, altaria, seu capellas, videtur ordinarius posse subiicere eorum oratoria, seu loca interdicto, licet non possit interdicere Ecclesiam regularem, illud probatur *per ca.12. sess.25.* illis verbis *Confratria, & interdicta nedum à sede apostolica emanata, sed etiam ab ordinariis promulgat. mandante Episcopo a regularibus in eorum ecclesiis publicentur, atque seruentur.* Quod prius preceptum fuerat sub pœna excommunicationis à *Clem. V. cap. 1. de sent. excom.*

28 Resp. Episcopos non potest interdicere altaria, capellas, aut oratoria intra Ecclesias regularium, vel subiecta, seu vnita Ecclesiis regularibus, probatur, quia interdictum ferendum est ab eo, qui habet potestatem in personas, si sit personale, & in locum, si sit locale, alias nullius est momenti, neque enim agens dicitur agere posse extra sphæram suæ actiuitatis, sed Ecclesiæ regularium sunt extra sphæram potestatis Episcopi, vt notum est, cum sint exemptæ, etiam quo ad interdictum, vt concessit Leo X. Bulla incip. *Cum sancta Regula, apud Consect. pag. 155. ex aliis summis Pontificibus apud Rodriq. tom. 2. q. 108. art. 2. Tamb. tom. 2. disp. 16. qu. 2.* ergo si ipsæ simpliciter interdici non possunt, neque ea parte, respectu altaris, & capellæ. Confirmatur, quia ratio dissuadet regularium Ecclesias pati aliquod detrimentum sine culpa, & causa ipsorum regularium.

29 Ad iura allegata dico, in eis sermonem esse de censuris, & interdictis generaliter latis, ad quæ alias Regulares quoque tenebantur; neque enim aliquod inueni priuilegium concessum regularibus, per quod eorum Ecclesiæ eximantur ab obseruatione interdicti generalis localis; videtur enim error intolerabilis, quod vna tota ciuitas subiiciatur interdicto, & illud obseruare nō teneātur regulares in suis Ecclesiis, hoc enim pacto esset frustratoriū, inane, & illusoriū, possent enim Christi fideles interesse diuinis officiis, vt antea, interdicto non obstante in Ecclesiis regularibus, nonenim per interdictū punitur locus, cum sit Incapax pœnæ, sed personæ in loco existentes prout in loco existum, inde enim secedentes non prohibentur interesse diuinis, modo non sint ipsæ interdictæ, vel interdicto causam non dederint.

Quæres 18. De præcedentia Confraternitatum?

30 Respondi nunquam præcedere Ecclesiasticis. Adde, quod illa Confraternitas debet præcedere aliis, quæ prius saccos induit, vt respondit *S.C. in Sorana die 7. Augusti 1628, apud Barbosam in suo Bullario ver. Confraternitas.* Quod si Confraternitas, quæ prius saccis vsa fuit altera, ad professiones accedat sine saccis, non gaudet prærogatiua præcedentiæ, quia, vt suppono, præcedit ratione saccorum, vsus & non simpliciter, nemo autem potest gaudere præcedentia nisi gestet habitum sibi conuenientem, imò & debitum rationa prærogatiuæ, *Prepositus in cap. Episcopus d. l. 17. num. 3. ibi Anton. Butrius, Alex. & Cardin. Gratianus in disceptat. Forens. cap. 298. sub num. 65. apud Lez. tom. 2. cap. 15. nu. 23.*

Quæres 19. An bona relicta Confraternitati possint à confratribus alienari sine solemnitate requisita à iure Ecclesiastico?

31 Resp. Non possunt alienari sine solemnitate à iure requisita, vt colligitur ea extrau. Ambitiosæ, *de reb. Eccl. non alien.* ibi: *Ex quibus Ecclesiæ, monasteria, & pia loca reguntur, illustranturque.* Continentur enim bona Confraternitatum alienari prohibita, sub illis verbis *Pia loca*, si non sub alio, *Ecclesiæ*, nulli enim dubium est Oratoria non solum vocari loca pia ea Bulla incipit. *Quæcumque à sede*, sæpe numero superius citata, eo quod institutæ sint huiusmodi Confraternitates ad pium vsum. *vt ex cap. 3. & 4. de relig. domib. deduci Lezana cit. cap. 15. num. 3.* Sed etiam Ecclesias, vt ex eadem Bulla, & citatis testibus colligi potest. Sic docent *Quaranta ver. Alienatio num. 28. Bonac. disp. 3. de contract. qu. 8. puncto 4. num. 21.* dicit communem. Bona subiecta oneri missarum nullo modo distrahi, & alienari possunt, vt decreuit S.C. de Celebratione missarum. Iis exceptis, puto contrariā consuetudine reliqua bona posse alienari à Confratribus sine solemnitate iuris, quia sic prædicetur in pluribus locis, & in facti contingentia scio hoc Parmæ practicari, nam Confratres bona suæ confraternitatis ac si essent laicalia vendunt nulla iuris solemnitate præmissa. Alia vero loca pia, quę non sunt fundata authoritate Episcopi, si habent bona, nulla ratione dicuntur subiecta prædictæ solemnitati, sed ab ipsis confratribus propria authoritate alienari possunt, vt præciari docent.

Quæres 20. An bona Confraternitatum sint exempta à gabellis?

32 Resp. Affirmatiue, quia huiusmodi bona sunt Ecclesiarum, quibus acquiruntur propria, non enim dominium est apud confratres, vt singulos, sed prout sub vna congregatione Ecclesiastica conueniunt sub inuocatione, & protectione alicuius sancti, respectu cuius Ecclesiæ, oratorij, seu capellæ, ipsamet confraternitas acquirit; sed bona Ecclesiarum gaudent immunitate à gabellis, datiis, & aliis angariis, *ex cap. Non minus, cap. Aduersus, de immunit. Eccles. ca. Quia nonnulli, ca. Clericis, eod. in 6. Sic docent Molina tom. 3. disp. 671. Barbosa de off. Episc. alleg. 75. num. 35.* licet confraternitates non sint erectæ authoritate Episcopi, quia in Auth. *Item nulla communitas C. de Episc. & cler.* conceditur exemptio omnibus locis piis; *apud Lez. tom. 2. c. 15 n. 5.* Ego puto quasdam congregationes erectas sine authoritate Episcopi post Bul. *Quæcumque* Clem. VIII. de qua supra, huiusmodi priuilegiis non gaudere, quia licet aliquain sint pia loca, nihilominus non habent aliquod vestigium nominis Ecclesiastici, cum in sua institutione non fuerint Episcopo subiectæ, neque eius authoritate fundatæ.

Quæres 21. An Cōfraternitates dicantur congregationes Ecclesiasticæ, & piæ?

33 Resp. Confraternitates erectæ iuxta Bullam superius citatam Clementis VIII. sunt congregationes Ecclesiasticæ, & loca pia. Probatur, *tum arg. cap. Sciant cuncti 12. cap. Generali 13. de elect. in 6.* ibi: *seu quibuslibet aliis piis locis.* Comparantur enim cum Ecclesiis huiusmodi loca pia, cum quibus & similitudinem habent per illud pronomen, *Aliis*, quod importat rem eiusdem qualitatis, cuius est illa, de qua facta est mentio, *Glos. & doct. in l. Si fugitiui C. de seruis fugit. in cap. fin. de precar. in 6.* Tum quia *capit. fin. 3. qu. 4. & capit. Ecclesia 7. dist. 2. de consecr.* Ecclesia non solum dicitur ille locus materialis, in quo Deus publice colitur, & diuina officia celebrantur, sed etiam importat, & significat collectionem fidelium, ergo cum Confraternitas sit collectio certorum fidelium, erit confraternitas ecclesiastica societas. Ita docet *Lezana, cap. 15. numero 3. adducendo pro se capit. De Xenodochiis, capitul. Ad hæc de religiosis domibus allegando Barbosam de potest. Episc. Allegat. 75. numero 25.* Dixi, iuxta Bullam Clementis, quia si non sint exectæ deinceps iuxta

Bullam, non possunt, dici Ecclesiasticæ, neque religiosæ, quia ab Ecclesia institutionem non habent, ex qua possint sumere denominationem Ecclesiasticæ societatis. Dicuntur vero piæ societates, si per confratres exercebuntur pia opera, & misericordiæ operationes, vt notat *Diana parte quarta resol. 37. de immun. Eccles.* licet locus, in quo congregantur alias non sit locus pius, quia nuu est fundatus autoritate Episcopi, dicuntur ergo piæ societates non ex loco, sed ex causa pietatis exercendæ.

Quæres 22. An Ecclesiæ, seu oratoria, & loca, in quibus confratres conueniunt ad opera spiritualia gaudeant immunitate non solum ratione bonorum, vt probaui quæstione 20. sed etiam fauore reorum ad ea confugientium?

34 Respond. Non solum eorum Ecclesiæ, oratoria, capellæ, & altaria gaudent immunitate pro reis, verum etiam locus, seu domus contigua, & vniratorum oratorio, quando pro vsibus confraternitatis domo vtuntur, quod si sit ab aliquo sæculari, vel etiam clerico conducta, tunc non gaudet domus immunitate. Primum de eorum oratoriis probatur, quia in fauorabilibus sub nomine Ecclesiæ venit etiam oratorium publicum, capitulo, Certum est, de consecr. dist. 1. ibi: *Ne quis in Ecclesia, vel oratorio*, & in terminis de oratorio publico *Peregr. de Immunit. cap. 4. n. 62. allegando Silu v. Immun. 1. quæstione Prima. Panor. in cap. fin. de censib. Marium Italicum libro primo de Immun. capitulo quarto §. 4.* Tam autem est oratorium publicum illud quod est fundatum autoritate Episcopi in quo fideles indistinctè missas audire possunt, sub cura, & regimine confraternitatis, quam aliud immediate sub cura alicuius sacerdotis cum beneficio, siue sine beneficio sub cura parochi, vel alterius.

35 Secundum de domo contigua probatur, quia Ecclesia per triginta passus in suo circuitu gaudet hoc priuilegio, *cap. Defensores 18. 17. q. 4.* sed domus Confraternitatis annexa oratorio includitur ordinarie intra illum circuitum, ergo gaudet priuilegio. Deinde domus cōfraternitatis dicitur locus pius ex probatis in præcedētibus, sed non solum Ecclesiæ, verum etiam loci religiosa, & pia gaudent immunitate hac, ex constitut. ire p. *Cum alias*, Greg. XIV. ergo domus huiusmodi est immunis fauore reorum. Ita docent *Lambertus de iure patron. parte prima libro primo quæstione prima, & Gutier. libro primo canon. capitulo 35. numero 23. & ex eis Peregrin. de Immun. cap. 4. num. 68.* vbi pluribus probat illarum loca esse pia, & religiosa.

Quæres 23. Coram quo conueniendæ sint Confraternitates?

36 Respond. Coram iudice Ecclesiastico, probatur ex præcedentibus, quia sunt Ecclesiasticæ, religiosæ, & piæ, consequenter gaudent priuilegio fori, vt conueniantur coram iudice Ecclesiastico. Confirmatur, quia ex Tridentino *cap. 8. sess. 22.* sunt subiectæ iurisdictioni, & correctioni Episcopi, ergo coram eo conueniendæ sunt; quod procedit licet omnes confratres essent laici, nam non conueniuntur confratres, vt personæ singulares, sed prout conueniunt in ratione formali confraternitatis. Ita docent *Riccius in sua praxi tom. 3. resol. 142. Notarius de elect. fors sect. 2. q. 56. num. 8. Pereg. de immun. cap. 4. num 64. & ex illis Diana part. 4. resol. 37. de immun.* ex eo, quod sunt loca pia, contra Aponte *vol. 1. consil. 18. Vinitum in Addit. ad decis. 517. num. 4. Gabriel. in commun. consil. 1.* eo quod negant esse loca pia, & religiosa; nostram docet etiam *Lezana cap. 15. numero quarto* ex eo quod Confraternitatis corpus est religiosum, & Ecclesiasticum. Eo autem priuilegio non gaudent, quando in sua institutione non dependet ab authoritate Episcopi, iuxta superius dicta, quia Ecclesiasticu nomen habere non possunt ex personis ipsius confraternitatis, neque ex quocumque alio laico, quamtumuis principe, aut publica alia persona non Ecclesiastica.

Quæres 24. Generalis noster habet à sede Apostolica facultatem instituendi, & erigendi confraternitatem Cordigerorum S. Francisci in omnibus Ecclesiis domorum sui ordinis in illis locis, in quibus Conuentuales, neque de Obseruantia habent proprias eorum Ecclesias, & monasteria, vt ex Bulla supra retuli sub q. 1. An si prædicti ex Conuentualibus, vel de Obseruantia de nouo conuentus recipiant, erectæ nostro Generali Confraternitates ipso iure desinant esse? An vero reducendæ sint sub iure illorum.

37 Respond. Confraternitates Cordigerorū in nostris Ecclesiis erectæ perpetuo durant in eisdem, prædictis regularibus primi ordinis S. Francisci superuenientibus in locum vbi nostra præexistunt monasteria; neque aliqua ratione eisdem Confraternitatibus vllum potest præiudicium afferri à cæteris Franciscanis volentibus de nouo huiusmodi confraternitatem erigere in suis Ecclesiis. Probatur, quia Papa simpliciter, & absolute concedit hanc facultatem nostro Generali in illis locis, in quibus cæteri Franciscani supradicti nullum habent monasterium, nihil autem disponit in casu, quo cæteri Franciscani superuenient, consequenter hanc causam reliquit dispositioni iuris communis, *l. Si vero §. de viro ff. solut. matrim. l. Commodissime ff. de liber. & posth. Rota diuers. parte quarta decisione 675. numero Secundo; M. Anton. libro secundo Var. resolutionum vndecim. numero 16.* ius autem commune Reg. 16. de reg. iur. in 6. disponit, decere beneficium à principe concessum manere, ergo hoc priuilegium erigendi confraternitatem cordigerorum decet esse mansurum in suo effectu institutionis, & electionis iam factæ. Confirmatur, quia ius quæsitum nemini auferendum est, nonpræcedat culpa, aut causa ex *capitulo Discretionem, de eo qui cognou. reg. 23. in 6. & in Regul. Cancell. §. de non tollendo ius quæsitum*, vbi Papa nunquam intendit tollere ius alteri concessum; & acquisitum, consequenter concedendo de nouo locum superuenientibus. Franciscanis aliis, nullo modo Papa intendit auferre ius quæsitum institutæ, & erectæ confraternitatis; illud autem ius dicitur acquisitum ita quod tolli non possit, quod est radicatum plenum, & incorporatum, *Sarnen. super dictam regulam q. 4. num. 13. Rota Rom. vol. 1. decis. 759. cum 4. apud M. anton. lib. 1. resol. 9. num. 5.* huiusmodi autem in casu nostro, in quo confraternitas iam est erecta, radicata, & incoporata religioni. Non possunt ergo superuenientes in loco cæteri Franciscani agere ad destructionem erectæ confraternitatis, neque impedire, vt deinceps non recipiantur de nouo petentes admitti in confratres, quia ius acquisitum non tantum fuit per ipsam erectionem, sed etiam per descriptionem successiue volentium ingredi cōfraternitatem.

Item omnino dicendum est proportionaliter de aliis confratribus etiam per communicationem concessis extraneis, consequentes si in mea Ecclesia erecta sit Confraternitas Rosarij, Carmeli, &c. per superuenientem religionem S. Dominici, Carmeli, &c. destrui, nec alio transferenda est confraternitas concessa ab illis religionibus meæ Ecclesiæ, modo alias cōcessa non fuissent sub ea conditione, vt si aliquando religio concedens in loco, vbi sita est mea Ecclesia, monasterium, acquirere, eo casu destrueretur confraternitas, & confratres transirent ad Ecclesiam suæ propriæ religionis cum omnibus acquisitis, pacta enim omnibus sunt seruanda.

38 Quæres 25. An noster Generalis prædictam facultatem erigendi Confraternitatem Cordigerorum possit delegare alicui particulari religioso, puta Prouinciali, Priori, vel alij? Item, an instituere eam in oratoriis

oratoriis propriis, quæ habent in villis, seu grangiis? Item an in Ecclesiis extraneis sibi non subiectis.

Respond. Primo, potest delegare ex illo communi axiomate, Delegatus Principis potest subdelegare, *cap. fin. de off. deleg. cap. Cum causam 62. prope finem de appell.* modo noster Generalis est delegatus in hoc à Principe, nimirum à Papa, qui est Princeps principum, Imperator imperatorum, & rex regum, addamus & dominum in terris dominantium. Et ita in simili de Generali suæ religionis docuit *Lezana tom. 2. capitul. 15. numer. 48.* per rationes sibi ab ipso adductas, quia priuilegium est perpetuum, dic tu, & quia priuilegium est generale respectu omnium Ecclesiarum ordinis, delegatus autem generaliter etiam respectu vnius causæ subdelegare potest, *Sanch. li. 3. disp. 31. n. 2. ad 5. Floren. de casibus reseru. part. 1. cap. 5. §. 4. à num. 3. ad 9.*

39 Secundo, eas potest erigere etiam in oratoriis, & grangiis, quia licet in Bulla fiat sola mentio Ecclesiæ, tamen quia in fauorabilibus nomine Ecclesiæ veniunt etiam oratoria, cum in his celebrentur diuina officia, & exhibeatur cultus Deo vero, sicut in Ecclesiis, ideo comprehenduntur in Bulla sub nomine Ecclesiæ, in illis enim Confratres æque benefacere possunt.

40 Tertio, in alienis Ecclesiis non potest illas erigere, quia priuilegium exprimit similia verba. *In Ecclesiis dicti tertij ordinis,* sub his autem terminis nequaquam veniunt Ecclesiæ extraneæ, ergo illis communicari non potest hoc priuilegium, licet neque etiam in loco, vbi est extranea Ecclesia, desinit Ecclesiæ exterorum Franciscanorum, quia limita a causa non nisi limitarum potest producere effectum, ex vulgatis iuribus.

Quæres 26. An religiosus possit ingredi aliquam confraternitatem sine licentia suorum superiorum?

41 Respondetur. Non potest, quia neque etiam in hoc habet proprium velle, sed subditur suo superiori, ergo sine eius consensu non potest se subiicere alicui confraternitati. Ita docent *Graff. tom. 2. consil. 4. de pœnit. numer. 16.* præcipue in ordine ad electionem confessarij, qui absoluant à reseruatis, de qua re extat Bulla Clem. VIII. incip. *Romanus Pontifex.* de qua re vide *Tambur. tom. 2. disput. 6. quæst. 7. Dianam de cruciata resol. 14. & meipsum tom. 1. resol. 34. quæstion. 17. numer. 42.* vbi citaui nouissimam Bullam Vrbani VIII. quam ad verbum refert *Peyrin. tom. 3. priuil. pag. mihi 323.* Imò puto illum religiosum, qui sine licentia sui superioris, se facit describere in huiusmodi confraternitatibus, ueque lucrati indulgentias, neque esse participem suffragiorum, non quia videatur id implicite saltem negari à superiore, sed præcipue ex eo, quod simul cum aliis interesse non potest communibus exercitiis, & oneribus, quæ solent à confratribus præstari, vnde tamquam membrum inutile nihil videtur operari, ex quo possit consequi quidquid obtinere valent alij.

Quæres 27. An oblationes factæ suis altaribus cedant Curatis, vel regularibus, in quorum sunt Ecclesiis?

42 Respond. Spectant ex probato vsu ad ipsamet altaria, ita quod neque Curatus, neque religiosi possint eas sibi ipsis applicare, sed in totum applicanda sunt vsibus ipsiusmet altaris, seu capellæ, aut totius Ecclesiæ, vt bene colligitur ex Bulla superius citata sub n. 3. in quarta determinatione. *Vide qua de hac re tuli resol. 7. qu. 29. num. 106. vbi ex Praxi curiæ Neapolit. cap. 57. nu. 3. & Nald. v. oblatio nu. 3.* dixi cedere Curato, non Confratribus, intellige, nisi aliunde colligatur oblata fuisse ipsi altari, vt si ibi sit aliqua imago cui offerantur.

Quæres 28. An confraternitates etiam regularium teneantur, vt ab Episcopo compelli possint ad contribuendum seminario?

43 Resp. Tenentur ex ca. 18. sess. 23. ibi: *Vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis scholæ appellantur.* intellige si habent reditus Ecclesiasticos. *Barbosa ad hoc cap. num. 26. ex Sellio refert decisum die 18. Nouemb. 1626. Apheris. Episcoporum v. Seminarium nu. 6. Gauant. v. eod. nu. 33. Lezana cap. 15. num. 28.* Sermo autem est de erectis authoritate Episcopi, nam aliæ societates, seu potius artes ad opus etiam pium institutæ ad nihil tenentur, quia earum prouentus non sunt redditus Ecclesiastici, vt in nostra Ecclesia Parmæ Societas Sutorum Fornariorum fundata absque vlla Episcopi licentia, & est laicalis.

RESOLVTIO LXXIII.

De Responsis Sacræ Congregationis.

SVMMARIVM.

1 *Congregationes quindecim instituta à Sixto V.*
2 *Responsa ex approbatione Papæ ab omnibus seruanda.*
3 *Declarationes S. C. an sint per modum legis seruanda opinio affirmatiua.*
4 *Negatiua dicit esse solum opiniones probabiliores cum authore.*
5 *Quando illis fides adhibeatur, statuitur.*
6 *Decreta Vrbani VIII.*
7 *Iudex non cogitur secundum illas ferre sententiam.*
8 *Declarationibus nisi autenticis non est credendum.*
9 *Opinio mutari potest.*
10 *Declarationes nunquam contraria emanarunt.*
11 *Quisque illis vti potest, & allegare, quando sunt decretata.*
12 *Patres non tenentur sequi responsum prædecessorum.*

1 Sixtus V. in sua Bulla incip. *Immensa æterni Dei.* instituit quindecim Congregationes. Primam de Sancta Inquisitione iam institutam approbat. Secundam pro signatura gratiæ firmat. Tertiam pro erectione Ecclesiarum. Quartam pro vbertate annonæ status Ecclesiastici. Quintam pro sacris ritibus, & cæremoniis. Sextam pro classe paranda, & seruanda ad defensionem status Ecclesiæ. Septimam pro indice librorum prohibitorum. Octauam pro executione, & interpretatione Concilij Tridentini, vt eius Cardinales in his, quæ de morum reformatione, disciplina, & moderatione, & Ecclesiasticis iudiciis, aliisque statuta sunt, in dubium venerint, interpretentur Papa consulto, cui tamen reseruata sit interpretatio in his, quæ ad fidei dogmata pertinent. Nonam pro subleuanda grauaminibus status Ecclesiastici. Decimam pro vniuersitate studij Romani. Vndecimam pro consultationibus Regularium. Duodecimam pro consultationibus Episcoporum, & aliorum prælatorum. Decimamtertiam pro viis, pontibus, & aquis curandis in statu Ecclesiæ. Decimamquartam pro typographia Vaticana. Decimamquintam demum pro consultationibus negotiorum status Ecclesiastici. In qualibet autem Congregatione debent interesse ad minus tres Cardinales, huiusmodi enim Congregationes ex solis Cardinalibus conueniuntur, qui tamen in consiliis adhibent Theologos, & iurisperitos, & vnaquæque debet habere suum secretarium. Pro responsis quinque subdit. Primo, si ante inchoatum iudicium para tenuerit consentire in Congregationem, remittitur ad competentem iudicem. Secundo, post inceptum iudicium Congregatio potest ad se auocare causas, & decidere partibus volentibus. Tertio, potest iudicare etiam de emergentibus. Quarto, in decisione causæ facienda est mentio in Breui de determinatione Congregationis. Quinto, denique iudices debent exequi mandata Congregationis.

Congregationis.Nec summatie collegi ex Bulla prædicta,quæ in Nouo Bullar,est 74.eius Compendiatore duce. De omnibus autem prædictis Congregationibus exactè,neque distinctè agendum est, sed tantum,præcipue in ordine ad nostrum institutum,Igitur.

Quæres 1. Quam autoritatem habeant huiusmodi responsiones, an nimirum tamquam autoritatiuæ, & vim legis habentes seruandæ sint? Non loquor de illis, quæ prodeunt ab eadem Sacra Congregatione de consensu, & approbatione summi Pontificis, cuiusmodi sunt Decreta de celebratione Missarum, de Regularibus apostatis, & eiectis, & cætera huiusmodi, in quibus exprimitur consilium, consensus,mandatum, & approbatio summi Pontificis, huiusmodi enim certum est esse omnino necessaria,autoritatiua, & ligare omnes illos,ad quos diriguntur. Sed difficultas est super illis,quæ ab eadem S.C.emanãt,& procedunt præscindendo à Pontificia approbatione.

Videntur habere vim legis, & obligare in vtroque foro, quod probatur. Primo, quia emanant à Cardinalibus habentibus autoritatem interpretandi Concilium Tridentinum à summo Pontifice illis tributam, vt apparet in præcitata Bulla. Secundo, cum huiusmodi responsa sint declaratiuæ ipsiusmet legis non postulant aliquam sui promulgationem, in quo videtur consistere tota difficultas, qua dicuntur non obligare, quia formalis promulgatio sufficit, si fiat de lege, in cuius promulgatione virtualiter continetur interpretatio,ex eo,quod hæc nihil de nouo ponit, sed quod ex natura rei inest, demonstrat, *l. Haeredes palam ff.de testam.l. Adeo. §. Videtur ff. de acquir.rer. dom* vnde est aliquid accessorium legi,& illi ab initio inest.*l. Ita fides ff.de iure fisci*,neque ius nouum inducit, *Nau. consil. 6. de donat. Roland. vol. 3. consil.15.num.* 27. ergo omissio huiusmodi promulgationis specialis non obstat, quin dicantur obligare sub vinculo legis. Tertio, Episcopo Massanensi responderunt Cardinales Eminentissimi, eamdem rationem esse habendam de his,quæ ab illis scribuntur nomine eiusdem Congregationis, ac si à Papa scripta fuissent, *teste Garzia de benef. in præfatione,apud Bossiam sect. 3. de Iubileo casu 2. num.*224. Subdendo de mente eiusdem sacræ Congreg. decreta, & literas Congregationis Concilij senioris litibus, esse executioni mandanda,neque super his sententiam,nec decretum aliquod esse faciendum,ergo omnino seruandæ sunt. Hanc partem sustinent *Rodr. tom. 1.q. 11. art. 2. cum suo Compend resol. 18. num. 22. & resol. 23.num.* 1.*Pertel. v. Congreg. Cardin. Mirand. tom. 2. q. 26. art. 11. alios citat Diana de relig. paup. part. 3. resol. 32. ad finem*,à quibus ibi dissentit,hoc ipso,quod aduersariorum opinionem adducit pro te refellendo aduersariorum obiecta,quibus tamen assentitur, *part. 5.tract. 12. de indulg. resol.* 51. refellendo per verbum *quod mihi non placet.* Adducendo quoddam eiusdem Congregationis Decretum,quod mox referam. Quibus non obstantibus.

Respond. Tunc S. Congr. responsa probant per modum sententiæ, quando in illis dandis procedunt modo iudiciario, & parte citata, de quo neque dubium est, parte vero non citata habent solum rationem opinionis, & quidem probabilioris; si vero sint facta summo Pontifice in terminis approbante, eamdem vim habent in vtroque foro,& obligationem, quam habent ipsæmet leges explicatæ.

Primum, quod coram responsa habeant vim sententiæ parte citata,probatur per illa supradicta quinque allata initio ex Bulla, & ratio est, quia partes se illi subijciunt, vt iudici, à quo ferenda est sententia,& hoc idem probat supra adductum tertium argumentum.

4 Secundum, quod parte non citata, vel alias ab ipsis præcise emanantia,sint tantum opiniones probabiliores,suadetur,quia illi eminentissimi Patres solidis, & firmis rationibus adducti prudenter censent rem sibi significatam taliter esse determinandam, & non alio modo, nihilominus, quia ex facultate sibi attributa leg ibus interpretari non possunt nisi in specie consulto Romano Pontifice, vt dicitur in supracitata Congregatione octaua, & de qua in responsione constare debet, beneinfertur, responsa, seu earum decreta emanantia siue expressione Romani Pontificis, non esse legales Interpretationes obligantia in vtroque foro,sed tantum esse opiniones omnibus alijs præferendas. *Nauar. consil. 2. de relig. domib.* dicit huiusmodi Congregationes habere potestatem definiendi dubia iuris,non vero contentiones iuris, *& consil.* 11.*de priuileg.* ait, earum declarationes non omnes sequi, *Sanch. lib. 8. disp. 2. num. 10.* dicit, in illis necessario standum non esse, quamuis magnam autoritatem habeant.Pro hac sententia, quod declarationes S.C.sine Pontificis approbatione,non sint autoritatiuæ,neque legales,neque necessario obligantes,docent *Ledesma Domin. Ioannes Valer. Pontius, Zipeus, Seraruis, Bonac. Vega,quos pro se citat Diana part. 1.tract.*10. *de legib.resol.*19 contra quamplures alios ibidem citatos,*& resol.* 32.*de paupert.*vt superius illum citaui. Prædicta procedunt,licet autenticæ sint,idest sigoatæ sigillo Congregationis,seu alicuius prælati,vel etiam subscriptæ ab ipsismet Cardinalibus,vt docet *Bossius sect. 3. de Iubil.casu 2.n.*225.

Tertiò,quod huiusmodi declarationes editæ de speciali mandato, & approbatione Papæ,in vtroque foro obligent, & habeant vim legis,sint autoritatiuæ,& necessariæ,extra dubium est,cum de hac re nullus dubitet. Ita omnes,& in specie *Peyrin de Subdit. q.*1 *c.*25.*propr fuem,Bossius citata sect.*3.*casu.*2 *n.* 225.subdendo esse necessarias,& autoritatiuas,quando sunt datæ sub Breui aliquo Papali,aut per monitorium Auditoris Cameræ Apostol.cæ mandatur exequi ab illis,quorum interest. Cuius generalis exemplũ habes à me extensũ sub *resol.* 51.q.in fine n.65.super nonnullis declarationibus eiusdem S.Cong.in materia funerum,fauore regularium. Rationes autem adductæ initio solum probant id, quod asserimus in hac tertia parte responsionis.

Quæres 2. Quid requiratur, vt responsis Sacræ Congregationis fides adhibeatur, &c.

5 Respond. Ex decreto Sanctissimi Vrbani fidem faciunt in iudicio, & extra iudicium, si in autentica forma, solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti,ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium exhibitæ fuerint,aliter non. Verba Decreti.

6 *Cum ad notitiam huius Sacræ Congreg.peruenerit,quamplures declarationes, decreta, seu decisiones sub nomine eiusdem Sacræ Congregationis absque illius autoritate impressas in libris, seu alijs operibus circumferri, & allegari, multasque ex declarationibus,decretis,seu decisionibus iuxta contingentiam casuum, aliarumque qualitates, & circumstantias à se diuersis temporibus factas, secundum ea, quæ proponebantur, fuisse alteratas,immutatas, diminutas,ac forsan alias mentito Sacræ Congregationis nomine confectas, nulloque propterea autentico sigillo munitas, illasque per tribunalia tam in Vrbe, quam per orbem circumferri, & allegari; Considerans que eadem Sacra Congregatio Rituum,quãtum detrimenti recipi possint, si aliqua fides eis adhibeatur ex speciali S.D.N.Vrbani VIII. iussa mandat, & præcipit huiusmodi declarationibus, decretis, sed decisionibus, tam impressis, quam imprimendis, ac etiam manuscriptis nullam fidem in iudicio, vel extra esse adhibendam, sed tantum illis, quæ in Autentica forma solito sigillo, & subscriptione Eminentissimi Cardinalis Præfecti, ac Secretarij eiusdem Congregationis pro tempore existentium munitæ fuerint. In quorum fidem hac propria manu subscripsimus, & sigilli proprij Sacræ Congregationis Rituum impressione communiri, ac typis mandari iussimus, Datum Romæ die 11. Augusti 1632.*

C. Episcopus Port. Cardin. Pius, locus † sigilli Iul. Rispigl. Secret. Hæc excepi ex Diana *part. 5. tract. 12. de Indulg. resolution. 52. ex Barbosa in suo Bullar. verbo Congregatio pro sacris Ritibus.* Per hoc decretum volunt nonnulli probari declarationes S.C. obligare in vtroque foro, quamuis non fuerint factæ ex speciali mandato sanctitatis suæ, ex eo, quod per dictum Decretum mandat illis fidem adhibendam esse tam in iudicio, quam extra iudicium. Sed reuera hoc Decretum non auget earum vim, & obligationem non inducit, sed tantum operatur, vt illis fides adhibeatur ab illis, pro quibus, vel contra quos diriguntur, nihil omnino disponendo de earum efficacia, & obligatione, sed relinquendo illas in suo esse, quod ante habebant.

Quæres 3. An iudices ferre debeant sententiam iuxta responsa Sacræ Congregationis? *Bonacina de legibus quæstion. 1. p. 8. numer.* 4. postquam conclusit, declarationes S. C. maximi esse ponderis, & authoritatis, & ab illis nulla ratione esse recedendum sine firmissimis fundamentis, & vrgentissimis rationibus; non tamen habere vim legis, donec aliud à sede Apostolica determinetur; ad hoc quæsitum respondet n. 6. affirmatiue ex ibidem probatis, subdit autem actoris esse probare in forma autentica declarationem, quam pro sui defensione adducit, forma autem autentica censetur ea, quam superius præscripsit sanctissimus Pater.

7 Resp. Non tenentur, quia vt ex supra probatis constat, declarationes, quæ emanant sine speciali consilio, & approbatione summi Pontificis, sunt tantum Doctrinales, non legales neque necessariæ, ergo nemo iudex cogitur iudicare secundum illas. Confirmatur, quia non videntur maioris efficaciæ, quam sint decisiones Rotæ Romanæ; secundum quas alia tribunalia iudicare non tenentur, licet prudentissime facerent, eo quod illæ non habeant vim legis. *Vant. de nullit. in Rubr. ex defectu process. num.* 121. *& in Rubr. ex defectu iurisd. deleg. nu.* 2. *Mascard. de probat. vol.* 1. *concl.* 484. *Felin. in cap. Pastoralis de fide instr. nu.* 10. *M. Anton. l.* 1. *res.* 68.

Quæres 4. An responsis, quæ circumferuntur per libros typis excusos, fides adhibenda sit, quamuis in illis non referantur ad verbum, & cum nomine prælati, & sigillo iuxta mox dicta in præcedentibus.

8 Resp. Ex supradicto decreto colligitur nullam fidem illis adhibendam esse, quamuis ad verbum referantur integræ cum nomine Præfecti, & Secretarij, & sigillo. Ad quid ergo circumferuntur in libris etiam post dictum decretum, vt fecit *Barbosa cum alijs in suis Collectaneis super Concilium Lugduni impressis anno* 1634. *& in Collectaneis Bullarij Venetiis an.* 1640. *immo an.* 1631. *die* 6. Iunij quascumque declarationes manuscriptas, & alias certis libris nominatim impressas Eminentissimi Patres prohibuerunt, vt colligitur ex indice librorum prohibitorum. Quamuis nemo illis credere teneatur attento supradicto decreto, nisi sint authenticæ iuxta in eo præscriptum, tamen multum vtiles sunt apud Doctores, & alios, qui non valentes illas obtinere in forma probante, vtuntur quandoque eisdem in libris, & folijs repertis, & si enim non probent, quisque tamẽ illis credere potest, si non vt responsis, saltem vt firmis opinionibus, ac essent alicuius peculiaris doctoris.

Quæres 5. An ex huiusmodi declarationibus aliquæ ad inuicem contrariæ emanauerint? Difficultas non est de contrarietate speculatiua, accidere enim non potest, vt hic & nunc quis mutet opinionem negatiuam v. g. in affirmatiuam ob superuenientes rationes efficaciores, quæ in prima discussione memoriæ non occurrerunt, ea quia cogatur mutare opinionem in oppositam, iuxta illud commune axioma *Sapientis est mutare consilium semper in melius l. Nonnunquam ff. de collat. bon. Instit. de legat. initio, capitul. Inter* 34. *de Pænit. d.* 3. & opinio mutari potest, cum expedit, *capit. Certe* 18. 12 *qu.* 1. *cap. Vides* 3. 23. *qu.* 6. faciunt, quæ habet *Sanchez, lib.* 1. *cap.* 8. *num* 19. *&* 24. de electione opinionis *Nau. cap.* 27. *num.* 285. *Lazar. in fine tract. de Blasphemia.* Remanet ergo dubium de contrarietate facti. 9

10 Resp. Declarationes à Sacra Congregatione in facti contingentia nunquam contrariæ emanarunt, licet secundum corticem verborum aliquando fuerint nonnullæ contrariæ. Quod formaliter contrariæ non exiterint suadetur, quia in illis Patribus Sapientissimis, qui non solum per se, sed etiam per viros peritissimos, controuersias, & difficultates sibi oblatas, per quam prudentissime resoluunt, & decidunt, huiusmodi cõtrarietas, quæ ignorantiam, & imprudentiam arguit, præsumenda non est. Confirmatur, quia si qua contrarietas aliquando visa fuit in illis, originem habuit ex malo, & prauo intellectu illorum, cum enim in his moralibus speculatiue, & in genere procedendum non sit, sed non tantum tempus, & locus, verum & quamplures circumstantiæ spectandæ sint, mirum non est, si quandoque oppositæ responsiones datæ fuerunt ex conditione, & adiectione diuersarum circumstantiarum. Exemplum sit de visitatione altarium confraternitatum in Ecclesiis regularium, nam in vna Vercell. 17. Iulij 1615. responsum fuit Episcopum illa visitare posse; postmodum in vna Ostiensi die 2. Octobris 1626. visitare non posse, de quibus ego resol. 72. numer. 20. dixi. Prædictæ responsiones secundum corticem verborum sunt ex diametro contrariæ, tamen posito, quod sint veræ, facilè conciliantur, & auferunt contrarietas, dicendo non posse Episcopum visitare in eo, quod immediate tanguntur ipsi religiosi, vtique vero respectu ipsorum confratrum, quamquam aliter dici posset vnam earum esse falsam. Vide, quæ ibi dixi. Confirmatur id totum, quia Princeps solet se accommodare precibus sibi porrectis, leg. *Si preces ff. de leg. cap. Inter dilectos* 6. §. *Cæterum de fide instr. vbi Gloss. v. Petitionis ait*, responsionem conformari petitioni per l. *De ætate ff. de interd. act.* vnde quando Congregationis Patres responderunt, Episcopum non posse visitare altaria confraternitatum in Ecclesiis regularium, credendum est, petitionem, seu supplicationem exhibitam continere, An quando Confraternitatis altare à solis regularibus regulatur, gubernatur secundum ea omnia, quæ ad ipsum spectant, vt altare, possit eo casu visitari ab Episcopo, & responsum fuit negatiue, & bene, quia non poterat visitari, nisi intuitu confraternitatis, non regularium, cum sint exempti, sed confraternitas circa illud ex præmissis nullam habet administrationem, ergo nec potest visitare, cum visitatio sit in ordine ad illius administrationem.

Quæres 6. An Responsio data pro vno loco extendatur, & communis sit quibuscumque alijs, in quibus viget eadem causa?

11 Respond. Quando approbantur à summo Pontifice ligant omnes, & non tantum illos, quibus per monitionem notificantur; quod probatur ex stilo Curiæ Romanæ, quæ solet eas dirigere ad quoscumque qui illas legerint per suas literas executoriales, vt exemplum retuli resol. 31. in fine. Intellige, nisi obstet aliqua specialis causa, quæ dissuadeat recessum à datis declarationibus, exemplum sit in funeralibus, nam Parochus cadauer sui parochiani cum stola, solemniter associat vsque ad portam Ecclesiæ regularis extra quam suum absoluit officium, vt sæpius declarauit Sacra Congregatio, & retuli loco præcitato, nihilominus huiusmodi responsum non videtur habere locum Mediolani ob diuersum ritum Ambrosianum à Romano, vnde ibidem Parochus Ambrosianus etiam intra Ecclesiam regularem, ad quam defertur suum cadauer, absoluit officium super defunctum ritu Ambrosiano,

postmodum

postmodum regulares incipiunt officium ritu Romano, ea ratione, ne officium ritu Ambrosiano cœptum remaneat imperfectum, eo quod Romani illum ritum non nouerunt. *Vide Petrum Ledesma part. 1. sum. de sacram. Pœnit. cap. 13. dub. 7. & Ioan. Valer. quos pro se citat Bossius sect. 3. de Iubilæo casu 2. nu. 126.* asserentes valere tantum, & obligare illos, quibus autentice notificantur; sed illi loquuntur de illis declarationibus, quæ procedunt sine approbatione Papæ, quæ solum obligant illos, ad quos diriguntur. Quæ tamen obseruari possunt etiam ab aliis, ad quos directæ non fuerunt, vt dixi *resol. 36. q. 17. n. 54.* de illa responsione, per quam Confessarij canonicis, & presbiteris non sunt præscribendi, sed libere vtantur approbatis confessariis, quæ licet notificata fuerit pro Diœcesi Alexandrina, nihilominus habet locum, in quibuscumque aliis Diœcesibus ob rationem ibi adductam, ad minus fauore confessariorum, & pœnitentium, in quorum gratiam emanauit. Quisque ergo illis vti potest pro se contra alios, & a legare non solum libris, sed etiam in iudiciis, si fideliter referantur, & autentice, non tamen cogunt, nisi exierint per modum Decreti, Papa approbante, vt dixi.

Quæres 7. An Eminentissimi Patres posteriores in Congregatione teneantur in similibus casibus occurrentibus sequi responsiones suorum prædecessorum, an verò possint mutare opinionem sequendo oppositam?

12 Resp. Possunt, Tum quia nullibi constat de hac obligatione sequendi responsiones prædecessorum. Tum quia facit illa regula: Par in parem non habet imperium, posteriores autem sunt pares prioribus, ergo ab istis illi obligari non potuerunt ad sequendum datas responsiones. Tum quia posterioribus rationes efficaciores occurrere possunt, quæ illos moueant ad concludendum oppositum, quæ prioribus forsan ignotæ fuerunt. Neque obstat responsio ad q. 5. superius allata, vbi dixi, declarationes à S. C. emanatas nunquam fuisse contrarias vnam alteri ob adductas ibidem sub n. 10. rationes, quia intelligitur de contrarietate prouenienie ex ignorantia, & respectu eorumdem numero patrũ, non autem de contrarietate prouenieme ex diuersitate opinionum, mutatione facta ex prudenti iudicio Patrum; imò quando superuenit noua, & efficax ratio, quę antea non occurrit, contraria opinio non solum sustineri potest, sed danda est responsio, sic ratione illa dictante; quia sapientis est mutare consilium in melius, censetur autem illa responsio melior, quæ potioribus innititur rationibus.

RESOLVTIO LXXIV.

De quibusdam casibus Luxuriæ.

SVMMARIVM.

1 *Sacrilegium est copula occultè habita intra Ecclesiam.*
2 *Ecclesia de cuius pollutione constat reconcilianda est.*
3 *Copula coniugalis sine necessitate in Ecclesia est sacrilega.*
4 *Tactus impudici in Ecclesia sacrilegi sunt.*
5 *Cur copula sacrilega, & non blasphemia, odium, &c.*
6 *Coniugatus de copula coniugali delectans peccat mortaliter.*
7 *Vidua non potest delectari de copula habita cum suo viro.*
8 *Confricans membrum bruti peccat mortaliter.*
9 *Homo dominatur cunctis animantibus, illis tamen non potest abuti.*
10 *Medicus confricans, vt cognoscat seminis naturam, excusatur.*
11 *Ius petendi debitum coniugale perditur per incestum.*
12 *Licet occultum, aut ignoratum.*

DE speciebus Fornicationis, seu Luxuriæ nonnulla dixi in ordine ad casum nouum pro regularibus reseruandum, Resolut. 48. vbi quid vnaquæque species luxuriæ sit dixi in ordine ad cognitionem reseruationis, modo illis suppositis nonnullas resoluam difficultates, occasione accepta à quibusdã Neotericis qui in materia luxuriæ nimis calamum relaxant fauore lapsus carnis, quod cum sit peccatum nimis familiare, & perpetratu facile, ex hoc dictus carnis lapsus, ratio dictat illius materiam esse magis restringendam, quam ampliandam.

Quæres 1. An Copula etiam coniugalis, pollutio, oscula, & tactus impudici intra Ecclesiam perpetrati siue publice, siue occulte sint sacrilegia? *Diana part. 1. tract. de circumst. aggrau. resolut. 26.* licet probabilius existimet copulam, & pollutionem in Ecclesia occultam habere malitiam sacrilegij, tamen cum *Vasq. 1o. 2. tom. 1. quæstion. 72. art. 7. disputation. 98. capitul. 3. numer. 6.* Asserit probabiliter, non esse huiusmodi seminis effusiones peccata sacrilegij occulte in Ecclesia perpetratæ, eo quod locus sacer seminis effusione non violatur, nisi quando peccatum est notorium. Vbi reddit rationem, cur e.g. Blasphemia in Ecclesia prolata non afficitur malitia sacrilegij, vtique seminis, aut sanguinis effusio, respondendũ, quia non illa, sed ista ab Ecclesia prohibetur ex motiuo reuerentiæ loco sacro debitæ. Idem dicunt ambo de tactibus impudicis; nimirum non habere specialem malitiam sacrilegij licet fiant intra Ecclesiam, quia huiusmodi specialis deformitas sacrilegij non oritur ex iure naturæ, sed ex solo Ecclesiæ statuto originem trahit, intelligunt modo non adsit periculum pollutionis in loco sacro. Ita docet *Diana loco citato resolut. 25. vbi citat Homobon. part. 1. exam. tract. 5. capitul. 12. quæstion. 77. Sanchez, lib. 9. disp. 15. num. 21. Fagundez lib. 4. de Præcept. capitul. 4. numer. 32. Coninc. de sacram. disput. 7. nu. 12. Idem Diana probabilius id putans loco citato, & ibidem tract. 17. resol. 23.* Aliam ergo rationem non videntur adducere nisi prædictam, quia Ecclesia prohibet tantum seminis emissionem, & eam notoriam ex motiuo reuerentiæ deferendæ loco sacro. Quibus non obstantibus,

1 Respond. Seminis emissio intra Ecclesiam licet sit occulta est sacrilegium, seu afficitur malitia sacrilegij. Item copula coniugalis præcise voluntaria, & non necessaria sequuta in Ecclesia est sacrilega licet sit occulta. Vtraque verò notoria inducit pollutionem ecclesiæ cum obligatione reconciliationis. Actus item impudici eiusdem sunt generis sacrilegij.

Primo, quod emissio seminis intra Ecclesiam etiam occulta sit sacrilegium, probatur, tum *ex capit. Ecclesiis 3. dist. 68. & capitul. fin. Ecclesiis 19. de consecr. d. 1.* vbi idem textus repetitur, *capitul. fin. de consecr. Eccl. & alibi,* præsertim *capitul. Significasti de adulter.* in quibus locis dicitur violari, & pollui Ecclesiam, in qua semen emissum fuit, ergo per peccatum sacrilegij, est enim sacrilegium violatio rei Sacræ, *Gloss. in capit. Sacrilegium 3. 17. q. 4. & in cap. Quisquis, ead. §. Sacrilegium,* sola autem publicatio huius facti non potest inducere malitiam sacrilegij, quia id extra rationem sacrilegij est, & est præcise notificatio erroris commissi consequens ad ipsum, ergo non potest dare illi malitiam sacrilegij, non enim dependet à futuro euentu, sed dum fit copula suam tunc recipit malitiam. Tum quia in illis capitibus præcise non prohibetur commissio huius peccati, sed indicitur pœna pollutionis Ecclesiæ consequens ad ipsum peccatum, consequenter seminis emissio aliunde accipit malitiam sacrilegij, nempe ex irreuerentia, & indecentia illata Eccle-

sia,

siæ per illicitam seminis emissionem, & sicut indecentia, & irreuerantia fit Ecclesiæ antequam huiusmodi peccatum publicetur, ita & sacrilegium admixtum habet in ipsa commissione peccati licet occultissimi. Vt vero Ecclesia dicatur polluta in ordine ad reconciliationem, & in ordine ad prohibitam celebrationem diuinorum officiorum ante reconciliationem, necesse est, quod de emissione illicita seminis constet, *Glos. 1. in cap. de consecr. eccl. in 6. ibi doct. omnes, & tradidi Resol. 89. q. 9.* Qui ergo se polluit etiam secreto in Ecclesia peccat mortaliter peccato sacrilegij aperiendi in confessione. *Ita Suar. tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 7. n. 4. Sanch. lib. 9. disp. 15. num. 11. Bonac. q. 4. de matrim. p. fin. n. 7. Raphael de la Torre 2. 2. tom. 2. q. 99. art. 7. disp. 7.*

Secundum, de copula coniugali voluntarie habita in Ecclesia, probatur ex citatis capitibus, in quibus habentur hæc verba. *Aut cuiuscumque semine fuerint polluta.* In tribus enim locis ex supra citatis fit mentio illius particulæ, *Cuiuscunque* quæ est vniuersalissima omnia includens, & nihil excludens, *Glos. in cap. Quicumque de sent. excom. in 6. de qua Barbosa dict. 317.* & comprehendit eos casus, qui alias non comprehenderentur, *Homded. lib. 2. consil. 76. num. 16. Seraphin. decis. 980. num. 8.* comprehendit omne genus personarum, *Rota diuers. part. 1. decis. 368. num. 5. Anton. Monach. Bonon. decis. 54. n. 48.* etiam personas priuilegiatas *Cl. an Vulpell. de praeposit. & Aduerb. signif. hoc verbo pag. 94. &* eos, qui alias non venirent sub dispositione, *Alex. lib. 5. consil. 30. num. 14. Tuscus lit. D. concl. 351. num. 3.* Copula ergo coniugalis quamuis ex se licita sit, ratione tamen loci, cuius multum aduersatur sanctitati, præcisa necessitate, fit illicita, & sacrilega, vt quampluribus citatis doctoribus tenet *Sanch. lib. 91. disp. 15. num. 12.* licita ergo est copula in Ecclesia ad euitandum incontinentiæ periculum.

Tertium, quod copula etiam coniugalis illicita, qualis est ea, quæ habetur voluntarie, & non vrgente graui tentatione, in Ecclesia habita sacrilega, & ex qua Ecclesia polluta reconcilianda est, quãdo de copula constat publice, docent omnes super c. Vn. de consec. Eccl. in 6. ratio est, quia Ecclesia de his, quæ patent iudicat, & non de occultis, ex vulgatis iuribus. Sed quoniam id rarissime contingit, ideo omittamus.

Quartum, quod etiam impudici tactus, & oscula sint sacrilega intra Ecclesiam contracta, constat ex eo, quod per illa magna irrogatur irreuerentia Ecclesiæ, quæ sine macula, & regula omnino est, & repugnant sanctitati loci non secus ac ipsa seminis emissio, important enim fæditatem, spurcitiam, & impudicitiam sicuti copula, licet non tam grauem. *Ita Pitigianus in 4. dist. 17. q. Vn. art. 5. in circumst. Vbi Azor. lib. 4. cap. 6. q. 10. lib. 1. Suar cit. lib. 3. cap. 7. num. 11. cum alijs citatis à Diana contra se part. 1. tract. de Circunst. aggrau. reso. 25. quod replicat tract. 17. resol. 23.* asserens hos esse nimis scrupulosos, tenendo *cum Sanch. lib. 9. disp. 15. num. 21. Conunch. disp. 7. de sacram. dub. 4. num. 22.* tactus impudicos intra Ecclesiam factos, non esse sacrilegos, si absit periculum pollutionis, eo quod specialis deformitas sacrilegij non oritur ex iure naturæ, sed ex solo iure Ecclesiastico, quod decernit Ecclesiam ex sola seminis, & sanguinis effusione violari. Sed reuera contrarium est verius, nimirum Ecclesiam violari ex quolibet actu turpi venereo ex iure naturali, nam isti actus, vt quippe de se turpes, & immundi repugnant, & aduersantur sanctitati, & munditiæ Ecclesiæ, & textus citati supra, qui sunt, *cap. Ecclesiis dist. 68. replicatus cap. Ecclesiis dist. 1. de consecr. cap. si motum, eadem, cap. Significasti de adulter. c. fin. de consecr. eccl. c. Vn. eod. in 6.* præcise, & formaliter non prohibent huiusmodi actus turpes faciendos in Ecclesiis, sed tantum disponunt, vt Ecclesiæ per huiusmodi actus turpes mollitiei pollutæ, & quasi deturpatæ reconcilientur, vt in illis digne & impollute diuina celebrari possint, id ergo solum statuitur in illis capitibus, quod vero in Ecclesiis non perpetrentur huiusmodi actus libidinosi ne verbum quidem, sed iure naturæ iam prohibitos supponũt summi Pontifices, & Concilia. Et ex his patet rationes aduersariorum, & Dianæ.

Sed ex dictis insurgit difficultas, quare verba inhonesta, blasphemiæ, odium, & similia intra Ecclesiam commissa non habeant malitiam sacrilegij, sicuti actus luxuriæ, & sanguinis effusio? *Sanch. lib. 9. disp. 15. num. 4. facile respondet cum Vasq.* differentiam esse, quia effusio seminis, & sanguinis prohibentur statuto Ecclesiæ intuitu reuerentiæ debitæ Ecclesiis, reliqua vero peccato nullibi prohibentur. Dicitur ideo effusionem sanguinis, & seminis esse sacrilegam, quia ex sua conditione habent vim deturpandi Ecclesiam materialem, non sic odium, blasphemiam, &c. quæ post se nihil relinquunt turpitudinis, vt ita dicam materialis.

Quæres 2. An coniux excusetur à mortali, si voluntarie delectetur in commotione sensitiua orta ex imaginatione coniugis absentis? *Diana part. 1. tract. 17. resol. 36. asserit excusari cum Curiele in part. 2. q. 74. dub. 3. §. 2. diff. 3. Zauardo part. 1. de Matrim. cap. 41. Bonac. de matr. q. 4. p. 8. num. 12. Sanch. lib. 9. disp. 44. num. 3.* cum multis aliis, ea ratione, quia delectatio sumit malitiam, & bonitatem ex obiecto; seu obiectum in casu præsenti est licitum, ergo & delectatio; quod ait procedere licet sequatur aliqua commotio, & alteratio in partibus pudendis. De qua re iterum part. 2. resol. 200. de sacram. alia ratione, sicuti enim matrimonium à mortali excusat coniugum actus impudicos factos solius voluptatis causa, & non in ordine ad copulam, ita & sensitiuam commotionem ex cogitatione absentis mariti ortam, vel voluntarie acceptam à culpa mortali excusari; quia hæc omnia in coniugibus per se loquendo tendunt ad opus coniugale, accidẽs autem est, quod opus illud tunc non exerceatur propter illorum absentiam, ita ex Layman ibidem docet, & hanc vocant opinionem probabilissimam. Quibus non obstantibus.

Respond. Non excusatur à peccato mortali, Probatur, Tum quia huiusmodi cogitatio non potest referri in bonum prolis, cum imaginatio nullum ordinem habeat ad prolem, neque aliquid operetur huiusmodi ordinatio cum sit mere intellectualis, & nugatoria ad hoc, non valens excusare à peccato, ergo peccaminosa est, neque refert, quod quis de copula coniugali cogitet ea intẽtione, vt eam referat in bonum prolis, quia ea imaginatio frustratoria est ad hunc effectum, quandoque non adest bonum prolis, si imaginatio referatur ad copulam sterilem. Tum quia in vidua similis delectatio est peccatum mortale, ergo & in cõiugatis, cum idem faciendum sit iudicium de similibus ex vulgatis iuribus. Tum quia non solum debemus abstinere à malo, sed etiam ab omnibus illis mediis, quæ nos inducere, & maxime proxime ad malum perpetrandum, quia finis, & mediorum eadem est ratio. *L. oratio ff. de sponsal.* media enim sequuntur naturam sui finis, & ab eo regulantur, ibid. Bartol. & finis dat necessitatem mediis, in quem, si quis non potest, neque in mediis, & eadem obligatione quis tenetur ad media, qua constringitur ad finem; sed quilibet sub mortali tenetur se abstinere à motibus voluntariis partium pudendarum, ergo & à mediis, per quæ tales motos causari possunt, cuiusmodi est imaginatio copulæ etiam coniugalis habitæ inter absentes. Tum quia coniugati absentes ab inuicem in quolibet actu venereo se habent, tamquam non coniugati, iuxta illud Apostoli 1. Corint. 7. *Qui habent vxores, tamquam non habentes sint.* Nostram responsionem docent *Nau. cap. 16. num. 10. Silu. v. Delectatio q. 2. Petrus Soto, Corduba, Lopez, Rodr. Nider, Sa, quos contra* se

se citat Sanch lib. 9. disp. 44. num. 2. Ioannes Salas, Azor. Fernand. Rodr. apud Dianam cit. resol. 36. Pontius de Matrim.lib.10.c.16.§.2.n.11.

Sanchez qui citata disp.44.ex professo tractat hanc difficultatem probat contra Nauarrum, & alios, quorum opinionem sequimur, Primo, quia consensus in delectationem nequit grauior esse, quam consensus in actum, de quo capitur, ex D. Aug. quia talis est delectatio, quale est obiectum ex Arist. 10. Ethic. *c.4.& 5.* Sed copula, de qua est delectatio, licita est inter côniuges, ergo & delectatio; quod si desit finis debitus, nimirum bonum prolis, erit solum venialis. Ad quod dico, obiectum spectari dupliciter, vno modo in fieri, & ratione actus coniugalis, & sic consensus, imaginatio, & delectatio ex illo percepta licita sunt, & procedit argumentum; altero modo in ratione actus venerei, & sic est peccatum mortale, consequenter talis erit etiam imaginatio, consensus, & delectatio de eo, neque enim auerti potest, & præscindi ratio actus libidinosi ab ipsomet obiecto libidinoso, & cum huiusmodi cogitatio ex sua natura in pudendis causet commotionem non potest esse nisi illicita. Probat secundo, quia matrimonium efficit, ne tactus extra copulam sint mortales, sed tantum veniales, defectus legitimi finis, ita idem efficiet circa delectationem sensitiuam copulæ cogitatæ ac si esset præsens. Ad hoc dico, esse differentiam, quia si tactus impudici extra copulam essent mortiferi, iugum matrimonij esset nimis graue, & onerosum, ideo ratio suadet illos non esse plusquam veniales, quod satis est; imaginatio autem circa copulam coniugalem, siue sint præsentes, siue absentes, nulla videtur ratione spectare ad iugum matrimonij, immo ex inutilis & vana est; illi vero tactus sunt quandoque conducibiles, eum arguant quamdam amorem inter côiuges, & quia caret quadam rectitudine honestatis, ideo tactus, & amor sensitiui appetitus sūt effectus.

Ad prædictas rationes pro nostra responsione allatas respondet Sanch. ad primum, dici procedere, vbi non adest matrimonium, nimirum delectationem veneream non excusat à mortali, quādo capitur de concubitu non coniugali, & ad confirmationem dicit, ex eo quod ex delectatio ordinatur ad coitum coniugalem cum propria vxore, & seminationem intra vas legitimū, excusari ne sit culpa mortalis, licet tunc copula haberi non possit. Dico, cum delectatio de copula carnali intrinsece includat effectum libidinis, quod est proximè mouere pudenda, & inclinari ad libidinem, parū refert, quod copula excogitata sit coniugalis, aut non coniugalis, non enim minus illa, quam hæc inclinant proxime ad motum genitalium, & consequenter ad libidinem, quasi initium excisionis seminis, aliter dici posset, quod etiam religiosus, & vidua possent delectari de copula coniugali aliorum ordinando illam ad bonum prolis cum seminatione inter coniuges intra legitimum vas vxoris, sed quoniam istæ ordinationes non à voluntate, neque ab imaginatione, sed ab exercitio naturæ præstandæ sunt, 7 ideo frustratoriæ sunt, & non releuant à peccato. Ad aliam rationem de vidua assignat disparitatem, eo quod viduæ prohibitus est coitus, non autem coniugatis. Sed ista differentia non tollit difficultatem, quia si loquamur de copula iam habita, inquam dirigatur imaginatio viduæ iam in hoc non differt à coniugata, cū non detur potentia ad præteritum, & non est maior ratio cur coniugata per ordinem copulæ præteritæ ad bonum prolis excusetur à mortali, & non vidua, quæ sub eadem ratione eamdem dirigere potest ad prolem; quod si dicas coniugatam dirigere ad futuram, quod non potest facere vidua, hoc est nugari, & velle excusare peccatum. Et ex his patet, quam immerito sententiam Sanchez Diana vocet probabilissimam, sufficit enim si aliqualiter sit probabilis apud ipsum, & alios, nam apud me iudicatur improbabilis.

cum ex tali imaginatione proxime sequatur carnis alteratio, & voluntaria sensualis delectatio, quæ sine dubio peccatum graue est.

Quæres 3. An confricare pudenda brutorum ex curiositate videndi seminis sit peccatum mortale? *Sanch.lib.9.disp.46.n.15.* negat esse peccatum mortale, quia inde non excitatur tam vehemens delectatio, sed tantum modica ex curiositate proueniens; & quamuis confricans intenderet seminis expulsionem non peccaret mortaliter, quia crimen non est impedire bruti generationem, sicut nec ipsum necare.

8 Respond. Est peccatum mortale. Suadetur, Tum quia actus iste est multum inordinatus, & obscœnus valdè repugnans rectæ rationi. Tum quia proxime inclinat confricantem ad libidinem, & ex tali confricatione sequitur non modo delectatio ex parte confricantis non ex curiositate, quæ sensualem delectationem non causat sicut ipsemet actus confricationis, qui sicut excitat delectationem in animali bruto, ita & in ipso homine confricante, vt experientia constat inter personas, quarum vna aliam excitat ad libidinem confricatione membri. Tum quia, & si actus venereus non est mortalis, neque venialis ex parte animalis, non cessat tamen esse mortalis ex parte confricantis. Confirmatur, quia confricans virilia omnino, & pœnitus stulti mortaliter peccat, licet non peccet ipse stultus; esto idem iudicium de confricante pudendum bruti animalis, ex cuius parte ille actus venereus non est peccatum, vtique verò ex parte confricantis. *Ita docet Bonac.q.4.de Matrim.p.9.n.15. Ioan.Salas 12. om.2.tract.13.disp.6.sect.20.n.148.quos pro se citat Diana part.1.tractat. 17.res.37.*

Ad obiecta Sanchez patet ex dictis, nam falsum est inde non excitari vehementē delectationem, & hæc sine dubio pro causa habet illam confricationem sensualem, non verò curiositatem, quæ potius est quid se tenens ex parte potentiæ intellectiuæ, *de qua re vide D. Thom.2.2.quæst.160.art.2* quam ex parte sensus. Præterea, licet occidi possit impunè brutum, 9 quia in hoc est homini subiectum, iuxta illud Genes. capitul.1.28. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus, quæ mouentur super terram.* Non tamen homo debet illo abuti in actibus venereis, quia Deus nequaquam illi dedit hoc dominium inutile, & inordinatum prouocatiuum ex sua conditione ad libidinem. Et sine dubio effugi non potest pecatum mortale ab illo, qui virilia canis domestici confricaret, quia ex confricatione huiusmodi coniuncta cum amore erga canem impossibile est, non sequi nisi magnam delectationem veneream graue peccatum mortale. In vno casu excu- 10 sarem medicum volentem scire dispositionem seminis alicuius bruti, quia eius finis sciendi bonus est, & solum per accidens potest sequi delectatio non intenta per se à medico. Ab alia autem persona inerudita id præstari non potest, quia inepta est ad hanc cognitionem, & consequēter huiusmodi actus respectu illius curiositatis, & proximi periculi à mortali excusari non potest, cum nihil virtutis habeat pro fine, quod possit excusare à graui culpa confricantem pudenda bruti.

Quæres 4. An habens rem cum consanguinea suæ vxoris, & è contra, perdat ius petendi debitum à suo coniuge ipso iure ante declarationem, & etiam casu ignorantiæ, seu obliuionis talis pœnæ? Suppono tam- 11 quam de iure certum, cap. 1. de eo, qui cognouit consang. alterum coniugum copulam habentem cum consanguineis in primo, & secundo gradu alterius coniugis priuari petitione debiti, alteri vero innocenti petenti teneri reddere, vt docetur. *c. Discretionem 6. cap.Tua, cap.Iordane, eod. de qua re late.Sanch.lib.9. disp.27. cum quo num. 10.*

Respond. Perdit ius petendi debitum etiam ante 12 condemnationem,

condemnationem, & licet copula sit occulta, quia est pœna mere priuatiua consistens in sola abstinentia à culpa. *Sanch. lib. 9. disp. 27. num. 2. clarus disp. 30. num. 2. Bonac. q. 3. de matrim. 12. num. 23.* & licet coniux ignoret tale impedimentum, nam admonitus tenetur se abstinere, ignorantia enim inculpabilis non excusat à pœna iuris, licet excuset à censuris *Sanch. lib. 9. disp. 27. num. 10.*

RESOLVTIO LXXV.

De Tertiariis secularibus S. Francisci.

SVMMARIVM.

1 S. *Francisci Natiuitas, & Genealogia.*
2 *Conuersio, & institutio primi, & secundi ordinis.*
3 *Tertio ordinis institutio anno* 1221.
4 *Regulam dictauit Tertiariis anno* 1222.
5 *Luchesius primus ordinis beatus.*
6 *Regulam habere negatur à quibusdam.*
7 *Regula à Sancto dictata probatur. Forma professionis ibi.*
8 *Regula spectatur dupliciter.*
9 *Religio non est, neq; eius Tertiarij religiosi.*
10 *Religio quid sit?*
11 *Regula licet approbata non facit religiosum, nisi vota exprimat solemnia.*
12 *Confraternitas non est ordo Tertius.*
13 *Confratrum, & Tertiariorum varia differentia.*
14 *Professio eorum rationem voti non includit.*
15 Professionis *vox plura significat.*
16 *Transgressio huius Regulæ neque veniale.*
17 *Professio istorum non est solemnis etiam in Sororibus.*
18 *Professio istorum idem est quod propositum.*
19 *Sorores emittunt votum castitatis simplex, non alia duo.*
20 *Matrimonium non impedit illorum professio.*
21 *Ordo iste communis solutis, & coniugatis.*
22 *Apostata non sunt recedentes à suo ordine.*
23 *Apostasia supponit ligatum professione solemni.*
24 Recedere, & Retrocedere *sunt diuersa.*
25 *Recedentes peccant venialiter.*
26 *Frater vt quis fiat quæ conditiones.*
27 *Professio eorum infra annum tenet.*
28 *Professio recipitur à Ministris.*
29 *Qui sunt & ipsi Tertiarij.*
30 *Consensus aliorum requiritur ad ingressum, & professionem.*
31 *Consilium ibidem extenditur ad consensum.*
32 *Professio non fit sine prælato regulari.*
33 *Litera N. signum indefinite significans, & indistincte.*
34 *Capucini ad professionem Tertiarios non admittunt.*
35 *Prælati regulares super illos iurisdictionem habent.*
36 *Visitatoris istorum officium, & iurisdictio.*
37 *Inobedientes illi peccant ad minus venialiter.*
38 *Habitus illorum qualis?*
39 *Habitus protendit vsque ad genua.*
40 *Habitum cum caputio gestare non possunt, Prælatis negatur licentia.*
41 *Tertiarij cum claustralibus incedunt veste breui calceati cum galero sine caputio.*
42 *Forma habitus non est more secularium in forma vt probatur.*
43 *Corrigia non est sed corda, quæ ex officio corrigia dicitur.*
44 *Priuilegia habent, de quibus infra.*
45 *Tertiariorum quatuor classes.*
46 *Collegiales, & Claustrales gaudent priuilegiis regularium.*
47 *Sorores pariter ex voto in domibus suis.*
48 *Episcopus examinat conditiones Sororis ex voto professura.*
49 *Tertiarii collegialiter, & claustraliter diuersi.*
50 *Collegialiter sine voto viuentes destructi à Pio V.*
51 *Seu natura est esse inter diuersa.*
52 *Tertiarij singulariter viuentes gaudent aliquibus priuilegiis.*
53 *Indulgentias regularium lucrantur.*
54 *Sacramenta Tertiarij singul. recipiunt more laicorum.*
55 *Interdictum seruare tenentur.*
56 *Sepulturam eligere possunt.*
57 *Sorores ex voto sepeliuntur apud Regulares.*
58 *Exemptionem personæ, & rei olim habeant à laicis.*
59 *Sorores ex voto præcise habent exemptionem.*
60 *Professio earum scriptis constare habet.*
61 *Scriptura publica quæ dicatur.*
62 *Liber professionis probat.*
63 *Sorores deficientes in conditionibus gaudent priuilegiis.*
64 *Sorores bene professa licet sit defectus conditionum.*
65 *Fratres singulares habebant priuilegium fori.*
66 *Congregatio eorum visitari non potest à Laico.*
67 *Tertiarij in propriis domibus conueniuntur coram laico.*
68 *Episcopus non potest visitare earum congregationem.*
69 *Canonis priuilegio gaudent Tertiarij Colleg. & Claustr. Sorores ex voto.*
70 *Tertiarij singulares probabiliter gaudent priuilegio canonis.*
71 *Tertiarij etiam nouitij gaudent indulgentiis.*
72 *Collegiales, claustrales non professi gaudent priuilegiis.*
73 *Sorores debent esse professa ex voto, alias non gaudent nisi indulgentiis.*
74 *Famuli differunt à Tertiariis.*
75 *Familiaris quis dicatur.*
76 *Familiaris vt quis sit duo requirit.*
77 *Familiaris dicitur etiam qui gratis seruit.*
78 *Familiaris differt à famulo ex vtilitate vocabuli.*
79 *Famuli non sunt personæ Ecclesiasticæ.*
80 *Famuli non mutant habitum.*
81 *Famuli priuilegiis gaudent, si actu intra claustra manent.*
82 *Domesticus dicitur à stare in domo.*
83 *Sacramenta sumunt à religiosis.*
84 *Confitentur etiam à non approbatis ab Episcopo.*
85 *Exempti ab Episcopis sunt famuli.*
86 *Sepeliuntur apud regulares.*
87 *Censurari non possunt ab Episcopo.*
88 *Interdictum seruant sicut religiosi.*
89 *Indulgentiis gaudent.*
90 *Bona eorum etiam nondum collata religioni exempta sunt.*
91 *Seruitus quasi continua esse debet pro priuilegiis.*
92 *Commensalis continuus dicitur, qui aliquando extra est.*
93 *Famulus particularis cum licentia prælati gaudet, alias non.*
94 *Famulum conducens sine licentia proprietarius est.*
95 *Famulus fictus in fraudem 5. receptus non gaudet.*
96 *Tertiarij claustrales communicant in priuilegiis.*
97 *Legatum factum Fratrib. S. Franc. debetur Tertiariis, si in loco.*
98 *Tertiarij dicuntur Fratres Minores, & Fratres S. Francisci.*
99 *Minores Fratres dicuntur gradatim omnes ordines S. Francisci.*
100 *Legatum pium non debet perire.*
101 *Fratres S. Francisci quandoque dicuntur ab Ecclesia licet Franciscani non sint.*

102 *Tertiarij*

102 Tertiariæ monialium etiam dotis gaudent priuilegiis.
103 Legatum pro monachatu datur volenti fieri Soror ex voto.
104 Bonorum capaces sunt in particulari.
105 Feudis succedere possunt.
106 Parma Ciuitas dedit illis priuilegium exemptionis.
107 Doctores agentes de Tertiariis.
108 Eremitæ Tertiarij puniuntur à prælatis Tertiariis.
109 Soror Tertiaria non soluit caminos.

1 BEatus Pater Sanctus Franciscus Assisij natus anno Domini 1182. ex Petro Bernardono, & Pica iugalibus, in sacro baptismate nuncupatur Ioannes, Francisci verò nomen ex lingua Gallica, quam didicit ab ineunte ætate, & ideo populari voce acquisiuit; eius pater mercator fuit non vulgaris, sed multum diues, ac proinde nobilis, cuius pater D. Francisci Auus vocabatur Bernardonus Morico, à quo cognomen recepit, habuit Beatus pater alium fratrem se maiorem nomine Angelum, qui duos procreauit filios, Picardum, qui caste vixit, & Ioannem, qui vxorem duxit, ex qua genuit Ciccollium, qui habuit quatuor filios Franciscutium, Petrucium, Bernardum, & Antonium: hic Antonius religionem ingressus Sacræ Theologiæ Parisius professor fuit; Franciscutius pariter religiosus Guardianus fuit S. Damiani Assisij, Petrucius cælibem vitam egit. Bernardus demum vxorem duxit, ex qua genuit Ioannem. Habuit etiam Ciccolius duas filias Franciscanam, quæ nupsit, & Claram Virginem Sororem, & Abbatissam S. Angeli in Pantio, Sancti Francisci stirps, & cognatio vigebat de anno 1534. quo tempore viuebant duo fratres Antonius, & Bernardonus filij q. Francisci Ricardi, pauperes tamen effecti. Hæc collegi ex VVadingo in suo Apparatu ad Annales Minorum tom. 1. & mox dicenda.

2 Natus est ergo anno 1182. anno verò 1206. primo conuersus fuit ad Dominum, & per biennium vitam degit eremiticam absque assumptione habitus alicuius religionis, quo totum se diuinis obsequiis dedit, reparando in primis tres Ecclesias, vnam S. Damiani Assisij eo anno 1206. sequenti verò anno 1207. secundam sub nomine S. Petri à ciuitate longe distantem; tertiam demum sub nomine S. Mariæ Angelorum in rure suburbano Assisij refecit, demum anno 1208. biennio eremiticæ vitæ in sanctis operibus expleto, die 18. S. Lucæ Euangelistæ (vt quidam volunt) secundo perfectius conuersus fuit ad Deum, omnibus huius mundi abiectis initium dedit suo ordini primo, quem illi cum Regula confirmauit ore tenus Innocentius III. anno 1209. per Bullam incip. *Solet annuere*, Honor. item III. die 29. Nouembr. anno 1223. fuit solum Diaconus ob suam profundissimam humilitatem nolens fieri sacerdos. Anno verò 1212. die 19. Martij in die Palmarum Claram annorum decem octo induit habitu religionis in Ecclesia S. Mariæ Angelorum, & postmodum cum Vgolino Cardinali monialibus suis conscripsit Regulam. Demum anno 1221.

3 Generali capitulo die 30. Maij celebrato Assisij, cœpit per oppida vicina Christi fidelibus Pœnitentiam prædicare præcipuè incolis Canariæ loci distantis ad quatuor milliaria ab Assisio, & tanto affectu, atque efficacia verbum Dei illis gentibus disseminauit, vt omnes vnanimi consensu, & pari spiritu feruore deliberarint eum prosequi in bonis operibus tam viri, quam fœminæ tam soluti, quam coniugati; ne autem de relictis propriis domibus eum sequerentur, sed remanentes Deo in piis operibus, abstinentiis, ieiuniis, & pœnitentiis deseruire possent in suis oppidis, & locis, pro illorum salute omnes, & singulos recepit in Fratres, & Sorores, quos vocauit de Tertio ordine, respectiue ad secundum Monialium S. Claræ, & primam Fratrum Minorum, & eodem anno,

4 vel sequenti 1222. eisdem descripsit Regulam, quam incepit his verbis. *Si qui voluerint hanc vitam obseruare, & illos ad eam obseruandam assumi contigerit, ante assumptionem, seu receptionem, &c.* quam habet extensam in Bulla Nicol. IV. incip. *Supra Montem.* Datum 17. Aug. 1289. anno 2. sui Pontificatus. Eam ad verbum refert VVadingus ad annum 1221. prout dictauit sanctus Pater.

5 Primus autem, quem sanctus Pater induit habitu Tertij ordinis, fuit B. Luchesius ex Mercatore auaro effectus seruorum Dei spiritualis Mercator, quoniam illi facultatem dedit recipiendi alios, & incorporandi ad hunc ordinem per professionem faciendam peracta vnius anni probatione, & cuidam alteri nomine F. Bartolomeo Baro, olim Curiæ Romanæ aduocato, vt ex Chronistis colligitur, & ipsa Regula. Sed accedamus ad quæsita in hac materia.

Quæres 1. An S. Pater vere ipse confecerit Regulam suis Tertiariis? *Doct. in Rubr. de Regul. ibi Abb. & in clem de relig. domibus Cardin. consil. 128. Felin. in cap. Ecclesia S. Mariæ, de constit. numer. 1. Rota Roman. vol. 2. in Nouiss. decis. 216. numer. 2.* Dicunt hos

6 nullam habere Regulam, sed certum viuendi modum à Sede Apostolica approbatum. *Gloss. ver. Tertio Clem. 3. de sent. excommunicat. ait*, Tertium ordinem non dici proprie Regulam, sed modum viuendi à Papa approbat, & *Glossa prima, in Clem. 1. de Religione dom.* Tertiarij non dicuntur habere proprie habere regulam, sed certum modum viuendi, neque proprie dicuntur Regulares, cum non voueant tria vota, promittunt tamen obedientiam suis superioribus, cum ergo careant Regula, frustra quæritur. An S. Franciscus

7. illis dictauerit Regulam.

Resp. S. Pater verè tertiariis Regulam insertam in Bulla Nicolai IV. dictauit, & conscripsit, deinde confirmatam, & approbatam à prædicto Pontifice. Probatur, Tum quia in quadam forma professionis, qua Tertiarij vtuntur, id expresse dicitur, & habetur in in Firman. pag. XXXV. his verbis.

Ego F. N. voueo, & promitto Deo, & B. M. V. & B. Francisco, & omnibus sanctis, & tibi pater seruare mandata Dei toto tempore vitæ meæ, & satisfacere, vt conuenit transgressionibus contra Regulam, & viuendi modum Tertij Ordinis de Pœnitentia institutam per S. Franciscum, & per D. Nicolaum Papam IV. confirmatam, cum de hoc interpellatus fuero ad voluntatem Visitatoris nostri. Et si sit ex Religiosis addat hæc verba. *Viuendo etiam in obedientia, sine proprio, & in castitate.* Tum quia Nicol. IV. in Bulla Confirmationis Regulæ illis verbis. *Præsens viuendi forma institutionem à B. Francisco prælibato suscepit, capitul. 16.* Item

8 facit mentionem, illam dictatam fuisse à Sancto, in alia incip. *Vnigenitum Dei filium.* Dat. 8. Aug. 1290. in nostro Bullario id insinuat aperte illis verbis. *Vt ambulantium in tenebris pedes eruditionis sine literis dirigeret in viam salutis æternæ, quemdam ordinem instituerat Pœnitentium titulo insignitum, in quo Normam tradidit promerendi æterna.* Hæc autem Norma nihil aliud est, quam Regula, de qua nos, coincidunt enim hæ duæ voces. Tum quia Leo X. Bulla incip. *Inter cætera* in qua Regulam huiusmodi, quam vocat ipsius S. Francisci, communem personis secularibus vtriusque sexus, etiam coniugatis, adaptauit eisdem Tertiariis regularibus effectis, ergo si Papa vocat eam D. Francisci necesse est dicere illius fuisse autorem, & non Nicolaum, quem illius tantum confirmatorem vocat. Tum quia in eius capitulo quinto, ordinatur abstinentia à carnibus feriis secunda, quarta, sexta, & sabbato totius anni; id autem obseruabant multi mortui etiam ante quam Nicol. IV. Regulam confirmaret, quod fuit anno 1289. vt exemplum habemus in B. Humiliana Tertiaria defuncta anno 1249. die 19. Maij, quæ illis diebus abstinebat, & ieiunabat, vt in eius vita legitur, ergo B. Franciscus vere dictauit eam Regulam, quam postmodum Nicolaus IV.

 consummauit

sio, & subinde promissio votum non est, sed simplex protestatio, voluntas, & desiderium, ac propositum 16 seruandi Dei mandata, Regulam, quam huiusmodi Tertiarij amplectuntur. Tum quia transgressio eorum, quæ in dicta regula exprimuntur nullum sunt peccatum etiam veniale, vt dicitur cap. finali, vbi licet, dicatur. *Nullum ipsorum ad mortalem culpam obligari volumus.* loquendo solum de peccato mortali; tamen subintelligitur. *Neque ad venialem culpam.* Vt expressius, & clarius dicitur in alia Regula Leonis X. cap. fin. pro eisdem Tertiariis regularibus Ergo per illam professionem nulla potest inferri obligatio voti, ad quod Regula ipsa constringit; neque enim professio arctiorem reddit Regulam, quam antea ex se erat, sed solum professum ligat, & coarctat sub illo statu non obligando illum ad aliud, ad quod Regula illum non constringit. Tum quia licet superius sub quæst. 1. retulerim formam professionis sub eo verbo. *Voueo*, tamen illud verbum non extenditur ad professionem Tertiariorum secularium, sed ibi ponitur tantum in ordine ad Tertiarios Regulares, eo quod illa forma est communis vtriusque. Vnde in calce Regulæ nostræ adiungitur eadem omnino forma prout seruit pro secularibus cum solo verbo *Promitto*, re-17 iecta voce *Voueo*. Tum quia, cum dubium ortum fuisset, an votum castitatis, quod emittunt mulieres Tertiariæ, de quo in Concil. Later. sub Leone X. eius Bulla incip. *Dum intra* apud Confect. pag. 127. esset simplex, an solemne, in alia Bulla incip. *Nuper in sacro*, apud eumdem Confect. pag. 131. respondit dictus Pontifex, esse votum tantummodo simplex, non autem solemne, & loquitur præcise de mulieribus vtrobique, quod signum est euidens, professionem virorum, vel etiam mulierum, in qua clare non exprimunt rationem voti, nullam includere voti obligationem, aliter dubium absolute propositum fuisset de professione hac Tertiariorum an esset solemnis, vel tantum simplex, quod cum factum non fuerit, sufficiens argumentum est, illorum professionem non habere rationem voti.

Dixi in responsione, *Maxime virorum*, vt exciperem votum cælibatus, aut castitatis vidualis huiusmodi mulierum, quod constat esse votum simplex, ex mox dictis. Nec obstant vota castitatis, & obedientiæ Tertiariorum Carmelitarum, quia id est ex vsu illorum, non ex conditione ordinis Tertij, *vt docet Lezana tom. 2. cap. 14. num. 18.*

18 Secundum, quod professio Tertiariorum importet solum propositum obseruandi id quod promittunt in forma suæ professionis, probatur, tum ex dictis superius. Tum ex vsu ipsorum Tertiariorum, qui non putant se committere sacrilegium, si non obseruant, quod, obseruare promiserunt, seu verius proposuerunt. Tum quia huiusmodi promissio se habet velut ea, quam baptismum recipientes faciunt quæ proprie promissio non est nouam inducens obligationem, sed propositum speciale Deo inseruiendi. Sic docent Portel. v. Tertiarij n. 5. referens ita responsum fuisse à sex doctorib. Salam. inter quos fuit Suarez, Carillus lib. 3. de Tertiar. ad finem idem testans, & ante istos id prius docuerat ex nostris *P. Antonius de Sillis Annot. 5. super cap. 9. Regula, Peyrin. tom. 1. ad constit. 18. Iul. II. §. 2. ex illis Lezana tom. 2. cap. 14. num. 19. Chron. part. 1. lib. 9. cap. 1. contra Dionysium Carthus. super dictam Regulam Nicolai IV. art. 7. Bustum serm. 27. sui Rosarij* asserentes promissionem seruandi mandata Dei esse votum, & eius transgressionem sacrilegium. Sed non recedamus à determinatis, ne velimus dicere, arctiorem habere Regulam Tertiarios, Quam regulares cuiuscumque religionis, in quorum Regulis nullum huiusmodi votum tam arctum, tam seuerum faciendum determinatur.

Nec obstant, quæ dixi *cap. 1. de Profess. Regul. quæst. 49. §. Ad quartum*, quia ibi locutus sum de Professione Tertiariorum Regularium, vbi asserui, præcepta Dei expungenda esse a forma professionis; hic autem loquor de professione Tertiariorum Secularium, licet aliquid simile de vtriusque ibi dicta inuoluunt, quibus sufficienter satisfit per hanc distinctionem.

19 Tertium, quod Mulieres Tertiariæ verum emittant votum castitatis non solemne, sed simplex, constat definitum à Leone X. cuius Bulla supra retuli, *Portel. v. Tertiarij numer. 7. Lezana tom. 1. cap. 14. num. 28.* vbi ait dubitatum fuisse, ad effectum consequendi priuilegia exemptionis de quibus in Bulla Leonis X. an sit necessarium, quod huiusmodi mulieres alia duo vota paupertatis, & obedientiæ adiungant voto castitatis, & S. C. respondit negatiue. Verba responsionis referunt *Nouarius in Lucerna Regul. v. Tertiarij, Lauor. tit. 2. de prisco, & recenti funerandi more, cap. 11. num. 103.*

20 Quartum, quod ista professio, præciso castitatis voto, non impediat matrimonium contractum, seu contrahendum, probatur, Tum quia iste ordo communis est solutis, & coniugatis ex sua institutione, vt satis notum est, ergo illius professio non impedit ma-21 trimonium iam factum quo ad vsum, & prolis generationem, vel faciendum à solutis iam professis. Tum quia ex probatis supra sub numer. 14. horum professio nullum includit votum matrimonium contrarium, immo nullum simpliciter votum, consequenter neque castitatis, quod solum obstat matrimonio. Quare Fratres Tertij Ordinis etiam post professionem, & ante in anno probationis possunt ducere vxorem, & cum ea manere more aliorum fidelium, quod facere nullum est peccatum. Idem præstare possunt mulieres, quæ suæ professioni nulla ratione adiunxerunt votum simplex castitatis; immo Soror huiusmodi castitatis simplex votum habens, nubendo licet peccet mortaliter, tamen tenet matrimonium, peccat tamen toties mortaliter, quoties petit debitum à marito, licet ei illud reddere teneatur. Vide *Lezanam tom. 2. cap. 15. numer. 23. & 32. Capiccium in Nouis decis. Neapol. decis. 115. num. 10.*

22 Quintum, quod retrocedentes à sua professione habitu reiecto non sint proprie apostatæ, probatur ex definitione Apostasiæ à religione, quæ est retrocessio religiosi à solemni professione cum animo non amplius redeundi ad religionem, iuxta quod dixi Resol. 41. num. 9. necesse ergo est, vt quis dicatur apostata retrocedendo ab eo, quod promisit, quod sit religiosus proprie professus tria vota, ex communi docto-23 rum; sed isti Fratres, & Sorores Tertiarij proprie non sunt religiosi, ergo neque apostatæ recedentes. Nec obstat, quod in cap. 2. dicitur. *Ordinamus præterea statuentes, vt nullus post ipsius Fraternitatis ingressum, eandem egredi valeat ad seculum reuersurus.* Quia simpliciter prohibetur, seu potius consulitur, ne quis egrediatur post professionem, & recessus non reputatur apostasia recedenti, aliud enim est recedere, aliud re-24 trocedere, nam etiam nouitius egrediendo recedit, non tamen retrocedit, *arg. cap. Consulti 20. de regul. Ita docent Bannez 2. 2. quæst. 12. art. 1. dub 1. concl. 1. Sanch. lib. 6. cap 8. num. 6. ex illis Lezana tom. 2. cap. 15. num. 23. ego citata resol. q. 11.* Hos igitur recedentes sine aliqua causa licet non sint apostatæ, puto tamen peccare saltem venialiter, quia relinquunt bonum statum, & meliorem, quàm status laici simplicis sit, & animas suas subtrahunt à quamplurimis bonis operibus, & indulgentiis, atque aliis suffragiis.

Quæres 5. Quæ & quot conditiones requirantur ad hoc, vt quis fiat Frater Tertiarius.

Respond. Quatuor requiri. Primo, quod ingressu-26 rus recipiat habitum huius ordinis. Secundo, quod per annum cum eo habitu stet in probatione. Tertio, quod eo finito faciat professionem de consilio discretorum Fratrum. Quarto, quod hæc omnia fiant de licentia

centia superioris. Hæc colliguntur ex cap. 2. Regulæ eorum Ex quo in his conuenire etiam alij aliorum ordinum Tertiarij. Si quis per annum non maneret in probatione, sed infra illum proficeret, teneret professio, quia nullibi irritatur, & iura loquuntur de professione solemni. 27

Quæres 6. Quisnam sit ille superior, qui habet recipere volentem ingredi hunc ordinem?

28 Respond. Dicitur in eodem cap. 2. quod id munus spectat ad ministros ad id deputatos, qui post vnius anni spatium cum aliquorum Discretorum Fratrum consilio, nouitium, si illis idoneus videbitur recipiunt ad professionem per manum publicam in scriptis redigendam. 29 Nomine Ministri veniunt eiusdem Ordinis Fratres, vnde qui erit inter istos Minister poterit cum consilio Discretorum Fratrum idest, aliorum Fratrum Tertiariorum ad id munus designatorum procedere ad receptionem tam habitus, quam professionis; & si concilium exprimatur adhibendum solum in iudicio 30 idoneitatis ad profitendum, puto tamen requiri etiam ad recipiendum ad habitum, more omnium religionum, & id seruatur etiam inter Confraternitates, neque enim conuenit, vt quis introducatur in aliquam congregationem, cuius desiderat esse membrum, nisi prius placitum petatur eorum, qui iam sunt membra 31 viua, & firma eiusdem congregationis; & ibidem nomen consilij sumitur non tantum iudicialiter, quam cōsensiue, & exequutiue, ad quod Minister stare debet. Nun est ergo necessaria licentia alicuius superioris Franciscani, ad hoc vt Tertiarij huiusmodi recipiantur tam ad habitū, quam ad professionem ex vi Regu- 33 læ, cum de hoc nihil habeatur in illa, tamen aliunde colligitur requiri etiam licentiam, & beneplacitum eorum religiosorum, quorum Tertiam Regulam profitentur, nam Tertiarij debent habere aliquem Visitatorem sacerdotem, qui sit alicuius approbatæ religionis, & consilium dat Papa Nicolaus IV. cap. 16. quod sit de ordine Minorum assignandus à Custode, vel Guardiano, si ergo vnum ex his habent habere in visitatorem non solum Fratres, Sorores, verum etiam Ministri illorum, necesse videtur esse, quod eius autoritas se extendat etiam ad receptionem nouitiorum 23 tam ad habitum, quam ad professionem; immo professio à nouitio legitur coram aliquo patre sacerdote recipiente, & incorporante professum in ordine, cuius regulam profitetur, vt paret ex forma professionis su- 34 perius allata sub num. 7. In forma tamen Tertiariorum mei ordinis in Calce Regulæ non exprimitur, quod debeat esse religiosus sacerdos, sed solum signatur litera N. quæ cum sit caracter indefinite significans superiores ordinis non excludit. Quod omnes prælati religionum, exceptis Capucinis, habeant facultatem recipiendi huiusmodi Tertiarios singuli proprios ordinis sui expresse tradit Lezana tom. 2. cap. 14 à n. 8. & sequent. dico, excep. Capucinis, quia id illis supponitur prohibitū prout colligitur ex quadam responsione S. C. ad verbum relata à *Lucerna Regul. v. Tertiarij*, *& à Lauor. tit. 2. de funer. cap.* 11. *num.* 103 *Vide, quæ dixi resol.* 58. *num.* 29. de nostris superioribus etiam localibus valentibus recipere huiusmodi Tertiarios iuxta conditiones modo allatas.

Quæres 7. An Prælati regulares, vel ab illis deputati habeant, aliquam iurisdictionem supra huiusmodi suos Tertiarios? Collector priuil. v. Tertiarij, ait superiores Regulares vere, & proprie non habere iurisdictionem super hos Tertiarios, quia per ingressum in ordinem tertium non conuertuntur in personas Ecclesiasticas. Vnde Bullam Eugen. 4. dantis iurisdictionem super Tertiarios viuentes extra communitatem, interpretatur, locum habere respectu Tertiariorum religiosorum, qui recedunt à communitate, & vitam degunt in Eremitoriis; subdendo quod si aliqua Bulla eam iurisdictionem Minoribus tribueret, illa esse censenda subreptitia, vt quæ esset contra puritatem Regulæ, & professionis, ex his concludit Minores habere tantum curam spiritualem administrando illis Ecclesiæ sacramenta; neque posse aliquod ab illis votum religionis, sed solum eosdem admittere ad propriam eorum regulam. *Collectorem sequitur Miranda tom.* 1. *quæst.* 36. *art.* 6. *concl* 2. *Rodr. tom* 3. *quæst.* 72. *art.* 1. §. *Vnde super. Compend. resol.* 136. *num.* 1. hanc curam spiritualem vocat superintendentiam, Portel. v. eod. num. 6. dicit Prælatos Minorum super hos Tertiarios non habere vim coactiuam, sed solum directiuam, per quam possunt illos dirigere, ac docere, non vero punire, ac proinde si non paruerint quo ad hanc vim directiuam non peccabunt mortaliter, *inquit ex Rodr. tom.* 3. *quæst.* 69. *art.* 1. quod tamen non inueni in meo codice, quos pro se citat *Lezana tom.* 2. *cap* 14. *numer.* 41. Quibus tamen non obstantibus.

35 Respond. Prælati Regulares maxime Franciscani singuli super suos Tertiarios in propriis domibus viuentes secundum Regulam Niculai IV. habent iurisdictionem proprie in aliquibus, & non tantum curam spiritualem, subire tenentur ad minus sub veniali correctionem sibi factam à visitatore, dum coram ipso interpellantur pro aliqua transgressione Regulæ.

36 Primum de iurisdictione proprie accepta, suadetur, Tum ex ipsorum Regula, in qua cap. 16. dicitur, quod habeant in Visitatorem aliquem sacerdotem alicuius approbatæ religionis, qui semel in anno, & sæpius etiam si oportuerit illos visitet, & licet in originali Regula à S. Francisco illis dictata non assignetur, cuiusnam religionis debeat esse huiusmodi Visitator, dicitur tamen à Nicolao IV. dum eam confirmat, quod consultius est, si sit ex ordine Minorum. Is autem Visitator exigit satisfactiones à Fratribus transgressoribus cap. 2. & eorum culpas denuntiatas punire debet, & corrigibiles eijcere de Congregatione, cap. 19. & cum illis in abstinentiis, ieiuniis, & austeritatibus dispensare ex cap. 18. Sed prædicta fieri non possunt sine vera, & propria iurisdictione, vt omnibus constat, ergo isti Visitatores habent proprie iurisdictionem in Fratres, & Sorores Tertiarios, Tum quia Innoc. IV. Bulla incip. *Vota deuotorum.* sub datum 5. Aug. 1243. extensa apud Firmian. pag. XXXVI. Tertiarios per Italiam, & regnum Siciliæ existentes subijcit Ministro Generali, Prouincialibus Minorum illis verbis. *Quatenus ipsis opportunis temporibus per vos, & Fratres vestri ordinis ad hoc idoneos visitationis officium impendentes, & instruentes regularibus disciplinis corrigatis, & reformatis ibidem tam in capite, quam in membris, quæ correctionis, & reformationis officio noueritis indigere.* Tum ex Bulla incip. *Apostolica sedis.* Nicolai V. in qua nostro Generali in diœcesi Leodiensi conceditur facultas visitandi, corrigendi, incarcerandi, & puniendi Tertiarios tam in propriis domibus degentes, quam in communitate viuentes, etiam sub censoris Ecclesiasticis, & inuocato brachij secularis auxilio, si opus erit. Tum quia hanc eandem potestatem confirmarunt, & concesserunt alij summi Pontifices super huiusmodi Tertiarios, Sixtus IV. Bulla incip. *Romani Pontificis.* Dat. 15. Decemb. 1471. Iulius II. Bulla incip. *Exponi nobis fecistis.* Dat. 15. Octob. 1507. Clemens VII. Bulla incip. *Ad vberes fructus.* Dat. 15. Martij 1526. Quas Bullas ad verbum refert noster Pater de Sillis, in suo Bullario Ordinis.

37 Secundum de peccato ad minus veniali, suadetur ex prædictis, quia prædicti Tertiarij vere sunt subditi, ergo resistentes potestati prælatorum peccant, quia qui resistit potestati Dei ordinationi resistit, & sibi condemnationem acquirit, quod sine peccato esse non potest. Confirmatur, quia resistens præcepto sub censuris peccat mortaliter, sed ex probatis contumaces cogere possunt ad obediendum sub censuris, ergo tunc resistentes peccabunt etiam mortaliter.

Ex

Neque obstant adducta ab Aduersariis, nam ex eo, quod Tertiarij per professionem non euadunt personæ Ecclesiasticæ proprie, & stricte, sunt tamen subditæ ex vi suæ Regulæ, quod sufficit, potestas enim Ecclesiastica ad quoscunque se extendit siue laicos siue Ecclesiasticos, modo aliqua ratione personæ subijciantur. Neque obstat, quod in eorum professione non inuoluatur ratio voti, quia ad hoc vt quis dicatur subditus Ecclesiasticis prælatis non est necessarium, vt subijciatur rationi voti obedientiæ, quod non profitentur hi Tertiarij, sed sufficit, quod se ponat sub tali statu, in quo superior regularis habet ius & potestatem, patet in ijsdem Tertiariis collegialiter viuentibus cum claustralibus, qui aliam non profitentur professionem, quam illam, quam alij Tertiarij emittunt.

Quæres 8. Qualem habitum gestare debeant Tertiarij?

38 Respond. Singuli illum, quem Regula eorum præscribit. Regula S. Francisci præscribit talem habitum, qui sit de humili panno in pretio, & colore, non prorsus albo, vel nigro, debet ergo esse eiusdem coloris Beretini, vt vulgo dicitur, ex cap. 2. Regulæ, Difficultas consistit in duobus in Forma, & Corrigia, nam non videtur describi forma, omnino, an vestiendi sint veste talari more religiosorum, an vero ad modum secularium in forma, in colore vero more Fratrum Minorum. Et de zona capitisse dicitur, quod corrigis

39 vtantur, ergo non cordone. Video tamen hic in Lombardia Tertiarios vti veste oblõga ad genua protendente à parte anteriori discissa, & ad collum non crispata, & mihi videtur id colligi ex verbis Regulæ loco citatis illis verbis. *Clausas quoque manicas Fratres habeant supradicti; Sorores etiam clamide induantur, & tunica de huiusmodi panno factis.* Illæ enim duæ voces *Manicas*, *& Tunica* videntur hoc significare, siquidem vestes religiosorum manicas habent clausas, & vocantur tunicæ. Neque huiusmodi vestis longa vsque ad genua, reprobatur ab Vrbano VIII. Bulla incip. *Cum sicut.* Dat. 5. Octobr. 1638. ad instantiam Pro-

40 curatoris Generalis Minorum de Obseruantia, in qua solum prohibetur, ne quis sine licentia horum superiorum audeat gestare habitum Tertij ordinis S. Francisci, prohibendo deinceps, ne illorum superiores dent licentiam alicui deferendi illum cum caputio assutum, auferendo illis huiusmodi facultatem, quam habent, solum concedendi illis tunicam breuem sine caputio. Idem Pontifex in alia incip. *In supremo.*

41 Dat. 20. Nouembris 1625. sub tit. Stratota pro vitaque familia, apud Barbosam in suo Bullario. v. Capucium, statuit, ne Tertiarij ad famulatum conuentus assumpti deinceps præsumant ferre caputium, sed vt ab omnibus cognoscantur Fratres non esse regulares, incedant calceatis pedibus, habitum genua non excedentem, galerum, seu biretum in capite gestantes. *Vide Rodr. tom. 3. quæst. 72. art. 4. cum suo Compend. re-*

42 *sol. 136. numer 6. Mirand. tom. 1. quæst. 36. art. 5. concl.* 2. qui cum Collectore vna voce dicunt, habitum Tertiariorum quo ad colorem esse similem habitui Minorum, quo ad formam vero similem vestibus secularium, sed neque id colligitur ex Regula, ex qua potius oppositum infertur, vt probaui, neque ex vsu, cum oppositum practicetur, vt omnibus constat, seculares enim nullam tunicam, aut longam deferunt vestem, quæ totum hominem tegat vsque ad genua, sed duo

43 habitus sunt, vnus corporis, alter fæmoralium. De corrigia loquutus sum *resol. 35 quæst. 21 & 22* vbi de habitu, & corrigia, probando, nomen Corrigiæ non sumi Physicè pro materia ex qua fit ex voce, sed legaliter pro cordone Franciscanæ religionis, dicto ex officio cingendi corpus hominis; præterquamquod ibidem retuli diuersorum Pontificum Bullas mentionem facientes de nodosa corda Sancti Francisci pro nostris Tertiariis, ex quo patet Mirandam supra citatum cum quibusdam aliis frustra Tertiariis inuicare scrupulum sine ratione.

44 Quæres 9. An huiusmodi Tertiarij habeant aliqua priuilegia saltem sibi communicata ab illis religionibus, quarum habitum acceperunt? Priuilegia autem huiusmodi esse possunt. Primo, Indulgentiæ. Secundo, Sacramentorum receptio. Tertio, interesse diuinis tempore interdicti. Quarto, Ius sepulturæ etiam tempore interdicti. Quinto, exemptio ab oneribus, quibus laici subduntur. Sexto, priuilegium fori, vt non possint conueniri nisi coram Ecclesiastico. Septimo, demum, priuilegium canonis, vt non possint percuti nisi cum incursu excommunicationis à percutientibus illos.

45 Antequam ad quæstionem respondeam, hos Tertiarios præsertim S. Francisci Regulam profitentes per manum sui Ministri, vel superioris Regularis sui ordinis, iuxta dicta q. 5. distinguo in quatuor classes, sub prima sunt viuentes post assumptionem habitus, & professionis in propriis domibus sicut ante sub secunda sunt illi, qui assumpto habitu, & professione secedunt ad eremitoria; sub tertia viuentes collegialiter inter se extra religiosos, sub quarta sunt illi qui eisdem habitu & professione assumptis viuunt collegialiter cum regularibus, quorum habitum Tertij ordinis receperunt. His non obstant quæ dixi Resol. 6. num. 149. de quatuor generibus Tertiariorum, qui ibi sumpsi hoc nomen generalissime includendo etiam Religiosos, & quosdam alios solo nomine Tertiarios, qui per ostium non intrarunt ordinem, sed per fenestram sine licentia alicuius superioris; hic autem loquor præcise de veris Tertiarijs S. Francisci non religiosis, qui distinguuntur per illum quadruplicem, modum viuendi domi, in eremo, collegialiter, & cum claustralibus.

46 Respond. Tertiarij collegialiter viuentes cum religiosis sui ordinis gaudent omnibus priuilegijs eiusdem ordinis in cuius conuentibus cum religiosis claustralibus viuunt. Hoc certum & apud omnes, & huiusmodi priuilegijs gaudere aperte constat in Concil. Later. determinatum in Bulla Leonis X. incip. *Dum intra*, apud Confect. pag. 137. illis verbis. *Collegialiter autem viuentes, seu cum claustralibus habitantes, ac mulieres virginalem, seu cælibem, aut castitatem vidualem expresso voto, & sub dicto habitu vitam ducentes priuilegijs, quibus Fratres ordinis, cuius Tertiæ Regulæ habitum gestant, gaudere debeant.*

47 Mulieres igitur expresso voto castitatis hoc assumpto habitu Tertij ordinis, & professione peracta, marito carentes, licet maneant in proprijs domibus gaudent & ipsæ priuilegijs regularium, quorum sunt Sorores, vt expresse dicitur supra; nec illarum votum est solemne, sed tantum simplex; nec est necesse, quod illi addant alia duo paupertatis, & obedientiæ, *vt dixi hic q. 4. sub num.* 19. *& Resol.* 56. *num.* 152. nec quod maneant simul collegialiter, vel cum monialibus, quia id non dicitur in dicta Bulla, Lezana tom. 2. cap. 14. num. 31. nec est necesse, quod maneant simul cum consanguineis, aut affinibus, sed sufficit seorsim ab illis, si volunt; ex vna responsione S. Congreg. debent tamen esse probatæ vitæ, & bonis moribus, atque in ætate saltem quadraginta annorum de proprio habentes cum consanguineis, vel af-

48 finibus in primo tantum gradu sibi coniunctis cohabitantes, licentia prius impetrata ab ordinario loci, quam non concedat nisi de prædictis præuio examine sibi constiterit mulierem habitum receptam habere prædictas conditiones, ita collegi ex alia Responsione Sacræ Congregationis apud Lauorium, Lucernam Regular. Hæc secunda responsio negat, quod possit concedi nimirum habitatio seorsim à consanguineis, &c. Licet Episcopus ius habeat examinandi de prædictis, non potest tamen explorare voluntatem Mulieris sororis in ordine ad votum emittendum, S. Congr. die 7. Nouembr. 1620. apud Lucernam v. Exploratio,

&c

& Tertiarij. Scio Rodr. tom. 3. q. 73 art. 1. asserere huiusmodi mulieres in proprijs domibus degentes non gaudere priuilegijs, de quibus in Concil. Later. supra, quia vult ibi sermonem esse de mulieribus cum claustralibus monialibus manentibus; sed ex allatis Responsionibus sufficienter constat loqui de omnibus Mulieribus prædictis conditionibus affectis, vt docet etiam *Compend. resol. 136. num. 7. de qua re vide etiam Bullarium Barbosa v. Tertiarij. Lezana tom. 2. cap. 14. num. 35. & 40.* vbi dicit, defectum earum conditionum non irritare professionem, cum nulla sit clausula irritans.

49 Difficultas est, an in decreto Concilij Later. distinguantur Fratres viuentes collegialiter à viuentibus cum claustralibus. nam aliqui sumunt pro eisdem, nimirum prò claustralibus tantum ex eo, quod volunt illam particulam *Seu*, accipi non distinctiue, & inferre diuersitatem, sed tantum expositiue, & declaratiue, facientem hunc sensum. *Seu cum claustralibus* hoc est cum claustralibus, ita quod ijdem sunt viuentes collegialiter, & cum claustralibus i. semper cum religiosis professis intra eorum conuentus.

50 Facit Bulla Pij V. incip. *Lubricum vitæ* in Bull. Nouo. 76. in qua huiusmodi Congregationes sine solemni professione omnes cassat, & destruit, id quod referunt etiam *Pertel. v. eod. n. 4. in Addit. & in suis Respons. part. 1. casu 16. ex eo Lezana tom. 2. cap. 14. num.* 6. Nihilominus dicendum est per illa verba distingui duplex genus Tertiariorum, nimirum viuentium collegialiter sub tertia classe, & viuentium cum claustralibus sub quarta classe, vt supra. Nec obstant primo

51 particula *Seu*, quæ proprie accipienda est, quamdiu nullum sequitur absurdum; proprie autem cadit inter diuersa, *Glos. v. eod. extrau. com. 4. de præbend. Barbosa dict.* 324. disiungit æque principaliter, & extrema sunt paria, & quod dicitur de vno intelligitur de altero, *Bald. in l. 1. C. Quando* procur. non est necess. *Rota Rom. vol. 1. part. 1. decis. 115. n. 9.* Secũda Pij V. non obstat Bulla in quantum non se extendit ad præterita, neq; enim aliquid dicit de Bulla Leonis X. quod sub illis verbis veniant tantum cum claustralibus viuentes; veniant ergo Fratres vtriusq; generis, nostris tamen temporibus cum illi Tertiarij sub tertia classe sublati omnino sint præsertim in partibus Italiæ ex hinc non amplius comprehenduntur sub dispositione Concilij Lateranensis.

52 Remanet ergo quæstio soluenda respectu Fratrum primæ, & secundæ classis viuentium nempe in proprijs domibus, seu eremitorijs, & Sororum. similiter extra collegium, vel claustra viuentium in proprijs domibus sine prædicto voto. *Lezana tom. 2. cap. 14. num.* 32. asserit huiusmodi Fratres, & Sorores non gaudere priuilegijs ordinum quorum sunt Tertiarij, eo quod solum admittantur ad illa viri collegialiter viuentes, seu cum claustralibus habitantes, & sorores votum castitatis habentes.

Respond. Tertiarij viuentes in propriis domibus extra collegium, & claustrum, seu etiam in Eremitoriis, & Sorores pariter sine dicto voto, siue solutæ, siue coniugatæ viuentes in propriis domibus etiam cum non omnibus circumstantiis supra allatis ex num. 47. dummodo professionem emiserint gaudent quibusdam priuilegiis ordinum, quorum sunt Tertiarij, & Tertiariæ. & quia inconueniens est aliter dicere, & quia ita dicitur in præcitata Bulla Leonis X illis verbis. *Fratres autem, & Sorores Tertij ordinis, necnon Mantellati, Corrigiati, Pizocara, Cordelati, & alij quocumque nomine nuncupati in propriis domibus habitantes sepulturam, vbi voluerint, eligere valeant, sed die Paschatis tantum Eucharistiam, necnon extremam vnctionem, cæteraque sacramenta Ecclesiastica, Pœnitentiæ Sacramento dumtaxat excepto, à proprio sacerdote recipere, & ad onera, quæ laicis incumbunt perferenda teneantur; ac in foro seculari coram iudicibus secularibus conueniri possint; & ne censura vilescat Ecclesiastica, & mineris auctoritas interdicti sententia reputetur; ijdem Tertij ordinis ad diuina audienda in Ecclesijs suorum ordinum tempore interdicti nullatenus admittantur, si causam dederint interdicto, vel causam ipsam nutriant, seu foueant, aut dantibus auxilium, consilium, vel fauorem quoquomodo præstiterint.* Vt autem distincte in hac materia procedendo videamus in specie, quænam sint illa priuilegia, quibus gaudent Tertiarij, per singula discurrendum est iuxta propositum huius quæstionis initio.

53 Indulgentias de nouo concessas à Paolo V. Regularibus de quibus alibi dicam, & nonnulla tetigi Resolut. 72. num. 10. acquirunt Tertiarij omnes supradicti sub illis quatuor classibus; quod probatur in specie de nostris tum ex Martino V. Bulla incip. *Vnigenitus Dei Filius.* Dat. 8. Augusti 1290. allicitendo eos sub regimine Minorum iihs verbis. *Consequantur, & gaudeant priuilegijs eiusdem ordinis Pænitentium ab eadem sede concessis, & in posterum concedendis.* Nomine autem priuilegiorum veniunt etiam indulgentiæ, & concessæ, & concedendæ; igitur indulgentiæ eisdem concessæ adhuc durant, quia Paulus V. cassauit solum indulgentias Religiosis concessas, qualem puto esse indulgentiam dierum 160. audientibus legere Regulam Nicolai IV. vt refert ex Nostris de Stilis Annot. super cap. fin. Regulæ. Clem. VII. Bulla incip. *Ad vberes fructus*, in Bullario nostri ordinis, non solum communicat, aut ad instar, sed æque principaliter quæcumq; priuilegia exemptiones, & indulgentias concessas, & concedendas quibuscumq; ordinibus. Mendicantium concedit omnibus Tertiarijs non solum Religiosis, sed alijs etiam in proprijs domibus, aut collegialiter, vel claustraliter viuentibus. Sunt ergo Tertiarij omnes quarumcumq; indulgentiarum regularium Mendicantium participes, & non solum sui ordinis, cuius habitum Tertium assumpserunt. Nec obstant allata ex Concil. Lateran. quia degentibus Tertiarijs, in proprijs domibus non derogat simpliciter omnia priuilegia, & gratias, sed quædam, quæ videntur præiudicialia, quare non derogant eorum indulgentijs, quæ nulli præiudicant. De indulgentijs Tertiariorum, *Rodr. tom. 3. q. 73. art. 2. Mirand. tom. 2. q. 36. art. 4. Lezana tom. 2. cap. 14. num. 43. Portel. num. 3.*

54 Sacramentorum Eucharistiæ, Pœnitentiæ, Ordinis, Extremæ Vnctionis, & matrimonij receptionem Tertiarij habent hoc modo. Primo viuentes cum claustralibus in his subijciuntur superioribus regularibus, vt de Sacramento Pænitentiæ *dixi resol. 3. num. 12. & 13. vbi dixi* etiam Mulieres ex voto Tertiarias subijci confessarijs regularib. tamen approbatis ab ordinario, absolui vero ab illis à casibus episcopalibus. De communione sacramentali dixi Resolut. 20. num. 16. huiusmodi Tertiarios claustrales esse subiectus religiosis. Quod idem dic de extrema vnctione. De ordine, & matrimonio certum est, dum cum claustralibus viuunt, illos non posse percipere ea sacramenta, nisi statum mutent. De eisdem Tertiarijs collegialiter viuentibus extra claustra religiosorum nihil dico, quia isti non permittuntur viuere. Tertiarij vero in proprijs domib. vel eremitorijs viuentes, & Mulieres ex voto quo ad sacramenta subijciuntur proprio parocho more laicorum, vt dicitur in Bulla Leonis X. excepto quod possunt confiteri cum confessarijs sui ordinis, approbatis tamen ab Episcopo, & ab ipsis recipere communionem sacram, excepto Paschatis tempore pro satisfactione præcepti, vt ex dicta Bulla, & Responsis S. C. Ita docent *Rodr. tom. 1. quæst. 59. articul. 10. Ganant. v. Regularium iura num. 53. & ex illis Lezana tom. 2. cap. 14. numer. 34. Nald. v. Clausura numer. 7. Barbosa ad cap. 15. sess. 23. numer. 13. & in Bullar. v. Tertiarij.*

Interdictum seruare tenentur, quando seruatur

in

in Eccleſiis ipſorum regularium ita quod ab illis recipi non poſſint ad diuina, vt colligitur ex Tridentino *cap.* 12. *ſeſſ.* 25. derogatis quibuſcumque priuilegiis, *cap* 22. *eiuſdem Seſſionis*, quod probaui præſertim *reſol.* 71. *numer.* 18. Loquor de Tertiariis etiam Sororibus ex voto viuentibus in propriis domibus, non autem cum clauſtralibus cum quibus conformari poſſunt, & debent reſpectu interdicti, quãdo enim religioſi per interdictum non prohibentur celebrare clauſis ianuis, eo casu neque Tertiarij, & alij commenſales ordinarij non arcentur ab intereſſe diuinis. Contrarium ſuſtinent fere omnes de priuilegiis agentes, dum dicunt per Tridentinum non derogari priuilegiis de interdicto non ſeruando, maxime in certis diebus, in quibus illud ſuſpendere conceditur, quos retuli *Reſol.* 51. *à numer.* 107. alios refert Compend. Theatin. v. Interdictum, a quibus in terminis non videtur diſſentire *Lezana tom.* 2. *cap.* 14 *numer.* 36. ſed determinatis ſine dubio ſtandum, vt probaui loco citato. Ex quibus patet quid dicendum ſit de illorum ſepultura, nimirum ſubiectos eſſe interdicto etiam quo ad hoc.

Sepulturam vbi voluerint Tertiarij, & Sorores in 56 proprijs domibus viuentes eligere poſſunt, expreſſe dicitur in Bulla Leonis X. ſed hoc non eſt priuilegium, cum de iure communi quilibet habeat ius eligendi ſepulturam in quouis loco ſacro, ex teſtib. à me allegatis Reſol. 51. num. 57. Quod ſi ſepulturam non elegerint ſepeliendi ſunt in Parochia, niſi habeant communem ſepulturam in aliqua Eccleſia regulari, vel alibi, quia tunc in ea ſepeliendi ſunt, vt colligi poteſt ex diuerſis S. C. reſponſis *apud Lauor. tit.* 2. *cap.* 11. *de funer. num.* 103. *Lucernam Regul. v. Tertiarij, Lezana tom.* 2. *cap.* 14. *num.* 33. *Gauantum v. Tertiarij n.* 11. Sermo autem eſt de Fratrib. & Sororibus ſine voto in proprijs domibus habitantibus, qui enim vere col- 57 legialiter viuunt, vel cum clauſtralibus, & Sorores ex voto, licet haberent in proprijs domibus ſi decedunt iſti, & illæ ſine electione ſepulturæ, non in parochia, ſed apud Regulares ſui ordinis ſepeliendi ſunt etiam parocho inuito, decretum refert *Barboſa in ſuo Bullar. v. Tertiarij, vt de off. Parochi cap.* 26. *num.* 69. & hoc aperte deducitur ex reſponſis Sacræ Congreg. quæ quo ad ſepulturam Mulieres ex voto æquales facit Fratribus cum clauſtralibus viuentibus in hoc quod fruũtur priuilegijs Religioſorum, qui ſine dubio Parocho inuito ſepeliũtur in ſuis Eccleſijs regularibus, ergo & Mulieres ex voto. Sed hoc de Sororibus iſtis ex voto potius prætermittendum eſt, adhærendo voluntati Parochi, quam per vim corpus auferre, ad euitãdum rixas, & ſcandala. *Vide quæ dixi reſol.* 51. *num.* 209.

Exemptionem ab oneribus, quamuis diuerſi Pontifi- 58 ces illis antiquitus conceſſerint, Gregor. IX. in Bulla incip. *Deteſtanda humani hoſtis.* exemit illos ab oneribus, & publicis officijs; non tamen eoſdem exemit ab oneribus ordinarijs ratione ſuorum bonorum, vt videre eſt in alia ſua incip. *Nimis patenter.* Idem exemptionis priuilegium conceſſit Innoc. IV. per ſuam Bullam incip. *Ne per ſecularia.* Nicol. IV. in eorum Regula cap. 12. prohibuit, ne ab aliquo officiali laico vexarentur in aliquo ſuorum priuilegiorum. Sixtus IV. in ſua incip. *Sacroſancta* Dat. 20. Nouembr. 1473. Statuit vniuerſos Fratres, & Sorores Tertij Ordinis S. Franciſci debere gaudere priuilegijs tam fori, quam perſonæ, & rerum, ſicut aliæ perſonæ Eccleſiaſticæ, allegando hanc eſſe opinionem grauiſſimorum doctorum, & forſan ſunt ſex doctores, quos inter alios citat B. Ioannes de Capiſtrano in Defenſorio Tertij Ordinis S. Franciſci, quod compoſuit Mediolani in conuentu S. Angeli Minorum de Obſeruantia anno 1440. Et cũ ibi loquatur Papa de vniuerſis Fratribus, & Sororibus de Pænitentia exiſtentibus per Italiam, non diſtinguendo inter eos, qui habitant in proprijs domibus, vel deo collegialiter, aut clauſtralibus ſub voto ſolemni, de omnibus indiſtincte intelligendus eſt. Tamen huiuſmodi exemptio ab oneribus ſublata fuit in citata Bulla Leonis X. ibi. *An onera, quæ laicis incumbunt perferenda teneantur.* Loquendo de illis Tertiarijs Fratribus, & Sororibus in proprijs domibus permanentibus; qui vero collegialiter, vel cum clauſtralibus habitant, & Mulieres ex voto exempti ſunt, ex eo, quod gaudent priuilegijs religioſorum, ac ſi ipſi, & ipſæ vere, & proprie eſſent religioſi. Ita docent *Mirand. tom.* 1. *q.* 36. *art.* 4 *Rodr. tom.* 3. *q.* 73. *art.* 1. quidquid ibidem dicat de Mulieribus ex voto, quas non vult gaudere exemptione, ſine ratione? Nobiſcum *Portel. v. eod. num.* 7. *Lezana part.* 2. *cap.* 14. *num.* 35. *alios citaui Reſol.* 56. *num.* 137. Vnde ex his colligitur Tertiarios Fratres habentes propria bona habitantes cum clauſtralibus, vel collegialiter viuentes, & Sorores ex voto non eſſe ſubiectas gabellis, datijs, Caminis, & ſimilibus alijs oneribus, & ab eis exigentes huiuſmodi præter peccatum mortale incurrere cenſuras inflictas contra exigentes à religioſis, Eccleſiaſticis, Eccleſijs, & pijs locis huiuſmodi taxas, angarias & tirannica onera tanquam contra violatores immunitatis Eccleſiaſticæ dictis Fratribus, & Sorori- 59 bus conceſſæ. Quid ſi Sorores ex voto habitum aſſumpſerint ſine examine Epiſcopi, aut ſine aliqua alia conditione, de quibus ſupra ſub num. 47. An gaudeant immunitate, an cogi poſſint ad ſolutionem à Miniſtris fori laici? Sufficit, quod in forma autentica ſolum monſtrent emiſſam profeſſionem per manus aut Miniſtri ſui, aut Viſitatoris iuxta Regulam Niculai IV. ſiue 60 ſit conſcripta per publicum notarium, ſiue per manum ſuperioris in folio à ſe autenticato, ſiue in libro ad hoc deputato; de publico notario nulli dubium; neq; de manu ſuperioris cum duobus teſtibus, dicitur enim ſcriptura publica iuxta cap. 2. Regulæ, & Autentica, quæ per manum ſuperioris, & duorum teſtium ad mi- 61 nus ſubſcribitur, *Auth. de inſtruc. cauſ.* § *Sed inſtrumenta coll.* 6. *cap. Quoniam de probat.* vel quæ habet ſigillum autenticum, *cap.* 2. *de fide inſtrum. cap. Poſt ceſſionem, de probat. apud Gloſ.* 1. *cap.* 1. *de fide inſtrum. Gloſ. v. Autentica, cap. Dicentes* 16. 25. *q.* 2. *Faciunt, quæ dixi Reſol.* 56. *num.* 106. *&* 108. de autenticis, & publicis ſcripturis prælatorum. Satis probat liber profeſſionum, ſi illum habeant huiuſmodi Tertiarij, argumento ſimilis libri ordinarij in conſtitutionibus Clem. VIII. de quo Reſol. 57. num. 5. ille enim probat cum ſit liber publicus lege Papali determinatus ad hunc 62 effectum, vt ibi dixi. Quod defectus conditionum non impediat exemptionem, modo profeſſio ſit valida ex alio capite, cum defectu illarum conditionum non 63 ſit inualida, vt dixi ſupra & *Reſol.* 3. *num.* 13. loquendo de alio priuilegio harum Sororum ex voto, probatur, quia illæ conditiones à Papa exiguntur, vt bonus, & rationabilis ſit ingreſſus, & ne de omni genere Mulierum admittantur ad hunc ordinem, reſpexit ergo ad decus ordinis, non ad effectum conſequen- 64 di exemptionem. Præterea Soror non ideo defectu conditionum deſinit eſſe vera Soror nec validam profeſſionem ex illo voto, ergo debet gaudere exemptione, quæ fundatur in ea valida profeſſione ex voto, non in veritate illarum conditionum, quæ tantum prærequiruntur in ordine ad decus, & honorem ordinis, licet enim poſtea non eſſet honeſtæ vitæ, ſicut non perderet ſtatum ſuæ profeſſionis, ita neque priuilegium exemptionis fundatæ in iure profeſſionis ex voto.

Fori priuilegium Tertiarij, vt non poſſent conueni- 65 ri coram laico ratione ſuæ Congregationis, habebant ex cap. 16. Regulæ, ibi: *Nolumus tamen Congregationem huiuſmodi à laico viſitari.* Omnes indifferenter etiam in proprijs domibus manentes, ex quo Regula primo pro illis data fuit, fuit tamen illorum Regulæ quo ad hanc particulam derogatum per dictum Lateran.

Concilium, illis verbis: *Ac in foro seculari coram iudicibus secularibus conueniri possint.* Sorores vero e voto etiam in suis domibus manentes, & Collegialiter, seu Claustraliter cum religiosis viuentes exempti sunt à iudicio laicorum, in quo ad priuilegium fori æquiparantur in dicto Concilio Regularibus, qui sine dubio conueniri non possunt coram iudice laico. Doctores asserentes Tertiarios in propriis domibus viuentes non gaudere priuilegiis fori, rei, personæ, &c. recensui *Resol. 56. numer. 153. de aliis cum Sororibus sub numer. 155. cum Basilio Pontio de imped. matrim. causa 27. cap. 19. §. 5. Piasec. in praxi Episc. part. 2. cap. 3. art. 7. numer. 11. Compend. Bull. Bulla 22. Leonis X. Schol. 2. ex Diana resol. 84. tract. 2. de Immunitate.* Nota tamen, quod aliud est hos Tertiarios primi generis cum sororibus esse subiectos potestati laicæ ex mox dictis; aliud eorum Congregatio- [66] nem à laica potestate visitari posse, inquirendo de administratione bonorum, & aliorum redditUum, si quæ ipsamet eorum Congregatio habet, in hoc enim Tertiarij non subduntur laicis, sed Ecclesiasticis prælatis, quibus subsunt, ratio est, quia licet personæ eorum seorsim spectatæ, & vt priuatæ mere laicæ sint, tamen in communi ratione professionis, & Regulæ, seu eorum Congregatio pia, religiosa, & Ecclesiastica est, ex quo noluit Nicol. IV. illam visitari posse à laico. Confirmatur, quia si Confraternitates piæ sunt, & Ecclesiasticæ, prout dixi *Resol. 72. num. 33.* à fortiori Congregatio Tertij ordinis, quæ proprie Regulam habet à sede Apostolica approbatam.

Tertiarij, & Sorores sine voto in proprijs domibus subiecti sunt iurisdictioni episcopali, ita quod eorum [67] Ecclesiastico iudice conueniendi sunt, & non coram prælatis regularibus, aut eorum conseruatoribus, quo ad illorum personas, & bona propria, vt bene probatur per dictum Concilium Lateran. in quo solis Collegialiter, vel Claustraliter viuentibus, & Sororibus ex voto concedit priuilegia Regularium eius ordinis, cuius habitum receperunt, inter quæ priuilegia est illud exemptionis à iurisdictione episcopali, si ergo hoc priuilegium conceditur, seu potius non aufertur istis mox supra expressis, consequens est, quod auferatur illis, qui in proprijs domibus viuunt, hoc ipso, quod non gaudent priuilegijs Regularium, & id expresse dictum fuit in pluribus responsis S. C. vt ex eis- [68] dem habetur sæpius à me supra citatis. Ex his non infertur Episcopum posse visitare immediate, aut aliquo modo illorum Congregationem vt sic, prout supra dixi, quia aliud est Fratres, & Sorores ratione suarum personarum esse subiectas respectu sacramentorum, & aliorum iurium Ecclesiasticorum, in quo subijciuntur, aliud est visitari ratione bonorum, & iurium ipsiusmet Congregationis, & Regulæ, quod quia tangit statum regularem, ideo id spectat ad prælatos Regulares, vt supra dixi, à pari de Confraternitate in Ecclesijs regularium, quæ ab Episcopo visitari non potest, vt probaui Resol. 72. num. 22. Confirmatur id Bulla 60. apud Vuadingum tom. 2. in Regesto in qua Nicolaus II. præcepit Episcopo Florentino, vt in pristinum statum restitueret quædam illis ablata, quod signum est eorum iudicem, & superiorem non esse.

Canonis demum priuilegio Fratres, & Sorores sine [69] voto non gaudent, quia isti spoliantur omnibus priuilegijs Ecclesiasticis, vt colligitur ex citato Lateran. Concilio. Reliqui vero Collegialiter, siue Claustraliter cum religiosis viuentes, & Sorores ex voto fruuntur dicto priuilegio Canonis, hoc ipso quod eisdem confirmata, & communicata fuerunt omnia priuilegia Regularium sui ordinis, cuius habitum receperunt. Doctores pro hac recitaui *Resol. 56. numer. 154. & 156. Lezana part. 2. cap. 14. numer. 39.* putat probabile [70] etiam Fratres, & Sorores singulariter viuentes gaudere priuilegio Canonis, quia licet non sint personæ simpliciter Ecclesiasticæ, & religiosæ, sunt tamen tales aliquo modo, & viuentes speciali modo sub Regula à sede apostolica approbata, *cum Casarubios v. Tertiarij numer. 24. §. aliter breuius, Portel. 5. eodem numer. 3.*

Quæres 10. An Tertiarij, vt prædictis potiantur priuilegijs eisdem hactenus assignatis, debeant esse professi iuxta præscriptum suæ Regulæ?

Respond. Tertiarij singulares, & quicumq; alij [71] etiam Sorores ex quatuor generibus supra expressi sub num. 45. nouitij, & nondum professi indulgentijs gaudent, quia in hoc æquiparantur nouitijs religiosorum, nec inconuenit, quia cum hoc priuilegium omnino fauorabile sit, & nulli præiudiciale amplicandum est ad quoscumq; Tertiarios etiã nouitios, & maximè ad nouitios Tertiariorum primi, & secundi generis, qui in proprijs domibus, aut eremitorijs Deo inseruiunt, isti enim nostris temporibus alio non gaudent priuilegio, quam Indulgentiarum, sublatis omnibus alijs eisdem, vt probatum fuit in præcedentibus. Fratres ergo Collegiales, vel Claustrales licet nondum [72] professi gaudent priuilegijs supradictis, iuxta dispositionem Bullæ Leonis X. cum religiosis commorantes, Tũ quia in hoc æquiparantur nouitijs, qui illis gaudent ex alibi probatis. Tum quia sunt partes, & membra licet imperfecta eiusdem communitatis, ergo eodem iure priuilegiorum censendi sunt, quo religiosi. Tum quia familia gaudet priuilegio domini, cap. fin. de off. Archid. ibi. *Hominum, ac familia sua causis dumtaxat exceptis.* Sed Tertiarij sunt familiares, seu de familia religiosorum, quibus inseruiunt, ergo gaudent eorum priuilegijs. Hæ autem rationes probant de Tertiarijs simpliciter, & etiam nouitijs, cum hi ante professionem propriam sint partes, & familiares professorum religiosorum, ergo nondum etiam professi gaudent priuilegijs. Ita de familiaribus regularium docent *Hermannus de seruitut. person. lib. 2. cap. 7. n. 6. Alzedo in praxi. Episcop. cap. 12. num. 77. part. 1. Gratian. in Disceptat. Forens. tom. 2. cap. 340. & 341. Grassus de effectib. cler. effectu 1. à num. 128. & illis citatis Lucerna Regular. v. Familiares,* Sorores demum ex voto sine du- [73] bio debent esse professæ, vt expressis verbis dicitur in Bulla Leonis X. & in eius Declarationibus, & Responsis Sacræ Congregationis. Ratio differentiæ est, quia cum istæ maneant in proprijs domibus non potest constare de earum conuersione ad meliorem vitam, nisi per professionem, nam status nouitij cum dubius sit, variabilis potest ingerere suspicionem apud laicam potestatem, & ordinarium loci, Mulierem illum habitum assumpsisse in fraudem vtriusq; potestatis, ad quod facit illud vulgare *Vestis grisea decipit gentem.*

Quæres 11. An tertiarij religiosorum sint illæ personæ, quæ in quibusdam Bullis, & apud doctores vocantur famuli, familiares, & seruitores Religiosorum, an vero ab illis differant?

Respond. Tertiarij &, Famuli religiosorum differunt [74] inter se, nam omnes Tertiarij possunt dici famuli, & familiares ratione seruitutis, & cohabitationis cum religiosis, loquendo de Tertiariis claustralibus; famuli vero non omnes sunt Tertiarij, cum non omnes famuli profiteantur Tertiariorum regulam? & hoc clare colligitur ex Bulla Leonis X. sæpius citata, vbi de famulis, & aliis inseruientibus habentur hæc verba. *Procuratorum quoq; & negotiatorum gestores, ac operarij eorumdem Fratrum seruitijs insistentes, sententijs excommunicationis promulgatis illaqueati sint, & esse censeantur, si illis causam dederint, aut dantibus consilium, auxilium, vel fauorem præstiterint.* Postea Papa subiungit, quam supra diximus de Tertiarijs sub q. 9. à num. 44. & sequent. Ex quibus infertur diuersitas illorum inter se; & Lezana tom. 2. facit duo capita distincta, vnum 14. de Tertiarijs, alterum 16. de Familiaribus regularium, & multi alij doctores. Hac occasione.

Quæres

Quæres 12. An, & quomodo Familiares, seu seruitores religiosorum gaudeant illorum priuilegijs, & quænam sint illa priuilegia? Familiaris autem is dicitur, qui cum aliquo habitat, *cap. In literis, de test. ibi gloss. v. De familia, cap. Insinuante, de off. delegat.* Idem autem est quod Domesticus, *Graff. lib. 1. de Arbitr. arb. 36. num 6. per Abbas, in cap. Cum dilectus, de cler. non resid. Franc. Aretin. consil* 13. *num.* 14. & 15. Doctores ad hoc vt quis dicatur familiaris duo requirunt, vnum est, quod actu, & continue seruiat; alterum quod inseruiat expensis Domini, cuius est familiaris, quod deducunt ex cap. fin. de verb. signif. in 6. illis verbis. *Vere tui clerici familiares existunt, & in tuis expensis continue domestici commensales.* Mascard. *de Probat. conclus.* 755. *Tuscus lit. F. concl.* 72. Si quis tamen seruiret gratis nolendo monasterij expensas adhuc diceretur familiaris, *vt ex Felino in cit. cap. In literis, & Suar. tom* 4. *de relig. tract.* 10. *lib* 9. *cap.* 4. *num.* 14. *docet Lezana tom.* 2 *cap.* 16. *num.* 1. Distinguuntur autem Familiares à Famulis per hoc, quod famuli vilibus Seruitijs deputantur, quæ sufferre coguntur; Familiares vero honestioribus exercitijs occupantur inlistendo personæ Domini, aut cum eo præcise viuendo, & vocantur eius domestici, *cap. Licet vobis, ad finem de priuileg. in* 6. An isti famuli respectu regularium, quibus seruiunt mutent habitum, sintne religiosi, & personæ Ecclesiasticæ? Dico, quod non sunt personæ Ecclesiasticæ nisi secundum quid, & comparatiue ad priuilegia, eo modo quo laici præsistentes dicuntur gaudere priuilegijs Episcopi, cui inseruiunt, seculares remanentes; neque enim regularium famuli tenentur mutare habitum suum, & profiteri in religione, cui inseruiunt, aliter famuli non essent, sed vel religiosi, vel Tertiarij famulantes religiosis.

Respond. Familiares, vt consequantur regularium priuilegia debent actu continue seruire religiosis, & cum illis habitare intra claustra; quod hoc requiratur, probatur tum ex Clem. 1. de priuileg. §. fin. ibi: *Sane religiosi illis, quib. est ab Apostolica sede concessum, vt familiaribus suis domesticis, aut pauperibus in hospitalibus suis degentibus sacramenta possint Ecclesiastica ministrare, nullum ex præmissis volumus quo ad hoc præiudicium generari.* Domesticus enim dicitur à domo, & stare, ita quod is dicitur Domesticus, qui in domo cum aliquo manet. Tum clarius ex Tridentino cap. 11. sess. 24. ibi: *Exceptis tamen ijs, qui prædictis locis, aut militiis actu seruiunt, & intra eorum septa, ac domos resident, subq; eorum obedientia viuunt.* Sermo est de familiaribus, oblatis, & alijs, qui monasterijs inseruiunt; quorum priuilegia Tridentinum non detruncauit, dummodo actu inseruiant manentea intra septa sub obedientia non professionis, sed seruitutis superiorum.

Priuilegijs ergo Regularium gaudent, sicut diximus de Tertiarijs claustraliter præced. q. 9. Primo, omnia sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ etiã Paschalis, & Viaticæ; Extremæ vnctionis, non tamen ordinis, aut matrimonij, in quibus subduntur Episcopis. Sic docent *Rodr. cum suo Compend. resol.* 64. *num.* 1. *Mirand. tom.* 1. *quæst.* 49. *art.* 1. §. *sed pro familiaribus. Portel. v. Familiares num.* 1. *Lezana tom.* 2. *cap.* 16. *num.* 12. & 15. *Peyrin. tom.* 1. *Priuil. ad constit. Leon. num.* 4. *Diana resol.* 12. *de dub. regular. Lucerna Regul. v. Familiares.* Confitentur autem etiam solum Confessarijs sui ordinis licet nondum ab Episcopo approbatis, vt docui *Resol.* 34. *num.* 41. & *contra Suar. optime probat Tambur. tom.* 2. *disp.* 6. *quæst.* 16. *num.* 4. à quibus possunt absolui à reseruatis Episcopis, quia non subduntur in hoc, sicut neque in alijs Episcoporũ iurisdictioni, cum sint exempti, vt probaui *Resol.* 38. *numer.* 5. & *docet Peyrin. tom.* 1. *Priuil. ad constit.* 1. *Iulij II.* §. 15. *num.* 14. contra Lucernam *tom.* 2. *cap.* 16. *num.* 17. *ad* 21. & quia nullum adest speciale priuilegium, & si adesset iam sublatum fuisset à Clemente VIII. Sed dicas hoc priuilegium speciale non esse necessarium ex eo enim, quod exempti sunt à iurisdictione Episcopali, & subiecti sunt religiosis illis comparantur, & consequenter subduntur casibus regularibus, non Episcopalibus; neque decretum Clementis VIII. de reuocatione priuilegiorum absoluendi à reseruatis comprehendit Familiares religiosorum, sicut nec comprehendit ipsos regulares pœnitentes, vt alibi docui.

Secundo, sepeliendi sunt apud suos religiosos, ac si essent religiosi, quouis parocho inuito, docent omnes cum *Rodr. tom* 1. *quæst.* 67. *art.* 2. *cum suo Compend. resol.* 64. *numer.* 2. *Portel. numer.* 2. *Lezana num.* 22.

Tertio, à nullo Episcopo censurari possunt, supradicti *Rodr. art.* 3. *cum suo Compend. resol.* 62. *num.* 9. *idem Rodr. q.* 33. *art.* 1. *Peregrin. v. Familiares* §. 2. *Lezana num.* 23. *Portel. num.* 4. *Tambur. tom.* 2. *disp.* 6. *q.* 16. *num.* 6.

Quarto, quo ad interdictum eodem priuilegio gaudent, quo ipsi regulares, & Tertiarij, *supra sub num.* 55. *Lezana tom.* 2. *cap.* 16. *num.* 27. *Rodr. tom.* 2 *q.* 114. *art.* 1. & *alijs communiter, Tambur. tom.* 2. *disp.* 6 *q.* 16. *num.* 8.

Quinto, gaudent indulgentijs regularium, de quibus *Rodr. tom.* 2. *q.* 67. *art.* 4. *Lezana* ait non gaudere, si sint concessæ viuæ vocis oraculo, eo quod hæc sint sublata, sed ego *Resol.* 31. *num.* 4. probaui non esse sublata oracula respectu indulgentiarum.

Sexto, prædicti famuli vere commensales regularium degentes intra septa regularium, licet sua bona non contulerint religioni, cui inseruiunt, adhuc tamen ipsi cum suis rebus exempti sunt ab oneribus extra ordinarijs, quæ in occurrentibus imponuntur subditis, quod probatur, Tum quia gaudent priuilegijs Domini sui, quæ est religio exempta ab huiusmodi oneribus. Tum quia nõ sunt subditi potestatibus laicis, ergo neq; subiecti oneribus. Vide *Hermannum lib.* 2. *de seruit. personali, cap.* 7. *num.* 6. *Alzed. de potestate episc. part.* 1. *num.* 77. *cap.* 12. *Gratian. discept. forens. tom.* 2. *cap.* 340. & 341. *Grassum de effect. cler. eff.* 1. *à num.* 128.

Prædicta procedunt, & habent locum Primo, si actu inseruiunt manentes continue intra claustra, verbum continue non sumitur rigorose eo modo, quo continue manent religiosi, sed fere continue, vnde si quis sit famulus coniugatus, qui singulis sabbatis domi cum vxore dormiat, adhuc dicitur continue commensalis religiosorum, *ex Portello Diana resol.* 12. *de regular. vnde Glos. cap. fin. de verb. signif. in* 6. & *Suar. tom.* 4. *de relig. tract.* 10. *lib.* 9. *cap.* 4. *num.* 14. & *ex illis Lezana tom.* 2. *cap.* 16. *num.* 1. asserunt, qui pro aliquo tempore absens est pro negotijs proprijs, vel monasterij, non ideo perdere familiaritatem. Secundo, procedunt, si famulus inseruiat monasterio in communitate, non autem alicui particulari Religioso, quicumq; ille sit, nisi seruiat illi de licentia superioris, quia in eo casu idem est, ac si communitati inseruiret, *ex Rodr. tom.* 2. *q.* 67. *art.* 1. *Lezana num.* 32. Neque Patres quamtumuis graues huiusmodi famulos tenere possunt, nisi de licentia sui superioris, aliter id esset multum inconueniens non solum contra obedientiam, & reuerentiam prælato debitam, sed etiam actus proprietatis velle conducere seruum irrequisito superiore. Tertio, prædicta locum non habent, quando recipiuntur in famulos aliqui in fraudem legis, quod contingit, quando religiosi mouentur ad illos recipiendos non intuitu seruituris, sed immediate, & directe, vt effugiant subiectionem suorum principum, & superiorum, quod effugium palliantur prætextu seruituris, *ex Rodr. Lezana num.* 31.

Quæres 13. An Tertiarij cuiuslibet sint ordinis communicent priuilegia inter se, & cum religiosis, quorum Tertium habitum assumpserant?

96 Respond. Affirmatiue, nam Carmelitarum Tertiariæ gaudent priuilegijs Sororum Minorum, & Eremitarum ex Bulla incip. *Cum nulla fidelium* Nicol. V. apud Confect. pag. 41. Priuilegia concessa Tertiarijs S. Augustini Sixtus IV. extendit ad Tertiarios Minorum, teste Basilio Sereno apud Marquez de origine Fratrum Eremit. cap. 17. §. VIII. Idem in Bulla Aurea, apud Confect. pag. 68. de Tertiarijs Prædicatorum, idem Confect. pag. 82. ex eodem Sixto Bulla incip. *Sacrosancta Romana*. De omnib. Tertiarijs cum claustralibus viuentibus Leo X. in vniuersali communicatione priuilegiorum, Bulla incip. *Dudum per nos accepto*: apud prædictum pag. 160. Pro Corrigiatis Clem. 7. Bulla incip. *Romanus Pontifex*, apud Confect. pag. 192. Prædicta intellige de Tertiarijs cum claustralibus religiosis manentibus, iuxta quod diximus sub q. 9.

Quæres 14. An legatum factum Fratribus Minoribus in loco vbi non sunt nisi Tertiarij S. Francisci manentes in proprijs manentes in proprijs domibus, & non alij religiosi Franciscani, debeatur istis Tertiarijs; quod est etiam quærere. An sub eo nomine veniant Tertiarij S. Francisci? Bartolus lib. 1. Minoricar. ait sub his verbis *Fratres S. Francisci* non venire Tertiarios sed tantum Fratres Minores, quia vsus ita se habet, vt nomine Fratrum S. Francisci veniant Fratres Minores numero 35. ad finem, ergo legatum erit nullum, *arg. l. Qui plures* 18. *ff. de vsu & vsufr.* quia incertis personis non potest legari, *Instit. de legat. §. Incertis*, licet ibi adsint etiam Tertiarij.

97 Respond. Legatum debetur Tertiarijs, quia eo casu veniunt sub nomine Fratrum Minorum, vel sub nomine Fratrum S. Francisci, quando in loco nulli alij sunt Fratres in vniuersum ordinis, ex eo enim quod sub nominibus illis venit principale analogatum, quod sunt Fratres sub prima regula militantes, non excluduntur per hoc minus principalia analogata, quales sunt Fratres Tertiarij primo regulares, secundario etiam seculares Tertiarij, quia genus licet analogum prædicatur de omnibus suis speciebus, ex vulgatis iuribus Philosophorum, & includit omnes species. *l. omnes, de præscript. l. semper ff. de regul. iur.* etiamsi in vna specie sit maior ratio, quam in alia. *l. 1. §. Quod autem ff. de Aleator. Roman. Iun. lib. 1. consil.* 12. *num.* 31. *Menoch. concl.* 141. *num.* 33. Confirmatur, quia Tertiarij militant sub vexillo S. Francisci, ergo & isti dici possunt Fratres S. Francisci, & Fratres Minores, cum in idem coincidant. Nec obstat dictum Bartoli, quia esto sub eo nomine sine alio addito ex vsu veniant solum militantes sub prima regula, quid est dicere illos tamquam primum Analogatum dici simpliciter, & absolute Fratres Minores, seu Fratres S. Francisci, quæ duo vocabula puto primo conuenire Conuentualibus, secundo Zoccolantibus, tertio Capucinis, secundum temporis institutionem, quarto nostris regularibus, deinum Tertiarijs secularibus ex conditione sui status, tamen respectiue ad aliquam dispositionem testamentariam dico venire etiam Tertiarios seculares, si qui religiosi ex prædictis non sunt in loco, quia testator præsumitur loquutum fuisse de illis, legatum enim pauperibus, seu ad pias causas relictum in certis personis non habet perire l. Id quod 24 de Episc.

99

100 Quod si in loco esset Ecclesia sub nomine S. Francisci, quæ regeretur e. g. à Tertiarijs, & Franciscani essent in alia Ecclesia sub alio nomine, legatum factum Ecclesiæ Fratrum S. Francisci deberetur Tertiarijs, non cæteris Franciscanis, nisi velimus distinguere

101 legatum factum Ecclesiæ S. Francisci debitum Tertiarijs à legato facto Ecclesiæ Fratrum S. Francisci debitum Franciscanis alijs, quia interpositum nomen *Fratrum* refertur ad ordinem, non ad Ecclesiam, quo tacito, legatum esset Tertiariorum.

Quæres 15. An Tertiarij actu inseruientes Monialibus gaudeant omnibus priuilegijs suprad. dictis sub q. 9 licet remaneant in proprijs domibus, & non morantes in communi in domo contigua monasterij monialium, & si maneant, quia sunt duo, aut tres non videntur posse constituere collegium.

102 Respond. Gaudent omnibus suprad. dictis priuilegijs recensitis à num. 53. & sequentibus. Extat expressum priuilegium Nicol. V. incip. *Digna reddimur*. apud Confect. pag. 45. & pro nostro ordine Eugen. IV. & Nicol. V. prout retuli consil. 3. q. 4. vide ibi, ne frustra idem repetam. In terminis de priuilegio canonis *Bonac disp.* 2. *de censur. in communi q.* 4. *p.* 1. *num.* 9. Confirmantur prædicta respectu omnium priuilegiorum, quia Tertiarij omnino habent qualitatem requisitam sicuti & illi, qui intra claustra virorum actu morantes inseruiunt religiosis, siquidem deferunt habitum, & continue monialibus inseruiunt, & per accidens est quod intra clausuram non manent, obstante prohibitione pro diuersitate sexus, & sic cum illa conditio respectu monialium sic reprobata, consideranda non est in ordine ad consequenda priuilegia, eum non sit in eorum potestate, neque licita.

Quæres 16. An legatum relictum pro monachatu dari possit alicui Tertiariæ tam, S. Francisci, quam alterius ordinis?

103 ℞. Volenti fieri sorori Tertij ordinis cuiuscumque ordinis dari potest legatum pro monachatu relictum, si emittat votum castitatis, licet in domo propria maneat, iuxta quod dixi supra sub num. 47. Probatur Tum, quia ex ibi dictis gaudet omnibus priuilegijs Sororum Monialium sub tribus votis, ergo & hoc lucrandi dotem. Tum quia per assumptionem habitus, & professionem castitatis, seu virginitatis dicitur fieri Soror, & monacha, ergo illi dari potest legatum. Tum quia licet ista Soror maneat domi suæ, adhuc tamen Soror, & monacha dici potest, cap. fin. qui eler. vel vou. iuncta glos. v. vt in domo propria. *Ita Diana part.* 1. *tract.* 1. *de Immun. Eccl. resol.* 8 4. §. *Vnde ex his apparet*, probans ex §. Sed hoc præsenti Auth. de sanctis. Epis. referendo ita decisum fuisse apud Rectores Orphanorum, & in Curia Archiep. Panormitana, vt contra se refert *Castillus lib.* 1. *decis.* 88 *numero* 2 *tenens oppositum cum Aloysio Riccio part.* 4. *collect.* 1051.

Quæres 17. An Tertiarij sint capaces hæreditatis, donationis, legati, & huiusmodi?

104 Respond. Sunt capaces siue viuant in proprijs domibus, siue cum claustralibus, quia per professionem, quam emittunt, non redduntur incapaces, cum nullum contineat votum paupertatis, & abdicationis proprietatis; neq; aliquo iure prohibentur acquirere. Vnde relictum ipsis inter se diuidere possunt iuxta dispositionem testatoris.

Quæres 18. An Tertiarij possint succedere in feudis?

105 Respond. Possunt secundum *Ludouicum consil.* 367. *col. pen. Panor. & Barb. in cap. Ex parte, de feud. Caplin. Alex. in cap.* 1. §. *Et quia col.* 6. *de his, qui feud. dare poss. apud Antonium Capiccium decis.* 10. *Neapol. num.* 3.

Quæres 19. An in aliquibus ciuitatibus adsit statutum mandans seruari illæsa priuilegia concessa Tertiarijs?

106 Respond. Extat apud Parmenses lib. 1. Statutorum pag. XXXX. editorum de anno 1494. quibus mandatur Fratribus Tertiarijs ordinis S. Francisci, qui appellantur Fratres de Pænitentia, per Commune Parmæ priuilegia esse seruanda.

Quæres 20. Quinam doctores aguot de Tertiarijs istis?

107 Respond. Multi tam Antiqui, quam Moderni, Doctor. in Rubr. de Regul. *cum Abbat. & in Clem.* 1. *de relig. domib. Cardin. Consil.* 128. *Clem.* 1. *citata ibi Imola Clem.* 3. *de sent. excom. extrau. Sacros. Ioannis* 22. *Calder. consil.* 4. *de regul. Bald. consil.* 9. *lib.* 5. *Gemin.*

Gemin. lib. 1. consil. 41. & 105. lib. 4. consil. 220. Speculum de statu mon. 37. Nauar. consil. 7. de statu mon. & consil. 16. & 54. de regul. Sotus. 7. q 5. art. 3. Bannez 22. q. 12. Felin. in cap. Ecclesia S. M. de constitut. num. 1. Panor. in cap. Ex parte de feudis, Rota Roman. vol. 2. decis. 216. num. 2. Ex Modernis Miranda, super eorum Regulam, *Gonzaga, Tossignanus, Carillus Tapineus, Ioannes de Torres super Regulam, Salazar in Chron. prouincia Castella, Sedulius ad vitam S. Franc. VV adingus tom. 1. ad annum 1221. tom. 2. ad annum 1291. tom. 3. ad annum 1309. Lopez. Paez super eorum Regulam, Portel. Rodriq. Lezana, de quibus supra.*

Quæres 21. An eremitæ Tertiarij deferentes habitum Tertium Sancti Francisci puniri possint à superioribus regularibus eiusdem ordinis?

108 Respond. Possunt, quia ratione professionis, aut saltem habitus illis subduntur, vt videre est Bullis Pontificijs Nicolai V. incip. *Pastoralis officij.* item altera incip. *Sedes apostolica*, quæ ambæ referuntur in Bullario ordinis.

Quæres 22. An Soror Tertij ordinis Sancti Francisci in propria domo manens sit exempta ab oneribus laicis, ad effectum, vt non teneatur soluere certam pecuniam singulis annis impositam super Caminis?

109 Respond. Soror huiusmodi gaudet priuilegijs sicuti religiosi eius Regulæ, cuius habitum assumpsit, modo emiserit professionem voti virginitatis, aut castitatis, de quo constet in foro externo, vt probaui supra à num. 58. ad 65. & constat ex Bulla incip. *Dum intra*, Leonis X. & diuersis Sacræ Congreg. responsis, quæ referuntur in calce Regulæ nostri ordinis, & *à Lauor. tit. 2. de prisco, & recenti funerandi more, cap. 11. num. 103. Lucerna Regul. v. Tertiarij, Lezana cap. 14. tom. 2. num. 28. & 35. Bullar. Barbosa v. Tertiarij ad finem, Tambur. tom. 1. disp. 17. quæst. 1. ad finem §. In secundo gradu. Mirand. tom. 1. quæst. 36. articul. 4. concl. 3. Compend. Rodr. Resol. 126. numero. 8.*

RESOLVTIO LXXVI.

De Clausura Regularium.

SVMMARIVM.

1 *Clausura quid sit?*
2 *Claustrum, & monasterium idem.*
3 *Ecclesia circundata clausura sub eo nomine venit.*
4 *Egreditur cum licentia.*
5 *Carceris instar est Claustrum.*
6 *Loca clausura enumerantur.*
7 *Chorus est de Ecclesia. 36.*
8 *Sacristia est de Ecclesia. 36.*
9 *Clausura monialium qualis sit.*
10 *Quale peccatum, & pœne violatio clausura virorum.*
11 *Violatio clausura p. veniale.*
12 *Ordinatio causa vnius pro omnibus non placet.*
13 *Egressio nocturna peccatum mortale.*
14 *Nouitius peccat violando clausuram.*
15 *Clausura asperitas est probanda a nouitio.*
16 *Seculares vi ingredientes p. mortaliter, cum excommunic.*
17 *Conseruator ab ea absoluit.*
18 *Mulier ingrediens clausuram peccat mortaliter.*
19 *Excommunicationem incurrit reseruatam.*
20 *Clausura primi claustri non seruatur.*
21 *Monasterium in fieri non habet clausuram. 85.*
22 *Temerarius ingressus debet esse pro illa pœna.*
23 *Casus liciti pro ingressu tempore officiorum.*
24 *Dubia vndecim proponuntur.*
25 *Processio intra claustra etiam malo fine excusat.*
26 *Disputationum tempore non ingrediuntur mulieres.*
27 *Necessitate aliqua ingrediuntur.*
28 *Opus pium illud dicitur, quod est fauore animæ.*
29 *Diuinorum officiorum nomine quæ veniant?*
30 *Ingrediens tempore concesso ad malum finem non incurrit.*
31 *Egrediuntur statim recto tramite.*
32 *Ingressus tempore diuinorum quolibet monasterium.*
33 *Femina vt mortem vitet ingreditur clausuram.*
34 *Puellæ non peccant, vtique eas admittentes. 75.*
35 *Reginæ ingrediuntur excepta in Bullis.*
36. *Chorum, & Sacristiam ingrediuntur 78.*
37 *Religiosi introducentes fœminas quas pœnas incurrunt.*
38 Dubia vndecim *super introductione mulierum.*
39 Introducere, & Admittere, *quid importent?*
40 *Consulens, seu mandans ingressum non superior excusatur à pœnis.*
41 *Bulla Piana requirit temeritatem, non Gregoriana.*
42 Officiorum, dignitatum, beneficiorum *nomen quid.*
43 *Introducentes in alienum claustrum excusantur à pœnis. 53.*
44 *Suspensi à diuinis introducentes in sua claustra.*
45 *Suspensio à diuinis quid sit.*
46 *Suspensio hæc non priuat electione actiua*
47 *Pœna requirunt declaratoriam criminis, ante non incurruntur.*
48 *Excommunicatio secum trahit executionem.*
49 *Inhabilitas semper supponit priuationem.*
50 *Inhabilitas non incurritur nisi post declarationem criminis.*
51 *Suspensio censura secum trahit executionem.*
52 *Introducens non semper excusatur, quoties immunis est intrans.*
53 *Introducens in proprium claustrum incurrit 43.*
54 *Consulens non incurrit supra 40.*
55 *Alloquens eam introductam subiicitur.*
56 Conuentus *nomen in Bulla Gregorij importat superiorem cum consiliarijs suis.*
57 *Pœna inflicta regularibus reseruata non sunt.*
58 *Clausula posita in fine refertur ad omnia exponitur.*
59 Eadem, *hac dictio quid importet?*
60 *Dictio* vero *est aduersatiua.*
61 *Absolutio à dictis pœnis præstatur per superiores 62. 63.*
62 *Conuersi introducentes nullam pœnam incurrunt.*
63 *Clerici priuati nunquam inhabilitatem incurrunt.*
64 *Clausura violatio respectu monialium est p. m.*
65 *Clausura monialium origo ab ordine S. Claræ.*
66 *Excommunicata sunt moniales egressa.*
67 *Modica egressio excusat.*
68 *Rota existens non violat clausuram.*
69 *Porta existens media extra. & infra non frangit.*
70 *Tegulas super ascendens non violat.*
71 *Necessitate egrediens excusatur.*
72 *Exitus licet in tribus casibus expressis.*
73 *Et alij quoque vt causa belli.*
74 *Finito seruitio ibi morans pœnas non incurrit.*
75 *Pueros etiam infantes introducentes non excusant. 34.*
76 *Ingredientium clausuram monialium pœna, vel concedentium.*
77 *Prælatorum ingredientium clausuram pœna.*
78 *Vxorata ad mortem vitandam licentiari non potest ad ingressum.*
79 *Licentia ore tenus sufficit.*
80 *Licentia Communis necessaria pro egressu.*
81 *Olim tamen non erat necessaria.*
82 *Conuentus quinam virorum subiecti clausura.*
83 *Hospitia non subduntur clausura.*

84 *Grangiæ carent clauſura.*
85 *Conuentus in fieri non ſubiicitur clauſuræ.* 21.
86 *Clauſura non fit per circuitum murorum de nouo factorum.*
87 *Clauſuram determinare eſt Prælati.*
88 *Maioris Prouincialis, vel Generalis.*
89 *Fugiens intra clauſuram ne capiatur à ſatellitibus non peccat.*

1 CLauſura eſt circuitus loci religioſi, extra quem exire religioſis, neque extraneis intra illum intrare ſine licentia licet. Dicitur autem clauſura à claudendo, ſiue ambitus, & illud ſpatium intra circuitum claudatur parietibus, ſiue ſepibus, & lignis. Illud autem totum ſpatium clauſura circumdatũ vocatur locus religioſus, ſiue monaſterium, idem enim ſunt clauſtrum, &

2 monaſterium, *ca. Placuit. 8. 16. q. 1.* ibi: *Sit clauſtro ſuo contentus, quia ſicut piſcis ſine aqua caret vita, ita ſine monaſterio monachus*, *cap. Quanto 7. de off. ordin.* dicitur, quod religioſi debent manere in clauſtro iuxta regularia ſtatuta. Vocatur locus religioſus clauſtrum à religioſis in eo degentibus, & aliud eſt ab Eccleſia, ſicuti & monaſterium, *c. 2. de conſtitut.* ibi: *Clauſtri Ec-*

3 *cleſiis, vel quibuſlibet locis religioſis pie conferuntur.* Si tamen Eccleſia ſit intra clauſuram, venit ſub nomine clauſtri, *vt dixi reſol. 68. n. 9. vide ibi.* Non licet religioſis inde exire, alias multum relaxatur diſciplina regularis, vnde exeuntes ſine licentia reuocandi ſunt, & caſtigandi, *ca. fin. de capell.* & ibidem remanere præci-

4 pitur, *cap. Iuxta 11. 16. qu. 1.* & ad egreſſum requiritur licentia ſuperioris, *extrau. com. 2. §. Cæterum, de regular. Trident. cap. 4. ſeſſ. 25.* vnde meritò vocatur carcer,

5 *ca. Vt fama 35. de ſent. excomm. l. Quoniam 3. C. de priuat. carcer. Ead.* licentia ea honeſtate requiritur reſpectu ſecularium, quibus inconueniens eſt intrare monaſteria religioſorum ſine bona gratia eorumdem regularium à pari ſicut eiſdem religioſis non conuenit ingredi ſine licentia domos ſecularium, ſed in hoc video ſeculares multum inurbanos inſtar muſcarum. Vide Bonac. de clauſura initio in ſubſtantia eandem clauſuram fere eodem modo definientem, ſed in ordine

6 ad moniales. *Barboſ. ad prædictum capit. 4. ſeſſ. 25.* Loca autem contenta intra circuitum huiuſmodi dicuntur includi clauſura, & ſub ea comprehendi, cuiuſmodi ſunt clauſtra, officinæ, culina, refectorium, curtile, fenile, ſtabulum, hortalitia, nouitiatus, dormitoria, cameræ inferiores, ſuperiores, granaria, & ſimilia quo-

7 vis nomine appellantur. Chorus quandoque vnitur, & vt plurimum alteri maiori, vel alteri communi aditu ab Eccleſia ad chorum, & ab hoc ad illam, & ſecundum hunc ſitum eſt de ratione Eccleſiæ non clauſuræ. Quando verò ſeparatur ab Eccleſia communi pariete, & non patet aditus ad ipſum per Eccleſiam, ſed monaſterium, eo caſu continetur ſub clauſura, cum ſuum habeat ſitum intra clauſuram, maxime quando

8 ſitus eſt in loco ſuperiori. Sacriſtia vt plurimum habet ſitum intra clauſuram, nihilominus, quia quandoque ad eam fit acceſſus per Eccleſiam non tranſeundo per clauſuram dicitur eſſe de ratione Eccleſiæ, de qua re infra ſub n. 36. Dominus verò, & alia loca monaſterio contigua, ad quæ non patet regulariter aditus à locis intra circuitum contentis, non comprehenduntur ſub nomine clauſuræ, ſicut & quidam hortus, ſeu campi nullo muro circumdati, quamuis à clauſtris ad ea pateat aditus, quia reuera non dicuntur clauſa, quamuis alias ſepibus circumdata eſſent pro cuſtodia, vt à damnificatoribus illæſa conſeruentur.

9 Clauſura monialium fere eodem modo explicatur cum Bonac. de Clauſura initio definiente, quod ſit illud ſpatium, quod intra ianuam ſemper clauſam continetur, extra quod moniales egredi non poſſunt, & intra quod nulli licet intrare. Nomine autem illius ſpatij, ſeu monaſterij, intra quod nulli ſecularis licet ingreſſus, veniunt clauſtrum, domus, & officinæ interiores, *ca. Exiit §. Denique prope finem, de verb. ſignif.* Papa ibi non nominat hortos, quia forſan tunc ob ſtrictiſſimam paupertatem illis carebant, tamen ſine dubio includuntur ſub nomine monaſterij, eum id ſit ſpatium illud clauſura circuitum, à *Trident. c. 5. ſeſſ. 25.* vocatum ſeptum, ibi: *Ingredi intra ſepta monaſterij nemini liceat*, vbi nomine ſepti venit circuitus, clauſura, & ſpatium intra quod aditus nulli patere debet; & Greg. XIII. in Bull. ſua incip. *Vbi gratiæ*, apud Confect. pag. 237. per illud ſpatium clauſura ſeptum intelligit monaſterium, domum, & loca alia ipſarum monialium, in quibus habitant. Ita docent *Rodr. tom. 1. q. 46. art. 2. Bonac. initio de Clauſur. & q. 4 initio, Coriol. caſu 3 n. 7. & 18. Sanch. lib. 6. cap. 16. n. 11. quos citat Barb. ad dictum cap. 5. ſeſſ. 25. n. 52. LeZan tom. 1. cap. 25. n. 18. Graff. lib. 1. de caſib. reſeru. c. 5. n. 2. Lupus de caſib. Bergomi caſu 13 n. 9.* Itaque omnia illa loca, ad quæ libere monialibus tantum patet aditus intra ſuam clauſuram, & non alij, ſunt de ratione clauſuræ, extra quæ monialibus non licet exire, neq; extraneis intrare ſine licentia à iure requiſita, & conſtitutionibus pontificiis. Sed pro clariori intelligentia materiæ de clauſura deueniamus ad quæſtionum reſolutiones.

Quæres igitur 1. An, & quale peccatum, & pœnas incurrant religioſi, & mulieres violatione clauſuræ, illi quidem vel egrediendo ſine licentia ſuorum ſuperiorũ, vel in conuentum, & clauſtra introducendo mulieres, iſtæ vero ingrediendo clauſuram virorum religioſorum?

10 Reſp. Primo, religioſi violantes clauſuram per egreſſum ſine licentia ſui ſuperioris regulariter peccant tantum venialiter, vt probabo *infra ſub n. 11.* Si vero eorum egreſſio ſit de nocte eſt peccatum mortale, ſub n. 13. Nouitij videntur aliqualiter teneri ad eam, vt probatur ſub n. 14. Seculares viri ingredi volentes, debent petere licentiam, aliter inurbani ſunt, & perturbatores clauſtri, & religioſorum, ſi per vim, aut contra eorum voluntatem ingrediuntur, & non euadunt peccatum mortale, & etiam excommunicationem, vt probo infra ſub n. 16.

Reſpondetur. Secundo, Mulieres ingredientes monaſteria virorum, vbi clauſura ſeruatur, præter peccatum mortale, de quo ſub num. 18. incurrunt etiam duplicem excommunicationem Papæ reſeruatam, ſiue ingrediantur prætextu licentiæ ex Bull. Gregorij, ſiue etiam ſimpliciter, vel eo prætextu ex Bulla Pij V. vt probatur ſub n. 19. Religioſi vero ſiue prælati, ſiue priuati mulieres introducentes, vel admittentes quouis ex illis modis ex Bull. Pij V. incurrunt ipſo iure tres pœnas. Prima eſt priuatio officiorum, quæ in præſentia obtinet. Secunda eſt inhabilitas ad illa, & ad alia in poſterum obtinenda. Tertia eſt ſuſpenſio à diuinis. Secũdum verò Bullam Gregorij introducẽtes mulieres prætextu facultatum, quas dicuntur habere mulieres ad ingrediendum clauſtra virorum, vel etiam monialium, ſuperiores, & officiales deputati ad portam, vel ad exceptionem incurrunt item tres pœnas, primo excommunicationem ipſo iure: Secundo priuationem dignitatum, beneficiorum, & officiorum. Tertio inhabilitatem ad eadem, & alia impoſterum obtinenda.

11 Primo violatio clauſuræ apud viros religioſos de natura ſua eſt ſolum veniale peccatum, quia eſt leuis tranſgreſſio, maxime ſi non comprehendatur ſub voto, vel in religione ſtrictiſſime non præcipiatur, vt apud cartuſianos, qui abhorrere habent ſecularium conſortia ex illorum inſtituto; pari ratione Camaldulenſes eremitæ apud hos egreſſum ſine licentia reputarem mortale peccatum. De violatione clauſuræ, quod regulariter ſit veniale docet *Nau. com. 4. de Regul. num. 29. & 30. Mirand. tom. 1. qu. 32. art. 2. Bonac. de Clauſura qu. 2. p. 1. num. 2. quos refert Barb. ad cap. 4. ſeſſ. 25. n. 3. Rodr. tom. 1. q. 50. art. 3. D. Thom. 2. 2. qu. 185. art. 9.*

art. 9. cum ſuis ſequacibus apud Graff. de caſib. reſeru. lib. 1. cap. 5. num. 5. ego reſol. 42. num. 5. Limitant doctores, niſi adſit contemptus, vel ſpeciale præceptum alicui factum ob præcedentem cauſam, vt puta, quia furtiue ſæpe egrediebatur, quia aliquod ſcandalum commiſit, vel quia multum extra morabatur, in his, & ſimilibus caſibus ſuperior delinquenti iure præcipere poteſt in virtute S. obedientiæ, ne exeat ſine ſpeciali licentia, immo debet hoc facere; non puto

22 autem eſſe actum prudentiæ pro delicto vnius omnes ſubiicere eidem præcepto, vnde illi ſuperiores, qui occaſione vnius peruerſi ordinationes pro omnibus faciunt, mihi non videntur bene ſe gerere, quia hoc modo potius ſimulant delictum ſubditi, quam illum caſtigent, & ideo illius imputatur ad peccatum, *c. In tantum 36. de ſ. mon.*

13 Secundum, furtiua egreſſio de nocte eſt peccatum mortale, cum a Clemente VIII. ſupponatur caſus reſeruabilis, iuxta quod dixi citata *Reſol. 42. numero. 6.*

14 Tertio, nouitij tenentur ad clauſuram ſub veniali, & quia præcipitur iure communi, cui & ipſi ſubduntur, & quia ſunt pars communitatis, cui tenentur ſe conformare, maxime cum obſeruatio clauſuræ inter

15 aſperitates religionis computetur, quas nouitij debent experiri in ordine ad profeſſionem. Vnde egredientem de nocte non excuſarem à caſu reſeruato. vide, quæ dixi *Reſol. 42. per totam.* Nec dicas, nouitios non teneri regularibus obſeruantiis ex communi doctorum, quia id intelligitur de obſeruantiis peculiaribus ex vi profeſſionis, quam nondum emiſerunt, tenentur vero pontificiis conſtitutionibus, & iure communi, *cap. Vn. de ſtatu regul.* clauſura enim eſt de iure communi afficiens quoſcumque ſub ſtatu regulari viuentes ſiue ſint profeſſi, ſiue non.

16 Quarto ſeculares per vim clauſtra ingredientes peccant mortaliter, quia in graue præiudicium diſciplinæ regularis perturbāt religioſos, & Clemens IV. Bulla incip. *In quibusdam locis.* apud Confect. pag. 17. præſumentes auſu temerario Eccleſias, aut loca religioſorum infringere, aut in illis violentiam damnabilem inferre, & exercere, ſubiicit ipſo iure excom-

17 municationi reſeruatæ Papæ, quam tamen auferre poſſunt conſeruatores, vt ibidem dicitur. Ille autem dicitur inferre violentiam damnabilem, qui non ſolum damnum infert per vim, ſed etiam, qui contra illorum voluntatem monaſteria ingreditur ibi manendo, vel iniuriam religioſis inferendo, ideo omnes, qui talia agunt moleſtando eorum Eccleſias, & loca eam incurrunt pœnam.

18 Quinto; mulieres ingredientes monaſteria virorum, vbi clauſura ſeruatur, peccant mortaliter, quod probatur ex eo, quod incurrunt excommunicationem, quæ ſemper ſupponit peccatum mortale.

19 Sexto Mulieres ingredi præſumentes incurrunt excommunicationem ipſo iure inflictam à Pio V. Bulla incip. *Regularium perſonarum* apud Confect. pag. 154. hæc autem Bulla afficit mulieres audentes ingredi tam prætextu licentiarum, vt expreſſe in ea dicitur, quam ſine illo prætextu, vt idem Pontifex in alia incip. *Decet Romanum*, apud eumdem Confect. pag. 218. eamdem voluit eſſe extenſam etiam ad mulieres ingredientes ſine licentia. Item aliam Greg. XIII. Bulla incip. *Vbi gratia* ex eodem Confect. pag. 237. contra ingredientes prætextu licentiarum. Ad incurrendam autem vtramque excommunicationem tria requiruntur. Primo quod ingreſſus ſit perfectus, quæ enim ingreſſum incæpit per vnum, vel alterum paſſum intra clauſuram non dicitur perfecte ingreſſa, ſi ſtatim retrocedat ſine mora, & feſtinanter, excommunicatio enim eſt pœna grauiſſima, ſupponens peccatum mortale, veriſimile autem non eſt ſummum Pontificem ita ingredientem velle peccare mortaliter, & incurrere tam grauiſſimam pœnam pro tam leui transgreſſione, neque enim pœna commenſuraretur culpæ, ſed hoc magis infra probabo de egreſſu monialium, ſub num. 67. Requiritur ſecundo, quod domus, ſeu monaſterium, quod mulier ingreditur, ſit ſubiectum clauſuræ, aliter ingreſſa euadit

20 pœnas, cognoſcitur autem monaſterium non eſſe ſuppoſitum clauſuræ, quando mulieres coram omnibus, & paſſim ingrediuntur de die, ſuperioribus non contradicentibus, & in multis locis primum clauſtrum non videtur ſubiectum clauſuræ, quod cognoſcitur ex ſepulturis mortuorum, vel quia ibi adeſt aliqua capella, ad quam etiam fœminæ accedunt audiendi cauſa miſſas. Item monaſterium in fieri non eſt ſubie-

21 ctum clauſuræ, eo quod tunc nec clauſuram habeat materialem, *Coriolan. caſu 3. de noct. egreſſ. n. 17. referendo ita cenſuiſſe S. C. Portel. v. Monaſterium in Addit. num. 1.*

22 Requiritur tertio, quod ingreſſus fuerit temerarius ex verbis Bullæ ibi: *Ne dictas domos, & monaſteria ingredi audeant*, quod verbum idem importat ac verbum præſumo, *Portel. part. 2. caſu 27. in fine* audacia autem importat temeritatem, *Gloſ. v. eod. l. Si quis in tantam C. Vnde vi, Quare neceſſe*, quod mulier ſciat adeſſe hanc pœnam, & ea non obſtante ingrediatur, *Bonac. q. 5. de Clauſ. p. 3. propoſ. 1 in fine. Sanch. lib. 6. cap. 17 num. 33. per dicta à ſe praeced. cap. 16. n. 82.*

23 Excuſantur vero mulieres ingredientes ex cauſa licita, vt videre eſt in Bulla Pij V. incip. *Decet Romanum*, apud Confect. pag. 218. vbi plures refert cauſas pias licite ingrediēdi, illis verbis. *Nec intelligimus, quod mulieribus praecluderetur, nec praecludatur aditus ad monaſteria, & loca regularia dicta Congregationis, ac eorum clauſtra, quando in eis miſſa, & alia diuina officia celebrantur, ac dum proceſſiones fiunt, & quando Chriſti fidelium cadauera ibi ſepeliuntur, ac etiam pro eis ſuffragia fiunt, ſed libere perpetuo concedimus eiſdem omnibus mulieribus facultatem, vt ad illa loca dicta congregationis, in quibus dicta opera exercentur cum aliis catolicis perſonis accedere libere, & licite poſſint, & valeant; & ſimiliter, quando diuinum verbum in clauſtris monaſteriorum, & regularium locorum Congregationis huiuſmodi proponitur, vel per aliam quamcumque cauſam tantus concurſus populi fuerit, quod commode ingredi non poſſint, & egredi per portam Eccleſiæ perpetuo concedimus, vt dictæ mulieres vna cum aliis ſecularibus perſonis poſſint ingredi, & egredi per portam clauſtri monaſteriorum, & locorum regularium congregationis huiuſmodi, dummodo recto tramite accedant ad portam, qua exitur è monaſterio* Hæc ibi Pius V. in fauorem Congregationis Montis Virginis, ſunt tamen communia omnibus regularium monaſteriis, ex communicatione priuilegiorum. Mulieres igitur vt excuſentur ab ea cenſura debent recto tramite ſimul cum ſecularibus aliis pertranſire non diuertendo ad alia loca, aut cameras, non totum illum diem, quo pium opus ſit, ſed ſolum pro illa hora, qua celebratur, prædicatur, vel fit proceſſio, nec ante, nec poſt, moraliter tamen ſemper loquendo, vt clare conſtat ex allato contextu verborum. Vide de his caſibus *Sanch. l. 6. c. 17. q. 3. à n. 22 Coriol. dicto caſu 2. n. 21. Nald. Clauſura 3. Compend. reſol. 27. nu. 3. Portel. v. Clauſura n. 5.*

24 Nonnulla dubiola diſtincte proponenda, & reſoluenda ſuper incurſu dictæ excommunicationis afficiētes mulieres ingredientes. Primum. An liceat intuitu proceſſionis præciſe, vt mulier aliquis videat clauſtrum? Secundum, an ingredi poſſint ad diſputationes, vel ſpirituales repræſentationes? Tertium, an mulier medica ad medendum infirmo? Quartum, an pia opera, de quibus ibi ſint alia ab expreſſis, & quid per diuina officia? Quintum, an ingrediens eo tempore licito, ſed ad malum finem, vt e.g. adeat cameram alicuius religioſi, vel vt cum ipſo loquatur, &c. Sextum,

an ante, & poſt finitum opus pium, teneantur ſtatim, & incontinenti recedere? Septimum, an illæ religiones, quæ ex Regula, vel conſtitutionibus, habent prohibitionem admittendi fœminas ad ſua clauſtra, gaudeant huiuſmodi priuilegio? Octauum, an abſcondens fœminam mortem euidentem fugientem cum eadem euadat pœnas? Nonum, an puellæ ingredi poſſint, & introducentes excuſentur. Decimum an Imperatrix, & Regina ſubdantur illis pœnis, ſi ingrediantur? Vndecimum, an ingredientes Sacriſtiam, ſeu chorum excuſentur?

25 Primo dico non licere inſtitutionem proceſſionis, vel alterius actus pij, quia hic finis curioſitatis malus eſt, non tamen puto inſtituentem, & mulieres etiam ſcientes ingredientes affici pœnis, quia exercitium huiuſmodi ſpirituale proceſſionis, &c. ſufficienter ſaluat ab illis pœnis mulieres ingredientes, non enim hoc pium opus minoris eſt efficaciæ, quam ſi inſtitutum fuiſſet optimo fine, præter quam quod intentio ſuperioris ſiue ſit praua, ſiue bona non eſt illa, quæ habet excuſare à licito vel illicito ingreſſu, ſed illud pium opus de ſe ſpectatum iure priuilegij diſpoſitum ad hunc effectum, vt mulierem ingredientem tempore ſpiritualis exercitij nulla afficiat pœna. *Ita docet Cerio. cit. caſu.3.num.22. ex eo Bonac. de clauſ. q.5.p.fin. num.14* contra Sanch. *lib 6. cap.17. num.23. Rodr. tom. 1. quæſt. 48. art 3. Sorbum v. Ingreſſus. Compend. reſol.27. num.4. Portellus vero v. Clauſura Monach. in Addit. §. Sexto.* impugnat rationes Rodr. quæ defenduntur ab eodem Compend. numer. 5. vide eoſdem, & ſufficiat ratio à nobis adducta de actuali exercitio pio de ſe ſaluante ab incurſu pœnarum, immo adde eam intentionem prælatum poſſe etiam habere in proceſſionibus ordinariis, & tamen adhuc ipſe excuſabitur à pœnis, quod ſignum eſt, huiuſmodi intentionem eſſe quid extraneum ad pœnas prælibatas.

26 Secundo dico, mulieres non poſſe ingredi tempore diſputationum, nec repræſentationum, quia hæc non exprimuntur in Bulla, neq; ſunt opera pia, *Sanchez lib. 6. cap. 17. numer. 27. & faciunt, quæ dico infra §. Quarto.*

27 Tertio dico, poſita neceſſitate, *de qua Rodr. tom. 1. q. 46. art. 7. Sorbus v. Ingreſſus num. 6. & ex eis Sanch. lib. 6. cap. 17. num. 30.* vbi eam neceſſitatem eſſe potius Metaphyſicam, quam practicam, mulierem medicum ingredi poſſe, ſicut & tempore peſtis, ſi vir non adeſſet ſeruitio infirmorum.

28 Quarto dico, Papa in ea Bulla per, *pia opera*, intelligit ea opera, quæ ordinantur ad animam, & non alia, niſi ſuperius expreſſa, vt aperte colligitur ex illa dictione, *Dicta*, quæ repetit omnia præcedentia ſuperius dicta cum omnibus ſuis qualitatibus, *Roland. lib. 3. conſil.56. num 26. Rota Romana in Nouiſſ. vol. 2. deciſ. 507. num. 4. & docet Barboſa dict. 87. num. 1.* cum ergo ibi non ſit ſermo ſimpliciter de operibus pijs, ſed de illis tantum, de quibus ſupra dictum fuerat, ideo veniunt tantum ibidem expreſſa, quæ ſunt miſſarum celebratio, & diuinorum officiorum, proceſſiones, exequiæ defunctorum, & horum ſuffragia, hæc ergo ibi repetuntur per illam dictionem *dicta opera pia*.

29 Nomine diuinorum officiorum veniunt non ſolum Miſſa, de qua ibi expreſſe, verum etiam quæcumq; alia officia, quæ fieri poſſunt à perſonis Eccleſiaſticis ad hoc deputatis, ſeu conſecratis, conſequenter officia diuina dicuntur non ſolum adminiſtratio ſacramentorum, ſed etiam recitatio publica horarum canonicarum, cum adnexis officijs Defunctorum, Pſalmorum gradualium, & Pœnitentialium iuxta ordinem Breuiarij, item ſacramentalia, vt benedictio nuptiarum, benedictio templi, vaſorum ſacrorum, corporalium, veſtium ſacerdotalium, candelarum in die Purificationis, Ramorum in dominica Palmarum, ſolemnis benedictio aquæ in ſabbato ſancto; Aſperges ſolemne die dominico, benedictio Epiſcopi, proceſſio ſolemnis, recitatio lytaniarum cum ſolemnitate Crucis, & ſuperpellicei, collatio primæ tonſuræ. Hæc enim omnia veniunt ſub nomine diuinorum officiorum, & ſicut prohibentur tempore interdicti, ita cenſetur concedi in dicta Bulla ingreſſus mulierum in clauſtra virorum, vbi hæc, & quando celebrantur, & non alias, de receptione habitus, & emiſſione profeſſionis, de lotione pedum, *Sorb. & Rodr. cum Sanch. lib. 6. cap. 17. d. 25. Bonac. quæſt. 5. de clauſ. part. 4. numer. 7. ad finem.*

30 Quinto, ingrediens mulier tempore permiſſo, ſed ad malum finem, peccat quidem iuxta finem ſibi propoſitum, non tamen incurrit eas pœnas, quia ingreſſus ex ſe non prohibetur eo tempore, ergo non ligatur pœna excommunicationis, quæ infligitur ſolum contra ingredientes extra illud tempus.

31 Sexto, finito opere pio habent mulieres ſtatim recedere, quod intellige moraliter, ſi enim aliqua mulier poſt finitam concionem, vel miſſam adhuc diceret duo Pater noſter, & vltima eſſet, non eſſet damnanda, licet neque laudanda, recedat ergo cum aliis licet vltima. Idem dic de ingreſſu, nam ſi accedit cum aliis ſecularibus nondum cœpta miſſa, aut concio, non peccat, modo tẽpus notabile non anticipet, in quo nullus ſecularis adhuc ibi ſit, ſeruare enim debet mulier hanc regulam, vt cum aliis ſecularibus ingrediatur, & egrediatur, vt expreſſe dicitur in ea Bulla, illis verbis. *Vna cum aliis ſecularibus perſonis poſſint ingredi, & egredi.* Vide Rodr. *tom.1. q 48. art. 2. fine, Sanch. lib. 6. cap.17. n.29. Bonac. q.5. p. fin. n.15. qui n.16.* ait excuſari mulieres ingreſſas ex iuſta cauſa etiamſi ad vlteriora loca progrediantur, ob rationem illam, quia excommunicatio lata eſt contra ingredientes ex præſumptione; fœmina autem licite ingreſſa iam non dicitur ingredi, ſed in loco ingreſſo immorari, vel illum percurrere, & cum eo ſentit Sanch. cit. ob moram in aliis locis, vbi pia opera peraguntur, non contrahi excommunicationem à mulieribus. Sed audiendi non ſunt, quia ex allatis verbis Pij V. clarum eſt, fœminas debere ingredi, & egredi, ſed etiam de egreſſu, & recto tramite, quæ actionis excludunt moram, & alia loca in quibus pia opera non exercentur.

32 Septimo, hoc priuilegium habet locum reſpectu cuiuſcumq; religionis, vt mulieres poſſint ingredi clauſuram tempore diuinorum officiorum ibidem celebratorum, licet religio habeat ſpeciale ſtatutum, ne mulieres vllo modo admittantur intra clauſtra, quia Pius V. in ea Bulla derogat ſtatutis ſpecialibus regularium, niſi forſan excipiamus Cartuſienſes, qui nunquam ſolent admittere fœminas. Oppoſitum, nempe hoc priuilegium non fauere illis religionib. quæ habent ſpecialem prohibitionem ex ſuis regulis, vel ſtatutis admittendi fœminas, docent ex *Sanch. lib. 6. cap. 16. n.32. Paſſarel. in Com. priuileg. c. 9. Rodr. in ſum. c. 60. Bonac. q. fin. p.4. num.2.* probant, & quia tacitum eſt aliquid, quo expreſſo, Papa priuilegium non conceſſiſſet; & quia ſtatuta ſpecialia cum ſint ignota Papæ, illis non derogatur, niſi ex ſpeciali mentione de illis *cap. 1. de conſtit. in 6.* Quibus reſpondetur iam ante dictum priuilegium non ſolum peculiaribus ſtatutis ſingularum religionum, verum etiam alia Bulla, de qua ſupra, eiuſdem Pontificis, Interdictus fuerat mulieribus ingreſſus in monaſterio virorum, conſequenter id tanquam ius commune ſciebatur à ſummo Pontifice, quia Papa non præſumitur ignorare, quod ab omnibus regularibus ſeruatur, vt mulieres non admittantur intra clauſtra, nec dici ſpeciale ſtatutum iuxta cap. citatum, quod in omnibus religionibus reperitur, aliter fruſtratorium eſſet illud priuilegium, immo non videtur priuilegium ſimpliciter, ſed declaratio iuris, quod religioſi ante habebant admittendi mulieres intra clauſtra tempore diuinorum officiorum, quod certum ſignum eſt videre in eorum primis clauſtris quamplures ſepulturas, & capellas ad celebrandum.

Octauo,

33 Octauo, fœmina, quæ aliter mortem præsentem fugere non potest, nisi ingrediendo clausuram, non peccat, nec incurrit pœnam excommunicationis ipsa, neq; illam religiosus admittens, quia illius ingressus non est temerarius, sed necessarius ad mortem euitandam, *Coriol. casu 3. n. 20. Idem.*

34 Nono, quamuis puellæ infra septennium imò decennium, aut etiam infra pubertatem, & mulieres fatuæ non ligentur peccato mortali, & præcipue pœna excommunicationis, non dicuntur habere plenum vsum liberi arbitrij necessarium ad peccandum mortaliter, & fatuæ omnino carent, si ingrediantur monasteria virorum, vt docent Lainas de puellis cuiuscumque ætatis, Sorbus excludit puellas nondum nubiles, alij comprehendunt, *Vide Sanch. l. 6. c. 17. nu 3. & 4.* Nihilominus eas introducentes, vel admittentes religiosi incidunt, quia finis Bullæ Pij V. est ad euitandam occasionem peccati luxuriæ, quod præbent non solum mulieres adultæ, sed etiam puellæ, & fatuæ, nec obstat quod Papa vtatur verbo *Mulieres* quod ea communi vsu importat fœminam adultam, nam etiam sumi potest pro fœmineo sexu cuiuslibet ætatis, nimirum pro impubere *l. Argento, §. Mulieri ff. de auro, & arg. l.* interdum pro virgine, ibi: *Mulier Ecce filius tuus id est*, Virgo, sumitur ergo pro fœmina cuiuslibet ætatis, & conditionis maxime in casu præsenti, nam in Bulla sunt verba vniuersalissima, & multum prægnantia ibi: *Omnes, & quascunque mulieres.* Dictio enim *Omnis* ita vniuersalis est, vt comprehendat ea, quæ alias non comprehenderentur, *Barbosa dict. 241. numer. 6.* Altera verò dictio cum in plus se habeat, & generalius significet, secundum Doctores ab eodem relatos *dict. 317. numer. 15.* consequens est dicere sub illis verbis comprehendi qualcumque fœminas cuiuscumque ætatis in ordine tamen ad regulares introducentes, vel admittentes, ipsas verò puellas non comprehendi in quantum non habent perfectum vsum liberi arbitrij ad peccandum mortaliter, neque proinde ad incursum excommunicationis. Quare dicerem ea parte religiosorum admissionem puellæ etiam sex annorum inducere excommunicationem, quia etiam in illa ætate potest ad libidinem excitari religiosus, & audaciori libertate, quam respectu alterius fœminæ habentis vsum rationis, vt iterum dico infra quæstione sexta, respectu monialium n. 75.

35 Decimo, Imperatrix, & Reginæ illi Bullæ non subduntur, quæ propter excellentiam sui nominis, quod est elegantissimum, nunquam comprehensæ censentur sub dispositionibus odiosis, nisi in illis exprimantur. *Ita Rodr tom 1. q. 48. art. 1. cum suo Compend. resol. 27. nu. 2. Sanch. lib. 6. capit. 17. num. 5.* quod extendit ad earum filias.

36 Vndecimo, mulieres possunt ingredi chorum Ecclesiæ vnitum, & pariter sacristiam, quando ad hæc aditus patet per ipsam Ecclesiam, sine transitu per claustra iuxta quod dixi supra sub numer. 7. & 8. quia hæc duo loca, non sunt de clausura, sed de Ecclesiæ ratione, cum fiat pro seruitio Ecclesiæ, non autem pro monasterio, vt clarum est, neque dicuntur officinæ conuentus. Ita de vtroque docet *Bonac. qu. 5. de clauf. p. 1. num 2. & 4.* vbi limitat sacristiam comprehendi sub clausura, quando præter portam ad Ecclesiam, habet aliam ianuam ad claustra, vt hic Parmæ est sacristia S. Francisci, S. Dominici, S. Rochi, & in multis aliis locis, addit rationem, quia tunc est pars monasterij; ego dico, quod etiam tunc est pars Ecclesiæ, cum per secundam portam ad claustrum non perdat suum vsum, quod est inseruire Ecclesiæ, non monasterio, sacristia enim denominatur à rebus sacris ipsius Ecclesię, cui inseruit, non à seruitute per aditum in monasterium, ergo porta ad claustrum non potest illi auferre intrinsecam, vt ita dicam, seruitutem respectu Ecclesiæ. Demum *ex cap. Exiit de verbis signif.* sub nomine monasterij, in quo prohibetur mulieribus ingressus veniunt claustrum, dormitorium, & officinæ interiores, ergo excluditur sacristia, quæ nullum ex prædictis est. Oppositum sentiunt fere omnes *cum Sanch lib. 6 capit. 17. num. 17.* ea ratione, quod sacristia medio pariete ab Ecclesia disiuncta non sit pars Ecclesiæ, sicut sunt capellæ, quæ illo communi muro carent; esto sacristia non esset pars Ecclesiæ, est tamen in gratiam ipsius Ecclesiæ, ac quasi eius pedisequa, consequenter gaudens illius priuilegiis, vt supra dictum fuit. Ipse tamen Sanchez, & Coriolanus mulierem ingredientem non damnarent illis pœnis, cum res huiusmodi sit controuersa. Certum verò est, sacristiam esse intra claustra, per quæ ad eam transitur, consequenter ad eam mulieres accedere non posse, vt docent omnes. Sacristia mei conuentus, quæ immediate non habet portam ab Ecclesia ad se, sed mediat quid breue spatium, ex approbato vsu non continetur intra clausuram, sed ad eam fit aditus mulieribus, sicut ad chorum, imò mulieres à porta chori versus sacristiam transeunt ad hortum, cum per illum situm nulla appareat forma clausuræ, licet prope sint cameræ ad habitandum.

37 Duodecimo, religiosi siue superiores, siue subditi præsumentes introducere, vel admittere mulieres, siue prætendentes se habere licentias, & facultates ingrediendi clausuram virorum, siue non, duas pœnas incurrunt, primo priuationem officiorum, quæ in præsentia obtinent, cum inhabilitate ad illa in posterum, & ad alia omnia; secundo suspensionem à diuinis ipso facto sine alia declaratione, ita ea Bulla Regularium personarum Pij V. apud Confect. pag. 214. Superiores verò officiales, vt dixi, permittentes, vel facientes ingredi claustra sua, domos, & monasteria prætextu facultatum præcise ipso iure sunt excommunicati, & incurrunt priuationem dignitatum, beneficiorum, & officiorum suorum, ac inhabilitatem ad illa, & alia in posterum obtinenda, ex Bulla Gregorij XIII. incip. *Vbi gratiæ*, ex eodem Confect. pag. 237. prout dixi *Resolution. 119. quæstione 24. 26. & 27.*

38 Nonnulla dubia proponenda, & resoluenda sunt. Primum, quid importent illa verba *Introducere, admittereue* In Bulla Pij V. & illa: *Ingredi faciant, vel permittant*, in Bulla Gregorij? Secundum, an ad incurrendas dictas pœnas respectu Bullæ Gregorij requiratur præsumptio, sicut in ea Pij V. exprimitur? Tertium, quid nomine *officiorum* apud Pium, quid verò nominib. *dignitatum, beneficiorũ, & officiorum* ea Gregorio? Quartum, an introducentes in alienum monasterium incurrant illas pœnas? Quintum, quid importet suspensio à diuinis? Sextum, an directæ pœnæ requirant ad sui executionem iudicis sententiam? Septimum, an in omnibus illis casibus, in quibus mulier introducta excusatur, excusentur etiam religiosi introducentes? Octauum, an introducentes in monasteria statum monialium incurrant illas pœnas? Nonum, an consulens ingressum subdatur illis pœnis? Decimum, an mulierem iam introductam, seu admissam alloquens, vel quid simile, aut turpe faciens incurrat has pœnas? Vndecimum, quid veniat nomine *Conuentus* in Bulla Gregorij?

39 Primum resoluitur dicendo verbum *Introducere* importare actionem, per quam mulier conducitur intra clausurã ab aliquo religioso, introducere enim significat *menar dentro, ouer accompagnar dentro*, quod contingit apertione ianuæ ad hunc effectum, vel iam aperta, mulierem comitari, vel ostendere locum, ad quem transire habet. Qui autem casu, & non ad hunc finem ianuam aperit, ignorans mulierem velle ingredi, modo illam non comitetur non dicitur illam introducere. Verbum vero *admittere* importat excipere, seu approbare ingressum mulierum, sicuti cum religiosi nouitios admittunt ad profitendum dicuntur illos approbare idoneos ad profitendum.

Excipere

Excipere autem fœminam, seu illius ingressum approbare contingit associari illa ingredientem, vel iam ingressam, eum ea colloqui, morari, seu eam retinere intra claustra, aut non impedire ingressum, vel, iam ingressam non excludere à monasterio, 40 Ita docent *Rodriq. & Sorbus, quos pro se citat Sanch. lib. 6. c. 16. nu. 95.* Non puto tamen comprehendi mandantes, aut consulentes alicui fœminæ ingressum in monasterium virorum, quia aliud est mandare, & consulere, aliud vero introducere, seu admittere, quæ contingere possunt sine consilio, & mandato, quæ semper præcedunt actum introductionis, & admissionis, & certa regula datur, vt censura lata contra committentes non afficiat mandantes, & consulentes, quando non exprimuntur in casu autem præsenti non exprimuntur, ergo neque comprehenduntur. Procedit hoc respectu Bullæ Pij V. nam respectu Bullæ Gregorianæ puto comprehendi mandantes, vel consulentes ingressum, propter illa verba. *Ne ingredi faciant, vel permittant.* si enim non debent permittere ingressum, sed illum prohibere, à fortiori neque directe, neque indirecte aliquid efficere non debent, ex quo sequatur illorum causa ingressus, debent ergo religiosi impedire ingressum, ergo illum mandare, neque consulere possunt. Impedire autem ingressum non spectat ad omnes indifferenter, sed ad illos, quibus ex officio incumbit, quando commode possunt, consequenter soli superiores, & portinarij deputati ex solo consilio, seu mandato effectu sequuto, licet abfuerint tempore ingressus, incurrunt pœnas ex Bulla Gregoriana. *Vide Sanch. lib. 6. cap. 17. num.* 87. 93. *&* 94. aliter ex parte sentientem.

41 Secundum, transgressores Bullæ Pij V. excusantur, si laborent ignorantia etiam crassa, non vero respectu Gregorianæ, quia in hoc nulla fit mentio præsumptionis, aut audaciæ, seu temeritatis, excusantur tamen, si laborent ignorantia culpabili, modo non sit crassa. Ita sentit *Sanch. lib. 6. c. 16. n. 82.*

42 Tertium nomine officiorum, dignitatum, & beneficiorum veniunt officia habentia adiunctam superioritatem, vt sunt prælati tam maiores, quam minores, & locales, item Visitatores, & Commissarij, *vt docet Sanch. lib. 6. c. 15. n. 66. quod in simili declarauit Sixtus V. constit. incip. Ad Romanum, apud Quar. v. Monasteria, pag. 298. Bonac. q. 1. de claus. p. 4. n. 6.*

43 Quartum, introducentes mulieres in alienum monasterium non subduntur illis pœnis, quia ad ea, quæ raro accidunt, lex non se extendit, ex vulgatis iuribus raro autem, & fere nunquam religiosi vnius ordinis manent cum religiosis alterius ordinis, immo id prohibetur, ergo motus tã Pij V. quã Gregorij ad hunc casum non extenditur, maxime huius Pontificis, cuius Bulla comprehendit solum superiores, nullus autem dicitur superior, neque officialis est in aliena domo, præterquamquod adest particula, *loca sua*, quæ importat ingressum in propria monasteria, vel sibi subiecta, & non in aliena, nomen enim, *Suus*, denotat possessionem, & proprietatem rei eius, de quo sermo est, *Bald. in l. 1. ff. de statu homin. & alij cum Barbosa dict. 397. n. 2.*

44 Quintum, Suspensi sunt à diuinis religiosi tam superiores, quam subditi quouis prætextu, immo simpliciter introducentes, vel admittentes intra claustra 45 mulieres ex Pio V. Suspensio autem à diuinis est priuatio exercitij officiorum spectantium ad septem ordines Ecclesiasticos, & ad horas canonicas, vt docet *Rodr. tom. 1. q. 20. art. 14.* suspensus ergo hoc modo nullum sui ordinis actum exercere poterit, baptizando solemniter, confirmando, celebrando, absoluendo, benedicendo solemniter, cantando epistolam solemniter, euangelium, benedicendo mensæ, exercendo officium parochi, item recitando horas canonicas solemniter cum aliis faciendo hebdomadarium, Dixi solemniter, quia baptizando in necessitate, cantando epistolam sine manipulo, & interessendo in choro cantando ac si tunc esset laicus. vti hi faciunt, non transgreditur suspensionem hanc à diuinis, quæ in suspenso prohibet illorum exercitium ex officio, & solemniter. *Diana part. 3. resolut. 12. de Suspens. ex Filiucio tract. 17. tom. 1. cap. 1. num. 33.* Neque etiam prohibetur à receptione sacramentorum, quia receptio non est actio, & exercitium alicuius diuini officij, sed passio, & participatio sacramentorum passiua; ex eodem *Rodr. Portel. v. Suspensio num. 5. Bariola v. suspensio, pag. 304. Lupus de casibus Bergom. part. 1. dist. 15. diff. 2. art. 2. num. 5. &* 6. quo multa alia refert, quæ tamen non comprehenduntur sub hac suspensione, eo quod non dicuntur officia diuina saltem actiue, vt passiua participatio sacramentorum; item recitatio in choro Responsoriorum, & Litaniarum, quæ duo etiam per laicos præstantur. Item negat posse excommunicare, & beneficia conferre, quæ dependent magis à iurisdictione, quam ab officio, *cap. Transmissam, de elect. Glos. v. Ecclesiastica cap. 3. de off. ordin.* cum hæc fieri 46 possint ab initiato solum prima tonsura. *Scrofa in sins solut. moral. lib. q. 5. num.* 1. dicit suspensum à diuinis non posse eligere, quia suspensus à diuinis est suspensus ab omni officio clericali secundum *Felin. in cap. Apostolica, de except.* & vnum ex clericalibus est, secundum *Panor. in cap. Cum super, de consi.* Sed non placet, quia datio vocis non dependet ab aliquo ordine, vel officio diuino, maxime apud regulares, sed à professione, nam etiam laici professi dant vocem in capitulis conuentualibus, qui tamen nullum habent ordinem ergo suspensus à diuinis non prohibetur suffragari. Faciunt quæ dixi *resol. 61. num. 19.*

47 Sextum. Pœnæ in prædictis Bullis expressæ priuationis officiorum, & inhabilitas ad illa per transgressionem statim non incurruntur, consequenter religiosi non tenentur sua dimittere officia, seu alia in futurum respuere, sed requiritur ad hæc sententia iudicis per quam declaretur, illos in crimen introductionis, vel admissionis mulierum intra claustra sua, quod maxime procedit in abdicatione officij, quod aliquam actionem requirit, quam contra se nemo tenetur exercere, cum sufficiat, si illam patiatur; neque quis tenetur se declarare inhabilem ad futura officia, sed id est munus iudicis. Dixi, officiorum, 48 quia excommunicatio secum trahit executionem, *capitul. Pastoralis 53. §. Verum, de appellat.* Si docet *Sanch. lib. 6. c. 15. n. 65. Bonac. q. 1. p. 4. n. 7.* ait priuationem inhabilitatis statim incurri, quia hæc non requirit actionem hominis, sed stemus cum Sanchez ad releuandum conscientias hominum, ob rationes ab illo adductas, præterquam quod inhabilitas videtur 49 pœna semper accessoria, & consequens ad priuationem officij, ad quod, & ad alia transgressor inhabilitatur, ergo consequens est, vt sequatur conditionem pœnæ priuatiuæ officij, quæ non incurritur nisi post 50 sententiam declaratoriam criminis. Et quod inhabilitas non incurratur ante declaratoriam est opinio probabilis ipsius *Sanchez loco citato, & lib. 2. cap. 39. num. 32. Molina tom. 1. tract. 2. disp. 96. §. Quod attinet, eiusdem Sanch. lib. 7. disp. 23. numero. 1. Nauar. de Datis notab. 31. num. 44. Martini, Ledesma, Villalob. & Portel. v. Inhabilitas numero 3. quos citat, sed non sequitur Diana part.* 51 *4. resol. 26. tract. 4. Miscell.* Quod de excommunicatione dictum fuit intellige de suspensione, quæ cum cæteris censuris pari passu currit, *ex Rodr. & Surdo Sanchez. lib. 6, cap. 17. num. 40.* nisi velimus dicere ibi sumi per modum puræ pœnæ, quod tamen nõ auderem asserere, cũ suspẽsio sub illis verbis concepta simpliciter cẽsura sit, nõ pura pœna, de quare alibi.

52 Septimum, non pari passu currunt religiosi introducentes, & mulieres introductæ, nam accidere potest,

poteſt, quod mulieres introductæ non peccent, vt ſi ſint puellæ, vel fatuæ, vel aliæ bona fide ingredientes, vt dixi ſupra ſub n. 34. Religioſi introducentes ſint in mala fide mulierem adultarum, vel etiam puellarum, & fatuarum, conſequenter hi pœnas incurrunt non verò mulieres, vt ibi dixi.

53 Octauum, patet ſupra, religioſos introducentes in propria monaſteria, vbi ipſi habitant, vel in propria monialium ſibi ſubiectarum permittentes ſuperiores ingreſſum incurrere eas pœnas. *Vide ſub numer.* 43. *&* 44.

54 Nonum, de conſulentibus ingreſſum dixi ſupra ſub *n.* 40.

55 Decimum, pariter de mulieribus iam ab alio introductis conſtat ſupra ſub *n.* 39. eum eis colloquens cenſeri admittere, conſequenter incurrere pœnas; quod ſi cum illis non colloquuntur, neque comitantur, licet non expellant religioſi priuati, ad quos id munus non ſpectat, excuſantur ab illis pœnis, quia non dicuntur introducere, neque admittere ex Bulla Pij V. contra Bullam verò Gregorij non faciunt, quia eſt contra ſuperiores, & officiales.

56 Vndecimum, nomine *Conuentus*, de quo in Bulla Gregorij, venit ſecundum *Rode. tom.* 1. *quaſtione* 47. *art.* 3. Superior cum ſuis conſiliariis approbantibus ingreſſum virtute facultatis, quam mulier dicitur habere. *Sanchez verò lib.* 6. *capitul.* 16. *numer.* 85. putat nomine conuentus venire omnes de conuentu ſimul congregati ad hunc effectum admittendi mulierem intra clauſtra; excuſat vero ſub *numer.* 86. conſulentes priuatim ſuperiorem, quando conuentum non congregat ad hoc negotium, ſed à ſingulis ſeorſim conſilium petit, quum non habeat tunc ratio conuentus, eo quod ſimul non conueniunt ad negotium tractandum.

Quæres 2. An prædictæ quatuor pœnæ Excommunicationis, Suſpenſionis à diuinis, priuationis officiorũ, & inhabilitationis ſtatim incurrantur à violatoribus clauſuræ virorum, & ſint reſeruatæ: & an prælati regulares ab illis abſoluere poſſint?

57 Reſpond. Pœnæ prædictæ incurruntur ipſo facto, excommunicatio quidem reſeruata à mulieribus ingredi audentibus clauſtra virorum ſecundum Bullam Pij V. quouis prætextu ingrediantur; altera pariter reſeruata ex Gregorio tam mulieribus ingredientibus clauſuram virorum, quam viris clauſuram monialium, prætextu alicuius licentiæ, & non ſimpliciter, vt bene *Megal. lib.* 4. *de cenſ. cap.* 3. *num.* 11. Quam eamdem excommunicationem Gregorij incurrunt ſuperiores cum ſuis conſiliariis admittentes, vel permittentes ingreſſum in propria monaſteria, vel ſuarum monialium, quam pœnam etiam Abbatiſſæ incurrunt. Suſpenſio à diuinis incurritur à quibuſuis religioſis introducentibus, vel admittentibus mulieres quouis prætextu, etiam ſine prætextu licentiæ ex Pio V. de reſeruatione nulla fit mentio. Priuatio officiorum, & Inhabilitatis pœna ex Pio V. incurritur ipſo iure, de reſeruatione tamen nulla fit mentio in dicta Bulla, neque in illa Gregorij. Itaque meo iudicio nulla ex illis pœnis reſeruata eſt reſpectu regularium, ſola excommunicatio reſpectu ſecularium vtrobique.

Probatur, quod nulla illarum pœnarum ſit reſeruata reſpectu regularium, quia dum de illis diſponitur contra religioſos nulla fit mentio reſeruationis, ſicut fit, quando agitur contra ſeculares tam viros, quam mulieres, ergo ſignum eſt reſpectu regularium illas pœnas non eſſe reſeruatas, conſequenter prælatis regularibus conceſſam eſſe facultatem ab illis abſoluendi, *arg. capit. Nuper de ſent. excom.* Videntur duo obſtare, primo, quia clauſula in diſpoſitione poſita, ſiue in principio, vt in caſu noſtro reſeruatio ponitur in principio, ſiue in medio, ſiue in fine, refertur ad omnia, *capit. Secundo requiris* 41. *de appell.* ergo clauſula reſeruationis comprehendit eaſdem pœnas reſpectu regularium; ſecundo, quia in Bulla Gregorij adeſt huiuſmodi particula *ſub eadem excommunicationis pœna*, excommunicatio autem præcedens reſeruatur, ergo & hæc, aliter non eſſent ambæ eædem, particula enim *Eadem* denotat, & repetit qualitates in præcedenti diſpoſitione expreſſas, vt ex Doctoribus allegatis tradit *Barboſa dict.* 143. *numero primo.* Sed illis reſpondetur generaliter locum non habere, quando ſequitur dictio aduerſatiua *verò* quæ in vtroque loco exprimitur, deinde primum axioma habet locum, quando clauſula non eſt oneroſa, vt hic, cum reſeruatio ſit odioſa confeſſariis, & pœnitentibus, tunc enim reſpicit ſolum terminum, cui adiicitur, *ex c. Cum dilect. de donat.* Particula *eadem* refert Identitatem, ſubſtantiam, & exiſtentiam rei, *Gloſ. in l. Cum hi §. Si vni, de tranſact. Gratus conſil.* 9. *num.* 88. conſequenter in caſu noſtro repetit ſubſtantiam excommunicationis, non reſeruationem, quæ illius qualitas eſt.

58

59

60

61 Circa abſolutionem ab excommunicatione, & à ſuſpenſione, & à reliquis pœnis in ſententia aliorum, *Rodr. tom.* 1. *q* 24. *art.* 17. *cum ſuo Compend. reſol.* 27. *nu.* 6. *pro vtroque foro, Bonac q* 2. *de clauſ. p.* 5. *nu.* 3. *qui num.* 5. Ait poſſe ſuperiores diſpenſare in illis pœnis, quod delictum eſt occultum, & fundatur in priuilegio Tridentini, & Bulla quadam Pij V. ſed dic tu, prælatos maiores in illis pœnis abſoluere, & diſpenſare poſſe ſuos religioſos, licet delictum ſit publicum, & deductum ad forum contentioſum, pro ſolo tamen foro conſcientiæ, vt alibi docui. *Vide Dianam reſol.* 66. *de dubiis regul. Sanch. lib.* 6. *cap.* 17. *numer.* 41. Mulieres verò à ſolis Epiſcopis abſolui poſſunt virtute priuilegij Tridentini, quando delictum non eſt deductum ad forum contentioſum. Regulares verò nullam habent ſuper hoc caſu facultatem, neque ipſæ mulieres, omnibus ſublatis per Decretum S. C. de caſibus reſeruatis, vbi in terminis exprimitur caſus violationis clauſuræ monialium ad malum finem, ergo ſi qua violauerit clauſuram virorum non comprehenduntur ſub his decretis de reſeruatione, & in rigore verborum, & diſpoſitionis id bene infertur, nihilominus, quia huiuſmodi priuilegia fauore ſecularium videntur in dies deficere, ideo abdicamus hanc facultatem à regularibus confeſſariis.

Colligitur ex hactenus dictis, religioſos ſiue ſuperiores, ſiue priuatos mulieres introducentes, vel admittentes temerarie intra ſua clauſtra incurrere ſuſpenſionem à diuinis, & priuationem officiorum cum inhabilitate ſiue ſine facultate, ſiue cum facultate illas introducentes, ex Bulla Pij V. Superiores verò, cum ſuis officialibus ad hoc conſiliarij conuentualiter congregatos ad hunc effectum prætextu licentiarum ingreſſum mulieribus in clauſura virorum, vel etiam virorum intra clauſtra ſuarum monialium permittentes incurrere excommunicationem, & priuationem beneficiorum cum inhabilitate ex Bulla Gregorij.

62 Reſtant duo dubia, vnum, An conuerſi introducentes incurrant aliquam pœnam; An non ſuperiores præter pœnam ſuſpenſionis, incurrant inhabilitatem ad officia in poſterum, tam reſpectu Bullæ Pianæ, quam Gregorianæ?

Primo dicitur, conuerſos nullas incurrere pœnas ex ibi expreſſis, ratio manifeſta eſt, quia non ſunt capaces ſuſpenſionis, cum non ſint clerici; neque priuari poſſũt officiis, neque inhabilitari, quia ex conditione ſui ſtatus ſunt inhabiles, & carent officiis, ergo nullam omnino pœnam incurrunt; neque voce priuantur, quia hæc pœna in ea Bulla non exprimitur.

63 Secundo, religioſi priuati pœnam inhabilitatis ibi expreſſam non incurrunt, quia hæc pœna non ſolet in Bullis exprimi per ſe, ſed ſemper conſequenter ad priuationem officiorum, reſpectu quorum & aliorum

inhabilitas

inhabilitas suum obtinet effectum dependenter à pœna priuationis, quare cum religiosus priuatus non dicatur incurrere priuationem officiorum, cum illis careat, & priuatio supponat habitum, sequitur neque posse incurrere inhabilitatem, quæ semper sequitur, vt quid accessorium ad priuationem. Et faciunt, quæ dixi supra sub num. 49.

Quæres 3. Quale peccatum, & censuras incurrant moniales clausuram violantes per egressum è suis monasteriis?

64 Respond. Moniales temerariè egredientes clausuram præter peccatum mortale, incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam.

Primum de peccato mortali constat ex eo, quod huiusmodi egressus multum est periculosus, & eorum statui virginitatis admodum perniciosus, præterquamquod egressus è monasterio non fit sine pœna excommunicationis, quæ supponit, actum illicitum, propter quem incurritur, semper esse peccatum mortale. Confirmatur, quia strictissimè præcipitur obseruari à Bonifacio VIII. cap. Vn. de statu regul. in 6. Et Eugen. IV. apud Confect. pag. 36. Bulla incip. *Ordinis tui*, ad finem, disponit violationem Clausuræ per moniales Sanctæ Claræ esse peccatum mortale, & nostris temporibus non est dubitandum ea Bulla Pij V. incip. *Circa pastoralis*, apud Confect. pag. 215. ex quibus apertè colligitur eius transgressionem temerariam sine dubio esse mortale peccatum.

65 Originem clausuræ monialium ex prædictis traxit apud Moniales S. Claræ, postmodo iure communi inducta fuit à Bonifacio VIII. confirmata à Concil. Tridentino sess. 25. cap. 5. *Nau. tom. 2. com. 4. de Regular. Mirand. de sacris monialib. quæst. 1. art. 5. Rodr. tom. 1. quæst. 44. art. 1. & 2. & alij communiter, quos citat Barbosa ad cap. 5. prætactatam Tridentini.*

66 Secundum de excommunicatione exprimitur in Bulla Pij V. incip. *Decori, & honestati*, apud Quaranta pag. 329. illis verbis. *Aliter autem, quam, vt præfertur egredientes, seu licentiam exeundi quomodocumque concedentes, necnon comitantes, ac illarum receptatrices personas siue laicas, aut seculares, vel Ecclesiasticas consanguineas, vel non, excommunicationis maioris latæ sententiæ vinculo statim eo ipso absque alia declaratione subiacere, à quo præter quam à Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolui nequeant.* Et easdem moniales egressas idem Pontifex ibidem priuat dignitatibus, officiis, & administrationibus per eas obtentis, & inhabilitat illas ad obtenta, & alia obtinenda in posterum. Aliæ pœnæ ibi exprimuntur contra concedentes illis egressum sine causa.

Ad incurrendam eam excommunicationem requiritur, quod egressio fiat sine legitima causa, nam legitimè egrediens cum debita licentia euadit excommunicationem, & alias pœnas supradictas, quæ supponit egressionem esse culpam mortalem.

Nonnulla dubia sunt resoluenda. I. an modica egressio per vnum, vel alterum passum inducat eas pœnas? II. An egressus super regulas? III. An dicatur egressa monialis, quæ se posuit in rota? (eo tempore, quo dubium hoc fuit excitatum, vel rota erat grandis nimium, vel monialis staturæ pusillæ) IV. An in aliquo casu repentino egrediens sine licentia frangat clausuram.

67 Primo, modica egressio excusat ab illis pœnis, propter rationes adductas supra sub num. 19. *Ita Graff. de casib. reseru. lib. 1. cap. 5. num. 45. Nald. v. Clausura num. 4. ex Bonac. q. 1. p. 4. num.* 2. qui asserit monialem frangere clausuram, quia clausura certis terminis definitur, hos autem tam excedit ea, quæ longè à monasterio recedit, quam quæ ad duos pedes egreditur, cum quo *Sanch. lib. 6. cap. 16. num. 70. in fine, & Diana resolut. 52. de regul. & resol. 22 de paruitate mater. Portel. v. Clausura monialium num. 25. eam Comitale.* Sed sistemus in resolutis, & probatur, Tum quia licet clausura habeat suos limites determinatos, non tamen valet inferri egressionem contiguam limitibus factam cum subita reuersione intra clausuram non posse dici modicam, & consequenter excusare à dictis pœnis, quia modicitas egressionis non tam desumitur à recessu ab illis terminis, quam à breuissimo itinere, & spatio temporis interposito, cum motus egressionis quippe successiuus secundum Philosophos mensurandus sit per spatium, & tempus, quæ duo sicut sunt breuissima in casu hoc, ita & egressionem specificant in genere modicitatis. Tum quia tempore modico durans dicitur non fuisse, *cap. Nam & ego 3. de verb. signif. ibi Glos. fin.* alia adducens iura, ergo monialis ita egrediens reputatur non egressa. Tum quia egressio monialis è monasterio æquiparatur fugæ; sed illa non censetur fuga, cui fugiens vnum, vel alterum gradum adiecit. *l. quis sit fugitiuus 17. ff. de edil. edic.* & qui in fuga est videtur esse in loco, à quo recessit, *l. Huiusmodi 86. §. Legatum est ff. de legat. 1. l. Sera. 80. ff de legat. 3.* ergo Monialis sic egrediens quasi in fuga violatione clausuræ per vnum, vel alterum gradum non peccat mortaliter, neque proinde incurrit eas pœnas. Hinc deducitur responsio ad 3. dubium, monialem existentem in Rota 68 non dici esse extra clausuram, vel quia non est extra limites clausuræ, vel quia est ad plus imperfecta egressio, sed potius quid medium, ita sentiunt *Bonac. quæst. 1. de Claus. pag. 8. numer. 7. & cum eo Diana resol. cit. 52. de regul. contra Comitulam, & Portellum citatam* asserentes frangere clausuram monialem existentem in rota ex parte externa vbi datur aditus ad loquendum, ea ratione, quia hæc accessit ad locum, ad quem seculares accedunt, quod expressè prohibetur à Gregorio XIII. Sed hæc ratio inanis est, cum seculares accedentes extra ad moniales, non se immittunt in rotam, vt moniales alloquantur, sed ad rotam, extra quam monialis non est, sed intra ipsam rotam, consequenter intra clausuram, & Gregorius prohibet ingressum secularibus intra claustra, non ad claustra exterius. Patet etiam resolutio alterius dubioli de 69 moniali stante cum vna parte corporis, siue sit caput, siue pedes, extra clausuram, & cum alia intra clausuram, ponendo seipsam in medio ostij, vel alibi, non frangere mortaliter clausuram, ob eandem rationem, & quia, qui in ostio censetur esse in domo, ex iis, quæ refert *Sanch. lib. 6. cap. 16. q. 70.*

70 Secundo monialis ascendens super regulas cooperientes totum situm clausuræ, non extendens se, seu non gradiens extra situm clausuræ, non dicitur clausura egredi, consequenter non afficitur prædictis pœnis. *Ita Lopez de Texeda, quem pro se citat Diana part. 5. tract. 13. Miscell. 1. resol.* 88.

Tertium supra resolutum manet sub n. 68. Monialem nimirum in rota positam quoquo versum non frangere clausuram.

71 Quarto in aliquo casu necessitatis euidentis, si non potest peti, vel expectari licentia, monialis egrediens ad tuendam propriam vitam, quam aliter conseruare non potest, non dicitur violare clausuram, cum talis exitus sit licitus, & lex in eo casu locum non habeat, quia lex necessitati subiecta non est, debet tamen postea notum facere suum egressum superiori. *Ita docet Rodr. tom. 1. q. 49. art. 2. cum alijs, Sanchez lib. 6 cap. 15. num. 62.*

Quæres 4. In quibus casibus liceat monialibus exitus è monasterio, sine violatione clausuræ.

72 Respond. Pius V. citata Bulla, *Decori, & honestati*, apud Quar. pag. 329. tres assignat casus his verbis. *Nisi ex causa magni incendij, vel infirmitatis lepræ, aut epidimiæ.* Causa autem infirmitatis probanda est in scriptis non solum à suis superioribus, quibus cura monasteriorum incumbit, verum etiam ab ordinario loci, vt ibidem dicitur. De his tribus causis vide *Sanch. lib. 6. cap. 15. quæst. 4. à numer. 31. Rodr. tom. 3. q. 31.*

quæſt. 35, art. 1. Bonac. de clauſ. quæſt. 1. p. 9. Lezana tom. 1. cap. 25. à numer. 20. Compend. reſol. 98. numer. 19. Barboſa ad cap. 5. Trident. ſeſſ. 25. numero 25.

73 An autem in aliis caſibus vrgentibus, vt belli, vt quia prope monaſterium volunt ſtatuere corpus militum, vt aiunt, vel Lazaretum pro peſte infectis, poſſint moniales exire? Reſpondent affirmatiue in ſimilibus caſibus, aut vrgentioribus poſſe moniales exire, *Nauar. tom. 2. com. 4. de regul. numer. 48. Rodr. tom. 1. quæſt. 34. art. 4. Sanch. lib. 6. cap. 15. num. 37. & plures alij, quos citat Barboſa ad dictum cap. 5. ſeſſ. 25. num 26. contra multos alios doctores citatos ad eodem numer. 27.* Vnde poſſe exire tempore belli, & ſe recipere in locum tutum, docent *Nau. loco cit numer 48. Bonac. q. 1. quæſt. 1. p. 9. num. 9. cum alijs apud dictum Barboſam num. 28.* & hoc apud me certiſſimum eſt, quia milites magis peſtiferi ſunt ipſa peſte, inſolentiores ipſa inſolentia, nulli parcunt, neque ſacris, ignorant interdictum naturale de non furando, quod vitium cum eo luxuriæ adeo familiare eſt, vt illos ego putem peſſimam gentem, Deo, & hominibus odibilem.

Quæres 5. An de licentia ingreſſus monaſterium monialium pro aliquo ſeruitio, ſi eo finito multum moretur ibi, dicatur clauſuram violare?

74 Reſpond. Non, quia non violatur niſi, quando quis ingreditur ſine legitima licentia, ita docent *Sanch. lib. 6. cap. 16. num. 69. Zerola v. Moniales q. 8. & cum eis Diana reſol. 67. de regul. & tom. 4. tract. item 4. reſol. 90. vbi citat Bartolam v. Monialis contra Naldum v. Monialis 13. Bonac quæſt. 4. de clauſ. p 4. num. 22.* qui volunt peccare mortaliter, & pœnas incurrere, ſi ibi multum moretur, ſeu cum malo fine.

Quæres 6. An moniales recipientes pueros, vel puellas intra clauſuram ſine licentia peccent, & incurrant aliquas pœnas? Vide ſub n. 34.

75 Reſpond. Communiſſima opinio eſt, moniales intro recipientes pueros, aut puellas nondum doli capaces, hoc eſt infra ſeptennium, nullam incurrere culpam, aut pœnam, quia ceſſant omnes rationes, quibus carrancis interdictus fuit ingreſſus in clauſtrum monialium, ſic docent *Rodr. tom. 1. quæſt. 46. art. 1. cum ſuo Compend. reſol. 26. num. 7 Mirand. tom. 2. quæſt. 2. art. 1. Suar. Riccius, Barboſa, Azor. Lamas, & plures apud Bonac. q. 4. p. 1. n. 5. reſpondentem obiectis, Barboſa ad cap. 5. Trident. ſeſſ. 25. n. 55. Becan. cap. 36. de ſacram. q. 5. Lezana tom. 1. cap. 25. num. 24. alios citat Diana reſol. 77. de regul. contra Naldum v. Clauſura num. 4. cum Vgol. Comitulo, & Fuſeo*, & rationem multum conſiderabilem reddit, quia etiam cum huiuſmodi pueris præſertim maſculis poſſunt quandoque moniales, & liberius commiſceri nimis impudice; nec valet dicere, quo non magis peccat introducens monialis, quam puer introductus, qui peccare non poteſt ea carentia vſus rationis, quia illud falſum eſt, & excluſio virorum cuiuſcumque ætatis etiam infantiæ introducta fuit fauore religionis, & virginitatis monialium, vt omnibus omnino occaſionibus remotis, poſſent ſtare promiſſis per ſuam virginitatem Deo oblatam, ad cuius conſeruationem potiſſimum, & neceſſariſſimum medium eſt virorum etiam infantium excluſio à conſortio monialium, quæ multum excitari poſſunt ad libidinem oſculando, & tangendo libere abſque innata verecundia ipſos Infantes. Non valet ergo adductum argumentum, non peccant infantes, ergo neque moniales, ob allatam rationem, & quia certum eſt non peccare adultos fatuos ob carentiam vſus rationis, & tamen moniales introducentes non excuſantur à peccato, & pœnis.

Quæres 7. Quas pœnas incurrant ingredientes monaſteria monialium tam perſonæ priuatæ, quam ſuperiores ingredientes, & permittentes alijs ingreſſum?

76 Reſpond. Quæcumque perſonæ audentes ingredi clauſuram monialium ſine neceſſitate, & licentia ſuperiorum, ſunt ipſo facto excommunicatæ ex Tridentino *ſeſſ. 25. cap. 5.* & aliam contrahunt reſeruatam, ſi audeant ingredi prætextu facultatum latam à Gregorio XIII. Bulla incip. *Vbi gratia*, quam extendit Confect. pag. 237. & Quarant. pag. 327. illa vero Tridentini non eſt reſeruata. Superiores vero ingredi facientes, vel ingreſſum permittentes incurrunt excommunicationem, priuationem officiorum, atque inhabilitatem ad illa, & alia obtinenda; immo omnes, quicumque illi ſint, prætextu licentiarum Epiſcopi, vel ſuperioris in caſibus neceſſarijs concedendarum ab ipſis, pro libito, & ſine neceſſitate præſumentes ingredi, & moniales admittere incurrunt eaſdem pœnas ſupradictas dicti Gregorij iuxta dicta Reſolut. 119. q. 24. ad 30. Et in alia Bulla incip. *Dubijs*, eiuſdem Gregorij apud Confect. pag. 241. Quar. pag. 325. Prælati ingredi audentes monaſteria monialium ſine requiſitis conditionibus, ſi fuerint præditi pontificali dignitate prima vice incurrunt interdictum ab ingreſſu Eccleſiæ, pro ſecunda à munere pontificali, & ſuſpenſionem à diuinis, alijs vero vicibus excommunicationem. Regulares vero ſuperiores excommunicati, & priuati omni officio, & miniſterio, nulla tamen fit mentio reſeruationis in ea Bulla. *Vide Sanch. lib. 6. cap. 16. à n. 71. Mirand. q. 2. de monial. Lezana tom. 1. cap. 25. n. 27.* 77

Quæres 8. An Epiſcopus poſſit dare licentiam vxoratæ, vt ad vitandum periculum vitæ intret clauſuram monialium?

78 Reſpond. Non, quia alia vi mulier fugere poteſt mortem, & conſeruare ſibi vitam, Ita decretum referunt *Portel v. Clauſura monial. n. 2. Compend. reſol. 26. n. 15 Diana reſol. 130. de regular. contra Azor. 2. 1. l. 13. cap. 8. q. 4.*

Quæres 9. An licentia ingrediendi clauſuram monialium in ſcriptis neceſſario danda ſit ad euitandum peccatum, & pœnas cenſurarum?

79 Reſpond. Qui legitime intra clauſuram monialium intrat de licentia ore tenus obtenta à ſuperiore non peccat, conſequenter neque pœnas incurrit non ſolum in foro interiori, ſed etiam externo, quando probatur licentia ore tenus conceſſa, ratio eſt, quia licentia in ſcriptis obtinenda iuxta cap. 5. ſeſſ. 25. præſcribitur ad euitandos ingreſſus illicitos pro foro exteriori, vnde quando conſtat de iuſto ingreſſu lex locum non habet, cum non ſit poſita iuſto. Ita docent *Mirand. de quæſtio. 3. de monial. articulo 2. fine. Homob. part. 2. caſib. reſeru. caſu 5. Bellochius part. 2. Theolog. moral. q. 9. num. 162. quibus adhæret Diana reſol. 129. de regul. cum Compend. reſol. 26. num. 8.* aſſerentibus in caſibus ordinarijs medici, & aliorum operariorum, & famulorum ordinariorum ſufficere licentiam generalem pro occurrentibus caſibus dictorum officialium.

Quæres 10. An ſufficiat licentia Epiſcopi, vel etiam ſimul requiratur licentia ſuperioris regularis tam pro ingreſſu ſecularium in clauſuram monialium, quam pro egreſſu illarum in caſibus neceſſarijs?

80 Reſpond. Ad egreſſum monialis in caſibus licitis requiritur communis licentia prælati regularis, & Epiſcopi loci; ad ingreſſum vero ſecularium in caſibus licitis olim ſufficiebat licentia prælati regularis, nunc vero neceſſaria eſt communis licentia vtriuſque ſuperioris.

Primam & ſecundam de communi licentia ſuadetur ex eo, quod in cap. *vn. de* ſtatu regular. in Bulla Pij V. incip. *Circa paſtoralis.* apud Confect. pag. 215. in Bulla Gregorij incip. *Vbi gratia*, apud eumdem pag. 237. & in Tridentino capitulo 5. ſeſſ. 25. vtriſque prælatis commendatur clauſura monialium, vt omnino ſuper illum ſedulo inuigilent, ergo licentia egrediendi vel ingrediendi ab vtriſque danda eſt. Ita docent *Campanilis Rubr. 12. cap. 16. num. 22. prope finem, Armendar. cum alijs apud Barboſam ad dictum c. n. 45. contra Nauar. conſil. 6. de ſtatu mon. & comment. 4.*

de regul. num. 60. *Rodr. q.* 49. *art.* 6. censentes moniales exire in casibus licitis cum sola licentia suorum superiorum, & sic practicari in Hispania docent *Azor. Cruz. Mirand. q.* 3. *de monial. art.* 6. *concl.* 1. *Sanch. lib.* 6. *cap.* 15. *num.* 28. *citatos ab eodem Barbosa num.* 46. Sed reuera respectu monialium exeuntium in Tridentino loco citato requiritur Episcopi licentia, non tamen excluditur licentia superioris regularis; nec quis dicat, eam Episcopi licentiam locum habere in monialibus subiectis de se eidem Episcopo, quia superius mentio habetur de exemptis, & non exemptis.

81 Dixi, olim ingressum in casibus licitum intra monasteria monialium concessum fuisse secularibus à solis superioribus regularibus, quod excitato capite Trident. & Bulla cit. *Vbi gratia:* colligitur ex dictione, *Vel*, quæ denotat licentiam particularem, & non communem, neque copulatiuam. Nostris tamen temporibus in vtroque casu tam egressus monialium, quam ingressus aliorum requiritur communis licentia Episcopi, & prælati regularis, quia ita seruatur in praxi, immo seculares non possunt alloqui moniales regularium, nisi habeant licentiam Episcopalem in scriptis, aliter alloquentes inuenti à satellitibus in carceres Episcopales conijciuntur, ergo multo minus ingredi sine eius licentia.

Quæres 11. An quilibet conuentus, seu hospitium regularium virorum sit de iure subiectum clausuræ, ita quod mulieres ingredientes in illa incurrant pænas, de quibus supra suis locis, quamuis in eorum locis non sint religiosi multi, sed tantum vnus, vel tres, aut quatuor?

82 Respond. Soli conuentus formales dicuntur subiecti clausuræ, ita quod ad illos prohibetur ingressus mulierum, quod suadetur, Tum ex capitulo Peruenit 20. 18. quæst. 2. ibi: *Vt neque mulieres in mona-*

83 *sterio tuo deinceps qualibet occasione permittas accedere*; hospitia autem, & domus, seu grangiæ etiam habentes capellam non sunt monasteria, vt de hospitio, quæ non veniat sub nomine monasterij,

84 *docet Riccius decis.* 652. *apud Bariolam pag.* 264. *v. Regulares*. Tum quia in prædictis Bullis Pij V. & Gregor. XIII. exprimuntur domus, & monasteria regularium, ergo non veniunt hospitia, & grangiæ Tum quia conuentus ille vocatur, in quo superior, & fratres morantur, licet obseruantia non adsit regularis, *Rota Roman. in Nouiss. vol.* 1. *decis.* 208. Quare cum sub nomine conuentus non veniat iste, qui est in fieri, non subdetur istæ clausuræ, vt dixi supra num. 21. cum

85 *Portello v. Monasterium in Addit. cum Corsolano casu* 3. *num.* 17. vbi idem affirmat de domibus, & infirmarijs, idem dic de domibus rusticis, & alijs locis separatis à claustris *Bonac. quæst.* 5. *de Clauf. p.* 2. *num.* 2. *Nald. v. Clausura num.* 1. Idem ego dico de quibusdam conuentibus paruis, vbi adest vnus, vel duo religiosi tantum, licet per *Glos. Vbi Congregatio cap.* 1. 10. *q.* 1. Conuentus fiat ex duobus, vel tribus religiosis.

Quæres 12. In quodam conuentu, qui carebat parietibus tantum clausus sæpibus, patebat aditus mulieribus ad claustrum primum, non autem ad officinas, ac per circuitum muri effectum fuerit illud claustrum clausura, eo sensu, quod mulieres non possint amplius in illud ingredi?

86 Respond. Adhuc remanere clausuram materialem, cum non sit magis clausura per commutationem sæpium in parietem, quam antea, & sic illa prior non afficiebat religiosos, neque mulieres, ita neque post constructionem parietum, cum tantum materialiter clausura mutata fuerit, quod non sufficit, ad hoc vt inducta censeatur clausura legaliter, & formaliter, quoad exclusionem mulierum, sed requiritur noua declaratio, quod deinceps prohibeatur fæminis ingressus, ita quod, si nihil aliud determinetur, poterunt mulieres prosequi ingressum, sicut antea faciebant.

Quæres 13. Ad quos spectet determinare clausuram, vbi esse non reperitur, vel declarare talem partem monasterij esse, vel non esse sub clausura formali excludente ingressum mulierum?

87 Respond. Quo ad moniales spectat simul ad Episcopum, & superiorem regularem, vt colligitur *ex cap. Vnico de statu regular. & ex Trident. cap.* 5. *sess.* 25. *vt docet ex Confectio in tit. de monialib. cap.* 4. *pag.* 450. *Nald. verb. Clausura num.* 1. Ex quibus deducitur in monasterijs regularium clausuram determinare, ampliare, seu restringere, & dubiam declarare spectare ad superiores regulares, vt colligitur ex prædictis.

88 Nomine horum superiorum veniunt potius superiores maiores Generales, & Prouinciales, quia negotium hoc non est leuis considerationis, & in illius dispositione non est procedendum ore tenus, sed in scriptis omnia sunt redigenda, & religiosis declaranda, vt sciant, quid sibi sit agendum, & totum determinatum in libris monasterij registrandum est ad perpetuam rei memoriam, & inanes puto certas determinationes, quas nonnulli superiores ore tenus faciunt, vt dicitur, de ambulando.

Quæres 14. Princeps laicus mandauit, vt caperetur quidam religiosus, qui vt fugeret eius manus, se recepit intra clausuram monialium non habens aliud securius refugium, & ibi remansit aliquot dies, monialib. ignorantibus illius ingressum, excepta ianitoria, quæ illum intra clausuram recepit, & abscondit in particulari loco separato à consortio monialium. An religiosus ingressus, & portinaria illum admittens incurrerint pænas ingredientium, & admittentium intra clausuram?

89 Respond. Neque venialiter ambo peccauerunt, consequenter nec pænas incurrerunt, quæ supponunt peccatum mortale etiam ex temeritate, & audacia commissum, vt colligitur ex Bullis pontificijs superius relatis, quæ vtuntur particulis. *Præsumant*, *audeant*, quæ important dolum, & malitiam, sed religiosus ingressus fuit, vt propriam vitam tueretur ab iniqua persequutione laicæ potestatis, & portinaria illum sic receptum defendit ab iniquitate illorum, qui nullum ius habebant capiendi religiosum, quamuis aliàs esset culpabilis, quia ad laicos non spectat capere, & corrigere religiosum, sed ad suos superiores. Necesse autem est, vt satellites illum actu persequantur, & alia ratione non possit se defendere ab illorum manibus, vt proponitur in casu.

RESOLVTIO LXXVII.

Miscellanea.

SVMMARIVM.

1 *Iuspatronatus transfertur in religionem.*
2 *Nisi illi renunciatum fuerit.*
3 *Theatinus non transfert illum.*
4 *Votum religionis ingrediendæ tantum.*
5 *Votum religionis fit vel in communi, vel in specie.*
6 *Votum religionis in communi expetitur in omnibus.*
7 *Votum religionis in specie etiã exequitur reiectus liber.*
8 *Votum hoc directum ad vtrumque æque obligat.*
9 *In dubio resolui potest in minus.*
10 *Votum in dubio obligat ad minus.*
11 *Inquirere sufficit religiones propria vrbis.* 12.
13 *Accedendo solum ad superiores locales.*
14 *Votum ingrediendi non tenetur.*
15 *Mediorum, & finis eadem obligatio exponitur.*
16 *Oratorium dicitur ab orando duplex.*
17 *Oratorium publicum quid.*
18 *Oratorium quæ loca vocentur.*
19 *Ecclesiæ quæ loca dicantur.*
20 *Oratorium concessum religioni fit statim Ecclesia.*

21 *Parochus quandoque coniungit in matrimonium, &c.*
22 *Reus reſtituitur oratorio, à quo fuit extractus.*
23 *Vel alteri loco pio iuxta ſuum arbitrium.*
24 *Oratorium captum autoritate Epiſcopi gaudet immunitate.*
25 *Eccleſia exterius gaudet immunitate.*
26 *Capellanus celebrans ſine licentia Epiſcopi nullam incurrit pœnam.*
27 *Si obligatio eſt ante decreta de celebratione Miſſarum.*
28 *Suſpenſio contra innocentem nulla eſt.*
29 *Cenſuram ferens ſine ſcriptis ſuſpenſus ab ingreſſu, & diuinis.*
30 *Sententia in ſcriptis ferenda ſupponit proceſſum.*
31 *Martyrium in quo conſiſtat.*
32 *Martyr eſt necatus, quia noluit celebrare coram excommunicato.*
33 *Laicus non iudicat de peccatis.*
34 *Non poſſum inuitare Minimum paratum edere carnes.*
35 *Ego tamen poſſum comedere eas apud ipſum.*
36 *Prohibitus prædicare abſque benedictione Epiſcopi non fit irregularis, ſi hoc præſtet ſine ſolemnitate.*
37 *Opinio impreſſa non fit probabilior per hoc.*
38 *Librorum cenſores ſolum corrigunt errores contra fidem, & bonos mores.*
39 *Surdus in choro lucratur diſtributiones, ſed non ſatisfacit.*
40 *Reum recipere non tenentur intra Eccleſiam.*
41 *Proceſſio à laica poteſtate indici non poteſt.*
42 *Pœnitentia publica religioſis indiſcrete imponitur.*
43 *Religioſus non tenetur denuntiare equum ſecum conductum.*
44 *Negotiator non ſubijcitur gabellæ, niſi poſt trinam monitionem.*
45 *Satellites capientes equum prætextu gabellæ incidunt in pœnas iuris.*
46 *Deglutire relicta in ore non frangit ieiunium pro communione.*

Diuerſitas caſuum, qui quandoque occurrunt, quibus diſtinctis Reſolutionibus ſatisfieri non poteſt, in cauſa eſt proponendi hanc Miſcellaneam Reſolutionem.

Quæres igitur I. An pater N. clericus Theatinus profeſſus de licentia ſui præpoſiti etiam localis poſſit præſentare, & nominare N. ad beneficium perſonale eodem modo, & iure, quo poterat antequam eam religionem profiteretur? Videtur quod non, quia religioſi ſunt incapaces huiuſmodi iurium, & iuriſpatronatus, ſeu alterius cuiuſuis beneficij, ergo neque ad illud nominare, aliter poſſet nominare ſui ordinis religioſum.

Reſpond. Quamuis religioſus profeſſus, cuius religio eſt capax ſuccedendi iuria ſecum in religione transferat etiam hoc ius præſentandi, & nominandi ad beneficium patronale, dummodo ante profeſſionem illi expreſſe, vel tacite, & generaliter non renuntiauerit, clericus tamen Theatinus, de quo in quæſtione non tranſtulit illud ius ſecum in religione.

1 Primum de religioſo, cuius ordo eſt capax ſucceſſionis, ſecum transferente in religione hoc ius cum alijs, probatur, quia religio ſuccedit in omnia bona, & iura profeſſi, quæcumque illa ſint §. *Si quis autem Autent. de Monach. Auth. Ingreſſi C. de ſacroſ. Eccl. cap. Si qua 19. q. 3. ibi Gloſ. cap. Abbates 18. q. 2. Sanch. lib. 7. capitulo 12. per totum, ego reſol. 53. numero 93.* ergo etiam in iuſpatronatum. Ita docent *Gloſ. capitulo Beneficium, de regul. in 6. Addit. Rodr. tomo ſecundo quæſtione 122. articulo ſecundo, Sanch. lib. 7. cap. 14. num 2. alios citans.*

2 Secundum, modo non renuntiauerit, patet ex eo, quod regreſſus non datur ad id, quod renuntiatum fuit, *cap. Quam periculoſum 7. q. 1. per iura ibi allegata,* ſiquidem remittentibus actiones ſuas non eſt dandus regreſſus ad eas, *l. Quæritur §. Si venditor ff. de edil. edit.* Norent ingreſſuri ſe non prudenter agere renuntiando bonis, & iuribus ſuis, niſi id faciant ex inſtituto ordinis, in quem cupiunt ingredi, & id niſi cum magna cautione, & melius ſibi, & religioni conſulunt, ſi de ſuis bonis nihil diſponant, niſi vrgeat, vel ſaltem ſuadeat caritas, & pietas conſanguineorum. Et per renuntiationem factam de omnibus bonis, & iuribus tam paternis, quam maternis, non expreſſo iure patronatus in ſpecie puto patronale includi, cum clauſula huiuſmodi ſit vniuerſaliſſima.

3 Tertium de clerico Theatino in religionem ſecum non transferente iuſpatronatum, ac proinde neque poſſe nominare quemquam ad beneficium, probatur, quia in tantum nominare poteſt, in quantum ſecum tranſtulit ius beneficij, nominatio enim actus tranſiens fundatur in iurepatronatus; ſed iuſpatronatus ſecum non potuit transferre, neque religio in hoc ius, neque alia eius bona ſuccedere, eo quod hæc religio nihil proprij in communi habere, & retinere poteſt, vt conſtat, ex eorum conſtitutionibus, & inſinuat *Tamb. tom. 2. diſp. 24. quæſt. 4. numer. 83. §. Exempta,* ergo cum religio hæc ſit incapax ſucceſſionis permanentis, non poterit clericus profeſſus etiam de licentia ſui ſuperioris quemquam nominare ad illud beneficium.

Dices quamuis religio hæc ſponte nolit proprium in communi poſſidere, illius tamen incapax non eſt, quando vellet. 2. Actus nominationis eſt tranſitorius conſequenter nullam infert acquiſitionem, maxime cum nullum hic adſit proprium ius. 3. profeſſione nobilitas, neque nomen familiæ perditur, ſuper quibus fundatur iuſpatronatus, ergo neque ipſum ius nominandi.

Reſpond. Ad primum nihil probat argumentum, quia religio hactenus neque de iure, neque de facto aliquod ius ſibi retinuit; non enim probat hoc eſſe, quod contingit abeſſe, *argum. cap. in præſentia, de probat. Nau. conſ. 29. de regul. l. Neque natales C. de probat. l. Non hoc C. Vnde legitim.* Ad 2. dico illam nominationem ſupponere ius eligendi permanens, & vtrumque eſſe actum proprietaria factum ſine licentia ſuperioris; Theatini autem illud ius permanens ex ſuo inſtituto non habent, ergo neque nominationem exercere poſſunt, quæ in illo iure fundatur. Ad 3. quamuis nobilitas, & familia non perdatur, amittuntur tamen illis adhærentia, eo quod nobilitas in religione mortificatur. *Vide, quæ dixi de nobilitate reſol. 56. à numer. 23. ad 38.* quæ neque in præcedentia attenditur 65. numer. 112. mortificantur ergo illa duo in religione, in qua proprium in communi non retinetur; nec obſtat, quod iuſpatronatus fundetur in nobilitate, & familia, quia ex hoc non attingitur connaturalis connexio inſeparabilis à perſona qualibet de familia, cum conſtet ius accidere familiæ in genere, nominatio vero determinatæ perſonæ, quæ tamen ſe ponat in tali ſtatu, in quo ſecum non poſſit transferre illud ius fundamentum nominationis, nullius eſt valoris.

Quæres 2. An Petrus, qui vouit ingreſſum in religionem Mendicantium in genere non ſe applicando magis vni quam alteri, ſit liber à voto, ex eo quod non potuit perſeuerare ex impotentia inculpabili in vna ex illis, quæ eſt reformatiſſima, vnde de concilio medicorum ad ſaluandam corporalem vitam coactus fuit domum ſuam de bona licentia religioſorum reuerti? Suppono autem prædictum Petrum voluiſſe religionis ingreſſum non ſolum, vt probaret illius ſtatum verum etiam, vt in ea peracto nouitiatus anno, profiteretur; vt præfertur, vt ſolet fieri communiter, aliter ingrediens ſuæ ſatisfacit obligationi, ſi infra annum

4 in fine probationis recedat, quando vouit præcise ingressum excludendo perseuerantiam, quia votum non obligat vltra intentionem vouentis, *D. Thom. 2.2.q.189 art.4 Bonac. de voto, puncto v.§.6.n.22* Sed raro accidit huiusmodi votũ ingrediendi & perseuerã-

5 di in dubio præsumitur factum cum animo profitendi. Quo supposito Petri votum interpretari potest dupliciter, vno modo, quod primo & principaliter vouerit religionem mendicantium in genere, quod tunc censetur factum quando vouit nullo habito respectu ad hanc, vel illam, aut vouit non motus ab vna magis, quam alia religione, aut quia nulli in specie erat affectus; & quoniam quo ad voti executionem, de facto non datur huiusmodi religio in communi sed tantum in suis speciebus restricta e. g. S. Dominici, Francisci, Theatinorum, Seruorum, &c. ideo pro sui voti executione elegit vnam ex illis reformatiorem, & intrauit ordinem verbi gratia Capucinorum, à quo licentiatus fuit ex impotentia inculpabiliter. Et in hoc sensu suæ non satisfecit obligationi; quæ est ad religionem Mendicantem in genere, quod votum importat obligationem respectu omnium Mendican-

6 tium, quas omnes experiri habet, & si respectu omnium reperietur impotens incolpabiliter, liber omnino erit à voto, & hæc videtur mens D. Thomæ 2. 2. q. 88. art. 3. ad 3. illis verbis. *Et si quidem intentio sua fuit se obligare ad religionis ingressum principaliter, & ex consequenti elegit hanc religionem, vel hunc locum, quasi sibi magis congruentem, tenetur si non potest ibi recipi aliam religionem intrare.* Et cum ibi loquatur simpliciter de impossibilitate, consequenter tam religionis nolentis ex suo arbitrio, quam ex impotentia in-

7 gressi, applicatur eius responsio nostro casui. *D. Thomam sequuntur omnes cum Sanch. lib. 4. cap. 16. num. 28.* Secundo modo si Petrus primo, & principaliter vouit eam religionem, quam ingressus fuit ex motiuo non solum affectus, & deuotionis erga illam, verum etiam cum intentione desecendi mondum fallacem, & vt deuotius, & maiori spiritu Deo inseruiret, proinde in suo voto includendo religionem Mendicantem, in hoc posteriori casu Petrus ex sua impotentia inculpabili licentiatus, omnino remanet absolutus ab obligatione voti, cum illius executio facta sit impossibilis ex illo impedimento, quod iudicio medicorum, vt præfertur, est perpetuum; nec obstat adiunctum in genere religiosum votum, quia hoc cum dependeat à speciali voto talis ordinis regulandum est iuxta illius conditionem, cum illi sit accessorium, principali autem non teneute, neque illi accessorium obligabit, ex vulgatis iuribus, ex eodem D. Thom. ibidem illis verbis. *Si autem principaliter intendit se obligare ad hanc religionem, vel ad hunc locum propter specialem complacentiam huius religionis, vel loci, non tenetur aliam religionem intrare, si enim illi recipere nolunt.* Intellige etiam quando nolunt recipere ad professionem, postquam illum receperunt ad probationem, omnes cum eodem *apud Sanch. loco citato lib. 4. cap. 16. n. 28.*

8 Quod si æque principaliter votum suum dixerit ad vtrumque nimirum ad religionem Mendicantem in genere, & ad talem in specie, si non admittitur ad specialem, tenetur inquirere alias per ordinem, quia votum ad omnes se extendit; genus enim comprehendit omnes suas species, sic docent *Armilla Votum 18. Sotus libro septimo de iust. quæstione secunda articulo primo ad tertium cum Sanch. libro quarto capitulo decimo-sexto, numero vigesimo-nono.* Dico, per ordinem, quia cum votum sit de obiecto meliori, ratio suadet, vt ordinatim semper quærat reformationem.

9 In dubio autem an vouerit specialem religionem principaliter, secundo religionem in genere, vel è contra? Dico iudicandum esse fauore vouentis, vt ad minus obligetur, consequenter eius votum fuisse præcipue de tali religione, ac proinde si in ea non addmittatur inculpabiliter, remanere liberum à voto. Ratio est, quia ex communi doctorum votum

10 stricte interpretandum est, vt minus obliget, *Azor. libro vndecimo capitulo 20. quæstione prima Sanch. libro quarto, capitulo vndecimo, numero tertio. Bonac. quæstione secunda de voto, puncto sexto numero decimo, vnde cap. Ex parte decimo octauo de censibus dubius*, an ex voto debeat soluere mensuram maiorem, vel minorem, liberatur à voto soluendo minorem, ibi omnes doctores; sic dubius de calice aureo, an argenteo, satisfacit tradendo argenteum, *ex communi doctorum Bonac. cit. numero decimo octauo.* Ita in casu nostro resolui potest principaliter Petrum vouisse talem religionem, non vero etiam religionem, vt sic æque principaliter, consequenter ad alias quærendas amplius non teneri.

11 Sed quoniam intellexi consulentem habuisse intentionem in suo voto ad religiones reformatiores, quas explicauit esse sequentes nimirum ordines Discalceatorum, Carmelitarum, Capucinorum, Minorum de Obseruantia, Theatinorum, & Iesuitarum, ideo dico Petrum ex impotentia probata in religione Capucinorum ob austeritatem indumentorum & incessum nudis pedibus, liber legitime dimissus à Capucinis censetur etiam liberatus à Minoribus de Obseruantia, & à Discalceatis, cum eadem impedimenta probabiliter experturus sit in illis; ideo reliquæ duæ quærendæ sunt, & si dimittetur ab illis omnino liber erit à suo voto, adhibeat ergo eam diligentiam, vt securus sit in conscientia.

Sed nunquid sufficit inquirere apud Theatinos, & Iesuitas propriæ ciuitatis, ita quod si repulsam habeat ab illis sine sua culpa teneatur per alias ciuitates postulare ingressum? Certum est teneri solum à superioribus suæ ciuitatis, quando vlterius non se intendit obligare, cuius intentio colligitur ex aliquo speciali affectu ad conuentus suæ ciuitatis, vt si apud illorum religiosus conuersabatur. In dubio autem, quando in factione voti nihil considerauit de hoc, vel illo Collegio, seu conuentu variæ sunt responsiones, *quas vide apud Sanchez libro quarto capitulo 16. numero 41.*

12 Ego dico consulenti satis esse si quærat superiores illarum duarum religionum suæ Ciuitatis, *vt docet Toletus, & Philiarchus citati à Sanch. num. 46.* à quibus si repulsam habet, eo quod vel illum simpliciter nolunt recipere, vel quia sibi non placet, vt ingrediatur, vel allegando illum non posse alere, liber omnino est à voto, si vero respondeant pro nunc non posse, non liberatur, sed tempus opportunum expectare debet, quia votum non fuit factum impossibile ad sui exequutionem. Quod sufficiat adire superiorem proprij conuentus tantum, probatur, quia ex communi

13 vsu, & praxi vnusquisque quærit ingressum à superioribus localibus suæ ciuitatis. Tum quia in conuentibus non solent à superioribus recipi nisi patricij, & si quando accedunt aduenæ consilium eis datur, vt accedant ad monasteria propriæ patriæ. Tum quia aduenæ passim ab omnibus dimittuntur, cum illis incogniti sint. Tum id maxime procedit in conuentibus, in quibus vsitatur Filiatio, nam soli patricij recipiuntur, & non aduenæ.

14 Neque votum habens ingrediendi tenetur illud manifestare, quia ad id se non obligauit, sed solum ad ingressum, & licet eadem obligatio finis sit, & mediorum, tamen id intelligitur de medijs ordinarijs, non

15 extraordinarijs, quale est medium suum manifestandi votum, *sic docet Azor. lib. 11. cap. 12. q. 5. contra Caiet. 2. 2. quæst. 88. articulo 3. refert. Sanch. libro 4. capitulo 16. numero 54. sequens Azorium per alias rationes ibi adductas.*

Quæres 3. An oratorium donatum alicui religioni, in quo Fratres inhabitant conuentum habentes

tanteat

transeat in nomen Ecclesiæ; an vero semper retineat nomen Oratorij ex sua fundatione? Oratorium autem dicitur ab orando, & duplex est aliud priuatum

16 consistens intra domum alicuius personæ diuitis, accommodatum pro seruitio suæ familiæ spirituali, in quo celebrari potest alias de licentia Episcopi, *cap. Vnicuique 32. cap. Clericos 33. cap. Signis 34. dist. 1. de consecr.* modo de speciali licentia sedis tantum Apostolicæ, vt sæpius responsum fuisse testatur *Nald. v. Missa 31. Homoben. de statib. sum. vita part. 2. cap. 15. obligat. 4. refert Barbosa ad dictam sess. 22. nu. 17. cap. 8. vbi num. 25.* ait in eo loco Concilij mentionem esse de priuatis oratorijs tantum ex *S. C. & in suo Bull. v. oratorium, vbi ait decisum fuisse in vna Perusina 9. Decemb.* 1631. oratorium priuatum non gaudere immunitate Ecclesiastica. Et de his non est sermo in quæstione, sed de oratorio publico. Oratorium publicum

17 est in quo ad orandum, & audiendum missam omnes indifferenter admitti possunt, ex quo ad ipsa aditus omnibus patere debet per viam publicam, quæ debet esse fundatam autoritate Episcopi, & de licentia parochi absque eius præiudicio, & huius generis oratorium vocatur etiam capella, *cap. Concedimus 29. dist. 1. de consecr. iuncta glosa, & Peregrinus Theatin. de Immun. cap. 4. num. 63.* oratorium publicum vocat illud, quod habet campanam publicam, dic tu saltem in habitu, quia adest locus, vel signum, vbi inhærebat, nam quandoque milites furantur, &c. & ad illius sonum omnes fideles libere ad audiendam missam concurrere possunt; autoritate Episcopi consecratum habens altare, *ex Deciano tom. 2. Crimin. lib. 6. cap. 25. num. 29. Tusco lit. l. concl. 59. num. 24.* vbi testatur de communi; differt autem oratorium ab Ecclesia, quod illud non dotatur sicut Ecclesia, *cap. Nemo 8. dist. 1. de consecr. Remig. de Gonni de Immun. ampl. 2. num. 7. Mar. Italia de Immun. lib. 1. cap. 4. §. 4. num. 3. apud dictum Peregr. loco citato*, cum quibus asserit oratorium huius publicum gaudere immunitate Ecclesiæ de

18 communi omnium doctorum. Oratoria communiter vocantur ea quæ reguntur à Societatibus, vel dominis quibusdam, vel quæ carent iure sepulturæ. Ec-

19 clesiæ vero vocantur, quæ reguntur à Parochis, à collegiatis clericorum, vel à conuentualibus regularium.

20 Respond. ergo illud oratorium per transitum sub dominio regularium euadit, & vocatur proprie Ecclesia deinceps, nam ibi est collegium personarum Ecclesiasticarum, & ab illis gubernatur, habet campanile, & ius sepeliendi, consequenter proprie, & vere Ecclesia dicitur.

Quæres 4. An Parochus aduenam commorantem in sua Parochia coniungere possit eum puella suæ parochiæ in matrimonium visis testimonialibus literis autenticis, quibus legitime fides fit illum esse viduum, & consequenter capacem matrimonij? Modus difficultatis in eo consistit, quia extat Instructio pro examine illorum testium, qui inducuntur pro contrahendis matrimonijs tam in Curia Vrbis, quam aliorum ordinariorum faciendo ab Episcopo, vel eius Vicario. Modo in hac ciuitate N. nullus adest Episcopus, nullus extat Vicarius, qui possit testes examinare, neque literas testimoniales ordinarij aduenæ petentis administrari sibi sacramentum Matrimonij, neque in breui spectatur præsentia Episcopi, aut Vicarij, neque ab Episcopo absente haberi potest facultas ad examen. An in hoc casu Parochus certificatus nullum adesse impedimentum possit illos in matrimonium coniungere? Vel saltem sponsos cum sponsa sub alio prætextu vocantes Parochum, mutuo consensu inter eosdem habito vidente, sciente, sed repugnante curato, celebrent verum, & validum matrimonium?

21 Respond. Non potest Parochus coniungere prædictos in matrimonium, nisi prius literæ testimoniales examinatæ, & approbatæ fuerint in curia episcopali, aliter puniri potest; nec video necessitatem exsecutionis huius matrimonij, quod si allegetur aliqua vrgens, & probabilis necessitas, puto tunc posse Parochum visis literis autenticis illos in matrimonium coniungere, quia necessitas non est subiecta legi, & literæ testimoniales per examen curiæ non videntur acquirere maiorem fidem; quam si in eo casu examinentur ab ipsomet Parocho, cum fidem non ab illo examine, sed ab autenticatione facta ab Episcopo aduenæ recipiant, & per examinationem Episcopi loci, seu in casu necessitatis Parochi certa cognitio, & notitia habeatur prædictum aduenam sponsum esse liberum, & proxime aptum ad matrimonium contrahendum cum illa puella pariter libera. Stante ergo necessitate tam ex parte contrahentium, quam ex parte Vicarij Generalis, seu Episcopi, illius quidem non existentis, huius vero multum absentis, neque consensuri, Parochus potest visis literis autenticis illos coniungere in matrimonium. Quod si nolit, permissum videtur, posse vocari parochum, & testes, quamuis ex alia causa, & dolose, & sic coram ipsis audientibus, & intelligentibus ab vtrisque sponsis contrahi matrimonium, ratio est, quia tenet matrimonium contractum coram Parocho vocato per dolum, aut per metum licet inuitum, & contrariam habeat voluntatem, quia sufficit sola præsentia moralis, qua. s. intelligat, quod faciunt contrahentes matrimonium. *Sanchez libro tertio de matrim. disp. 39. numero octauo §. Cæterum*, qui obiectis respondet optime more suo, *Bonac. quæstione secunda de matrim. puncto, numero 20.*

Quæres 5. Petrus satellitibus persequentibus confugit ad Ecclesiam, seu oratorium cæptum ædificari autoritate Episcopi, in quod ingredi non potuit, quia eius ianuæ clausæ erant, vnde ab illis tentus, & ligatus coniectus fuit in carcerem, an restituendus illi sit oratorio, aut alteri Ecclesiæ, si illud oratorium gaudet immunitate? Pro satellitibus est; quia licet oratorium fiat, vt sit publicum, vt in eo ab omnibus missæ audiri possint, tamen & quia nondum est perfectum, & quia nondum benedictum, & quia in eo hactenus celebratum non fuit, cum ne altare constructum in eo, sed simplices, & nudi parietes solummodo illud rude constituant; & quia nullus antea sepultus fuit; neque aliquam habeat campanulam, videtur ex his nullo gaudere priuilegio immunitatis, consequenter extrahendus non est ex carceribus laicalibus, neque restituendus illi oratorio, cum sit destitutum iure immunitatis. Quibus tamen non obstantibus.

22 Respond. Petrus restituendus est illi oratorio, vel alteri Ecclesiæ, quam petierit. Illud probatur, quia extractus fuit à dicto oratorio, quod gaudet immunitate ex communi doct. *cum Remigio de Immun. Ampliat. 1. num. 6. & 2. num. 9. Silu. v. Immun. 1. num. 2. §. Tertium, Clarus lib. 5. q. 30. num. 7. Armilla v. Immun. num. 19. Tabien. v. Immun. numero 15. Bonac. de Immun. §. 2. numero 9. Panor. in capitul. fin. de censib. & ex illis Peregrin. cap. 4. de Immun. numero 62.* est communis opinio roborata per Greg. XIV. in sua Incip. *Cum alias*, ibi: *Extrahendos ab Ecclesijs, monasterijs, sacellis, domibus regularibus, & secularibus, locisue sacris, aut religiosis.* Oratoria enim sunt sacella, loca sacra, & religiosa in omnium sententia, cum sint ædificata ad cultum diuinum, ergo gaudent immunitate. Confirmatur, quia Ecclesiæ gaudent, vt certi iuris est, ergo & oratoria; quæ in fauorabilibus veniunt sub nomine Ecclesiæ, immo inuicem confunduntur, *cap. fin. de Immun. & dixi sub num. 16. & 17.*

23 Quod sit restituendus Ecclesiæ ab eo petendæ suadetur, quia non obstante iniusta carceratione captus adhuc sui iuris est, nec suam amisit libertatem, ergo potest petere restitutionem ad eam Ecclesiam sibi bene visam, quando iudex non vult dimittere ad eam

à qua abstractus fuit. Confirmatur, quia sicut antequam caperetur habebat ius confugiendi ad quascumque Ecclesias, ita & post iniustam carcerationem idem ius sibi conseruauit, non enim præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum; nec obstat semel electio facta de tali oratorio, quia adhuc transire potest ad aliam Ecclesiam, cum priuilegium hoc reale sit concessum omnibus Ecclesiis, & non personis ad eam confugientibus nisi secundario.

24 Ad obiecta pro satellitibus respondetur non obstare I. imperfecta fabricæ constructio, quia ad hoc vt Ecclesia, seu oratorium gaudeat ea immunitate, sufficit si sit cæptum construi autoritate Episcopi, sola enim autoritas Episcopi, & cæpta constructio ad cultum diuinum pro publica vtilitate operantur, vt ædificium pium gaudeat hac immunitate in omnium sententia citandorum infra, imperfecta ergo fabrica gaudet, quia habet omnia requisita, & in fauorabilibus cæptum habetur pro perfecto *arg. l. Qua ætate ff. de testam. Sic docent Panor. Host. Ioan.* Andr. Anchar. cum alijs quos refert Gabriel in suis commun. libro primo de præsumpt. conclusione 52. *quos retuli Resol.* 1. *numero secundo.* Non obstare II. carentiam benedictionis, seu consecrationis expresse, *cap. Ecclesia 9. de Immun. cum doctoribus, quos retuli loco citato.* Non obstare III. licet in eo celebratum non fuerit, neque ibi sit altare, ex frequentiori doctorum sententia docet Couar. libro tertio capitulo 20. numero quarto non obstante prædicto cap. Ecclesiæ, quia ibi pro ratione non adducitur, quod in ea celebrentur diuina officia, licet non consecrata sit, sed demonstratiue solum sumuntur ea verba, vnde ibi nomen Ecclesiæ simpliciter accipitur pro ea, quæ deputata est diuinis obsequijs, quod fit, quando fundatur autoritate Episcopi. Non obstare IIII. carentiam sepulturæ, quia aliter Ecclesiæ antiquitus, intra quas non sepeliebatur, cum esset prohibitum, *cap. Præcipiendum 13. quæstione secunda alia iura citat Lauor. tit. 2. de prisco, & recenti fun. capitulo quinto numero* 104. non gauisæ fuissent hoc priuilegio, quod tamen falsum omnino est. Non obstare V. carentiam campanæ, quia id extraneum est, & sicut non obstat carentia celebrationis, ex adductis, ita neque campanæ, quæ adhibetur ad conuocandum populum pro audienda missa. Quare concludendum est confugientem ad Ecclesiam, seu oratorium cæptum fabricari autoritate Episcopi gaudere immunitate licet locus careat prædictis omnibus, quæ non sunt necessaria ad illius constructionem, & substantiam tamquam extrinseca, & conditiones, sine quibus non completur secundum totum suum esse tam essentiale, quam perfectionale non necessarium pro immunitate.

25 Non solum corpus Ecclesiæ interius, verum etiam exterius per quadraginta passus circum circa, si Ecclesia sit matrix, si vero sit alia inferior, seu oratorium per triginta passus, illud *ex cap. Sicut antiquitus 17. q. 4. hoc ex cap. Definiuit, cap. Qui suus ead. Silu. Immun. 3. Oldrad. consil. 55. alijs cum Couar. lib. 2. cap. 20. num. 5.* intellige, quando Ecclesia circum circa non habet domum laicalem sibi cohærentem; quia eo casu domus laicalis non gaudet, immo neq; domus Ecclesiæ si habitetur à laicis. Hinc infertur satellites non posse extrahere equo insidentem capite adhærenti portis clausis Ecclesiæ, seu oratorij, quia præterquamquod dicitur esse in Ecclesia, nam portæ sunt de ratione Ecclesiæ, & qui est in porta censetur esse in domo, *Graff. de arbitr. lib. 2. cap. 4. vbi num. 1. de mente Bartoli* ait, quod quando aliquid fit in ostio clausoræ domus, intelligitur factum in domo, *per l. 1. §. Flumina ff. de vent. inspect.* saluatur ad minus immunitas ex parte passuum extra Ecclesiam numerandorum. *Ita Ioan. Igneus in l. 1. ff. ad Sylla. num. 57. quem citat Graff. part. 1. lib. 2. cap. 48. num. 6. alios citat Peregr. de Immun. cap. 4. num. 18. Couar. cit. num. 18. Suar. de relig. tom. 1. tract. 2. lib. 3. cap. 9. n. 8. Decian. tom. 2. Crimin. lib. 6. cap. 25. n. 37.*

Quæres 6. Quidam visitator missus ab Episcopo ad visitandam suam diæcesim ore tenus suspendit capellanum, eo quod sine licentia episcopali contra decreta de celebr. missar. assumpserat onus vnius missæ quotidianæ institutæ tamen ante annum 1623. quo illa decreta emanarunt, celebrandæ in oratorio N. Tria, inquam, quæres. I. An dictus Capellanus inciderit in aliquam pœnam iuris communis, aut synodalis? II. An valide suspensus fuerit ab officiali? III. An ipsemet Visitator ore tenus sine scriptis, & cognitione causæ per processum suspendendo dictum Capellanum aliquas possit incurrere pœnas?

26 Respond. Ad primum capellanus nullam incurrit pœnam, quia pœna iuris, seu statuti, vel synodi non asseritur, nisi in illis exprimatur, ex vulgaris iuribus, *Glos. v. Ex vi cap. fin de surrep. per iura ibi allegata, Nau. consil. 44. de sent. excommun. num.* 1. Nullibi autem iure communi, aut speciali illius diæcesis reperitur expressa pœna contra celebrantes in aliquo oratorio, capella, aut Ecclesia sine licentia Episcopali, ergo iste Capellanus sic celebrando nullam incidit pœnam, neque proinde ex hoc capite non erat puniendus,

27 non obstantibus decretis prædictis S.C. imponentibus pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso iure contra recipientes onera perpetua sine licentia episcopali, quia ea pœna infligitur contra recipientes non quæcumque onera missarum, sed illa tantum, quæ instituta, & relicta fuerunt post promulgationem illorum decretorum factam die 22. Septembris 1625.

28 Ad secundum. Nulla fuit dicta suspensio lata à Visitatore, vt quæ lata fuit contra innocentem continens errorem intolerabilem, *arg. Glos. v. Error intolerabilis, cap. 40. de sent. excom. Nau. cap. 27. numero 151. §. Dixi, Sayr. lib. 4. cap. 1. num. 19. Caiet. 2. 2. q. 70. art 4. §. Ad hoc Megal. lib. 1. de censur. cap. 3. n. 5. Diana tom. 5. tract. 10. resol.* 19. maxime cum nulla præcesserit monitio, & legitima causæ cognitio, Nauar. consil. 3. de sent. excom. numer. 3. non solum in foro conscientiæ, verum etiam in foro fori, *Panorm. & Felin. in cap. Inter cæteras, de sent. & iud.* Manifestum autem est nullam adesse prohibitionem, quin posset celebrare in eo oratorio, neque ex celebratione transgressus fuit decreta de celebr. miss. in quo præcipue fundatur ignorans, sed auidus officialis, ergo inualide suspensus fuit à celebratione.

29 Ad tertium, Visitator ille incurrit pœnam suspensionis ad ingressu Ecclesiæ, & à diuinis per mensem, vt expressis verbis infligitur, *cap. 1. de sent. excom. in 6.* contra illum iudicem, qui sine exacta cognitione causæ, vel sine scriptis fert sententiam cuiuslibet censuræ contra aliquem. Sententiam autem in scriptis ferri importat fabricatum processum secundum formam iuris, vt colligitur ex contextu verborum citati capitis, in quo sermo est de iudice, cuius officium est

30 cognoscere initium, medium, & finem causæ, *cap. Super, de off. deleg.* ita quod debet omnia rimari vsque ad probationem sententiæ, *cap. Cum Ioannes, de fide instr.* Prædicta autem Resolutio secundum omnes sui partes habuit bonum effectum fauore Capellani contra Iudicem, qui tamquam ignarus, auidus, & extorsiones faciens cum summa iniquitate deiectus fuit à sede, quam sibi perpetuo profuturam sperabat.

31 Quæres 7. euadat martyr ille sacerdos qui potius vult subire mortem, quam celebrare coram excommunicato denuntiato? Videtur quod non, quia sola fides est causa martyrij, ad martyrium enim consequendum necesse est, quod quis mortem inferat in contemptum fidei, aliter mors denominari non potest martyrium, ex iis quæ *S. Thom. habet 2. 2. quæst. 124. art. 5.* vnde martyrium consistit in morte ab

extrin

extrinseco violenter illata odio fidei, & religionis Christianæ, Optatus Mileuitanus l.3. illis verbis. *Temerarium est martirem existimare eum, qui extra bellum Christianum ceciderit.* Modo ille excommunicatus mortem non intulit in contemptum fidei, sed quia noluit illi obedire, & Missam celebrare, cui putabat posse interesse, eo quod tenebat probabiliter eam excómunicationem esse nullam, &c. Quibus non obstantibus.

32 Respond. Mortem subiens in tali casu præcise etiam, vt præceptum obseruet de non celebrando coram excommunicato denuntiato, quod prohibetur iure communi, vt docent Doctores *cum Bonac. de Censuris in genere, de excommun. quæst.2. p.3 §.1. propos.3.* vere martir Iesu Christi efficitur, quod propter amorem Dei non vult transgredi, iam inuoluitur fides Christiana ad quam omnes reliquæ virtutes referuntur tamquam protestationes fidei Christianæ, nam S. Ioannes Baptista non pro fide Christi, sed pro reprehensione adulterij decollatus fuit, & S. Thomas Cantuariensis pro Ecclesiastica immunitate protegenda interfectus fuit in sua Ecclesia, & multi alij in Martirologiis leguntur necati propter diuersas virtutes, quæ omnes referuntur, & imbibuntur in virtute fidei Christianæ tamquam in obiecto principali, à quo tamquam à ratione formali specificatur Martyrium. Et ita intelligitur S. Thomas loco citato com aliis.

Quæres 8. An laica potestas ferre iudicium possit de aliqua actione sui subditi an sit peccatum necne?

33 Resp. Non potest, Tum quia id est munus Ecclesiasticorum, quorum officium est iudicare ea, quæ spectat ad animam cuiusmodi est iudicium de peccato, laica autem potestas nullum ius habet super animas suorum subditorum, sed tantum supra corpus. Tum quia Papæ est de quolibet peccato iudicium ferre, *cap. Nouit. de iudic.* ergo non est potestatis laicæ. *Ita Bellarm. in resp. ad 7. propos. incerti autor. super Breue Censur. Pauli V. contra Venetos.*

Quæres 9. An religioso S. Francisci de Paula à me inuitato possim apponere carnes in casu quo non vult mecum comedere, nisi illi præparem carnes, & vice versa, an ego possim comedere carnes in cella sua inuitatus?

34 Resp. Non possum illi præparare carnes; vtique vero possum comedere carnes ab ipso præparatas mihi, licet ipse eas mecum comedat, modo ab initio ego protestatus fuerim meam esse intentionem, ne ipse frangat suum votum, sed mihi apponat tantum cibos quadragesimales, quo posito, si postea in mensa inuenio carnes possum comedere. Primum clarum est quia ratio suadet, me posse cooperari fractioni voti ab illo Deo promissi, sed in tali casu aut debeo desistere ab inuitatione, vel illi præparare quadragesimalia. Neque vrget, quod omnino paratus sit comedere carnes, quia occasio peccandi nulli danda est, *capit. fin. de inior.* neque alienis peccatis communicare debemus, capit. Miramor 4. dist.61. & quamuis sit paratus, & consequenter transgressus fuerit votum mentaliter, nontamen executione operis, quod impedire teneor apponendo illi cibos quadragesimales. Neque dicas, me nihil cooperari ad eius peccatum, siquidem iam est dispositus ad illud faciendum, quia si non cooperor peccato interno, & mentali, sum tamen causa peccati operis, à quo penitus teneor abstinere. Nec facit, quod inuitatio ad cœnam non sit quid malum, quia nulli opponitur legi, nam cum simus in moralibus, quæ ex circumstantiis specialibus specificantur, talis inuitatio in specie peccaminosa est, quia est causa operis mali externi, nempe comedere prohibita, & tempore prohibito. Vide Dianam resol.7. de scandalo, vbi secundum probabiliorem opinionem asserit non licere ad cœnam inuitare paratum frangere ieiunium nonnullis sentientibus oppositum, quod forsan nobiscum esset in casu nostro, in quo magis vrget votum solemne quadragesimæ. Paratos verò

35 mihi cibos carnis apud ipsum comedere possum eo quod talium comestio mihi prohibita non est simpliciter, consequenter neque in eius monasterio, cuius regulæ non sum subiectus; neque particeps sum peccati illius, dum cum illo comedo, supposita cautione superius expressa, quia ea ratione non sum causa præparationis illorum ciborum, neque consummationis peccati illius per executionem operis externi.

Quæres 10. An inciderit in irregularitatem ille concionator, qui sub pœna suspensionis prohibitus fuit prædicare eo quod ab Episcopo non petiit benedictionem iuxta quod *reso.7. num.21.* dixi, adhuc prohibitione non obstante prosequutus fuit suas conciones?

36 Respondetur. Non incidit, si solemniter non prædicauit idest cum cotta, & stola, actus enim prædicandi licet proprius sit sacerdotis, & etiam diaconi, tamen quia id etiam præstari potest ab aliis, & sine sulemnitate prædicta, ideò excusetur ab irregularitate. Alij dicunt esse actum prælationis, seu superioritatis non ordinis præcise, & ideo non incurrere. *Tolet. lib.1. cap.56. num.3. Armill. suspensio, Megal. lib.5. de censur. capit.2. num.4.* referens supradictam distinctionem. Vel dic ideò non incidisse, quia nullam violauit censuram, nam huiusmodi suspensio cum sit inflicta, vt pura pœna censura non est; sed quoniam Episcopus eidem præcepit, vt desisteret à prædicatione, ideo tamquam contumax, quia noluit obedire vere incidit in censuram suspensionis; pura autem fuisset pœna, si post Quadragesimam illum suspendisset, attenderetur enim tunc transgressio præterita, non contumacia.

Quæres 11. An singularis opinio maiorem probabilitatem habeat si imprimatur? Affirmat cum *Bressero l.3. de conscientia. c.3. n.36. Pasqual. decis.372.* Quia illa opinio non solum est probata iudicio ipsius authoris, sed etiam illius censorum, qui illam probabilem iudicant, vnde illi addunt authoritatem, & probabilitatem fundatam in authoritate approbantis, licet illam non sequantur, testificantur tamen illam non continere errorem.

37 Resp. Opinio impressione non fit magis probabilis quam antea esset, quando simpliciter scripta fuit, & composita ab authore. Probatur, quia officium Episcopi, Inquisitorum, & aliorum, ad quos spectat examinare, & approbare libros iuxta *Consil. Later. Sess.10. Trident. Sess.4. in decreto de editione librorum, de qua re ego res.58. a n.17. ad 28.* est examinare libros quo ad fidem, & bonos mores, eosdē corrigendo in hoc, & non permittere, vt imprimantur nisi prius sint correcti, & nihil amplius, sed maior, vel minor probabilitas non spectat ad fidem, neque bonos mores, in quantum eget correctione, quia errorem non continet posita illius probabilitate. Confirmatur, quia sunt deputati ad corrigendos errores contra fidem, & bonos mores, non ad dandam authoritatem, & probabilitatem libris. Præterea Reuisor librorum se habet ac ille, qui alterius opinionem legit, & intelligit non addendo, neq; detrahendo illi, sed is non auget probabilitatem opinionis, cum in eam nihil influat, ergo neque Reuisor, non obstante approbatione operis, quia hæc iudicat præcise librum posse typis mandari, præscindendo ab eo, quod opiniones in eo contentæ sint probabiles nec ne, quod est speciale. Deinde sequeretur absurdum opinionē falsam fieri probabilē, quia multi libri imprimuntur cum quibusdam opinionib. quæ vix huiusmodi nomen merentur. Ex his patet fundamentum aduersariorū nullius esse momenti, cum officium censorū sit censurare, & corrigere libros, non autem opiniones magis probabiles suis attestationibus reddere.

Quæres 12. An surdus assistens choro, & cum aliis diuinum officium recitans satisfaciat suæ obligationi? Affirmant *Suar. tom. 4. de relig. lib. 4. cap. 28. num. 18. Trullenchus de obligat. ad chor. dub. 3. n. 21. & ex illis Pasqualigus decis. 407.* probans, quia quantum est ex se suam implet obligationem, licet aliam partem non audiat, quia cum sit hoc quædam conditio, illi imputandum, non est, cum per eum non stet, consequenter censetur adimpleta, cap. Cum stat, de reg. iur. in 6. Addit aliam rationem, quam vocat potissimam, quia aliorum partem facit suam, dum ex sua parte cantat, non enim est necessarium, quod aliam partem audiat, sed tantum quod illa sit moraliter sua communicatione chori, nam quicquid in choro recitatur est ratio chori consequenter omnium ibidem recitantium vna communis oratio, sicut assistentes missæ dicuntur offerre sacrificium, quod offert sacerdos, licet non audiant sacerdotē celebrantem, & offerentem, non alia ratione, nisi quia sunt de numero eorum, qui ratione assistentiæ coniunguntur sacerdoti in offerendo. Immo dici potest quod moraliter audiat versiculos alterius partis, quia partes chori sibi inuicē non vt singulæ, sed conuocatim turi choro communicant in oratione, quod enim est totius communitatis, est etiam singularum partium illius.

39 Respond. Surdus assistens choro lucratur quidem distributiones, non tamen satisfacit obligationi recitandi diuinum officium. Ratio illius est, quia ad lucrandum distributiones sufficit assistentia, & partialis recitatio diuini officij. Ratio huius est, quia non minus est de essentia officij auditio, quam recitatio, cum ambæ sint partes essentiales officij in choro recitati, cum ambæ partes fundentur in attentione recitationis, & auditionis; sed defectu recitationis diuinum officium non subsistit, vt clarum est, ergo neque defectu auditionis. Quare domi suæ recitet officium, si si vult satisfacere. Rationes quas adducit resoluuntur dicendo, quod surdus non facit suam eam partem, quam non audit, quia cum ea communicare non potest, nam communicatio fit per auditum, aliter sequeretur, quod surdus suam faceret concionem, quia cum aliis assistit prædicationi, vt compars, & membrum totius auditorij; preterea tollitur ratio innixa illi regulæ, nam auditio partis non est conditio, sed pars essentialis necessaria ad satisfaciendum. Deinde licet officium in choro recitatum sit oratio communis totius chori, & consequenter singulorum, non tamen per hoc facit suam partem, quam non audiuit, quia singuli faciunt suam solum eam partem, quam posuerunt, cum id totum dependeat à singulari actione cuiuslibet, cum ergo in communitate surdus non contulerit alteram partem defectu auditionis, sed solam recitationem, ideo hanc solam ex communitate participat, & sic quo ad auditionem non dicitur habere partem in communitate, sicut neque ille, qui licet recitet, non tamen attendit, dicitur facere suum officium, seu satisfacere suæ obligationi defectu intentionis, quæ & ipsa est de essentia orationis. De oblatione sacrificij est dispar ratio, nam sicut sola assistentia, cum deuotione, & attentione satisfit missæ, ita & eiusdem oblationi per assistentiam, neque enim oblatio circumstantium fit per recitationem verborum, quibus sacerdos offert, sed sufficit mentalis oblatio virtualiter contenta in assistentia formali ad missam, in recitatione vero diuini officij requiritur recitatio ex vna parte, & auditio ex altera, & sic adest conformitas in verbis recitatis, & auditis, quæ vniformitas in oblatione necessaria non est, vt probaui. *Nostra responsio est Bonac. q. 3. de Horis p. 2. §. 1. nu. 20.*

Quæres 13. Suspectus de curia confugit ad Ecclesiam regularem petens à superiore admitti intra claustrum, vt gaudeat priuilegio immunitatis, superior autem vrbanis verbis respondet se non habere commoditatem recipiendi illum, & ideo aliud quærat refugium, replicat confuga, quod remanebit in Ecclesia, quod illi prohibere non potest, velit, nolit, vult ibi remanere contra illius voluntatem, quibus verbis superior incensus verbis acribus comminatur illi, quod nisi sponte recidat, repellet eum etiam extra Ecclesiam, vnde coactus fuit recedere. An superior violauerit immunitatem?

40 Respond. Immunitatem non violauit, neq; ideo aliquas incurrit pœnas, probatur, Tum quia nullo iure probatur religiosos teneri huiusmodi suspectos recipere intra eorum monasteria, nam id non reperitur, *cap. Sicut 5. c. Miror 7. c. Reum 8. c. Frater 9. c. Nullus 15. c. Si quis 16. c. Definiuit 28. c. Id constituimus 29. 17. q. 1. c. Inter alia 6. de immun.* Tum quia in præcitatis capitibus, & in constitutione Gregorij XIV. prohibitio extrahendi directe est contra laicos, & potestatem laicam, cuius abusus in extrahendis reis ab Ecclesia cum magna irreuerentia, & dedecore loci sacri detestatur à sacris canonibus. Tum quia religiosi, & alij Ecclesiastici nolentes recipere reos intra Ecclesias, seu monasteria, vel ingressos expellentes verbis acribus non dicuntur illos extrahere, quia extractio importat actionem corporalem, per quam tactu persona extrahitur contra suam voluntatem è loco sacro, per c. Inter alia 6. de immon. sed in casu nostro non extrahitur aliqua corporali actione, sed solum verbis cogitur recedere à loco sacro, ergo religiosus non dicitur agere contra immunitatem Ecclesiasticam. Tum quia immunitas directe, & immediate conceditur locis sacris, vt honor debitus Ecclesiis, & locis sacris conseruetur, *c. Reum 8. 17. q. 1.* & in consequentiam reis confugientibus contra potestatem laicam, & eorum ministros non autem contra potestatem Ecclesiasticam, cui non denegatur dimissio, immo etiam extractio per seipsam secundum opinionem *Bonac. de Immun. §. 3. n. 7. 5. Alij, & Compēd. resol. 56. a. 5. quos retuli resol. 1. a. 18.* licet in hoc præcisè impugnaui. Prædictis obstat *Pasqualigus decis. 469.* ea ratione, quia confuga habet ius confugiendi ad Ecclesias, & monasteria; Dicas tu, habere ius imperfectum, & conditionatum respectu Ecclesiasticorum, perfectum vero respectu potestatis laicæ in quantum per eius ministros non potest confugiens extrahi, neque religiosus tradere illum in manus satellitum, aut iustitiæ, vnde si confugam expelleret eo fine, vt incideret in manus illorum, sine dubio violaret immunitatem, à qua tamen exemptus esset, si repelleret solum præcise, quia secularem non vult intra suam Ecclesiam, vel conuentum, prouideat sibi de alio loco tuto, eo quod non bene videtur à religiosis, quibus expedit immo necessarium fugere conuersionem similium personarum, quæ passim ad claustra confugiunt cum graui præiudicio aliorum, & disciplinæ regularis.

Quæres 14. In plerisque ciuitatibus in nocte sequente Feriæ Quintæ in Cœna Domini solent fieri à Confratribus processiones ad sepulchra Domini; An potestas laica ad euitanda scandala, & multa inconuenientia occasione etiam militum possit publicare proclama prohibendo singulis Confratriis, ne personaliter ea nocte incedant, sed tempus anticipent, & de die celebrent suas professiones?

41 Respond. Non potest facere eam prohibitionem, seu tempus consuetum alterare, & anticipare sine speciali licentia ordinarij, probatur, quia processiones instituere, seu institutas ordinare, aut alterare est iurisdictionis Ecclesiasticæ cum sit quid spirituale, *Sess. 25. cap. 13.* & ideo processiones edicere, decernere, dirigere, atque deducere Episcopi est cum consilio capituli doctoribus allegatis *Barbosa ad dictum cap. num. 44. & sequent.* laica autem potestas est incapax rerum spiritualium, neque negotia Ecclesiastica tractare potest, *cap. 2. de iudiciis, cap. Tua 25.*

de decim. Neque etiam acceſſoriæ, aut connexionia *agr. coram, qua habentur in vna Romana die 19. Ian. 1611. coram D. Coccino Decano.*

Quæres 15. An quædam pœnitentiæ publice exequendæ apud regulares iuſte, & prudenter imponantur? e.g. qui fregit vas, cogitur illius fragmenta deferre ad collum per Eccleſiam, aut per vrbem, ſeu ſtare ad portam eiuſdem oculis velatis petens ſtipem ab introeuntibus, &c.

42 Reſpond. Similes pœnæ publicæ exequendæ inutiles ſunt, & ridiculoſæ, & indignæ ſtatui religioſo, iniuſtæ, & indiſcretæ, quia non ſeruatur modus in corrigendo ſubditum, qui ſi occulte quo ad ſeculares errauit, nulla ratio ſuadet, illum eſſe coram ſecularibus puniendum, publice enim peccans publice etiam puniendus eſt coram illis, apud quos peccauit; ex Doctrina D. Pauli I. ad Timot. capitul. 5. ibi: *Peccantes*, intellige publice, *coram omnibus argue; vt cæteri timorem habeant*, aliter pœna Prudenter; ſed temere infligitur, vnde S. Iuo ex Tertiariis S. Franciſci Epiſt. 82. inquit; *immoderatus diſciplinæ rigor quos corripit, non corrigit.*

Quæres 16. Satellites capiunt equum, eo quod religioſus tranſiens illum non denuntiauit datiariis prætendentibus religioſum eſſe ad id obligatum. An teneatur illum denuntiare, & ſatellites potuerint illum capere.

43 Reſpond. Non tenetur religioſus, neque quiuis alius Eccleſiaſticus præſertim præteriens, & aduena denuntiare equum, quem ſecum deducit à loco ad locum, etiam prætextu vendendi illum; & ſatellites tamquam immunitatis Eccleſiaſticæ violatores, & perturbatores rerum religioſorum inciderunt in pœnas cenſurarum ipſo iure inflictarum in eos. Primum ſuadetur, Tum quia religioſus non tenetur ſeruare leges, ſeu ſtatuta laicorum, vt clarum eſt apud omnes, maxime etiam cum ſit viator, qui præſumitur etiam de iure ignorare particularia loci, per quem tranſit, ſtatuta, ergo irrationabiliter equum illi rapuerũt. Tum quia ideo a laica poteſtate præcipitur denuntiatio, ne fraus aliqua fiat gabellæ, ſed vt illa ſoluatur; ſed Eccleſiaſtici non tenentur ad ſolutionem gabellarum, vt omnes concedunt, & dato quod teneretur ex vi negotiationis, quod adhuc falſum eſt; tamen in præſenti caſu non tenetur, quia negotiator non eſt, equum enim ſibi donatum, vel ſorte acquiſitum religioſum non debet tenere, quando non interuit ſibi, ergo poteſt illum vendere, imò debet, ne ſibi fiat inutilis, cum ſit equus magni pretij vtilis potius ad oſtentationem, quam ad labores vulgares.

44 Et quod clericus etiam negotiator non perdat priuilegium non ſoluendi gabellam, niſi poſt trinam monitionem, vt deſiſtant à negotiatione docent quamplures Doctores, duos pro ſe citat *Diana parte prima, tract. 2. de Immun. reſol. 46. part. 2. tract. 1. de Immun. reſolution. 44. & parte 4. tract. 1. de Immun. reſolution. 28.* Et clericos non teneri denuntiare ſua fruméta, & ſimilia iudici laico, reſponſum fuit Epiſcopo Ferrarienſi ſub die 19. Iunij 1592. teſte eodem Diana ad calcem part. 5. in declarat. numer. 50. Sed id nouiter præſtare debent coram ſuo Epiſcopo, ita quod in nullo poſſunt moleſtari à laica poteſtate, licet de facto non denuntient neque etiam Epiſcopo; quia ſicut non tenentur obedire legib. & ſtatutis ſecularium, ita neque ſubiici poſſunt eorum pœnis contra tranſgreſſores inflictis, cum non ſint ipſi tranſgreſſores, ex eo quod eorum ſtatutis non

45 ligantur. Secundum de ſatellitibus incurrentibus pœnas excommunicationis conſtat, quia ſunt violatores immunitatis Eccleſiæ, cõtra quos promulgantur diuerſæ cenſuræ, de quibus aliquid tetigi reſ. 52 num. 372. & multa extant priuilegia excommunicantia illos, qui auſu temerario præſumunt aliquam iniuriam, vel damnum inferre religioſis tam in perſona, quam in rebus. Confirmatur, quia ea capture importet de facto coactam ſolutionem gabellæ; ſed exigentes ſunt excommunicati, ergo & ſatellites capientes pro ſolutione gabellæ.

Quæres 17. An ille poſſit ſumere ſacram Euchariſtiam, qui poſt mediam noctem, vel etiam ſequenti die reliquiam carnis inter dẽtes relictam ex præcedenti comeſtione ſcienter deglutiuit, an verò teneatur illam eiicere ſi vult communicare? Item, an maſticans bucellam panis dum audit ſonum mediæ noctis in ipſo primo actu teneatur illam eiicere, vel poſſit eamdem deglutire poſt maſticationem, ſi velit die ſequenti communionem ſacram recipere? Teneri eiicere in vtroque caſu docet *Sanctius in ſelect. diſp. 42. n. 20 pro ſe citans Vaſq. de Euchar. diſp. 211. nu. 30. Palud in 4. q. 2. art. 2. concl. 2. Suar. diſp. 68. de Euch. ſect. 4 §. Dices, quos & alios citat Diana de ſacram. reſ. 36. & 37.* & eſt opinio communior, ſed ſatis rigoroſa.

Reſpondetur. In neutro caſu tenetur eiicere, quod probatur. Tum quia adhuc ſeruatur ieiunium naturale præ-requiſitum ad ſumptionem ſacramenti Euchariſtiæ, tunc enim ſolum dicitur frangi naturale ieiunium, quando à media nocte, ſeu deinceps ab extrinſeco cibus, ſeu potus ſumitur, comedere enim, & bibere, quæ ieiunium frangunt, neceſſario, & eſſentialiter fiunt ab extriſeco in os comedentis, edere enim eſt intra os cibum recipere; ſed in his caſibus cibum intra os non recipit, ſed iam receptum ante mediam noctem deglutit, ac deglutitur ſaliua. Tum quia conſumptio vltima cibi tamquam neceſſario connexa cum prima receptione, & eiuſdem conditionis ſequitur naturam receptionis, quæ ſicut non impediuit communionem, ita neque illius proſequutio conſummata. Ita docent reſponſionem ſecundi caſus *Henr. l. 8. ſumma capital. 50. numero 4. in Gloſſ. lit. V. & alij apud Dianam cit. reſolution. 37.* quam ipſe putat probabilem. 46

RESOLVTIO LXXVIII.

De cenſuris Eccleſiaſticis.

SVMMARIVM.

30 Commiſſarij

30 Commissarij sunt quadruplicis generis.
31 Commissarij in T. Ord. quid possint.
32 Commissarij visitatores censurant.
33 Visitatores iuramento vtuntur.
34 Visitatores non sunt prælati.
35 Commissariorum visitatorum authoritas in T. Ordine.
36 Prouincialis commissarium instituit, si abest, vel non potest prouidere.
37 Commissarij permanentes in absentia maiorum censurant.
38 Commissarij transeuntes pro speciali causa.
39 Commissarij ad vniuersitatem delegant suam potestatem.
40 Vicepriores non censurant, nisi absente Priore.
41 Præsidentes censurant.
42 Capitulum Generale, & Prouinciale fert censuras.
43 Generale subditur capitulo.
44 Capitulum locale non fert censuras.
45 Prior est supra capitulum locale.
46 Generalis ligat quoscumque sui ordinis.
47 Tertiarij, famuli, Nouitij possunt ligari censuris à prælatis ordinis.
48 Commensales domicilium habent in religione.
49 Subditus domicilio quis sit.
50 Tertiarij, & alij non amplius subditi extraneis.
51 Famuli ab ordinarijs excommunicari non possunt.
52 Hospites possunt ligari censuris si exprimantur.
53 Regularis vbique suum subditum ligat.
54 Episcopus delinquentes extra non censurat.
55 Statutum, & sententia æque subditos ligant.
56 Statutum perpetuo durat, præceptum non.
57 Secularis delinquens in clausura non incurrit censuram Episcopi.
58 Locus exemptus censetur esse extra Diœcesim.
59 Extraneus ligatur ratione rei.
60 Citari, nec censurari potest extraneus, nec subditus extra manens.
61 Citati quicumque ante recessum ligari possunt.
62 Aufugientes ante citationem ligari non possunt.
63 Existens extra ligatur ratione rei quam alibi habet.
64 Episcopi religiosos censurant, in quibus subduntur.
65 Legati item à latere iure communi.
66 Legati sunt in triplici genere.
67 Legati à latere non ligant regulares iure priuilegij obstante.
68 Concilium generale censurat religiosos.
69 Vicarius Papæ in Vrbe censurat religiosos.
70 Sacra Congregatio censurat regulares.
71 Protector censurat.
72 Episcopus declarat excommunicatos religiosos in casibus certis.
73 In quibus illi subduntur.
74 Denuntiatio excommunicati aliquid ponit in esse.
75 Episcopus in alijs casibus non declarat religiosum nisi exprimantur iure.
76 Nec Episcopus potest immediate præcipere suis, vt euitent.
77 Declaratus ab Episcopo etiam absoluitur, si causa facta ab eo fuit.
78 Citatio necessario præmittenda est denuntiationi.
79 Aliter nulla est denuntiatio.
80 Denuntiatio fit contra certam personam eius nomine expresso.
81 Declaratio supponit excommunicatum esse.
82 Tres effectus continet declaratio, euitationem fidelium.
83 Denuntiatio vbi facienda in omnibus censuris?
84 Pro interdicto locali fit in loco iudicis.
85 Excommunicatus vitandus perdit iurisdictionem.
86 Excommunicatus vitandus nulliter excommunicat.
87 Dicta de denuntiatione excom. locum in cæteris.
88 Insordescentia excommunicationis quando contingat?
89 Per hæc dicta importat continuum tempus, & perfectum.
90 Percussor notorius ante declarationem vitandus, non est. 92.
91 Declaratio est de incursa censura, non de crimine.
92 Percussor etiam notorius est declarandus.
93 Censuratus toleratus, & vitandus quinam sit?
94 Effectus excommunicationis numerantur.
95 Effectus suspensionis.
96 Effectus interdicti.
97 Censuratus etiam ante denuntiationem tenetur abstinere se à prohibitis.
98 Communicatur in omnibus cum nondum denuntiato etiam in sacramentis.
99 Superior excommunicatus occultus non perdit suum officium.
100 Neque publicus ex vi denuntiationis censura.
101 Superior excommunicatus vtitur iurisdictione si sit toleratus.
102 Denuntiatus verò non potest eâ vti.
103 Sed solum præcipere ex potestate dominatiua, & superioritatis.
104 Superioritas alia est à iurisdictione. 116.
105 Prælatus separatur à communione voluntaria non necessaria.
106 Contractus, aut rei ratione non ligantur ab Episcopis.
107 Capitulum sede vacante nullum ius in regulares.
108 Denuntiat tamen excommunicatos audientes extrà leges.
109 Nullius Diœcesis prælatus regulares non censurat.
110 Potestas censurandi à quibus delegari possit.
111 Dignificati sine iurisdictione non censurant.
112 Magister nouitios censuris non ligat.
113 Inquisitores ligant regulares quoscumque.
114 Abbatissa non potest censurare.
115 Præcepta spiritualia non imponit secundum aliquos:
116 Vtique secundum alios, & verius.
117 Moniales ligant censuris prælati.
118 Constitutionibus regularibus non potest addi censura.
119 Constitutiones fere omnium regularium non obligant sub culpa.
120 Ordinationibus etiam ab homine non potest addi.
121 Neque Capitulum Generale.
122 Peccatum mortale necessarium ad incurrendam excommunicationem.
123 Quod sit proprium eius qui excommunicatur.
124 Peccatum veniale potest supponi comminatoriæ.
125 Minor excommunicatio incurritur pro veniali.
126 Suspensio semper supponit peccatum saltem veniale.
127 Culpa aliena sufficit pro suspensione Collegij etiam ab homine.
128 Excommunicatus vbique est.
129 Suspensio grauis pro veniali tenet etiam ab homine.
130 Interdictum personale fertur etiam pro veniali.
131 Interdictum locale non nisi pro causa grauissima.
132 Censuræ non sunt ferendæ nisi pro re graui ex Tridentino.
133 Excommunicatio pro deperditis à solis Episcopis.
134 Prælati regulares etiam locales pro reuelandis, & deperditis.
135 Tridentinum nil disponit contra prælatos regulares de censuris.
136 Excommunicatio pro re leui, modo præcesserit mortale tenet.
137 Vulgaris res videtur quid minus argenteo.
138 Mansio ante portã Ecclesiæ prohibetur sub censura.
139 Tardi debent esse ad excommunicandum.
140 Suspendere possunt cum minori circumspectione.
141 Interdictum personale non imponendum pro leui culpa.
142 Interdictum locale pro peccato grauissimo imponendum.
143 Non potest imponi pro delicto priuati.
144 Religiosi comprehenduntur sub censuris contra omnes.

145 *Religiosi non ligantur ab homine nisi de illis fiat expressa mentio.*
146 *Episcopus nulliter censurat religiosos extra casus non concessos.*
147 *Mendicantes non subiiciuntur censuris monachorũ, neque contra.*
148 *Nouitij non comprehenduntur censuris nisi exprimantur.*
149 *Censura religiosorum non comprehendunt moniales.*
150 *Neque monialium ligant religiosos.*
151 *Censura unius ordinis contra seculares extenduntur fauore aliorum.*
152 *Clericorum pœnas religiosi non incurrunt.*
153 *Nisi sit de ordinibus sermo.*
154 *Irregularitates communes sunt clericis, & religiosis.*
155 *Clerici non subduntur censuris contra religiosos.*
156 *Tertiarij & famuli comprehenduntur solum cum exprimantur.*
157 *Prælati non subduntur Episcopis in censuris.*
158 *Prælati non incurrunt censuras subditorum neque contra.*
159 *Benefactores, procuratores subduntur Episcopis.*
160 *Declaratus excommunicatus hic, alibi non est vitandus.*
161 *Vitandus donec constet de absolutione.*
162 *Regulares tenentur vitare declaratum ab Episcopo.*
163 *Collegium immediate excommunicari non potest.*
164 *Sententia attentata nulla est in Collegium.*
165 *Licet intenderit singulos nocentes tantum ligare.*
166 *Papa verò potest si intendat solum delinquentes ligare.*
167 *Collegium suspendi, & interdici potest.*
168 *Monitio est promulgatio legis censuram habentis adiunctam.*
169 *Monitio requiritur ad comminatoriam deducendam ad actum.*
170 *Item quando iudex iam excommunicatum iure vult iterum ligare.*
171 *Monitio necessaria ad excommunicationem in crimine, aliter nulla est.*
172 *Monitio necessaria ad reliquas ratione criminis.*
173 *Iudex semper præmittit monitionem coram personis idoneis.*
174 *Monitio canonica quænam dicatur.*
175 *Censura illata à iudice sine monitione nulla est.*
176 *Opinio contraria resoluitur.*
177 *Suspensio, & interdictum feruntur, vt pura pœna sine monitione.*
178 *Nullum actum attentans adhuc punitur.*
179 *Monitorium cur sic dicatur.*
180 *Citanda est personaliter persona excommunicanda.*
181 *Si potest aliter domi, vel loco vicinieri.*
182 *Collegium monetur saltem in principali aliter si non potest loco viciniori.*
183 *Monitio habet locum etiam apud iudices regulares.*
184 *Censura à regularibus feratur iudicialiter.*
185 *In scriptis & cum expressione causa etiam regularib. sub pœnis.*
186 *Iudex non tradens copia punitur.*
187 *Suspēsione ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis per mensem.*
188 *Suspensio ab ingressu Ecclesiæ, & à diuinis quomodo differant.*
189 *Ab ea absoluit prælatus infra mensem & in irregularitate dispensat.*
190 *Censurans sine scriptis, & causa expressione non vt iudex excusatur à pœnis.*
191 *Suspensus ab ingressu Ecclesiæ sicut interdictus non sepelitur.*
192 *Censura sine scriptis, & expressione causæ tenet.*
193 *Superior male præcipit sub censura vt altercantes abstineant statim.*
194 *Excommunicatio pro præteritis culpis præcise in pœnam non tenet.*
195 *Sententia pastoris, siue iusta siue iniusta semper timenda.*
196 *Quando fuit inualida non est timenda.*
197 *Modo clare constet de nullitate.*
198 *Nec standum est opinioni nisi sit maior opinione iudicis.*
199 *Non statim veniat contra eam, sed prius faciat declarare*
200 *Nullitatem per superiorem si potest.*
201 *Aliter mediis Doctoribus in publicam.*
202 *Interim seruatur non ratione sui sed scandalum.*
203 *Papa sententia videtur omnino seruanda, nisi clarissime constet nullitas.*
204 *Inscientia non excusat ab incurrenda censura in notoriis.*
205 *Recusatio, & appellatio locum habent in censuris.*
206 *Recusatio quomodo fiat.*
207 *Recusatio in notoriis reiicitur.*
208 *Appellatio fit ante sententiam, aliter post non tenet.*
209 *Appellatio debet esse legitima de grauamine.*
210 *Appellatio in notoriis non admittitur.*
211 *Cur appelletur ante sententiam, in aliis potest.*
212 *Appellatio admittitur contra declarationem censuræ iam latam.*
213 *Appellatio quod, & de duobus effectibus illius.*
214 *Appellatio à futuris censuris deuoluit, & extinguit.*
215 *Appellatio post sententiam aliquos effectus suspendit secundum Nauar.*
216 *Nulliter censuratus in occulto non tenetur seruare.*
217 *In publico debet eam seruare.*
218 *Ecclesiæ suffragiis manet inualide ligatus.*
219 *Neque incurrit pœnas violantium censuras.*
220 *Licet appellatio postea fuerit comperta nulla.*
221 *Laicus in causa censuratum non se ingerit.*
222 *Conseruator ligat regulares excommunicatione;*
223 *Non tamen suspensione.*
224 *Neque interdicto coram Ecclesias, nisi prouideatur de victu.*
225 *Violans censuram excommunicationis quomodo peccet.*
226 *Quas pœnas incurrat.*
227 *Excommunicatio in crimine quænam.*
228 *Communicans clericus in diuinis cum excommunicato à Papa incidit.*
229 *Sepelientes excommunicatum sunt excommunicati.*
230 *Excommunicati nolentes de Ecclesia exire sunt excommunicati.*
231 *Suspensionis violatores peccant mortaliter.*
232 *Suspensus exercens fit irregularis.*
233 *Suspensus cantans epistolam sine manipulo excusatur*
234 *Clericus professus carens ordine non est capax suspensionis.*
235 *Suspensus vtens iurisdictione p.m.*
236 *Interdictum violantes p.m. & pœnas incurrunt.*
237 *Religiosi non seruantes interdictum etiam nullum, quando seruat matrix sunt excommunicati, & non seruantes, si est validum, non euadunt alias pœnas.*
238 *Commensales continui gaudent priuilegiis regularium.*
239 *Prælati regulares suos absoluunt à quibuscumque censuris.*
240 *Interessens choro ac si esset laicus euadit pœnam irregul. interdicti.*
241 *Excommunicatus caret vtraque voce.*

Censura est pœna spiritualis medicinalis imposita ab Ecclesiastica potestate contra Christianũ subditum trangressorem, quem bonis priuat spiritualibus. Singulæ particulæ huius descriptionis explicandæ sunt pro perfecta cognitione censuræ.

Primo dicitur, *Pœna*, ad differentiã culpæ, à qua contra

tradistinguitur, vt effectus consequens ad suam causam, nõ enim datur pœna nisi consequens ad suam culpam *l. Sancimus C. de pœnis D. Thom. 2. 2. q. 108. art. 4.* exponit in ordine ad culpam quod est peccatum, ita 1 quod pęna punitiua peccati semper culpam supponit, vnde nonnullis bene vocant pœnam proprie dictam, quæ supponit culpam peccati, ratione cuius dicitur 2 communiter, quod pęna debet proportionari culpæ, *cap. Non afferamus 21. 24. q. 1. cap. Felicis §. Illud, de pœnis in 6.* vbi refertur illud Deuter. cap. 25. *Pro mensura delicti erit & plagarum modus.* cap. Quæsiuit 2. de iis, quæ fiunt à maior. dicitur in fine, quod pœna non est protrahenda, quam delictum fuerit in excedente repertum, & ex c. Cum bonæ, de ætate, *c. Tanta, de excessib. prælator.* dicitur quod vbi maior est culpa, ibi grauior debet esse pœna; item, pœna augenda est crescente malitia, & contumacia, *Glos. fin. c. sicut 4. de cohabitat. cler.* Aliud quandoque confligitur genus pœnæ quod non supponit culpam, & illud potius vocatur pœnalitas, quæ quandoque infligitur contra aliquos, qui in culpa non fuerunt, non tamen sine causa, vt dicitur Reg. 23. in 6. Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus, D. Thom. loco citato refert causam, vt quando infligitur ad præseruandum aliquẽ à malo, vel vt inducatur ad bonum. Censura autem est 3 pęna solum primi generis semper supponens culpam, seu peccatum, quodcumq; postea illud sit siue mortale, seu veniale, vt dicetur suis locis. Quamquam & in secundo sensu possit etiã dici pęna, seu pęnalitas, in quantũ iudex per impositionem censuræ intendit hominem retrahere à malo, & inducere ad bonum, vt dicam infra explicando particulam Medicinalis.

Secundo dicitur, *Spiritualis*, quod illi conuenit non tam ex parte efficientis illam imponentis virtute spirituali potestatis, quam ex parte effectus ex illa resultantis, quod est priuare censuratum bonis spiritualibus.

4 Tertio vocatur, *Medicinalis*, quia infligitur, vt trãsgressor contumax resipiscat a malo, & ad cor redeat, ad quod dixit Apostulus. *Tradidi huiusmodi hominem satanæ in interitum carnis, vt saluus fiat spiritus eius in die Domini*, de qua re bene S. Hieronymus relatus *c. Audi 21. 11. q. 3. & D. Augustinus lib. 1. Retractat. cap. 9.* dicit pœnam esse medicinam culpæ in ordine ad hominem peccatorum, qui per illius sufferentiam in se patiendo delet culpam, & reatum pœnæ, ex quo peccator sanatur per pęnitentiam. Quod censura sit medicinalis habetur, *cap. Multi 18. 2. q. 1. cap. 1. de sent. excom. in 6.* & si enim communiter tribuitur excommunicationi tamquam principali analogato, nihilominus dicitur etiam de aliis censuris, quia ab Ecclesia eo fine imponuntur, vt peccatores, & contumaces salui fiant, reuertantur ad obseruantiã præceptorum Dei. Ita omnes *cum Sayro l. 4. c. 1. n. 3. Bonac. & alijs.*

5 Quarto dicitur, *imposita ab Ecclesiastica potestate*, quia cum ipsa sit spiritualis, & sit circa bona spiritualia Ecclesiæ, necesse est, vt feratur à solis Ecclesiasticis, nam laici nullum ius, nullam omnino potestatem super spiritualia habent, quod & ipsi confitentur ore, licet factis quandoque in oppositum se habeant, non sine magno Ecclesiæ detrimento in damnationem animarum suarum, quorum in hoc peccatũ puto esse de genere illorũ, de quibus propheta Dauid dicit *Ab occultis meis munda me Domine.* De hac potestate dicitur Math. 18. *Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ, si autẽ Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus, &c.* Qua potestate respectu excommunicationis vsu fuit S. Paulus 1. Corint. 5. contra quemdam fornicarium. *Vide Sayr. lib. 1. c. 4. n. 5. Doctores citantem.* Laici ergo hanc potestatem censurandi non habent, quia Ecclesiastica negotia tractare non possunt, *cap. 1. dist. 96. cap. Ecclesia 10. de constitut. cap. Contingit 8. de arbitrio cap. fin. de reb. Eccles. non alien. cap. 2. de iudiciis.* Potestas autem huiusmodi ab Ecclesiasticis ac- 6 quiri potest consuetudine, *cap. Dudum 54. de elect. ibi Glos. v. suspendit, cap. Romana 5. de sen. excom.* & etiam præscriptione, *cap. Auditis 15. cap. Cum olim 18. de præscript.* tradit Diana *resol. 42. de excõmun.* vbi nota ex doctoribus id concedi à summo Pontifice, hoc ipso, quod tales consuetudines, & præscriptiones non reprobat.

7 Potestas autem, quæ est facultas faciendi aliquid, Ecclesiastica duplex est, alia dicitur ordinis facultas conficiendi, & administrandi sacramenta, & fundatur in sacramento ordinis, à quo in obliquo denominatur, & hæc non est necessaria ad ferendas censuras, quæ etiam ab initiato solum prima tonsura ferri pos- 8 sunt, vt à Vicario Episcopi habẽte solumprimam tonsuram, vt docent omnes cum *Suar. disp. 2. de censur. sect. 3. nu. 11. apud Bona. disp. 1. de censur. p. 2. q. 1. num. 6.* ratio est, quia censurare spectat magis ad potestatem iurisdictionis, quam ordinis, *cap. Transmissam, de elect. Glos. v. Ecclesiastica, cap. 3. de off. ordin.* Alia vero dicitur 9 potestas iurisdictionis, quæ subdiuiditur in iurisdictionẽ fori conscientiæ, seu internam, & sacramentalem, quæ ordinatur ad conficienda ea sacramenta, quæ præter potestatem ordinis requirunt etiam potestatẽ iurisdictionis, cuiusmodi est iurisdictio absoluendi à peccatis, & censuris in foro sacramentali, & hæc semper supponit ordinem presbiteratus; neq; hæc necessaria est ad ferendas censuras, neq; ab illis absoluendum pro foro externo, remanet ergo secunda potestas iurisdictionis, quæ vocatur externa, seu fori 10 cõtentiosi, sine qua neq; ferri, neq; relaxari possunt censuræ inflictæ in transgressores. Est autẽ iurisdictio hæc externa publica potestas Ecclesiastica ad ius dicendum protegendo innocentes, & castigando nocentes, secũdum Gratianum *in cap. Qua Lotarius §. In manifestis 2. q. 1.* Hanc autem potestatem ordinariam habent 11 de iure omnes constituti in dignitate Ecclesiastica, seu prælatura, ita quod non potest dari vnum sine altero, habens enim dignitatem dicitur habere iurisdictionem ordinariam fori contentiosi; & è contra habens iurisdictionem hanc ordinariam est etiam dignificatus prælatura, *Panor. in cap. De multa, de prebend. num. 21.* non enim reperitur huius generis 12 iurisdictio sine dignitate, *Glos. in cap. Licet, de procur.* & de ratione prælaturæ est, vt habeat adnexam iurisdictionem, Glos. in cap. Decernimus, de iudic. Ad ferendas ergo censuras de iure requiritur, vt quis in prælatura sit constitutus, ad hunc autem effectum ferendi censuras ille dicitur prælatus habens hanc potestatem iurisdictionis fori contentiosi, qui ex officio suo præest collegio, seu vniuersitate electus, *c. 1. de elect.* vel præficitur ab alio prælato ius habente super collegium, vel vniuersitatem, vt si præponatur à Papa, vel ab Episcopo *ex c. Legimus dist. 93. in c. cum ab Ecclesiarum de off. ordin. ibi doctores*; necesse autem est, quod collegium, seu vniuersitas, & electus sint de Ecclesiasticis, de communi doctorum in 13 eo capite. Quare cum Prælati regularium siue locales, vel Prouinciales, aut Generales eligantur ab huiusmodi collegiis, seu conuentibus, & capitulis suis Ecclesiasticis sine dubio per huiusmodi electionem acquirit hanc ordinariam potestatem fori contentiosi regendi suos subditos per censuras Ecclesiasticas, vt dicam infra suis locis. Probare autem hanc potestatem esse in Ecclesia est frustra tempus conterere, & iniuriam illi facere, cum id luce clarius sit, hæreticum sentire in oppositum.

14 Quinto dictum fuit *Contra Christianum*, quia Ecclesia non habet directam iurisdictionem super nondum baptizatos iuxta illud 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt iudicare.* Intellige secundum censuras, ob sequentem rationem, nam per censuras homo priuatur bonis spiritualibus Ecclesiæ; nondum autem baptizati nullum ius habent super bona spiritualia,

lia,cum neque adhoc fuerint membra corporis Ecclesiæ, cuius membrum quis efficitur per sacramentum baptismi, ergo non sunt capaces censurarum, castigari tamen possunt aliis pœnis, cum super nondum baptizatos ratione domicilij, vel delicti Episcopus ius contentiosum habeat in iis, quæ spectant ad Ecclesiam, & præcipue summus Pontifex per totum orbem ob potestatem duplicis gladij, nimirum temporalis ex alibi dictis. Resol.66. num.34. Quare infidelis, paganus, neque catecumenus his pœnis ligari possunt ex communi doctorum Riccius lib. 2. *de iure personarum extra Eccl. grem. cap.6.* Hæreticus vero subditur, quia per recessum a fide catholica Romanæ Ecclesiæ non amisit caracterem baptismi, licet illum infecerit, de communi *Bonac. disp.1. quæst.1. p 4. num.6.*

15 Sexto dicitur, *subditum*, quia censura fertur à superiore per potestatem Ecclesiasticam fori contentiosi non nisi in subditum, *cap. A nobis* 21. *de sent. excom cap. Vt animarum* 2. *de constit. in 6.* Sententia enim cuiusmodi sunt censuræ à iudice ferenda solum est in subditum Trident. sess.14. cap.7.aliter nollius est momenti, cap.4.de iud. quia dicitur lata à non suo iudice, sunt enim correlatiui ad inuicem iudex & subditus, si enim quis non est iudex respectu alicuius,neque is est subditus respectu illius.

16 Septimo dicitur, *Transgressorem*, vt quis incurrat censuras non sufficit, quod sit fidelis, & subditus, necesse est, quod peccauerit contra legem, aut præceptum superioris nolendo obedire. L a enim non est posita iusto, sed transgressoribus. Quale autem peccatum requiratur pro incurrendis censuris, dicam infrà quæst.28.

17 Octauo demum dicitur, *quem priuat bonis spiritualibus*, effectus censurarum est priuare transgressorem bonis spiritualibus, cuiusmodi sunt communio Ecclesiæ,suffragia missarum, horarum canonicarum, sacramentorum, &c. de quibus infrà sub q.16. Ex quo patet censuras dici pœnas priuatiuas, quia priuant censuratum bonis spiritualibus, vnde censuratus per solam abstinentiam ab illis, vt non celebrando, non administrando sacramenta, &c. dicitur censuram seruare, à quibusdam tamen suffragiis cuiusmodi sunt communicare in suffragiis ab Ecclesia factis, in quibus acquirendis sola sufficit dispositio fidelis, iuxta illud. *Particeps ego sum omnium timentium te*, censuratus statim remanet priuatus, quia huiusmodi pœna immediatè ea instituto Ecclesiæ, sic etiam exigente natura eius aufert à transgressore ius ad suffragia Ecclesiæ, circa quæ solam dispositionem habet, & ius acquirendi sine vlla sui actione,cum hæc sit Ecclesiæ fundentis preces pro omnibus Christi fidelibus non excommunicatis.

18 Nonnulli dicunt censuras vocari impropriè pœnas priuatiuas, eo quod non priuant bonis spiritualibus habitis,maxime excommunicatio,quæ impedit tequisitionem futurorum bonorum, eo quod priuatio refertur ad habita, consequenter ad præterita bona, vnde dicitur, priuatio supponit habitum. *l. Decem* 116.*ff. de verb. sign.* censura autem non priuat habitis, sed in futurum habendis, & ad hoc is inte vocatur prohibitio, cap.Multi 18. a. quæst. t. ibi : *Quemquam prohibere à communione non possumus*, est ergo impedimentum, quo quis amplius post censuram acquirere non potest bona spiritualia. Sed vocabulorum subtilitas spectanda non est, quando eorum habemus cognitionem de re, nam suspensio ab officio, & beneficio non futurorum, sed iam habitorum priuatio est, quare & priuationem, & impedimentum, & prohibitionem nomen censuræ includit. Hæc satis pro intelligentia singularum particularum prælibasse ab initio descriptionis censuræ sic explicatæ multum profuturæ intellectui dicendorum.

19 Quæres autem t. Quotuplex sit censura? Respond. Sunt tres censuræ Excommunicatio, Suspensio, & Interdictum, prout respondit Gregorius Papa, *cap. Quærenti* 20. *de verbor. signif.* & ita omnes doctores. Hinc est, quod aliæ pœnæ Ecclesiasticæ vti Irregularitas, Degradatio, Depositio, & Cessatio à diuinis non sint, neque veniant sub nomine censuræ, nam Irregularitas à solo iure imponitur, censuræ etiam ab homine;quæ semper supponunt peccatum, non item irregularitas, quæ sine peccato incurritur si sit ea defectu; neque instituta ad corrigendos homines, sicuti censura, vnde neque pœna medicinalis dici potest. Degradatio, & Depositio imponuntur absque spe remissionis, in censuris vero est spes restitutionis, posita resipiscentia,& emendatione transgressoris. Cessatio demum fertur tam in delinquentes, quam in non delinquentes, & innocentes, neque illius transgressio inducit irregularitatem, sicut violatio censurarum, quæ etiam directè,& primario feruntur in transgressores, secundario in non delinquentes etiam.

20 Respond. Omnes illi, qui iurisdictionem habent pro foro contentioso, ex supradictis sub num. 12. Cuiusmodi sunt Papa, Archiepiscopi, seu Patriarchæ, Primates, Episcopi, Legatus à latere, Vicarius generalis Episcopi, prælati regulares vti Generalis, Prouincialis, & Prior, seu Superior localis quouis nomine appelletur, hi omnes iure ordinario possunt censuras ferre in suos subditos, quia habent potestatem spiritualem fori contentiosi in suos subditos,& de singulis ostenditur.

21 Papa censuras ferre potest per totum orbem contra omnes,& singulosChristianos etiam Principes,Duces, Reges, Imperatores, Episcopos, & Cardinales, seu quosli bet alios quouis nomine nuncupentur, quia omnes subditi illius sunt, ita quod nullus ab eius iurisdictione exemptus est, neque à quopiam eximi potest, est enim omnium iudex sine vlla exceptione, & differentia, *cap. Cuncta per mundum* 17. & 18. 9. q.3. *cap. Per principalem* at *ead.* in specie loquendo de religiosis, & clericis inquit : *Potestatem, & ius habuimus non solum in monachos, verum etiam in quoslibet clericos de quacumque diæcesi cum necesse fuerit ad nos conuocare.* Ita omnes doctores.

22 Concilium Generale iure ordinario hanc eamdem potestatem habet dependenter tamen a Papa, a quo omnia Concilia robur accipiunt facta de illius auctoritate, cap. Significasti 4.de elect. & hoc ius habet super omnes fideles, quia est generale super omnes Christianos, excepto Papa, qui illi est superior. Generale autem concilium in tantum est, & durat, in quantum vniuersa Ecclesia dicitur actu congregata, alias terminata congregatione cessat Concilium, ita quod nec post se relinquere potest Vicarium, cum is subsistat, dependet à virtute Concilij, quod Ecclesia disgregata per terminationem Concilij ipso iure, & facto cessat omnino, & consequenter omnis illius Vicarius. De potestate ferendi censuras *Cardin. Albanus in tract. de potest. Papæ part.2. num.147.Megal.lib.1.de cens.cap.2. num.8.*

23 Legati a latere hanc habent potestatem intra fines suæ legationis, & alij similiter, *ex cap. Nouit.*7. *de off. legati, Megal. lib.1. de censur. cap.2. num.9.* & 10. sunt enim in dignitate constituti habentes iurisdictionem fori externi, *cap. Legatos* 2. *de off. leg. in 6.* ergo censurare possunt.

24 Vicarius Papæ hanc potestatem habet, in vrbe tamen, non extra extenditur eius iurisdictio, cap. Tua nobis 5. de off. Vicar.

25 Episcopi, Archiepiscopi, Abbates quidam habentes iurisdictionem fori contentiosi ferre possunt censuras, quia sine dubio sunt constituti in potestate Ecclesiastica fori externi vnusquisque sibi subditos, & intra limites suæ diæcesis, *cap. primo seq.*9. *q.*2. *per totam.* Possunt etiam extra suam diæcesim, quando per violentiam principum coguntur extra manere in aliorum Episcoporum diæcesib. ex dispositione Clem. de foro compet.

compet. & in aliis casib. quos vide apud *Megal. lib. 2. cap. 2. n. 15. bene glos. 1. cap. 3. de off. ord.* Regulares superiores cuiusmodi sunt Generalis, Prouincialis, & reliqui superiores locales immediati in conuentu quouis nomine appellentur possunt censuris afficere suos subditos, quia in eos habent iurisdictionem ecclesiasticam fori contentiosi, vt apud omnes certum est, arg. *cap. Transmissam 15. de elect. glos. fin. vbi* dicitur, quod ad iurisdictionem prælati electi, & confirmati spectat iudicare, excommunicare, suspendere, & interdicere, & similia facere. *Ita glos. v. Si prælati cap. Quanto 7. de off. ordin per cap. Cum in ecclesiis de maior. cap. Sicut de simon. cap. fin. de regul. cap. Reprehensibilis 26. de appell. Glos. v. Aut monachum, cap. De persona 11. q. 1. Ita omnes cum Rodr. tom. 5. q. 59. art. 1. cum suo Compend. resol. 65. initio, Nau. cap. 27. n. 5. Sayr. lib. 1. cap. 6. num. 13. Tolet. lib. 1. cap. 7. num. 6. Graff. part. 1. lib. 4. cap. 4. num. 8. Bonac. de cens. p. 2. n. 5. Megal. lib. 1. de cens. cap. 2. n. 26. Tamb tom. 2. disp. 14 n. 5. Peyrin. de Prælat. q. 3. cap. 4. Mirand. tom. 2. q. 35. art. 8* & licet nonnulli loquantur solum de excommunicatione, tamen idem dicendum est de reliq. vt docent *Nau. cap. 27. n. 159. & 168. Tolet. lib. 1. cap. 45. Silu v. Suspensio num. 2. Angel. num. 3. eadem n. est ratio de omnib. ex cap. Licet 14. de sent. excom in 6. ibi glos. v. Excommunicationis, cap. Ad hæc 37. de appell. ibi Gloss. 1. & in cap. Dilectis 55. eod. v. Suspendendum* parificantur. n. censuræ in multis *cap. 1. de sent. excom. in 6. v. Obseruari, cap. Statutum 13. eod. glos. fin. cap. 15. cui 10. eod. iuncta glos. fin.* De potestate suspendendi in specie *in cap. Reprehensibilis 56. de appellat. Sayr. lib. 4. de suspen. cap. 2. n 6. Tab tom. 2. disp. 1. q. 1. n. 2. Mirand. tom 2. q. 36. art 4. quamplures citat Peyr. de Prælat. q. 3. cap. 4. n. 26.* De potestate interdicendi *ijdem Mirand. q. 37. art. 4. Tambur. disp. 16. q. 1. n. 4. Peyrin. cit. n. 27.*

26

27

Prælati ergo regulares habent potestatem excommunicandi, suspendendi, & interdicendi iure ordinatio de iure communi textib. & doctoribus supra allegatis.

28 Hanc eamdem facultatem omnes singulorum ordinum prælati iure priuilegij habent, vt videre est in eorum priuilegiis, vnde interim in Confect. in compendio Marismagni Sixti I V. §. I. X X I & XXII. in specie pro meo ordine Nicol. V. Bulla incip. *Pastoralis officij.* Dat. 20. Iulij. 1447. concessam Generali, per quam possit suos subditos contumaces censuris ecclesiasticis compescere, & reducere ad obedientiam sibi debitam.

Quæres 3. An Vicarij Generales, Prouinciales, locales, Præsidentes, seu Commissarij, & alij quouis nomine appellati vicem prælatorum gerentes ex officio suo possint ferre censuras?

29 Respond. Isti Vicarij, seu Commissarij electi ab vniuersitate de iure religionis, vel etiam constituti iure proprio à prælatis ad vniuersitatem causarum ad proprium officium spectantium cum potestate corrigendi, & castigandi vti iudices censuras ferre possunt contra contumaces, & rebelles, & præcipere aliquid faciendum, vel non faciendum sub excommunicatione, seu suspensione, aut interdicto saltem personali. Ratio quia prædicti omnes habent potestatem fori contentiosi, quod sufficit ad ferendum censuras, & ita

30 colligitur *ex cap. Præterea 5. de off. de leg.* licet in commissione non fiat mentio de pœnis censurarum infligendis. Pro cuius intelligentia notanda sunt quatuor genera Commissariorum.

Commissarij primi generis sunt illi, qui de iure eliguntur in capitulis Generalibus apud quasdam religiones, olim vnus erat Commissarius generalis electus in capitulo Generali in nostro ordine post electionem

31 ipsius Generalis, cui erat comes, & coadiutor in visitationibus, ita quod Generalis nihil poterat facere, neque capitulum congregare sine illius licentia, alias omnia eius gesta irrita erant, prout expresse statuit Paulus IV. Bulla incip. *Pastoralis officij*, & cap. 1. Regulæ, in quibus locis subiungitur, quod si Generalis moriatur Cómissarius succedat in eius locum, & eius vices gerat vsque ad Dominicam Resurrectionis proxime futuram, in quo illis temporibus celebrabatur capitulum Generale. Dictus autem Commissarius in cæteris erat subiectus Generali, ex citato cap. 1. Regulæ, & quando Generalis non poterat ipse visitare simul cum eo religionem, hoc onus ex vi Regulæ, cap. 1. & 3. supplebat ipse Commissarius, in quo casu illi subiiciebantur etiam Prouinciales ex cap. 4. Duo præterea concedebantur illi in Regula ex cap. 17. Castigabat delinquentes in materia alienationis, & concedebat facultatem fabricandi, seu ædificata restaurandi. Habebat etiam facultatem absoluendi, & dispensandi, cap. 14. dabat licentiam sacerdotibus pro confessionibus secularium, cap. 22. & demum dimittebat clericos ad ordines ex cap. 23. Concessa autem Commissario Generali in tribus capitibus 14. 22. & 23. Regulæ conceduntur etiam aliis commissariis à prælatis Generali, seu Prouincialibus delegati tamen ad vniuersitatem causarum. Demum Sixtus V. Bulla, *Romani Pontificis*, restituendo ordini nostro Generalem ante sublatum à Pio V. Bulla. *Ea est*, prohibuit, ne deinceps eligeretur Commissarius Generalis in capitulo Generali. Ex quib. patet illum habuisse iurisdictionem fori contentiosi, consequenter potuisse ferre censuras contra rebelles, & delinquentes De Commissariis Generalibus *vide Rodr. tom. 1. q. 52. art. 1. Mirand. tom. 2. q. 11. Compend. resol. 29. Portel. v. eodem.*

32 Secundi generis Commissarij sunt missi ad visitandas prouincias, & religionem delegati à Generali sibi potestate expresse à Regula cap. 3. quando ipse est impeditus, vel Commissarius Generalis iam extinctus, quos discreti prouinciales quasi consiliarij, vt scribæ comitantur, & iis etiam prouinciales subiiciuntur ex cap. 4. Habent autem iurisdictionem fori contentiosi præstandi ea omnia, quæ necessaria sunt pro exarando munere ipsius visitationis, de qua facultate licet Regula mentionem non faciat, subintelligitur tamen de iure eisdem concessa, quia non datur alicui aliquod munus in alios exercendum sine iurisdictione & coactione necessariis ad illud explendum, *cap. 28. de off. delegati*, Quare cum Commissarius non possit causas commode expedire suæ visitationis sine adminiculo censurarum, seu iuramenti, & aliis mediis poterit adhibere huiusmodi remedia contra inobedientes, & contumaces, cogendo censuris, & iuramento ad dicendum veritatem; licet enim dicatur in cap. 1. §. Sane, de

33 censib. in 6. in visitationibus procedendum esse sine iuramento, hoc tamen locum habet solum respectu prælatorum, secularium, non autem regularium, de quibus loquens dictum cap. in fine dicit, saluis super hoc rationabilibus, & approbatis religiosorum consuetudinibus, & regularibus institutis. De censuris ferendis in visitationib. suis, *cap. Ea qua 8. de statu monach. M. Antonius Resta in suo Directorio Visitatorum, & ex eo Peyrin. in Formul. lit. P. cap. 9. num. 7. qui de Subdito q. 1.*

34 *§. 2. At inquies*, dicit Visitatores ex hoc officio non dici prælatos, quia non habent iurisdictionem ordinariam, secundum Abbatem *in cap. Decernimus, de iudic. num. 16. & cap. Tua nos, de cler. ægrot.*

35 Hi autem commissarij ex cap. 14. absoluunt à casibus, & censuris reseruatis, & dispensant in irregularitatibus in quibus ipse Generalis. Item ex cap. 22. dant licentiam sacerdotibus pro confessionibus secularium. Item cap. 23. dimittunt clericos ad ordines recipiendos. Intellige hæc in actu visitationis, nam ea peracta, spirat eorum facultas, quia sicut cessante causa cessat effectus eius, cap. 60. de appellat. ita cessante visitatione, quæ est finis potestatis, consequenter cessat ipsa potestas, nisi Generalis aliud expresserit in suis literis, quod tamen facere non debet, ne multiplicentur officiales sine necessitate, & de his dixi nonnulla resol. 66. num. 31.

num. 31. 32. & 33. Isti autem Commissarij Generales visitant etiam Prouinciales, & alios superiores, Rodr. tom. 1. q. 54 Mirand. tom. 2. q. 15. Compend. resol. 29.

36 Similes Commissarios pro visitatione suarum prouinciarum instituere possunt Prouinciales, quando ipsi impediti sunt, & non possunt visitare per se prouinciam, sunt enim ordinarij consequenter aliis suam potestatem delegare possunt maxime impediti. Quæ dicta fuerunt de Visitatoribus Generalib. proportionalib. applicari possunt Visitatoribus Prouincialibus: *Peyrin. de prælato q. 3. cap. 1. num. 6.*

37 Tertio Commissarij permanentes ad aliquod tempus constituuntur tam à Generali, quam à Prouincialibus, in casu quo huiusmodi prælati absunt à suis territoriis, seu prouinciis occasione capituli Generalis, seu prædicationis, vel alterius negotij vrgentis, item quando Generalis multum distat ab interiori corpore religionis, vel fungitur aliqua legatione, &c. item cum moritur prouincialis, in his, & similib. casib. constituti commissarij habent potestatem delegatam ad vniuersitatem causarum pro foro externo, consequenter in negotiis occurrentib. vti possunt censuris, iuramentis, & aliis mediis necessariis ad continendum in officio subditos.

38 Quarto demum alij sunt Commissarij missi vel à Generali, vel à Prouinciali pro aliqua speciali causa, & pro ea tantam facultatem habent, quantam prælatus in eorum parentibus literis expressit, & in dubio cum habeant potestatem corrigendi, videntur etiam vti posse remedio censurarum contra contumaces in causa pro qua missi sunt.

39 An autem isti Commissarij possint aliquos articulos, & casus aliis subdelegare e. g. subdelegare receptionem professionis, absoluendi à reseruatis &c. Respond. Possunt, exceptis huius quarti generis Commissariis, probatur, Tum quia delegatio est actus iurisdictionis, *cap. 1. de off. ordin. in 6.* isti autem Commissarij quasi ordinarij vocantur *arg. eorum, quæ habet Gloss. v. Delegatus cap. 62 de appell.* Tum quia delegatus ad vniuersitatem causarum potest subdelegare, *Bartol. cum aliis in l. Legatus ff. de off. procons. alios allegat Sanch. lib. 3. disp. 31 num. 2.* prædicti autem Commissarij sunt ad vniuersitatem causarum, ergo subdelegare possunt vnum, vel alterum articulum in casib. occurrentib.

Quæres 4. An Vicarij Priorum, & aliorum superiorum localium possint ferre censuras? Loquor de illis Vicariis, qui constituti sunt ab ipsis prioribus, quorum vices gerunt præsertim cum sunt extra conuentum.

40 Respond. Vicarij, seu Vicepriores, subpriores à suis Prioribus nominati, & non de iure electi præsente Priore, vel absente per breue tempus non habent facultatem ferendi censuras, nisi eorum superior, vel Regula eisdem expresse hanc potestatem illis indulgeant, quia non habent iurisdictionem fori contentiosi, sed sunt simpliciter curatores, & administratores rerum, & religiosorum curam habentes. Quod si Priores absint multum, vt tempore Quadragesimæ, occasione capituli, & huiusmodi, in his casibus tanquam substituti in locum prioris, ac si non esset simpliciter possunt quicquid posset Prior si præsens esset. Ita docent *Silu. v. Prælatus num. 2. Auila de censur. part. 2. cap. 3. disp. 1. dub. 1. Fagundez in 2. præcepto eccles. lib. 8. cap. 4. num. 5. & ex illis Peyrin. de prælato quæst. 3. cap. 4. num 6. Bartoluc. in suo speculo Minor. lib. 1. concl. fin. Vide Resol. 82. num. 2.*

41 Alij Vicarij, seu præsidentes electi in capitulis, vel constituti à superiore in locum superioris localis absentis per multum tempus, vel constitutus in locum præmortui, vel amoti ab officio, sunt vere prælati, vel saltem habentes iurisdictionem ordinariam ex iis, quæ docet *Rodr. tom. 1. q. 12. art. 6 q. 3 art. 20. tom. 3. q. 76. tra. 1.*

Quæres 5. An capitula Generalia, & Prouincialia habeant hoc ius ferendi censuras?

42 Respond. Possunt, probatur, Tum quia capitulum Generale continet in se collectiue, & eminenter totam potestatem, quam habet religio dispersam in suis prælatis, qui ex supra probatis possunt ferre censuras; ergo idem præstare potest capitulum Generale. Tum

43 quia capitulum Generale est supra Generalem, & non Generalis supra ipsum, cum illi subdatur, *Suar. tom 4. de relig. lib. 2. cap. 3. n. 21. ex eo Lezana tom. 1. cap. 18. n. 11. Cord. q. 3. cap. 8. Regula, Peyrin. tom. de Prælato q. 3. cap. 8. n 15.* & hoc patet ex nostra Regula, cap. 1. in quo renuntiat in fine suum officium præsidi capituli Generalis. cap. 2. tenetur confirmare Prouincialem dignum electum à capitulo ex ordinatione illius capitis, cap. 3. iubetur singulis annis visitare religionem, cap. 23. caueat Generalis ne indignos permittat initiari,

44 cap. 29 Generalis, nouos conuersos recipere non potest sine assensu illius prouinciæ, cui adscribendus est, sed Generalis censuras ferre potest, ergo à fortiori Capitulum Generale maius illo. Ita docent *Rodr. tom. 1. q. 41. art. 2. cum suo Compend. resol. 20 n. 2. Lezan. tom. 2. cap. 12. n. 6. Peyrin. in suo Formul. lit. C. cap. 3. n. 1.* Capitulum vero conuentuale, seu locale hanc facultatem ferendi censuras non habet. Tum quia nullam habet potestatem, cum tota resideat apud Abbatem, &

45 superiorem localem, *cap. Nullam 18. q. 2.* Tum quia non est supra superiorem, cum illum eligere, neque destituere possit fere apud omnes religiones; quia fiunt per capitula maiorum, nullam ergo potestatem habet capitulum conuentuale, sed illius superior omnia peragit, & super illud est.

Quæres 6. An contra quosnam subditos prælati regulares possint ferre censuras? Nam inter habitantes in eorum conuentibus, alij sunt Tertiarij, alij famuli in habitu laicali, alij nouitij, alij professi, alij aduenæ, vt sunt hospites transeuntes, alij permanentes per aliquot temporis spatium causa negotij, prædicationis, &c. An omnes isti feriri possint censuris à prælatis re-

46 gularib. Respond. Certum est Generalem suis censuris quouis modo latis siue iure, siue ab homine ligare quoscumque religiosos in quolibet loco reperiantur. Quod idem proportionaliter dicendum est de Prouinciali respectu eorum Fratrum, qui sunt in prouincia; & de Prioribus respectu Fratrum, qui sunt de eius familia.

47 Famulos vero, Tertiarios, & Nouitios ligare quidem possunt, non tamen intelliguntur affecti censuris siue à iure, siue ab homine, nisi prælati de illis expressam mentionem faciant in suis ordinationibus, & sententiis, aut statutis. Primum suadetur. Tum quia, vt aliquis possit ligari censuris ab aliquo legislatore, vel iudice necesse est, quod sit subditus & contumax, cap. fin. de constitut. in 6. Sayr. lib. 1. de censur. cap. 7.

48 n. 8. & alij communiter; sed prædicti continui commensales, vt suppono degentes intra claustra cum professis dicuntur subditi prælatorum regularium, nam aliquem esse subditum alicui maxime cognoscitur ex

49 habitatione, & domicilio contracto in loco alterius, subditus enim proprie dicitur quis ratione domicilij, Glos. v. subditus in fine Clem. de foro comp. expresse cap. Licet fin. de foro comp. Glos. v. Aut domicilij; iuribus citatis ergo ligati possunt censuris, Tum quia

50 non amplius sunt subiecti laicæ potestati, aut Episcopali, sed tantum iurisdictioni prælatorum regularium, vt colligitur ex constit. incip. *Dum intra, Leon X. & Tridentino Sess. 24. & 25. cap. 11. quod de Tertiariis docui Resol. 56. à n. 156. Resol. 75 n. 46 de Familiaribus n. 85. de Nouitiis satis notum est, dixi Resol. 54. n. 107. ad 172. & num. 135.* quod possint excommunicari. Tum quia gaudent priuilegiis professorum, ergo ratio dictat illos esse subiectos prælatis quo ad onera. Tum quia alias sequeretur absurdum; si enim prælati pro bono communi, & honestate religionis cogentur prohibere aliquid sub pœna excommunicationis, nempe ne quis

reuelet secularibus aliquod graue delictum e. g. commissum ab aliquo religioso, probabile est, si non possint hanc pœnam extendere ad Tertiarios, & Nouitios, quod delictum facile reuelabitur ab illis, ne ergo sequatur hoc inconueniens, pari pœna cum professis ligandi sunt, ne delictum occultum reueletur in magnum religionis detrimentum. Ita cum Salas 1.2. disp. 54. sect. 5. Vasque & aliis docet de Nouitiis Vecchius disp. 9. dub. final. Demum famuli ab ordinatiis excommunicari non possunt, *Rodr. ex suo Compend. resol. 61. num. 9.* ergo in hoc subduntur prælatis regularibus, ne sint potioris conditionis conditionis professis.

52 Hospites Fratres non ligantur statutis particularibus alicuius prouinciæ per quam transeunt, neque præceptis, seu ordinationibus superiorum localium, vnde transgressores existentes sine scandalo excusantur à censuris, & pœnis. Possunt tamen superiores in suis ordinationibus exprimere, & comprehendere etiam hospites si volunt, non intelliguntur tamen inclusi, nisi exprimantur. Delinquentes autem puniri possunt, & citari sub censuris ad comparendum. Primum quod non subdantur statutis, & præceptis nisi exprimantur, suadetur. Tum quia viator non sortitur forum loci, per quem transit. *l. Heres absens §. Proinde ff. de iud. Glos. v. Veneris, cap. Illa autem 11. dist. 12 Glos v. Moram trahens extr. Ioan. 28. de pœnis.* Tum quia transiens per breue tempus manens in loco censetur ibi non esse. *l. Quæsitum 76. §. fin. ff. de leg.* Tum quia statuta prouincialia feruntur in ordine ad subditos, vt contineantur in officio; sicut & localea ordinationes, ergo comprehendunt tantum subditos, & non aduenas. *Ita Rodr. tom. 1. q. 68. art. 4. Bonac. q. 1. de legib. p. 6. num* 37. Intellige primo præciso scandalo: secundo quando ea statuta non sunt in propria prouincia; tertio, nisi ibi mansurus sit maiori parte anni, vt deducitur in simili ex *Sanch. lib. 1. cap. 15. num.* 38. & sequentibus. Secundum, quod possint aduenæ statutis ligari, & præceptis probatur, quia id dicitur bonum regimen prouinciæ, & conuentuum. Ita docent præcitati cum *Mirand. tom. 1. q. 29. art. 6. cum aliis, & Peyrino de prælata q. 1. cap. 8. num. 21.* tenente obligati ad omnes obseruantias ac si essent subditi de familia in conuentu, *Lezana cap. 4. num. 28.* Tertium, quod occasione alicuius delicti religiosus hospes censuris ligari possit, suadetur, Tum quia quis ratione delicti sortitur forum loci, vbi reperitur, cap. fin. de foro compet. etiam respectu censurarum, Megal. lib. 1. de censur. cap. 3. num. 50. Tum quia de aduenis, quod censuris ligari possint expresse dicitur, *cap. Placuit 4. 6. q. 3 cum sequen. Palea, cap. 1. de Raptor. Bertius in praxi crimin. tit. 2. cap. 7. num. 17.* Et hoc procedit siue maneat in monasterio, siue secedat, & fugiat, nam citari potest sub pœna excommunicationis, vt dicam sequenti quæstio.

Quæres 7. An prælatus regularis siue per statutum, & ordinationem, siue per sententiam ligare possit suos subditos in quouis loco transgrediantur eius statutum, ordinationem, seu præceptum sub aliqua censura?

53 Respond. Potest, Tum quia est iudex personarum simpliciter, & independenter à loco, ergo in quouis loco peccauerint puniri possunt, & incurrunt pœnas inflictas contra transgressores. Tum quia religiosi delinquentes extra claustra adhuc puniri possunt à suis prælatis, ergo & censuris ligari, antecedens est Tridentini sess. 25. cap. 14. & cap. fin. de regul. fugitiui, & apostatæ præcipiuntur puniri, & reuocari sub pœna excommunicationis. *Ita docent Rodr. tom. 2. quæst. 59. art. 2. cum sua Compend. resol. 62. num. 1. Megal. lib. 1. de censur. cap. 3. num. 37. Sayr. lib. 1. de censur. cap. 14. num. 6. casu vndecimo. Bonac. alios citans q. 1. de censur. p. 21. numer. 5. Diana resol. 34. fine de excommun.*

Neque prædictis obstat, cap. 2. de constit. in 6. & cap. 15. § Cum vero §. Iniunctio, de rescr. in 6. in quibus locis dicitur iurisdictionem contentiosam non posse exerceri extra territorium, nam eo cap. 2. dicitur, quod statuto Episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, sententiam excommunicationis promulgari, subditi eius furtum extra ipsius diœcesim committentes, minime ligantur, *vnde Bartolus cum aliis ex l. fin. C. vbi, & apud quas.* dicit, quod iurisdictio cohæret loco, & territorio. Nam locum habent respectu iudicum, & legislatorum habentium territorium, vt sunt Episcopi, & principes, quorum iurisdictio in proprios subditos restringitur ad sua territoria, vltra quæ nullius est momenti, nisi in certis casibus, de quibus *Sayr. lib. 1. de censur. cap. 14. num. 6.*

Quæres 8. An Episcopi iurisdictio in ferendis censuris ita loco limitetur; vt non possit ligare suos subditos extra delinquentes neque statuto, seu lege, neque præcepto generali prohibendo e. g. furtum sub pœna excommunicationis, aut præcepto speciali contra particularem subditum nec e. g. ludat aleis, an in illis, & similibus casibus furans, vel ludens extra territorium, aut etiam in territorio, sed in loco exempto, seu conuentu regulari exemptus sit ab huiusmodi pœna.

54 Respond. Episcopus proprios subditos delinquentes extra territorium etiam in propria diœcesi, sed in loco, aut conuentu exempto ligare non potest censuris siue per statutum, & legem, siue per sententiam, aut præceptum illos citando præcise respectu alicuius delicti extra perpetrati, modo non habeat delictum connexionem cum territorio.

Primum, quod extra delinquens ab Episcopo ligari non possit, probatur. Tum quia eius autoritas fori externi contentiosa limitatur loco suæ diœcesis, extra quam non extenditur expresse cap. 2. de constit. in 6. vbi reddit rationem Bonifacius VIII. cum extra territorium ius dicenti non pareatur impune. Vbi ius dicere non solum sumitur per statutum facere, verum etiam & proprie pro quolibet alio actu, seu ordinatione, aut præcepto factis à iudice ex l. Vn. C. Ne quis in sua causa; vbi dicitur, quod nemo sibi ius dicere potest. i. iudicare seipsum. Quare licet Papa ibi exemplificet in statutis ordinatiorum, nihilominus idem dicendum est de sententiis, ordinationibus, & præceptis, cum non sit maior ratio de vno, quam de aliis, & prædicti omnes actus siue per legislatorem, siue per iudicem veniant sub iurisdictione, hoc est, sub ius dicere. Tum quia illa distinctio inter statutum,

55 & sententiam, quod illud referatur in bonum territorij statuentis, hæc vero ad continendum in officio subditos præscindendo, à loco nullius est momenti, & considerationis, siquidem statuta, & sententiæ, atque quæcunque aliæ ordinationes, & præcepta semper principaliter & primo ordinantur in publicam vtilitatem personarum, & non locorum, vt contra distinguntur à personis, leges enim, & præcepta non locis, sed personis promulgantur, ergo in hoc nulla differentia, sed æqua potestas respectu omnium, cum cen-

56 sura ex statuto in hoc differt, à sententia & ordinatione, quod illud dicitur à iure factum, & perpetuo durare, hæc vero ab homine perpetuo non durans, sed cessans cum morte naturali, aut ciuili ipsius ordinantis prælati, aut superioris. Ita docent *Henr. Conink. & Vrsadus de cens. in communi diff. 8. num. 34. citati à Diana part. 5. tract. 9. de excom. resol. 32.* vbi tenet oppositum respectu sententiæ ob illam differentiam, cui iam satisfecimus, *Megal lib. 1. de censur. cap. 3. num. 35.* contra *Suar. & Sayr. & alios citatas à dicto Diana*. & contra *Bonac. q. 1. de cens. p. 11. num* 14. asserentes subditum extra territorium delinquentem ligari posse; sed de hoc dicam mox sub num.

57 Secundum, quod subditus delinquens intra clausuram, vel alio loco exempto, licet existente intra diœcesim; non incurrat censuram latam contra ludentes,

furantes

furantes &c. probatur ex illo communi axiomate, quod locus exemptus æquiparatur loco existenti extra diœcesim. *Ioan. Andr. in Clem. de foro compet. v. Quam nomine, & glos. v. Aut parte earum per cap. Cum Episcopus, de off. ordin. in 6.* vbi expresse dicitur quod Episcopus habet iurisdictionem in omnibus locis suæ diœcesis exceptis locis exemptis, ergo ista censentur esse extra diœcesim, quoad hunc effectum iurisdictionis exercendæ tam titulo statuti, quam sententiæ, aut præcepti, vnde ex hoc *Rodr. tom. 1. quæst. 36. art. 3. in fine §. Primum* probat, ordinarium non posse visitare ecclesias exemptas, quia quo ad hoc censentur esse extra diœcesim; & *Lapus in Clem. 1. de priuileg. apud Graff. part. 1. lib. 3. cap. 17. num. 107. & Sigism. dub. 51. num.* dicunt, quod locus exemptus quamuis sit in diœcesi, non est tamen de diœcesi, neque sub diœcesi, secundum ergo situm est in diœcesi, non secundum subiectionem, dicitur esse in diœcesi materialiter, non formaliter; neque dicas cum Suar. & multis aliis citatis à Diana resol. 66. de excom. Monasteria regularium quo ad hoc non dici exempta, nisi in ordine ad religiosos, quia alibi probaui eorum monasteria, & loca etiam respectu sui dici exempta. *Resol. 51 num. 145. ad 151.* Quare ludens e. g. in conuentu religiosorum non subiicitur statuto, vel ordinationi continenti censuram contra ludentes. Ita docent *Megal. lib. 1. de cens. cap. 3. num. 36. Henr. Auila, & alij, quos pro se citat Diana ea resol. 66. Nald. v. Exemptio 5. contra Suar. Coninchum, Gordonum, & alios, quos ipse Diana citat*, asserentes loca religiosorum non dici exempta quo ad hoc.

59 Tertium, quando delictum aliquem habet respectum, & connexionem cum re existentes in territorio, eo casu ligatur censuris, probatur, quia eo casu dicitur delictum commisisse in territorio, vt si clericus nolit residere in loco sui beneficij incurrit censuram latam contra non residentes, quia delictum non residendi dicitur commissum in diœcesi Episcopi ordinantis, sicut ille, qui post commissum furtum recedit, cogi potest censuris ad restitutionem. Ita docent Hurtadus de cens. in comm. diff. 8. Diana resol. 31. de excom. notab. 3.

Quæres 9. An qui commisit delictum in territorio siue sit subditus quando deliquit, siue aduena, citari possit, & censuris ligari, quando aufugit post delictum perpetratum? Quod idem quæritur de illo, qui recessit simpliciter, an sub censuris reuocari possit?

60 Respond. Episcopus non potest citare, aut ligare censuris suum subditum, multo minus aduenam, qui post crimen, antequam ad eum citatio perueniat, aufugit extra propriam diœcesim; neque simpliciter recedens, modo isti respectu alicuius rei per ius non fingantur esse adhuc in diœcesi, licet extra sint corporaliter, & ratione personæ.

61 Primum, quod Episcopus possit ligare subditum, vel aduenam, ad quos peruenit citatio antequam exierint diœcesim citantis, probat, quia vterque est vere, & perfecte subditus ille ratione domicilij, iste ratione delicti, ex probatis supra licet post cognitam, & visam citationem recedant delinquentes, & alibi statim domicilium contrahant, quia per citationem factam Episcopus non perdit suam iurisdictionem, sed eam prorogat vsque ad finem causæ contra citatum licet recedat, & alibi habitationem constituat, vt expresse dicitur *cap. Proposuisti 19. de foro compet. cum aliis iuribus à Glosa ibi allegatis.* Ita docet *Megal. lib. 1. de cens. cap. 3. num. 50.* quia contumaciam contraxit in loco Episcopi citantis, & subdit num. 51. Episcopum suum subditum existentem extra suam diœcesim excommunicare posse, quia cum excommunicatio primo, & immediate feriat animam, talis censuræ executio non violat, neque perturbat alienum territorium, licet secundo: ligat etiam corpus priuando illud communione fidelium, & sepultura ecclesiastica, subdendo num. 52. Episcopum alienum subditum delinquentem in proprio territorio non posse suspendere, aut interdicere licet citatus aufugerit, quia hæ duæ censuræ licet secum trahant executionem sicut excommunicatio, tamen cum primo attingant corpus, circa quod facienda est executio, ideo illis pœnis Episcopus existentem extra territorium suum ligare non potest. De subdito delinquente post citationem recedente, & mutuante domicilium, quod possit excommunicari, docent *Glos. v. Impedire in cap. Præterea 5. de appel. Lazar. sect. 4. de monit. quæst. 17. Genuens. cap. 2. Annot. ad num. 7. De aduenis fugientibus post citationem ita Petrus Cornejo part. 3. D. Thomæ Tract. 5. de cens. in genere disp. 6. dub. 2. q. 3. Hurtadus, Auila, & cum eis Diana resol. 36 de excommun.*

62 Secundum, quod non possint ligari censuris subditus, & aduena aufugientes post delictum, ante citationem, suadetur, quia nullus excommunicari potest, aut aliis censuris ligari ab homine nisi præmonitus, & prius citatus fuerit ex communi doctorum *Sayr. lib. 1. cap. 1 n. 5 & dicam infra quæst. 45.* sed subditus, & multo minus aduena existentes extra diœcesim citantis citari possunt, *cap. Neminem 3. q. 6. Glos. in cap. Ex parte 47. de appellat.* in terminis, Episcopum non posse citare suum subditum existentem extra diœcesim *Diana probat resol. 34.* respondendo obiectis eorum, qui tenent oppositum.

63 Tertium, quod existens extra territorium ligari possit ratione rei existentis in territorio, probatur, quia res illa se habet loco personæ, quæ eo casu fingitur esse in diœcesi, consequenter citari potest sub pœna excommunicationis, suspensionis à beneficio, quod habet in diœcesi, item ratione contractus celebrandi, ratione restitutionis faciendæ ex furto, vel damno ibi illato, vel ratione synodi, ad quam tenetur accedere, vt docent *Hurtadus de cens. diff. 8. num. 34 Propositus in part. 3. D. Thomæ de censur. q. 1. dub. 5 n. 26 Villalobos cum Diana resol. 37. de excommun.*

Quæres 10. An Archiepiscopus, ac Episcopus possint censuris afficere religiosos? Videtur, quod non, quia ex supra probatis Episcopus non potest afficere censuris propter etiam subditos, dum sunt extra diœcesim, neque vt legislator, neque vt iudex, ergo multo minus religiosos, qui non sunt subditi, sed exempti ab eorum iurisdictione, & dicuntur eorum loca, & monasteria esse extra diœcesim, licet sint secundum situm, & materialiter in diœcesi. De eorum exemptione dixi *Resol. 7. initio, & Resol. 52 de priuilegiis.*

64 Respond. Resol. 7. num. 8. Episcopum posse censuris ligare in omnibus illis casib. in quibus ipse est delegatus in regulares à sede Apostolica, non vt legislator, sed tantum vt iudex. Vide *Dianam alios allegans resol. 43. de excommun.* Vide Rodr. tom. 1. q. 63. §. in fauorem in fine, cum suo Compend. resol. 62. num. 7. cum aliis ad id variè respondentes.

Casus autem in quibus procedere potest Episcopus per censuras contra religiosos referuntur à *Rodr. tom. 1. q. 63. art. 1. cum suo Compend. resol. 63. num. 54. Quar. v. Exemptio, Confect. tit. 6. cap. 2. plenissime Tambur. tom. 1. disp. 15. quæst. 7.* vbi refert omnes Bullas in hac materia, vide ipsum, ne frustra paginam dictorum casuum recensione impleam.

Quæres 11. An legati præsertim à latere possint censuris ligare regulares?

65 Respond. Legati à latere, & non alij possunt afficere censuris regulares, probatur *per cap. 1. de off. legati iuncta glos. v. Vniuersitas, cap. Quod 4. Glos. Reseruata eod. Glos. cap. Si Abbatem 36. de elect. in 6.* quia sunt iudices ordinarij etiam exemptorum, & Regularium degentium intra limites legationis. Legati autem sunt in triplici differentia, alij sunt Cardinales, & hi dicuntur mitti à latere Papæ, Glos. v. Commissum, cap. Excommunicatis 9. de off. legati. Alij

dicuntur à communi nomine Nuntij, qui non sunt Cardinales. Tertij generis Legati dicuntur Nati, qui scilicet officium legationis adiunctum habent suæ dignitati, qui sunt Archiepiscopi Pisarum, Remensis, Cantuariensis, & Eborensis. Soli à latere legati sunt iudices omnium exemptorum etiam regularium valentes religiosos ligare censuris per edicta, statuta, aut sententiam. Vnde Clem. IV. Bulla 9. incip. *Exigentibus* apud Rodr. pag 37. illis verbis. *Ne ab aliquo legato, nisi de latere Apostolicæ sedis misso, vel subdelegato autoritate literarum sedis prædictæ excommunicari, suspendi, vel interdici possitis, nisi litera ipsa plenam, & expressam de ordine vestro, & indulto huiusmodi fecerint mentionem autoritate vobis præsentium indulgemus.* Ita Rodr. *tom. 2. quæst.* 63. *art.* 4. *cum sua Compend. resol.* 62. *num.* 5. *& resol.* 63. *num.* 15. *Angel. v. Legatus, Roman. sing.* 513. *Peyrin. tom.* 1. *privileg. ad constit.* 2. *Sixti IV. num.* 8. *contra Naldum v. exemption.* 5. *& Compend.*

67 *Theatin. v. Exemptio*, vbi refertur Bulla Pauli III. incip. *Rationi congruit*, in qua Camaldulenses Eremitæ sunt exempti a iurisdictione quorumcumque legatorum etiam de latere. Quare in casu occurrenti exhiberi poterit eiusdem immunitas. Quæ dicta sunt, quibus assentitur *Panor. in cap.* 1. *de officio legati num.* 8. *per cap. Si Abbatem, & alij cum Diana part.* 1. *de Immun. Eccles. resol.* 16. asserentes solum de latere legatum posse exercere iurisdictionem in regulares exemptos, non autem nuntium, neque legatum Natum, intelligenda sunt de iure communi, nimirum legatum de latere ius habere super regulares, cui tamen negatur iure privilegij, nisi abierit in nihilum, privilegia enim nostris temporibus parui sunt momenti, eo quod aliorum fimbriæ dilatantur.

Quæres 11. An Concilium Generale, Vicarius Papæ, Sacra Congregatio, & Protector possint censuris afficere regulares? Respond. ad singula affirmatiue.

68 Concilium Generale potest, quia excepto summo Pontifice iudex ordinarius est omnium Christi fidelium tam secularium, quam clericorum, & religiosorum, *cap. Significasti* 4. *de elect. Cardin. Alban. de potest. Papæ part.* 2. *num.* 147. *Megal. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 8.

69 Vicarius Papæ potest religiosos intra Vrbem existentes censuris afficere, quia habet potestatem super omnes existentes in vrbe, cap. Tua nobis 5. de off. vicar.

70 Sacra Congregatio in causis ad se delatis procedere potest etiam per censuras, quando opus, vt colligi potest ex eorum autoritate, de qua dixi Resol. 73.

71 Protector ordinis in casibus sibi concessis ex officio suo potest procedere per censuras contra regulares, quorum est protector, quia habet iurisdictionem ordinariam fori contentiosi, vt colligitur ex diuersis Bullis Pontificiis, apud *Peyrin. de Subd. quæst.* 1. *cap.* 18. §. 2. *&* 3.

Quæres 13. An Episcopus, & alij prælati, de quibus supra, possint declarare excommunicatos regulares incursos siue à iure, siue ab homine, qui sit ipsemet Episcopus, vel prælatus regularis?

72 Respond. Episcopos in illis omnibus casibus, in quibus censuris afficere potest religiosos, potest etiam eosdem declarare excommunicatos; in aliis autem casibus non potest, nisi in iure id exprimatur; nec præcipere potest suis subditis, vt religiosum excommunicatum euitent, etiam quando notorie constat in excommunicationem incidisse.

73 Primum, quod in illis casibus possit declarare, probatur, quia declaratio huiusmodi est de perfectione, & complemento causæ ab ipso cæptæ; causa autem, & iudicium terminandum est ab eo, à quo cæptum fuit. *l. Vbi cœptum ff. de iurisd. omn. l. Si quis postea ff. de iudic. ex Glos. v. Praueniri, cap. Proposuisti* 19. *de foro compet.* Ita docent Andr. *& Dom. in cap.* 1. *de privil. in* 6. *Rodr. tom.* 2. *quæst.* 63. *art.* 11. *cum suo Compend. resol.* 63. *num.* 14. *Confect. tit.* 5. *cap.* 1. *Nald. Exemptio* 7. *Aphor. Episcop. v. Regulares* 6. *alios citat Diana resol.* 35. *de regul. tenentes cum Naldo citato, & v. Episcopus num.* 18. notorie excommunicatos declarare posse tales, eo quod in eo casu religiosus excommunicatus nullam potest afferre causam ad se tuendum; neque in notoriis requiritur cognitio iudicialis, sed ita excommunicatus sine citatione declarari potest, neque enim declaratio aliquid noui ponit in esse, ex vulgatis iuribus. Non placet hoc, quia licet factum notorium esset, non tamen in ratione delicti, vt in percussione tueri se potest titulo iustæ defensionis; neque alias obstat notorium, quia actus denunciationis non nisi à iudice fieri potest cum sit iurisdictionis, quam Episcopus non habet in regulares, exceptis casibus expressis in iure; præterquamquod declaratio **74** huiusmodi non est declaratio alicuius legis, quæ nihil ponat in esse, sed est denuntiatio facti secundum excommunicationem, quod plura ponit in esse, nam per denuntiationem fideles tenentur illum euitare, & post annum in ea denuntiatus insordescens est suspectus de hæresi, *Carena part.* 1. *tit.* 8. *num.* 5. *in suo nouissimo Tractatu de off. sanctiss. Inquisit. Cremonæ impressa anno* 1641.

Secundum, in aliis casibus, in quibus religiosus **75** Episcopo non subest, non potest declarari ab illo excommunicatus, probatur, quia Episcopus non est Regularium iudex ad denuntiandos illos excommunicatos, cum constet, illos esse notorie exemptos à iurisdictione Episcoporum, Nauar. consil. 2. de sent. excommunic. & supracitati. Nisi in casibus iure expressis, quorum vnus habetur cap. fin. de regul. ibi: *Si vero huiusmodi fugitiuos, vel eiectos inobedientes inuenerint eos excommunicent, & tandiu faciant ab Ecclesiarum prælatis excommunicatos publice denuntiari donec ad mandatum ipsorum humiliter reuertantur*, id tamen facere non possunt nisi prælatis regularibus petentibus, & non aliter. Aliter habetur in Clem. 1. de privilegiis, vbi Papa excommunicat religiosos, qui sacramenta extremæ vnctionis, Eucharistiæ ministrarunt, & matrimonium solemnizarunt sine parochi licentia, & absoluerunt excommunicatos à canone, vel statutis prouincialibus, aut sinodalibus, mandat denuntiari per Episcopos, donec de ipsorum absolutione eis fuerit facta fides. *Rodr. tom.* 1. *q.* 56. *art.* 11.

76 Tertium, quod Episcopus suis subditis præcipere non possit, vt euitent religiosum notorie excommunicatum, probatur, quia sicut non tenemur euitare quemlibet excommunicatum, nisi prius sit talis declaratus, ita neque Episcopus præcipere potest, vt euitetur notorius clerici percussor, aliud enim est notoria percussio, aliud quod sit notoriè declaratus excom. Infrà autem sub q. 15. respond. contrar. in qua statuitur vitandum esse à fidelibus percussorem clerici, de quo ita constat, vt nulla tergiuersatione celari, aut excusari possit, tunc enim Episcopus ordinare poterit religiosum percussorem euitandum esse à suis subditis, quia præceptum tunc fertur in subditum, non in religiosum, *vnde Sellius apud Barbosam ad cap.* 11. *sess.* 24. *num.* 15. refert decisum, Episcopum potuisse præcipere omnibus parochis, canonicis, & aliis sacerdotibus, ne quemdam equitem Ierosolymitanum, quia suum parochum publice alapa percusserat, admitterent intra Ecclesias ipsi Episcopo subiectas. Non obstant decisiones, quia factæ fuerunt iuxta opinionem non requirentium denuntiationem in percussore sacrilego notorio.

77 An autem regularis ab Episcopo denuntiatus excommunicatus absolui possit à suo prælato, & superiore regulari? Respond. Resolut. 7. num. 11. ab Episcopis excommunicatos, & denunciatos tales absolui non posse à suis superioribus, sed de iure reseruari absolutionem eidem Episcopo iudici; cum spectet ad complementum causæ, Quando vero non fuerunt excommunicati

communicati ab homine Epiſcopo, ſed à iure, vt in caſu præcitatæ Clementinæ, & ſimilibus, tunc abſolui poſſunt à ſuis ſuperioribus, vt ex dicta Clementina aperte colligitur. *Vide Suar. tom. 4. de relig. tract. 1. lib. 2. cap. 25. num...& Peyrin. tom. 1. ad conſtitut. 2. Iulij II. num.* 28 aſſerentes excommunicatos denuntiatos etiam ab Epiſcopis, data ſatisfactione, abſolui à ſuis prælatis.

Quæres 14. An ad declarandum aliquem excommunicatum requiratur monitio, ſeu an ſit citandus ad allegandum cauſam cur non debeat denuntiari, ſeu ad ſe defendendum à declaratione? II. An denuntiari poſſit perſona in genere, ſeu in indiuiduo vago e. g. Declaramus excommunicatum illum, vel omnes illos, qui percuſſerunt N. clericum? An vero debeat eſſe talis perſona ſingularis, & certa? III An denuntiandus excommunicatus debeat fuiſſe prius excommunicatus, an ſufficiat excommunicatus ſit comminatorie? IIII. Quos effectus producat denuntiatio in perſonam declaratam excommunicatam?

78 Reſpond. Requiritur citatio, quamuis factum ſit notorium, alias nullius momenti eſt declaratio; facienda autem eſt contra determinatam perſonam, de qua conſtet incurriſſe cenſuram, vnde declaratio ſupponit perſonam denuntiandam iam incurriſſe pœnam cenſuræ; huiuſmodi autem denuntiatio tres producit effectus, vnus eſt, vt à fidelibus euitetur declaratus excommunicatus, ſuſpenſus, & interdictus; ſecundus eſt perditio iuriſdictionis, tertius eſt, quod per annum inſordeſcens in excommunicatione habetur ſuſpectus de hæreſi.

Primum, quod requiratur citatio, probatur ex cauſa finali, qua iudex mouetur ad declarandum aliquem excommunicatum, vt per declarationem ſibi notificandam retrahatur à contumacia, & inobedientia, vnde ſi præmoneatur facile parebit mandatis iudicis, ergo præmonendus eſt, & citandus, vt promittat ſe velle obedire, vel non poſſe, aut ſimpliciter nolle obedire, in quo poſtremo caſu poterit, & debebit iudex illum denuntiare cenſuratum, & excommunicatum, nam ſciendo, & videndo alios fideles illum fugere, & abhorrere, poterit per hoc ſe diſponere, & præparare ad obediendum. Citatio ergo præmittenda eſt, vt iudici conſtet de delicto commiſſo inducente cenſuram, & præterea vt ſibi innoteſcat, an velit parere mandatis, & reſipiſcere. Ita docent *Gloſ. v. Conſtiterit Clem. fin. de cenſibus, Imola, Decius, Felinus, Nauar. eoſdem citans conſil. 4. de ſent. excom. num 4. Couar. in cap. Alma mater §. 2. num. 9. Diana reſol. 18. fine, de ſent. excom. Genuenſ. in praxi Neapol. cap. 23. num.* 16. Hæc autem citatio locum habet tam reſpectu excommunicationis, & reliquarum cenſurarum à iure inflictarum ex loco citato, cap. fin. Clem. de cenſib. quam à iudice, cui neceſſe eſt habere cognitionem totius cauſæ, & negotij, an præſertim velit obedire, & recedere à contumacia ex cap. Reprehenſibilis, de appellat. Confirmantur prædicta, quia ille, qui eſt ligatus aliqua cenſura ſiue à iure, ſiue ab homine non eſt declarandus eam incurriſſe pœnam ſtatim poſt tranſgreſſionem, quamuis crimen ſit notorium, ſed præmittenda eſt ſententia criminis declaratoria cum excommunicatione, vt colligitur ex cap. Peruenit 13. cap. Conſuluit 14. de appellat. vbi dicitur, quod multa dicuntur notoria, quæ tamen non ſunt, vnde cum denuntiatio ſit quædam executio pœnæ incurſæ, non poteſt iudex ad eam deuenire ante ſententiam criminis declaratoriam, ergo antequam feratur hæc ſententia reus cenſuratus citandus eſt ad probandam ſuam innocentiam, vel, vt iudex ſciat, an velit perſeuerare in ſua contumacia, an ab ea recedere, & obedire, ex quo petendo abſolutionem non deueniet ad denuntiationem, ſed ſtatim abſoluendus erit propter mala, quæ affert excommunicatio, *Gloſ. in cap. Qua fronte de appellat.* niſi aliqua ex cauſa differenda ſit abſolutio, ibidem & *in cap. Si quis autem diſt.* 18.

Denuntiatio autem huiuſmodi in ſcriptis eſt facienda, & publicanda in Eccleſiis, & affigenda ad portas Eccleſiarum cum expreſſione cauſæ, vt colligitur ex *cap. Cum medicinalis, de ſent. excom. in 6. & aliis iuribus diligenter allegatis à Sayr. lib. 1. cap. 13. num. 20.* ad finem.

79 Secundum, quod non tenet declaratio ſine præmiſſa citatione, docent *Nau. cit. conſil. 4. num. 4. de ſent. excom. citatis gloſſis, & doctoribus, Diana alios citat reſol. 18 in fine de excommun. Genuenſ. cap. 23. num. 16. Megal. lib. 1. cap. 5. num. 14. alios citans,* licet ibi loquatur de declaratoria reſpectu ſententiæ à iure latæ, ſeu ſtatuto, quando ſuperior vellet iterum excommunicare iam ſtatuto excommunicatum, vnde num. 19. dicit citationem non eſſe neceſſariam in declaratione cenſuratum, eo quod cum declaratio nihil ponat de nouo, in ea non ſunt ſeruandæ ſolemnitates, quæ adhibentur, quando actus de nouo conficitur; ſed non eſt audiendus, nam declaratio prout eſt denuntiatio cenſuratum non eſt talis declaratio, quæ nihil de nouo ponit, cum ponat ſuos effectus, vt ſuperius dixi, & repetam mox ſub num. 82.

80 Tertium, quod denuntiatio facienda ſit de perſona in ſingulari ſpecificata per proprium nomen, conſtat ex ſequentibus iuribus, *cap. Cura 20. 11. q. 3. cap. Cum & plantare, de priuil. cap. Conſtitutionem, de ſent. excom. in 6. Clem. 1. de vita, & honeſt. cler.* cum ſuis gloſſa v. Nominatim, in quibus dicitur, illum, qui denuntiatur excommunicatus, exprimendum eſſe proprio, & ſingulari nomine. Ratio eſt, quia finis denuntiationis; & declarationis eſt, vt euitetur à fidelibus, à quibus non poteſt euitari niſi ab illis cognoſcatur, ergo debet eſſe perſona determinata, & certa ille, qui denuntiatur cenſuratus.

81 Quartum, quod declaratio ſupponat perſonam iam incurriſſe excommunicationem, ſeu aliam cenſuram, vt poſſit talis denuntiari, probatur, Tum ex gloſſa 2. cap. Conqueſti 22. de ſent. excom. vbi ex eo quod ſpoliantes Eccleſias cum effractione mandantur denuntiari excommunicati, infertur excommunicationem non eſſe comminatoriam, ſed latæ ſententiæ inflictam contra violatores, & effractores Eccleſiarum, & earum incendiarios. Tum quia declaratio eſt circa factum, ergo circa excommunicationem iam incurſam, *vnde Nauar. conſil. 2. de ſent. excom. num. 4.* dicit, quod monitus ſub pœna excommunicationis, & poſtea quia non paruit, declaratus excommunicatus, poteſt credere ſe ante declarationem non fuiſſe excommunicatum. Poſt autem declarationem factam debet ſe tenere excommunicatum, quia per illam denuntiationem præmiſſis debitis requiſitis ſimul & ſemel præſumitur iudex & excommunicare, & declarare etiam tranſgreſſorem excommunicatum, ſiue excommunicatio comminatoria ſit à iure, ſiue ab homine, actus enim in dubio debet interpretari, vt valeat, maxime fauore iudicis *cap. Inter dilectos 6. de fide inſtr. cap. Abbate 25. de verb. ſignif.* ibi: *Profecto ſic intelligenda ſunt verba illa, vt res, de qua agitur, valere poſſit potius quam perire. l. Quoties ff. de reb. dub. l. Quoties ff. de verb. obligat.*

82 Quintum continet tres effectus, quos declaratio cenſuræ producit. Primus eſt, quod fideles tenentur cenſuratum euitare, vt confuſus videndo alios ipſum fugere, & nolle cum eo conuerſari, redeat ad obedientiam ſui ſuperioris, *cap. Cura 11. q. 3. cap. Peruenit 13. cap. Paſtoralis, fine, 53. de appellat. cap. 1. de except. in 6.*

83 Denuntiatio autem iſta ſi fiat ab Epiſcopo promulganda eſt regulariter in Eccleſia maiori, vel affigenda in porta Eccleſiæ, aut alio loco celebriori vt colligitur ex *cap. Cura 20. 11. q. 3.* non eſt autem neceſſe eam publicare, vel affigere ad valuas omnium Eccleſiarum, cum nullibi id præcipiatur. Ipſi vero excommu-

nicato intimanda est per monitionem, & citationem, vt supra probaui, si sermo sit de excommunicatione, & suspensione, loquendo vero de interdicto locali post citationem factam principali, propter cuius crimen, & contumaciam imponitur, sufficit si publicetur in loco iudicis, quamuis locus supponendus interdicto longe sit, & distet ab alio loco, vbi iudex illud publicat, vt expresse dicitur cap. 1. de postulat. prælator. *Panor. in cap. Nouit. de sent. excom & aliis communiter cum Sayr. lib. 5. cap. 11. num.* 30. vbi dicit satis est fieri in locis consuetis iudiciorum, Vnde Papa, vel eius officiales Romæ existentes sufficienter dicuntur supposuisse aliquem locum, vrbem, aut regnum interdicto, si Romæ solemniter in locis solitis promulgent illud, vt ex citato capite colligitur, licet copiam non dimittant in loco publico loci interdicti, cum vt plurimum id sit difficillimum, & de iure impossibile, vnde & in his casibus præmonitiones, & citationes fiunt eodem modo, & non est necesse, quod præueniant ad manus, vel ad domum eius personæ, quæ censuranda est, *Couar. in cap. Alma mater §. 9. num.* 4.

85 Secundus effectus est, quod censuratus declaratus talis statim perdit iurisdictionem tam fori contentiosi, quam fori conscientiæ, & sacramentalis, *cap. Audiuimus* 4. 24. *quæst.* 1. vbi dicitur quod excommunicare, *cap. Ad probandum, de sent. & re iud.* vbi sententia dicitur nulla iudicis excommunicati vitandi, *cap.* 1. 86 *de supplend. negl. prælat. in 6. cap. fin. de cler. excom. ministr.* Ratio est quia excommunicatus vitandus, qualis est denuntiatus per cedulones, vt aiunt, nullos iurisdictionis actus valide exercere potest, *cap. Exceptionem, de except. cap. Aduersus, §. Quia vero de immun. eccl. cap. 1. de off. Vicar. Tambur. tom* 2. *disp.* 2. *quæst.* 28. quia ab omnibus actibus legitimis repellitur, *cap.* 1. *de off. Vicar. in 6. cap. Licet, de sent. excom. in* 6. De amissione iurisdictionis fori sacramentalis, *Sayr. de communi lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 11. ita quod excommunicandus vitandus attentans absoluere nullam facit absolutionem, quia secundum Trident. sess. 14. cap. 7. nullius momenti est absolutio, quam sacerdos profert in eum, in quem nullam habet iurisdictionem, vt in casu præsenti, *Bonac. aliis citatis quæst.* 2. *de excom. p.* 2 *§.* 4. *num.* 1. Prædicta de 87 vitando excommunicato locum habent etiam respectu suspensionis, & interdicti, vnde suspensus, & interdictus denuntiati, & declarati tales vitandi sunt à reliquis fidelibus in iis omnibus officiis, & actibus, in quibus suspensi, & interdicti sunt, quare fideles non possunt interesse missæ sacerdotis nominatim suspensi; neque ab eo absolui, neque cum interdicto nominatim interesse missæ, & sic de singulis, & cum suspensio, & interdictum separent censuratum à sacramentis, & aliis spiritualibus, communicans in his cum nominatim suspensis, aut interdictis peccat mortaliter, vt docent *Nauar. cap.* 27. *num* 161. *§. Nono, & tom.* 3. *in cap. 1. de Pænit. dist. 6. §. Laboret num.* 18. *Sayr. lib.* 2. *cap.* 12. *à num.* 21. *vsque ad finem capitis.*

88 Tertius effectus declaratoriæ excommunicationis est suspectio de hæresi quod appellant insordescere in excommunicatione. Ad hanc autem insordescentiam incurrendam, requiritur primo, quod per annum steterit in excommunicatione, cap. Excommunicamus 14. §. Qui autem, de hæret. ibi: *Ita quod si per annum in excommunicatione perstiterint, ex tunc velut hæretici condemnentur.* In Concilio Tridentino cap. 3. sess. 25. in fine ibi: *Sed si obdurato animo censuris annexus, in illis per annum insorduerit, etiam contra eum, tamquam de hæresi suspectum procedi possit.* Ex quibus verbis requiritur secundo, quod excommunicatus per annum continuum in ea permanserit, nam particula *Per* tempori 89 adiuncta importat continuationem, *Glos. v. Per annum cap. 2. de temp. ordin. in* 6. vnde pernoctare significat totam noctem, *cap. Veniens* 15. *de spons. cap. Cum contumacia v. Per annum, de hæret. in* 6. *Glos. in Clem.* 3. *de elect. v. Perlecto.* s. Integram lectionem, quem sensum importat etiam verbum, *Perstiterit*, vnde si infra annum absolutus fuit ad reincidentiam, & postea steterit in eadem censura, non dicetur insorduisse, *vt ex Nau. consil. 7. de hæret. n.* 3. *Menoch de arbitr. casu* 416. *num.* 55. *& aliis, Barbosa ad dictum cap. 3 sess. 25. num* 41. *aliis citatis Carena de S. Officio part.* 2. *tit.* 8. *num.* 3. Requiritur tertio pertinacia in excommunicato cum contemptu clauium, vt deducitur *ex cap. Cum bona* 8. *de ætate*, & ex Tridentino ibi *Obdurato animo*, ita docent omnes apud citatum *Carenam num.* 6. *pluribus decisum apud Barbosam ad dictum cap. 3. sess. 25. num.* 40. Quare, qui petiit absolutionem paratus obedire, vel adhibuit debitam diligentiam, & non potuit obtinere non dicitur illa insordescere, *Riciul. lib. 4. cap. 8. num. 5. ex eo Carena num. 8. referens decisiones.* Requiritur quarto, quod annus incipiat à die denuntiationis factæ de excommunicato nominatim, tunc enim incipit insordescere, & eo finito incipit esse suspectus de hæresi, & vt talis declarari poterit, denuntiata insordescentia *Carena §. 2. num. 5 & 9. &* 10. Insordescentia autem ista cum suspicione hæresis an habeat locum respectu cuiuscumque causæ tam ciuilis, quam criminalis? diuersimode respondent, nam secundum *cap. Excommunicamus, de hæret.* locum habet solum in causa Sancti Officij; secundum Tridentinum videtur extendi ad quascumque causas siue criminales, siue ciuiles, siue occasione S. Officij, seu alterius tribunalis. *Vide Carenam cit. § 4. & Barbosam ad dictum cap. 3. sess. 25. num. 42. vbi num. 36. citantur omnes doctores de insordescentia tractantes.*

Quæres 15. An declaratio per cedulones, quod quis inciderit in excommunicationem requiratur respectu omnis excommunicationis, siue à iure, siue ab homine, etiam in causa percussionis notoriæ ad effectum, vt excommunicatus dicatur denuntiatus, & vitandus à cæteris fidelibus? Ratio dubitandi, quia in extrau. *Ad euitanda*, dicitur, quod excommunicatus, suspensus, aut interdictus non est vitandus, nisi censura illata fuerit contra personam, collegium, locum certum, vel certam specialiter, & expresse nominatam, *saluo, si quem pro sacrilega manuum iniectione in* 90 *clericum sententiam latam à canone, adeo notoria constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiuersatione celari, nec aliquo suffragio excusari, nam à communione illius licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri.* Itaque denuntiatio requiritur respectu omnium censurarum excepta ea, quæ incurritur ab iniectione manuum violentarum in clericum.

Respond. Vt quis sit euitandus necesse est, quod declaretur præcise, quod inciderit in excommunicationem, ita quod non sufficit declarare transgressorem commisisse tale crimen, quod inducit censuram, quod procedit etiam respectu percussionis sacrilegæ, & notoriæ declarationis ergo obiectum non solum est, crimen commissum, sed etiam formaliter ipsamet censura.

91 Primum, quod declaratio referatur ad ipsam censuram formaliter, probatur, tum ex dicta extrauaganti, in qua dicitur, quod expresse, & nominatim declaranda est persona, quæ censuram incurrit, Tum ratione, quia hæc denuntiatio fit fauore animarum, vt fideles nominatim censuratos euitent, sed vitandi sunt censurati non propter crimen, cui adnexa est censura, sed propter censuram ipsam, ergo hæc erit obiectum denuntiationis, non ipsum crimen, licet declaretur quis hæreticus, nam etiam excommunicatus propter hæresim denuntiandus est. *Ita Sanchez lib 2. cap. 9. num. 4. Regin. lib. 1. cap. 10. num. 118. cum aliis Diana resol. 62. de excom. Contra Sotum in 4. dist. 1. q. 5. art. 6. & dist. 22. q. 1. art. 4.* & alios asserentes sufficere declarationem criminis censuram inducentis. Secun- 92 dum, quod clerici percussor etiam notorius sit declarandus non solum sacrilegus percussor, sed etiam incurrisse excommunicationem, a simili ex nova dictis,

licet

licet sit notorium percussionis factum, probatur, quia accidere potest, quod percussio quidem sit notoria, immo quod fateatur etiam à percussore, & tamen non inciderit in pœnam canonis, quia potuit esse facta titulo defensionis, ex primo motu, in ebrietate, quare cum ex multis titulis percussor possit se defendere, non obstante facti euidentia, & notorietate, citandus est percussor, qui si se non defenderit, poterit declarari reus, & excommunicationem incurrisse. ita ex nostris docet Celestinus Tertij Ordinis S. Francisci ex Congregatione Franciæ *in suo Compend. Theolog. Moralis tract. 3. cap. 9 diff. 3. allegatus à Diana Resol. 61. de excommun. cum multis alijs doctoribus.* Neque his obstat allegata extrauagans ex eo quod diuersimodo relata, à doctoribus in eo casu nostram responsionem inficere non potest.

Quæres 16. An excommunicatus statim post incursam excommunicationem licet sit occultus teneatur se abstinere ab omnibus actibus sibi prohibitis per censuram, an solum post sententiam, & declarationem criminis, aut ipsius censuræ, & sic postquam fuerit denuntiatus nominatim excommunicatus? Pro

93 cuius intelligentia nota primo duplex genus excommunicatorum, suspensorum, & interdictorum; nam aliqui occulti, seu non vitandi ab iis in communione, quales sunt omnes censurati etiam publici, sed nondum per cedulones declarati nomine proprio tales. Alij dicuntur vitandi quales sunt illi, qui denuntiati, & declarati sunt nominatim tales proprio nomine; & quæstio procedit de vtrisque.

94 Nota secundo, quod plures sunt effectus, quos excommunicatio valida producit, inter quos aliqui sunt primarij, & per se producti ab excommunicatione pertinentes ad spiritualem communionem; alij ad eamdem spectantes secundario, alij demum remote pertinent ad conuersationem ciuilem, & politicam. Nam primario excommunicatio priuat communibus ecclesiæ suffragiis, cap. A nobis, cap. Sacris eod. & sunt Missa, Horæ Canonicæ, Processiones, &c. Secundo priuat participatione tam actiua, qua passiua sacramentorum *ex tit. de cler. excom. celebr. Sayr. lib. 1. cap. num.* 1. Tertio à celebratione missarum tit. eod. Quarto priuatur auditione missæ, *cap. fin. de sent. excom. in 6. Quinto* interessentia aliis diuinis officiis, *cap. Cum desideres de sent. excom.* Sexto sepultura ecclesiasticæ, *ex cap. Sacris de sepult. & Clem. 1. eod.* Septimo excommunicatus est priuatus beneficijs, & ad illa inhabilis, *cap. Postulastis, de cler. excom. Vide Sayr. lib. 2. de cens. cap. 3. q. 1.* Octauo priuatur iurisdictione ecclesiastica quo ad licitum vsum, si sit toleratus, si vero vitandus sit priuatur etiam quo ad valorem actus ex supra probatis sub num. 85. *Vide Bonac. q. 2. de excom. p. 5. Sayr. lib. 1. cap. 6. Nono* priuatur voce actiua, & passiua, itaut non possit eligere, neque eligi, *Megal. lib. 2. cap. 3 num 31. & sequentib. vbi num. 32. de communi doctorum*, testatur nullam esse electionem ex communi. Decimo priuatur communione ciuili ab aliis fidelibus, Bonac. q. 2 de excom. p. 6. Vndecimo priuatur communicatione forensi, & iudiciali *ex eod. p. 7. Sayr. lib. 2. cap. 7. & 8.* Demum priuatur impetratione gratiarum ex eisdem locis citatis.

95 Suspensio autem producit sequentes effectus, nam priuat clericum suspensum ab officio, & beneficio & omnibus actibus ab illis pendentibus. Quid autem contineatur sub nomine officij dixi Resol. 72. num. 46.

96 Interdicti tres sunt effectus. Primus priuatio aliquorum sacramentorum, nimirum Eucharistiæ sanis, Ordinis, extremæ Vnctionis, Matrimonium est in controuersia, reliqua conceduntur. Secundus est priuatio diuinorum officiorum, quo nomine veniunt, Missa, Horæ Canonicæ, actus ordinum, & sacramentalia. Tertius est priuatio ecclesiasticæ sepulturæ.

97 Respond. Excommunicatus, suspensus, & interdictus statim debet abstinere se à prædictorum actuum exercitio, à quibus prælibatæ censuræ separant censuratum, quamuis nondum sit declaratus, & denuntiatus, ratio est, quia censura secum trahit executionem, cap. Pastoralis, fine, 53. de appellat. nam incursio censuræ cum sua executione formaliter includitur in sententia, quæ est priuatio actuum per ipsam prohibitorum, ergo non est necessaria alia sententia, seu præceptum, quo fiat executio sententiæ, vt accidit in aliis sententiis condemnatoriis ad restituendum, ad soluendum, in quibus alia est executio à sententia. Faciunt, quæ dixi initio sub num. 17. Dicta procedunt non solum in excommunicatione, sed etiam aliis duabus censuris, vt docent communiter doctores, & colligitur ex *Glos. v. Cum executionem.*

Quæres 17. An fideles possint communicare cum excommunicatis, suspensis, & interdictis nondum declaratis etiam in sacramentis, petendo illa etiam à non paratis? Negant *Caiet. v. Absolutionis impedimenta, Silu. & Auila part. 2. cap 6. disp. 8. dub. 1. concl. 3.* quia id est cooperari peccato censurati.

98 Respond. Potest fidelis communicare cum excommunicato nondum denuntiato, ac ab illo non parato petere Sacramenta ac si non esset censuratus, ratio est, quia extrauagans concessit communicationem cum illis tam in humanis, quam in diuinis cæteris fidelibus, ad quorum fauorem emanauit, ergo non peccant communicantes cum illis, quod enim fit lege permittente nullum est peccatum, *cap. qui peccat 11. q. 4. cap. Dixit 10. 14 q 5.* decernit enim ea extrauagans, neminem teneri abstinere à communione, & vitare censuratum antequam denuntietur talis. Quare ratio in oppositum nihil valet, quia falsum est, fideles cum excommunicatis communicantes, seu Sacramenta petentes cooperari illorum peccato, sed iure suo vtuntur, & peccatum solius censurati est. *Ita Ledesma in 1. part. 4. q 5. art. 6 dub 13. Hurtad. disp. 2. de excom. diff. 4. num. 13. ex illis Diana resol. 117. de excommun.*

Quæres 18. An Prior excommunicatus statim amittat Prioratum, & iurisdictionem, ita quod subditi non teneantur ipsum amplius obedire?

99 Respond. Superior excommunicatus, siue occultus, siue publicus non perdit prælaturam, neque iurisdictionem, sed subditi tenentur obedire illi, ac si non esset excommunicatus, post vero denuntiationem factam de excommunicatione contracta statim perdit iurisdictionem ecclesiasticam, ex quo non potest præcipere ea, quæ dependent ab huiusmodi iurisdictione, neque subditi ex hoc capite illi obedire tenentur, nisi in iis, quæ spectant ad potestatem dominatiuam, & superioritatem, & votum obedientiæ promissæ. Quod si per actum declaratiuum excommunicationis expresse etiam priuetur prælatura, & ab illa amoueatur remanet persona priuata, & deiecta ab officio, aliter si non priuetur expresse prælatura, non censetur priuatus per declarationem excommunicationis.

100 Primum, quod Prior excommunicatus etiam publicus, & denuntiatus non perdat suum officium, probatur, quia beneficiarius per superuenientem excommunicationem non perdit suum beneficium, vt probant communiter doctores per cap. Pastoralis 53. ad finem, de appell. vbi dicitur, quod excommunicato denuntiato subtrahendi sunt fructus, ergo si de iure non est illis priuatus etiam per declarationem excommunicationis, multo minus est priuatus beneficio, & *cap. Fraternitati 5 de cler. excom.* dicitur, quod excommunicatus celebrando deponendus est, ergo ex vi censuræ depositus non est. *ita docent Sanch lib. 3. disp 51. num 12. Bonac. q. 2. de excom. p. 4 §. 2. Alios citat Diana resol.* 104. Megalius sentit oppositum de fructibus *lib. 2. cap. 3, num. 20. subdendo num.* 21. persistentem in excommunicatione per annum posse priuari beneficio, & eiusdem titulo, per doctores à se citatos, constat ergo ex his prælatum regularem declaratum excommunicatum

tum non perdere suam prælaturam ex vi declaratæ excommunicationis, sed necessario requiri specialem sententiam, & expressionem saltem in sententia declaratiua excommunicationis, cum enim hæc pœna priuationis officij, & dignitatis non reperiatur in iure expressa, non intelligitur ab homine iudice inflicta nisi per expressam sententiam ab eodem latam, vt omnes docent. Confirmatur, quia prælatus ex eo quod potest priuari suo officio, & non priuatur, non desinit esse superior, *Nau. cons. 10. de elect. num. 6. arg. cap. Cum non liceat de prascr.*

101 Secundum, quod subditis præcipere possit, & vti iurisdictione sua antequam denuntietur, probatur Tum quia illam adhuc habet ex supra probatis. Tum quia cum sit superior non obstante censura necesse habet regere suos subditos, sed necessitas excusat excommunicatum communicando cum fidelibus, Sayr. lib. 1. cap. 14. num. 29. ergo & in communione hac secundum iurisdictionem. Tum quia ex vtilitate & bono communi exercendo iurisdictionem in subditos non peccat, ergo subditis præcipere potest. Tum quia sicut prælatus non desinit esse superior, ita neque religiosi amittunt subiectionem. Megal. lib. 2. de cens. cap. 5. n. 50.

102 Tertium, quod Prælatus denontiatus excommunicatus non possit præcipere, vel ordinare ea, quæ dependent à iurisdictione, constat ex eo, quod excommunicatus vitandus caret iurisdictione, vnde & gesta per ipsum, si dependent à iurisdictione nullius sunt momenti, vt dixi supra sub num. 85. Quare in hoc casu religiosi subditi non dicuntur, neque ideo obedire tenentur.

103 Quartum, quod superior excommunicatus declaratus, qui expresse non fuit amotus ab officio suæ prælaturæ, possit præcipere virtute potestatis dominatiuæ, & ex virtute voti obedientiæ, probatur, quia vtrumque est coniunctum cum superioritate à qua dependet, ergo ipsa remanente, remanet quoque vtraque potestas. Ita docet *Bonac. q. 1. de excom. p. 6. §. 2. num. 16.* qui tamen dicit subditos posse obedire suo prælato excommunicando vitando, quia non perdit potestatem ad gubernandum domum; neque subditus eximitur ab obedientia, ex quibus rationibus probatur, subditos non solum posse, immo debere suo superiori excommunicato obedire. *Sayr. lib. 1. cap. 14. num. 18.* vbi dicit, subditum non teneri obedire in diuinis, & in iis, quæ superioritatem dignitatis respiciunt, cum per denuntiationem excommunicationis priuetur omni iurisdictione; non placet, quia obedire in diuinis, vti est celebrare, interesse choro, administrare Sacramenta, prædicare &c. tenentur subditi non ex iurisdictione, sed ex vi superioritatis, & obedientiæ, quibus non caret excommunicatus denuntiatus ex

104 præmissis, cum hæc diuersa sint à iurisdictione, vt patet in Abbatissis, & olim in Guardianis laicis apud Minores, qui habebant superioritatem sine iurisdictione. *Vide Alios citatos à Diana resol. 127. cum Megal. lib. 2. de censur. cap. 5. num. 50.* asserente subditum esse exemptum ab obedientia sui prælati statim ac est declaratus commisisse crimen adiunctam habens excommunicationem, & talis denuntiatus fuit, & priuatus suo officio, & bene loquitor, sed contra nos non est, qui supponimus declaratum excommunicatum non fuisse prælatura priuatum.

Dices ex resolutis sequi implicantiam, nimirum superiorem excommunicatum non esse excommunicatum, excommunicatum quidem ex suppositione, non excommunicatum vero hoc ipso, quod licite vti potest si sit toleratus sua iurisdictione, vel superioritate si sit vitandus, consequenter excommunicatio non habebit suum effectum separandi excommunicatum à communione fidelium, quem effectum nemo suspendere potest, cum censuræ secum trahant executionem, & auferri non possint maxime excommunicatio nisi per absolutionem.

Respond. Prælatum excommunicatum ita separari à 105 communione fidelium sicuti prohibentur cæteri fideles excommunicati, ita quod ex suo arbitrio non potest communicare cum suis subditis, nisi in casibus necessariis, & vtilibus communitati, & bono regiminis, arg. cap. cum voluntate 54. de sent. excom. in aliis debet se abstinere, vnde suum officium in ecclesia, aut choro neque solus neque cum aliis celebrare potest, colloqui, & consabulari cum subditis conuersando non debet; cæterum in reliquo exercet suum officium assistendo mensæ, ordinando, præcipiendo, concedendo licentias exeundi, corrigendo delinquentes, &c. ex quibus patet non sequi illam implicantiam, sed excommunicatum talem vere esse, quamois in casibus necessariis, & vtilibus suæ domui, sicuti conceditur in familiis, & domois respectu suorum, *cap. Inter alias 31. cap. Si vere 34. de sent. excom.* exerceat actus quosdam alias prohibitos excommunicatis, in quantum voluntarie nulla posita necessitate, aut vtilitate fieri ab ipsis interdicuntur.

Quæres 19. An religiosi ratione contractus, vel alterius rei ligari possint censuris ab Episcopis?

Respond. Exceptis casibus expressis in iure, non 106 possunt, vt probatur per *cap. 1. §. In cos. de priuil. in 6. & ex Marimagno Sixti IV. §. 43. apud Confect.* in quibus locis conceditur religiosis, ne possint censurari ab Episcopis ratione delicti, loci, rei, & contractus; simile priuilegium prius concesserat Martinus V. de quo Rodr. tom. 1. q. 63. a. 1. 3.

Quæres 20. An capitulum sede vacante Episcopi possit ligare censuris religiosus in omnibus casibus, in quibus potest Episcopus?

Respond. Non potest, Tum quia Capitulum sede 107 vacante succedit Episcopo mortuo in iis tantum, quæ Episcopo competunt iure ordinario, *ex cap. His quæ, cap. Cum olim de maior.* non vero in iis, quæ illi competunt iure speciali, & delegato, *Feder. de Senis consil. 50. Abbas in cit. cap. Cum olim, Ioan. Andr. in cap. Ad abolendam, de heret. ibi Zabar. & in Clem. 1. de heret. Philippus Francus in cap. Vn. de maior in 6.* Sed iurisdictio, quam habent Episcopi in regulares non est ordinaria, sed delegata, & specialis, vt notum est, cum alias sint exempti, ergo capitulum sede vacante in ea succedere non potest contra regulares. Tum quia capitulum sede vacante non suppler vices Papæ, sed Episcopi mortui, ergo non potest capitulum succedere in ea iurisdictione, quam Episcopus mortuus habebat iure delegato à Papa, aliter suppleret vices Papæ, quod falsum est. Tum quia Capitulum non potest visitare monasteria exempta, *Armilla v. Capitulum num. 2. Barbosa ad cap. 8. sess. 7. num. 7. ad cap. 8. sess. 21. num. 6* Neque moniales, *Azor. part. 2. lib. 3. cap. 37. q. 5. ex Barbosa ad cap. 5. sess 24. num. 8.* Capitulum igitur sede vacante nullum ius habet in regulares, nisi in iure exprimatur, vt colligitur *ex cap. Super eo. Ne cler. vel mon.* vbi non solum Episcopis, sed etiam 108 eorum capitulis mandatur, vt denuntient excommunicatos regulares Physicam, vel leges audientes extra claustra; quam potestatem non haberet, nisi ibi exprimeretur, quod signum est non succedere Episcopo contra regulares, nisi in casibus expressis, nullibi autem exprimitur, quod regulares possint censuris ligari à capitulo sede vacante, ergo immunes sunt ab illius iurisdictione.

Quæres 21. An Prælatus nullius diœcesis habens infra episcopalia possit procedere contra regulares in illis casibus, in quibus Episcopi, vti sedis Apostolicæ delegatus, existentes in suo territorio?

Respond. Non potest, quia contra regulares nul- 109 lam habet iurisdictionem fore contentiosi, vnde in quibusdam casibus regulares sua monasteria habentes intra territorium Prælati nullius, sobiiciuntur vicinioribus Episcopis, nam Paulus V. Bulla incip. *Romanus Pontifex*, 1. Septem. 1606. relata à Nald. v. Hæresis 25 religio-

religioſorum omnes cauſas hæreſis, in quibus à ſuis ſuperioribus ſunt exempti, remiſit ad viciniores, ordinarios, in locis Prælatorum nullius diœceſis exiſtentium; item pro examine, & ordinibus accedunt ad viciniorem Epiſcopum, *ex Naldo v. ordo n.26. vt dixi Reſol.67. num. 37.* Quod euidens eſt argumentum regulares in nullo ſubiici Prælatis nullius diœceſis.

Quæres 52. An poteſtas cenſurandi delegari poſſit? & à quibus? & quibus?

110 Reſpond. Habens poteſtatem ordinariam, vel quaſi talem, hoc eſt, ad vniuerſitatem cauſarum poteſt delegare eam ad cenſurandum, Ratio eſt, quia poteſtas ordinaria delegabilis eſt, *capitulo Inter cætera 15. cap.fin. de off ord. cap. 1. & 7.eod. & 9.de conſecr.eccleſ. Nau.cap. 27. num.5. & alij communiter.* Delegatur autem non ſolum à Prælatis maioribus, Prouinciali, & Generali, ſed etiam à ſuperioribus localibus, à Præſidentibus, qui nimirum ſufficiuntur in locum præmortui, vel amoti ab officio, quia iſti omnes ſunt ordinarij; à delegatis etiam à prædictis ad vniuerſitatem cauſarum, vt quando Prælatus in remotis exiſtens ſuum regimen delegat alteri, &c. Habentes autem perſonatus vt Cuſtodiatus, Diſcretatus, Definitoratus, quemquam cenſuris afficere nequeunt, quia carent iuriſdictione fori contentioſi.

111 Quæres 53. An Magiſter Nouitios cenſuris ligare poſſit? Nam Nouitij ligari poſſunt à ſuperioribus regularibus ex probatis q. 6. num. 47. Magiſtri autem ſunt eorum ſuperiores, cum habeant plenam, & omnimodam poteſtatem in nouitios, vt dicitur in conſtitutionibus Clementis, ergo illos cenſuris ligare poſſunt.

112 Reſpond. Non poſſunt ligari cenſuris à Magiſtro, quia caret poteſtate eccleſiaſtica fori contentioſi; nec obſtat, quod habeat plenam, & omnimodam poteſtatem ſuper nouitios, quia illa non eſt iuriſdictionis, ſed educationis, vt probaui capitulo quarto de Nouitiatu quæſt.62. vbi diſtinxi triplicem poteſtatem iuriſdictionis ſuperioris in ſubditos, dominationis patronum in ſeruos, & educationis, ſeu inſtructionis Magiſtri in diſcipulos, & nouitios. Vnde Rodr. tomo primo quæſtione 13. art. 50. dixit Magiſtrum nouitiorum non habere poteſtatem ordinariam in nouitios, neque eſſe prælatum, conſequenter non poſſe procedere contra nouitios per cenſuras eccleſiaſticas.

Quæres 54. An inquiſitores cenſuris tam ab homine, quam ſtatutis procedere poſſint contra quoſcumque regulares?

113 Reſpond. Poſſunt, quia habent poteſtatem fori contentioſi ſuper quoſcumque de ſua diœceſi etiam exemptos, & religioſos, ſunt enim ordinarij delegati à Principe, *cap.9.de hæret.cap.8. eod.in 6.* Et eoſdem expreſſe in cauſis Sancti officij Paulus V. ſua Bulla citata ſub quæſtione 51. ſubiecit Inquiſitoribus. Vide *Quar. v. Hæretici, Compend. Rodr. reſol.73. numero primo, & 9.Tambur. tomo primo diſp.15. ad finem quæſtione ſeptima,* vbi refert omnes Bullas per extenſum ſpectantes ad materiam Inquiſitionis; docet Megal. libro primo capitulo ſecundo de cenſur. numero 27. illos habere poteſtatem non ſolum ferendi cenſuras, ſed etiam ſtatuta condendi ſpectantia ad cauſas hæreticæ prauitatis, aliis citatis.

Quæres 55. An Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa poſſit cenſuris ligare ſuas moniales?

114 Reſpond. Non poteſt, quia caret poteſtate iuriſdictionis fori contentioſi, & ſuper moniales habet ſolam poteſtatem ſuperioritatis, quod non ſufficit ad ferendas cenſuras. Ita cap.12. de maior. expreſſe dicitur, quod non poteſt excommunicare, vbi licet dicatur, quod quædam Abbatiſſa ſuſpendebat clericos ſibi ſubiectos ab officio, & beneficio propter inobedientiam, & culpas eorum, tamen Papa non dicit Abbatiſſam poſſe ſuſpendere, & interdicere, ſed nomine ſuſpenſionis, & interdicti venit ſimplex pœna priuationis, quam ſuis monialibus inobedientes imponere poteſt priuando illas ſuis officiis, prohibendo eiſdem acceſſum ad chorum, &c. quia ſimiles pœnæ infligi poſſunt etiam ſine vllo titulo cenſuræ. *Ita Rodr. tom. 1. quæſt.17. art.12. Megal. de Pœnit.lib.1.cap.10.num.3.& lib.1.de conſur. cap.2.q.1. Graff.part.1. lib.4.cap.5. numero 2. Armilla num.4. & 5. Sayr. lib 4. cap.2.n.9. Confeſſ. tit.23. cap.2.* Neque Epiſcopus, neque prælatus regularis poſſunt dare licentiam Abbatiſſæ excommunicandi, *Domin. Soto 4. ſent. diſt.50. quæſtione prima articulo 4. ex eo Ghetius in ſuo Theſauro Animæ v. Abbatiſſa num.1.* ratio eſt, quia in eo, cui delegatur hæc poteſtas, requiritur ſaltem prima tonſura, cuius Abbatiſſa incapax eſt, ergo ei prælatus hanc poteſtatem committere non poteſt, ſicuti poteſt Papa, vt docet *Panorm. in cap. Decernimus de iud. D. Anton. parte tertia titulo 25. cap.75 Sayr. lib.2. cap.5. num. 17.* quia facultas excommunicandi non dependet à poteſtate ordinis, ſed iuriſdictionis, cuius Papa capacem facere poteſt fœminam. *Vide Dianam reſol. 16. de excommun. Sanchez libro 6. capitulo 1. a numero 17. ad finem totius capituli,* vbi dicit numero 18. inobedientiam monialium eſſe culpam moralem, quia tenentur obedire Abbatiſſæ in iis, quæ ſpectant ad domeſticam gubernationem monaſterij; num. 19. aſſerit non poſſe imponere præcepta ſpiritualia, quia caret poteſtate ſpirituali, vnde

115 imponere poteſt ſolum temporalia ordinata ad rectam gubernationem domus, & ſic reſpicientia bonum temporale; neque proinde præcipere in virtute Sanctæ Obedientiæ, quia ſic præcipiunt habentes poteſtatem ſpiritualem, non obſtante voto obedientiæ à monialibus promiſſo Abbatiſſæ, quia huius voti obligatio refertur ad Abbatiſſam eo modo quo ipſa capax eſt poteſtatis nimirum politicæ gubernationis domus, & monaſterij, quæ vocatur poteſtas œconomiæ, & dominationis. Quamquam probabile multum eſt illorum dictum, qui aſſerunt, ſuperioriſſas poſſe præcipere in

116 virtute Sanctæ Obedientiæ, quam ſibi moniales promiſerunt, & ſuæ ſuperioritati eſſe adnexam quamdam poteſtatem ſpiritualem, quæ vocari poteſt ſuperioritatis, non ordinis, in quo ſenſu olim ſuperiores, & Guardiani laici apud Minores talem habebant poteſtatem præcipiendi ſuis ſubditis, neque id inconueniens eſt cum ſaluetur, poteſtatem iuriſdictionis ſemper ſupponere ſaltem primam tonſuram, ſine qua poteſt eſſe hæc ſuperioritas, ſicut enim ſuperioritas vocatur ſpiritualis, ita & adnexa eidem poteſtas, neque enim Abbatiſſa præcipiendo acceſſum ad chorum ad celebranda diuina officia, & ad orandum, ad recipienda ſacramenta videtur vti poteſtate politica, quæ eſt ad temporalia, ſed ſpirituali ad huiuſmodi ſpiritualia, & eccleſiaſtica.

Quæres 56. An prælati regulares moniales ſibi ſubiectas poſſint cenſuris ligare?

117 Reſpond. Poſſunt, quia in illas habent poteſtatem iuriſdictionis fori contentioſi, & ſic colligitur ex diuerſis ſummorum Pontificum Bullis *apud Rodr. tomo primo quæſtione 10. articulo ſeptimo quæſtione 12. articulo octauo. Compend. reſol.90. numero 41. Reſol.98. numero 13. Confeſſ. titulo 23. capitulo primo. Vide Mirand. tract. de monial. quæſt.5.*

Quæres 57. An prælati regulares ſuis ſtatutis, ordinationibus, & præceptis poſſint adiicere pœnam cenſuræ.

118 Reſpond. Conſtitutionibus factis à ſuperioribus non poteſt ſuperaddi pœna alicuius cenſuræ, quando illæ non obligant ſub culpa, neque eaſdem condere poſſunt, ſic obligantes, ratio eſt, quia tranſgreſſio alicuius legis, ſeu ſtatuti continentis cenſuram ſemper eſt peccatum, quia incurſio cenſuræ ſupponit ſemper peccatum mortale, ergo in tali caſu conderent ſtatuta obligantia ad culpam, quod tamen fieri non poteſt, quando adeſt prohibitio. Huius conditionis ſunt non ſolum ſtatuta contenta in regulis Nicolai

Quarti,

Quarti, Leonis Decimi, vt videre est vtrobique cap. fin. sed etiam aliæ constitutiones, & ordinationes conditæ à Generali cum suis quatuor definitoribus Generalibus in meo ordine, vt videre est in Bulla Nicolai Quinti incip. *Apostolica sedis*, in qua dum nostro Generali concedit facultatem condendi statuta pro toto ordine cum suis quatuor definitoribus Generalib. limitem, modo non faciant illa sub culpæ obligantia, sed tantum sub pœna, nisi illa in contemptum ordinis transgredi quis præsumeret, Intellige etiam, modo quod statutum fuerit, alias non contineatur sub aliqua lege diuina, aut pontificia, in his enim casibus adiungi potest censuræ, quia iam obligant sub culpa non vt statuta ordinis, sed vt leges diuinæ, vel Pontificiæ. Exemplum fit in prohibitione armorum, cui adiungi potest pœna excommunicationis, quia id iam prohi-

119 bitum est iure communi. E contra pœna excommunicationis, non potest apponi statuto de ieiunio Aduentus Domini obseruando, quia iure communi nunquam fuit indictum tale ieiunium. Ita se habent constitutiones Benedictinorum, ex Bulla incip. *Regularem vitam*. Eugen. apud Rodr. pag. 87. & Sixtus IV. Bulla incip. *Circumspecta* 26. apud eumdem pag. 165. reuocauit censuras adiectas statutis ordini Minorum. Tales sunt etiam constitutiones Dominicanæ religionis *ex D. Thoma* 2.2 q 186.*art.*9. & fere in omnibus religionibus, consequenter illis adiicere non poterunt pœnas censurarum contra transgressores iure statuti, alias nullius sunt momenti pœnæ huiusmodi adiectæ defectu potestatis in conditore. A fortiori idem dicendum erit de præceptis, & ordinationibus factis à solis superioribus propria autoritate duraturis solum pro tempore sui officij, quia non possunt statuta condere cum illis pœnis simul cum suis definitoribus, multo minus propria autoritate, quæ sonat in minus: maxime hoc

120 procedit in prælatis inferioribus, qui in suis ordinationibus, & præceptis duraturis toto tempore sui officij non debent discedere à suis maioribus, *arg. cap.* 1. *dist.* 15. *cap. Cum non liceat, de præscript.* Confirmatur, quia si pœnæ censuræ adiici non potest statutis, quæ fiunt a superiore cum suis consillariis cum tanta discussione, & maturitate, multo minus fieri poterunt ab iisdem solis, aut aliis inferioribus propria autoritate, & consequenter cum minori maturitate, & sine consilio, & discussione. Vide quæ resolutione 58. dicei initio, vbi date occasione contemptus, contumaciæ, & inobedientiæ prælati præcipiunt sub culpa, item præcipere sub censuris pro reuelatione, pro deperditis &c. de quib. infra sub q. 29. quod non obstat prædictis, cum aliud sit præcipere transitorie in casibus occurrentibus, aliud condere statutum: vel ordinationem duraturam ad minus toto tempore officij.

121 An autem Capitulum Generale id facere possit? Puto quod non in nostra religione, quia quo ad hoc Definitorium Generale videtur repræsentare totum capitulum. Quod si capitulum immediate illa faciat, quod tunc contingit, quando id munus committit aliis, quam definitoribus Generalibus, idem puto dicendum, quia licet negotium alteratum sit, adhuc in substantia remanet definitorium, cui non fuit acquisita maior potestas in hoc. Quod si statutis adiiciantur pœnæ censurarum, pro non adiectis debent haberi; nisi constitutiones in forma specifica confirmentur à summo Pontifice.

Quæres 28. An ad incurrendam quamlibet censuram semper requiretur peccatum mortale præcedens incursionem pœnæ censurarum?

122 Respond. Primo ad incurrendam excommunicationem maiorem ex communi omnium omnino doctorum requiritur peccatum mortale proprium exterius consummatum sub ea ratione, sub qua pœna excommunicationis inflicta fuit. Quod supponatur peccatum mortale dicitur, *cap. Nemo* 39. 11. *quæstione tertia* vbi redditur ratio, quia est damnatio æternæ mortis, *Sayr. lib.* 1. *cap* 9. *num.* 4. *Bonac. q.* 1. *de censur. p.* 3. *n.* 2. *D. Thom. in* 4. *dist.* 18. *q.* 2. *art.* 1. *quæst.* 3. ea ratione, quia excludit è regno Cælorum iudex ecclesiasticus per ipsam, nemo autem excluditur nisi per peccatum mortale, ergo hoc requiritur ad incurrendam excommunicationem. Peccatum autem debet esse proprium, *cap.*

123 *Si habes* 1. 24. *q.* 3. vbi determinatur pro peccato patris non esse anathematizandum filium, quia anima, quæ peccauerit, ipsa morietur. Debet hoc mortale peccatum esse exterius consummatum, vt colligitur ex cap. Nemo cit. 39. 11. q. 3. ibi: *sine certa, & manifesta peccati causa*, quia ecclesia non iudicat de occultis, *cap. Erubescant* 11. *dist.* 32. *cap. Consuluisti* 18. 2. *q.* 5. *alios textus refert Ricciul. lib.* 5. *cap.* 10 *n.* 10. Ex quibus patet legem, seu statutum, aut præceptum factum cum adiectione huiusmodi pœnæ contra transgressores si sit latæ sententiæ sine dubio obligare ad mortale, aliae huiusmodi pœna contrahi non potest [illegible], seu præceptum esset de re leuissima [illegible], & circumstantiarum, quia tunce excommunicatio [illegible] cum non heberet, sed casus in praxi videtur difficilis, quia legislator, aut præcipiens causam [illegible] apud se habere potest, & ideo sententia timenda est, maxime respectu iudicis, cui resistere sine causa graue peccatum est inobedientiæ, & contumaciæ. Caiet. Castr. & cum eis Megal. consil. 6. in fine cum Nauar. cap. 23. num. 53. aiunt pœnam excommunicationis tunc pecca-

124 tum mortale supponere, quando non prærequirit monitionem, non autem si sit pœna comminatoria, quæ non supponit peccatum mortale, nisi post monitionem, quia tunc nolendo obedire fit contumax, & peccat mortaliter. Quare aleator prohibitus sub pœna excommunicationis comminatoriæ ludendo peccat solum venialiter, mortaliter vero si post monitionem non obedit. Nonnulli dicunt esse peccatum mortale transgressionem ex grauitate materiæ, *vide Dianam resol.* 21. *de excommun. referentem Ioannem Henriq. ita sentientem, & part.* 3. *tract.* 6. *Miscell. resol.* 76.

125 De minori loquendo asserit Faber. de censuris in 4. dist. 25. q. 1. disp. 4. cap. 2. num. 51. superiorem posse prohibere sub excommunicatione minori subditum, ne extra clausuram deambulet, quod solum est veniale si deambulet sine malo fine probat; quia de iure ea incurritur quandoque solum pro veniali peccato, vt quando quis in humanis communicat cum excommunicato vitando. Sed in vsu non est, vt hæc minor pœna inferatur ab homine, sed solum à iure, quæ incurritur ob peccatum mortale communicando cum vitandis in diuinis, ob veniale vero communicando in humanis *Vide Dianam resol.* 47. *de excom.*

126 Respond. Secundo ad incurrendam suspensionem siue a iure, siue ab homine latam requiritur culpa, & peccatum in transgressore, cui commensuretur pœna suspensionis, vnde grauis suspensio supponit peccatum mortale, leuis vero peccatum veniale. Grauis suspensio est simpliciter lata, item suspensio ab officio, item à beneficio, item ab administratione alicuius sacramenti, item ab exercitio alicuius ordinis maioris, &c. Suspensio leuis est ab vno actu electionis, quæ aufert distributiones vnius diei, &c. *Megal. lib.* 2. *de censur. cap.* 4. *num.* 56. *à quo accepit Diana resol.* 19. *de suspens.* Itaque pro peccato veniali non potest imponi grauis suspensio, quia licet priuet minoribus bonis, quam excommunicatio minor, quæ fertur pro veniali culpa tamen suspensio rigidior est, & difficilius tollitur.

127 Ad incurrendam suspensionem latam contra capitulum, collegium, seu conuentum non requiritur culpa propria singulorum, sed aliena sufficit, probatur. Tum ex cap. Si sententia 16. de sententia excom. vbi interdicta ciuitate ob delictum domini, includuntur etiam inculpabiles, ne censuræ tunc ab omnibus seruanda videatur contemni, ergo idem dicendum est de suspensione, in hoc enim ambo pari passu currunt ex eo quod hæ duæ pœnæ inferri possunt immediate

contra

contra vniuersitatem, collegium, conuentum, &c. Quod de excommunicatione dici non potest. Tum quia potest accidere, quod omnes de collegio non peccauerint, & tamen collegium remanet suspensum, seu interdictum. Tum quia hæ duæ pœnæ animam non ita proximè attingunt, sicut excommunicatio, **128** quæ immediatè ecclesiæ suffragiis priuat excommunicatum, qui & vbique excommunicatus est, *Glos. v. Subtrahant, cap. Pastoralis 53. de appell. Glos. v. In ipsa ecclesia, cap. Cupientes 16. de elect. in 6.* per iura in vtroque loco allegata. Suspensus autem, & interdictus ratione collegij, seu loci non vbique censuratus est, non modo culpabilis non fuerit. Quare subiectus suspensioni, & interdicto, qui non fuit culpabilis in foro conscientiæ, illa seruare non tenetur, vtique pro foro externo, quia sententia iudicis iusta, & valida fuit. Hanc sententiam docent *D. Thomas in 4. dist. 18. quæstione secunda art. 3. quæstione secunda ad 2. Siluest. Suspensio 4. alios citat Diana resol. 22. de suspens. Ioannes Andreas Anchar. Domin. & Franciscus in cap. 1. §. Superior de sentent. excommun. in 6. alios pro se citat Bonac. quæstione 1. de censur. part. 3. num. 3.* Oppositum, quod non possit ferri pro culpa aliena, docent *Nauar. cap. 27. numero 151. Caietan. v. Suspensio, Suarez disput. 28. sect. 4. numero 22.* quia nemo puniri debet pro peccato alterius, quos sequitur *Megal. libro primo de censur. capite 4. numero 27.* intellige puniri immediatè in anima, alias licet quis non debeat priuari iure suo sine culpa, hoc tamen intelligitur, quando nulla subest causa 23. de regul. iur. in 6. Igitur non solùm à iure, verum ab homine suspensio fieri potest pro culpa aliena in collegium, & eam contrahunt etiam inculpabiles, punitur enim pars in toto, & subditus in superiore, qui cum suis subditis peccauit, licet aliqui sint innocentes.

129 Iudicis sententia suspensionis grauis lata contra transgressorem solius culpæ venialis in foro fori omnino sustinenda est, quia licet opinio, quam sequimur, affirmans non posse ferri suspensionem grauem pro leui culpa, sit probabilissima, opposita tamen sua non caret probabilitate, consequenter contrariis non obstantibus opinionibus iudex, & prælatus censetur habere suam potestatem, ac proinde validè suspendere. Dicunt tamen nonnulli, quos sequitur Megalius libro primo de censur. capitulo quarto numero 28. suspensionem grauem à iure impositam in foro conscientiæ non ligare eum, qui solum venialiter peccauit, vtique in foro externo, vt diximus. Similiter suspensus ratione collegij si sit innocens occultè non tenetur suspensionem seruare, sed solùm in foro externo fauore iudicis, qui potuit eam pœnam infligere contra collegium.

130 Respond. Tertiò de Interdicto moralizandum est sicut de suspensione; ad incurrendum igitur graue interdictum requiritur peccatum mortale ad leue peccatum veniale; Graue autem interdictum est priuatio sacramentorum, auditionis missæ, ingressus in ecclesiam, sepulturæ; leue si prohibeatur accessus ad horas canonicas pro vna vice, ad concionem. Sed tenera omnes effectus videntur inferre semper graue interdictum personale.

131 Interdictum locale inferri non potest nisi pro peccato grauissimo non vnius personæ, nisi sit Dominus loci, cum sit ipsum grauissima pœna. Ita docent omnes enim Sil. v. eodem 3. numero quinto, Graff. parte prima libro quarto capitulo 26. numero sexto. Mirand. tomo secundo, quæstione 37. articulo quinto. Portellus de causis interd. sic loquitur. *Omnes in summa dicunt poni debere non pro quacumque causa graui, sed pro grauissima, vt pro tuenda iurisdictione, seu immunitate ecclesiæ*, Sotus in 4. distinct. 22. quæstione tertia articulo primo. Layman. libro primo tract. 5. capitulo quarto, numero quarto ait. *Quapropter vt interdictum locale, vel generale in communitatem feratur, requiritur peccatum valde graue, immo grauius, quam ad excommunicationem, idque contumaciter admissum, seu à capite, seu à pluribus, aut præcipuis membris alicuius communitatis.* Duardus *libro primo, capitulo primo, quæstione tertia, numero 25. & 27. Sayr. libro quinto, capitulo decimo, numero quarto, Couarruu. in capitulo. Alma mater Relect. parte secunda §. primo numero quarto*, qui omnes dicunt per vnius priuati hominis culpam quantumuis grauem non posse locum supponi interdicto.

Quæres 29. An pro qualibet re superiores possint imponere excommunicationem, suspensionem, & interdictum?

132 Respondetur Non, sed solum pro re graui, vel in se, vel attentis circumstantiis, & cuius transgressio sit peccatum mortale iuxta quod dixi præcedenti quæstione. Probatur per capitulum Episcopi 8. ibi: *Aut minimis causis culpabiles excommunicare præsumpserint*, capit. Nullus 4. 11. quæstione 3. ibi: *Pro paruis, & leuibus causis à communione suspendat.* Vnde Tridentinum Concilium sessione 25. capite tertio ait sobriè vtendum esse illis verbis. *Quamuis excommunicationis gladius neruus sit ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobriè tamen, & magna circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam salutem.* **133** *Quapropter excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmissis ad finem reuelationis, aut pro deperditis, vel substractis rebus ferri solent à nemine prorsus, præterquam ab Episcopo decernantur, & tunc non alias, quam ex re non vulgari, causaque diligenter, ac magna maturitate per Episcopum examinata*, &c. Sub nomine Episcopi venit etiam capitulum sede vacante, *Sayr. lib. 1. capite nono, numero 33. Lazarus de monitor. sectione prima, quæstione septima, alij apud Barbosam ad dictum capite tertio, sess. 25. numero 7.* Item Legatus à latere, & Nuncius, *Lazarus quæstione 5. alij apud dictum Barbosam numero 9.* **134** Prælati verò exempti immediatè Papæ subiecti debent huiusmodi monitoria petere, apud dictum Barbosam numero 10. Prælati verò regulares huiusmodi monitoria dirigere possunt contra suos subditos, loquendo non solum de Prælatis maioribus, qui in potestate iurisdictionis æquiparantur Episcopis, vt sæpiùs dictum fuit, verum etiam superiores locales, quia concedere monitoria nihil aliud est, quam ad instantiam damnificati præcipere, vt damnum illatum resarciatur, vel restituatur ablatum, vel crimen occultum reueletur, quod in dies superiores regulares faciunt in suis conuentibus, quando aliquid sublatum fuit. *Ita docent Graff. tom 1. consil. 6. de sent. excom. n. 11. Lazar sect. 1. de monit. q. 8. n. 4. contra Rodr. tom. 2. q. 59 art. 4. Mirand. tom. 2. q. 35. art. 12. Compend. resol. 62. n 4.* qui fundantur in constitutione sui ordinis, qua prohibitum fuit Guardianis excommunicare ad finem reuelationis, pro reb. deperditis, & pro substractis, quia inquiunt illius religionis patres, Guardiani non habent iurisdictionem quasi episcopalem; sed quicquid sit de hoc, Tridentinum loco citato non vtitur verbo *Ordinarius*, sed verbo *Episcopus* ex quo colligi potest ibidem sermonem esse formaliter de Episcopis, nihil circa hanc potestatem determinando de Prælatis regularibus, qui etiam locales de iure communi habent facultatem excommunicandi pro qualibet re graui, consequenter indicere possunt monitorium excommunicationis in dictis causis contra suos subditos. **135** Neque enim per dictum Tridentini caput derogatur iuribus, & priuilegiis ipsorum regularium.

136 Sed numquid inualida erit excommunicatio lata contra

contra delinquentes siue per edictum, siue per sententiam pro rebus parui momenti? Respond. Posita mortali transgressione sine dubio tenebit, quia neque iure communi citatorum, *cap. Episcopi, cap. Nullus* 11. *quaest.* 3. irritatur sententia lata pro re vulgari, vel pro leuibus causis; neque in Tridentino, quia licet prohibeantur concedi monitoria pro rebus vulgaribus, tamen concessa tenent, & suum sortiuntur effectum, quia in dicto capite traditur solum forma seruandæ in illorum concessione, & non communicatur facultas excommunicandi Episcopis, quam à iure iam habent; sed acta contra formam datam iam habenti potestatem non sunt inualida, sed tenet, *Clem.* 1. *de iurepatr Glos. v. Inhibentes post medium, Anchar. in cap. Statutum. §. fin. de rescript. in* 6. *Lauor. tit.* 4. *de elect. cap* 21. *num.* 145. *Nau. cap.* 27. *num.* 37. *§. Dixi, & consil.* 3. *de statu mon. num.* 37. nam inquiunt similis forma est tantum accidentalis, per quam Prælatus admonetur de recto modo, quo vti debet sua facultate. Ita docent *Probus ad Ioannem Monachum, cap.* 2. *de constit. num.* 54. *Megal. in terminus Tridentini* 1. 2. *lib.* 1. *cap.* 1. *num.* 13. *& lib.* 1. *de censur. cap.* 4. *num.* 35. *&* 36. vbi respondet obiectis. Non esse formam, sed tantùm instructionem Episcopis datam in Concilio *docuis M. Anton. lib.* 1. *Var. resol. fin. casu* 75. *§. Insuper. Campanilis Rubr.* 12. *cap.* 15. *num.* 90. *quos citat Barbosa ad dictum cap.* 3. *sess.* 25. *num.* 12.

Sed qualis res dicitur vulgaris, vt Episcopus, aut superior regularis non imponat excommunicationem? Nomine vulgaris rei venit ea, quæ vilis est, & parui pretij, & hoc relinquitur arbitrio prudentis viri; pro nostro autem instituto, & vsu relinquitur arbitrio prudentis viri; pro nostro autem instituto, & vsu religionum, putarem non esse rem vilem valentem vnum argenteum; *Angel. in l. Sed & si §.* 1. *ff. de ind. apud Graff. part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 93. *num.* 27. *quos citat pro se Lazar. de Monit. sect.* 1. *q.* 11. *num.* 6. dicit esse rem magni momenti librum scriptum magno labore, & speculatione compositum, & pluris quandoque ab authore æstimari, quam decem argentei, vnde ab eo censetur magnum furtum. Leuis autem res in se, attentis circumstantiis est grauis,

138 e. g. morari ante portam ecclesiæ diebus festis, vel quia è regione manent mulieres, ex quibus nasci potest scandalum, vel quia malo fine singulas personas ingredientes, vel alloquuntur, vel aspiciunt contra decentiam religiosam, & reuerentiam loco sancto debitam, in his & similibus causis superior prohibere potest talem mansionem sub pœnæ excommunicationis. Vide supra exemplum pro excommunicatione minori allatum à Fabro, & quæ dixi resol. 58. num. 46.

139 Caueant Prælati, ne proni, & celeres sint ad præcipiendum, vel prohibendum aliquid sub excommunicatione, etiamsi res sit alicuius momenti, sed prius aliis mediis, nempe pœnis corporalibus, subsequenter in virtute sanctæ obedientiæ, quando corporalia pœna non profuit, & hoc colligitur ex cap. Nemo 59. 11. q. 3. ibi: *Et illis, qui aliter non potuerunt corrigi*, à minoribus enim pœnis ad grauiores procedendum est, ita quod excommunicatio vt quæ grauissima est aliis maior vltimum teneat locum, vnde Panor. in cap. Clericos, de cohabit. cler. reprehendit illos Prælatos, qui pro qualibet causa immediatè recurrunt ad arma excommunicationis, ex frequentia enim contemnitur, & peccant grauiter superiores passim abutentes hac spirituali pœna, *Sayr. lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 8. *&* 33. *iterum ad rem cap.* 14. *num.* 2.

140 In ferendæ censura suspensionis non est procedendum cum tanta circumspectione, eo quod si leuis imponitur pro veniali, grauis vero supponit mortale peccatum; neque immediatè attingit animam sicuti excommunicatio, seruandæ tamen proportio est inter pœnam, & culpam, ita quod pro leui culpa non infligatur grauis suspensio, sed delicto proportionata. Vide dicta præcedenti quæst.

141 Pro interdicto personali seruanda item est proportio, ita quod pro leui culpa, seu causa quis non interdicatur, sed ferre semper requirit peccatum mortale, cum singuli illius effectus, quibus priuari dicantur fere omnes graues pœnæ, ac proinde prærequirentes peccatum mortale, iuxta superius dicta.

142 Interdictum locale maximè alicuius vniuersitatis, ciuitatis, regni, &c. requirit grauissimam causam, vt probaui supra num. 131. tum quia in eo includuntur omnes etiam innocentes, & inculpabiles; tum quia non solum viuis, sed etiam mortuis infertur præiudicium; tum quia cultus Dei minuitur in ecclesiis; tum quia ecclesiasticis maximè regularibus subtrahuntur eleemosynæ, quæ illis darentur, si eorum ecclesiæ ianuis apertis diuinis obsequiis frequentarentur. De quibus malis ex interdicto prouenientibus Bonifacius VIII. cap. 2. extr. cum. de sent. excom. vbi statuit, quod nullus audeat supponere interdicto ciuitatem, aut terram alicuius domini pro pecuniario debito quocumque non soluto, vel nolente soluere domino, seu officiali loci, seu ciuitatis, aut prouinciæ, sine licentia speciali sedis Apostolicæ, irritando quicquid attentatum fuerit.

143 Interdictum pro graui causa, & peccato vnius hominis priuati locale positum puto nullum esse, quia iura concedentes hoc interdictum supponunt peccatum mortale vel plurium, vel personæ publicæ, ergo præter Papam nemo dicitur habere hanc facultatem supponendi interdicto villam, castrum, vrbem, &c. vt videntur docere *Ioan. Monach. in cap* 1. *de Vsur. & Couar. cum aliis part.* 2. *relect. in cap. Alma mater §.* 1. *de Interd. num.* 4. *§. sed ob vnius.*

Quæres 30. An censuræ à iure communi latæ comprehendant etiam religiosos, licet de illis nulla fiat expressa mentio?

144 Respond. Comprehenduntur, neque est necesse de illis facere expressam mentionem, probatur. Tum quia dictiones vniuersales, vt *omnes, cuncti, nullus, nemo, quicumque, &c.* nullum excludunt, sed generaliter omnes capaces includunt, *glos. v. Dicendo, arg cap.* 1. *dist.* 19. quia qui omnia dicit nihil excludit, *lib. Iulianus, l. Testatorem ff de leg.* 3. *Barbosa dict.* 141. & comprehendit eas personas, quæ alias non comprehenderentur. *Antonius Monachus decisio.* 69. *num.* 8. Tum quia comprehenduntur sub censura canonis de iniectione manuum violentarum in clericos sub illa clausula *Si quis*, quæ comprehendit omne genus personarum cuiuscumque status, & conditionis, *Barbosa dict.* 325. Ita docent fere omnes cum *Sayr. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 14. dum asserit excommunicantem sine scriptura, aut sine expressione, licet sit Prælatus regularis incurrere pœnam latam, cap. 1. de sent. excom. in 6. quia dictione similes *Ne quis, si quis, &c.* sunt vniuersales includentes etiam religiosos, ita quod quando lex vult statuere aliquid speciale contra, vel fauore regularium solet illos exprimere.

Quæres, 31. An idem dicendum sit, quando censuræ feruntur ab homine, vt à legato à latere, ab Episcopo in iis casibus, in quibus subijciuntur? an vero in specie exprimendi sint sub nomine regularium, & religiosorum.

145 Respond. Non ligantur, nisi de illis fiat expressa mentio, vt de priuilegio testatur Rodr. tom. 2 q. 59. art. fin. & insinuat Mirand. tom. 2. q. 35. art. 11 Portel. v. excommun. num. 3.

Quæres 32. An Episcopi, Nuntij, & alij Prælati seculares, quicumque illi sint attentantes ligare censuris regulares extra casus illis concessos valide illos excommunicent?

Sed

146 Respond. Nulla est illata excommunicatio, vt iure communi, quia sententia lata à non suo iudice non tenet ex vulgatis iuribus, & priuilegiis docent omnes *cum Rodr tom.2.q 59.art.5. Compend. resol.62. numer. 5. Peregrin. in suo Compend. v. Excommun citans ad hoc Bullas autenticas, Confess. tit.5. Mirand. tom.2.quaest.35. art. 11.*

Quæres 33 An censuris contra Monachos latis afficiantur cæteri religiosi, qui non Monachi, sed Fratres vocantur, quo nomine veniunt omnes Mendicantes? Et è contra an sub nomine Fratrum, veniant Monachi? *Vide Resol.52 à num.341 ad 350.*

147 Respond. Negatiue, quia appellatione monachorum non veniunt Fratres, neque Mendicantes, & è contra, *Gemin. in cap. Cum singula, de prabend. numero 3.* ibi: Monachi, vel religiosi *ex Megal. libro 4. de cens. cap. 2. numero 39. Graff. part. 1. lib. 2. capite 24. numero 16. & 17.* sub nomine Monachorum in odiosis non venire Fratres Mendicantes. Id etiam constat ex diuersitate titulorum iuris communis de statu monachorum, & de Regularibus. Faciunt, quæ habent *Armilla v. excommun. 55. Tabien. excom. 5. numero 47. Sayr. libro 9. cap. 33. numero 28.* vbi de excommunicatione lata contra Monachos nigros deferentes arma, quæ non comprehendit reliquos religiosos. Censuræ ergo latæ contra Mendicantes non afficiunt non Mendicantes; neque monachos; neque è contra latæ in Monachos afficiunt Mendicantes; neque latæ contra vtrosque afficiunt religiosos militares, qui neque monachi, neque mendicantes dicuntur, licet in fauorabilibus veniant sub illis nominibus, *Rodr. tom. 1. q. 1. art.6. Compend. resol. 123. num. 40.*

Quæres 34. An nouitij afficiantur censuris à iure communi, vel statutis, seu ordinationibus latis à superioribus regularibus, quando in eis non nominantur?

148 Respond. Non, quia in odiosis non veniunt sub nomine Fratrum, Monachorum, Religiosorum nisi exprimantur, *arg. c.21. de sent. excom. in 6., Rodrid. tom. 1. q.11. art.1. Vide dicta sub q.6.*

Quæres 35. An excommunicationes latæ contra religiosos afficiant moniales?

149 Respond. Non quia, licet masculinum concipiat fœmininum etiam in odiosis, *Dect. in cap. Si quis 17. q. 6. Rebuff. in tract. de pacif. possessor. numero 3.* de dictione Quicumque *Barbosa dict.* 322. de relatiuo quis, in materia excommunicationis *Lupus super primo casu Bergomi num.* 1. hoc tamen simpliciter intelligendum non est, sed solum quando lex, aut statutum, seu alia dispositio loquitur terminis generalissimis, cuiusmodi sunt. *Quis, aliquis, siquis, homo, omnis, quilibet, quicumque, persona, Christianus, fidelis &c.* non autem quando adhibentur termini speciales, & distinctiui, *Tuschus lit. D. concl. 353. numero 2.* vt Vir, masculus, fœmina, mulier, religiosus: religiosa, monialis, in his masculinum non concipit fœmininum, quamuis materia odiosa communis sit vtrique, & congruat personis vtriusque sexus; censura ergo lata contra religiosos non includit religiosas, vt probatur exemplo nonnullarum constitutionum, in quibus Papa exprimit moniales similibus verbis. *Regulares vtriusque sexus, Religiosa, Moniales, &c.* quod certum est argumentum eas non comprehendi sub Bullis, & statutis odiosis latis contra religiosos etiam eiusdem professionis, licet illis moniales subiiciantur. Leges Bullas Sixti Quinti de Abortu, & Clementis VIII. de largitione munerum, in quibus ideo moniales includuntur sub illis pœnis, quia exprimuntur suis nominibus appellatiuis, alias non comprehenderentur. Vnde audiendus non est Catalogus excommunicat. dum cap. 2. num. 2. cap. 3. num. 10 & & cap. 4. numero 1. asserit moniales inducentes aliquem ad vouendum, iurandum, vel promittendum electionem sepulturæ in sua ecclesia incidere in excommunicationem Clem. Cupientes 5. fin. de sepult. quia reuera ibi sermo est tantum de clericis, & religiosis masculini generis, vt videre est etiam cap. 1. de sepult. in 6.

Quæres 36. An censuræ latæ contra moniales ligent religiosos.

150 Respond. Non, & quia fœmininum non concipit masculinum. l. Si ita sit scriptum ff. de legat. 3. & quia id colligitur *à Glos. v. Cecidisse cap. Clem. 2. de statu mon.* vbi pœna inflicta contra Abbatissam non inficit Abbatem.

Quæres 37. An censura, seu alia pœna inflicta contra seculares, vel regulares in fauorem certæ religionis extendatur, & communicetur aliis religionibus, quibus in specie tale priuilegium non fuit concessum? v. g. lata est excommunicatio contra conficientes libellos famosos contra statum Prædicatorum, & Minorum, an aliæ religiones communicent in hoc priuilegio, itaut si quis conficiat libellum famosum contra Carmelitas v. g. incidat in eam excommunicationem? Item respectu ipsorum religiosorum, an pœnæ subordinationis contra electores vnius ordinationis extendantur aliis ordinibus?

151 Respond. Resolut, 52. quæstione 34. numero 94. in priuilegiis respectu regularium inter se non communicari pœnas, sed tantum fauores ob rationes ibi adductas. Confirmatur, quia in communione priuilegiorum Papa mentionem facit solum fauorum, exemptionum, indultorum, &c. ergo pœnalia non communicat; nisi respectu secularium ob rationem ibidem expressam sub 95. & ratio differentiæ est, quia communicauit constitutio in ratione priuilegij respectu secularium, respectu vero regularium pœna suam rationem pœnæ non perdit. *Quicquid dicant Bonac. de restit. disp. 2. quæst. 4. part. 9. numero 9. Sayr. libro 12 Clauis capite 4. numero 10.* Adde, quod cum priuilegia introducta sint in fauorem religiosorum, non sunt retorquenda in eorum odium contra Regulam 61. in 6. Præterea priuilegium ex parte pœnæ non habet rationem priuilegij, sed dispositionis pœnalis, quæ non communicatur.

Quæres 37. An religiosi incurrant pœnas latas contra clericos?

152 Respond. Religiosi non includuntur in censuris latis expresse contra clericos, nisi aliunde oppositum colligatur. Probatur, quia in materia odiosa religiosi non veniunt sub nomine clerici, *arg cap. 1. de sepult. in 6. cap. 8. de heret. §. fin. in 6. Clem. 1. de priuileg.* in quibus distinguuntur ad inuicem. *Ita docent Vgol. tab. 4. capite 11. §. 2. Siln. & Nald. v. Clericus, Sayr. libro 4. capite 13. numero 21. Bonac. de Suspens. p. 5. § 4. De interdicto idem Vgolin. Tabul. 5. cap. 5. §. 3. Angel. Tabien. Silu. v. eod Sayr. lib. 5. capite 4. numero 29. Bonac. de Interd. part. 1. numero 11.* Confirmatur, quia doctores distinguunt tractatus censurarum contra clericos, & religiosos in diuersa capita. Intellige prædicta modo non agatur de susceptione, vel administratione sacramenti ordinis, in

153 quo casu pœnæ latæ contra susceptores, vel administratores clericos comprehendunt etiam religiosos, quia nomen clerici non sumitur pro statu clericorum, sed pro officio respectiue ad ordines, respectu quorum quælibet persona ecclesiastica siue secularis, siue religiosa dicitur propriè clericus ratione officij, non status. Procedit nisi aliter disponatur clericis in vna parte Bullæ, & in alia de religiosis, ad quod facit cap. Cum illorum 32. de sent. excommun. & Bulla Sixti V. contra male promotos reducta ad terminos iuris communis per aliam Clementis VIII. quas extendit Quar. v. ordo.

Quæres 37. An Irregularitates communes sint tam clericis, quam religiosis sub nomine clericorum?

154 Respond. Affirmatiue, ob adductam rationem respectu ordinum, in ordine ad quorum legitimam susceptionem, & administrationem excluduntur Ecclesiastici irregulares.

Quæres 38. An clerici sæculares ligentur censuris, & pœnis contra religiosos latis?

155 Respond. Non, Tum quia clerici non sunt deterioris conditionis, & sicut religiosi non ligantur latis contra clericos, ita nec clerici promulgatis contra religiosos, etiam in materia ordinum. *Gloss. v. Religiosi, Clem. 1. de priuilegijs?*

Quæres 39. An Tertiarij, seu Famuli perpetui commensales regularium, cum quibus continue maneot ligentur censuris à iure, vel ab Episcopo, vel à superioribus regularibus latis?

156 Respond. Tertiarij, & Famuli non comprehenduntur sub censuris à iure latis contra religiosos; à religiosis tamen superioribus possunt ligari tam per statutum, quam ab homine, si exprimatur; ab Episcopis vero solum in casibus, in quibus censurare possunt religiosos.

Primum, quod non comprehendantur sub censuris, & aliis pœnis contra religiosos latis, probatur, quia isti non sunt propriè religiosi, cum non voueant illa tria religionis substantialia vota, per quæ quis fit propriè, & irreuocabiliter religiosus; & in pœnis autem verba propriè accipienda sunt, ex vulgatis vulgaribus, ergo non includuntur censuris latis contra religiosos, quod idem probaui supra sub. quæst. 6.

Secundum, quod à prælatis regularibus possint ligari, probaui sub dicta quæst. 6. cum propriè sint subditi prælatis regularibus.

157 Tertium, quod non possint ligari ab Episcopis, suadetur, quia cum sint subiecti prælatis regularibus, ab Episcopis exempti sunt, vt de Tertiariis dixi resolut. 75. num. 67. & quod famuli non possint censurari dixi ibid. num. 87. habetur Bulla 8. Alex. IV. incip. *Vt in vestris domibus*, apud Rodr. pag. 25.

Quæres 40. An censuræ latæ contra Abbates, & alios prælatos ligent religiosos priuatos, qui tale officium non habent? Similiter, an pœnæ latæ contra religiosos includant superiores prælatos?

158 Respond. Negatiue ad vtrumque quia in odiosis vnum non venit sub alio, sicut in fauorabilibus, cap. fin. de sim. iuncta glos. v. Abbates, vbi sub nomine monachorum venit Abbas, Ita in materia odiosa sub nomine monachorum non venire Abbatem, neque è contra docent *doct. in cit. Armilla v. Abbas num.* 11, *Nau. consil. 3. de statu monach. num. 42. Cardin. in Clem. 1. de regul. num. 7. Gomez q. 4. ad regul. Cancell. §. Et in eadem ratione, Peyrin. tom. 1 priuileg. ad constitut. 2. Clem. VIII. num. 19. Nald. Abbas 1. Mandos. de priuileg. ad instar glos. 7. num.* 28. Dicunt tamen doctores, quos citat *Benac. q. 4. de clausp. 6. num.* 22. quod Abbates veniunt sub nomine monachorum etiam in materia odiosa, quando agitur de spectantibus ad salutem animarum, & de materia proportionata, & accommodata vtrisque, vnde infert Abbatissas, & alias superiorissas monialium eisdem pœnis, affici admittendo aliquem intra clausuram, quibus ipsæ moniales ligantur. Sed recenta Bonacina bene non loquitur, sed omnino errat, quia in Bulla, *Vbi gratia*, quam ipse citat, expresse excommunicantur Abbatissæ, & earum superioribus ingredi facientes, vel permittentes ingressum prætextu licentiarum. Quod superius dixi de Abbatibus locum habet in aliis superioribus quibuscumque etiam localibus, quia nomine abbatis venit omnis superior etiam localis, *Sigism à Bononia Capucinus de elect. dub.* 114. *num.* 1. *Rodr. tom.* 1. *q.* 12. *art.* 1. *& 5. cum suo Compend. resolut.* 1 *num.* 1.

Quæres 41. An conuentuum benefactores, procuratores, negotiorum gestores, coloni, & alij inseruientes sine stipendio, seu cum stipendio, sed non collegialiter viuentes cum religiosis ab Episcopis censuris ligari possint?

159 Respond. Possunt, quia licet alias fuerint exempti, tamen in Concilio Lateranensi sub Leone X. iterum ordinariis locorum subiecti fuerunt, Bulla incip. *Dum intra*, illis verbis. *Procuratores quoque & negotiorum gestores, ac operarij eorundem Fratrum seruitiis insistentes, sententiis excommunicationis promulgatis illaqueati sint, & esse censeantur, si illis causam dederint, aut dantibus consilium, auxilium, vel fauorem præstiterint.* Neque prælibata obstant resolutioni sub q. 39. quia ibi sermo est de manentibus intra claustra.

Quæres 42. Petrus declaratus excommunicatus ab Episcopo Parmensi, si Regium se transferat an vitandus sit à subditis Episcopi Regiensis, qui illum non declarauit excommunicatum?

160 Respond. Non, probatur per cap. Curæ sit 20. 11. q. 3. ibi: *Cura sit omnibus Episcopis excommunicatorum omnino nomina tam Episcopis vicinis, quam suis parochianis pariter indicare.* Sed non est in vsu transmittere huiusmodi nomina excommunicatorum, ergo Regienses communicare possunt Petro, cap. Peruenit 13. de appellat. ibi: *Non prætermittas quin eos excommunicatos denunties, ipsosque facias sicut excommunicatos cautius euitari*; Sed Episcopus Parmensis id præstare non potest respectu Regiensium, cum illi non subiiciantur, ergo cum Petro conuersari possunt. Scit, quod forma denuntiationis sic inscribitur. *Hic auctoritate ordinaria declaratur excommunicatus, &c.* Aduerbium 161 illud restringit ad territorij Episcopi denuntiantis denuntiationem. Ratio est, quia declarare est actus iurisdictionis, quam non habet Episcopus Regiensis super subditum Parmensem, quod si domicilium transferat in eo casu & ibidem publicari potest ex primo citato capite, & expressè cap. Ad reprimendum 8. de off. ordin. Declaratus vero à Papa, vel ab eius delegato vbique vitandus est, quia omnes per vniuersum mundum sunt Papæ subditi. Semper autem debet euitari donec constet absolutum fuisse, *cap. Sicut nobis 39 de sent. excommun.* Vide Dianam *resol.* 134. *de excom.*

Quæres 43. An exempti præsertim regulares teneantur euitare excommunicatum ab Episcopo diœcesano declaratum?

162 Respond. Sic expresse cap. Nulli 8. de sent. excom. ibi: *Nulli se possunt priuilegio Apostolicæ sedis tueri quo minus excommunicatos vitare debeant.* Facit Tridentinum sess. 25. cap. 12. vbi mandatur regularibus, vt censuras tam à sede Apostolica, quam ab Episcopis emanatas seruent.

Quæres 44. An vniuersitas, collegium, conuentus, & simile corpus commune excommunicari possit, suspendi, & interdici?

163 Respond. Non potest excommunicari immediatè collegium, *ex cap. Romana Ecclesia 5. de sent. excom. in 6.* Ratio est, quia alias innocens, qui facile in collegio reperiri potest, ligaretur excommunicatione, quod est absurdum, quia semper supponit peccatum mortale proprium eius, qui excommunicatur ex communi doctorum, vt dixi supra sub num. 123. *Sic docent S. Bonauent. in 4. dist. 18. art. 5. quæst. 3. Megal. lib. 1. de censur. cap. 3. num. 64. Sayr. lib. 1. cap. 8. n. 15. Diana resol. 38. de excommun.* Et sententia lata imme-164 diatè contra collegium non tenet, vt docent *Host. Ioan. Non. Archidi. Franc. citati à Gloss. v. Penitus cit. cap. Romana*, nam dictio *Pœnitus*, importat nullitatem actus, iuribus & doctoribus allegatis a *Barbosa dict. 149. num. 6. à Sayro referuntur plures doctores num.* 17. Megalius cit. num. 66. inualidam esse licet ferens sententiam habuerit intentionem ligandi solos culpabiles, ratio est, quia iudex caret potestate, & sic continet errorem intolerabilé, quod irritam facit sen-165 tentiã. Sentẽtia autẽ dicitur lata immediatè contra collegiũ, quando fertur similibus verbis. *Excõmunicamus*

Capi

Capitulum, collegium, conuentum, quia noluit viſitari à Commiſſario miſſo &c. Poſſunt verò excommunicari omnes, & ſinguli de collegio, qui noluerunt admittere Commiſſarium, in ea enim cauſa ſententia immediate afficit omnes illos, qui de collegio culpabiles fuerunt, & ſic cum non contineat errorem intolerabilem, quia feriuntur noxij, & feratur ab habente poteſtatem ex citato capite Romana, ſententia valida eſt. Papa autem ferens cenſuram in collegium valide agit, quia ſuæ legi non ſubditur, neque ſibi facultatem abſtulit, & intelligitur afficere ſingulos culpabiles de collegio.

166

167 Suſpendi vero poteſt, & interdici collegium immediate, quia iſtæ duæ cenſuræ imponi poſſunt etiam pro alieno peccato, vt *docui ſupra n. 127. De ſuſpenſione cap. Quia ſæpe de elect. in 6. cap. Vn. ne ſed. vac. in 6. De interdicto cap. Si ſententia, cap. Si ciuitas, de ſent. excom. in 6.*

Quæres 45. An ad ferendam cenſuram requiratur admonitio præferenda illis, qui cenſurandi ſunt?

168 Reſpond. Quando fertur cenſura à iure, ſeu ab homine pro futuris culpis per modum ordinationis, ipſamet promulgatio legis, ſeu ordinationis, aut edicti habentis adnexam excommunicationem, ſuſpenſionem, aut interdictum æquiualet admonitioni, & ſufficienter admonet obediendum eſſe, vt euitetur cenſuræ incurſio, aliter ſi prærequireretur aliqua admonitio diſtincta à promulgatione legis, ſtatuti, ſeu edicti, nulla iuris cenſura incurreretur ipſo iure ſtatim poſt tranſgreſſionem, quod eſſe falſum omnino palam omnibus eſt, ſufficit ergo promulgatio, & publicatio ordinationis factæ, neque debet eſſe lex cenſurarum deterioris conditionis aliis legibus, cum & ipſa lex ſit & ordinatio adiunctam habens pœnam cenſuræ, & ideo lex pœnalis dicitur. *Sayr. lib. 1. cap. 12. n. 6 & 19. Bonac. q. 1. de cenſur. p. 9. num. 1. §. Ratio eſt, & alij communiter.*

169 Reſpond. 2. Quando à iure cenſura non eſt latæ ſententiæ, ſed tantum comminatoria non ſufficit ipſiuſmet ſtatuti, ſeu legis promulgatio, ſed præterea admonitio requiritur antequam iudex tranſgreſſorem afficiat cenſuræ pœna, quia licet cenſura quo ad ordinationem ſufficientem promulgata ſit, ignota tamen eſt quo ad rationem pœnæ incurrendæ, ergo à iudice notificanda eſt tranſgreſſori. Confirmatur, Tum quia vt tranſgreſſor incurrat ipſo facto cenſuram à iure ſolum comminatam, requiritur actus ſpecialis hominis iudicis, ergo in ea ferenda Iudex procedere debet ſicut in cenſuris ferendis per ſententiam, quibus præmittitur admonitio. Tum quia eſſe poteſt, quod vere non fuerit formaliter, ſed tantum materialiter tranſgreſſor, & ſit paratus obedire, ergo citandus eſt, vt alleget cauſam, cur non ſit excommunicandus. Tum quia in cap. Reprehenſibilis, de appellat. admonitio excipitur ſolum reſpectu cenſuræ latæ ſententiæ, ergo includitur in caſu noſtro, quia exceptio firmat regulam in caſibus non exceptis, ex vulgaris iuribus. *Ex Couar. in cap. Alma mater §. 9. num. 5. Caiet. v. Clericorum peccata v. Præceptum, quos contra ſe citat Bonac. q. 1. de cenſ. p. 9. num. 3.* negans requiri monitionem, quia ex parte delinquentis, & iudicis adeſt ſufficiens monitio, nouit enim ille prohibitionem; nihil tamen probat, quia licet nouerit legem nondum tamen cognouit pœnam latæ ſententiæ, quæ ſtatuto non includitur; neque in citato cap. Reprehenſibilis, ſermo eſt de ſola ſuſpenſione, ſed etiam de excommunicatione, conſequenter etiam de interdicto, quæ non prærequirunt monitionem diſtinctam à promulgatione, quando ſunt latæ ſententiæ, ergo vtique quando ſunt ferendæ.

170 Reſpond. 3. Quando iudex vult excommunicare, aliquem iam iure excommunicatum, debet præmittere vnicam ſaltem monitionem citando excommunicatum, vt de eius crimine, & contumacia magis conſtet, quia eo caſo fungitur officio Iudicis, conſequenter parte non citata procedere nequit ad ſententiam, *ita Sayr. lib. 1. cap. 12. num. 24. citando pro ſe Tabienam excom. 2. poſt initium contra Couar. in cap. Alma mater § 9. num. 5.* ſupponendo excommunicatum à iure excommunicari poſſe ab homine pro eadem cauſa, qui tandem inclinat in ſe reſponſum. Neque obſtat cap. Reprehenſibilis ſupra citatum, in quo prælatus non poteſt cenſurare ſubditum niſi præmonitum, niſi talis ſit culpa, quæ ex ſuo genere ſuſpenſionem, & excommunicationem inducat. Quia aliud eſt procedere de Iure, in quo ſufficit ius ſeruare cognoſcendo de crimine, ex quo conſequenter conſtat de cenſura contracta in hoc non prærequirens monitionem; aliud procedere vt Iudex ab homine, in quo caſo ſicut pro obiecto primario habet pœnam cenſuræ, ita & illi præmittere debet monitionem, in quo ſecundo ſenſu non procedit obiectio, ſed in primo.

171 Reſpond. 4. Quando iudex vult excommunicare aliquem excommunicatione lata contra participantes in crimine cum excommunicatis debet præmittere canonicam monitionem aliter nulla eſt ſententia excommunicationis, expreſſe cap. ſtatuimus 3. de ſent. excom. in 6. & cap. Conſtitutionem 9. eod. ait ſufficere vnicam monitionem aliquorum dierum interuallo, niſi facti neceſſitas aliter ſuaſerit moderandum eſſe illud interuallum. Hoc idem extenditur ad cenſuras ſuſpenſionis, & interdicti per *cap. Statutum 13. eod. in 6.* & ea omiſſa nulla eſt ſententia, vt ibidem expreſſe dicitur. Vide *Sayr. lib. 1. cap. 12. num. 29. & 30.* vbi de communi prædicta reſtringit ad eum Epiſcopum qui excommunicauit, quia illo cap. 3. id exprimitur illis verbis. *Nullus iudicum participantes cum excommunicatis ab eo, &c.* Quare participantes cum excommunicatis ab alio Epiſcopo, poſſunt excommunicari ab alio ſine præuia monitione, vt etiam docent *Genuenſ. in praxi Neapol. capitulo 23. numero 11. Megal. libro primo capitulo 4. numero 18.* Mihi hoc non placet, quia particula, *ab eo*, non ſtat reſtrictiuè, ſed tantum demonſtratiuè indicando cauſam efficientem, ſine qua aliquis ligari non poteſt vnde huiuſmodi clauſula non reperitur in aliis duobus capitibus quorum alterum ſcilicet nonum explicat ſufficere vnam monitionem pro tribus, tres in 13. monitio. extenditur ad ſuſpenſionem, & interdictum, quod ſignum eſt, illius diſpoſitionem non reſtringi ad excommunicatorem, ita quod eius ſolius ſit præmittere monitionem, cuius fuit excommunicare, & non aliorum; nec facit, quod lex interpretans intelligenda ſit ad tenorem interpretatæ, quia quamuis alias illud primum caput reſtringeretur ad eundem iudicem, quod non concedo, tamen lex interpretans non dicitur reſpectu cap. 13. quia eſt lex extenſiua, alterum vero caput duo præciſe ſtatuit, vt perſona excommunicanda nominatim moneatur, & vnicam ſufficere monitionem pro valore ſententiæ. Præterea actio excommunicandi aliquem eo quod participat cum excommunicato denuntiato eſt iudicis, vt homo eſt; ergo neceſſario debet illum citare, & conſequenter monere, vt probatur infra. Deinde non tantum poteſt excommunicari participans cum excommunicato à iudice, ſed etiam à iure poſita hominis denuntiatione, ſed in iſta neceſſaria eſt citatio, ergo & in illa, poteſt enim accidere, quod participet ex rationabili cauſa, ergo citandus eſt, vt certo ſciatur quo iure conuerſetur cum excommunicato, aliter cenſura ferri poſſe contra innocentem, & contra nondum probatum reum, & contumacem.

172

173 Reſpond. 5. In caſis occurrentibus, & tranſitoriis iudex non poteſt cenſurare, niſi præmiſſa canonica monitione facta præſentibus perſonis idoneis, *cap. Sacro 48. de ſent. excom. cap. Romana 5. eod. in 6.* vbi dicitur, quod hæc in ſpecie, nec in genere pro culpis,

& offensis præteritis, vel præsentibus non potest iudex excommunicare absque cumpetenti monitione præmissa; alia iura citat *Sayr. lib. 1. cap. 12. num. 5. qui num. 7.* ait procedere respectu cuiuscumque iudicis, siue ordinarij, siue delegati, siue agat ad instantiam partis, siue ex officio, siue sit prælatus regularis.

174 Canonica autem monitio illa dicitur, quæ fit ter cum aliquot dierum interuallo, *cap. Contingit 45. cap. Sacro 48. eod. cap. Constitutionem 9. eod. in 6.* vbi dicitur monitio canonica, & competens, quæ habet dierum interualla, nisi necessitas facti aliud suadeat, & ideo vna æquiualeat tribus, vt quando est periculum in mora, tunc restringi potest etiam ad vnum diem, item quando reus commode, & cito obedire potest, si vult. Quandoque monitio triplex coalescit in vnam illi æquipollentem per interualla propria distincta, vt si quis ita proferat. *Præcipimus vobis, vt infra terminum quindecim dierum à die prima monitionis nostræ huiusmodi incipiendorum, quorum quinque pro primo, quinque pro secundo, & reliquos quinque pro tertio, & vltimo peremptorio termino, & monitione Canonica assignamus &c.* Et ita practicatur in curiis ecclesiasticorum.

175 Respond. 6. Censura illata in aliquem nulla monitione præmissa est ipso iure nulla, probatur, quia ad valorem censuræ prærequiritur contumacia, & inobedientia, vt colligitur ex illo Euangelij Matth. 18. *Si ecclesiam non audieris, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus.* cap. Nouit. de iud. quis autem ecclesiam tunc dicitur non audire, quando ab ea monitus obedire non vult, vnde *glos. v. Mortuo cap. Nemo 39. 11. q. 3.* per *iura ibi allegata* pro sola contumacia, & incorrigibilitate quis excommunicandus est, vt censura suum debitum sortiatur finem, nimirum vt excommunicatus caeat à peccato, quia est pæna medicinalis, *cap. 1. eod. in 6.* Quod prærequiratur contumacia, *docent P. Nau. lib. 2. de Restit. cap. 4. num. 164. Sayr. lib. 1. cap. 9. num. 15. alios citat Diana resol. 55. de excommun.* tenens pro certo non posse valide ferri contra aliquem non contumacem, ergo nulla monitione præmissa erit nulla censura lata, quia quis non potest dici contumax, & inobediens, si prius monitus, & citatus non fuit. *l. Contumacia 53. de reb. iud. Graff. tom 2. consil. 1. diff. 4. de testam. num. 9.* Ita docent *Victoria in summa de sacram de excommun. num. 6. Soto in 4. dist. 22. q. 1. art. 2. Ledesma part. 2. q. 23. art. 3. quos contra se citat Diana dicta resol. 55. tenet Bonac q. 1. de cens. p. 9. num. 3.* Ad eam tenetur etiam Papa iure ordinario, licet de plenitudine suæ potestatis possit illam omittere *ex eodem Bonac. ex opinione Suar. & Fillincij.*

176 Communissima sententia est omissam monitionem nullam non reddere censuram, licet iniustam, teste *Sayr. lib. 1. cap. 12. num. 26. Diana resol. cit. 55. §. Hanc Probat* 1. quia in cap. Statuimus 3. eod. in 6. lata sine monitione in participantes cum excommunicatis nulla exprimitur, ergo in aliis casibus est solum iniusta. Sed ideo exprimitur in hoc casu, quia participans cum excommunicato declarato non semper peccat mortaliter, nisi communicet in diuinis, solum venialiter in humanis, & nequaquam conuersans ex rationabili causa, ideo præmittenda est monitio, vt per contumaciam contractam, & peccatum mortale non desistendo possit excommunicari valide, quæ rationes cum reperiri possunt in aliis casibus excusantes à mortali, ideo ex necessitate præmittitur monitio. Probant 2. quia Papa cap. Tam literis, de testibus aliquos

177 suspendit sine præuia monitione. Ibi sermo est de suspensione non in ratione censuræ, sed puræ pænæ, & sic non fuit necessaria præmonitio, pro præteritis enim peccatis præcise licet quis non possit excommunicari, cum hæc censura requirat contumaciam, & respiciat peccata futura ad ea euitanda, vel præterita, & præsentia pendentia in futurum, ad quæ euitanda, & corrigenda adhibetur medicina excommunicationis, potest tamen suspendi, & interdici in pænam delicti contracti, & iste modus procedendi non fit per censuram, quæ intendit correctionem, & emendationem peccati, quæ non præteritum, sed tantum futurum respicit, ideo bene Papa sine monitione suspendit Illud Capitulum, de quo in citato loco. Vel dic forsan magis ad literam Papam non suspendisse, sed mandasse suspensionem, vel aliunde suspensum, vt declararetur talem. Probant 3. quia inquit Diana ecclesia aliter facientem priuat ingressu ecclesiæ, & diuinis officiis per mensem præcipiendo, vt sententiam relaxet, ergo fuit valida monitione omissa, vt constat ex cap. Sacro 48. eod. Quandoque relaxatur sententia nulla, in quantum ligatus declaratur vere non fuisse ligatus, consequenter, inualidam fuisse censuram, vnde absolutio data, potius est declaratio nullitatis, quam ablatio sententiæ. Præterea ex impositione pænæ non

178 bene arguitur valor actus, vt habet ex cap. Statuimus 3. eod. in 6. vbi punitur excommunicans participantem cum excommunicato vitando sine præuia monitione, & tamen nulla ibidem dicitur lata excommunicatio.

179 Hinc colligitur, cur sententiæ excommunicationis, quæ feruntur contra non reuelantes pro rebus deperditis &c. iuxta cap. 3. Sess. 25. vocentur monitoria, nempe quia nullus excommunicari potest ad finem reuelationis pro rebus deperditis, seu subtractis, nisi prius canonice admonitus fuerit, quod certum argumentum est nullam esse censuram sine præuia monitione latam.

180 Respond. 7. Iudex siue ordinarius, siue delegatus sit non potest valide ferre censuram contra aliquam determinatam personam, nisi prius illam monuerit, & citauerit ad dicendum causam propter quam non debeat excommunicari. cap. Reprehensibilis de appellat. cap. Sacro, de sent. excommun. expressius cap. Romana, eod. in 6. quia cum censuræ ferantur ad solam contumaciam ex supra probatis, necessario præmittenda est monitio, aliter posset censura ferri contra insontem, quod non leuis est culpa, ex eod. cap. Sacro; neque enim cognosci potest, sit ne quis contumax necne, nisi mediante monitione. Admonitio autem hæc facienda est personaliter, hoc est, coram persona, quæ excommunicanda est, nisi obediat, ex allata ratione. Ita docent *Panorm. in cap. fin. de eo, qui mittis num. 14. Innoc. ibid. num. 3. cum aliis Sayr. lib. 1. cap. 12. num. 11.* asserentes non sufficere, si fiat domi, *Bonac. q. 1. de censur. p. 9. n. 9. Genuens. in praxi Neapol. cap. 23. num. 12.*

181 Quatuor casus refert ex doctoribus Sayr. in quibus sufficit citatio facta ad domum, primo quando reus se abscondit, vel impedit, ne ad se perueniat citatio, secundo prima citatione coram ipso facta, reliquæ sufficienter fiunt ad domum, vel in ipso tribunali, tertio si primo facta ad domum peruenit ad eius cognitionem, reliquas domi facere sufficit; quarto ad reincidentiam sufficienter domi citatur, quos etiam refert Genuens. citatus.

182 Respond. 8. Quando iudex procedit contra collegium, vel vniuersitatem per censuras suspensionis, aut interdicti sufficit monere delinquentem principalem, vel collegio intimare, si difficilis sit aditus ad principalem, seu delinquentem. Quod si ex malitia principalis, seu collegij, aut vniuersitatis citatio peruenire non potest ad personam, vel collegium, eo quod exquisitis, & efficacibus mediis impeditur monitorium, eo casu, vt supra dixi, sufficit monitorium affigere in locis vicinioribus, quia sine dubio notitia affixi monitorij perueniet ad aures collegij, loci, terræ, vrbis, seu principalis. Immo Papæ sufficit si monitorium faciat publicare, & affigere Romæ, sicut id præstare potest, ferendo sententiam interdicti, aut alterius censuræ contra contumacem in remotis existentem, cap. 1. de postul. prælator. cum non magis obligetur in vno, quam altero casu, aliter iudices nunquam efficaciter possent ferre censuras contra potentes,

tes, qui potenter resistunt ecclesiasticæ potestati.

Quæres 46, An prædicta de canonica citatione, seu monitione præmittenda seruanda sint etiam à prælatis regularibus.

183 Respond. Affirmatiue ex cap. Reprehensibilis 26. de appellat. vbi de hac canonica monitione, vbi etiam de religiosis prælatis sermo, & non tantum de subditis, vbi sicut subditis prohibetur appellatio contra regularem disciplinam, ita & eorum superioribus præscribitur competens monitio in ferendis censuris. Nomen enim prælati, de quo ibi commune est omnibus habentibus ex officio iurisdictionem fori contentiosi. Item in cap. Sacro 48. de sent. excom. mandatur sub his verbis: *Nequis in aliquem excommunicationis sententiam nisi competenti admonitione præmissa, aliter incurris interdictum ingressus in ecclesiam per mensem*, quo finito censetur liber, & restitutus ex Glos. ibi v. Per mensem. Dictiones autem vniuersales comprehendunt etiam religiosos in pœnalibus, vt dixi supra Confirmatur, quia capitulo fin. de regul. apostatæ, & fugitiui annuatim sunt requirendi, & cogendi censuris ecclesiasticis præuia monitione, vt ibidem expresse dicitur, vt ad claustra reuertantur. *Ita docent Nau. cap. 27. num. 7. fine, Angel. excom. 2. num. 3. quos citat Sayr. lib. 1. cap. 12. num. 21. & 22. Diana resol. 20. de excommun. Contra Lapum, Gemin. & Felinum apud Sayrum*, eo quod non adstringuntur ad strictum ordinem iuris seruandum, ex cap. Per tuas, cap. Heli, de simon,

184 sed intelligitur hoc de ordine accidentario, non essentiali, cuiusmodi est monitio ex præmissis, præsertim cum proceditur iudicialiter, vt in censuris, quibus prælati vti non solent nisi iudicialiter.

Quæres 46. An censura à iudice ferenda sit in scriptis cum expressione causæ, etiam à regularibus, aliter an nulla sit sententia? & pœnæ incurrantur à transgressoribus?

185 Respond. Ferens censuram sine scriptis, & expressione causæ peccat mortaliter; & incurrit suspensionem ab ingressu ecclesiæ & diuinis officiis per mensem, etiam superior, seu iudex regularis, ex cap. 1. de sent. excom. in 6. Et eamdem pœnam incurrit non tradens exemplar scripturæ parti, si petat, vt ibidem dicitur. Requiritur autem quod censurans habeat cognitionem huius obligationis, & tamen eam non seruet formam, vt enim hæc pœna incurratur requiritur temeritas in excommunicatore. Quælibet autem illarum trium actionum sufficit ad incurrendam pœnam. A qua excusantur primo quando vrget periculum, nisi censura statim feratur. Glos. v. temerarius. Secundo bona fides, & ignorantia, seu inaduertentia, quia non incurritur sine temeritate, quæ à prædictis excluditur. Tertio, si per modum puræ pœnæ prior prohiberet alicui sacerdoti, ne cantaret in choro, ne accederet ad confessionale, quia hæc solent prohiberi potius in pœnam, quam ad correctionem. Parum autem refert, si sententia legatur per notarium, quia iudex est ille, qui censurat, & alter legit. Causa autem in specie exprimenda est nominando illam, vt sciatur sitne iusta, an iniusta sententia. *Vide Sayr. libro 1. cap. 13. Bonac. q. 1. de censur. p. 8.* Ipse autem lator censuræ non tenetur relaxare sententiam, cum ibi dicatur id spectare ad superiorem, ad quem fit recursus, qui debet latorem in expensis condemnare factis ab excommunicato, vel suspenso, aut interdicto, prædicta enim forma mandatur seruari respectu omnium

186 censurarum. Si quis iudex non tradat copiam sententiæ petitam intra mensem eamdem pœnam incurrit, non autem si eam petat post illud tempus, quia ius indulget spatium vnius mensis à die latæ sententiæ. *Sayr. lib. 1. cap. 13. num. 18.* Suspensus autem ab ingressu ecclesiæ,

187 & à diuinis officiis, vt ibidem dicitur, nullum ordinis actum exercere potest, neque etiam priuatim more laicorum, non ratione suspensionis præcisæ, sed quia simpliciter non potest ingredi ecclesiam, vnde neque potest interesse diuinis; si esset solum interdictus, vel suspensus ab ingressu Ecclesiæ, alibi celebrare posset, & exercere suum munus in domibus, & oratoriis priuatis, *Gloss. v. In ea cap. 15. cui 20. in 6.* Suspensus vero, seu interdictus ab ingressu Ecclesiæ, intra ecclesiam diuina exercere non potest, vt ibidem dicitur, quia sic interdicto censetur prohibita celebratio diuinorum in ecclesia. Differunt autem suspensio

188 ab ingressu ecclesiæ, & suspensio à diuinis, nam ratione illius à diuinis arcetur tam actiue, quam passiue intra ecclesiam, ratione vero istius solum actiue; & solemniter vt clericus, nam à diuinis solum suspensus potest illa audire, *vt ex Fillincio docet Diana resol. 52. de suspens. Portel. v. suspensio num. 5. contra Silu. suspensio q. 5. Sayr. lib. 4. cap. 5. num. 26.* Quid importet suspensio à diuinis dixi *resol. 76. num. 45.*

Suspensio prædicta finito mense cessat, & non eget absolutione, vt colligitur ex glosa; & docent omnes

189 immo prælatus maior ex vi suorum priuilegiorum intra mensem potest iudicem absoluere ab hac pœna, cum nullibi sit reseruata, immo etiam dispensare ab irregularitate contracta ob exercitium diuinorum officiorum ex Bulla Clem. IV. incip. *Exigentibus* 6. apud Bullarium Rodriquez, quod est certum argumentum etiam iudices regulares comprehendi sub hac pœna quicquid dixerint nonnulli apud Sayr. lib. 1. cap. 13. num. 15.

Sed ponamus casum, superiorem nullo processu præmisso sine scriptis aliquem religiosorum sibi subditum excommunicasse, quia noluit sibi obedire, an afficiatur superior pœna suspensionis ab ingressu ecclesiæ & diuinis officiis? Respond. Quod cum in eo cap. 1.

190 de sent. excom. in 6. fiat mentio de iudice formaliter accepto, ideo superior iste, qui non processit in forma iudicij, consequenter non vt iudex, euasit illas pœnas. Et ita sentire videtur *Sayr. lib. 1. cap. 13. num. 13. num. 18.* dum dicit eam pœnam non incurrere ille, qui non vt iudex, sed vt priuatus sine scriptura excommunicauit. Ex quo superiores locales fere omnium religionum, qui non possunt processus formare, immunes essent ab ea pœna.

191 Demus casum, quod iudex, qui sine scriptis, aut absque expressione causæ excommunicauit, intra mensem illum decedat ex hac vita, ab ea suspensione non absolutus, an careat ecclesiastica sepultura; Respond. ex hoc non carere, quia suspenditur in ordine ad diuina officia, in quantum ea exercere non potest in ecclesiis, ex supradictis, sepultura autem ecclesiastica quid diuersum est à diuinis officiis. Verum quidem est, quod interdictus ab ingressu ecclesiæ, in ea, vel cæmeterio sepeliri non potest, ex cap. Is cui 20. de sent. excom. in 6. licet cæmeterium diuisum sit ab ecclesia *ex Glos. v. Cæmeterio ibid. Portel. v. Interdictum num. 49.*

192 Censurans sine scriptis, aut expressione causæ adhuc valide agit, quia illæ duæ actiones ponuntur à lege per modum munitionis, vt iudex bene fungatur suo officio, & non per modum formæ, cum illæ duæ actiones causam non iustificent, sed illi extrinsecæ sint. Confirmatur, quia in eodem cap. 1. de sent. excom. dicitur, quod superior relaxat censuram latam, ergo tenuit sententia, si relaxanda est. *Sic glosa ibidem v. Propterquam, Sayr. lib. 1. cap. 13. num. 8. & omnes, Megal. lib. 1. cap. 5. num. 26. Bonac. q. 1. de censur. quæst. 8. propos. 3. de communi contra Ripam in Rubr. de constitut. num. 48.*

Quæres 47. An prælatus duobus religiosis inter se altercantibus iniuriose possit præcipere sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ vt taceant, nulla scriptura præmissa, sed oretenus tantum?

193 Respond. Quamuis prælatus ita rigorose præcipere non deberet, ne censura vilescat, & contemnatur, dicente Innoc. 4. in cap. 1. eod. in 6. quod quam graue est excommunicationis sententiam sine maturitate debita

 fulminate,

fulminare, cum alio remedio nimirum ſub præcepto ſanctæ obedientiæ, aut ſub pæna carceris coërceri poſſint ad deſiſtendum ab iniuriis conſequenter parum prudenter ſe gerat ſuperior non ſine peccato, nihilominus lata teneret ſententia, quia effecti ſunt contumaces, & inobedientes admoniti, vt deſiſterent ab obiurgationibus. Neque in hoc caſu incurrent pænam ſuſpenſionis ab ingreſſu eccleſiæ, & à diuinis officiis ob eam ſententiam ſine ſcriptis latam, cum euidens periculum ſit in mora, niſi ſtatim prouideatur altercationi; & etiam quia prælatus iudicialiter non procedit ex ſupradictis.

Quæres 48. Quidam religioſus ſuſtulit lampadem argenteam, vt iuridice conſtat, vnde propter hoc furtum præciſe excommunicatur à ſuperiore non quia negat ſatisfacere, cum iam lampadem reſtituerit, ſed tantum in pænam delicti. An teneat hæc ſententia?

194 Reſpond. Nulla eſt excommunicatio. Tum quia nullus incurrit cenſuras niſi prius ſit factus contumax, & inobediens ex probatis ſupra ſub num. 175. Fur autem iſte licet mortaliter peccauerit ſubſtractione lampadis, non tamen dicitur contumax, neque inobediens, cum ſtatim obedierit reſtituendo lampadem, ergo non potuit excommunicari. Tum quia quis excommunicatur ad eum finem, vt corrigatur, & à malo reſipiſcat, vnde per hoc excommunicatio dicitur medicina ſpiritualis; ſed iſte fur iam ſe correxit per reſtitutionem, ergo excommunicandus non eſt. Tum quia pro peccato mere præterito in futurum non tendente nullus excommunicandus eſt ex communiſſima ſententia doctorum *apud Sayr. libro primo capitulo 9. num. 25. ad 27. contra Caiet. 2. 2. q. 69. art. 1. ad 2.* vbi multis probat reſpondendo obiectis, quod ſi aliquando viſum fuerit aliquibus S. Paulum, Gregorium excommunicaſſe quoſdam ob præterita delicta, id verum non eſſe, ſed ſententiam tuliſſe contra delinquentes non præciſe ob peccatum præteritum, ſed quia pendebat in futurum, ratione reſtitutionis, ſcandali, aut perſeuerantiæ in peccato, S. enim Paulus adulterum non excommunicauit ob præterita adulteria, ſed ob inobedientiam, & perſeuerantiam in eodem peccato, à quo nolebat recedere.

Quæres 49. An ſententia paſtoris ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſemper timenda ſit? Eſt ſententia *D. Gregorij*

195 *relata, cap.* 1. 11. *q.* 3. *vbi gloſa* aſſignat duos caſus, in quibus timenda non eſt, primo cum lata fuerit poſt appellationem, ſecundo, cum errorem continet intolerabilem, tertio addunt, cum quis excommunicatur pro indebitis. Vrbanus Papa relatus, cap. Quibus 27. ead. ait quod valde timenda eſt, licet iniuſte liget. Ex quibus deducitur ſententiam non eſſe timendam, quando fuit nulla, & inualida, vt in prædictis caſibus; igitur non eſt timenda, hoc eſt, ſeruanda ſententia excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, de ſingulis enim eſt hoc intelligendum, cum non magis ſit dicenda ſententia vna cenſura, quam alia, quando eſt iniuſta iniuſtitia nullitatis, & inualiditatis, vtique vero ſeruanda eſt, quando eſt iniuſta ex aliquo extrinſeco, vt quando lata fuit ex odio, ſine ſcriptura, ſine expreſſione cauſæ, ſine tribus monitionibus, cum potuiſſent præmitti, vnica enim ſufficit ad eius valorem ex probatis ſupra ſub num. 174.

196 Reſpond. Sententia cuiuſlibet cenſuræ licet iniuſta extrinſece ex odio ferentis, ſine ſcriptis, ſine expreſſione cauſæ lata timenda omnino, & ſeruanda eſt, quia cum in re fuerit in culpa, debitam non debet refugere pænam, & ita intelligitur ſententia S. Gregorij. Peccat tamen mortaliter iudex, ſi ex odio ferat ſubditum licet reum, quia abutitur poteſtate ſibi conceſſa, etiam peruertendo finem cenſuræ, quæ tendit in correctionem proximi, non in illius odium, vnde ad hoc D. Auguſt. relatus, cap. Illud 83. 11. q. 3. bene dixit, illis verbis. *Illud plane non temere dixerim, quod ſi quiſpiam fidelium fuerit anatematizatus iniuſte, potius ei oberit, qui facit, quam qui hanc patitur iniuriam, Spiritus enim Sanctus habitans in ſanctis, per quem quiſque ligatur, aut ſoluitur immeritam nulli ingerit pænam, per eum quippe diffunditur caritas in cordibus noſtris, quæ non agit perperam.*

197 Quando autem clare conſtat ſententiam fuiſſe nullam, & inualidam, in hoc caſu cenſuratus non tenetur timere, neque ſeruare ſententiam, quia illa non ligat neque apud Deum, neque apud eccleſiam, quæ neminem inique, & contra iuſtitiam ligat, quæ vnicuique mandat ſeruari iura illæſum. Ita docent omnes *cum Bonac. q. 1. de cenſur. p. 10. propoſ. 3. Mirand tom. 2. q. 35. art. 13. Sayr. quamplures citans lib. 1. cap. 16. num. 41. Nauar. tom 4. in cap. Cum contingat remed. 2. num. 4. & 15.* Dixi *clare*, quod contingit in omnibus illis caſibus, in quibus doctores communiter conueniunt in nullitate ſententiæ; de quibus caſib. nullitatem ſententiæ continentibus agit ad plenum Sayr. per citatum caput.

198 Quod ſi in opinione ſit caſus, & vtrinque ſunt doctores communiter, ita quod opinionem reddant probabiliorem, vel æque probabilem ex parte iudicis, in foro eccleſiæ ſententiatus tenetur timere, & ſeruare cenſuram, quia tunc caſus cenſetur dubius, in dubiis autem obediendum eſt iudici, & prælato ex vulgaris iuribus. In occulto autem ſi pro ſe ſubditus habet probabilem opinionem, poteſt non ſeruare ſententiam, quia ſic prudenter agendo non peccat coram Deo.

199 Poſt latam cenſuram etiam inualidam ligatus non ſtatim poteſt venire contra illam, ſed prius debet conſtare de nullitate ſententiæ ad euitandum populi ſcandalum, vt expreſſe habetur ex cap. Si Epiſcopus 4. 11. q. 3. ex dictis doctoribus docet Sayr. cum aliis communiter. Sed quis debet edocere populum de hac inualiditate? Si dicamus, quod ipſemet grauatus id præſtare poteſt, ergo erit iudex in propria cauſa? quod eſſe non poteſt, præterquam quod nullus laicus videtur id efficere poſſe, cum nec poſſit cenſurare, quia caret ſpirituali poteſtate fori externi, neceſſaria ex probatis, qui autem non poteſt ligare neque ſoluere, cum pari paſſu currant, conſequenter neque declarare nullitatem ſuæ pœnæ, quod eſt quodammodo ſeipſum ſoluere à pæna. Dico, quod optimum remedium eſt præcedens appellatio à futura cenſura, dummodo ſit legitima, de qua infra ſub q. 51. Quod ſi ſententiam non præuenit, neque impediuit per appellationem, nullitatem faciat

200 declarari à ſuperiore eius, qui tulit excommunicationem, & ſic euitabitur ſcandalum puſillorum. Iſta duo de appellatione, & declaratione a ſuperiore faciendis colligitur ex Nauar. cit. tom. 4. in cap. Cum contingat remed. 2. num. 5. vbi de appellatione, & num. 16. §. Cum igitur. Sed quid agendum, quando nulla fuit præmiſſa appellatio, neque patet aditus ad ſuperiorem excommunicatoris? In hoc caſu nullitas ſententiæ publicanda, ſeu potius notificanda eſt populo mediis do-

201 ctoribus, qui in medium efficaciter probent ſolidis rationibus inualiditatem ſententiæ, & ita intelligendus eſt *Gabriel. in 4. diſt. 18. q. 2. relatus a Nauar. cit. num. 27.* cuius verba ad rem noſtram refert. *Diana alios plures refert reſol. 26. de excomm.* Sed attende ne tuæ rationes concipiant opinionem æqualem, vel debiliorem, quam ſit ea, quæ ſe tenet ex parte iudicis, quia tunc ſine dubio tenet ſententia ob adductam ſupra rationem. *Ita ex Soto Faſq. de excom. dub. 11. n. 23 quem pro ſe citat Diana reſol. 29. de excom.* Obſeruauit autem dictus *Gabriel. & ex eo Couar. in cap. Alma part. 1. §. 7. num. 7. §. Cæterum*, peccatum mortale contrahi ab eo,

202 qui non ſeruat cenſuram, donec eius innoteſcat nullitas, non ex violatione cenſuræ, quæ nulla eſt, ſed ex ſcandalo, cum quo nihil faciendum.

203 Quando cenſura fertur ex mandato ſpeciali Papæ, tunc neceſſe eſt illam pænitus ſuſtinere, niſi ex natura rei aperte conſtet, ipſam eſſe nullam, maxime quando remouet appellationem, & certæ iuris ſolemnitates non ſeruantur, tunc ſolum ſeruanda non eſt, quando expreſſe conſtat

innocentem

innocentem esse condemnatum, vel alium euidentem sententia contineret errorem, vt si inter duos Duces inter se bellum gerentes, vni tantum illorum præciperet depositionem armorum, & non alteri, quem animaret ad subiugandum sibi alterum.

Quæres 50. An ex inimicitia iudicis præcise reddatur nulla excommunicatio, seu alia censura, aliis omnibus subsistentibus in forma iuridica. e. g. Iudex inimicus præcipit sub pœna excommunicationis Petro sacerdoti, vt infra terminum competentem depositum clericalem habitum resumat, & arma, quæ cum graui omnium scandalo deferebat, ac si fuisset miles, & persona laica, deponat, aliter si non paruerit intra præfixum tempus, incurrat excommunicationem ipso facto. An transacto tempore, si prosequatur deferre arma, habitu non resumpto incurrat excommunicationem latam à iudice inimico suo, an vero contra eam excipere possit inimicitiam pro eius inualiditate.

204 Respond. Cum ille sacerdos non recusauerit iudicem suum, neque appellauerit ante incursionem censuræ elapso eo tempore, incurrit excommunicationem, quod probatur, quia adsunt omnia requisita ad substantiam, & valorem censuræ, & si qua esset difficultas, ea se teneret ex parte iudicis ex causa inimicitiæ, quæ tamen nulla est, quia iudex inimicus non impeditur formaliter ex causa inimicitiæ, nisi præcedat recusatio, aut appellatio iuxta exigentiam censuræ, neque enim à iudice suspecto tollitur iurisdictio nisi post recusationem aut appellationem probatam, vt dicitur *cap. Cum speciali 61. de appellat. Glos. v. Canonice cap. Quod suspecti 14. 3. q. 5.* quia post sententia lata est nulla, & in iudice ordinario remanet, cui ideo pro satisfactione rei datur socius in cognitione, & definitione causæ, *Couar. pract. q. cap. 26. n. 1.* Immo in hoc speciali casu locum non habet appellatio, quia quoties constat de excessu notorio appellatio non est legitima, neque proinde conceditur *cap. Cum sit 5. §. Præterea, de appell. cap. Cum speciali 61. §. Porro, de appell. cap. Peruenit 13. eod.* vbi non obstante appellatione iudex prosequitur ad denuntiandum quem excommunicatum, & cum recusatio, & appellatio in causa rationabili æquiparentur, cap. Super eo 12. eod. ideo si non potest appellare, neque iudicem recusare, expresse *cap. Proposuit 24. de appellat.* Neque obstat inimicitia, quia in nullo grauatur, sed id totum imputet sibi cum constet ipsum esse obstinatum, & contumacem nolendo resumere habitum clericalem, & deponere arma, quæ duo in instanti, vt ita dicam, fieri possunt; neque potest allegare inimicitiam, quam habet cum quodam, quia melius potest se tueri à suo inimico resumptione habitus arma occulte deferendo de licentia ordinarij.

Quæres 51. An Recusatio iudicis, & appellatio locum habeant in censuris?

205 Respond. Recusatio, & appellatio locum habent in omnibus censuris indifferenter, ita quod dicitur de vna venit intelligendum de aliis vt colligitur *ex cap. 3. §. Sententia, de appell. in 6.* vbi censuram ecclesiasticam interdicti, seu suspensionis, vel excommunicationis in appellantem prolatam per Episcopum, Archiepiscopus reuocare non potest, nisi partibus vocatis,

206 & de causa legitime cognita. Recusatio autem iudicis fieri debet ante litis contestationem, & non post, ne fiat ei iniuria, debet autem coram iudice suspicionis causam probabilem proponere, & eam probare coram arbitris communiter eligendis, qua non probata iudex sua iurisdictione vtitur, si vero probetur ab eo, remittitur negotium ad superiorem iudicis recusati, *cap. Cum speciali, 61. de appellat.* Qui ante citationem, vel notitiam literarum misit nuntium ad Papam potest recusare, & appellare, non autem post ex

207 cap. Ad hæc 30. de appell. Quando delictum circa quod agitur est notorium recusatio non habet locum, cap. Proposuit 24. de appellat.

208 Appellatio facta post sententiam latam excommunicationis, suspensionis, & interdicti non valet, sed facienda est antequam censuræ sententia sit lata ad hoc vt sententia censuræ postmodum lata irrita sit, & inualida, ita quod valida appellatio debet præcedere sententiam ad hoc, vt hæc à iudice postmodum attentata nullius sint momenti, *cap. Ad hæc 37. de appell. cap. Præterea 40. cap. Pastoralis 53. §. Verum, cap. Dilectis §. eod.* Quando sententia fertur sub conditione suum non sortitur effectum, nisi conditione adimpleta, interim tamen appellatio facta ante euentum conditionis suspendit sententiam, cap. Præterea 4. eod. Appellatio igitur vt impediat valorem sententiæ censuræ debet fieri antecedenter ad sententiam, ex quo

209 postulat, primo quod sit legitima aliter nullius est momenti, *cap. Quamuis 10. de elect. in 6. cap. Directa 39 de appellat.* nam appellatio conceditur ad remouendum grauamen, cap. *Suggestum 15. de appell. vnde* nullo existente grauamine appellatio locum habere non potest. Secundo notoria appellationem non admittunt, *cap.*

210 *Cum sit 5. cap. Peruenit 13. cap. Consalis 14. cap. Cum speciali 61. §. Porro de appellat.* Differentia autem

211 cur respectu censurarum appellandum sit ante sententiam, in aliis vero appellandum sit post sententiam, hæc est, quia sententia censurarum cum secum trahat immediate executionem, nihil relinquit post se, à quo fieri possit appellatio, cum idem sit sententia & executio, sed ab executione appellari non potest, *cap. Quo ad consultationem 15. de re iud.* nisi excedatur in modo, *l. Ab executore C. quorum appell. non recip. vide Gregorium Sayrum lib. 1. cap. 16. n. 18. vbi n. 27.* asserit friuolam appellationem non impedire valorem sententiæ postmodum latæ, quia frustratoria appellatio neminem defendit ex supra allatis textibus, & de communi testatur ibidem.

Quæres 52. An appellatio admittatur à denuntiatione censuræ iam incursæ?

212 Respond. Admittitur, & ea posita suspendit effectum denuntiationis, ita quod post appellationem excommunicatus valide agit, quæ alias fuissent nulliter ab ipso gesta, quia censetur toleratus. Ita colligitur *ex cap. Pastoralis §. Verum de appell. Nau. consil. 6. de sent. excom. n. 2. vnde* & nemo illum *vitare* tenetur, *Bonac. q. 2. de censur. p. 2. propos 3. Sa v. Excom. n. 3. Graff. tom. 1. consil. 2. de excom. n. 10. Dian. resol. 30. de excom.* Necesse autem est quod appellatio sit legitima, alias inefficax est, & nullum producit effectum, sicut neque quando notorium est delictum, propter quod aliquis fuit excommunicatus, vt patet ex requisitis in appellatione à futura sententia excommunicationis præcedenti quæstione. Qui ergo appellat legitime à denuntiatione excommunicationis latæ ob delicta non notoria, non incurrit illos effectus, quos producit denuntiatio, quia appellatio illos suspendit.

Quæres 53. Quos effectus operatur appellatio à censuris? pro cuius rei intelligentia sciendum est, quod

213 Appellatio est remedium à iure concessum ad remouendum grauamen illatum, vel inferendum per deuolutionem causæ ad superiorem, vt illud corrigat, & auferat, interim autem extinguitur factum, & determinatum suspenditur. Hinc est, quod appellatio legitime facta, & tempore debito duos producit effectus, quorum primus vocatur deuolutiuus, nam causa à iudice primo deuoluitur ad superiorem ad quem fuit appellatum; secundus vocatus extinctiuus, seu suspensiuus, quia latam sententiam contra eam extinguit, & nullam reddit cum omnibus suis effectibus, ita quod appellatione pendente iudex à quo fuit appellatum, nihil innouare potest, & si attentet inualide agit, quicquid facit contra appellantem, quia nullum ius, nullam potestatem habet contra appellantem à se, nam per appellationem eximitur ab eius iurisdictione. Hæc doctores in materia de appellat.

214 Respond. Appellatio facta à futuris censuris excommunicationis,

municationis, suspensionis, & Interdicti vtrumque operatur effectum iam deuolutiuum, quam suspensiuum, ita quod iudex in causa amplius procedere non potest, & si attendet ferre sententiam censuræ contra appellantem nihil facit. Appellatio vero facta contra sententiam iam latam nihil operatur quo ad effectum suspensiuum, sed sententia suum sortitur effectum, ex supra probatis quæst. 51. quoad effectum verò deuolutiuum aliquid operatur, quia causa deuoluitur ad superiorem, qui habet cognoscere de grauamine appellantis, *ex cap. Pastoralis §. Verum, de Appellat. cap. Per tuas de sent. excom. cap. Ad reprimendum, de off. ordin. Megal. lib. 3. de censur. cap. 2. num. 6. Nau. consil. 56. de sentent. excom. num. 5. Marianus Socin. in cap Sacro, de sent. excom. num 155. & 156. ex Sayr lib. 1. cap. 16. n. 25.*

215 Dicit Nauar. consil. 6. de appellat. quod appellatio legitima subsequentem sententiam suspensionis, & interdicti non suspendit quidem quo ad ea, quæ animam tangunt, cuiusmodi sunt ingressus ecclesiæ, & exercitium diuinorum officiorum, à quibus suspensus, seu interdictus non releuatus per legitimam appellationem, per cap. Is cui, 20. de sent. excom. in 6. vtique verò releuatur à cæteris, vt à beneficio, ab eius fructibus, à voce actiua, & passiua, à pontificalibus, & alijs, quæ proximè animam non tangunt, nam in eo capite ita habetur. *Sane sicut excommunicatio, sic ab officio, vel ab ingressu ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus per appellationem sequentem minimè suspenduntur.* Ex his ergo Nauar. prædicta collegit, quem sequuntur *Coninchus de sacram. disp. 4. dub. 4. num. 19. Auila, Hurtadus, & Alterius, quos pro se citat Diana resol. 16. de suspens.* Sed quare non idem dicunt de excommunicatione, quæ cum cæteris in causa appellationis comparatur, ibi enim exprimitur, & à glosa ibidem obseruatur, huiusmodi paritas, ergo idem de ea dicendum erit. Quamquam alioquin fortassis negatiua in vniuersum responsio, quam tuentur alij melior videatur, quia in eo capite exprimuntur principaliores effectus ipsius suspensionis, præsertim agitur de interdicto ab ingressu ecclesiæ, quo consequenter prohibetur in ea exercere diuina officia, ergo ab his suspensus non releuatur per sequentem appellationem, cum sic tantum ad prædicta, consequenter ad alia non se extendit, cum non comprehendantur sub illa speciali suspensione, seu interdicto, de quo ibi.

Quæres 54. An ex parte rei inualidè excommunicatus, validè tamen ex parte iuris, quia iudex secundum allegata, & probata pronunciauit, teneatur timere, & seruare censuram, & si eam violet incurrat pœnas inflictas à iure contra transgressores censurarum?

Respond. In occulto non tenetur seruare illam, sed 216 tantum coram illis, quibus notum est illum esse excommunicatum, suspensum, aut interdictum. Communibus ecclesiæ suffragiis non priuatur ex parte vniuersalis ecclesiæ. Neque pœnas violantium censuras incurrit, siue in priuato & occulto, siue publicè coram illis, qui sciunt censuram, agat contra sententiã.

Primum, quod in occulto agere possit contra sententiam, probatur per illud Iob. cap. 4. num 7. *Quis vnquam innocens perijt?* Prouerb. cap. 12. num. 21. *Non erit innocens malus.* Si ergo innocens in suis actionibus nunquam perijt, neque malus fuit, ergo neque innocens excommunicatus exercendo operationes prohibitas verè excommunicatis male aget, quia illæ de se sunt bonæ, & malæ solum quatenus prohibitæ virtute censuræ, quæ cum verè non existat, nullum verum effectum producere potest in excommunicato nulliter. *Ita Gabriel. in 4. dist. 18. q. 2 art. 2. Maior q. 2. art. 4. Adr. quol. 6. art. 2. Durand. q. 4. alij communiter,* dum dicunt sententiam non obligare quoad Deum.

217 Secundum, quod teneatur illam seruare in publico coram illis, quibus nota est sententia, probatur, quia tenetur obedire iudici, qui prudenter se gessit proferendo sententiam secundum allegata & probata, non quidem ratione censuræ, cum vere nulla sit, sed ad euitandum scandalum, ne videatur contemnere pœnam spiritualem, & iudicem illam ponentem; & facit hic axioma, Sententia pastoris siue iusta, siue iniusta semper est timenda, etiam quando est nulla pro vitatione scandali. Et in hoc casu non potest vti remedijs illis, de quibus supra sub q. 49. num. 195. edocendo populum de nullitate sententiæ, quia constat de validitate sententiæ in foro externo, vnde aut petat absolutionem, aut infringat sententiam per superiorem probando nullitatem reprobando allegata, & probanda per oppositas rationes. Ita supradicti doctores *cum D. Thoma in 4. dist. 18. q. 2. art. 1. q. 1. Faber in 4. disp. 4. cap. 3. num 91. Suar. de censur. disp. 4 sect. 6. num 13 quos, & alios citat Diana resol. 27.*

218 Tertium, quod communibus ecclesiæ suffragiis adhuc iuuetur, constat ex eo, quod ecclesia, quæ omnia nouit, neminem innocentem priuare intendit communione sanctorum, iuxta illud Dauidis. *Particeps ego sum omnium timentium te.* A qua participatione innocens nulliter excommunicatus minime excluditur, cum non licet sit culpam tantam infligere pœnam insonti, cap. Sacro 48. de sent. excom. non ergo præsumendum est ecclesiam innocentem hunc nulliter excommunicatum velle priuare suffragiis ecclesiæ, quæ maculam, neque rugam habet. *cap. Ecclesia 70. de Pænit. dist 1.* & cum sit mater omnium fidelium, quos per baptismum regenerauit, *cap. Qui 6. 12. q. 2.* tal m impietatem erga suos filios a se dilectus minime permittere potest. *Diana alijs citatis resol. 28. de excommun.* asserendo idem de alijs actibus censura prohibitis nimirum in occulto exerceri posse, & cum illis personis, quæ ignorant illum esse excommunicatum, aut sciunt nullitatem excommunicationis.

219 Quartum, quod non incurrat pœnas violantium censuras, probatur, Tum quia illæ supponunt censuram vere a parte rei contractam fuisse, cum hæc sit fundamentum causale pœnæ, ergo fundamento non existente superædificari non potest pœna. Tum quia sententia nulla nullum potest producere effectum. l. 4. §. Condemnatum ff. de re iud. ergo neque producere pœnas contra violantes illas. Procedit licet violetur sententia etiam coram personis scientibus illum esse excommunicatum, quia in publico nulliter excommunicatus sententiam seruare non tenetur ex obedientia iudicis virtute sententiæ, quæ non est, sed ad euitandum scandalum, cum ergo non censura, sed vitatio scandali occasione sententiæ sit in præcepto, cuius transgressio non potest parere pœnas violantium censurarum, cum scandalum censura non sit, inualide excommunicatus aliquem actum iure censurarum prohibitum exercens, non incurret pœnas inflictas contra violatores censurarum. Ita *Hurtadus de cens. in communi diff. 104. cum alijs a Diana pro se citatus resol. 28. de excommun.* Addunt, quod iudex punire potest subditum non seruantem sententiam, licet innocens sit, quia cum sententiam tulerit secundum allegata, & probata, ius habet pro foro externo puniendi subditum nolentem parere suis mandatis.

Quæres 55. An ille, qui putauit appellationem factam esse legitimam, & ideo fecit omnes illos actus, qui censuris prohibentur, postea inueniendo nullam fuisse appellationem, & frustratoriam, peccet, & incurrat pœnas inflictas contra violantes censuras?

220 Respond. Cum bona fide se gesserit, putans tenere appellationem non peccauit, neque proinde aliquam incurrit pœnam, quia bona fides excusat a censuris, & irregularitate, vt docent omnes, *Zabar in Clem. 1. de priuil. num. 12. Nauar tom. 3 in cap. Accepta, de restit. spol. oppos. 8. num. 32. & 33. Megal. consil. 32. num. 3. Ita docet Say. lib. 1. c. 16. n 43. & testatur de communi.*

Quæres 56. An laicus etiam iudex possit se ingerere in causis censurarum?

221 Respond. Negatiuè ex Sess. 24. cap. 3. illis verbis. *Nefas*

Nefas autem sit seculari, cuilibet magistratui prohibere ecclesiastico iudici, ne quem excommunicet, aut mandare, vt latam excommunicationem reuocet sub prætextu, quod contenta in præsenti decreto non sint obseruata, cum non ad seculares, sed ad ecclesiasticos hæc cognitio pertineat, Ratio est, quia hæc tractare est negotium spirituale, & ecclesiasticum, à quo aliena omnino debet esse potestas secularis. Prædicta extenduntur ad suspensionem, & interdictum, cum sint censuræ pœnæ ecclesiasticæ à solis iudicibus ecclesiasticis imponendæ, & iudicandæ. *Vide Barbosam ad hoc cap. 3. sess. 24. num. 30.* Vbi de Turrinis ad seculares iudices pro defensione excommunicatorum secundum aliquos prohibitis verius, licet nonnulli teneant oppositum, sed malè, quia laica potestate non eget ecclesia ad defensionem suorum, cum vt mater pia procedat per censuras ad corrigendum subditos, non formaliter ad puniendum, quod est intentum potestatis secularis, quæ dum per Turrinas intendit excommunicatos protegere, inficit vo[illegible], vsque ad animam.

Quæres 57. An iudex competens regularium, vel Conseruator, vel Episcopus in eius defectum censuris cogere possit superiorem regularem ad soluenda debita parti instanti? Conseruator autem est iudex competens regularium *vt dixi resol. 51. num. 194.* in caulis ciuilibus præsertim debitorum resol. 53. num. 20. in contractibus tamen suam non interponit authoritatem num. 55. Difficultas ergo est an possit censurare religiosos.

222 Respond. Conseruator, quando non potest cogere superiorem ad soluenda debita relaxando executionem realem contra bona monasterij, vel etiam quia religio est incapax stabilium, potest vti remedio subsidiario excommunicationis, non tamen suspensionis, aut interdicti ad instantiam partis, nisi creditor, qui obstinuit, vt eius ecclesia interdicatur, prouideat sufficienter Fratribus de rebus victui necessarijs.

Primum, quod primo debeat vti remedio ordinario, constat, quia censuræ sunt in subsidium, quando media ordinaria cogi non potuit debitor ad solutionem, tunc enim censuræ succedunt.

Secundum, quod Conseruator vti possit censuris, probatur à simili per dicta de Episcopo supra sub q. 10. Ratio est, quia habens iurisdictionem fori externi super aliqua causa, ad eam expediendam, si opus est, potest vti censuris subditum contumacem compellendo ad obediendum, cap. Præterea 5. de off deleg.

223 Tertium, quod non possit suspendere ab officio, seu beneficio, constat ex eo, quod sicut non contulit officium ita neque illud auferre potest ex cap. 1. de reg. iur. suspendere enim superiorem regularem est quid speciale ad prælatos regulares spectans, eo quod multum hæc pœna præiudicare potest subditis, & regulari disciplinæ, ita quod ratio dictat, huius iudicium facere, esse solius prælatorum religionis, & non extraneorum.

224 Quartum de interdicto expressè indultum fuit fauore Minorum à Leone X Bulla 20. apud Rodr. incip. *Cum sancta Regula.* Et cum innitatur paupertati eorum, qui solum ex eleëmosynis viuunt nihil in communi habentes, non videtur extendendum hoc priuilegium ad eos, qui bona in communi stabilia possidet. Neque patri expedit executio interdicti cum eo onere, hac enim conditione creditum compensatur cum nouo debito. Sed interdicta non amplius sunt in vsu ad huiusmodi effectus.

Quæres 58. De peccatis, & pœnis violantium censuras?

225 Respond. Quo ad excommunicationem licet nondum denuntiatus communicando cum fidelibus in diuinis peccat mortaliter, quia transgreditur præceptum in re graui, qualis est ea, quæ spectat ad religionem, primo participando in suffragiis ecclesiæ; secundo ingrediendo ecclesiam tempore recitationis diuinorum officiorum; tertio in participatione tum actiua, tum passiua sacramentorum; quarto participando in quibuscumque alijs diuinis; quinto in sepultura, & funere exequendo. In humanis vero peccat solùm venialiter ex leuitate materiæ præcepti, qualis est locutio, salutatio, conuersatio, & negotiari cum alijs. Ita docent omnes communiter *cum D. Thoma in Addit. ad 3. partem q. 23. art. 3. & in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. Nauar. cap. 27. num. 28. Megal. lib. 2. cap. 6. q. 1.*

Communicans vero cum excommunicato iam denuntiato in diuinis quidem peccat mortaliter, in humanis vero solum venialiter ob rationes adductas pro excommunicato, quæ faciunt ad hoc, quia eadem præcepta respectu vtriusque. Ita omnes, necessitas tamen, bona fides, ignorantia, & huiusmodi excusant à peccato communicantem iuxta commune illud carmen, *Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.* Si communio fiat in crimine criminoso in humanis peccatum est mortale, vt mox dicam.

226 Pœnæ vero sunt, prima quidem respectu excommunicati celebrantis, seu exercentis aliquem actum ordinis ex officio, & solemniter, est irregularitas *ex cap. Si quis Episcopus 7. 11. q. 3.* de qua te doctores de Irregularitate tractantes, *Sayr. lib. 7. cap. 9. Bonac. q. 3. de irregul. p. 5. Megal. lib. 7. de censur. cap. 2. q. 4.* & celebrantes in excommunicatione si non desistant, post monitionem sunt deponendi, *cap. Clerici 3. de cler. excom.* nisi ignorent suam excommunicationem, cum eis enim potest misericorditer dispensari, cap. Illud 5. eod. intellige de ignorantia culpabili, nam laborantes ignorantia inculpabili neque irregularitatem incurrunt, cap. Apostolicæ 9. eod. deponitur etiam à beneficio excommunicatus celebrando cap. Fraternitati 6. eod. Secunda pœna est excommunicatio minor, quam incurrit communicans siue sit excommunicatus, siue non, communicando cum excommunicato denuntiato *ex capite Statuimus, de sentent. excommun. in 6.*

227 Tertia est excommunicatio maior, quam incurrit quis, siue sit excommunicatus, siue non, communicando in crimine criminoso, quod contingit, quando quis communicat præstando auxilium, fauorem, consilium, vel actum peccaminosum super ea re, propter quam alter fuit excommunicatus, requiritur autem vt excommunicatus sit declaratus; exemplum sit in concubina, quæ se commiscens cum suo concubinario excommunicato, & denuntiato propter concubinatum, incidit in excommunicationem maiorem, de hac excommunicatione criminis, *cap. Nuper 29. cap. Si concubina 55. de sent. excom.* si verò alia ratione communicet non fouendo crimen, propter quod excommunicatus fuit, euadit excommunicationem criminis, vt docent omnes *cum Glos. ibi v. Comedendo*, quia id non est participare in crimine, & hic est vnus casus peccati mortalis communicare in humanis ratione criminis.

228 Quarta est alia excommunicatio maior lata in cap. Significauit, eod. illis verbis. *Verum clericos, qui scienter, & sponte participauerunt excommunicatis à nobis, & ipsos in officiis receperunt, eadem excommunicationis sententia cum ipsis non dubitamus inuolui.* Verba sunt clara explicatione non egentia, bene Megal. lib. 2. de censur. cap. 6. num. 14.

229 Quinta est maior excommunicatio contracta in dando ecclesiasticam sepulturam excommunicatis reseruata Papæ, quam incurrunt solum illi, qui propriis manibus sepeliunt excommunicatum *ex Nau. cap. 27. n. 51.* sed secundum alios verius incurrunt etiam facientes sepelire, & clerici funus ducentes ex *Megal. cit. num. 15. De qua dixi satis resol. 51. num. 144.*

230 Sexta est alia maior excommunicatio reseruata Papæ in Clem. 2. eod. inflicta contra excommunicatos etiam toleratos, qui nominatim expressi monentur ad exeundum ab ecclesia dum diuina celebrantur, nam resistentes eam incurrunt excommunicationem; clerici tamen occultos non debent excludere, ne illos infament, sed tantum habent debitum eij-

ciendi

ciendi foras excommunicatos publicos, & denunciatos, *Megal. cit. num.* 18.

231 Respond. Quo ad suspensionem suspensus, qui illam violat peccat mortaliter ex genere suo, cum hoc præceptum sit de re graui, cuiusmodi est exercitium actus ordinis, aut iurisdictionis, Nau. cap. 27. num. 163. Bonac. de Suspens. p. 4. Qui verò communicat cum suspenso denuntiato, audiendo eius missam, recipiendo sacramenta &c. peccat mortaliter, & si absoluatur nullam facit confessionem, *Sayr. lib. 4. cap. 11. num.* 15. Si vero non sit denuntiatus, nullum est peccatum cum eo communicare, quia communicare non prohibetur nisi cum denuntiato, vt docent omnes per extrauag. Ad euitanda.

232 Suspensus licet non denuntiatus exercens solemniter actum eius ordinis, à quo suspensus fuit, incurrit irregularitatem, *cap. 1. de sent. & re iud. in 6. cap. 1. de sent. excom. in 6.* & reseruatur Papæ, procedit siue suspensio sit lata ad tempus, siue sine termino.

233 *Bonac. part. 4. propos. 3. Megal. lib. 5. cap. 1. num.* 5. Dixi solemniter, quia cantans Epistolam sine manipulo suspensus ab hoc ordine non incurrit; neque in ordinibus minoribus, horum enim exercitia indifferenter fieri possunt etiam à laicis ex eodem *Bonac. & Sayr. lib 4. cap. 11. num* 9.

234 Clerici religiosi, qui nullum habent ordinem, & tamen sunt clerici, ex probatis alibi, cum non sint capaces suspensionis censuræ, quæ contra solos clericos profertur, quo nomine propriè venit persona habens saltem primam tonsuram, *cap. Cum contingat 12. de ætate Glos. v. eod. Clem. 2. de vita*, in terminis de religiosis nondum prima tonsura insignitis Incapacibus suspensionis. *Sayr. lib. 4. cap. 1. num.* 16. qui enim non potest exercere actum ordinis, quo caret, neque eo priuari potest, quia priuatio est ad habitum.

Suspensus non desistendo à celebratione excommunicari potest, & in exilium mitti, cap. 2. de cler. excom. ignoranter tamen celebrans excusatur ab irregularitate, cap. Apostolicæ eod.

235 Exercens verò actum aliquem iurisdictionis, à qua est suspensus peccat quidem mortaliter, non tamen incurrit aliquam pœnam, cum iure non exprimatur. *Megal. lib. 5. cap 1. num* 1. inferens censurantem, vel à censura in foro exteriori extra sacramentum pœnitentiæ absoluentem nullam incurrere pœnam. Neque prædicantem sine stola, & cotta, quia isti actus sunt iurisdictionis, non ordinis ex eodem. Vide resol. 77. num. 36.

236 Respond. Quoad interdictum, illud violantes siue laici, siue ecclesiastici peccant mortaliter ex communi doctorum. Pœnæ autem, quas clerici incurrunt, sunt. Prima est irregularitas contracta ab interdicto ab ingressu ecclesiæ ingerens se intra ecclesiam in diuinis officiis, *cap. Is cui* 20. *de sent. excom. in 6.* Interdictus tamen solum ab ingressu ecclesiæ, si extra celebrat non incurrit irregularitatem, vt colligitur ex textu, & obseruat glosa. Secunda est pariter irregularitas, quæ contrahitur à celebrante in loco interdicto denuntiato, cap. Is qui, eod. in 6. Tertia est priuatio vocis actiuæ, & passiuæ contracta ab eodem celebrante in loco nominatim interdicto, ex eodem loco vbi dicitur, quod priuilegio, seu à iuris indulto excusatur, iuxta cap. Alma mater, eod. in 6. Quarta est priuatio sepulturæ contracta ab interdicto ab ingressu ecclesiæ intra eam se diuinis ingerente, cap. Is cui, etc. si pœnituerit non caret. Euadet primam irregularitatem, & priuationem sepulturæ ille, qui in ecclesia, à qua fuit interdictus ingredi se ingesserit in diuinis, sine cotta tamquam si esset laicus, *Megal. lib. 6. cap. 3. num. 14. & 16. Sed ne frustra paginam inceleamus, vide reliqua apud Sayr. lib. 3. de cens. cap. 14. Bonac. p. 7. de interd. Megal. lib. 6. cap. 3. per totum.*

Quæres 59. An ecclesia Cathedrali, seu matrici interdictum locale non seruante, regulares illud non seruantes, quando est validum, peccent, & incurrant aliquas pœnas? Dico, quando est validum, nam ad inualidum non tenentur, quod enim non est, nullam potest inducere obligationem. Videtur quod non teneantur tunc cathedrali non seruante, quia sicut ecclesia Romana est mater & magistra omnium ecclesiarum, *cap. Licet 20. §. Quia. de foro compet. cap. Non decet 1. dist. 12. cap. Denique 6 dist. 21. cap. In primis 7. 2. q. 1.* ita cathedralis est magistra, & regula aliarum ecclesiarum in sua diœcesi contentarum, quibus disciplina esse debet in omnibus actionibus, in quibus aliæ conformari debent, ergo & in hoc casu, neque enim verisimile est eam errare non seruando publicè interdictum, oritur enim semper aliquo fundamento probabili, ergo reliquæ interdictum seruare non tenentur, illa non seruante illud. Confirmatur, quia per illius inobseruationem præsumitur de nullitate interdicti, ergo quamuis alias ex parte rei teneret interdictum, nullum tamen verisimiliter ab omnibus iudicatum seruandum non est. Præterea in Clem. 1. eod. excommunicantur religiosi non seruantes interdictum siue validum, siue inualidum, quando ecclesia matrix illud seruet, ergo à contrario sensu eam excommunicationem non incurrunt religiosi inobseruantes, quando cathedralis illud non seruat, valet enim argumentum à contrario sensu.

237 Respond. Religiosi non seruantes interdictum siue sit validum, siue etiam inualidum, quando illud matrix ecclesia seruat, incurrunt excommunicationem ipso iure nulli tamen reseruatam *ex Clem. 1. de sentent. excommun.* & hoc est clarum in iure. Quando verò matrix non seruat interdictum inualidum, neque religiosi ad illud tenentur, cum nemo ad inualidam censuram teneatur, vt colligitur ex eodem contextu, *apud Sayr. lib. 3. cap. 34. num* 48. Quando ecclesia matrix non seruat interdictum validum, hoc eorum delictum non habet prodesse religiosis, qui adhuc tenentur seruare interdictum validum, aliter peccant, & licet non incurrant prædictam pœnam, incurrunt tamen alias pœnas iure inflictas contra non seruantes interdictum locale, vt ibidem expressè docet glos. v. Subiacere, & reddit rationem v. Obseruare, quia hæc constitutio non diminuit ad obseruantiam interdicti, & excessus clericorum matris ecclesiæ non dabit religiosis materiam delinquendi; & statutum hic ad pœnam non debet trahi ad gratiam. Ita in specie *Sayr. lib. 3. cap. 33. numero* 46. Nec opposita obstant, quia cathedralis ecclesia est magistra, & regula aliarum in obseruantiis, non in transgressionibus, quia regula non potest esse, quæ rectitudine caret; neque argumentum a contrario sensu tenet, quando regula iuris obstat, vt dicit *gloss. ibidem v. Obseruare. Compend. resol* 80 *num.* 11.

Quæres 60. An tempore interdicti omnes commensales regularium, quamuis sint laici possint interesse diuinis cum illis in eorum ecclesiis ianuis clausis iuxta *cap. Alma mater, fin. de sent. excommunicationis.*

238 Respond. Possunt, quia gaudent priuilegiis regularium, vt in constitut. incip. *Dum intra* Leonis X. vbi Tertiariis quibuscumque siue cum claustralibus siue extra maneant conceditur priuilegium interessendi diuinis tempore interdicti, nisi dederint causam interdicto, vel sint ipsi interdicti; id quod deducitur etiam ex *cap. Licet* 11. *de priuileg. in 6.* De famulis Tambur. *tom. 2. disputat. 6 quæst. 17 numero 8. Sorbus v. Interdictum: Portel. v. famuli numero 3. Compend. resol. 64. num.* 3. De Tertiariis S. Francisci in specie concessit *Gregorius IX. Bulla incip Cum illorum*, quod possint recipi ad diuina, si non dederint causam; *nec obstat. Clem 3. de sent excom.* quia postmodum priuilegiorum innouatione illa Clementina quo ad hoc sublata fuit. Idem dicde aliis commorantibus causa studij siue seculares, eo magis clerici, quia in hoc subdun

duntur vitæ, & motibus religiosorum. Nec obstat Tridentinum cap. 12. sess. 25. de seruando interdicto, quia intelligitur de non admittendis sæcularibus priuilegiis carentibus, & de ecclesiis non aperiendis omnibus, suspendendo certis festis interdictum, quia de his priuilegiis sublata fuerunt, *vt docui resol. 71. num* 18.

Quæres 61. An superiores regulares possint absoluere à censuris excommunicationis, suspensionis, & interdicti quouis modo latis, in vtroque foro?

239. Respond. Superiores regulares etiam locales possunt absoluere à quibuscumque censuris Papæ reseruatis, extra Bullam Cœnæ Domini in vtroque foro, vt probaui Resolut. 3. de excommunicatione quidem num. 1. & 26. de suspensione eod. num. 2. & 27. de interdicto eod. num. 2. & 28. non autem à casibus Bullæ num. 4. etiam superiores locales num. 17. pro vtroque foro num. 19. Alia ibi require. Procedunt respectu suorum subditorum. Respectu sæcularium dixi Resolut. 6. vide ibi.

Quæres 62. Sacerdos intendens seruare interdictum, quod reliqui non seruant celebrando diuina apertis ianuis suarum Ecclesiarum, desistit à celebratione missarum, in choro tamen inseruit cum aliis religiosis, in quo casu tamen se gerit, ac si ibi esset vt merus laicus sine cotta, nullam lectionem legens; neque intonans aliquas antiphonas, aut fungẽdo officio hebdomadarij, an excusetur à peccato, & pœnis inflictis contra violantes interdictum?

240 Respond. Iste peccat mortaliter, non tamen fit irregularis, incurrit autem excommunicationem iuxta dicta præcedenti quæstione 59. De peccato mortali constat, quia ecclesiastici nullo modo possunt celebrare diuina officia ianuis apertis, neque vt clerici, neque more laicorum, cum eo tempore interdicti localis laici arceantur ab Ecclesia, ergo eo casu non licet sacerdoti cum aliis recitare diuina officia ac si esset laicus; non tamen fit irregularis, quia nullum actum ordinis sacri exercet recitando eo modo diuinum officium, *vt docet Bonac. p. 7. de violat. interd. num. 4 §. Dixi. Vide Megal. lib. 6. cap. 3. num. 2. ad 7.*

Quæres 63. An censuratus sit ipso iure priuatus voce tam actiua, quàm passiua absque alia declaratione, sicut statim est priuatus suffragiis, & administratione sacramentorum? Quod excommunicatus sit priuatus voce actiua, & passiua in ordine ad electionem dixi supra sub num. 94. ita quod excommunicati

241 etiam nondum denuntiati electio nullius est valoris, vt probaui resol. 61. numero 36. & de beneficiis nulliter collatis, *Sayr. libro secundo cap. 5. numero 9. Sigism. dub. 66.* de excommunicato eligente vel electo, cum hac differentia, quod excommunicatus siue nondum denuntiatus, siue denuntiatus inualidè eligitur, qui verò nondum est denuntiatus validè eligit *ex Sigism. dub. 66. num. 5. Lauor. tit. 4. cap. 15. n. 44. Vide quæ dixi de elect. resol. 61. n. 57. vbi huius responsionem habes.*

Resolutio LXXIX.

De Actibus Proprietatis.

SVMMARIVM.

1 *Proprietarius possidens sine licentia superioris.*
2 *In morte non notificans peculium nisi confessario est proprietarius.*
3 *Non potest illũ absoluere nisi notificetur prius superiori.*
4 *Sepeliendus in sterquilinio proprietarius.*
5 *Conuentus in communi donans sine licentia maioris non est proprietarius.*
6 *Famulum conducere est actus proprietatis.*
7 *Electio sepulturæ non est proprietatis vitium, sed*
8 *Inobedientiæ.*
9 *Censum instituens sine licentia est proprietarius.*
10 *Comedens carnes Minimus peccat mortaliter.*
11 *Emens seu retinens easdem facit contra votum paupertatis.*
12 *Retinens cum displicentia superioris scientia excusatur.*
13 *Signa licentiæ tacitæ, seu interpretatiuæ referuntur.*
14 *Profanum habitum deferens est in statu peccati mortalis.*

DE Proprietate, quod est vitium contra votum paupertatis nonnulla tetigi in explicatione casus quarti, quem superiores regulares sibi reseruare possunt ex dispositione Clementis VIII. sub Resolutione 43. subijciendi mox sunt nonnulli actus proprietatis.

1 Supponendum autem in primis est tunc religiosum dici proprietarium, quando contrectat, vel retinet aliquid, sine licentia, seu contra voluntatem sui superioris, aut illi celat aliquid, vt docet *Ioan. Andr. in cap. Cum ad monasterium, ibi doct. Graff. p. 1. lib. 3. cap. 5. n. 48.* quod clarè deducitur authoritate D. Augustini relati cap. Non dicatis 11. 12. q. 1. vbi: *Certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere sine superioris licentia debere.* De qualitate huius licentiæ dixi satis ibidem, ideo hic illa non repeto.

Quæres 1. An sit proprietarius ille religiosus, qui graui infirmitate detentus in confessione reuelat confessario, se habere magnam pecuniæ summam, subiungendo confessario ne dicat id superiori, nisi post suam mortem?

2 Respond. Proprietarius est, quia retinet tale peculium, quod repugnat voluntati superioris, quæ vti rationabilis præsumitur inuita, ita quod neque consensus præsumptus hic habere locum potest, cum sit irrationabilis, maximè in puncto mortis, in quo religiosus non solùm affectu, sed etiam opere debet se expoliare vitio proprietatis notificando omnia Prælato suo. Confirmatur, quia in periculo mortis in omnibus ferè religionibus concedentibus vsum aliquntum bonorum, seu peculij pro licitis, & honestis vsibus religiosorum à superiore solet peti notificatio omnium rerum, & peculij, quæ apud se infirmus retinet, vel extra cellam in schedula facienda, & conscribenda à deputato à superiore, vt per hoc releuetur ab omni periculo proprietatis morbo laborans, ad cuius petitionem bene facit superior assignando illi religiosum, in quo magis confidit, qui omnium rerum, quas apud se habet, inuentarium conscribat.

3 Ex quo nota, quod Confessarius non potest, nec debet illum absoluere, promittendo illi, quod post mortem notificabit peculium superiori, ratio est, quia est indispositus cum sit in actuali ex tunc, & habituali peccato proprietatis celando peculium suo superiori; neque se excusare potest ab hoc peccato per illam notificationem à confessario faciendam superiori post mortem, quia cum mors omnia soluat, non amplius mortuus subditur Prælato, ergo ea notificatio nihil illi prodesse potest, cum peccatum proprietatis cum mortuo consepeliatur in inferno, sicut pecunia cum religioso defuncto in signum æternæ eius damnationis contumulatur. Confessarius ergo illum non absoluat, sed piis exhortationibus, & acribus flagellis à Deo sibi imminentibus admoneatur ad reuelandum suo superiori peculium.

Quæres 2. An hisce nostris temporibus sepeliendus sit religiosus cum marsupio numorum iuxta *cap. Monach. 2. cap. Super quodam 4. cap. Cum ad monasterium 6. de statu monach.*

4 Respond. Affirmatiuè, quia lex illa abrogata numquam fuit, neque abijt in disuetudinem, licet rarissimè contingat casus, quia apud omnes religiones optima cautio adhibetur pro manutentione voti paupertatis, nam superiores per se, vel per alium admonent religiosum infirmum de schedula expropriationis facienda, immo superiores dum religiosos sibi subditos visitant iubent fieri inuentarium omnium rerum quas

ſinguli habent in cameris ſuis, & ſubſcribitur à ſuperiore, quod ſecurè eos excuſat à vitio proprietatis, cum retineant, vel contrectent de licentia ſui ſuperioris iuxta quod initio dixi.

Quæres 3. An conuentus donans aliquid dicatur proprietarius, eo quod licentiam non obtinuit à ſuperiore maiore?

5 Reſpond. Non eſt, quia ſicut in communi poſſidens bona ſiue mobilia, ſiue immobilia, non dicitur proprietarius, aliter omnes religioſi in communi bona poſſidentes eſſent proprietarij, quod falſum omnino eſt, ita & exercens actum illarum rerum, quas poſſidet, donando benefactori, vel alteri, à quo ſperatur aliquid vtile monaſterio, non incurrit vitium proprietatis. *Ita docet Megal.conſil.*33.*num.*14.*&* 15. in caſu, quo quidem religio donauit eccleſiam, extraneis. Neque obſtat ratio dubitandi, quia ſicut in acquirenda poſſeſſione alicuius rei non egent licentia ſuperioris maioris, ita neque eadem facultate indigent ad donandum,

Quæres 4. An ſit proprietarius ille religioſus Magiſter, qui ſine licentia ſui Superioris conducit famulum ad ſuam ſeruitutem?

6 Reſpond. Eſt, quia quia conducere famulum ſoluto, vel promiſſo ſtipendio eſt actus contractus, qui ſine proprietate, & pecunia fieri non poteſt, & ſic duplici ratione eſt proprietarius, & quia celebrat contractum conductionis ſibi interdictum, & quia illi ſoluit pecuniam, quam independenter à ſuperiore contrectare non poteſt. Quod ſi ſuperior annuit facto ſui ſubditi videtur ſuum præſtare conſenſum, conſequenter excuſatur à vitio proprietatis; quod ſi totuis oculis videat famulum, & illum ægrè ferat in conuentu, ſciat qui eum conduxit non carere hoc peccato contra votum paupertatis. Vide dicta reſol.75. n.94.

Quæres 5. An eligere ſepulturam ſit actus proprietatis in religioſo? Suppono autem eos non poſſe eligere ſepulturam, quia non habent velle, neque nolle, cap.fin. de ſepult.in 6. ſi tamen in temorit ſint eligunt, quia talis præſumitur ſuperioris voluntas conſolandi religioſum, qui ſciens vbi ſit ſepeliendus iuxta propriam deuotionem valde conſolatur; ſed de his dixi ſatis *reſol.*51. *quæſt.*49. *à num.*157.

7 Reſpond. Non eſt actus proprietatis, quia non opponitur voto paupertatis, quæ abdicatio proprietatis eſt, tunc enim quis dicitur facere actum proprietatis, cum aliquid agit pretio æſtimabile, obiectum ſiquidem proprietatis eſt res pretio æſtimabilis, *ex probatis reſol.*43.*numero* 17. ſed electio ſepulturæ non eſt pretiò æſtimabilis, cum ſit actus ſpiritualis, neque ideo ſepultura vendi poſſit *ex probatis eadem Reſol.*51. *q.*33. *à numero* 73. Sed cum religioſus manens intra clauſuram non poſſit eligere ſepulturam, quale peccatum erit,

8 eligendo ſepulturam? Dico, quod erit peccatum contra votum obedientiæ, vt colligitur *ex cap.fin. de ſepult. in* 6. vbi redditur ratio cur non poſſint eligere, quia non habent velle, neque nolle, qui actus propriè reſpiciunt votum obedientiæ, per quam vouentes ſuum velle, & nolle ſubiecerunt voluntati ſui ſuperioris, ergo propria voluntate eligentes ſepulturam contradicunt voluntati ſuperioris, & ſic peccant contra votum obedientiæ.

Quæres 6. An religioſus, qui ex ſuis redditibus, concionibus, confeſſionibus ex licentia ſui Prælati cumulauit mediocrem ſummam pecuniæ, poſſit ſine alia licentia ſpeciali dictam pecuniam tradere ad cenſum in vtilitatem propriam, & monaſterii cum eo pacto, vt recipiens pecuniam, & cenſum creans ſuper ſuis bonis ſe obliget ad ſoluendum ſibi fructus cenſus durante eius vita, & poſt illius mortem fructus ſoluantur ſuo monaſterio, cuius nomine pecuniam tradidit ad cenſum, & hoc facere ſine vitio proprietatis?

9 Reſpond. Eſt proprietarius. Tum quia contrahere, & celebrare contractus religioſis prohibitum eſt, ex eo, quod carent proprio, ſine quo contrahi non poteſt, eſt enim proprium obiectum contractuum, vt probaui reſol. 53. num.8. requiritur ergo licentia ſuperioris, vt religioſus iuſtificet ſuos contractus. Tum quia & ſi de licentia eam pecuniæ ſummam congregauit, non ideo tamen eam ad cenſum dare poteſt, ſine noua licentia de qua fiat mentio in inſtrumento, quia prior licentia erat ſolum ad acquirendum, & congregandum, non ad dandum extra religionem, quæ omnino opponuntur, vel ſaltem diſparata, & diuerſa ſunt, & cum ex diuerſis non fiat illatio, ex vulgatis iuribus, neque licentia eadem ad diuerſa extendenda eſt. Superior igitur localis aut det licentiam in ſcriptis inſerendam in inſtrumento creationis cenſus, aut ſit præſens cum ſuo ſubdito authorizando per ſuum decretum inſtrumentum, vt fieri ſolet interponendo proprium decretum, vt faciunt iudices, dum minores ætate cum aliquo contrahunt, cum quibus in hoc comparantur religioſi. Quod ſi aliquis religioſus cenſum, vel alium contractum licet fauore religioſis conficiat ſine licentia expreſſa venit puniendus ſubtractione pecuniæ, & fructuum, vt ſecundum iura puniatur in eo in quo deliquit, & aliis pœnis contra proprietarios inflictis.

Quæres 7. An religioſus Minimus non ſolùm comedendo cibos vetitos, ſed etiam illos emendo, vel recipiendo gratis ab amico, ratione emptionis, & receptionis committat duo peccata mortalia vnum contra abſtinentiam quadrageſimalem ex voto, alterum proprietatis emendo, vel recipiendo, ſeu etiam retinendo, licet non comedat?

10 Reſpond. Affirmatiuè, de comeſtione conſtat quia frangit ſolemne votum ſuæ religionis, quod eſt grauiſſimum peccatum. 11 De emptione, receptione, & retentione ſimilium ciborum præſcindendo à comeſtione certum eſt etiam peccare contra votum paupertatis, & eſſe proprietarium, quia prædicti omnes actus ſunt proprietarij, *& cap. Non dicatis* 12.*q.*1.qui ſicuti ſimpliciter prohibentur omnibus religioſis, multo magis Minimis affecti obiecto ſpeciali ciborum illis in ſpecie prohibitorum, in quibus neque excuſari poſſunt licentia, aut conſenſu tacito, ſeu interpretatiuo ſuorum ſuperiorum, quia in hoc omnino inuiti cenſentur de iure, aliter darent anſam, & commoditatem ſuis ſubditis frangendi votū ſolemne ſui ordinis & ſicuti totis viribus Prælati huius ordinis tenentur procurare obſeruationem huius voti quadrageſimalis vitæ, ita & prohibere ex officio ea omnia media, per quæ perueniri poteſt ad eius tranſgreſſionem.

Quæres 8. An ſit proprietarius retinens aliquid ſciente ſuperiore, ſed tamen id ſibi diſplicente? e.g. ſuperiores vident ſuos religioſos incedere indutis certis veſtibus vanis, & curioſis contra decorem religioſum, quod illis multum diſplicet, tamen tolerant, ne quid deterius contingat.

12 Reſpond. Non eſt proprietarius, quamdiu ſuperior ſciens tacet, & tolerat, quia retinet dependenter à voluntate ſui ſuperioris, licet adſit illa diſplicentia, quæ non aufert voluntarium, licet illud aliquantulum deprimat, in quantum ægrè fert factum minus bene ſui ſubditi, diſplicentia ergo cadit non ſuper rem ipſam retentam, ſed ſuper circumſtantias ipſius rei.

Quæres 9. Quandonam præſumatur ſuperioris licentia tacita, ſeu interpretatiua, ad hoc, vt religioſus agens, recipiens, vel retinens aliquid non dicatur proprietarius, licet prædicta ignoret acta, recepta, vel retenta à ſubdito?

13 Reſpond. Colligi poteſt conſenſus tacitus, ſeu interpretatiuus ex ſequentibus. Primo quando ſuperior eſt benignus, & affabilis, non rigidus, neque ſeuerus, ſed ſubditis compatitur. Secundo quando ſubditus inter alios diligitur à ſuperiore. Tertio quando religioſus eſt vir grauis, & prudens. Quarto, ſi res ſit leuis momenti. Quintò, ſi res cedat in vtilitatem monaſterij. Iſta collegit, *Diana reſol.*31.*de pauper relig. ex Homobono part.* 1. *Exam. tract.* 7. *cap.*32. *q.* 130. *ex*

Fauſto

Fausto in Thesauro relig. lib. 8. q. 561. Prædicta maximè procedunt in iis religionibus in quibus non ita rigorosè viuitur sub reformatione ad præscriptum obseruantiæ strictæ, sed ex licentia vsu probata superiorum religiosi sibi retinent eleemosynas concionum, confessionum, & similium pro suis vsibus licitis, & honestis, ex eo quod monasteria in communi non sunt opulenta, sed pauperes. In aliis verò reformatioribus, in quibus religiosis ad vnguem prouidetur de singulis necessariis aliter procedendum est, puto enim vt plurimum requiri certam, & expressam licentiam, quia cum à communitate illorum necessitati occurratur, nulla ratio suadet, ipsos vti posse licentia interpretatiua, & retinere apud se aliquid tamquam superfluum & sibi non necessarium; quod locum habere non potest in aliis religiosis, quibus ideo prædicta conceduntur ex interpretatiuo consensu, quia religio non potest illis subuenire in omnibus ex communitate.

Quæres 50. An sit proprietarius, & peccet mortaliter ille religiosus, qui vtitur vestibus profanis, vti sericis auro, aut argento ornatis, quæ non decent statum religiosum?

Respond. Est proprietarius, quia retinet, & vtitur contra voluntatem suorum superiorum, qui neque hæc indumenta simulare possunt sine peccato; vnde asserit *Henriquez in suo Compend. Moral. cap. 38. n. 47.* religiosos huiusmodi deferentes esse in statu peccati mortalis, quia similia indumenta sunt contra paupertatem, & statum religiosum, quem sequitur *Pasqualigus decis. 450.* Quæ procedunt maximè apud quasdam religiones reformatiores, & quæ tendunt ad humilitatem, & quarum instituta decernunt religiosos debere indutos incedere habitibus asperis, vilibus, & rudibus, vt sunt Mendicantes præsertim Francisicani ordinis.

RESOLVTIO LXXX.

De Superiore Generali.

SVMMARIVM.

1 *Generalis habet suam potestatem à Papa immediatè.*
2 *Assimilatur Patriarchis secundum Rodriquez.*
3 *Archiepiscopus vbi tres sunt ordines Prælatorum.*
4 *Prouincialis æquiparatur Episcopo.*
5 *Prouincialis maiorem eo potestatem habet.*
6 *Prouincialis nõ potest quicquid Generalis, & Papa, &c.*
7 *Plenitudinem potestatis non habet Generalis.*
8 *Pleno iure regit religionem.*
9 *Princeps sumitur dupliciter.*
10 *Princeps aliquo modo est.*
11 *Imperium merum, & mixtum habet etiam Prouincialis.*
12 *Sindicatui non est subijciendus.*
13 *Doctor non est necesse quod sit.*
14 *Appellatione remota procedere potest.*
15 *Non tollit supponentem grauamen.*
16 *Defensio est de iure natura.*
17 *Non potest delegare cum ea clausula.*
18 *Generalis non venit in odiosis sub nomine Prælati.*
19 *Multa de Generali sparsa restrinxi.*
20 *Transferre non potest Prouincialem.*
21 *Generalis non est de essentia religionis.*
22 *Generalis electus censetur etiam confirmatus.*
23 *Circumstantiam sui gradus in luxuria non confitetur.*
24 *Generales tres de ordine Minorum.*
25 *Tertius ordo cœpit habere Generalem anno 1448.*
26 *Tertius ordo dispersus per totum orbem.*
27 *Tres habet Generales pro diuersitate nationum.*
28 *Italus prouincias 15. Conuentus actu 138. perditos 28. Fratres bismille.*
29 *Durabat per triennium.*
30 *Modo per sexennium.*
31 *Et nisi post sexennium redit.*
32 *Series Generalium interrupta non fuit, nisi per annos 18. sub Pio V.*
33 *Generalis verè est sicut aliorum ordinum.*
34 *Potestas eius refertur.*
35 *Probatur sibi conuenire hoc nomen.*
36 *Vicarius non est Generalis Italus.*
37 *Neque purus Visitator.*
38 *Generalis nunquam subiectus alijs.*
39 *Confirmatus nunquam fuit à Minoribus.*
40 *Generales alij super omnibus, alij super nationes.*
41 *Eiusdem tamen tunc potestatis.*
42 *Generalis necessarius Tertio ordini.*
43 *Religio ante Generalem proprium alteri non erat subiecta.*
44 *Generalis extraneum in confessarium eligit.*
45 *Interpretatur etiam iudicialiter priuilegia.*
46 *Residentia de qua in Tridentino comprehendit etiam regulares.*
47 *Dispensant in ea Prælati maiores.*
48 *Commissarium super prouincia licet possit, non bene tamen.*
49 *Eximere ab obedientia non potest, ab aliqua tamen vtique.*
50 *Catalogus Generalium Tertij ordinis.*

GEneralis Prælatus sic dicitur à generalitate subditorum, & causarum, cum eius officium sit super omnes professos, nouitios, tertiarios, & alios quosque seruitores, & commensales ordinis sui, quos omnes potest punire, corrigere, & castigare tam in capite, quàm in membris, tam spiritualiter, quàm temporaliter, & corporaliter in omni genere causarum, quæ sibi specialiter non sint interdictæ à sede Apostolica. Ille ergo dicitur Generalis, qui omnibus suæ religionis præest, docent omnes cum *Rodr. tom. 1. quæst. 32. art. 5.*

1 Quæres autem 1. A quonam habeat potestatem sui officij à Deo ne immediatè, an à Papa? *Rodr. tom. 1. q. 17. art. 2.* dicit certum esse. Prælatis regularibus potestatem gubernandi suos subditos competere iure humano papali, ex eo quod religiones approbando superioribus dat facultatem regendi subditos, subdit tamen id illis competere iure diuino, ob rationes, quas ibi adducit.

Respond. Suam potestatem immediatè habent à Papa, mediatè verò iure diuino, eo quod omnis potestas à Deo est, sed de hac te dixi resol. 2. num. 3.

2 Quæres 2. An Generalis in potestate assimiletur Patriarchis, seu Archiepiscopis in iurisdictione, & gubernatione suorum religiosorum? *Rodr. tom. 1. q. 14. art. 5.* Generalem assimilat Primatibus, seu Patriarchis, duo sunt vocabula, sed eadem dignitas cap. 1. dist. 99. qui sicut præest vni nationi habens sub se plures Episcopos, & Prælatos, ita Generalis præest Prouincialibus, Custodibus, atque Prioribus, & omni nationi sui ordinis. Prouinciales verò æquiparat Archiepiscopis, qui sicut sub se habent Episcopos suffraganeos, ita & Prouinciales habent sub se Custodes quasi suos suffraganeos; Custodes verò habentes sub se Guardianos cõparantur Episcopis sub se habẽtibus Parochos &c.

3 Respond. In illis religionibus, in quibus vigent tres ordines superiorum, Generalis, Prouincialis, & Prioris localis, Generalis assimilari potest Archiepiscopo habens sub se Prouinciales quasi Episcopos, & suffraganeos, quot sub se habet Archiepiscopus; Prouincialis verò habens sub se Priores comparatur Episcopo habens sub se Parochos. Hæc comparatio in omnibus attendenda non est, sed proportionaliter. Nam Archiepiscopus super suffraganeos vsquequaque potestatem non habet, seu limitatam, de qua te bene *Quaranta v. Auctoritas Archiepiscopi, de quo agitur cap. 1. & sequent. 9. quæst. 3.* ex quo ab eius potestate

præsertim negatiua non potest. Infirmari Generalis potestas, quæ amplissima est, iuxta vniuscuiusque ordinis priuilegia,& statuta. Episcopi verò,& Prouinciales in suis Prælaturis quo ad iurisdictionem ferè semper comparantur, vnde Prælaturæ maiores regularium in potestate, & iurisdictione æquiparantur Episcopatibus *Glos. v. Regularis cap. Ne pro defectu 41. de elect. per cap. Si quis deinceps 16. q. fin. Cord. v. Absolutio quo ad Fratres*, qui dicit cum aliis illos habere maiorem Episcopis, *Rodr. tom. 1. q. 24. art. 16. quæst. 65. art fin. Lazar. de Monitor. sect. 4. quæst. 14. numero 15. Portel. v. Prælatus. numero 1.* Prælati regulares maiores cum habeant iurisdictionem quasi Episcopalem possunt erga suos subditos quicquid Episcopi respectu suorum, *Glos. 5. Proprij Clem. 1. de rebus ecclesiasticis non alien. Nau. consil 33. de priuil. Suar. tom. 4. de relig. disp. 55. sect. 3. Cariol. de casibus reseru. sect. 1. art. 5. Homobon. part. 4. Respond. 88.*

Quæres 3. An si Generalis non esset prohibitus posset in sua religione quicquid potest Papa in toto orbe? *Rodr. tom. 1 quæstione 17. art. 6.* dicit quod Prælati regulares iurisdictionem quasi Episcopalem habentes possunt quicquid possunt Episcopi erga suos subditos, qui si non essent prohibiti ab Ecclesia possent quicquid potest Papa in toto orbe, consequenter,& idem possent Prælati regulares maiores.

Respond. Si assertio Rodr. intelligatur de æquiparantia vtriusque potestatis Papæ,& Episcopi, & consequenter Prælati regularis, falsa omnino est, Tum quia nullus in potestate comparari potest Papæ, quam habet immediatè à Deo à nulla creatura limitabilem, sed de se illimitatam ex natura Papatus, cuius est aliorum potestatem limitare. Tum quia potestas in ratione potestatis subordinantur inuicem, ita quod vna ab alia dependet, & vna est altera maior, & amplior, aliter non daretur subordinatio inter illas, suprema autem est Papalis, cui aliæ omnes subordinantur, ergo Episcopalis, neque Prælaturæ maiores regularium illi comparari possunt in æqualitate.

Quæres 4. An Generalis in sua religione habeat plenitudinem potestatis?

Respond. Non habet plenitudinem potestatis, probatur, quia ille dicitur habere hanc potestatem, qui in suis causis non tenetur alicui reddere rationem, cur ita facit, *Bald. l. 5. C. de seru. & aq. & in l. Imparatam C. Quæ sent. rescind non possunt, Marta Claus. 159 num. 1.* Idem autem est plenitudo potestatis & absoluta potestas. *Natta consil. 512. n. 3. Monoch. de præsumpt. l. 2. præsump. 12 n. 5. & 3. Sanch. l. 2. disp. 15. n. 3.* Sed Generalis tenetur reddere rationē de sua administratione non solùm Papæ, sed etiam Capitulo Generali, cui subijcitur, vt *probaui resol. 78. num. 43.* Tum quia habens plenitudinem potestatis potest derogare legibus etiam sine causa *Rodolph. n., in tractat. de absoluta princip. potest. cap. 1. & 5.* vnde neque illis subditur, sed Generalis nihil horum potest, & legibus religionis subditur secundum omnes, vt videre est ex singularum statutis, ergo non habet plenitudinem potestatis.

Quæres 5. An habeat plenum ius super omnes religiosos sui ordinis?

Respond. Habet, quia ille dicitur habere plenum ius super aliquos, qui illos regere, & corrigere potest tam spiritualiter, quàm temporaliter, castigando eos tam in capite, quàm in membris, Glos. v. Pleno iure cap. Cùm inter 13. de sentent. & rebus iud. & v. eodem cap. 2. de priuileg. sed Generalis tam in spiritualibus, quàm temporalibus regit,& gubernat totam religionem, vt de se patet. ergo habet potestatem pleno iure. Neque hæc responsio opponitur præcedenti, nam aliud est regere suos subditos spiritualiter, & temporaliter, aliud est pro suo arbitratu illos gubernare sine dependentia ad maiorem superiorem, cui reddenda sit ratio de facta administratione.

Quæres 6. An Generalis dicatur Princeps in sua religione? Nomen hoc *Princeps* sumitur multis modis à *Glos. v. Regum Clem de Baptismo*, sed sumamus nomen hoc dupliciter pro supremo principe superiorem non recognoscente, & habente maiestatem, quo nomine venit Papa, & Imperator &c. secundo pro principali, & primo superiore habente plures alios superiores sub se nullum alium recognoscens supra se in eo genere, & ordine, hac ratione Generalis vocari potest Princeps quia in ordine, & religione supra se non recognoscit superiorem regularem sed omnibus præest. Vide prædictam glosam referentem plures acceptiones huius nominis.

Respond. Generalis in sua religione princeps dici potest, quod probatur, Tum quia in religione est primus,& principium, à quo dependent omnes religiosi tam superiores, quàm subditi ab eo principium capientes superioritatis, & subiectionis. Tum quia cum sit in regimine immediatus, & primus, & ideo à nemine in religione dependens, nullum cognoscit superiorem supra se in ordine, præter capitulum Generale, cuius tamen est caput supremum. Tum quia Episcopi vocantur in iure Principes ex eadem *Glos. per cap 2. de maior.* ergo & Generalis à fortiori, quem comparauimus Patriarchæ, vel Archiepiscopo. *Ita dixi resolut. 1. num. 55. Rodriq. tom. 1. q. 68. art. 3. cum suo Compend. resol. 90. num. 33.*

Quæres 7. An habeat merum,& mixtum imperium.

Respond. Habet, quia imperium merum denotat gladium, & iurisdictionem criminalem ad corrigendum, & castigandum subditos, mixtum verò importat iurisdictionem ciuilem ad ea, in quibus proceditur visitando, distribuendo communia, & dando vnicuique quod suum est *l. Imperium ff. de re iurisd. omnium iud Speculator num.* 28. clarius, verò imperij meri est cognoscere de criminibus, mixti verò de ciuilibus; sed non solùm Generalis, verum etiam Prouincialis, & in multis religionibus Prior quoque seu Abbas cognoscit facta suorum subditorum tam criminaliter, quàm ciuiliter, vt de se patet, ergo habent merum, & mixtum imperium. Confirmatur, quia Episcopi habent hoc merum imperium cognoscendi in criminibus suorum subditorum, *Glos. cap. Si quis 49. 2. q. 7.* per iura ibi citata, ergo & Prælati regulares, qui illis comparantur. Quod autem Generales possint corrigere, & punire gladio meri imperij suos subditos certi iuris est ex Regulis,& statutis cuiuslibet ordinis, & in meo ordine de eius potestate meri, & mixti imperij ordinem gubernandi criminaliter, & ciuiliter agitur cap. 1. 2. & 3. De qua potestate Nicol. V. Bulla incip. *Pastoralis officij.* Datum 1447. 20. Iulij nostro Generali in Italia, cui concessit omnimodam potestatem regendi Fratres,& monasteria atque puniendi eos tam in capite, quàm in membris, constringendo illos censuris ecclesiasticis, & adhibendo auxilium brachij sæcularis, si opus fuerit, etiam appellatione remota, vt ibidem expressè dicitur.

Quæres 8. An Generalis subiectus sit sindicatui?

Respond. Generalis non est subiiciendus sindicatui, neque cogendus ad reddendum rationem administrationis suæ, probatur, Tum quia licet quo ad vim etiam coactiuam subijciatur statutis capituli Generalis, vt dixi resolut. 78. num. 43. tamen non est sindicandus, cum huiusmodi iudicium non dependeat ex subiectione, quam habet ad statuta capituli Generalis, vbi de hac re nulla fit mentio. Tum quia non sindicatur Vicarius Generalis ex quadam constitutione Gregorij XIII. de qua mentionem facit *Genuens. in praxi Neapolit. capite* 58. ergo potiori ratione neque Generalis, qui longè excellit, & præstat in dignitate Vicario Episcopali. Tum demum quia est princeps in religione, habens eminentem dignitatem, & prærogatiuam, ergo pro eius honore, & reuerentia debet esse exemptus à sindicatu,

& à

& à reddenda ratione suæ administrationis. Ita ab eodem citatur Cephalus consil. 39.

Quæres 9. An Generalis debeat esse doctor in Theologia, aut sacrorum canonum? Videtur asserere *Rodr. tom. 1. q. 23. art. fin.*

13 Respond. De iura communi in eo neuter gradus requiritur, vnusquisque sui ordinis statuta inspiciat; in meo ordine nihil de hac re disponitur. Deberent tamen Generales non solùm in regimine, & dexteritate negotiorum verum etiam in scientia tum sacræ Theologiæ tam moralis, quàm speculatiuæ, tum sacrorum canonum excedere omnes suos subditos, sicut excellunt in dignitate, vt possent ritè, & rectè gubernare religionem, puto enim si non impossibile, valde tamen difficilè, & multis inconuenientibus, atque calamitatibus esse subiectum regimen illius religiosi Prælati, qui à prædictis scientiis, & virtutibus multum abest, vnde Psalmista aduerteos ad mala, in quæ possunt subditi incurrere, imperat Prælatos esse eruditos illis verbis. *Erudimini, qui iudicatis terram.* Bene Peyrin. *de Prælato q. 2. cap. 2. num. 16. & sequen. præsertim etiam num. 38. Mirand. tom. 2. q. 3. art. 2.*

Quæres 10. An Generalis in suis causis possit procedere, appellatione remota?

14 Respond. Nullus superior regularis etiam Generalis in causis quibuscumque procedere possunt contra suos subditos cum clausula *Appellatione remota*, si sermo sit de iure communi, quia id est speciale ius solius Principis ex iis, quæ tradit *Rodr. tom. 1. q. 8. art. 13. & habet glos. v. Prouocationis, cap. Super 27. de off. deleg. per l. 1. ff. à quibus appell. non licet*, & ea clausula solus Princeps vtitur, doctoribus citatis *Barbosa de Clausulis 9. num. 1.* Iure verò priuilegij religionum Generales procedunt cum ea clausula *Appellatione remota*, quod Generali ordinis mei concessum fuit à Nicolao V. prout retuli supra q. 7. & id est consentaneum rationi, nam Generales in causis suorum subditorum procedunt magis paterno amore, quam iudiciaria seueritate castigationem non intendentes, sed emendationem vitæ, vt religiosus timore pœnæ retrahatur à peccato, & reducatur ad meliorem frugem vitæ religiosæ, & disciplinæ regularis. Dicta autem clau-
15 sula non tollit appellationem legitimam certum granameu supponens in appellante, quia appellatio est
16 species defensionis, cap. Cum speciali 61. §. Porro de appell. ibi: *sed ad præsidium innocentia*, defensio autem cuique est concessa de iure naturæ, vnde vim vi repellere licet secondum omnia iura. Intelligitur ergo clausula de appellatione illegitima, friuola, & vana, in causa, in qua nullum est grauamen, *Mirand q. 29. de ordine iudic. n. 75. & dixi Resol. 32. q. 2. aliu allegatu tradit Barbosa ad hanc clausulam n. 15.* Nec obstat, *quod Rodr. tom. 1. q. 8. art. 13.* dicit, tolli per eam clausulam etiam appellationes legitimas, quia ipse loquitor de clausulis, quæ apponuntur priuilegiis regularibus in odium personarum secularium, quæ impugnant priuilegia eorum, non autem de priuilegiis, & facultatibus concessis regularium superioribus iudicibus in causis criminalibus, vel etiam ciuilibus suorum subditorum, in quibus si grauantur reuera, ea non obstante clausula
17 appellare possunt, ea probatio loco citato. Generalis autem in delegatione suæ facultatis causam committere non potest cum clausula *Appellatio remota*, & quia id est solius Principis maximè, *Glos. v. Prouocationis c. Super 27. de off. deleg. per l. 1. ff. A quib. appell. non licet*; & quia neque id licitum est Legato à latere, *Sigism. Scaccia de appellat. q. 16. limit. 1. n. 106. & 109. ex eo Barbosa ad hanc claus. num. 3.*

Quæres 11. An Generalis comprehendatur sub legibus, statutis, & dispositionibus odiosis contra Prælatos, superiores, & alios religiosos?

18 Respond. Non comprehendi, nisi exprimatur proprio suæ appellationis nomine, quia personæ speciali notæ dignæ, habentes elegans & excellens nomen suot priuilegiatæ, & non comprehenduntur sub clausulis generalibus, *cap. Sedes 15. de rescr. vbi glos. citat l. Item apud Labeonem §. Ait prætor ff. de iniur. cap. De multa, de prabend.* Sed Generalis est persona priuilegiata habens nomen speciale, & elegans, vt dicit Tri marebus disp. 8. de Solicitat. num. 43. vbi ea hac ratione, & aliis concludit Generales ordinum non comprehendi sub Bulla de Solicitat. in Confess. in quantum non subduntur Inquisitoribus. Vnde per hoc probaui *Resol. 5. num. 1. & resol. 36. num. 55. & 81.* illos pro confessione secularium approbandos esse sine examine, infra § Obstare, satisfit eius obiectioni.

19 De Generali sparsim multa dixi tom. 1. Resol. 5. q. 1. quod approbetur ab Episcopo sine examine, vt mox dixi *Resol. 5. numero 25.* quod habet merum, & mixtum imperium, & hic supra q. 7. quod sindicatui non subditur eadem *Resol. 1. num. 27. & hic q. 8. Resol. 3. num. 15.* quod nostra religio incæpit habere Generalem de anno 1448. *Resol. 14. num. 75.* quod aliquem non eximit ab obedientia sui superioris. *Resolut. 21. num. 13.* quod ad Generalatum nulla statuitur ætas post annum vigesimum quintum, laudabilis tamen est ætas triginta annorum, sicut in Episcopis est determinatum à iure *Resol. 23. num. 13.* dixi quod non est exprimendus in canone Missæ loco Episcopi. *Resol. 26. num. 7.* dixi eligi posse per nominationem, ibidem num. 10. antiquorem gubernare tempore capituli; num. 21. solom perenerere in officio suo seaennium 42. & 66. Ibidem antiquum non accedere ad capitulum Generale; *ibidem numero 43. & 65.* habere vocem in quouis capitulo. *Resol. 37. num. 31.* casus sibi seruare. *Resol. 38. num. 94.* tollere reseruationem inferioris. *Resol. 8. num. 27.* solum admittere nuliter professum ad ratificationem. In hoc verò *secundo tomo, Resol. 53. n. 58.* requiri Generalis licentiã in alienationibus rerum ecclesiasticarum suorum monasteriorum? Vbi n. 39. dixi per hoc non excludi Prouincialem, cuius licentia in his adhibetur, Prouincialis siquidem respectu monasteriorum sibi subiectorum est superior quo ad omnes contractos, & obligationes, cum non prohibeatur, *Resol. 58. n. 3.* dixi ipsum non esse authorem neque superiorem ad Regulam, sed illius Custodem, *Resol. 62. n. 8.* bona vnius conuentus ad alium transferre de licentia prioris, & conuentus. *Resol. 78.* dixi, ipsum subditi capitulo Generali; & n. 46. eosutate omnea religiosos.

Quæres 12. An Generalis possit Prouincialem vnius prouinciæ sufficere regimini alterius prouinciæ?

20 Respond. Non potest, quia Prouinciales sufficiuntur, sicut, & reliqui Prælati per electionem determinatorum vocalium tam iure communi, quam iure speciali singulorum ordinum, quibus generalis derogare non potest, ergo superiores non potest remouere ab vno ad alium locum nisi per electionem vocalium in capitulis, quando per nouam electionem vnus Prior transfertur ad alium conuentum. Hoc probat *Rodr. tom. 1. quæst. 23. art. 2.* eo quod solus Papa transfert Episcopos ab vna ad aliam diœcesim ex quo infert ad Prouinciales, qui in hoc Episcopis comparantur. An autem Generalis, seu Prouincialis propria authoritate, sine electione in capitulis possit commutare Prioratus; transferendo Priorem Bononiensem ad Prioratum Mutinensem, & vice versa? In quod videtur inclinare Rodr. loco citato. Ego putarem non posse, quod probo ea cap. Monachi sine de statu Monach. vbi remoueri potest Prior extinctione officij, vt alio transferatur de consilio Fratrum hoc est per nouam electionem, quia aliquis præfici non potest alicui conuentui à superiore maiore, nisi in casu vacationis, in quo solus Prælatus maior propria authoritate prouidet per modum prouisionis de superiore; neque ratio dictat, vt Prior alterius conuentus præficiatur conuentui viduato in præiudicium prioris

prioris conuentus, quia vnum altare diſcooperiendum non eſt, vt aliud cooperiatur. *lib. fin. §. ſed & ſi quis C. Commun. de leg.* præcipuè cum poſſit præficere religioſum priuatum. In aliis caſibus non videtur habere facultatem, cum nullà ratio id ſuadere poſſit, niſi forſan ad tollendas aliquas difficultates, vel imperfectiones ipſorum Priorum, vel differentias ſubditorum cum ſuperiore, in quo caſu remoueantur vel ſuperiores, vel ſubditi, qui culpabiles ſunt, adhibenda enim ſunt primo remedia ordinaria. *l. Quædam §. Quia id conſequi ff. de eden.* quæ ſi non proſunt deueniendum eſt ad extraordinaria. *l. In prouincialibus ff. de noui oper. nunt. l. In cauſa ff. de minor.* vnde remedium ordinarium excluditur per extraordinarium, quando per hoc plenius eſt conſultum, quam per illud. *l. Damni 18. §. Ei, ff. de damn. infect.*

Quæres 13. An dignitas Generalatus ſit de eſſentia religionis, ita quod ſi quis ordo caret Generali non ſit propriè dicenda religio?

21 Reſpond. Generalatus non eſt de eſſentia religionis, nam ordo aliquis conſtituitur in eſſe religionis per profeſſionem ſolemnem à Papa approbatam, vt dicunt omnes *in cap. Cum ad monaſterium, & cap. fin. de relig. domib.* Confirmatur, quia religiones fere omnes ab exordio ſuorum authorum Generali carent, cum non concedatur niſi illis ordinibus, qui habent multitudinem, & pluralitatem Prælatorum, & conuentuum, aſſimilatur enim Patriarchis, ſeu etiam Epiſcopis, qui ſub ſe plures habent Prælatos, alios graduatos, & officiales. *Ita docet Nau. conſil. 15. de regul. num. 7.*

Quæres 14. An Generales, & alij Prælati Regulares ſtatim ac ſunt electi dicantur etiam confirmati, ita quod ſtatim poſſint adminiſtrare, & ea facere, quæ ſpectant ad ſuum officium.

22 Reſpond. Quamuis iure priuilegiorum Generales ſtatim ac ſunt electi abſque alia confirmatione omnimodam habeant adminiſtrationem circa ſuas religiones ex indultis allatis à *Rodr. tom. 2. q. 52. art. 3.* Vnde & de noſtro dicitur in Bulla Nicol. V. incip. *Paſtoralis officij*, & in Reg. cap. 1. quod electus omnimodam habet poteſtatem tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ſuper Fratres, & conuentus. Et cap. 2. Regulæ quod ipſe tenetur comprobare Prouinciales ſi digni ſunt. Et ita docent *Angel. v. Confirmatio, Sigiſm. de elect. dub. 48. num. 1. Lauor. tit. 4. cap. 25. de elect. n. 48. vbi ex Silu. v. Confirmatio.* Prouinciales confirmantur à Generali. Tamen cum in omnibus capitulis ſemper præſit aliquis ſuperior ille confirmat electum ſuperiorem nullo præuio examine, & informatione, quia cum ſit præſens dicitur eſſe de omnibus eductus, quæ ſpectant ad munus confirmationis, immo ſi concurrit ad electionem, vt communiter ſolet fieri, confirmare videtur hoc ipſo, quod cum aliis eligit, *gloſ. 5. Electiones cap. Vt circa, cap. 1. de elect. in 6. v. Prouiſionem, Sigiſm. dub. 116. num. 6. Tambur. tom. 1. diſp. 6. q. 2. num. 4. Peyrin. in ſuo Formul. lit. Z. cap. 2. num. 1. fine.* Apud nos ſuperiores poſt electionem deducuntur ad Eccleſiam cum orationibus proceſſionaliter, & ibi genuflexi ante ſuperiorem capituli confirmantur, quod eſt conforme iuri communi, *cap. Qua fronte, de appell.* vbi dicitur, quod electus confirmatur in Eccleſia, non in camera.

Quæres 15. An Generalis peccans luxurioſè teneatur aperire circumſtantiam ſui gradus?

23 Reſpond. Negatiuè, quia gradus officij licet eminentis non addit nouam ſpeciem malitiæ, ita docent *Sanch. l. 7. diſp. 27. n. 33. alios citat Diana reſol. 6. de circumſtant. contra Fagundez. lib. 4. de præſcriptis eccleſ. cap. 3. num. 8. & Nagnum in Addit. ad tert. partem tom. 2. q. 9. art. 2. dub. 3.*

Quæres 16. An pro religione S. Franciſci vnicus ſit Generalis? Religio S. Franciſci Fratrum militantium ſub prima regula nunc diuiſa reperitur in tres

24 claſſes, quarum vna quæque proprium habet Generalem ab alio independentem, conſequenter tres ſunt huius primi ordinis Generales, primus eſt Generalis de Obſeruantia, ſecundus eſt Fratrum Conuentualium; Tertius eſt Capucinorum, prout refert *Rodriq. tom. 1. q. 2. art. 3.* Religio vocata Tertij Ordinis S. Franciſci,

25 cuius religioſi militant ſub propria eorum Regula, vt dicam ſuo loco, proprium Generalem habet conceſſum omnibus Italis à Nicolao V. Bulla incip. *Paſtoralis officij* Dat. die 20. iulij 1447. vnde ſequenti anno 1448. die 25. Iulij in eorum conuentu Caſtri de Montefalco Fulginatenſis diœceſis primo in Generalem electus fuit quidam pater frater Bartholomeus Bonamatus Peruſinus vir doctrina, moribus, & prudentia clarus cum ſuis quatuor definitoribus generalibus nimirum F. Franciſco de Genua, F. Antonio de Laurentiis, F. Onofrio de Mediolano, & F. Stephano de Piſis, quos vocabant Diſcretos, & Conſiliarios ipſius Generalis, cum quo tractabant omnia, quæ ad religionem, & gubernationem Fratrum ſpectabant. Circa hunc Generalem Tertij Ordinis nonnullæ emergunt difficultates ſubiectæ.

Prima eſt, An Generalis vnicus ſit pro toto orbe, an verò plures ſint? Secunda, an Generalis Italus ab illo anno 1448. vſque adhuc perſeuerauerit in ſuo officio per ſucceſſiuam electionem Fratrum eiuſdem ordinis? Tertia, An ſit propriè Generalis, vel ſolum Generalis viſitator, aut Vicarius Generalis? Quarta an ſubdatur Generali alterius ordinis? Quinta, An tantam poteſtatem, & præeminentiam habeat, quantam poſſident Generales aliorum ordinum? Sexta, an Tertius ordo neceſſariò debeat habere Generalem ex ſuo inſtituto? Septima, an ante prædictum annum 1448. ordo ſubiectus fuerit Generali alterius ordinis?

26 Primæ reſpondetur, quod religio Tertij Ordinis pro ſuis Fratribus in toto orbe terrarum diſperſis in Italia, Hiſpania, Gallia, in Regnis Caſtellæ, & Legionis, in Portugallia, Andaluçia, Galæcia, in Flandria, & alibi pluribus in locis vnicum nondum habuit, ſed pro diuerſitate regnorum, & nationum plures ſunt Generales; nam Itali vt ſupra dixi ſuum impetrarunt à Nicolao V. de anno 1447. In Regnis verò Caſtellæ, & Legionis ab Eugenio IV. per Bullam incip. *iniunctum nobis.* ſub datum die 6. Febr. 1442. obtinuerunt facultatem eligendi ſibi in proprium Generalem vnum ſacerdotem proprij ordinis, qui omnibus præeſſet tam in ſpiritualibus, quàm temporalibus. Leodienſes ſecuti Hiſpanos, & Italos proprium ſibi expoſtulauerunt Generalem cum ſuis quatuor Definitoribus Generalibus conceſſum ab eodem Nicolao V. in ſua Bulla incip. *Apoſtolicæ ſedis.* ſub datum 23. Aprilis 1450. Ad inſtantiam vnius Generalis Fratrum Leodienſium nomine P. F. Bartholomæi D. Dionyſius Cartuſianus explicauit Regulam Tertij Ordinis S. Franciſci approbatam à Nicolao IV. & nonnulla alia edidit pro regimine ordinis in gratiam prædicti Generalis. Vi-

27 des ergo religionem Tertij Ordinis ſpatio octo annorũ ab anno 1442. ad 1450. tres Generales obtinuiſſe in diuerſis partibus mundi, vnum independenter ab altero, quod ſi religio in vniuerſum conueniſſet ſub vno capite melius propagata fuiſſet, & amplioribus profeciſſet ſtudiis, & virtutibus, quia virtus vnita fortior, & vnitas in omnibus commendatur *cap. In apibus 41. 7. q. 1.* & vnitas magnum bonum probatur, ſicut diuiſio non niſi malum inducit, quia omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, quare valde vtile, immo neceſſarium religioni, ſi omnes eius Fratres in vnum conuenirent Generalem, qui omnibus in toto orbe terrarum diſperſis præeſſet, & dominaretur, illuſtrior enim euaderet ordo, & maiori in honore, & reuerentia haberetur.

28 Generalis autem Italiæ ſub ſe habet prouincias duodecim, quorum loca, & monaſteria præſentia ſunt pluſquam numero centum quadraginta quæ actu poſſident, & viginti octo deperdita, Fratres verò ſubiecti

circiter

circiter bis mille, itaque duodecim Prouinciales sub se habet, & centum triginta octo Priores, qui omnes illi subijciuntur intra Italiam existentes cum adiacentibus insulis Sicilianis, Generalis autem durat tantum per triennium ex prima sui institutione secundum Bullam Nicolai V. sub quo temporis spatio durauit electio vsque ad Sixtum V. qui in sua Bulla incip. *Romani Pontificis*. Dat. 29. Martij 1586. indulsit, quod in capitulo Generali secundo confirmari posset ab electoribus, & sic ordinariè durat per sexennium. Paulus III. sua Bulla incip. *Pastoralis officij*. Dat. 12. Apr. 1549. statutum à religione factum, in quo ordinabatur, ne præteritus Generalis posset amplius ad idem officium eligi, nisi post sex annos à finito triennio computandos, confirmauit, & adhuc obligat, quia sublatum non est.

29 · 30 · 31 (margin numbers)

32 Secundæ respondetur Generales ab illo primo de anno 1448. electo sibi inuicem successerunt assumpti ex sacerdotibus eiusdem ordinis professi vsque ad Pium V. qui sua Bulla incip. *Ex est officij nostri*. Dat. 3. Iulij 1568. Generalem extinxit ad instantiam Minorum de Obseruantia, quibus per eamdem Bullam ordinem per vniuersum orbem subiecit, consequenter non solum Generalem Italum, sed etiam aliarum nationum aboleuit, postmodum Sixtus V. in præcitata Bulla incip. *Romani Pontificis*, certificatus Fratres Tertiarios sub regimine Minorum de Obseruantia nihil in vinea Domini profecisse, eisdem proprium Generalem restituit, ordinando quod de triennio in triennium capitulum Generale conuocarent, & in eo vnum ex sacerdotibus ordinis in Generalem eligerent, indulgendo eisdem, quod in sequenti alio triennio possent eumdem reeligere, & confirmare, si idoneum illum inuenissent, consequenter duraturum per sexennium. Ex his itaque patet Generalium seriem interruptam fuisse decem octo annorum intercedente inter Pium, & Sixtum quintos Pontifices maximos, & postmodum resumptam in pristinum adhuc perseuerare cum gloria, & honore totius ordinis, de qua infra num. 50.

33 Tertiæ respondetur, quod Generalis propriè, & verè est Generalis sicuti sunt Generales aliorum ordinum independenter à quouis alio Generali alterius ordinis, ex officio, & iure ordinario tantam habens potestatem, & authoritatem super suos religiosos, quantam habent alij quarumcumque religionum, quare Vicarius propriè non est vices gerens alicuius Generalis alterius ordinis; neque præcisè est Visitator tantum, sed sic dicitur ex eo quod ipse per se habet visitare suum ordinem, non quia fungatur officio alterius.

34 Primum, quoque vere sit Generalis sicut sunt aliarum religionum cum potestate amplissima, probatur ex Bulla præcitata Nicolai V. ibi: *Et insuper pro ipsorum Fratrum status directione, ac discutiendi eorum vitæ meritis, corrigendisque & emendandis defectibus, & erroribus, ac domorum, & locorum huiusmodi conseruatione, & manutentione capitulum congregandi, & in illo vnum ex ipsis, qui sufficiens, & idoneus reputetur, et eis præsit, nec non per exempla, & vitæ merita prosit in eorum Visitatorem, & Patrem Principalem necessaria, & opportuna statuendi, & ordinandi. Nec non in singulis domibus, oratorijs, capellis, & alijs eorum locis, & hospitalibus singulos Ministros idoneos deputandi, & eligendi. Præterea Visitatori prædicto, & alijs in eodem celebrando capitulo pro tempore deputatis Visitatoribus, domos, oratoria, capellas, hospitalia, ac loca huiusmodi eorumque personas quoties expedierit in capite, & membris visitandi, & reformandi, & si opus fuerit corrigendi, & puniendi, ac personas easdem ab ipsarum domorum, oratoriorum, capellarum, hospitalium, & locorum regiminibus realiter amouendi, illosque priuandi, & eis habitum auferendi, ac ad huiusmodi regimina alios idoneos ponendi, & deputandi, ipsosque priuatos, & amotos, si dictis Visitatoribus videbitur ad prima regimina reponendi. Contradictores quoque, & rebelles per censuram ecclesiasticam, & alia iuris remedia appellatione postposita compescendi, ac etiam si opus fuerit brachij secularis auxilium inuocandi, omniaque alia, & singula in præmissis, & circa ea quomodolibet necessaria, vel opportuna faciendi, & exequendi plenam, & liberam, authoritate Apostolica, tenore præsentium concedimus facultatem.* Ex his habes Generalem Tertij Ordinis esse verè, & propriè talem, quia habet plenam, & liberam potestatem regendi, gubernandi conuentus & loca, & in illis administrandi, eligendi superiores necessarios pro gubernatione ordinis, atque corrigendi, & puniendi Fratres tam in capite, quàm in membris, appellatione remota, etiam per censuras ecclesiasticas, & per brachium seculare, aliaque remedia, quæ non nisi supremis religionum superioribus conceduntur. Et licet ibi non nominetur hoc speciali nomine *Generalis*, nihil obstat, quia vocatur *Pater Principalis*, quod idem importat quod Generalis, qui sine dubio solus dicitur pater Principalis ordinis, est enim Generalis Princeps in sua religione, siue ordine primitatis, cum sit primus cui reliqui omnes subijciuntur, siue ordine principij, à quo vt à fonte reliqui omnes tamquam riuuli emanant, & dependent tamquam filij à patre; præterea in eadem Bulla capitulum congregandum pro eius electione vocatur Generale, ergo & superior supremus in eo eligendus dicendus est Generalis. Deinde in alia Bulla incip. *Apostolicæ sedis*, eiusdem Nicolai Generalis vocatur Minister Generalis, derogando clausulæ Regulæ Nicolai IV. quod, nempe; Visitatorem habeant sacerdotem, qui alienius approbatæ sit religionis, nam loco eius indulget vt eligere valeant sibi in Ministrum Generalem sacerdotem sui ordinis professum cum eadem facultate, de qua supra. Item Paulus II. Bulla incip. *Excitat arcanũ*, non solum Visitatorem, sed Ministrum Principalem vocat, ad quem, & ad eius ordinem extendit priuilegia concessa Fratribus eiusdem ordinis existentibus in regnis Castellæ, & Legionis. Sixtus IV. Bulla incip. *Sedes Apostolica* eidem nostro Generali de nouo concedit, & ampliat eamdem supradictam facultatem cum prædictis remedijs corrigendi, & puniendi tam in capite quàm in membris in spiritualibus, & temporalibus etiam exemptos Fratres eiusdem ordinis Clemens VII. in Bulla incip. *Ad vberes fructus*. Generalem vltra nomen Visitatoris vocat etiam Magistrum Principalem in Regnis Castellæ, Legionis, Galiciæ, Andaluciæ, &c. cui communicat eam omnem potestatem, quam habent Ministri, seu Magistri, & Superiores Generales aliorum quorumcumque ordinum Mendicantium. Gregorius XV. in Bulla erectionis confraternitatis cordigerorum in nostris Ecclesijs vocat Magistrum Generalem; & in alia de modo eligendi Definitores Generales nuncupat Ministrum Generalem, nulla facta mentione Vicarij, aut Visitatoris, constat ergo esse verum & propriè Generalem sicut sunt Generales aliorum ordinum.

35

36 Secundum, quod non sit Vicarius Generalis, suadetur quia delegatus seu Vicarius vices alterius dicitur agere *ex cap. Sane* 11. *de off. deleg. cap.* 1. & 2. *de off. Vicar. in* 6. *l. Et si prætor ff. de off. eius, cui mand. iurisd.* Generalis autem non gerit alterius vices, sed ex officio suo gubernat ordinem, ergo Vicarius non est. Deinde eligitur ab vniuersitate totius ordinis in capitulo Generali, & in regimine vtitur propria authoritate sibi concessa à Papa, & à capitulo, quæ est ordinaria, nam hæc à solo Papa vel iure immediatè conceditur, *cap. A iudicibus* 2. *q.* 6. *Glos. v. statuuntur cap.* 2. *Neque Prælati vices suas, arg. iurium ibi allegatorum.* Sed iste Generalis vtitur in gubernatione Fratrum propria authoritate, & est ordinarius electus ab vniuersitate, ergo non est Vicarius. Demum, omnes Prælati, cuiusmodi sunt Generalis, Prouincialis, Custos, Prior, Guardianus, & Abbas iurisdictionem habent

ordinariam, non delegatam *ex Rodr. tom. 1. q. 17. art. 6.* ergo etiam noster Generalis. Confirmatur, quia inconueniens est, & absurdum, quod principalis officialis sit delegatus, seu Vicarius, alios verò, quos sub se habet, esse Prælatos, & ordinarios, ergo cùm Priores, & Prouinciales sint ordinarij, necesse quoque est, quod Generalis ordinarius sit, & non Vicarius. Nec obstat, quod Pius V. in extinctione Generalis, & Sixtus V. in eiusdem restitutione, vocauerit illum Vicarium Generalem; nam responderi potest Pium V. & subsequenter Sixtum pariter V. ex eo loquutum fuisse respectiuè ad eas Nationes quæ præcisè Generalem non habent, sed tantùm Vicarium Generalem, iuxta Regulam Leonis X. quæ apud Italos recepta non fuit, cùm habeant propriam ex Nicolao IV. accommodatam in statutis pro ipsis religiosis, in quibus continetur tota substantia eorum quæ spectant ad statum religiosum huius ordinis, vt dicit Pius V. vnde & in Forma professionis promittitur Regula Nicolai IV. prout reperitur in Statutis inserta, & nulla fit mentio Regulæ Leonis X. respectu cuius Generalis eorum, qui dictam regulam seruant, vocatur Vicarius cùm à Minoribus de Obseruantia instituatur, quorum vices gerit, Generalis verò noster in Italia nullius vices gerit, neque extra religionem eligitur, neque in suo officio dependet ab aliquo superiore Minorum, sed propria authoritate gubernat suum ordinem, neque nouum est, quod sub vna dictione comprehendatur vnum, non alterum, seu quod accipiatur diuersimodè respectu diuersorum, *Grilenz. consil. 156. num. 11.* verba n. diuersificantur secundum adiecta *Glos. fin. cap. Si Papa, de priuil. in 6 per l. Quod sæpe §. Veneni ff. de contr. empt.* Deinde primo dicit *Officia Magistratus, & Visitoris Generalis:* Postmodum subiungit. *Ne vllus posthac Minister Vicarius, ac Visitator Generalis de dicto ordine habeatur.* Per priora verba insinuat extinctionem Generalis, per reliqua prohibet electionem etiam Vicarij Generalis qui vices gerat ipsius Generalis, & hæc est verior interpretatio. Confirmatur, quia Sixtus V. post narratiuam Bullæ Pij V. non amplius meminit huius vocabuli Vicarij, sed in sua dispositione, per quam restituit Generalem vtitur numine Generalis visitatoris. Neque obstat, quod confirmetur à Generali Minorum, à quo olim etiam petebat Generalis Conuentualiũ ex Bulla Leonis X. incip. *Omnipotentis Dei.* apud Rodr. pag. 477. quia etiam Generales aliorum ordinum confirmantur à Protectore, quando Romæ præsidet capitulis ibidem celebratis, & propter hoc non sunt Vicarij, neque hoc nomen aquirunt per confirmationem, quæ electum superiorem ordinarium confirmat, non mutat, neque transfert ab vno genere officij in aliud genus inferioris conditionis. Patebit autem infra de confirmatione huiusmodi petenda nequaquam à Generali de Obseru.

[37] Tertium, quod non sit purus Visitator Generalis sed Prælatus supremus, & ordinarius, suadetur. Tum quia Generalis est Prælatus ex vniuersitate subditorum, à quibus eligitur pro toto ordine, & cum præsit omnib. Prouincialibus & Prioribus qui indubitanter Prælati sunt, necesse quoque est, quod & ipse Prælatus sit, ergo purus visitator non est. Tum quia puri Visitatores delegantur à superiore Generali, & ideo neque sunt Prælati *Peyrin. de Subd. q. 1. cap. 18. §. 2. per totum,* ergo Generalis Tertij Ordinis non est purus Visitator, sic autem dicitur propter duo, & quia Prælatorum maiorum officium est visitare suos subditos, vt de eodem dicitur in prædictis Bullis Pontificiis, & cap. 5. Regulæ inscripto. *De Generalis Visitatoris officio.* Patres n. qui statuta fecerunt, quæ modo pro Regula habentur, vt dixit Pius V. potius respexerunt ad officium exequendæ Visitationis, quam ad dignitatem, Generalatus; & quia Generalis Ordinis Tertij eleuati in religionem quodammodo succedit in locum illius puri Visitatoris, de quo fit mentio in Regula Nicolai IV. pro secularibus Tertiariis, sacerdotis assumendi ex aliqua approbata religione, qui non erat ex hoc Prælatus, sed simpliciter Visitator ad corrigendũm eorum defectus; modò autem quia Tertius ordo eleuatus est in religionem, illi assignatus fuit loco præcisi Visitatoris Prælatus superior Generalis ex probatis, qui instar Generalium aliorum ordinum cum amplissima administratione, & iurisdictione vtriusque fori, tam in spiritualibus, quàm temporalibus suam valeat gubernare religionem, & in signum, quod aliqualem retinet similitudinem illius meri Visitatoris ordinati à S. Patre Francisco, quando Tertiariis Regulam conscripsit, à nostris merito vocatus fuit Visitator non simpliciter, sed Generalis insinuando per hoc vocabulum non esse simplicem Visitatorem, sed Prælatum Generalem adnexum habentem officium visitandi suam religionem, sicuti Generales aliorum ordinum hoc ius visitandi habent respectu suorum subditorum; neque Regula Nicolai IV. vocat illum Generalem, sed simpliciter Visitatorem, quia vnus non erat respectu omnium Tertiariorum, sed vnicuique loco assignabatur proprius; modo noster meritò simpliciter dicitur Generalis ex vniuersitate, & generalitate Fratrum, quibus per omnia loca præest.

[38] Quartæ dubitationi respondetur, quod Generalis Tertij Ordinis nunquam subiectus fuit Generali alterius ordinis, probatur, Tum quia à S. Francisco ordo Tertius institutus non fuit sub regimine alterius ordinis, sed regebatur ab initio à superioribus & Ministris propriis, & licet quo ad Visitatorem dicatur in Regula cap. 16. quod assumatur sacerdos alicuius approbatæ religionis, non tamen S. Pater determinauit assumendum esse ex ordine Minorum, non obstante, quod hoc exprimatur in Regula eiusdem S. Patris confirmata à Nicolao IV. quod illud additum fuit à Summo Pontifice, cum non reperiatur in Regula eadem prout conscripta fuit à S. Francisco, vt colligitur ex Vadingo tom. 1. Annal. Minorum ad annum 1289. quo Regula confirmata fuit à Nicolao IV. Tum quia licet Tertiarij seculares quo ad Visitatorem fere semper subiecti fuerint Minoribus, tamen hoc non verificatur in Regularibus vt probabo suo loco, quibus datus fuit à Nicolao V. Generalis eligendus ab ipsis Tertiariis professus eiusdem ordinis, neque in Bulla concessionis fit mentio huiusmodi subiectionis, ergo nonquam fuit subiectus, subiectio n. cum sit odiosa gratis asserenda non est, sed supponitur à iure determinata, vel à superiore legis, cuius est subijcere, vel eximere aliquem à subiectione. [39]

Nec obstat, quod secundum Bullam Sixti V. incip. *Romani Pontificis.* in restitutione Generalis eligendi ex propriis Fratribus ordinis Tertij, & Fratribus à vocalibus eiusdem ordinis, postmodũ electus in Generalẽ infra duos menses à die electionis confirmationẽ electionis à Ministro generali d. Obseruãtia petere omnino teneatur, qua petita, & non obtẽta, vel denegata auctoritate Apostolica censeatur confirmatus. Quia respõdetur, quod licet confirmãdi ius sit superioritatis signũ Bald. in l. fin. §. Noto vlterius. C. de legib. Abbas post Host. in cap. 1. & 2. de Locato, Berus in Rubr. de confirmat. vtil. n. 2. hoc tamen non procedit simpliciter, sed tantum in casu quo confirmator potest reprobare electum denegando illi confirmationem, quod facere non potest Generalis de Obseruantia ex præmissis, ergo noster Generalis illi non subijcitur nisi transeunter. Præterea ponamus ab initio fuisse subiectum ipsum quo ad confirmationem, tamen nullius momenti fuit ea subiectio, quia in eo primo capitulo, quo electus fuit Generalis pater Benedictus Bellorus de Cremona religiosus integritate vitæ & morum clarus atque in curia Romana gratus, virtute Bullæ Sixti V. interfuit Præsidens Generalis de Medicis nomine Ferdinandus, qui propter eminentiam suæ dignitatis vti Præses & Protector ipsemet electum Generalem

confir

confirmare voluit, vt appatet ex actibus illius capituli; vnde licet inferre Generalem de Obseruantia nullum ius acquisiuisse neque super Generalem, neque supes ordinem, & si aliquam obtinuit, postmodum euanauit præscriptione, vt probabo in Resolutione de Tertiariis regularibus, vbi de hac re fuse agam.

Quintæ iam respondi sub prima num. 34. Generalem Tertij Ordinis tantam habere potestatem erga suos subditos, quantam habent Generales quatumcunque aliarum religionum. Obstare videntur quæ habet *Trimarchus in suo Tract. de Solitar. in confess. disp. 8. sect. 4. num. 46.* distinguendo duplex genus Generalium, nam aliqui sunt Generalissimi, qui totam gubernant religionem per totum orbem extensam, vt sunt Generales Prædicatorum, Minorum de Obseruantia, Capucinorum, Carmelitarum, Eremitanorum S. Augustini, Minimorum, Iesuitarum, & similium ordinum. Alij verò sunt qui gubernant partem religionis, nam sunt religiones, quæ vnum Generalem habent pro Italia, alium pro Hispania, ex quo limitas suam conclusionem, quia dixerat, Inquisitores non posse procedere contra Generales, intelligendam esse de Generalibus primi generis, consequenter nostri ordinis, qui est secundi generis subderetur Inquisitori contra id, quod dixi quæst. 51.

40

41 Esto, quod reperiantur Generales, qui sub suo regimine, & iurisdictione non habeant omnes religiosos per vniuersum orbem terrarum dispersos, cuiusmodi sunt Generales Canonicorum Regularium, Monachorum Cassinentium, qui dominantur in sola Italia, cuius etiam generis est Tertij Ordinis Generalis, qui sub se habet Italos tantum cum adiacentibus insulis pluribus, non tamen propter hoc minorem habens iurisdictionem, & prærogatiuam illis, qui sub se habent religiosos in vniuersum, quia potestas, & eorum prærogatiua non mensuratur à numero maiori, vel minori Fratrum, quos sub se habent, sed ex concessione illis facta à iure, seu priuilegiis Summorum Pontificum, ius enim, & Pontifex Maximus illis concedit potestatem, non religiosi, in quos illam exercere debent. Confirmatur, quia tam Generalibus primi generis, quam secundi generis tribuitur facultas, & potestas cum administratione, & iurisdictione tam fori interni, quam externi, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, castigandi suos subditos tam in capite, hoc est, superiores inferiores, quam in membris, id est, eorum subditos, eosdem censuris Ecclesiasticis compescendo, appellatione semota, inuocato quoque brachio sæculari, si opus fuerit; quæ omnia, vt constat ex supra allatis Generalis Tertij Ordinis habet erga suos Fratres, ergo in potestate, & prærogatiua suæ dignitatis aliis non est minor, sed æqualis.

42 Sextæ respondetur, quod ordo Tertius necessariò suum Generalem debet habere vnum professum eiusdem ordinis, & à professis eiusdem ordinis eligendum, huiusmodi necessitas probatur, Tum quia vnitas plurium sub vno capite commendatur *cap. In aribus princeps vnus est 41. 7. q. 1.* Tum quia secundum Tacitum lib. 1. Histor. initio inquit. *Pacis interest omnem potentiam ad vnum conferri.* Tum quia Leonem X. in Bulla incip. *Ite vos in vineam*, mouit ad electionem vnius Generalis faciendam ex Reformatis hæc ratio, ne scilicet caput à suis membris difforme appareat, in Tertio autem ordine difforme caput appareret, si ex seligiosis extraneis Generalis in Tertio ordine eligeretur. In resolutione de Tertiariis regularibus 87. q. plura dicam.

43 Septimæ responderet, quamuis Ordo iste antequam eleuaretur in religionem, subiectus fuerit superioribus Minorum tam Conuentualibus, quam Obseruantibus, vt constat ex diuersis Bullis, nihilominus postquam eleuatus fuit in statum regularem diu permansit sine Generali vsque ad annum 1448. ex supra probatis, neque ex hoc inferri potest ante dictum tempus Tertium ordinem non fuisse religionem, nam superius sub q. 13. probaui religionem stare posse sine Generali, cum de eius essentia, & substantia non sit.

Quæres 17. An Generalis extra ordinem possit aliquando eligere in confessarium sacerdotem secularem, vel alterius ordinis?

44 Respond. Potest, quia sicut subditos extra licentiæ, vt probaui resol. 2. num 23. ita & pro se eo vti beneficio; & nihil in oppositum iure statutum apparet. Ita pluribus probat *Diana part. 1. tract. 2. resol. 1. & parte 4. resol. 1. tract. 4. Miscell. alier citans.*

Quæres 18. An iuridice interpretari possit priuilegia ordinis.

45 Respond. Generalis potest interpretari priuilegia regularium non solum doctrinaliter, vt doctores, verum etiam iudicialiter iure priuilegiorum, quæ adduxi *Resol. 51. num. 49.* & in specie nostro Generali id concessit Clem. VII. Bulla incip. *Ad vberes*, vsibidem dixi.

46 Quæres 19. An Generalis possit dispensare in Residentia Prouincialium, & Priorum? Idem quæritur de Prouinciali respectu Priorum? Concilium Tridentinum Sess. 23. cap. 1. loquendo de Residentia illis verbis. *Cum præcepto diuino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oues suas agnoscere, &c.* comprehendere videtur etiam regulares prælatos, cum & ipsi curam animarum religiosorum habeant, vt dixit Gregorius XI. in Mare magno Sixti IV. vbi vocatur curator animarum Fratrum suorum, & Priores vocantur Parochi Fratrum suorum, & in specie de Residentia *Graff. tom. 1 consil. de cler. non resid. fuse Tambur. tom. 3 disp. 14.*

47 Respond. Generalis, etiam Prouincialis dispensare possunt super residentia suorum subditorum superiorum etiam vltra tres menses, si necessitas tantum temporis spatium expostulabit, quia in conuentibus adsunt semper Vicepriores, & Vicarij, qui præsunt religiosis in omnibus necessariis magis quam apud ecclesias parochiales. Tambur. loco citato q. 3. Legitima autem ea dispensatio non censetur, sed dissipat in disciplinæ regularis, quæ aut conceditur pro qualibet leui causa, aut per annum, immo etiam per sex menses, nisi aliqua vrgeat necessitas boni communis.

Quæres 20. An Generalis pro aliqua prouincia possit instituere aliquem Commissarium, seu Vicarium, qui ibidem permanenter suas vices gerat, non obstante præsentia Prouincialis, qui se bene gerit in officio suo?

48 Respond. Potest id efficere de iure, quia plenam habet potestatem sibi quo ad hoc non restrictam, vt pro Generali Minimorum decisum die 17. Martij 1636. refert Peyrinus constit. 54. Leonis X. num. 4. Quod tamen mihi non placet, posito enim bono regimine Prouincialis, videtur inutilis huiusmodi prouisio, & quodammodo iniuriosa Prouinciali, de cuius sufficientia ex hoc dubitari potest, multa enim licent, quæ tamen non expediunt, de qua re satis dixi *Resol. 66. n. 32.*

Quæres 21. An Generalis possit alicui facere exemptionem.

49 Respond. Quamuis Generalis non possit eximere aliquem religiosum à subiectione, & obedientia sui Prouincialis, & Prioris, quia sicut ipsemet subditus sibi præscribere non potest, *cap. Sicut nobis 37. de regul. cap. Cum non liceat 12. de præscript.* ita neque superior huius occasionem dare non potest, sic docent *Rodr. tom. 1 q. 23. art. 1. & tom. 2. q. 64. Peyrin ad constit. S. Iulij I I. num. 6.* Nihilominus aliquam ei gratiam facere potest, e. g. quod non accedat ad Matutinum, quod in mensa non teneatur legere, quod non intersit capitulo culparum, &c.

Quæres 22. An Religio carens Generali possit propria authoritate sibi illum eligere?

Respond.

Respond. Negatiue, sed recurrere debet ad sedem apostolicam; suadetur. Tum quia noua dignitas sine Papa non instituitur, *cap. 1. dist. 22. cap. 6. de consuet. iuncta glosa v. Concessimus per alia iura ibidem.* Tum exemplo omnium religionum, quarum Generales conceduntur per Bullas Pontificias, vt de nostris videre est supra q. 16. Multo minus Vicarium Generalem, is enim supponit Generalem existentem, cuius vices gerat. Neque simpliciter Vicarium Generalem, ob easdem rationes, cum sit hoc officium dignitas in Religionibus.

CATALOGVS

Generalium Tertij Ordinis.

Generales vsque ad præsentem annum 1647. numero sunt 44. Electiones vero Capitulorum Generalium 67. in diuersis locis celebratorum prout dicetur infra.

1 Bartolomæus de Bonamatis primus Generalis ordinis Tertij S. Francisci electus fuit in conuentu Castri de Montefalco diœcesis Fulginat. anno 1448. die 25. Iulij, cui successit post triennium.

2 Franciscus de Spinetis Genuensis ibidem anno 1451. die 3. Augusti.

3 Andreas de Franceschinis de Mediolano in conuentu Sanctorum Iacobi, & Philippi Florentiæ anno 1454. die 22. Iulij.

4 Vgolinus Bernonus de Placentia in conuentu S. Saluatoris Casalisbutani diœcesis Cremon. anno 1457. die 20. Aprilis.

5 Honofrius Figinus de Mediolano electus in conuentu S. Donati extra Comum die 27. Aprilis. 1460.

6 Franciscus de Brunis Florentinus ibidem Florentiæ die 3. Maij 1463.

7 Ioannes Camoletius de Verona in conuentu de Plazano diœcesis Cremensis 28. Aprilis 1466.

8 Ioannes de Crema electus in conuentu de Vairano diœcesis Cremensis die octaua Maij 1469.

9 Ioannes Paulius de Verona Florentiæ die 19. Aprilis 1472.

10 Henricus de Vngaro de Constantia in conuentu Siluæ Maturinæ diœcesis Spoleti die 16. Aprilis 1475. decessit anno sequenti.

11 Ioannes sub num. 7. secundo electus in conuentu Caritatis Bononiæ 2. Maij 1477. sequenti anno decessit in officio.

12 Archangelus Guerinus Cremonensis in conuentu Casalisbutani die 25. Aprilis 1479.

13 Vgolinus de quo num. 4. secundò electus in conuentu S. Mariæ de Pezighitono de Montebello diœcesis Laudensis anno 1482. die 30. Aprilis.

14 Antonius de Pescua Vallis Tellinæ in conuentu S. Ioannis de Biogio in Parochiali pagi Melli Vallis prædictæ, diœcesis Comensis, vbi requiescunt ossa, & cineres B. Ianuarij eiusdem ordinis & sunt in magna veneratione apud illius loci incolas, qui fatentur, se nullam petere gratiam à Deo, quam non obtineant per eius merita, vt accepi ex actis visitationis Episcopi Comensis ad me transmissis; religio autem non amplius habet illum locum incursione bellorum desertum, anno 1485. 25. Aprilis.

15 Bernardus de Septemagnarum Cremēsis in conuentu S. Mariæ Montebello anno 1488. die 25. Aprilis.

16 Antonius Luscatus de Cremona in conuentu S. Donati extra Comum anno 1491. die 24. Aprilis.

17 Bernardus de quo num. 15. secundo electus in conuentu S. Mariæ de Vairano diœcesis Cremensis 1494. die 28. Aprilis.

18 Archangelus de quo num. 12. in conuentu S. Saluatoris Cremonæ die 30. Aprilis 1497.

19 Alexander de Sala Bonon. in conuentu S. Mariæ de Plazano diœcesis Cremensis die 10. Maij 1500. contra fratrem Leonardum de Vincentia Antegeneralem.

20 Antonius de Passariis Cremensis Regij die 8. Maij. 1503.

21 Leonardus de Lanzatiis Cremensis in conuentu de Plazano diœcesis Cremensis die 3. Maij 1506.

22 Leonardus de Vincentia in conuentu Montisbelli 1509. die 29. Aprilis.

23 Franciscus de Crema in conuentu de Vairano. anno 1513. die 17. Aprilis.

24 Bernardus de quo num. 15. & 17. tertio electus in conuentu prædicto die 13. Aprilis 1516.

25 Franciscus de quo num. 23. secundo electus in conuentu Montisbelli anno 1519. die 15. Maij.

26 Georgius de Salodio in conuentu Nouentæ diœcesis Paduæ anno 1522. die 13. Maij.

27 Franciscus de quo num. 23. & 25. tertio assumptus in conuentu de Montebello die 7. Maij. 1525.

28 Peregrinus Sauiolus de Vincentia primus Generalis magister in Theologia in conuentu S. Mariæ de Curla diœcesis Bonon. die 3. Maij anno 1528.

29 Remigius de Salodio in conuentu de Vairano anno 1531. die 4. Maij.

30 Peregrinus de quo 28. secund. electus in conuentu S. Mariæ Piratelli diœcesis Imolensis anno 1534. die 26. Aprilis.

31 Remigius de quo 29. in conuentu S. Mariæ Angelorum Vincentiæ anno 1537. die 22. Aprilis.

32 Peregrinus de quo 28. & 30. tertio electus in conuentu Montisbelli anno 1540. die 18. Aprilis.

33 Petrus de Calderinis de Bergomo in conuento de Piratello die 15. Aprilis 1543.

34 Bonauentura de Vincentia in Theologia Magister, qui ad meliorem formam Statuta, quæ pro Regula habemus, reduxit, in conuentu Curiæ 1546. die 15. Maij.

35 Ioannes Baptista Mutin. Piratelli anno 1549. die 15. Maij.

36 Laurus de Salodio ibidem anno 1552. die 8 Maij.

37 Nicolaus de Lanzonibus ibidem anno 1555. die 15 Maij, decessit anno sequenti.

38 Damianus de Bonuinis Cremonensis in conuentu Casalisbutani anno 1557. die 20. Aprilis decessit in officio.

39 Bonauentura de quo 34. in conuentu S. Mariæ de Quercu Vallis Nuriæ Ducatus Placentini, Episcopatus Papiæ anno 1558. die 29. Maij. mortuus circa finem sui officij.

40 Gaspar de Mutina in conuentu Montisbelli 1561. die 22. Aprilis, decessit in officio anno 1563.

41 Columbanus de S. Columbano diœcesis Laudensis in conuentu S. Marci Montis Galdæ diœcesis Paduæ anno 1563. die 5. Maij, decessit in officio.

42 Bartolomæus de Moretis Cremensis electus Bononiæ in conuentu Caritatis die 23. Aprilis. 1564. mortuus in officio.

43 Ioannes franciscus eiusdem cognominis, & patriæ in conuentu Casalisbutani die 13. Maij. 1565.

44 Ioannes Baptista Cantonus Papiensis Magister in Theologia in conuentu Vallis Nuriæ anno 1567. die 21. Aprilis, & sequenti anno die 3. Iulij, cessit officio per Bullam Pij V. Generalatus officium extinguentis, quod postmodum restituit Sixtus V. per suam Bullam datam 29. Martij anno 1586. quo anno electus fuit.

45 Benedictus Bellotus de Cremonia in conuentu Sanctorum Cosmæ, & Damiani Romæ eodem anno 1586. die 24 Maij Vigilia Pentecostes, quo die deinceps capitula celebrata fuerunt, sicut antea Dominica tertia post Pascha.

46 Dionysius Columba de Oriolo in Calabria Piratelli anno 1589. die 20. Maij.

47 Serafinus Mainaga Mediolanensis ibidem 1592. die 16. Maij, & decessit anno 1595.

48 Hieronymus Mirchetua de Crema Romæ anno 1595. die 13. Maij, & deinceps in capitulis Generalibus non amplius electi fuerunt Prouinciales, Priores, & alij officiales, sicut antea fiebat, accedentibus etiam Prioribus cum suis discretis cum magno ordinis incommodo, cui prouidit Clemens VIII. per suam Bullam, de qua Resol. 87. Confirmatus autem fuit in aliud triennium anno 1598. die 9. Maij Cremonæ, iuxta præscriptum Bullæ Pauli III. Iste pater vitæ integritate, & puritate in ordine alium non habuit parem prælatum in summa egestate Deo saluatori suo reddidit anno 1620. cum maximo dolore incolarum Collescipionis Terræ diœcesis Narniæ prouinciæ Vmbriæ, qui eum vt patrem habebant in vita, & post mortem venerantur, vt Dei amicum ibidem sepultum in ecclesia S. Mariæ Poscargani sui ordinis dicti loci. Meam autem professionem tantus pater recepit anno 1611. die nona Februarij circa horam decimam quartam, in eodem conuentu.

49 Ioannes Baptista Prouenzanus Drepanensis Magister in Theologia Romæ die 9. Iunij 1601. ibidem relectus die 5. Iunij 1604.

50 Antonius de Sillis Bergomensis In Theologia Magister Romæ die 2. Iunij 1607. confirmatus die 29. Maij 1610.

51 Ioannes Baptista de quo 49. secundo electus Romæ anno 1613. die 25. Maij, & decessit in officio die 11. Aprilis 1614. ibidem sepultus, in cuius locum Paulus V. in Vicarium Apostolicum sufficeit Sanctorum Pecorellam Siculum in Theologia Magistrum die 5. Maij 1614.

52 Matthæus de Situtiis à Montefano In Theologia Magister Romæ anno 1616. die 21. Maij, ibidem relectus anno 1619 die 18. Maij.

53 Franciscus Guastamilius de Curla Bonon. Romæ die 14. Maij 1622. confirmatus ibidem 1625. anno iubilæi die 17. Maij.

54 Ludouicus Ciottus Romanus in Theologia Magister Romæ electus die 10. Iulij 1628. ab Vrbano VIII. ob contagionem confirmatus vsque ad annum 1634.

55 Gregorius de Albertis à Massa Vmbriæ in Theologia Magister Parmæ Laureatus die 17. Februarij 1606. Romæ assumptus die 3. Iulij 1634. à Papa confirmatus ob incursiones bellicas eodem anno 1637. Placentiæ debitum naturæ soluit die 15. Septembris ibidem sepultus in ecclesia S. Mariæ Laureti eiusdem ordinis; in cuius locum Papa suffecit die 24. Nouembris sequentem Vicarium Apostolicum.

56 Franciscus de quo 35. secundum electus Romæ die 22. Maij 1638. ibidem confirmatus à sede apostolica anno 1641. ad perficiendum sexennium, renunciauit.

57 Marcus Antonius Bottonus Bonon. in Theologia Magister suffectus fuit prope finem anni 1642. præcedenti renuntianti in Vicarium Generalem, deinde obtinuit prorogationem Generalis Apostolici vsque ad Pentecosten futuri anni 1647. quo celebratum fuit Capitulum Generale Bononiæ die 8. Iunij, in quo electus fuit vnanimi consensu totius Capituli.

58 F. Franciscus Burdonus huius auctor in conuentu S. Antonij de Padua Assisij electus, die vltima Maij 1653. cuius definitores fuerunt Franciscus Maria Canna pro Prouincia Mediolanensi, Mag. Petrus Pendinus Vicentinus pro Veneta, Mag. Honoratus Beruccius pro Brixiensi, & Mag. Barnabas, Panormitanus. Capitulo ex mandato Eminentissimi Cardinalis Barberini Protectoris præfuit Gaudentius Paulus Episcopus Emerinus, qui & Generalem confirmauit.

59 Annibal Pinzzellus Romanus in Theologia Magister cum suis definitoribus, Mag. Antonio Cotonio de Necotia, Metaphysico Vniuersitatis Paduæ pro Prouincia Calabriæ; Ioanne Vanden de Flandria pro eadem Prouincia, Alphonso Luna pro Neapolitana, & Mag. Ludouico Radocchio pro Prouincia Aprutij constitutus Generalis ad sexennium incipiendum à Sabbato Pentecostes 1659. vt patet ex Breui dato die 12. Septembris 1658.

RESOLVTIO LXXXI.

De Indulgentiis Regularium.

SVMMARIVM.

1. *Indulgentia est absolutio & solutio.*
2. *Mortuis applicantur per modum suffragij.*
3. *Remittit pœnam temporalem peccati iam deleti.*
4. *Remittit pœnam peccati actualis.*
5. *Non originalis, quæ damni tollitur baptismo.*
6. *Catecuminus non est capax indulgentia.*
7. *In gratia existens lucratur pro se.*
8. *Fictione recedente quis lucratur.*
9. *In mortali existens lucratur pro mortuis.*
10. *Papa concedit indulgentias; & Episcopi non plenarias.*
11. *Thesaurus indulgentiarum in quo consistat.*
12. *Iurisdictionis actus concedere indulgentias.*
13. *Prælati regulares iure communi non concedunt.*
14. *Habent tamen priuilegia illas concedendi.*
15. *In visitationibus ordinariis plenariam,*
16. *In concionibus non plenarias.*
17. *Indulgentia Pauli V. referuntur.*
18. *Indulgentia dicentibus Coronam B. V. & sex Pater cum Gloria.*
19. *Reuocata a Paulo nondum reualidata.*
20. *Gaudent indulgentiis cæterarum fidelium.*
21. *Mortuorum adhuc vigent.*
22. *Ecclesiis regularium concessa pro sæcularibus vigent.*
23. *Publicantes falsas indulgentias nullam incurrunt pœnam.*
24. *Tridentinum publicandas mandat approbari ab Episcopo.*
25. *Indulgentia non transfertur.*
26. *Nisi forsan in die Veneris sancta.*
27. *Quo denegatur communio.*
28. *Festum non transfertur quo ad ferullia.*
29. *Religiosi lucrantur indulgentias omnibus concessas.*
30. *Indulgentia septennia non transfertur si non potuit publicari primo anno.*
31. *Nouitij, Tertiarij, & Famuli gaudent indulgentiis religiosorum.*
32. *Nouitius lucratur plenariam die receptionis habitus, licet communicauerit pridie.*
33. *Reuocantur minime sine expressa mentione.*
34. *Episcoporum indulgentias lucrantur.*
35. *Portiuncula nunquam reuocata fuit.*
36. *Iubilei anno non sunt suspensa indulgentia mortuorum.*
37. *Neque pro articulo mortis.*
38. *Lucratur indulgentiam altarium sine motu corporis.*
39. *Indulgentia prodest ignoranti illius reuocationem.*

INdulgentia est remissio pœnæ temporalis pro peccatis actualibus iam remissis debitæ concessa homini Christiano existenti in gratia à prælato per applicationem Thesauri ecclesiastici.

Dixi 1. *Remissio* quod significat relaxationem, & 1 condo

condonationem, ex quo doctores quærunt, an in conceſſione indulgentiarum concurrant duo actus, nimirum abſolutionis, & ſolutionis ad quod dilucide, & ſuccincte *Becanus reſpondet cap. 28. de Sacram. in ſpecie q. 2.* indulgentiam proprie eſſe iudiciariam abſolutionem annexam habentem ſolutionem ex Theſauro eccleſiæ, & primum probat ex illo Matthei 18. *Quadcumque ſolueris ſuper terram*, quod intelligitur de poteſtate iudiciaria abſoluendi, conſequenter conceſſio indulgentiæ eſt actus iuriſdictionis, quo Christi fidelis liberatur à pænis peccato debitis; ſecundum deducit ex eo, quod iudex debet ſatisfacere iuſtitiæ, quod efficere non poteſt, niſi aliquid ſoluat **2** ex communi Theſauro ex æqualitate. Mortuis autem per priorem actum abſolutionis iudiciariæ indulgentiæ applicari non poſſunt, ſed ſolum per ſecundum ſolutionis per modum ſuffragij, quia prælatus non ſoluit Chriſtianum niſi ſuper terram viuum exiſtentem. Vide ipſum.

3 Dixi 2. *Pœna temporalis* indulgentia ergo non remittit culpam, ſeu peccatum, ſed ſupponit illud per pænitentiam deletum, vnde pænitenti per contritionem, & abſolutionem ſacramentalem fit remiſſio peccatorum quo ad culpam peccati, non vero quo ad pænam, quæ alias æterna commutatur in temporalem ſoluendam in hoc mundo, vel in Purgatorio, Eccleſia igitur pia mater commiſerando ſuis filiis, ac tam acriter in Purgatorio afflgantur ſæpè numero ſolet aperire Theſaurum eccleſiæ, vt vnuſquiſque in caritate coniunctus recipere poſſit indulgentias ad ſatisfaciendum pænis alias in Purgatorio ſoluendis.

4 Dixi 3. *pro peccatis actualibus iam remiſſis debita* remiſſio eſt pænarum non quarumcumque ſed debitarum ſolum pro peccatis non quibuſcumque ſed actualibus tantum, vnde pro pæna peccati originalis non prodeſt indulgentia, quia illa eſt ſolum pæna damni, hoc eſt, carentia viſionis Dei, quæ tollitur per baptiſmum, quo baptizatus euadit amicus Dei, & conſequenter fit capax viſionis Dei, hanc autem pænam damni non remittit Indulgentia, ſed ſolum pænam ſenſus, quam homo non incurrit per ſolum peccatum originale, cum illud non contraxerit propria voluntate, ſed parentum.

5 Dixi 4. *Conceſſa homini Chriſtiano*, neque enim infideles, aut catecumeni capaces ſunt indulgentiarum, cum illos prælatus iudicialiter abſoluere non poſſit, cum nondum ſint eccleſiæ ſubditi efficiendi per baptiſmum.

6 Dixi 5. *Exiſtenti in gratia*, qui vult lucrari indulgentias debet eſſe in gratia, aliter illas non acquirit, quia prælatus non poteſt quemquam abſoluere à pænis, qui prius abſolutus non fuit à culpis, & conſequenter qui non eſt in gratia Dei, vt docent omnes. Dubitant hic doctores, an indulgentia ſublata pecca**7**ti fictione ſortiatur ſuum effectum? Pro vtraque parte ſunt opiniones probabiles, quas recenſet *Diana parte 4. tract. 4. reſol. 94. & part. 5. tract. 12. de Indulg. reſol. 4. vide ibi.* An autem applicans, ſeu eam ſumens **8** pro defunctis debeat eſſe in gratia? Vniuerſalior opinio eſt exiſtentem in mortali poſſe defunctis lucrari indulgentiam, & quia nomine eccleſiæ, quæ ſemper eſt in gratia, operatur; & quia ſe habet vti famulus malus, qui nomine domini pauper præbet eleemoſinam, nam ſicut per malum famulum dominus non perdit meritum, neque ſatisfactionem exiſtens in gratia, ita neque defunctus perdit indulgentiam ſibi **9** applicatam à peccatore. Et de hac re egi reſol. 25. num. 16. Ita ſentiunt *Toletus apud Portel. v. Indulgentia num. 14. Nald. indulgentia 7. Faber de Pœnit. diſp. 38. num. 256. alios plures refert Diana part. 5. reſol. 38. de indulg.*

10 Dixi 6. *A prælato*, qui iure ordinario eſt ſolus Papa, qui habens plenitudinem poteſtatis indulgentias valet concedere plenarias *cap. Cum ex eo 41. de pœnit. D. Thom. in 4. diſt. 20. art. 4. quæſt. 3.* Epiſcopi habent à Papa facultatem concedendi indulgentias non tamen plenarias ex eodem cap. *& cap. Noſtro, & cap. 3. eod. in 6. de qua re vide Mirand tom. 2. q. 9. art. 2. Gretium in Theſauro Animæ v. Indulgentia cap. 2. Tambur. tom. 2. diſp. 9. q. 1.* De prælatis regularibus dicam mox.

11 Dixi demum *Per applicationem Theſauri eccleſiaſtici.* Theſaurus autem iſte confectus fuit ex paſſionibus Chriſti, & ſanctorum, qui nunquam finiri, neque exhauriri poteſt, quia Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, & pro omnibus ſatiſfecit, ſed quia multi damnati ſunt, ex quo illis paſſiones Chriſti non profuerunt, ideo ne proiicerentur repoſitæ fuerunt in ærario eccleſiaſtico, in quo etiam reconditæ fuerunt opera ſanctorum, quæ illis ſuperfuerunt non egentibus ad ſatisfaciendum, cuiuſmodi fuerunt opera B. M. V. S. Ioannis Baptiſtæ, Apoſtolorum, Martyrum, S. Franciſci, & multorum aliorum, qui plus paſſi ſunt, vel alia opera fecerunt, quibus non indiguerunt ad ſatisfaciendum, ideo repoſita fuerunt in Theſauro Eccleſiæ, cuius claues ſolus Papa habet, & ideo in occurrentibus neceſſitatibus illud ærarium aperit fidelibus concedendo indulgentias. Sed accedamus ad quæſtionum reſolutiones.

Quæres 1. An Prælati regulares poſſint concedere indulgentias? Difficultas eſſe poteſt, an id poſſint non ſolum iure priuilegij ſi quod habent, verum etiam iure communi? Nam iure communi id concedit Medina de Indulg. diſp. 6. cap. 29. apud Mirand. tom. 2. q. 9. art. 1. eo quod valet argumentum à poteſtate Epiſcopi ad prælatos maiores regulares, qui habent iuriſdictionem epiſcopalem, concedere enim indulgentias **12** eſt actus iuriſdictionis, non ordinis *ex cap. Quod autem 4. de pœnit. nec* obſtat *cap. Accedentibus 12. de exceſſib. prælator.* quia ibi ſermo eſt de prælatis inferioribus, non æquiparatis Epiſcopis, cuiuſmodi ſunt Generalis, & Prouincialis. Sed hoc videtur reſeruatum **13** dignitati epiſcopali, quia licet prælati regulares maiores æquiparentur Epiſcopis in iuriſdictione, tamen cum ratione dignitatis excedantur conueniens eſt, vt non poſſint iure indulgentias conferre, vt in hoc appareat exceſſus dignitatis, quicquid dicant plerique quos pro ſe citat *Compend. reſol. 17. num. 5.* Remanet ergo quod iure ſpecialis priuilegij id efficere poſſint, ſi quod habent.

14 Reſpond. Habent, nam primo Leo X. per oraculum viuæ vocis apud Compend. Priuil. §. Indulg. plen. quo ad Fratres num. 16. conceſſit Prouincialibus **15** Fratrum Minorum de Obſeruantia facultatem concedendi indulgentiam plenariam omnibus Fratribus, & Monialibus cuiuſlibet conuentus viſitatis in viſitatione ordinaria, refert etiam *Mirand. tom. 2. q. 9. art. 2. conſil. 2.* Quo aliorum ordinum prouinciales gaudent, & noſtri tertij ordinis. Sed nunquid Generalis poteſt vti eo priuilegio, cum illi in ſpecie non concedatur? Ita, quia priuilegia conceſſa vni ſuperiori conceduntur omnibus etiam maioribus, niſi contineant quid ſpeciale, quod non repetitur in aliis dixi reſol. 52. n. 71. Neque ſublata fuerunt oracula indulgentiarum, probaui reſol. 31. num. 4. Secundo Prædicatores Mi**16**norum, ſimiliter & aliorum ordinum in ſuis eccleſiis quouis anni tempore nomine ſanctiſſimi concedunt ſuis auditoribus indulgentiam annorum 18. & dierum 322. in alienis dum prædicant eccleſiis tempore Quadrageſimæ dierum 222. in ſuis vero feriis 2. 4. & 6. annorum 156. & dierum 524. doctoribus relatis à me Reſol. 7. num. 31.

Quæres 2. Quænam ſint indulgentiæ ſpecialiter conceſſæ à Paulo V. in ſua incip. *Romanus Pontifex* Bulla 21. poſtquàm reuocauit quaſcumque indulgentias à ſuis prædeceſſoribus conceſſas regularibus cuiusvis ordinis? eas recenſet Compend. Rodr. reſol. 77. num. 46. Portel. v. Indulgentiæ ſunt autem ſequentes.

Primo

17 Primo concedit indulgentiam plenariam primo die ingressus canonici, & iuxta ordines cuiuslibet religionis nouitiis causa profitendi, sacris confessione, & communione refectis. Nouitios ergo debitis requisitis munitus indulgentiam plenariam lucratur eo die, quo recipit habitum probationis, cum animo profitendi. Qui ingrediuntur cum proprio habito vt moris est apud quasdam religiones, non lucrantur hanc indulgentiam.

Secundo eamdem lucratur præmissis confessione & communione in die professionis legitimæ contractæ. Infra annum profitens non lucratur, licet causa infirmitatis profiteatur, quia requirit expletum annum probationis, quamquam oppositum probabilitate non caret, quia Pius V. infirmis periclitantibus indulsit professionem infra annum pro consolatione animarum suarum, sed quæ maior consolatio, quam indulgentiæ plenariæ quæstom? nec obstat imperfectus annus, quia Papa regulariter loquitur, & quoties Bullæ concordari possunt bonum est, ad euitandum correctionem. Si nulla fuit professio, nulla quoque censetur indulgentia.

Tertio plenariam Indulgentiam lucratur intra claustra manens missam celebrans, aut sacris confessione, & communione refectus in festo principali sui ordinis, orando pro concordia Principum Christianorum, pro extirpatione hæresum, pro salute Papæ, & exaltatione S. Ecclesiæ. Festum principale in ordine Prædicatorum est S. Dominicus, apud Minores trium ordinum S. Franciscus, apud Moniales etiam S. Clara, apud nos puto non posse venire Sanctos Ludouicum, & Elisabetham, sed solum sanctum patrem Franciscum, quia ipse solus est principale festum. Debet viuere intra claustra sui ordinis; sed non dicuntur sic viuere, qui de licentia superioris legitima degunt in Oratoriis, Capellis, Parochialibus Grangiis, & similibus locis, vbi habent possessiones? nam omnes in festo principali ad claustra se reducunt. Quando accedunt, puto lucrari, quia extra manens per aliquod temporis spatium de licentia superioris censentur degere in monasterio, vt docent omnes. Papa ergo ibi loquitur de illis, qui perpetuo extra manent, vt sunt Parochi, & alij exempti à iugo obedientiæ.

Quarto, intra claustra viuentes, qui suam ecclesiam visitauerint, & orauerint vt supra, lucrantur easdem indulgentias, quas visitantes ecclesias Vrbis, & extra eam diebus stationum consequenter in omnibus diebus perinde ac si ipsas Vrbis ecclesias personaliter visitarent. Manentes ergo extra non lucrantur, cum suam ecclesiam non possint vt sic visitare. De Indulgentiis ecclesiarum Vrbis *Compend. v. Indulgentia, fuse Rodr. tom. 2 q. 89. cum suo Compend. resol. 77. num* 20. Lucrantur infirmi, vt ipsemet Papa declarauit, *Peyrin. tom 2. priuil. ad const. 8 Pauli V. num* 2.

Quinto in articulo mortis sacris confessione, & communione refectus ore, vel saltem corde inuocando nomen Iesu lucratur indulgentiam plenariam. Si infirmus conualescat non lucratur, eo quod articulus mortis sit ille, in quo infirmus moritur. Neque periculum mortis hic locum habet ex subiecta materia, cum agatur præcise de casu mortis.

Sexto lucratur plenariam nouellus sacerdos canonice promotus, qui præmissa confessione primam missam dicit. Item religiosi, qui eodem die sacris confessione, & communione refecti, interfuerint missæ nouæ, vel celebrauerint. Male promotus, neque inconfessus lucratur. Nomine religiosi interessentes veniunt etiam nouitij, & Tertiarij. Alij sacerdotes debent ibidem celebrare.

Septimo plenariam lucratur religiosus ille, qui per decem dies ab alijs sequestratus in cubiculo orauerit, meditatus fuerit, & similia exercitia peregerit sacris confessione, & communione refectus, & id toties quoties se sequestrauerit. Necesse autem est, quod ibi continue maneat, seclusis necessitatibus corporis.

Octauo; religiosus in clausura viuens singulis diebus coram altari suæ ecclesiæ dicens quinque pater, & Aue lucratur quinque annos, & totidem quadragenas indulgentiæ. Idem lucrantur extra manentes de licentia sui superioris, si orauerint coram altari alicuius ecclesiæ. Non est autem necesse genuflectere super bradellam altaris, sed sufficit stando in choro dirigere suam orationem ad altare, vel etiam simpliciter in ecclesia orare; neque differentia est inter vnum, aut alterum altare, licet sit maius; neque hæc oratio applicanda est pro aliquo in specie, sed satis est pro se dicere.

Nono religiosus, qui spatio vnius mensis mentaliter quotidie per semihoram orauerit sacris confessione, & communione in vltima Dominica refectus lucratur sexaginta annos & totidem quadragenas indulgentiæ. &c. Decimo, accusantes se in capitulis culparum contriti, & communicati exercitiis virtutum muniti trea annos, & totidem quadragenas.

Vndecimo indulgentiam plenariam lucrantur missi ad terras infidelium, vel hæreticorum ad concionem, Instructionem, vel eorum conuersionem, eo die, quo confessi, & communicati fuerint, & etiam in ingressu prouinciæ, ad quam mittuntur.

Duodecimo confessi, & communicati, qui tempore orationis quadraginta horarum in visitatione generali ad minus interfuerunt per duas horas etiam interpollatas orationi, rogando pro concordia Principum Christianorum, extirpatione hæresum, exaltatione fidei, salute Papæ, & augmento regularis disciplinæ indulgentiam plenariam consequuntur.

Quæres 3. An præter has aliæ adsint indulgentiæ postmodum concessæ?

18 Respond. Adsunt, nam idem Paulus V. concessit indulgentiam plenariam dicentibus Coronam B. M. V. Religiosus *apud Peyr. tom. 3. c. 10. de priuileg. n.* 59 Item dicentibus sex Pater, & Aue cum sex Gloria concessit magnam indulgentiam stationum Romæ, Ierusalem, & S. Iacobi ad Compostellam. Quam confirmauit Vrbanus VIII. *Compend. resol. 77. ante n.* 48. *Portel. v. Indulg.* De his stationibus vide *Rodr. tom. 2. q. 88. art.* 2. de stationibus Vrbis, habes etiam stationes præfixas suis diebus in Missali Romano, apud eumdem *Rodr. q. 89. 90. & 91. cum suo Compend. resol. 77 n. 20. & seq* De stationibus Ierusalem *Rodr. q. 92. Compend. resol. 77. n.* 34 De stationibus ad S. Iacobum *Rodr. q. 93. Compend. resol. 77. n. 43.*

Quæres 4. An Indulgentiæ à Paulo V. reuocatæ intelligantur reualidatæ per subsequentem confirmationem priuilegiorum.

19 Respond. Non sunt reualidatæ, vt probaui *resol. 52. n. 325. Ita docet ex Portello contra Compend. Diana part. 4. tract. 4 resol. 20.*

Quæres 5. An ex concessione prædictarum indulgentiarum à Paulo V. prohibeatur lucrum indulgentiarum, quæ in dies conceduntur ecclesiis suis, vel externis pro Christi fidelibus vtrinsque sexus.

20 Respond. Non, quia inducta in fauorem non debent operari contrarium effectum. *Ita Filliuc. tom. 1. tract. 8. c. 6. n. 130. quem pro se citat Peyrin. ad const. 8. Pauli V. num. fin tom. 2. priuileg.*

Quæres 6. An sub reuocatione Pauli V. comprehendantur indulgentiæ ipsis regularibus concessæ fauore defunctorum.

21 Respond Non fuerunt reuocatæ, quia non dicuntur concessæ immediate fauore religiosorum, sed directè mortuis, Paulus autem V. reuocauit præcise concessas ipsis religiosis pro seipsis. Ita respondit ipsemet Papa 25. Febr. 1609. *teste Peregr. in Compend. Theat. in v. eod. & Peyrin. tom. 2. ad constit. illius n. 5. Lezana tom. 1. cap. 3. num. 19.*

Quæres 7. An reuocatæ fuerint indulgentiæ concessæ ecclesiis regularium pro sæcularibus, seu potius ipsis sæcularibus visitantibus ecclesias regularium?

22 Respond. Non, quia non dicuntur indulgentiæ regularium, sed sæcularium, & aliorum visitantium ecclesias regularium. Ita respondit S. C. die 31. Augusti 1615. literis directis ad Vicarium Generalem Archiepisc. Genuens. quas extendit *Peyrin. in fine tomi de Subdito, pag. 527. & tom. 3. cap. 9. num 82. Lacerna Regular. v. Indulgentia num. 2. Portel. v. Indulg. in fine dubit.* inferentes indulgentiam plenariam concessam defunctis parentibus, seu benefactoribus, ipsis Fratribus missam dicentibus, non esse sublatam, quia non est concessa religiosis, sed sæcularibus; putat tamen esse sublatas indulgentias Fratribus defunctis pro seipsis, sed supra probatum fuit non esse sublatas defunctorum indulgentias, quæ non veniunt simpliciter sub indulgentiis regularibus concessis. De indulgentiis autem concessis sæcularibus visitantibus ecclesias sæcularium *Rodr. tom. 1. q. 94. & seq. cum suo Compend. resol. 77. num* 48. In specie Gregor. X V. visitantibus ecclesias nostri ordinis concessit indulgentiam plenariam certis diebus Sanctorum, vt retuli *Resol. 52. num.* 301.

Quæres 8. An publicantes indulgentias indiscretas, hoc est, falsas præter peccatum mortale incurrant aliquas pœnas?

23 Respond. Peccant mortaliter, quia fideles decipiunt in graui, vnde Clem. 1. de priuileg. prohibetur regularibus ne in sermonibus suis pronuntient indulgentias indiscretas, & non concessas explicat glosas, aliter Papa præsumentes vult subiici pœnis, quæ intra religionem solent à superioribus imponi pro grauibus criminibus. Concilium Tridentinum hunc extirpare abusum intendens Sess. 21. cap. fin. prohibet, ne indulgentiæ publicentur, nisi prius examinatæ, & pro- 24 batæ fuerint à duobus de capitulo eligendis ab Episcopo, non à capitulo, *Lauor. de Indulg. part. 5. cap. 18. n. 9. & ex eo Barbosa ad dictum cap. num.* 8. licet sint concessæ regularibus pro eorum ecclesiis *Tambur. tom. 1. disp. 15. num.* 35. Intellige de illis, quæ in dies conceduntur, nam antiquitus concessæ ante Tridentinum non subduntur, sed regulares illas exponere possunt in suis Ecclesiis sine noua licentia.

Quæres 9. An Indulgentia concessa in Festo alicuius Sancti, cuius officium transfertur in alium diem, cum eo intelligatur translata? e. gr. quando festum S. Francisci de Paula occurrit infra hebdomadam sanctam an cum eo indulgentia transferenda sit post octauam Paschæ?

25 Respond. Indulgentia nunquam transfertur, sed die præfixo quærenda est, quia illi affixa est, neque patitur translationem, sicuti officium, quia nullum est impedimentum quin eo die possit acquiri, sicut impeditur officium ab alio maiori, & digniori, nisi velimus dicere in 26 vnico casu simul cum sancti officio transferri etiam indulgentiam, nimirum, si festum incidat in diem veneris sancti, in quo nulli ministratur Eucharistiæ Sacramentum, ex quo ne indulgentia euanescat sine culpa fidelium, sed iure impediatur, videtur transferenda, sicut transfertur officium ex simili causa impedimenti, 27 non tamen transfertur festum quo ad seruilia, nisi de speciali licentia Papæ, etiamsi sit B.M. Annũciatæ. Quod 28 autem communio non concedatur fidelibus eo die veneris sancti optime probat ex antiquissimo vsu Gauantus in Rubr. Missalis ad hunc diem num. 25. ex responsis S. Congr. *Peyrin. tom. 3. priuileg. cap. 7. num.* 15. vbi refert priuilegium Gregorij XIII. transferendi indulgentiam simul cum officio S. Francisci sui ordinis fundatoris.

Quæres 10. An religiosi possint lucrari indulgentias concessas omnibus Christi fidelibus, consequenter ecclesiis suis, & aliorum concessas? Item concessas audientibus prædicatoribus Minorum, vel missas in eorum ecclesiis.

29 Respond. Affirmatiue, quia religiosi potiori ratione sunt Christi fideles, ergo non excluduntur ab indulgentiis omnibus communibus; & huiusmodi similia videtur insinuare *Peyrin. tom. 3. priuileg. cap. 10. num.* 58.

Quæres 11. Impetratum fuit Breue vnius indulgentiæ per septem annos subsequentes, expeditum die 4. Martij pro festo S. Ioseph, sed ad manus impetrantis non potuit peruenire tempore debito, vnde eo primo anno non potuit publicari indulgentia. An ille annus euanescat, an vero transportetur in sequentibus annis?

30 Respond. Ille prior annus perditur, & non restituitur in sequentibus, quia indulgentiæ habentes ad sui lucrum tempus determinatum transferri non possunt in sequens, eo quod tantum valent, quantum sonant, vt dicitur communiter. Neque præcedens ratio transferendi indulgentiam eius sancti, qui incidit in diem Veneris sancti, cum officio huic casui accommodari potest, cum sit dispar, nam in præcedenti casu ea conditione diei indulgentia lucrari non potest, in hoc vero non lucrantur eo quod publicata non fuit defectu negligentiæ impetrantis, qui tempus necessarium præuenire debebat, quæ non est sufficiens ratio ad transponendum tempus vnius anni in alium.

Quæres 12. An indulgentiis religiosis concessas lucrentur nouitij, & Tertiarij, atque familiares?

31 Respond. Fruuntur indulgentiis regularium, qui in fauorabilibus veniunt sub nomine religiosorum, communem enim cum eis, & quasi similem degunt vitam. De nouitiis non est dubium, *Rodr. tom 1. q. 19. art. 4. De Tertiariis Rodr. tom. 3. q. 73. art. 1. Carilus lib. 1. num. 11. De famulis Rodr. tom. 2. q. 67. art. 4.*

Quæres 13. Religionem ingressurus hodie, heri admonitus fuit de confessione, & communione ad lucrandum indulgentiam pro die susceptionis habitus probationis, sed ob impedimentum superueniens non potuit habitum recipere determinata die, an sine aliis confessione, & communione sequenti die habitu indutus acquirat indulgentiam plenariam?

32 Respond. eo die, quo habitu induitur lucratur indulgentiam, licet præcedenti die perfecerit opera requisita, quia indulgentia conceditur eo die, quo induitur habitus, non tamen eidem diei præscribuntur opera pia, immo illa antecedenter semper præstantur.

Quæres 14. An indulgentiæ veniant sub derogatione priuilegiorum? An vero necessaria sit specialis mentio illarum?

33 Respond. Indulgentiæ nunquam intelliguntur reuocatæ sub generalib. reuocationibus priuilegiorum, gratiarum, & indultorum, quia elegans, & speciale nomen habent, & ideo speciali expressione reuocandæ sunt, *arg. l. Item apud Labeonem §. Ait prætor ff. de iniur. Portel. part. 2. casu* 14. *num.* 3. fine.

Quæres 15. An regulares acquirant indulgentias ab Episcopis concessas.

34 Respond. Affirmatiue, quia licet ex cap. Quod autem 4. de pœnit. solis subditis prosint indulgentiæ, quia nullus à non suo iudice absolui potest, tamen in hoc religiosi subditi dicuntur Episcopo diœcesano, quia exempti fuerunt ab illis solum in odiosis, ideo & ego proposui Resol. 16. de potestate gratiosa Episcopi pro regularibus, vbi num. 15. id asserui, de licentia superioris regularis, quæ semper subintelligitur, cum agatur de re multum animæ fauorabili.

Quæres 16. An indulgentias Portiunculæ à Christo immediate impetrata per Sanctum Franciscum intelligatur reuocata, seu potius suspensa in anno Iubilæi? Et an veniat sub generali reuocatione quarumcumque indulgentiarum?

35 Respond. Hactenus nunquam reuocata fuit, vnde aliquibus dubitantibus audiui responsum ita fuisse; neque sub generali reuocatione venire potest, cum sit decorata specialissimo nomine, & vnica in toto orbe terrarum, à Christo Domino beato Francisco ore proprio tradita, & à summo Pontifice viuæ vocis oraculo nunquam defectuto confirmata.

Quæres

Quæres 17. An in eodem anno Iubilei ſancti intelligantur ſuſpenſæ indulgentiæ pro mortuis altarium priuilegiatorum? Et ſimiliter pro articulo mortis?

36 Reſpond. Negatiue Vicario Generali Imolæ his verbis. *Quod ſanctiſſimus Dominus noſter indulgentias omnes hoc anno Iubilæo in ſuſpenſo eſſe voluit, non abs re à te dubitatum eſt, nam & Altarium, quæ dicuntur priuilegia pro defunctis hoc numero comprehendantur. ſi quidem nulla de iis in pontificio diplomate ſigillatim facta eſt mentio? Itaque ſcrupulum omnem ea in re abiicias; aio tibi, altaria huiuſmodi nequaquam inter ſuſpenſas indulgentias recenſenda, neque enim paſſus eſt optimus Pontifex eccleſiæ Theſauros, qui Romam tantum proficiſcentibus hoc tempore erogantur, iis occludi, qui caritate in Deum nobis coniuncti huc venire, quemadmodum viuentes Chriſtiani, nequeunt. Quare eo magis danda eſt opera, vt hoc anno, qui iure vulgo ſanctus appellatur, ipſi quoque fideles defuncti piorum operum fructum, quo maxime indigent percipiant, quod præcipue te facturum confido, qui primus ea de re conſulere me voluiſti. Vale*

37 *Romæ Calend. Ianuarij* 1625. Quæ ratio ſuadet etiam pro articulo mortis, nam infirmi ita conſtituti procul dubio Romam permeare non poſſunt, ergo in tam graui neceſſitate illis ſubtrahendum non eſt huiuſmodi indulgentiæ beneficium. *Alfonſus de Leone part. 1. de Iubilæo queſt. 6. numero 142. 146. & 248. apud Ganantum in Addit. ad Manuale v. Indulgentia num 8. & 9.*

Quæres 18. An in lucranda indulgentia quinque altarium neceſſarium ſit orare ante ſingula diſtinctis vicibus.

38 Reſpond. Poteſt religioſus manendo ſuper in eodem ſitu etiam in choro ſuas orationes fundere, dirigendo intentionem ſuam ad particularia altaria, abſque eo, quod ad ſingula accedat, neque neceſſaria eſt aliqua diſtinctio, & motus corporis ad diſtinguendum vnam viſitationem ab alia, immo vnica competenti oratione ſatisfieri ſingulorum viſitationi per ſolam intentionalem diſcriminationem viſitationum, quia ea intentione huiuſmodi altaria concedentis ad lucrandam indulgentiam Viſitatio formaliter in eo ita eſſe videtur, vt oratio, quæ fit ad ſingula altaria mentaliter dirigatur, nam acceſſus ad illa quid accidentarium eſt ſolum ad bene eſſe inferens aliquid incommodi, quod non facit ad lucrum indulgentiæ, cum non præcipiatur peregrinatio, ſed viſitatio, quæ oratione perficitur. Ita communiter omnes quos pro ſe citat *Diana reſol. 8. de Indulg. referens Ioannem de Garnica* negantem, & Trullenchum requirentem inclinationem in ſignum diſtinctionis viſitationum.

Quæres 19. An quis ignorans Indulgentiarum reuocationem, illas lucretur ſi præſtet præſcriptum.

39 ℞. Indulgentia reuocata prodeſt lucranti ignoranti illius reuocationem, quia Papa non præſumitur reuocare niſi dependenter à cognitione eorum quibus conceſſa fuit, ne defraudentur in quæſitu indulgentiarum præſtatione operum ſine fructu eorum. Intellige, modo Papa non ſe declaret, velle reuocationem habere ſuum effectum independenter à notitia eorum quibus conceſſa fuit indulgentia. *Ita docent omnes cum Silu. v. Gratia num. 4 in terminis v. Indulg. num. 17. Bonac p. 8. de Indulg num. 8. Boſſius ſect. 1. de Iubilæo caſu 18. num. 7. alios plures referentes.*

RESOLVTIO LXXXII.

De poteſtate ſuperioris localis.

SVMMARIVM.

1 *Cenſurare poteſt ſuos ſubditos.*
2 *Vicarius abſente Priore cenſurat.*

3 *Prioratus eſt dignitas, & prælatura.*
4 *Dignitas, & prælatura quid.*
5 *Dignitas tria requirit.*
6 *Prioratus clauſtralis non eſt dignitas.*
7 *Omnis prælatura eſt dignitas non è contra.*
8 *Præſidentes ſunt prælati.*
9 *Prior liberam, & plenariam habet poteſtatem.*
10 *Abbatis nomine venit Prior, ſeu Guardianus.*
11 *Ea plena poteſtas limitata eſt.*
12 *Prior in certo ordine quid poſſit.*
13 *Caſus ſibi non reſeruat.*
14 *Ordines ad non licentiat.*
15 *Prædicatores non facit, licet factis vti poſſit.*
16 *Confeſſarios non approbat pro ſæcularibus.*
17 *Proceſſum formare non poteſt.*
18 *Carcerat inobedientem.*
19 *Publicum lectorem, vel doctorem non licentiat.*
20 *Peregrinandi ad remota non dat licentiam.*
21 *Accedendi vtique ad Generalem etiam Romam cauſa appellationis.*
22 *Decretum non petendi Romam non eſt contra appellantes.*
23 *Vicarium, & Procuratorem ſolus eligit ex vi Regulæ.*
24 *Procurator religioſus pro vtilitate conuentus.*
25 *Procurator electus à ſolo Priore ceſſat, eo amoto.*
26 *Procurator fit à Priore cum conuentu ex vſu.*
27 *A ſolo Priore adhuc tenet.*
28 *Prior iure æquiparatur Prouinciali.*
29 *Prior clauſtralis in certis caſib. eſt ordinarius.*
30 *Concedit aliis auditionem confeſſionis ſuorum ſubditorum.*
31 *Prioris eſt prima correctio.*
32 *Parochus propriè eſt.*
33 *Grauia non agit ſine licentia prouincialis reſidentis.*
34 *Exeundi petit ab eo licentiam.*
35 *Cenſurandi licentiam dat prior.*

QVæ dixi Reſolut. 58. & 66. de poteſtate ſuperiorum, & de ſubordinatione eorumdem ad inuicem faciunt ad intelligentiam præpoſitæ reſolutionis, ne vero his idem repetam recurre ad ibidem dicta.

Quæres autem 1. An poſſit localis ſuperior cenſuris ligare ſuos ſubditos.

1 Reſpond. Affirmatiue Reſol. 78. num. 13. & 26. quia iſti habent iuriſdictionem externam fori contentioſi, vt ibidem probaui, & colligitur *ex cap. Cum in eccleſiis, de maior. ibi Gloſ. v. Excommun. cap. Sicut, de ſimon. Megal. lib. 1. de cenſur. cap. 2. num. 26. Portel. v. Abbas 1. Gloſ. v. Anathematis, cap. 33. cit. de ſimon. Sayr. lib. 1. de cenſ. cap. 6. num. 13. Graff part. 1. lib. 4. cap. 4. num. 8. Bonac. q. 1. de cenſ. p. 2. n. 5.*

Quæres 2. An Vicarius à Priore conſtitutus ſuper ſuos ſubditos habeat hanc poteſtatem delegatam cenſurandi, licet de ea non fiat expreſſa mentio in literis Vicariatus, ſed ſolum dicatur in illis, quod conſtituitur Vicarius ad gubernationem monaſterij, & Fratrum, vel quod ſimpliciter creatur Vicarius? Quod eſt quæſtio, an ex conſtitutione ſequatur hæc poteſtas in Vicario?

2 Reſpond. Conſtitutus ſimpliciter Vicarius ſiue à ſuperiore, ſiue à capitulo, ſiue à Priore locali, ea vi huius conſtitutionis cenſetur habere delegatam poteſtatem corrigendi, & caſtigandi Fratres etiam per cenſuras, ſi opus ſit, & à fortiori Prior eidem expreſſe delegare poteſt hanc facultatem, Probatur per cap. Præterea 5. de off. deleg. ibi: *Et etiam contumaces ſeueritate eccleſiaſtica coercere etiamſi literæ commiſſionis id non contineant, quia ex eo quod cauſa ſibi committitur, ſuper omnibus, quæ ad cauſam ipſam ſpectare noſcuntur plenariam recipit poteſtatem.* Vbi per ſeueritatem eccleſiaſticam intelligitur cenſura præſertim excommunicationis, ſed Vicarius, ſeu Viceprior, aut ſubprior eſt delegatus ſui ſuperioris, ergo in delegatione cenſetur illi communicata poteſtas ferendi

 cenſuras.

censutas. Sed quoniam Viceptiores, dum Priores sunt præsentes, tales sunt potius in habitu, quam in actu, ideo Resol. 78. sub nom. 40. docui, hanc potestatem non exercere nisi in absentia superioris.

Quæres 3. An Prioratus sit dignitas, & prælatura.

Respond. Affirmatiue, quod ostenditur ex definitione vtriusque nam dignitas, & prælatura sunt gradus habentes adiunctam administrationem rerum ecclesiasticarum cum iurisdictione ordinaria fori externi, vt docent omnes canonistæ in cap. Decernimus de iudic. Sed prioratus est huiusmodi, nam Priores suorum conuentuum administrationem habent immediate, & iurisdictionem ordinariam fori externi in suos subditos, vt concedunt omnes, nam prioris est prima causa correctionis, *cap. Ea quæ de statu mon. cap. Quanto, de off. ordin.* vnde omnimodam potestatem habet in eos, qui in suo monasterio degunt. *Archid. in cap. de capellis 16. q. 2. n. 3. Innoc. in cap. Vt famæ, de sent. excom. Abbas in cap. Vt Ioannes, de regal. Nau. Com. 2. de Regul. n. 63. & consil. 6. de foro comp.* Ad hoc autem, vt quis dicatur esse constitutus in dignitate, & prælatura tria requirit *Rota decis. 4. apud Tamb. tom. 3.* Primum quod habeat administrationem rerum ecclesiasticarum cum iurisdictione sibi assignata. Secundum, quod habeat nomen dignitatis, & prærogatiuas in ecclesia tam in choro, quam in capitulo. Tertium, quod ex consuetudine ecclesiæ habeatur pro dignitate, *Archid. in cap. 1. de consuet. in 6. num. 8. cum aliis doctorib. ibi citatis.* Constat autem Priores, & superiores locales quouis deinde nomine appellentur in religionib. suis habere illa tria, ergo sunt prælati dignificati. Ita docent *Glos. v. Quaritur cap. 7. de consuet. in 6. cap. Nisi essent, de præbend. Clem. 2. de rescr. ibi Glos. v. Conuentualem, cap. Decernimus de iudic. cap. Dudum, de sepult. Rodr. tom. 1. q. 12. art. 6. Nau. consil. 6 de filiis presbit. Nald. v. Delegatus 1. fuse Peyrin. de Prælato q. 1. cap. 4. §. 4. à n. 69. alios citans.* Prioratus in ordinib. Monachorum non est dignitas, seu prælatura, quando est claustralis idest in eodem conuentu sub Abbate, vtique vero si sit conuentualis, vti est ille Prior, qui in loco Abbati non subditur, cum ibi non sit Abbatiatus, obseruant *doct. ex Clem. 2. de Rescr. & refert Nald. cit.* Nota autem quod omnis prælatura est dignitas, quia illi competunt ea tria sicut dignitati, non autem omnis dignitas est prælatura, quia multi dicuntur constituti in dignitate, vel dicas potius in personato, qui tamen aliquam non habent fori contentiosi potestatem, cuiusmodi sunt canonici nonnulli, & doctores. Præfecti in locum prioris amoti, aut mortui, aut perpetuo impediti ad residendum, sunt vere dignificati, & prælati, cum habeant ea omnia requisita, quæ habent Priores ipsi, nam loci sunt immediati superiores, & ordinarij habentes iurisdictionem fori externi.

Quæres 4. An prior habeat liberam administrationem rerum sui monasterij, & potestatem in subditos plenariam?

Respond. Superior localis de iure communi liberam habet administrationem, & plenariam potestatem, *cap. Nullam 18 q. 2.* vbi licet mentio sit de Abbate, tamen intelligitur etiam de quibuscumque superioribus localibus, quouis nomine appellentur siue Priores, siue Ministri, siue Guardiani, nam nomine Abbatis præcitati veniunt, *arg. cap. fin. de statu monach. Panorm. in cap. Cum illorum, de sent. excom. Sigism. Capucianus de elect. dub. 114. Rodr. tom. 1. q. 12. art. 1. & 5. cum suo Compend. resol. 1. num. 1.* De hac libera, & generali potestate loquitur *Lancellottus, Corradus in suo Templo omnium iudicium lib. 2. cap. 9. n. 15. ex Paulo de Castro, & Alex. in l. Item magistri ff. de pactis.* Vnde dicuntur habere potestatem quasi episcopalem, si alias illis non limitaretur à prælatis maioribus *ex Suar. tom. 4. de relig. tract. 1 lib 2. c 2 n. 13. & 14. apud Peyrin. de Subd. q. 1. cap. 11. §. 2. concl. 1. & de Prælato q. 1. cap. 4. num. 3.* Dixi, *de iure communi*, nam habito respectu ad superiores maiores, qui antiquitus non erant, superioribus localibus limitatur huiusmodi facultas, vt non se ingerant in causis grauioribus, quæ maioribus reseruantur *arg. cap. 2. dist. 12. cap. Multis 5. dist. 17. cap. Vt debitus honor. 59. de appellat.* & in mei ordinis Regula cap. 4. grauiora negotia reseruantur Generali.

Quæres 5. Quam potestatem habeat Prior in Tertio Ordine S. Francisci, tam de iure Regulæ, quam constitutionum, & vsu eiusdem ordinis?

Respond. ex cap. 5. Regulæ illis verbis. *Curet quisque suo & Cœnobij bono bene præsit, & quæ velit, honesta tamen, præcipiat, iubeat, & imperet, domus officia distribuat, errantem corrigat, delinquentem puniat. Rigorem, & abstinentiam Regulæ, siue Decretorum nostrorum, quoties vrgebit necessitas, ipsi Ministri ad tolerabilem clementiam, & æquitatem redigere possint.* Sequenti cap. 6. datur facultas eligendi sibi Vicarium, seu potius procuratorem, & œconomum domus, illis verbis *Idoneum familia sua virum in Vicarium eligat.* In alio cap. 7. eligebat virum bonum, & castum in præceptorem nouitiorum, nunc id munus præstatur in capitulo prouinciali, vnde sufficit, si eligat pro clericis professis, cap. 8. recipiunt ad religionem nouitios, ibi: *A cœnobiorum Ministris maiore Fratrum suorum parte assentiente nouitios semper recipi posse volumus,* cap. 10. Cum licentia Ministri, seu prioris Fratres possunt retinere pecuniam, & alia sibi necessaria, agere, negotiari, emere, vendere, vel commodare, cap. 13. dispensat in ieiuniis, & abstinentiis etiam ecclesiasticis iusta subsistente causa, cap. 14. Priores per se, vel per sacerdotes à se deputatos audiunt confessiones suorum subditorum, vt dicitur etiam cap. 22. & potest ex causa differre illis sacram communionem, alias faciendam prima Dominica cuiuslibet mensis, & transgressores, si admoniti intra triduum non paruerint, subiiciuntur pœnæ comestionis panis, & potionis aquæ tantum per biduum ieiunium. Ibidem dicitur, quod cæteri sacerdotes caueant, ne absoluant à reseruatis, ex quo cum sub illis verbis non comprehendantur Priores, hanc facultatem censentur habere, nisi id eis expresse prohibeatur docui Resol. 39. n. 39. cap. Autem 28. illis prohibetur fabricatio, & instauratio absque licentia Generalis.

Prior autem, seu Guardianus, & superior localis à multis remouetur, vnde non potest sibi casus reseruare *Rodr. tom. 1. q. 67. art. 5. Coriol. part. 1. sect. 1. de casib. reseruatis art. 4. docui Resol.* 37. n. 32. Licentiare ad ordines non potest, cum id munus spectet ad maiores ex cap. 21. Regulæ ex eodem Rodr. Neque instituere Prædicatores, cum pertineat institutio ad maiores ex eodem cap. 22. iam vero institutum admittere potest ad vnam, vel alteram concionem, seu sermonem inconsulto superiore. Neque confessarios sæcularium ex eodem capite. Neque processum formare contra subditum, cum illi concedatur sola facultas corrigendi Fratres sine figura iudicij formalis, cum formare processum inter grauiora computetur, quæ maioribus prælatis reseruantur. In casu autem scandali, certi, & inobedientia in pœnam suum subditum, carcerare potest, Resol. 58. n. 33. Neque licentiam concedere recipiendi publicam lecturam, aut gradum doctoratus, quia hæc excedunt eius autoritatem, quæ solum extenditur ad domestica suæ domus. Neque licentiare ad peregrinandum extra prouinciam in remotis, quod dico propter conuentus diuersarum prouinciarum non multum distantes, ad quos potest concedi licentia, vt inter Laudenses, & Cremenses, inter Placentinos, & Parmenses, &c. modica enim distantia, sicut magna quædam permittit, quæ alias non concederentur. l. Heres absens, arg. cap. Nihil, de elect. iuncta glosa v. Locorum distantiam. Sed quid si subditus grauatus appellet ad Generalem existentem Romæ, vel in alia remotiori prouincia an prior det licentiam adeundi illum? Nam sic videtur

dere

21 determinati cap. 20. Regulæ illis verbis. *Si quis legitima causa impulsus Generalem Visitatorem adire voluerit, libere dimittatur.* Ex alio capite videtur obstare
22 Decretum Clementis VIII. quo Fratres Romam petere non possunt, nisi cum licentia Generalis, aut Protectoris, seu Prouincialis dumtaxat, ergo Prior hanc facultatem petenti facere non potest. Dicas tu, aliud esse loqui de accessu voluntario, de quo illo Decreto, aliud de accessu prætextu recursus ad superiores pro grauamine tollendo, de quo non est sermo in Decreto Poterit ergo Prior licentiare suum subditum grauatum ad superiorem Generalem etiam Romæ existentem; ad id tamen non cogitur, quia recursus, & appellatio gradatim facienda est à Priore ad Prouincialem, ab hoc ad Generalem, proui dixi Resol. 32. de religiosis appellantibus.

Quæres 6. An Prior propria autoritate sine consilio, & consensu suorum subditorum possit eligere sibi Vicarium, Procuratorem, seu sindicum, sacristam, & similes officiales?

23 Respond. Vnusquisque inspiciat specialia statuta sui ordinis; de iure quisque prior suum sibi potest constituere Vicarium, Procuratorem, & similes officiales, probatur, quia id nihil aliud est, quam suam potestatem, & officium aliis communicare, & delegare; sed in deleganda potestate propria, & ordinaria nullus superior de iure communi indiget alterius consilio, neque consensu, cum ea ex natura legali delegabilis sit independenter à quolibet, ergo Prior ordinariam habens potestatem fungendi per se officio proprio, illud idem aliis delegare potest eligendo Vicarium, Procuratorem, Sindicum, &c. Et id patet ex allatis capitibus Regulæ nostræ in responsione præcedentis quæstionis. *Vide Peyr. tom. 2. priuileg. ad constit. 7. Pauli V. num. 43.* Colligitur id ex *Glos. v. Monacho, cap. Cum olim. 4 de priuil. per cap. Monachi, cap. Præsentium 16. q. 1. Glos. v. Abbate cit. cap. Monachi*, in quibus locis dicitur, quod religiosus potest esse procurator pro vtilitat. conuentus de licentia sui
24 superioris, *& Nau. consil. 12. de elect.* asserit. Priorem posse constituere procuratorem suo conuentui, nec prohiberi potest, & Puteus lib. 3. decis. 285. dicit, quod sola Abbatissa instituere potest ad litea procuratorem; *& Rota Romana decis. 37. de Procurat apud Nald. v. Prælatus num. 2.* dixit, procuratorem à
25 solo prælato institutum cessare per mutationem superioris, durare vero, quando ab eo simul cum conuentu institutus fuit, per *Anchar. in cap. Si duo, de procur. in 6. num 5. ex eodem Nald. v. Mandatum*
26 *num.* 15. Quare multis in locis Fratres procuratores instituuntur publico instrumento à superiore cum sui conuentus consilio, & consensu, vt hic Parmæ obseruatur apud omnes regulares, & alibi. Sed an valeret electus à solo superiore? Sic, eo officio du-
27 rante, quia per illum vsum creandi illos de consenso conuentus non intelligitur Prioribus sublata propria potestas, cum ea consuetudo sit ad cautelam sæcularium, cum quibus Procurator acturus est.
28 Nonnulla notabilia de Prioribus. Primo tantam potestatem habent, quantam prouinciales, docet Rodr. tom. 1. q. 17. art. 4. cum ea tamen differentia, quod Prouinciali in ea subduntur, ita quod eam illis limitare potest, & ex consuetudine, & statutis iam limitata fuit, iuxta superius dicta. Secundo Prior
29 claustralis inter Cassinenses monachos in certis casibus ordinarius est etiam Abbate præsente, & cum abest Abbas, dicitur iudex ordinarius, vnde potest omnia, quæ valet efficere Abbas, *Bertius tom. 4. ad*
30 *Rodr. tit. 2. cap. 4. num. 4.* Tertio concedit aliis facultatem audiendi suos subditos supra num. 12. *Beia part. 1. casu 16. §. Præterea*, etiam extraneis, *pro-*
31 *baui resol. 2. num. 13.* Quarto, Prioris est prima causa, & correctio *Nau. con 2. de Regul. num. 63. & dixi*
32 *hic sub num. 4.* Quinto Prior est proprie curatus, & parochus suorum subditorum *Fagund. lib. 8 de præceptis eccles. cap. 4.* dicitur proprius sacerdos suorum subditorum, *Faber. de Pænit. disp. 25. num. 89. iuxta cap. Omnis 12. de Pænit.* & curatis assimilatur, *Rodr. tom. 1. q. 17. art. 3. Mirand. tom. 2. q. 19. art 3. Peyrin. tom. 2. priuileg. ad constit. 7. Pauli V. num. 56.* Sexto,
33 grauia agere non debet sine conscientia sui Prouincialis residentis, *ex eodem Peyrino num. 51.* & volens
34 exire tenetur ex honestate petere licentiam a Prouinciali, & si negetur habetur pro obtenta ex eodem num. 52. quod non puto verisimile, quando legitimè negat licentiam, & in casu actualis visitationis monasterij potest absolute eidem negare exitum, nam tunc maxime est illi subditus, sicut alij.

Quæres 7. An Prior det licentiam suis subditis tradendi ad censum aliquam pecuniæ summam, vt ex eius fructibus possit sibi prouidere iuxta religionis vsum.

35 Respond. Potest solus vel per licentiam in scriptis datam in instrumento inserendam, vel per assistentiam, & nominationem eius in instrumento, dum pecuniæ exbursentur probando factum sui religiosi. Est autem necessaria huiusmodi licentia, quia religiosos non potest contrahere sine licentia sui superioris; & vt curet actum proprietatis.

RESOLVTIO LXXXIII.

De Calice, & Altari.

SVMMARIVM.

1 *Calix aureus, argenteus, vel saltem cupam argenteam inauratam habens.*
2 *Episcopus quorumcumque consecrat.*
3 *Abbates quoque etiam extraneorum.*
4 *Regulares non abbates non possunt.*
5 *Sacrificans in Calice non consecrato, qui tamen remanet consecratus p. m.*
6 *Arctum Calicem iniungit instrumento.*
7 *Instrumento ministrantur sacramenta Eucharistia, & Vnctionis.*
8 *Disecratur Calix non sola voluntate.*
9 *Sed fractione, qua vti non potest.*
10 *Amissione auri intra cupam.*
11 *Ictibus secundum aliquos.*
12 *Tangi non potest a laicis.*
13 *Inseruiens sacristia etiam nouitius tangit.*
14 *Calices vendibiles sunt.*
15 *Calice in necessitate quis vtitur ad bibendum.*
16 *Nulla pœna contra celebrantem in Calice non consecrato.*
17 *Altare aliud fixum, aliud mobile.*
18 *Abbates præter Episcopum consecrant altaria etiam aliena mobilia.*
19 *Altare consecratur celebratione.*
20 *Quolibet die consecrari possunt etiam in triduo.*
21 *Reliquia sunt de essentia consecrationis.*
22 *Consecratio in quibus casibus perdatur in altari.*
23 *Celebrans in altari non consecrato nullam pœnam incurrit.*
24 *Concilij decretum de non celebrando extra ecclesiam.*
25 *Non reuocat priuilegia de viaticis altaribus.*
26 *Altare de nouo constructum in ecclesia benedicta non eget*
27 *Altaria de nouo eriguntur in ecclesiis iam consecratis.*

CAlix & Altare sibi mutuo sunt in vsu sacrificij, neque enim fas est sacrificium extra Calicem etiam in Altari facere, neque illud idem offerre extra altare in Calice, immolatur ergo Christus Dominus in Calice super altario. Sed prius de Calice, postmodum de Altari quæramus.

Quæres 1. Ex qua materia debeat eſſe confectus Calix?

1 Reſpond. Miſſale Romanum ita decernit. *Præparat Calicem, qui debet eſſe, vel aureus, vel argenteus, aut ſaltem habere cupam argenteam intus inauratam, & ſimul eam patena item inaurata, ab Epiſcopo conſecratus.* Ita in tit. de præparatione ſacerdotis celebraturi, ex reliqua materia, vt vitrei, æris, aurichalchi, lignei conſequenter omnino prohibiti cenſentur, ex ligno *in cap. Vaſa* 45. ex ære, aurichalcho, aut vitro, *in cap. Vt Calix*, 44. *diſt.* 1. *de conſecrat.* Vide hic Gatantum nonnulla de vſu Calicis ratione materiæ reſpectu antiquorum referentem.

Quæres 2. Ad quem ſpectet conſecrare Calicem?

2 Reſpond. Ad Epiſcopum, vt ibidem expreſſe dicitur, qui non ſolum conſecrat Calices ſacerdotum ſibi ſubditorum, ſed etiam extraneorum ſibi illos offerentium, eſt enim fauor, gratia, & beneficium, quod conferri poteſt etiam in non ſubditum, & ſic conſecrat Calices non ſubditorum ſacerdotum tam ſæcularium, quam regularium, confraternitatum, capellarum, oratoriorum, & quorumcumque aliorum ad ſe accedentium; niſi adeſſet prohibitio ne quis accederet ad alienum Epiſcopum pro conſecratione, quamquam alioquin conſecratio teneret, quia per hanc prohibitionem Epiſcopo non aufertur poteſtas.

Quæres 3. An alij præter Epiſcopum poſſint conſecrare Calicem?

3 Reſpond. Abbates Ciſtertienſes habent priuilegium conſecrandi Calices, & altaria non ſolum eccleſiarum ſui ordinis, ſed etiam aliarum in ſuis eccleſiis, & hoc ex Bulla Innocentij VIII. *apud Tambur. tom.* 1. *diſp.* 23. *q.* 13. conſequenter poſſunt conſecrare Calices extraneorum tam ſæcularium, quam regularium. Quicquid fruſtra dubitet de hoc *Lezana part.* 1. *cap.* 18. *num.* 58. *& Mirand. tom.* 2. *q.* 40. *art.* 4. dicat hoc priuilegium qualemcumque illud ſit non communicari aliis Abbatibus, eo quod Abbates Ciſtertienſes ſunt benedicti, & in ſuis locis habent iuriſdictionem quaſi epiſcopalem, & multa illis conceduntur, quæ ad alios prælatos Abbates non extenduntur. Sed reuera hoc eſt verum priuilegium & in vſu, ac viridi obſeruantia eſt, eo quod facilius expediuntur ſacerdotes pro conſecratione Calicis, &c. accedentes ad Abbates, quam ſi recurrant ad Epiſcopos, qui raro huiuſmodi vtuntur benedictionibus. Simile priuilegium habent Abbates Caſinenſes, quod refertur ab eodem *Tambur. tom.* 1. *diſp.* 23. *q.* 1. *ad finem.* Abbates ergo regulares ſiue perpetui, ſiue ad tempus, benedicti, aut benedictione carentes in dictis priuilegiis communicant. Seculares vero non benedicti, neque Pontificalia exercentes prædicta conſecrare non poſſunt, *Suar. tom.* 4. *de relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 30. *n.* 2.

4 regulares prælatos etiam Generales non Abbates nequaquam poſſe conſecrare Calices, altaria, & campanas. *Vide quæ dixi Reſol.* 17. *initio.* Ex tenore illorum priuilegiorum videtur colligi conſecrationem faciendam eſſe ab Abbatibus in propria eccleſia, non vero in alienis eccleſiis, quod obſeruaui *reſol.* 68. *num.* 23. vbi probaui non poſſe puniri ab Epiſcopo, ſi extra conſecrationem celebrent n. 24.

Quæres 4. An ſi adhibeatur Calix non conſecratus, fiat conſecratus per ſacrificium ſanguinis Ieſu Chriſti in eo factum? Noſter Celeſtinus *in ſuo Compend. Theologia Moralis tract.* 8. *cap.* 5. *q.* 9. dicit, ſacerdotem poſſe celebrare in patena, & Calice nondum conſecrato, ſi alius ſacerdos bona fide cum ipſis miſſam ante celebrauit, quia per talem celebrationem benedicta remanſerunt, quem ſequitur *Diana reſol.* 69. *de celebr. miſſ. & part.* 5. *tract.* 13. *reſol.* 60. & quia eccleſia polluta, celebratione non eget alia reconciliatione ex communi doctorum; & quia Calix per contactum ſanguinis Chriſti ſanctificatur, ergo non indiget benedictione, & ſanctificatione. Et hoc eſt verum, quicquid dicat Lugo ab eo citatus.

5 Reſpond. Sacrificans in Calice non conſecrato peccat mortaliter, ſi hoc faciat ſcienter, quia in re graui ſe negligentes gerit transgrediendo mandatum eccleſiæ; bona fide, & inaduertenter excuſatur, & Calix remanet ſacratus, itaut deinceps non egeat benedictione, ſiue adhibeatur ab eodem, ſiue ab aliis ſacerdotibus, quod verum puto etiam ſi mala fide ſacerdos illos vſus fuerit ſciens non eſſe conſecratum, quia, bona, aut mala fides Calicem non conſecrat, aut execrat, ſed ſanguis, & corpus Ieſu Chriſti in ipſo, & patena miniſtratum, & ſicut ſacerdos ad huiuſmodi virtualem conſecrationem nihil confert, cum tota pendeat à confectione ſacramenti, ita neque illius bona, vel mala fides obeſſe, vel prodeſſe poteſt huiuſmodi ſacrationi, per quam Calix effectum eſt aptum vas, & ſanctum ad huiuſmodi miniſterium.

Quæres 5. Quomodo conſecrandus ſit Calix, quando Epiſcopus digitis contingere non poteſt fundum cupæ nimis ſtrictæ, & anguſtæ? an eo in caſu ſufficiat oleum infundere ſine tactu, an cum tactu mediato alicuius inſtrumenti? Quidam Epiſcopus talem anguſtum Calicem reiecit, quem in fundo digitis vnctionis contingere non potuit. Reſpond. Epiſcopus poterat illum Calicem inungere & conſecrare mediante aliquo inſtrumento, quod probatur à ſimili de inunctione infirmi tempore peſtis per virgulam argenteam, & de porrectione ſacramenti Euchariſtiæ, quod probabiliter poſſe fieri, de extrema vnctione docet ex Victorello *Poſſeuinus de officio Curati, cap.* 9. *num.* 25. *Capeilla de hoc ſacram. q.* 34. *& Siluius in part.* 3. *q.* 32. *art.* 3. *quos citando non reprobat Dian. reſol.* 147. *de ſacram. de ſacramento Euchariſtia idem Poſſeuinus cap.* 8. *q.* 35. quia licet horum ſacramentorum inſtrumentum proprium ſit manus ad hunc effectum conſecrata, tamen in caſu neceſſitatis inſtrumentum ſeiunctum ſiue argenteum, ſeu ligneum quadam ratione participat de ratione conſecrationis manus, per quam eleuatur ad ſpirituale opus, manus n. ipſa formaliter operatur, quicquid dicat *Bonac. q.* 5. *de Euchar. in fine ex Suar.* omnino huiuſmodi ſacramentum propria tantum manu conficiendum eſſe, quia ſic poſtulat reuerentia tanto ſacramento debita; ſed dic per ſimile inſtrumentum non derogari reuerentiæ huius ſanctiſſimi ſacramenti, conſuli vero infirmo, & ſacerdoti miniſtro, in caſu enim neceſſitatis, cuiuſmodi eſt tempus peſtilentiæ, multa conceduntur, quæ alias nullatenus licent. Non obſtat, quod manus ſit conſecrata ad miniſtrandum ſacramenta, non vero inſtrumentum inanimatum, quia id non eſt neceſſarium, nam etiam inſtrumentum, quo baptizandus aqua baptiſmali abluitur infuſione ſuper caput, non eſt conſecratum, & tamen ſacerdos eodem ritu vtitur, ergo pari ratione ſimile inſtrumentum adhibere poteſt Epiſcopus, dum in vnctione fundum calicis attingere non poteſt extremis digitis.

Quæres 6. Quomodo, & quando diſecretur Calix? Primo, an ſola voluntate eius qui conſecrauit deſecrari poſſit? Secundo, an fractione quacumque diſecretur? Tertio, an amiſſione auri? Quarto, an ictibus diſecretur?

8 Reſpond. Primo, ſola voluntate nullus Calicem diſconſecrare poteſt, ſiue ipſe conſecrauerit, ſiue alius, *docet D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 11. Ratio eſt, quia conſecratio ita eſt illi coniuncta, vt ſit inſeparabilis durante in ſuo eſſe formali Calice. Confirmatur à ſimili in ſacramentis, & ſacramentalibus, quorum effectum nullus miniſter ſeparare poteſt à ſubiecto, ita poſtulante natura harum rerum ſpiritualium.

9 Reſpond. Secundo Calix amittit conſecrationem fractione, quæ talis ſit, vt Calice ſacerdos vti non poſſit ad ſacrificium, eo quod amplius Calix non dicitur, cum in tantum dicatur Calix in quantum inſeruit ſacrificio, ergò illo vaſe non exiſtente Calice, neque

neque conscceratio vt illi accidens existere potest. Confirmatur à simili de altari fracto, quod perdit consecrationem, *cap.1 de consecr. eccl. Ita ex Vasquez Bonac. q fin de sacr. Euchar. p.9. num.18. Tambur tom.1. disp. 23. q.3. num. 3.* Si frangatur aliquid pedis, vel aliud quid, quo non obstante adhuc sit adhibilis non perdit consecrationem *Tabiena v. eod. n. 2.* Quando habet pedem tornatilem à cupa separabilem, si separetur siue consulto, siue casu, suam consceratiouem non perdit, quia huiusmodi separatio non est fractio, quæ consistit in discontinuatione alicuius totius vniti secundum omnes partes. Ita docent *Bonac. cit. n. 19, Tambur. num. 6. quamplures citans, Naldus v. Calix. n. 2. contra Silu. Armill. Tabien. v. eod. quos pro se citat Chetius in Thesauro animæ v. Calix.* Non solùm Calix tornatilis factus, vt aiunt *à vida*, sed etiam ille, cuius pes non continuatur cum cupa, sed separabilis est sine tornatura, si separetur secundum pedem, & cupam non perdit consecrationem, quia huiusmodi disiunctio fractio non est. Quid si in eo fiat fixura? perdit consecrationem, quia est quædam fractio impediens vsum Calicis; nec dicas impediri etiam huiusmodi vsum per separationem, quia impedimentum auferri potest sola coniunctione partium, in restauratione autem partium aliquid plus requiritur.

10 Respond. Tertio, amissione auri intra cupam in fundo præcipuè & notabiliter Calix disecratur, ratio est, quia Calix, vt instrumentum continens sanguinem Iesu Christi, & formaliter tale debet esse decentèr auratus intra cupam, vbi sanguis tangit, ergo si amisit deaurationem non amplius Calix est, cum Calix sit non simpliciter, sed Calix auratus, ergo propria amissa forma, desijt consecratio illi cohærens. Deinde aurum nouum non est consecratum, vt notum est, ergo indiget consecratione, nam in ea parte præcipuè requirit consecrationem. *Ita alijs citatis Bonac. q. fin. de Euchar. p.9 num. 18. Tambur. tom. 1. disp. 23. q. 3. num. 4. plures citans. Ghetius v. Calix.* Si parum auri deperditum sit, & aliud addatur censetur consecratum ex illa communi regula, quod maius dignum trahit ad se minus dignum. Ita præcitati *apud Tambur. tom. 1. disp. 23. q. 3. num. 6. Vide Dianam part. 1. tract. 15. resol. 3.* in oppositum, cui satisfit per dicta.

11 Respond. Quarto, à multis probatur ille vsus, quo Sacerdos Calicem ferro percutiens disecrat ad effectum, vt ab aurifice tangi, & restaurari possit, de quo *Nald. v. Calix num. 1. ex Vgolino, & Azorio, Tambur. tom. 1. disp. 23. q. 3. num. 6. ex Armilla ex alijs* ait disecrari etiam per ictus factos ab aurifice. Ab aliis id non probatur, vt Bonac. q. fin. de Euchar. p. 9. num. 18. fine, quia nullo iure apparet per illos ictus amittere consecrationem. In hoc casu ego dico, vel Calix restaurandus ab aurifice perdidit iam consecrationem, & sic potest decenter tangi ab artifice, cum non prohibeatur tangi Calix non consecratus, sed tantum consecratus, consequenter Calix non eget disconsecratione per illos ictus, cum iam sit disecratus; vel illam non amisit, vt cum parum auri cecidit, vel pes mouetur à cupa, vel quid simile patitur sine amissione consecrationis, & cum in hoc casu, qui est necessitatis, licitè tangi possit ab aurifice, frustra ictibus disecratur.

Quæres 7. An Calix, patena, & alia, quæ immediatè tangunt Corpus Christi à laicis tangi possint?

12 Respond. Non, sed à solis clericis in ordinibus sacris constitutis, deducitur *ex cap. Sacratas 24. dist. 23.* licet si bene textus perpendatur solis mulieribus id prohibeatur in quantum in illis se ingerere non possunt ministerialiter clariùs prohibeatur *cap. In sancta 40. cap. Vestimenta 41. dist. 1. de consecr.* esse peccatum veniale docet *Bonac. q. fin. de Euchar. p. 9. num. 20.* immo Bartolum. ab Angelo apud ipsum, putat nullum esse peccatum. Ex necessitate autem tangens, vt facit artifex nullum facit peccatum, ex dictis.

Quæres 8. An attenta ea prohibitione Regulares habeant priuilegium dandi licentiam tangendi Calices, & alia vasa sacra?

13 Respond. Statim ac aliquis religiosus siue clericus, siue laicus etiam nouitius deputatus est ad seruitium sacristiæ ex concessione Pontificia potest, reuerenter tamen tangere Calices, patenas, corporalia, & huiusmodi, vt expressè concessit sedes Apostolica Minoribus, & ad eorum instar Sixtus IV. Bulla incip. *Beatissime pater*, apud Confect. pag. 83. Eremitis Augustinianis. *Vide Rodr. tom. 2. q. 153. art. 2. cum suo Compend resol. 86. num. 1. & 3. Item & Tertiariis Sacristia inseruientes, quia & ipsi sunt personæ ecclesiastica, & gaudent priuilegiis Regularium resol. 56. num. 144.*

Quæres 9. An Calices venales sint?

14 Respond. Calices vendi possunt tam post vsum, & consecrati, quàm ante vsum, & teneri possunt in hypotecis. Quod sint venales quo ad materiam præscindendo à consecratione, constat, ex eo, quod nemo cogitur eas gratis dare, ergo vendibiles sunt. Post vsum si fiunt inutiles frangi debent, & sic vendi illa materia, cum tunc nullo modo vendatur Calix, sed materia ex qua erat confectus; præterea Calix disecratus non amplius dicitur formaliter Calix, cum de eius ratione sit consecratio, ergo vendi potest. Nondum consecrati, vel execrati possunt teneri in hypotecis in loco decenti, vt vendantur, quod oculis omnium patet.

Quæres 10. An quis vase ad bibendum carens vti possit Calice?

15 Respond. Sic Nauar. consil. 38. de Voto num. 16. in casu necessitatis; sed rarò videtur posse contingere casus, qui est potius speculatiuus. Sacerdotes extra missam communicantes præsertim in die Cœnæ Domini se purificant Calice cum vino.

Quæres 11. An sit aliqua iure pœna statuta contra celebrantem in Calice non consecrato, vel constante ex alia materia, quam ab Ecclesia determinata, supra in q. 1.

16 Respond. Nulla reperitur ipso iure imposita, sed tantùm imponenda per cap. fin. de celebr. missar. vbi, ab officio, & beneficio deponendus est ille sacerdos, qui in vase ligneo, vel sine aqua, & igne, vel in pane fermentato sacrificat.

17 Modo agendum est de Altari; accipi autem potest dupliciter; primo pro tota fabrica à solo Ecclesiæ erecta, & eleuata ad talem altitudinem, supra quam Sacerdos commodè sacrificare possit, & disponitur in figuram quadratam oblongam: Secundo accipitur pro lapide marmoreo super quod reponuntur Calix, & hostia pro mysterio sacrificij, similiter figuræ quadratæ regulariter perfectæ, tantæ extensionis, supra quam commodè collocari possit Hostia, & Calix pro consecratione, & vulgo dicitur *Lapietra sagrata.* Illud vocatur fixum, & stabile; hoc verò dicitur mobile, & portabile Tamb. tom. 1. disp. 23. q. 4. In Missali tit. 20. de præparat. Altar. de vtroque fit mentio his verbis. *Altare, in quo sacrosanctum missæ sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, & ab Episcopo consecratum, vel saltem ara lapidea similiter ab Episcopo consecrata qua tam ampla sit, vt hostiam, & maiorem partem Calicis capiat,*

De Altari fit mentio in dist. 1. de consecr. cap. Ecclesiæ 17. illis verbis. *Ecclesiæ, vel altaria, quæ ambigua sunt de consecratione consecrentur,* cap. sequenti 18. sic dicitur. *Si motum fuerit altare denuo consecretur ecclesia.* Sermo est de altari principali, & maiori titulo Ecclesiæ, quod destructum, mutatum, & denouo contractum consecrandum est, vt colligitur ex Glos. ibidem, cap. 25. mandantur euerti altaria, quæ sine reliquiis sanctorum eriguntur, intellige de illis, quæ carent ara lapidea, in qua sola affiguntur reliquiæ sanctorum, cap. 30. prohibentur altaria chrismate vngi, nisi fuerint lapidea, & sequenti cap. 31. mandantur chrismatis vnctione, & sacerdotali benedictione sacrari, cap. 1. de consecr. eccles. vel altaris dicitur. *Ad hac si altare mo-*

tum fuerit, aut lapis ille solummodo superpositus, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus debet denuò consecrari. Sermo hic est de vtroque altari fixo sub nomine altaris, & portatili sub nomine lapidis, *cap. Cum sis 5. eod.* dicitur, quod plura altaria simul in eadem Ecclesia consecrari possunt, *cap. Ligneis 6.* decernitur, non esse consecrandum altare, quando tabula eius non fuit mota, vel enormiter læsa. Prædicta iura maximè loquuntur de altari portatili, seu ara, super qua conficitur sacrificium sermo est præterea, cap. Non oportet, 28. dist. 1. de consecr. ibi: *vel altaria portare.* Item cap. Concedimus 59. ead. ibi: *In capellis cum tabula consecrata missas interim celebrare permittimus.* cap. fin. de priuileg. in 6. vocatur altare viaticum, quo per viam peregrinantes vtuntur. Hoc ergo altare vocatur Motatile, Portatile, Viaticum, Ara, Lapis, & Tabula. Alterum vero vocatur simpliciter Altare, & fixum, Mensa, & fundamentum, super quo ponitur Ara. Ad clariorem prædictorum cognitionem prosequamur quæstiones.

Quæres 12. An præter Episcopum saltem Abbates possint consecrare altaria tam fixa, quàm portatilia?

18 Respond. Possunt, vt adductis priuilegiis docet *Tambur. tom. 1. disp. 53. q. 4. & 5.* & procedit tam respectu propriæ Ecclesiæ, quam extranearum loquendo de ara, non autem de altari fixo in Ecclesiis sæcularibus. *Vide Rodr. tom. 1. q. 58. art. 2. cum suo Compend. & Portel. v. Altare, Diana resol. 15. de dub. regul.* De iure tamen communi, exclusis priuilegiis, altaria consecranda essent solùm ab Episcopo, *cap. Interdicimus* 10. 16. *q.* 1. Quo ad altare fixum extraneum Episcopis recusantibus, similiter Ecclesias, & cæmeteria consecrare, ex priuilegiis suis, possunt regulares recurrere ad alium quemcumque Episcopum, vt docent præcitati cum Tambur. q. 8.

Quæres 13. An per celebrationem altare de non consecrato fiat consecratum?

19 Respond. Altare nondum consecratum, vel etiam desecratum euadit consecratum per celebrationem in eo factam siue bona, siue mala fide, ratio tum ex D. Chrysostomo homil. 20. in 2. ad Corinth. ibi. *Lapis quidem natura est, sanctum autem fit, quoniam corpus accipit Christi*; sed tunc lapis seu altare dicitur accipere corpus Christi, quando in eo celebratur, ergo celebratione consecratur; tum quia consecratur altare vt receptione virtutis spiritualis reddatur aptum ad diuinum cultum; sed magis redditur aptum per contactum corporis Christi, quam per verba formalia consecrationis, ergo celebratione consecratur, non enim minus operatur factum, immo plus quàm verbum. *l. Non tantùm ff. rem ratam habet.* Ita docet Pasqualigus *decis.* 45. Procedunt stante etiam mala fide, ab ea enim talis consecratio non dependet, sed à celebratione, vnde neque contraria voluntas celebrantis potest impedire consecrationem, quæ impediretur si verbalis esset, hæc enim pendet ab intentione agentis. In vtroque autem casu sic agens peccat mortaliter, quia transgreditur præceptum in re graui.

Quæres 14. An quolibet die possint altaria consecrari?

20 Respond. Sic ex cap. Tua, de consecr. vbi dicitur, quod quolibet die potest Ecclesia consecrari, ergo & altare arg. à maiori ad minus. Vide Pasqualigum decis. 49. negantem sub mortali in Tridentino posse fieri consecrationem Altarium, quod mihi non probatur, quia neque expressè, neque implicitè id prohibetur, sicut neque in magnis festiuitatibus, in quibus fideles magna accedunt deuotione, & pio affectu erga Deum in his spiritualibus exercitiis, per quæ neque ordinaria prætermittuntur.

Quæres 15. An reliquiæ in altaris consecratione sint de essentia? Negant plures *cum Reginaldo lib 29. tom. 2. cap 6. num. 190. Angel. v. Altare, 3. Suar. Soto, & alij cum Compend. resol. 9. num. 9. quos pro se citat Pasqualigus decis. 46.* quia nullum extat præceptum de reliquiis ponendis in ara, nam cap. Placuit dist. 1. de consecr. & cap. Non oportet, eod. id non præcipitur, sed in primo occurrit abusui, quo passim, & in agris celebrabant ex quadam vana obseruatione, & in secundo, quod celebrent solùm in Ecclesiis, vbi Martyrum reliquiæ sunt depositæ, & non extra in campis. Confirmat, quia antiqua Missalia id innuunt, dum præscribunt omittenda esse in illa verba. *Quorum reliquiæ hic.* In ingressu altaris, si desunt reliquiæ.

21 Respond. Sunt de essentia, quod probatur non solùm per illa capita præcitata, in quorum primo dicitur, quod euertantur altaria, quæ sine sanctorum reliquiis eriguntur, in secundo, quod super monumenta in campo non distribuantur sacra mysteria, sed in Ecclesia, vbi Martyrum reliquiæ sunt dispositæ; sed celebratio fit super altari, ergo sine reliquiis consistere non potest; sed etiam *per cap. De fabrica 23. dist 1. de consecr.* in quo Sanctuaria. i. reliquiæ ablata rursus reponi mandantur pro celebratione, ergo reliquiæ in altari sunt de præcepto. Meum Missale antiquissimum de anno 1513. excussum continens Rubricas editum à Ioanne Burcardo Magistro Cæremoniarum Papæ, refert dictam orationem sine illa limitatione, simpliciter dicendam, quod & reperitur in Missalibus nouis, vnde illa exceptio potius adulterina est, quam rationabilis, cum sit contra prædicta iura, quæ prohibent celebrationem in altari carente reliquiis. Demum de illis fit mentio in forma consecrationis, ergo sunt de illius essentia, forma enim ea primis essentiam rei. *Ita docent Archid. in cit. cap. Placuit, Silu. Tabien. v. Altare, Bonac. disp. 4. de sacram. q. fin. p. 9. num. 13. quos & alios contra se citant Pasqualigus decis. 46. & Tambur. tom. 3. disp. 23. q. 6.*

Quæres 16. In quibus casibus altare perdat consecrationem? Pro eius resolutione replicanda sunt iura superius adducta, vt ex illis colligatur in quibus casibus altare sit reconsecrandum, quæ sunt quatuor primum cap. Si motum 18. dist. 1. de consecr. his verbis. *Si motum fuerit altare denuò consecretur.* explicat glosa. i. mensa principalis ipsius altaris, nam lapis, seu ara est remouibilis sine amissione consecrationis. Secundum, est cap. 1. de consecr. *Ad hæc si altare motum fuerit, aut lapis ille solummodò superpositus, qui sigillum continet confractus, aut etiam diminutus debet denuò consecrari.* Sermo est de vtroque altari iuxta nostram acceptionem, vt suprà dixi. Tertium est ibidem cap. Quod *Altare verò in quo tabula, cui consecrationis benedictio pontificali ministerio adhibetur: si mota, vel enormiter fracta fuerit debet non immeritò consecrari*, cap. Ligneis 6. ibi: *Cum parietes in sua integritate permanserint, & tabula altaris mota, vel enormiter læsa fuerit, ob causam prædictam nec Ecclesia, vel altare debet denuò consecrari.*

22 Respond. Tunc altare perdit consecrationem, quando motum est, hæc autem motio contingere potest quadrupliciter. Primo quando vetus destruitur & nouum reædificatur, perditur consecratio ex citatis capitibus. Secundo, quando ex parte diminuitur sed non destruitur, nec additur, tunc retinet consecrationem si minor sit pars addita, quia assumit conditionem totius, dicitur restringi, & reformari ad commoditatem, vel ornatum. Tertiò per augmentum, vt si illi addatur pars aliqua, quæ si erit minor, adhuc altare suam retinet consecrationem, & maior pars iam consecrata trahit ad suam qualitatem minorem, & sic euadit consecrata. Quartò per transportationem à loco ad locum, & cum remanet totum altare in sua forma non perdit consecrationem, est enim hæc mutatio extrinseca ratione loci insufficiens ad desecrationem. *Suar. tom. 3. in part. 3. disp. 81. sect. 5. cum aliis citatis à Pasqualigo decis. 41.* Quintò separatione mensæ à fundo, seu structura inferioris partis desecratur, quando ipsa constat ex pluribus lateribus coctis, non verò si sit vnius lapidis marmorei, licet calce coniuncti,

ratio

ratio est, quia altare non dicitur moueri, seu destrui, aut mutare suam formam, nisi per remotionem mensæ ex pluribus coctis lateribus. Sextò destructione parietis, cui adhæret altare non execratur, quia altare non mouetur, neque frangitur, sed solus murus, *Silu. q.8. & cum eo Pasqualigus decis.* 42. etiam quando totum altare sustentatur à pariete, eo quod mensa illi affixa est, quia altare adhuc manet integrum, & ei tunc supponi potest aliquid pro sustentaculo. Septimò, inferiori parte fracta, amota vel destructa, non desecratur altare, quando mensa remanet, vt contingit, quando vnius est lapidis marmorei, quia altare propriè, & simul ara est ipse lapis, sicut & altare portatile. Octauò demùm Altare portatile hoc est lapis sacratus execretur si sigillum reliquiarum remoueatur, vel lapis ipse ita frangatur, vt non possit capere Calicem, & Hostiam, non autem si frangatur in capitibus, vt colligitur ex citatis textibus.

Quæres 17. An iure aliqua pœna afficiantur celebrantes in altari non consecrato, vel disconsecrato?

24 Respond. Nulla pœna inuenitur, arg. cap. fin. de celebr. miss. poterit suspendi, seu deponi, vt in eo puniatur, in quo deliquit, cap. Literas 13. de temp. ordin. cap. Cùm olim 33. de off. deleg. cap. An sit 42. de appell.

Quæres 18. An priuilegia celebrandi in altari viatico in quouis decenti loco sublata sint regularibus per Trident. sess. 22. in decreto de Obseru. & euit. in celebr. missæ, illis verbis. *Neque patiantur* Episcopi *priuatis in domibus atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinariis designanda, & visitanda, sacrosanctum hoc sacrificium a sæcularibus, aut regularibus quibuscumque peragi.* Reuocata esse tenent, *Nau. cap.* 25. *num.* 82. *Mirand. tom.*1. *q.*40. *art.*9. *concl.*4. cum aliis citatis à Barbosa super dictum decretum num. 22. à Pasqualigo decis.

25 54. nobiscum sentiente, priuilegia regularium sublata non fuisse per Tridentinum, quod præcisè tantùm mandat Episcopis, vt prohibeant sacerdotibus etiam regularibus, ne celebrent extra Ecclesiam, vel in domibus; quandiu ergo Episcopi de facto non prohibebunt hoc, poterunt regulares vti suis priuilegiis, *vt docent Portel. v. Altare num.* 1. *Compend. resol.* 9. *num.* 4. *Pasqual. cit. decis.* 54. *&* 55 *qui decis.* 55. ait licitum esse Episcopis vsum altaris viatici, etiam extra propriam diœcesim decis. 56. quia Tridentinum non damnat talem vsum, sed eisdem Episcopis mandat, ne permittant aliis sacerdotibus celebrationem extra Ecclesias, vel oratoria non approbata.

Quæres 19. An altare de nouo constructum in Ecclesia iam benedicta sit consecrandum, seu benedicendum? an verò sufficiat superpositus lapis sacer?

26 Respond. In eo potest celebrari, quamuis non sit consecratum, neque benedictum, quod probatur, Tum ex Rubrica missalis verbis. *Altare, in quo sacrosanctum missæ sacrificium celebrandum est, debet esse lapideum, & ab Episcopo consecratum, vel saltem ara lapidea similiter ab Episcopo consecrata.* Ex quibus verbis liquet sufficere consecrationem aræ lapideæ; particula enim *Saltem* est diminutiua vnius contenta cap. 11. & 13. sess. 23. in Tridentino, Barbosa v. eod. per iura, & doctores ab eo allegatos, & pariter subsidiaria ex ibi annotatis. Tum quia in Rituali Pauli V. in benedictione primi lapidis, & Ecclesiæ seu oratorij constructorum nulla fit mentio de speciali benedictione altarium, ergo eorum consecratio, neque benedictio necessaria est. Ita videntur sentire *Rodr. tom.*1. *quæst.*28. *art.*1. *Compend. resol.*9. *num.*1. In iure autem nomine altaris, quod consecrandum est ex necessitate venit ara, quod vulgariter vocatur *La pietra sagrata.* Bonac. *q. fin. de Missa p.* 9. *num.*8.

Quæres 20. An Regulares in suis Ecclesiis altaria de nouo erigere possint, vel erecta destruere, aut mutare sine licentia Episcopi? De iure communi, erigi non possunt altaria in Ecclesia consecrata vtique verò in eadem solùm benedicta, ea ratione, vt sit discretio inter sacrum, & non sacrum, *cap. Quamuis* 4. *dist.* 68. *cap. Nullus* 14. *dist.* 1. *de consecr. iuncta Glos. prioris cap. Silu. v. Altare num.*2.

27 Respond. Regulares iure suorum priuilegiorum in propriis Ecclesiis siue consecratis, siue benedictis possunt erigere altaria, & erecta destruere, aut immutare, vt videre est *apud Compend. priuileg. v. Altare, v. Ecclesia, v. Ædificare, & apud Rodr. tom.*2. *quæst.*49 *art.*3. 4. *&* 5. Nec obstat ratio adducta, quia tota Ecclesia iam consecrata vti quid dignius trahit ad se minus dignum, & sic altare participat de consecratione, aut benedictione totius Ecclesiæ, præterquam quod sufficit consecratio lapidis sacrati. Facit, quod aqua non benedicta benedictæ apposita efficitur benedicta, si in minori quantitate apposita fuerit.

RESOLVTIO. LXXXIV.

De Filiatione Spirituali.

SVMMARIVM.

1 *Filiatio spiritualis quid sit.*
2 *Opus bonum satisfactorium, & meritorium, seu impetratorium.*
3 *Differunt tripliciter.*
4 *Satisfactorium requirit intentionem eius à quo fit, non sic meritorium.*
5 *Minuitur ex multitudine participantium, non sic meritorium.*
6 *Non potest post factum applicari, vtique meritorium.*
7 *Filiatio differt ab indulgentia, quæ exhauritur ex thesauro Ecclesiæ, illa verò ex bonis præsentibus, vel futuris religionis.*
8 *Vsus eius antiquissimus etiam ante ordines Mendicantium.*
9 *Prælati etiam locales concedunt illas.*
10 *Conceduntur etiam non benefactoribus.*
11 *Fingens se benefactor non gaudet, si fuit causa finalis.*
12 *Opera a religiosis fiunt vel necessariò, vel voluntariè.*
13 *Sola necessaria subduntur concessionibus.*
14 *Maiores Prælati negare possunt inferioribus has concessiones.*
15 *Bona iam præterita non communicantur nisi quoad meritum.*
16 *Vnusquisque est particeps iuxta intentionem concedentis, & propriam deuotionem.*
17 *Bona peculiaria, quæ in meo ordine applicantur benefactoribus.*
18 *Defunctis quoque conceduntur.*
19 *Id autem non est concedere indulgentias.*
20 *Non spirat morte concedentis.*
21 *Reuocari possunt licet ignoret benefactor.*
22 *Formularium extenditur.*
23 *Concessa viuis non extenduntur ad eosdem post mortem.*

NOn est hic sermo de Filiatione spirituali contracta ex sacramentis baptismi, & Confirmationis, seu etiam Pœnitantiæ, sed de quadam alia contracta per communicationem bonorum operum à Prælatis regularibus factam benefactoribus suorum monasteriorum, quod originem trahit ab articulo nono: *Communionem sanctorum*: iuxta illud Dauidis. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Superiores ergo regolares benefactoribus, & aliis concedentes literas filiationis faciunt participes eosdem bonorum operum, orationum, disciplinarum, & similium suffragiorum, quæ in religione fiunt.

Notant Doctores *cum S. Thoma in* 4. *dist* 45. *q.*2. *art.*1. *quæst.*4. *Corduba lib.*5. *art.*5. *q.*42. *Rodr. tom.*1. *q.*33. *art.*

art.2. quos & alios citat Peyrin. de Prælato q.3. cap.6. n.2. Bonac. de Suffrag. p.1. n.2. Bona opera duplicem habere 2 valorem ſatisfactorium, & meritorium, illud remiſſiuum pœnarum culpis iam deletis debitarum, hoc verò impetratorium alicuius boni, quod eſt præmium eius operis, quod dicitur meritorium; dixi meritorium, ſeu impetratorium in opinionem eorum, qui non malè ſentiunt, neminem poſſe alteri mereri 3 ſed tantùm impetrare. Differunt autem inter ſe ſatisfactio, & meritum tribus modis; primò namque opus ſatisfactorium vt ſit, faciendum eſt cum inten- 4 tione ſaltem virtuali ſatisfaciendi, eſt enim actus iuſtitiæ, quod voluntariè, & in particulari faciendus eſt, aliter factum ſine tali intentione ſuum non ſortitur effectum, ſed reponitur ſtatim in theſauro Eccleſiæ, ſi in ſpecie nulli applicatur; ad opus verò meritorium talis intentio non requiritur, ſed à ſuperiore applicari poteſt, quamuis operans illud ignoret, quia illi non fit præiudicium, ſicut fit reſpectu ſatisfactionis, quando ſingulariter pro ſe indiget ſatisfactione, non verò ſi benè agat in communi cum aliis, quorum bona com- 5 munia Prælatus applicare poteſt benefactoribus. Secundò, opera in ratione ſatisfactionis minuuntur ſi plures ſunt participantes, ex parte operantis, qui finitam habet operationem; in ratione verò meriti quò plures ſunt participantes, & merentes, eò magis augetur meritum, ita quod vnum alteri non nocet, ſed prodeſt, iuxta illud. *Particeps ego ſum omnium timentium te.* Tertiò, opera ſatisfactoria ſi non applicantur ante fa- 6 ctum, vel fieri, non poſſunt amplius applicari quo ad ſatisfactionem, quia ſtatim reponuntur in theſauro Eccleſiæ, quo ad meritum verò ſemper poſſunt applicari quia ea hoc capite non pertinent ad theſaurum 7 Eccleſiæ, qui tantum ſatisfactorius eſt: ex quo patet differentia inter indulgentias, & filiationes, nam illæ à ſolo Papa applicantur ex bonis præteritis, ſuffragia verò, & filiationes ex bonis operibus in fieri, & antecedenter, & non accipiuntur ex theſauro Eccleſiæ, ſicut indulgentiæ. His prænotatis.

Quæres 1. An is vſus communicandi benefactoribus bona opera, quæ fiunt in religionibus ſit antiquus? & quo iure Prælati id efficiunt?

8 Reſpond. Vſus eſt antiquiſſimus, de quo fit mentio in cap. Cum dilectus 3. de ſucceſſ. ab inteſt. ibi: *Archipresbiter de Alterio ad participationem orationum monaſterio de Bruſia obtulit ſe, & ſua.* & eſt decretalis Innocentij III. electi de anno 1198. & id faciunt iure communi, docent Nau. tom.4. Miſcell. 11. de orat. §. Sextò, per cap. Nullam 9.18. q.2. ibi: *Ad quem poteſtas tota pertinere conuenit*, vbi non ſolùm ſermo de poteſtate in ordine ad ſpiritualia, vt apertè colligitur ex textu ibi: *Vt de cætero fideliter, & ſtudiosè vniuerſa, quæ vel diuini cultus*, cuiuſmodi ſunt ſacrificia, ſuffragia, & orationes, *reuerentiam, vel ad vtilitatem eiuſdem monaſterij pertinent*, cuiuſmodi ſunt temporalia. Et id de ſe conſtat, quia vnus pro alio orare poteſt, iuxta illud Iacobi 5. *Orate pro inuicem, vt ſaluemini*, ergo à fortiori Prælatus applicare poteſt orationes ſaltem communes, quæ fiunt in ſua religione, non ſolùm iure communi & ex natura orationum, quæ communicabiles ſunt, ſed etiam iure priuilegij, quod Vrbanus V. conceſſit Generalibus, & Prouincialibus Minorum, apud Compend. v. Indulgentiæ conceſſæ exhibentibus Fratribus Minoribus aliqua opera pietatis num. 6. & eſt Bulla eiuſdem Pontificis. *Rodr. tom. 1. q. 33. art. 2. Cum ſuo Compend. reſol. 14. num. 1. Mirand. tom. 2. q. 50. art. 1. Tambur. tom. 2. diſp. 9. q. 3. Peyr. de Prælato q. 3. cap. 6. n. 8. Suar. de Pœnitent. diſp. 55. ſect. 5. num. 6.*

Quæres 2. An omnes Prælati locales, Prouinciales, & Generales poſſint benefactoribus, & aliis concedere huiuſmodi filiationes?

9 Reſpond. Affirmatiuè iuxta vniuſcuiuſque iuriſdictionem, nam prior communicare poteſt orationes, & ſuffragia quæ fiunt à ſuis ſubditis, ſic Prouincialis, quæ fiunt à tota Prouincia, & Generalis, quæ fiunt in tota religione, ratio eſt, quia vnuſquiſque eorum poteſtatem habet ſuper ſuos ſubditos tam quo ad temporalia, quam quo ad ſpiritualia bona, ergo de illis diſponere poteſt. *Ita docent Rodr. tom. 1. q. 33. art. 2. Tambur. tom. 2. diſp. 9. q. 3. n. 7. Peyrin. de Prælato q. 3. n. 10.*

Quæres 3. An præter Benefactores poſſint ſua bona ſpiritualia concedere aliis non benefactoribus?

10 Reſpond. Sic, quia cum bonum ſit ex ſui ipſius natura diffuſiuum, vt dicitur, in communicatione limitationem non recipit, ergo indifferenter communicabile; nec obſtant priuilegia de ſuperioribus maioribus loquentibus quia illi tantum exprimuntur honoris gratia ob illorum excellentiam, non priuatiuè ad inferiores Prælatos. *Ita Rodr. tom. 1. q. 33. art. 6. Mirand. tom. 2. q. 50. art. 5. ex illis Peyr. de Prælato q. 3. cap. 6. n. 13.*

Quæres 4. An ſe fingens benefactorem, qui non eſt, validè obtineat huiuſmodi Filiationes?

11 Reſpond. Negatiuè, quando conditio beneficij eſt in cauſa huiuſmodi conceſſionis, ſine qua non fuiſſet conceſſa Filiatio, & quia ceſſante cauſa ceſſat effectus, *cap. Etſi Chriſtus de iureiur.* & quia cauſa non ſubſiſtente datum, reſtituitur, ſeu non cenſetur datum c. 5. *de donat. inter vir.* Quod ſi ſuperior ſit facilis ad recipiendum quoslibet ad participationem allegata cauſa beneficij non eſt finalis, neque motiua, ſed tantùm impulſiua, & occaſio libenter inducens ad conceſſionem, quod alias etiam indulſiſſet, licet non ita libenter. Ita ex Doctoribus mox præcitatis colligitur.

12 Quæres 5. An Prælati poſſint benefactores admittere ad quæcumque bona quæ fiunt à ſuis ſubditis? Nam bona à religioſis fiunt duplici modo, vno in communi ex inſtituto religionis, vt ſunt recitatio diuinorum officiorum in Eccleſia, aliæ orationes tam vocales, quam mentales, quæ fiunt ab omnibus ſimul in loco deputato, diſciplinæ, conciones, adminiſtrationes ſacramentorum, &c. alio modo in ſpeciali, & priuatim de hoc nulla extante obligatione Regulæ, aut ſuperioris præcepto, & hæc vtroque modo ſumpta ſpectari poſſunt tam quo ad ſatisfactionem, quam quo ad meritum, ſeu impetrationem.

13 Reſpond. In poteſtate eſt Prælati admittere benefactorem ad participationem bonorum operum primi generis, quæſt. 5. præcipiuntur à Regula, ſeu ſtatutis, vel ſuperiore facienda ſiue in communi, ſiue in particulari ab illo, vel illo religioſo tam quo ad ſatisfactionem, quam quo ad meritum, ſeu impetrationem, quia hæc ſunt ſub dominio ſuperioris, cui ſubditus ſe, & ſuam voluntatem ſubiecit. Secundi verò generis opera, quæ religioſus ſponte ſua facit ſuperior aliis applicare non poteſt, niſi de illius expreſſo conſenſu, quia hæc ſunt ipſi propria, & eorum dominium habet, vnde ſuper ipſis ſuperior non poteſt, quo ad actum ſatisfactionis, quo ad impetrationem verò & actum meritorium quæcumque bona etiam particulariter facta, Prælatus applicare poteſt, quia ſubdito non præiudicat. *Ita Rodr. tom. 1. q. 33. art. 4. cum ſuo Compend. reſol. 14. num. 4. Peyrin. de Prælato q. 3. cap. 6. num. 3. Mirand. tom. 2. q. 50. art. 3. Suar. de Pœnit. diſp. 55. ſect. 5. num. 8. Tambur. tom. 2. diſp. 9. q. 3. num. 3. & 5.*

Quæres 6. An Generalis, ſeu Prouincialis poſſint prohibere, ne inferiores Prælati concedant huiuſmodi literas communionis? *Peyrinus de Prælato q. 3. cap. 6. num. 11. & ex eo Tambur. cit. num.* 8. negat ſimpliciter huiuſmodi prohibitionem, quia id habent ex iure communi, & priuilegiis pontificiis, quibus derogare non poſſunt inferiores, concedunt verò id poſſe fieri ex cauſa in aliquo caſu.

14 Reſpond. Poſſunt ſimpliciter id prohibere, quia inferiores in vſu priuilegiorum dependent à ſuis ſuperioribus, vt probaui in materia de priuilegiis, neque id prohibere eſt contra charitatem proximi, quia inferioribus petentibus Prælatus maior ſe illis fauorabilem facilè oſtendit.

Quæres-

Quæres 7. An Prælatus in concessione communionis bonorum possit in literis suis communicare benefactoribus non solùm bona futura, quæ in posterum fient in religione, verum etiam applicare illis iam facta?

15 Respond. Præterita bona nondum applicata amplius applicari non possunt quo ad vim satisfactiuam, quia si ante factum, vel in fieri nulli applicantur statim reponuntur in thesauro Ecclesiæ; vtique verò quo ad vim impetratoriam, quia secundum hanc rationem cum non reponantur, neque sint de ratione thesauri semper remanent sub potestate superioris, qui ea applicare potest quo ad meritum. *Ita ex Corduba Rodr. tom. 1. q. 33. art. 5. Mirand. tom. 2. quæst. 50. art. 4. & alijs communiter.*

Quæres 8. An benefactores, & alij participent æqualiter bona spiritualia virtute huiusmodi literarum?

16 Respond. Rodr. tom. 1. q. 33. art. 6. quod valent iuxta qualitatem beneficij, quod facit religioni, si concessio dependeat ab huiusmodi causa, alias iuxta intensionem concedentis, & deuotionem illius, cui fit bonorum communicatio, quem *ex Corduba sequitur Mirand. tom. 2. quæst. 10. art. 5.* In mea religione pro his benefactoribus celebrantur officia singulis annis, & qualibet feria sexta dicuntur in choro post Completorium quædam particularia suffragia tam pro viuis, quàm pro defunctis benefactoribus.

17 Quæres 9. An huiusmodi Filiationes, & suffragia possint concedi non solùm viuis, sed etiam mortuis?

18 Respond. Possunt concedi etiam defunctis, ratio est, quia sunt bona propria religionis, existentia in potestate Prælati, sub cuius dominio sunt, ergo ea donare potest quibuscumque capacibus, sed etiam mortui sunt capaces illorum, quo ad satisfactionem pœnarum in purgatorio, & hoc per modum suffragij, sicut & quilibet orare potest pro mortuis. Neque hoc est concedere indulgentiam defunctis, quia superiores per huiusmodi concessiones thesaurum Ecclesiæ non aperiunt, neque ex illo hauriunt aliquid, per quod indulgeatur defunctis, sed huiusmodi bona sunt propria suæ religionis prout spectantur in fieri, vel in futurum, nam post factum non amplius sunt congregationis, sed reponuntur in thesauro Ecclesiæ.

19

Quæres 10. Solent Generales, superioribus minoribus petentibus, concedere Filiationes typis expressas cum solis subscriptione, & sigillo sine data, quam apponunt priores locales, quando in effectu eas distribuunt suis familiaribus; Si antequam distribuantur, & dentur benefactoribus, moriatur Generalis concedens, an distributio post mortem facta teneat, an verò sit nulla? Affirmatiua pars suadetur, quia hæc est gratia facienda, non facta, quæ inter se ita differunt, quod illa cessat per mortem concedentis, non autem hæc, *vt dixi resol. 39 num 62.*

20 Respond. Validæ sunt, censentur enim gratiæ factæ, quia licet desit data, quæ apponitur in actu distributionis, tamen id non arguit gratiam tunc fieri, sed solùm indicat benefactorem eo die incipere gaudere gratia, quam Generalis iam ante illi fecerat. Confirmatur, quia superior distribuens non dicitur facere gratiam, neque concedere Filiationem, sed tantùm exequi factum Generalis, cuius est merus executor, ac famulus, qui de mandato, seu nomine domini facit eleëmosynam.

21 Ex his colligitur, huiusmodi Filiationes simpliciter concessas nulla temporis limitatione expressa peruenire ad aures benefactorum, sed suum sortiuntur effectum per ipsum reuocationis actum, quia benefactor licet priuetur hoc beneficio, in nullo tamen correspondente defraudatur, siquidem nihil spirituale habet facere pro consequutione huiusmodi bonorum spiritualium, sed se merè passiue habet in illorum receptione. Scio *Peyrin. in suo Formul. lit. P. cap. 1.* asserere illas non durare post functionem officij Generalis, qui illis concessit, sed non video qua sufficienti ratione de iure, cum sit gratia facta, quæ non expirat morte concedentis, maximè cum concedantur etiam à Generali eiusdem sui ordinis simpliciter, & absque temporis limitatione.

Si quis desiderat aliquod Formularium, seu literas patentes huiusmodi benefactoribus, & amicis concedendas, accipiat sequentes constructas iuxta superius tradita.

22 *Frater Marchus Antonius Bottonus à Bononia, Magister in Theologia, Religiosus Tertij Ordinis S. Francisci Generalis.*

Dilecto nobis in Christo Benefactori eiusdem nostri Ordinis.

Quilibet Christi fidelis sibi benefacientibus bona facere debet, maximè religiosi quos in operibus misericordiæ præsertim spiritualibus cæteris excellere æquum est, & sicut sæculares religiosis temporalia subministrant bona ita Regulares eisdem suis benefactoribus Spiritualia distribuere honestum est, quo charitate, & Sanctorum Communione nos in Domino excitati, authoritate nostri officij summorum Pontificum priuilegijs munita. Tibi cum tuis superius expressis bona spiritualia Missarum, Diuinorum Officiorum, Orationum, Prædicationum, Lectionum, Ieiuniorum, Abstinentiarum, Disciplinarum, Mortificationum, aliorumque Exercitiorum spiritualium, quæ in Religione nostra communiter fiunt, elargimur, & communicamus iuxta tenorem Apostolicorum Priuilegiorum, quæ Tibi vt supra profutura sint in satisfactionem peccatorum, & meritorum in vita æterna, eademque bona superius expressa Dominus noster Iesus Christus, intercedentibus B. Patre FRANCISCO cum suis Alumnis Sanctis Ludouico Rege, & Elisabeth pro sua benignitate, & misericordia indulgere dignetur. Datum in Conuentu Paradisi Mediolani die 6. Iulij 1647. Nolumus autem has à Nobis subscriptas impressiones valere neque posse distribui, nisi prius sint sigillatæ de mandato nostro.

Præscripta forma est ad tenorem resolutorum, & amplissima, quare aliquando poterunt superiores detrahere aliquid ex operibus expressis, vel omittendo clausulam, per quam communicatio fit prædictorum bonorum prout satisfactoria sunt, relinquendo solùm eam partem qua meritoria sunt, seu impetratoria alicuius boni, &c. Et cum in ea fiat mentio de bonis communitatis, quæ fiunt vel ex Regula, vel ex statutis, possunt concedi ea, quæ fiunt ex præscripto Regulæ, omissis illis, quæ fiunt ex statutis, aut è contra, similiter loquendum est de illis, quæ fiunt ex præcepto superioris. Limitari igitur, seu ampliari possunt iuxta voluntatem superioris, habito etiam respectu ad merita, & beneficia, quæ acceptandus in filium spiritualem habet erga religionem.

Quæres 11. An Filiatio concessa sub verbis præscriptæ formæ prosit etiam post mortem illis, quibus concessa fuit?

23 Respond. Non censetur concessa illis post mortem, nisi superior id exprimat, quia gratiæ & priuilegia regulariter solent concedi solùm viuis. Confirmatur quia benefactores non sunt post mortem, sed tantum dum in hoc seculo viuunt.

RESOLVTIO. LXXXV.

De Religione, & Religioso.

SVMMARIVM.

1 *Religionis nomen tripliciter accipitur.*
2 *Religio quid sit.*
3 *Christianus resuscitatus adhuc est talis.*
4 *Religiosus resuscitatus non amplius est.*
5 *Religiosus propriè trium votorum professor.*

6 Pro

6 *Professio quid.*
7 *Professio quando legitimè fiat.*
8 *Professio in communi facta non tenet.*
9 *Approbatio de essentia religionis.*
10 *Quatuor ad statum religiosum.*
21 *Solemnitas non est de essentia omnis religionis. 15.*
12 *Solemnitas consistit in acceptatione professionis.*
13 *Solemnitas non est de essentia religionis vt sic.*
14 *Philosophandum in moralibus modo morali.*
15 *Professio sine solemnitate nulla est.*
16 *Solemnitas tres effectus producit.*
17 *Paupertas votum ex parte religionis.*
18 *Inhabilitat ad matrimonium.*
19 *Quod fuit primo à Papa Siticio.*
20 *Inhabilitat ad proprietatem.*
21 *Solemnitas voti inducta ab Ecclesia.*
22 *Super votis solemnibus Papa disp. nsat.*
23 *Probatur id.*
24 *Continentia maius bonum datur.*
25 *Papa non debet dispensare nisi subsit causa.*
26 *Valet tamen quo ad destructionem solemnitatis.*
27 *Rex religiosus sola administratione regere potest.*
28 *Dispensatus validè, sed illicitè mortua vxore, redit.*
29 *Nisi post dispensatus fuerit etiam in totus.*
30 *Dispensari ad tempus non debet.*
31 *Monachatus status honoris, nunc ratione clericatus,*
32 *Ordo Tertius status honoris.*
33 *Religio quatuor fit Regula, Superiore, Professione, & Habitu.*
34 *Regula principales quatuor,*
35 *Regula, & constitutio diuersa.*
36 *Pracepta consuetudine cessant.*
37 *Regula, & Ordo ferè idem.*
38 *Regulam nouam nemo cogitur profiteri.*
39 *Praceptorum transgressio non est contra votum.*
40 *Superiore indiget religio. 49.*
41 *Conuentus dicitur in quo est superior Fratribus.*
42 *Pracipiens leuia sub mortali peccat.*
43 *Superior nunquam sub mortali pracipit, nisi se explicet.*
44 *Superior ius habet ex obedientia, non iustitia.*
45 *Professio tertium requisitum.*
46 *Habitus quartum requisitum.*
47 *Est accidentale religioni.*
48 *Clericatus non est de essentia religionis.*
49 *Superioritas ad minus localis necessaria. 40.*
50 *Mortuus, & viuus mundo quando dicatur.*
51 *Velle, & nolle quando dicatur.*
52 *Electionem extra non acceptat sine obtenta licentia locales.*
53 *Testamenti executor cum eadem licentia.*
54 *Ordo & religio, hac latius patet, vt genus de specie.*
55 *Status religiosi quomodo perfectior statu Curati.*
56 *Episcopatus perfectior.*
57 *Religiosus quomodo teneatur tendere ad perfectionem.*
58 *Nonnulla notabilia de Religioso.*
59 *Clerico quomodo dignior, vel aqualis.*
60 *Ciuis est religiosus aptus legato licet aduena.*
61 *Episcopis olim subiecti.*
62 *Extra manens censetur esse in conuentu.*
63 *Seruo, & filio familias comparatur.*
64 *Maior vnus alio.*

1 Religionis nomen sicut & religiosi sumitur multis modis. Primò pro statu Christianorum, qui baptismate religantur in seruitute, & cultu Dei, atque hæc religio est Ecclesia Catholica, quæ est Christi fidelium congregatio, & catholicorum collectio, cap. Ecclesia 7. de consecr. dist. 1. de qua in oratione Apustolorum Petri, & Pauli dicitur. *Da Ecclesiæ tua eorum in omnibus sequi praceptum, per quos religionis sumpsit exordium.* Et sub hac acceptione quilibet Christianus dicitur religiosus, Act. 2. 5. *Viri religiosi ex omni natione.* Iacob 1. 26. *Si quis autem putat se religiosum esse.* Secundo pro statu clericorum; respectu quorum religio vocatur à relegendo, quia per promotionem ad ordines clericales attentè relegunt, & meditantur munus, & officium ecclesiasticum, quo Deus honoratur, & colitur, de quo religionis genere dicitur Exodi 29. 9. *Filios quoque illius*, id est Aaron, *applicabis, & indues tunicis lineis cingésque balteo, Aaron scilicet, & liberos eius, & impones eis mitras, eruntque sacerdotes mihi religione perpetua.* Religio hæc perpetua est, quia *Tu es sacerdos in aternum*, ordo siquidem imprimit charactere in anima, à qua deleri non potest; & sub hac acceptione non solùm veniunt clerici sæculares, sed etiam regulares, & in fauorabilibus indifferenter accipiuntur. Tertiò nomen religionis sumitur à relinquendo, & est status cum obligatione trium votorum solemnium in aliqua approbata religione, de qua in titulis, de statu monachorum, & regularium, &c. religiosi verò, qui illa tria promittunt in approbata religione. Secundum tertiam acceptionem agendum est de religione, & religioso. Interim vide, quæ dixi de hac triplici acceptione Resol. 55. q. 6e.

Quæres autem 1. Quæ conditiones requirantur vt aliquis status dicatur & sit religio? Seu quid est religio?

2 Respond. Religio est virtus moralis inclinans hominem ad cultum Dei, ad quem peculiari modo perpetuo obligatur professione emissa legitimè in aliqua religione approbata à sede Apostolica.

Dixi. 1. *Virtus moralis inclinans hominem ad cultum Dei*; per quam clausulam vt genus hæc definitio conuenit Religioni in ea triplici acceptione, quilibet enim homo siue Catholicus, siue Clericus, siue Religiosus erga Deum cultum adhibere debet; in ratione autem virtutis inclinat, & disponit, atque excitat ad exercitium cultus Dei, sacramentum verò baptismi cum lege diuina obligant ad certa, & peculiaria exercitia erga Deum; item assumptio clericatus cum suis legibus constringit ad exhibendos certos reuerentiæ & cultus actus eorum statui competentes; religiosus demum, cuius est tendere ad perfectionem in Deum, professione speciales contrahit obligationes erga cultum Dei. De religione in ratione virtutis *D. Thomas cum suis* 2. 2. q. 81.

3 Dixi 2. *Ad quem peculiari modo perpetuo obligatur.* Obligatio quidem communis est omnibus Christi fidelibus, peculiaritas tamen in ea à singulis speciebus generum iuxta illam triplicem religionis acceptionem obseruanda est iuxta illorum professionem; & in singulis perpetua est, nam Christianus per baptismum spiritualiter perpetuò se deuouit Deo, ita Clericus assumptione clericatus se Deo in obsequium ordinis semper dedicat, id quod professione facit religiosus. Est tamen differentia in hac perpetuitate, nam Christiani primi, & secundi generis ita se perpetuò obligant, quòd si mortui resurgerent, adhuc tenerentur perseuerare in seruitio Dei, quia obligatio fundatur in sacramentis Baptismi, & Ordinis, quæ ob characterem, quem in anima indelebiliter imprimunt, perpetuum esse conseruant in homine illis affecto. Profes-

4 sione verò obligatio non perpetuatur, sed cum morte extinguitur, & quia nullum imprimit characterem, in quo possit semper durare, & quia in formis profitendi exprimitur duratio voti: vsque ad mortem, vnde si quis religiosus moreretur, & postmodum resurgeret, absolutus esset à statu regulari, non ampliùs teneretur ad obseruationem regulæ, quam professus aliàs esset de numero clericorum. *Probaui cap. 2. de Profitente q. 43. in meo Tractatu de Profess. Regular. Typis Mediolan.* Sed quid dicendum, si quis in sua professione expressè se obligaret etiam post mortem? Respondeo, aut in forma professionis exprimitur obligatio duratura vsque ad mortem, & tunc eum expressio facta à profitente sit contra formam professionis nullius est momenti, neque intelligitur acceptata a religione, nisi de ea in specie constet, & tunc potest subsistere

sistere, quia non repugnat, cum id à regula non prohibeatur, vt suppono. Si verò nil exprimatur in Regula, adhuc non tenet, nisi superior acceptans lectionem professionis, approbet huiusmodi vlteriorem obligationem, si nihil sit in oppositum.

Dixi 3. *Obligatur professione* Homo igitur nouitius se ponit in statu religionis, & euadit religiosus se obligando ad exercitium speciale cultus Dei professione religiosa, quæ consistit in promissione castitatis, paupertatis & obedientiæ, Is ergo verè, & propriè religiosus dicitur, & est, qui hæc tria promittit ex voto obseruare, cum adnexis ex communi Doctorum in *cap. Cum ad monasterium, de statu mon. Armill. v. Religiosus per Clem. 1. de relig. dom. Glos. v. Religiosus cap. 3. de procur. Glos. 1. cap. de viduis 7. 22 quæstione 1. D. Thomas 2. 2. quæstione 186. art. 6. Sanch. lib. 5. capite 1. numero 18.* rationem reddunt, quia status religionis requirit immobilitatem, & firmitatem, quæ per obligationem voti solidatur, & confirmatur. *Mirand. tom. 1. quæstione 1. art. 6. Rodr. tom. 3. q. 48. art. 1. cum suo Compend. resolut. 123. numero 2. Lozana parte 1. capite 2. numero 1.*

5 Quid autem sit Professio, latius explicaui capite 1. quæstione 2. de profess. eam esse solemnem promissio-6 nem Deo voluntariè factam à nouitio post annum probationis in legitima ætate constituto de tribus votis in aliqua approbata religione recepta ab habente potestatem incorporandi religioni. Vbi singulas eius particulas explicaui, vide ibidem, ne eadem bis reperam, De Professione multas difficultates vide Resol. 57.

7 Dixi 4. *Legitimè emissa*, tunc autem dicitur legitimè emissa professio, quando fit cum omnibus suis requisitis tam iure naturali, quàm positiuo ecclesiastico; ea autem censetur legitimè facta, quæ à nouitio post annum probationis peractæ post decimum quartum annum in loco deputato, sine interruptione emittitur voluntariè sine metu post annum decimum sextum, præcedente consensu superioris & conuentus, & ab eodem acceptata. Ad hoc faciunt dicta Resolut. 54. de Nouitiis.

8 Dixi 5. *In aliqua religione.* Professio fieri debet sub aliqua particulari religione, vt teneat, nam si alicui religioso superiori, & de certa regula, quæ non conueniunt religioni, vt sic, cui non assignatur superior, nec certa regula, ideo specificanda est religio, quam quis intendit profiteri, professio igitur in communi non tenet, vt etiam probaui citato capite 1. quæstione 13. Votum ergo fieri debet in speciali religione *Glos. 1. cap. De viduis 7. 22. q. 1.*

9 Dixi 6. *Approbata à sede Apostolica* vt expressis verbis ordinatur cap. fin. de relig. dom. ab Innocentio III. in Concilio Generali Lateranensi celebrato sub anno 1215. confirmato in alio Concilio Generali Lugdun. celebrato sub Gregorio X. assumpto ad Papatum anno 1278. relatum cap. Vn. eod. in 6. Si quis ergo nouam institueret religionem à sede Apostolica non approbatam, & in ea institutos discipulos vocaret, & emissam ab eis professioné acceptaret, nihil efficeret tam ex parte sui, quàm receptorum ad professionem, qui nulla ratione obligati manent ad obseruationem eorum, quæ vouissent. De hac approbatione dicam sequenti resolutione.

10 Colligitur ex his vt quis fiat propriè religiosus, & dicatur esse in statu religionis, requiri ex parte religionis tres conditiones. Prima est, vt volens ingredi voueat obseruantiam castitatis, paupertatis, & obedientiæ, siue explicitè, siue implicitè, iuxta cuiusque ordinis constitutiones. Secunda, vt huiusmodi votum, quod vocatur professio fiat coram superiore, cui se subijcit profitens tanquam suo Prælato, & superiori, cui obedire tenetur. Tertia, debet illam emittere in aliqua religione approbata à sede Apostolica, aliter nullius momenti est attentata professio contra superius disposita ex lege sacrorum canonum, & sententia omnium Doctorum. Scio *Sanch. libro 5. capite 5. numero 16.* requirere quatuor conditiones, sed duas primas ab eo recensitas coniunxi sub prima à me allata; neque enim illa tria spectari possunt simpliciter, sed prout cadunt sub voto, neque votum sine illis considerari potest, ergo conuenienter ambæ in vnam coeunt.

Quæres 2. An solemnitas professionis sit de essentia religionis, seu status religiosi ex natura ipsius 11 status? An verò quis effici possit religiosus sine dicta soléniitate? Ratio dubitandi est, quia in præcedentibus licet facta fuerit mentio de professione consistente in promissione trium votorũ, nihil tamen dictum fuit de solemnitate illi coniuncta, quasi non sit de definitione, & natura status religiosi, & difficultatem auget Greg. XIII. in sua Bulla incip. *Ascendente*, in qua ita pro Iesuitis decernit. *Non solum eos, qui in coadiutorum formatorum siue spiritualium, siue temporalium, societatis gradus, & ministeria admittuntur, sed & alios omnes, qui in ea biennio probationis peracto tria castitatis, paupertatis, & obedientia vota publica scilicet simplicia emiserint, emittentue in futurum, vere & propriè religiosos fuisse, & esse, & vbicumque semper ab omnibus censeri, & nominari debere, non secus, atque ipsos Societatis, tum quorumuis aliorum regularium ordinum.* Sanch. libro 5. capite 1. à numero 21. quatuor refert opiniones circa hanc difficultatem. Prima affirmat solemnitatem esse de essentia status religiosi; rationes adduxi quæstione 8. capite 1. de profess. & est omnium Doctorum ante extrauagantem Gregorij citatam. Secunda asserit quidem eam solemnitatem esse de essentia religionis, tamen ex priuilegio Pontificio id non obstare, quin Iesuitæ sint verè, & propriè religiosi, licet non profiteantur solemniter, consequenter Iesuitas, qui solemniter non profiteantur, esse religiosos propriè ex iure ecclesiastico, non autem ex natura rei. Tertia docet duplicem statum in religione, vnum perfectissimum, sub quo constituuntur professi solemnites, alterum perfectum tantùm, sub quo sunt Iesuitæ post biennium emittentes tria simplicia vota, ita *sentiunt Valentia parte 4. disput. 10. quæstione quinta part. 3. & Henr. libro 12 de matrimonio. capite 5. numero 3.* Quarta ipsius Sanchez est docentis solemnitatem hanc non esse de essentia status religiosi, sed quem fieri posse religiosum propriè, & verè per vota simplicia, quod fundatur super Bulla præcitata, quam opinionem sequuntur. *Vasquez. 1. 2. quæstione 96. disputat. 165. capite 2. & 3. atque 9.* Sed 12 antequam resoluamus quæstionem, sciendum est, quod huiusmodi votum solemne consistit in obligatione perpetua ex parte vtriusque nempe nouitij se perpetuò tradentis religioni, in obsequium seruitutis Dei, & religionis perpetuò acceptantis nouitium in religiosum, ita quod nouitius per professionem se obligat semper ad inseruiendum religioni, & religio illum acceptando se obligat ad eum retinendum, & alendum, & hæc est præcipuè solemnitas. *Expressè cap. Porrectum 13. de regul. Glos. v. Monachum,* non faciat habitus, dicens tunc votum solemnizari cum ab Abbate recipitur professio, *Glos. v. Quod in manibus, capitulo fin. Qui cler. docui ego cap. 1. de profess. quæstione 4.* Sic sentiunt Toletus *l. 4. c. 18. n. 1. Valent. 1. 2. disp. 6. q. 6. p. 5. & alij communiter* & neminem negare dixit idem *Sanchez libro 7. disp. 25. numero 12.* His præmissis addo expositionem illius axiomatis. Habitus non facit monachum, ante responsionem.

Habitus non facit monachũ 1. i. solus habitus, vtique coniũctus cum alijs requisitis, *gl. cit. gl. v. Nec habitũ. c. Meminimus, qui cler. vel vou.* Secundo habitus Nouitiorum non facit monachũ, vtiq; professorum, *c. 1. de Regul. in 6. Clem. Eos, de Regul.* Tertiò, habitus non facit monachum formaliter, & in actu, vtiq; verò dispositiuè pro anno probationis, *sess. 25. c. 15.* ita quod nulla est professio sine gestatione habitus in anno

Nouitiatus, *ex citato capite Sanchez libro 5. capite 4. numero 29.*

13 Respond. Solemnitas professionis, quæ importat acceptationem professionis ex parte religionis non est de essentia status religiosi in genere, ita quod necessariò concludi debeat in omni specie status religiosi, sed aliqui status reperiri possunt sine dicta solemnitate constituentes veros religiosos. Id non alio probatur fundamento, quam ex eo, quod deducitur ex Bulla Gregorij XIII. præcipuè, quando asserit Iesuitas, de quibus ibi, per emissionem votorum simplicium non solùm esse propriè, & verè religiosos post editam Bullam, sed tales fuisse etiam ante constitutionem ipsius Bullæ, quos tales fuisse declarauit absque vlla dispensatione, neque priuilegio, cum de his in Bulla non fiat mentio, ergo cum Iesuitæ ante dictam constitutionem fuerint verè, & propriè religiosi, licet inferre solemnitatem non requiri ad statum religiosum vt sic, quasi eam imbibat, & includat in sua natura, nam si hoc esset verum, non sufficeret Pontifici declarasse Iesuitas fuisse, & esse verè, & propriè religiosos, sed præterea debuisset dispensare in parte requisita ad essentiam status religiosi, quod potuisset facere, si enim aliquem extra statum illum ponere potest simpliciter, eo magis auferre aliquam partem, & conditionem intrinsecam, seu 14 essentialem, neque enim in his moralibus ita strictè moralizandum est, sicut in naturalibus, moralia enim sunt composita virtute, & potestate hominum, quibus etiam limitari, ampliari, & auferri possunt hoc, vel illo modo, pro quo facit prima regula. Res per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur. Confirmatur, quia solemnitas voti formaliter, & in rigore consistit in acceptatione voti facta à superiore, licet dicat respectú ad traditionem ipsius nouitij cuius professio & votum supponitur, vt acceptari possit à superiore, quare cum ratio voti professionis subsistat, quod est de intrinseca ratione status religiosi ex vi ipsius status, vt patet ex dictis præcedenti quæstione, nihil videtur deesse statui religioso de sua natura, & in genere; vnde supradictæ conditiones in casu præsenti locum habent absque dicta solemnitate, de qua consulto in præcedenti quæstione, in qua statuimus necessaria ad statum religionis in genere, ne verbum quidem diximus. Quod autem votum solemne in abstracto considerato, hoc est solemnitas voti professionis formaliter consistat in acceptatione ex parte superioris, nomine Dei acceptantis votum, hoc expresè dicit *Glos. v. Monachum non faciat habitus, cap. Porrectum 13. de regul. & Glos. v. Quod in manibus cap. fin. qui cler.* vbi dicitur, quod tunc votum solemnizatur, cùm ab Abbate recipitur, tunc autem votum recipitur, cum illud nouitius emittit, seu legit ante Abbatem, & eo præsente, licet etiam nihil diceret, & regulariter in multis religionibus votum acceptatur factis, cùm scilicet superior suis manibus constringit manus nouitij, dum professionem legit, per eam constrictionem significando nouitium se subijcere in suis operationibus, & actionibus, quæ per manus significantur, dominio superioris, verbis verò, cùm post lectionem subiungit acceptans certa verba, per quæ illi notificat acceptationem saltem virtualiter, vt in meo ordine superior subijcit hæc verba. *Et ego nomine Dei optimi, maximique tibi, si hæc obseruaueris, æternam vitam promitto Amen.*

15 Ad oppositas opiniones nihil aliud responderi potest, quam illos Doctores loquutos fuisse in ordine ad religiones antiquas ante hanc Societatis, & sic solemnitas est de eorum essentia, non autem simpliciter includitur in ratione religionis in communi, prout nomen religionis extenditur ad quascumque religiones. Vnde si quis vellet ingredi, & profiteri in religione ex antiquis, eius professio facta etiam coram superiore, & cum omnibus omnino requisitis, hoc excepto, quod superior nullo modo vellet acceptare illius votum, id protestando expresiè, sine dubio nulla esset huiusmodi professio ex illius non acceptatione, quæ illi omninò essentialis est. Apud verò Iesuitas in professione post biennium nouitiatur, facta etiam coram superiore, etiam acceptante vota, adhuc remanent vota simplicia, quia in ea religione superior ea non potest acceptare ex instituto ordinis, ergo neque exinde oriri solemnitas professionis.

Memini de prædicta quæstione cap. 1. de Professione quæstione octaua, nempe solemnitatem esse de essentia status religiosi, per rationes ibi adductas; quæ reuera ibi dicta intelligenda sunt eam esse de essentia religionum antiquarum, vt colligitur ex ibi dictis §. Sed facilè.

Quæres 3. Quosnam effectus producat voti solemnitas.

16 Respond. Tres gignit effectus. Primus est, quod 17 votum perpetuat ex parte religionis, quæ per acceptationem, in qua illa consistit, dat ius professo, vt non possit expelli, & licentiari à religione sine grauissima causa. Dixi, *ex parte religionis*, quia votum ex sua natura simpliciter emissum obligat perpetuò, vita durante, ipsum vouentem ad manendum in religione, ex hoc præcisè tamen religio non tenetur illum manutenere in hoc statu, nisi permansionem hanc approbet, & stabiliat per acceptationem, & solemnitatem hanc voti. *Nauar. consil. 26. numero 1. ex eo Sanch. libro 7. disputat. 35. numero 12.* & patet id ex dictis præcedenti quæstione. Secundus 18 effectus est inhabilitas ad contrahendum matrimonium, quod attentatum efficitur nullum, *ex cap. Vn. de Voto in 6.* id quod antea decretum erat, sed non ita euidenter, vt factum fuit per Bonifacium VIII. loco citato. Antiquitus autem, primus, qui irritauit attentatum matrimonium, censetur Syricius Papa electus anno 385. relatus *in cap. Si quis 2. 27. quæst. 1.* 19 *§. Violata*, & alij subsequentes, prout *dixi capite 1. de professione regul. quæst. 3.* Tertius effectus est inha- 20 bilitas ad proprietatem, & dominium habendum bonorum fortunæ, ita quod solemniter professus paupertatem iure proprio nihil acquirere potest, aut in aliam personam transferre aliquid pecunia æstimabile, quod alia ratione non probatur, nisi quia religiosus per professionem paupertatis ita abdicat à se proprietatem, & dominium, vt per hoc constituatur incapax illius, ea ratione, qua fit inhabilis ad contrahendum matrimonium, *ita ex eod. capite. Vn. de voto in 6. deducunt omnes cum Nauar. tom 3. com. 1. de Regular. numero 23. Lessius libro 2. capito 4. dub. 5. numero 21. cum aliis Sanch. libro 7. capite 18. numero 23. Compead. Rodr. resol.* 110. Cum 21 autem solemnitas voti à iure ecclesiastico inducta sit cum prædictis effectibus, vt expresè dicitur à Bonifacio VIII. illis verbis. *Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inuenta, &c.* Ideò eius etiam effectus, qui sunt perpetuitas, & inhabilitas ad matrimonium, & proprium, subiacent dispositioni Ecclesiæ, ita quod immediatè non proueniunt ex intrinseca natura voti, cum olim non habuerint adiunctam huiusmodi inhabilitatem, sed valide contrahebant, licet non licitè, ex adductis capitulo primo de Profess. quæst. 3. Vide ibi.

Quæres 4. An Papa de religioso possit facere non religiosum, remouendo illum penitus ab hoc statu deobligando ab obseruatione horum trium votorum, & aliorum quorumcumque coniunctorum cum statu religioso. De hoc quæstione duplex opinio vna negatiua antiquiorum, quorum authores citat *Sanch. libro 8. disputat. 8. numero 6.* vbi refert rationes eorum, primam *ex cap. Cum ad monasterium, de statu monachorum*, vbi Papa negat se posse dispensare super illis. Secundam, quia consecratio semper durat cum re consecrata, vnde de

sacerdote

sacerdote non potest facere non sacerdotem. Tertiam, quia nulla assignabilis est causa, quæ excedat bonitatem materiæ huius voti solemnis. Quartam, quia traditum vni ab eo non potest auferri, eo magis Deo, cui religiosus professione se totum tradit. Alias vide apud prædictum *Sanchez, qui ibidem num 7.* cum communissima Doctorum sententia docet affirmatiuam *cum Rodr tom. 3. quæstione 1. artic. 5. & tom 2. quæstione 25. articulo 2. cum suo Compend. resol. 52. numero 2. idem Sanch paucis lib. 5. capitulo 2.*

22 Respond. Papa super tribus votis solemnibus dispensare potest faciendo de religioso non religiosum absoluendo ab obligatione per professionem contracta, legitima subsistente causa, & hac grauissima, & publica, quod si id faciat sine huiusmodi causa, peccabit quidem grauiter Papa, tamen tenebit dispensatio, in quantum eius virtute religionem egressus poterit validè contrahere matrimonium, & non erit amplius inhabilis etiam ad dominium, & proprietatem; inhabilitas autem sublata per dispensationem intelligitur de proprietate etiam sine matrimonio. Votum verò obedientiæ ad illa duo consequitur. Quando sine causa religiosus fuit dispensatus, vxore mortua tenetur redire ad religionem, vt suum votum prosequatur. Non potest tamen dispensari ad tempus limitatum in præiudicium vxoris.

23 Prima pars, quod Papa possit, probatur, quia in professione duo spectantur, votum, & solemnitas ei adiuncta, vt constat in votis Societatis, in qua nouitij post biennium emittunt etia vota simplicia, quæ existunt sine illa solemnitate, ac proinde spectantur vt in re diuersa inter se, sed votum castitatis cum aliis, quando est simplex dispensari potest, & relaxari à Papa, vt docent omnes *cum Sanch. lib. 4. cap 37. q. 1.* & de votis religionis, & castitatis cap. 40. & hoc patet in tit. de Voto, ergo ex hoc capite votum simplex sine dubio dispensabile est. Ex parte verò solemnitatis eo magis est dispensabile, quia ab Ecclesia illa introducta fuit, vt superiùs retuli determinatum à Bonifacio VIII. ergo nihil prohibet, quin Papa dispensare possit, res enim per quas causas nascitur per easdem dissoluitur, prima de reg. iur. sublatis autem votis ampliùs religiosus non est, implicat enim mutaliter aliquem esse religiosum, & exemptum atque absolutum esse à voto solemni professionis, cum anima religiosi sit solemnis professio. Alias rationes adducit Sanch. lib. 8. disp. 6. n. 7. vide.

Ad oppositas rationes ipse respondet ad primam, summum Pontificem non asserere, se non posse dispensare, sed redarguere quemdam Abbatem, qui præsumebat se posse dispensare, vnde ibi exaggerando hiperbolicè locutus fuit, ac si dixisset via mihi est potestas dispensandi, & tu liberè non valens, dispensare præsumis? Ad secundum, nil concludere, quia illa benedictio non spectat ad professionem, sed tantùm fit, vt Deus disponat nouitium ad dignè profitendum, & falsum est, quod semel benedictum semper tale duret, nam materia Calicis durat, & tamen consecratio perditur, iuxta quod dixi Resol. 83. de Calice. Ad Tertiam dico causam assignari, quæ est commune bonum alicuius regni, neque enim continentia cum reliquis est maius bonum, quo aliud maius non possit inueniri, siquidem hæc tria dicuntur bona priuata respectiuè ad ipsum religiosum, qui in statu religionis est magis propter bonum proprium, quam commune aliorum fidelium, *vnde D. Thom. 2. 2. q. 88. art. 11.* asserit dari

24 maius bonum continentia, subdens cum eo Sanch. maius bonum esse contemplationis, & martyrij, quam religionis. Ad quartam, traditum vni, ab eo auferri, & alteri tradi non potest, quando nulla subest causa, iuxta illud reg. 21. in 6. nullus priuandus est iure suo, nisi subsit causa.

25 Secundum, quod Papa non debet dispensare nisi subsit causa legitima, constat ex eo, quod non esset dispensatio, sed dissipatio, & destructio, non ædificatio proximi, non sufficit quælibet causa, sed vrgentissima esse debet, & publica pro communi bono vnius prouinciæ, ducatus magni, an regni, vti bonum pacis faciendæ, vel conuersionis infidelium, seu hæreticorum talium nationum, ratio est, quia agitur de re grauissima, ergo ei correspondere debet causa vrgentissima, qua prudenter moueri possit Papa ad dispensandum, *ita Sanch. lib. 8. disp. 6. num. 8. aliis citatis, contra Ricardũ in 4. dist. 38. art. 9. q. 1.* asserentem non requiri causam publicam, sed sufficere priuatam, quod non placet, aliter aperiretur via passim ad dispensandum, quia causæ priuatæ frequenter possent apparere.

26 Tertium, quod dispensatio facta sine causa valeat, in quantum subsecutum ex ea matrimonium, & dominium bonorum tenet, probatur, quia inhabilitas ad matrimonium & dominium non prouenit ex voto castitatis, & paupertatis, vt sic, ex probatis præcedenti quæstione, sed præcisè ex ea solemnitate, vt patet ex cap. Vn. de voto in 6. quæ est de iure ecclesiastico, in quo Papa sine dubio validè dispensare potest etiam sine causa, ergo & in ea solemnitate. Ita de voto castitatis Sanchez lib. 8. disp. 6. num. 10. & lib. 5. cap. 2. n. 7. vbi idem subdit n. 9. de voto paupertatis probans illud esse dispensabile ex causa, qua non existente adhuc tenet dispensatio, consequenter validè alias religiosus acquirit dominium rerum, contra Nauarr. tom. 2. comment. 2. de regular. n. 17. negantem Papam posse dispensare in voto paupertatis, quia non potest inueniri legitima causa, quæ moueat ad id Papam, qui alias potestate non caret, & hoc valdè probabiliter, quia religiosus e. g. effectus rex potest cum sola administratio-

27 ne regnum gubernare, immò etiam religiosus existens, si non est necesse vxorem ducere. Dispensatus tamen sine causa non poterit matrimonium contrahere, neq; post contractum licet validum petere debitum, sed reddere, obstante impedimento voti castitatis, quod relaxatum non fuit, sed tantùm eius solemnitas sublata cum suis propriis effectibus. Idem dic proportionaliter de voto paupertatis; de obedientia nihil est dicendum quia non est occasio exercendi illam, vel illi repugnandi.

28 Quartum, quod vxore mortua, vel gubernatione finita, debeat redire ad religionem, probatur, quia illa dispensatio sine causa facta solùm destruxit solemnitatem voto adnexam, consequenter solam obligationem, quam habebat religio alendi, & retinendi professum intra religionem, ergo reliquit obligationem voti ex parte professi, ex quo capite semper manet obligatus ad redeundum, impedimento sublato. Confirmatur, quia in Societate vota subsistunt, & obligant nouitios biennij ad remanendum in religione; quamuis nulla interuenerit solemnitas, ergo idem dicendum in casu nostro, cum in neutro casu desit solemnitas. Verum quidem est, quod si egressus aliam

29 petat à Papa dispensationem, legitima existente causa, qualis erit ille status, in quo positus fuit per priorem dispensationem, tunc omninò exemptus erit, & simpliciter perpetuò liber à regressu ad religionem, ex eodem Sanch. lib. 8 disp. 6. num. 10.

30 Quintum, quod non possit dispensari ad tempus in voto castitatis, suadetur, tum quia dispensatio regulanda est à fine, in ordine ad quem fit, quod est matrimonium natura sua perpetuum, ergo dispensatio non patitur limitationem, quam non potest recipere matrimonium; Tum quia id tempus limitatum præiudicaret vxori, quæ cogeretur remanere sine viro, aut monasterium ingredi; posset verò dispensare, accedente consensu sponsæ, docet Sanch. lib. 8. disp. 6. n. 10. In reliquis duobus limitari potest tempus, quia nulli fit præiudicium, vt suppono, nisi obstet matrimonium, in cuius gratiam sit dispensatio circa reliqua duo vota.

Quæres 5. An religio, seu monachatus sit honor, dignitas, seu officium honorificum? Federicus de Senis

consil. 5. numero 5. apud Nau. consil. 1. de statu monach. dicit, non esse honorem, dignitatem, neque officium honorificum, ex quo ipse Nauar. concludit excommunicatum, infamem, irregularem, coniugatum, & alios inhabiles ad beneficia ecclesiastica, esse habiles ad monachatum, quibus videtur adhærere *Tambur. tom. 1. disp. 1 quæst. 7.* dum dicit, monachorum statum esse simplicem.

31 Respond. Quamuis ab initio nascentis Ecclesiæ monachatus non fuerit status honoris, & dignitatis, in quantum monachi ex suis institutis non erant clerici, neque ad clericatum admittebantur, *cap. A subdiacono 5. dist. 93. cap. Generaliter 40. 16. quæstione prima* postmodum tamen admissi fuerunt ad statum clericalem, vnde eorum status fuit eleuatus ad honores, & dignitates, ab origine igitur sua monachatus non fuit status, in quo essent gradus honoris, & dignitatis, licet etiam tunc adessent Abbates, quorum gradus tunc non erat honoris, sed subiectionis, & officij, vnde Abbas præcedebatur ab Hostiario ex citato cap. A subdiacono. Fuit etiam ab initio status honorificus, & honoratus, quatenus fuit schola perfectionis, in qua speciali modo Deus colebatur, & monachi tendebant ad perfectionem. Cæterorum verò religiosorum status ex vi clericatus cum officiis dignificis, & Prælaturis etiam ab origine fundationis fuit dignificus, & honorificus, cum honores, & dignitates ab exordio ex ordinibus assumptis religiosis conferrentur, cuiusmodi sunt religiones Canonicorum Regularium, Sancti Dominici, Sancti Francisci, Sancti Augustini, &c.

Quæres 6. An ordo Tertius Sancti Francisci spectatus tam ab initio suæ fundationis, quam postquam eleuatus fuit in religionem sit status honoris, & dignitatis?

Quamuis resolutio huius quæstionis colligatur ex responsione præcedentis, nihilominus illam proposui in specie, & singulariter propter honorem huius ordinis, quem totis viribus profiteor, cuius sum filius licet indignus.

32 Respond. Ordo sæcularium reuera non est status honoris, & dignitatis, quia in eo nulli sunt gradus huius generis, sed tantùm Minister, qui simplex officialis est sine gradu Prælaturæ, aut dignitatis, habens curam domesticam spiritualem Fratrum sibi commissorum. De se verò ordo spectatus est status honoratus, cum in eo præstentur spiritualia exercitia modo quodam speciali, ex quo status honorem habet & laudem erga Deum. Idem vero ordo vt religio est, dicit statum honoris, & dignitatis, quia in eo sunt clerici, sacerdotes, Prælati, dignificati, personati, doctores, concionatores, & similes gradus, ex quibus ordo censetur esse status honoris, & dignitatis.

Quæres 7. Ex quibus constituatur religio quælibet.

33 Respond. Quatuor, Regula, Superiore, Professione, & Habitu. Regula autem debet esse approbata à Sede Apostolica *ex cap fin. de relig. domib. & eod. tit. in 6. iuxta quod dixi sub q. 1. hic num. 9.* & sic vocatur, quia religiosum regulat, & ducit in viam rectè viuendi; assignantur autem quatuor principales, & celebriores re-

34 gulæ sanctorum Basilij, Augustini, Benedicti, & Francisci, super quas tamquam super elementa, & quatuor mundi cardines fundantur, & reguntur reliquæ religiones. Omnes autem religiosi cuiuscumque ordinis in sua professione promittunt obseruare Regulam iuxta tenorem obligationis, quam ipsa præscribit, neque enim adiecta promissio plus obligat, quàm ipsa regula dictet, sed religiosum, qui antea non obligabatur per annum probationis, subijcit regulari obseruantiæ iuxta mensuram obligationis à regula præscriptam, quæ si obliget in aliquibus ad mortala, in aliis ad veniale, simili ratione ad ea tenebitur professus, si verò constringit tantùm sub pœna transgressorem, ad nihil vltraampliùs tenebitur, cùm non promiserit supra vires regulæ. Huius autem generis est Regula nostra Nicolai IV. Leonis X. comprehensa in statutis, quibus pro regula vtimur secondum Bullam incip. *Ea est officij.* Pij V. de qua pluries dixi in hoc opere. *Vide Lezanam tom. 1. cap. 7. per totum multa paucis comprehendentem de Regula.* Superior autem non est supra regulam, nec illius author, vel destructor, sed eius custos, *Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 9 §. Quinto.* vnde non plus potest præcipere, quam ipsa obliget, si enim non obliget sub culpa, sed tantùm sub pœna, non potest præcipere in vniuersum eius obseruationem sub culpa, nisi subsit causa vniuersalis illum inducens hic & nunc ad præcipiendum sub mortali obseruationem huius, vel illius decreti regulæ, multis probaui *resol.* 35 *58. sub num. 2.* Regula venit sub nomine constitutionum, in Tridentino cap 3. sess 25. *docet Rodr. tom. 2. q. 62. art. 14. Sanch lib. 7. cap. 12 ex eis Lezana cap. 1. n. 2. tom. 2.* sed verius est esse diuersa, quia dictio *vel* in 36 Tridentino importat propriè diuersitatem. Legitima consuetudine introducta regulæ præcepta etiam sub mortali obligantia desinunt esse. *Nau. cap. 12. num. 50. Rodr. tom. 1. q. 68. art 2. Peyr. tom 1 priuileg. ad constitut. 4. Iulij II. num. 21.* Regula, & ordo hæ duæ voces di- 37 uersa significant *Glos. v. Religionis Clem. 1. de elect. vbi Imola, & Anchar.* eò quod sub vna regula possunt esse 38 diuersi ordines. Regulam nouam nemo cogi potest ad profitendum, satis est, si antiqua obseruatur, *Decius cum Nauar consil. 16. de regul num. 6.* vnde regulam arctiorem obseruare professi compelli non possunt, quam non sunt professi *Glos. v. Votâ cap. 13. 23. q. 1. vide Glossam v. Præsentes cap. Vn. de statu regul. in 6.* Faciens 39 contra Regulam in aliquo præcepto peccat quidem mortaliter, sed non contra votum, *Megal. consil. 3. n. 4.*

40 Superiorem habere debet religio, alias esset corpus politicum sine capite, membra inutilia, & mortua, quæ in vnione capitis non viuificantur, & status monstruosus, nemo autem sine capite esse potest, *Glos. v. Centum cap. Cum nobis 14. de præscript.* & nihil possent agere religiosi, si sine capita viuerent, secundum rationem *per Innoc. in cap. Cum accessissent, de constitut. Mirand.* 41 *tom. 2. q. 29. art. 1. consil. 3.* nihil faciendum est sine capite, & religio, seu conuentus vocatur ille, in quo Superior, & Fratres morantur, licet obseruantia aliàs non esset regularis, *Rota Rom. vol. 1. decis. 208. in Nouiss.* & Prælatus est caput suæ Ecclesiæ *Glos. in cap. Cum ab Ecclesiarum de offic. ordin.* Superior leuia præcipiens 42 sub mortali malè agit, vt silentium, subita accessio ad 43 chorum, *Hemob. part. consultat. Respond. 35.* Probata consuetudo est apud omnes religiones, vt Superior nunquam intendat obligare ad culpam etiam venialem, quando præcipit, nisi se explicet sub similibus terminis. *Præcipio sub culpa, in virtute sanctæ obedientiæ &c. Sanchez lib. 6. capite 4. numero 170. Vasq. 1. 2. tom. 2. disputat. 158. cap. 3. numero 24. Layman libro 4 tract. 5. capite 9. numero 13. cum Homobono. cit.* debet residere. *Graff. tom. 1. consil. de cler. non resid. numero 37.* habet 44 in suos subditos ius obedientiæ, non iustitiæ *Bein part. 7. casu 3. §. Arbitratus,* vnde laicus nolens obedire, sed fugiens laborem ad quærendas eleëmosynas non tenetur ex iustitia ad damna illata religioni reficienda.

45 Professio requiritur ad constituendam religionem, sicut enim Regula nihil prodest, nisi adsit etiam Superior, qui inuigilet, & exerceat subditos in eius obseruationem, ita subditus nihil dignè operatur, nisi per subiectionem professionis redigatur ad regularem obseruantiam, ad quam compelli non posset, nisi regularem vitam solemniter voti professione promisisset, neque enim monachum facit habitus, vel superioritas, seu regula, sed professio cap. Porrectum, de regul. per quam religiosus se ponit, & subijcit statui religioso. De Professione autem confeci Tractatum compendiosum septem capitibus cum suis quæstionibus ad singula absolutum typis Mediolani. anno 1635. & supra Resol. 57.

Habitus

46 Habitus demum neceſſarius eſt ad decentiam religionis, vt regularis à ſæcularibus dignoſcatur, qualem vniuiuſque ordinis Regula præſcribit, qui licet monachum non faciat, illum tamen in ſtatu regulari reddit circumſpectum, honeſtum, decentem, & reuerentia dignum, vt ab omnibus honoretur, debet eſſe humilis, non tamen ita vilis, vt ſordeſcat, ſed ho-
47 neſtus, & decens ſtatim religioſum. Non eſt de eſſentialibus religionis, ſed tantùm de accidentalibus, *Abbas, in cit cap. Porrectum, ibidem Butrius, quos citat Ricciull lib.8. de iure eorum,&c.cap.1.Tamb.tom 3. diſp.8. quæſt.1. num.18.* Habitus eſt ſignum externum profeſſionis internæ *D. Thom. 2. 2. quæſt. 185. art. 8. vnde Eccl. dicitur cap. 19.* quod amictus hominis annunciat de eo, ex quo fit, quod religioſus ornamentum inconueniens propoſito ſuo quærere non debet, cap. 1 Ne cler. Ex identitate habitus infertur identitas eſſentialis ordinum à poſteriori tantùm, cùm ſit ſignum externum profeſſionis *ex D. Thom. citato, Penottus lib.1. Hiſtor. canon regul. cap. 68. §. Tertiò probatur, & colligitur ex Gloſ. v. Habitus Clem. 1. de elect. ex eodem Penotto citat. capite 53. num.10.* Quandoque in iure ſub nomine habitus regularis venit profeſſio, quia in ea datur habitus peculiaris diuerſus ab habitu nouitiorum, cap. 1. diſt. 53 *Sanch. lib. 7. diſput. 37. numero 54.* De habitu regulari fusè egi reſolut.35. tom.1.

Quæres 8. An clericatus ſit de eſſentia religionis?

48 Reſpond. Non, quia eſſentia eius conſiſtit in ſolemni profeſſione trium votorum paupertatis obedientiæ, & caſtitatis, quorum etiam non clerici ſunt capaces, & hoc certum eſt apud omnes, nam religiones Monachales antiquitus erant ſine clericis, & tales inſtitutæ fuerunt ab origine ſui eſſe. *Nau. conſil. 10. de regul. num. 2. Penottus lib. 2. Hiſtor. Canon. Regular. cap.71.* vbi multa contra ſtatum monachorum, quibus ex priuilegio conceſſus fuit clericatus.

Quæres 9. An Superioratus ſit de eſſentia religionis? Triplicis autem ſunt generis ſuperiores locales, Prouinciales, & Generales.

49 Reſpon. Religio ex probatis q.7. num. 40. nequit exiſtere ſine ſuperiore, non eſt tamen neceſſe illud triplex genus, ſed ſufficit localis, vnde maiores ſuperiores neceſſarij ſimpliciter non ſunt, de Generali, quod non ſit de eſſentia religionis dixi Reſol.80.n.21.

Quæres 10. Quomodo religioſus dicatur mortuus mundo. Axioma hoc habetur cap Placuit 8. 18. q.5. l. Deo nobis C. de ſacroſ. Eccleſ. Authent. de nupt. §. Diſtrahuntur, Auth. Ingreſſi C. eod.

50 Reſpond. Religioſus in multis dicitur mortuus mundo, Deo autem viuere, hoc eſt, in multis caſibus æquiparatur homini mortuo, qui nihil poteſt facere. Primò igitur regula habet locum quo ad dominium & proprietatem *ex cap. Non dicatis 11. 12. q. 1. cap. 18. q.1. cap. Monacho 27. q.1. cap. Monachi, cap Recolentes, cap. Cum ad monaſterium, de ſtatu monach. Rodr. tom.3.q.29. Mirand tom.1.q.28.art.1.conc.1. Sanch.lib.7. cap.12. num.2.* neque enim eſt dominus veſtis, qua tegitur *Nau. tom.2. comment. 2. de Regul num.1. & 19.* eſt etiam mortuus quo ad negotia ſæcularia, in citato cap. Placuit, ex eodem Nau. num.29 42. 51. dicitur autem mortuus quo ad ſe, & etiam quo ad religionem incapacem bonorum in communi, cuiuſmodi ſunt religioſi Capucini, & Minores de Obſeruantia ex cap. 3. ſeſſ.25. reſpectu verò earum religionum, quæ ſunt capaces bonorum in communi profeſſus fauore religionis non dicitur mortuus mundo, nam per ipſum religio ſuccedit in omnia illius iura, *Rodr. tom.2.q.78. art.12. fine. Vecchius diſp. 13. de Nouitiis dub.9. n.5. & 6.* vbi multa de hac regula. Secundò regula habet locum quo ad matrimonium, cum ad illud ſit incapax ex dictis ſub num.18. *Graff. part.1. lib.3. deciſ. aur. cap.5. num 34. Grilez conſil. 1. num. 15.*

Fallit verò regula primò in actibus naturalibus cenſetur viuere *Graff. part.1. lib. 2. cap.65. num.6.* vnde tenetur fauere parentibus in neceſſitate *Peyr. de Subd. q.1. cap.9. §. Dicere autem.* Secundò non eſt mortuus quo ad acquirendum religioni capaci hæreditatis, legati, donationis, ſeu alterius rei relictæ, intuitu profeſſi, *Sanch. lib.7. c.22. à num.4. quod tetigerat c.3. num. 68. & 80.* vbi an mortuus cenſeatur in præiudicium tertij. Tertiò non eſt mortuus in actibus electionis iam actiuæ, quàm paſſiuæ, in quibus ius habet, nam ſecundum *gloſ. v. Mortuus, in citato c. Placuit 8 16. quæſt. 1.* religioſus non cenſetur mortuus niſi in iis caſibus, qui in iure exprimuntur, vt religioſus habeatur pro mortuo, *Alex. conſ. 139. num.4. lib.2. Oldrad. conſil. 284 num.4. Gutier. lib.1. quæſt. can. c.1. ex illis Sigiſm. de elect dub.10. num.7. Lauor. tit. 4. de elect. c.17. num.16.* Quartò in omnibus illis caſibus, in quibus velle, vel nolle, viuit, & non cenſetur ciuiliter mortuus, ideo enim quis dicitur quia mortuus quia caret libertate, quæ eſt origo, & cauſa velle, & nolle. Paucis hanc regulam tetigi *capite 5. de effectib. profeſſ. quæſt.18.*

Quæres 11. An religioſus habeat velle, & nolle? Hoc axioma habetur *ex cap. Non dicatis 12. 12. quæſtione 1. cap. Si religioſus 27. de elect. in 6. cap. fin. de teſtam. in 6.* neque etiam monialis, *Gloſ. in cap. Raptores 36. q.2.*

51 Reſpond. Religioſus caret velle & nolle quatenus illud transfert per profeſſionem obedientiæ ſub dominio, & poteſtate ſui ſuperioris, *Rodr. tom.1. q.25. art.5.* Habet locum regula hæc primò in omnibus illis caſibus, in quibus mundo religioſus cenſetur mortuus ex ſupradictis, & conſequenter ſecundo quo ad proprietatem, & dominium rerum pro ſe ex citato
52 cap. Non dicatis ſecundo in caſu electionis extra ordinem, cui non poteſt validè conſentire præter ſui ſuperioris licentiam, videtur ſufficere licentia localis *ex Gloſ. v. Superioris*, hoc ipſo quod dicit id præſtare poſſe ſine conuentu, ſolus enim ſuperior localis conuentum fugit, Prouincialis prouinciam, Generalis
53 religionem, dicti cap.27. de elect. Tertiò caret velle, in executione teſtamentaria? *ex cap. fin. cit. de teſtam. in 6. Sanchez lib. 6. cap. 11. à num.44. & 43.* ait valere etiam ſine licentia ſuperioris executio teſtamenti, licere non poſſit exequi mentem teſtatoris ſine licentia obtenta ſui ſuperioris nimirum localis, ob ſimilem rationem mox allatam, & ſi agatur de intereſſe conuentui debet concurrere conſenſus etiam capituli, quia quod omnes tangit ab omnibus approbari debet, ſecundum vulgata iura. Quartò caret velle in matrimonio contrahendo, obſtante voto caſtitatis; quò ſuam voluntatem quo ad hoc tranſtulit in ſuum ſuperiorem, qui nequaquam eamdem illi reſtituere poteſt, ſicut in præcedentibus, ex quo dicitur penitus carere, in hoc velle, & nolle, ideo ſubſequens omnino irritum, & nullum eſt ex decreto eccleſiaſtico, *cap Vn. de voto in 6.* ratio eſt, quia caret conſenſu efficaci, *Sanch lib.5. cap 1. num 6.*

Non caret velle primo in actibus naturalibus, quorum apud ſe dominium habet, ſicut & actuum internorum, *ex Migal. 2. 2. lib. 2. capite 5. numero 150.* Secundò non caret velle in iis, quæ non aduerſantur regulæ, aut eius ſtatutis, ſed ſolùm in iis quæ regulæ directè, aut indirectè contraria ſunt, *Sanch. libro 6. capite 2. numero 15. & 18. Nauar. tom. 2. Comment. 2. de regul. numero 59.* ait, quod religioſus multa licitè poteſt velle præter voluntatem ſuperioris, & tex. Extr. Quorumdam, idem dicit ex illis verbis Regulæ S. Franciſci. *Et aliam tunicam ſine caputio, ſi habere voluerint.* Tertiò habet velle in materia electionis, cum de iure id illi concedatur, Sigiſm. de elect. dub.10. num.6. & 7.

Quæres 12. An ordo, & religio ſint idē? Non loquor de ordine prout ſacramentum, quia certū eſt eſſentialiter differre inter ſe, cum religio non ſit ſacramentū

sicut ordo, sed nomine ordinis intelligendum est quidam modus viuendi regulatus.

54 Respond. Non videntur diff. tre, cap. Vn. de religiosis domibus in 6. nisi in eo, quod nomen Religio significat huiusmodi statum in genere vniuersalissimo, vox autem ordo idem importat sed magis restrictum in specie quasi sub alterna, vt colligitur ex cap. Ex tuæ fraternitatis 20. de simon. ibi. *Induceas propensius, vt ordinem alicuius religionis assumat.* Portellus v. Tertiatij num. 4. refert hanc differentiam, quod *Ordo* latius patet, quam nomen *Religio*, est enim religio quid strictius ratione votorum, & verbum *Religio* à religando dictum id sonat, quod non significat ordo sonans directionem, & ordinationem aliquam sine votis. Sed non placet, quia omnes religiones vocantur ordines, nam dicitur ordo Carmelitarum, S. Benedicti, & de S. Francisco dicitur: *Tres ordines hic ordinat, primumque Fratrum nominat Minorum, &c.* Sed quicquid sit de hac quæstione, quæ est de lana caprina.

Quæres 13. An status religiosi sit perfectior statu Curati, & Episcopi?

55 Respond. Status religiosi ex vna parte est perfectior ratione professionis, quia religiosus totum se ipsum Deo dedicat in manibus superioris, quod non facit Curatus, qui ex alio capite videtur esse in statu, seu potius officio maiori, & perfectiori ratione curæ animarum, nemo enim maiorem charitatem habet, quam vt animam suam ponat pro amicis suis. Quare ratione primi licitus est transitus à statu curati, quia non promisit illud obsequium ad statum religionis, *ex D. Thom. 2. 2. q. 189 art.* 8. & quod sit perfectior status religiosi, quam curati tradit *Nau. consil. 19 de cler. non resid. cap.* 1. 19 *q.* 1. Episcoporum vero status perfe-

56 ctior est, quàm status religiosorum *ex D. Thom. 2. 2. q. 184 art. 6. in corpore, q 185. art. 4. & q. 189. art. 7.* ratio est, quia status Episcopalis præsupponit perfectionem in eo, qui assumitur ad Episcopatum, non verò in eo, qui ingreditur religionem, quam profitetur, vt tendat ad perfectionem. Præterea Episcopi sunt successores Apostolorum, religiosi verò horum coadiutores, ergo maior est status illorum, quàm istorum.

Quæres 14. An religiosus debeat ad perfectionem tendere.

57 Respond. Religiosus status est via ad perfectionem, ad quam consequendam diligentiam adhibere tenetur religiosus, quæ consistit in obseruatione votorum, præceptorum, & consiliorum sibi in regula, & statutis præscriptorum, non tamen obligatione speciali, sed tantùm generali, seu ea, qua tenetur ad prædicta, propositum autem non assequendi hanc perfectionem obseruatione votorum, & præceptorum erit mortale, consiliorum autem veniale quandoque.

58 Primum, quod religio sit via ad perfectionem, probatur quia est schola virtutum, in quam nouitius ingreditur, vt in ea acquirat per exercitia spiritualia perfectionem, & charitatem, sufficit autem tendentia in eam, quamuis religiosus actu non consequeretur. *D. Thom. 2. 2. q. 184. art. 5. ad 2. Nauar. tom. 2. com. 1. de Regul num. 10. Rodr. tom. 3. q. 48. art. 1. & cum aliis Sanch. lib. 6. cap. 5. num.* 1.

Secundum, quod non teneantur tendere ad perfectionem aliqua speciali obligatione, probatur, quia religiosus tendit ad hanc perfectionem per obseruationem suæ regulæ, nempe trium votorum, præceptorum, & statutorum, ergo eodem præcepto, & obligatione, qua tenetur ad obseruantiam regulæ, adstringitur etiam tendere ad perfectionem. Ita colligit *Sanchez ex Caiet. quæst. 186. art. 6. Corduba ad Regulam S. Franc. cap. 1. q. 3. dicto* 3.

Tertium, proponens non tendere ad hanc perfectionem respectu votorum, & præceptorum peccat mortaliter etiam respectu consiliorum, constat ex eo quod per hoc propositum parui æstimat, & contemnit Dei consilia, per quæ tenditur ad perfectionem. Sanchez tamen num. 9. dicit esse solum veniale Sed puto esse mortale ex eo, quod aliud est propositum hoc speciale omnium consiliorum, respectu earum religionum, quæ præter tria vota, non habent in suis regulis, aut statutis nisi consilia non obligantia neque etiam ad veniale; sed id esset in hoc casu propositum non seruandi regulam, quod sine dubio est mortale; aliud verò est propositum non obseruandi aliquod consilium, præciso contemptu, tunc enim non est nisi veniale, sicut & quando non obseruat simpliciter occurrentia consilia in regula, seu statutis præscripta.

Quæres 15. De quibusdam qualitatibus religiosi sparsim apud Doctores in vnum perstrictis.

59 Respond. Religiosi suum relaxantes institutum non desinunt esse tales, sed ad pristinum statum per reformationem restituendi sunt. *Nau. consil. 13. de regul. num. 5. per cap. Ad nostram de appellat.* Cogi non possunt ad professionem nouæ regulæ. *Nau. consil. 16. de regul. num.* 16. Ad statum religiosi pertinet, quod sit sub obedientia sui superioris, qui illum per vim coactiuam dirigat in disciplinam regularem, *Rodr. tom. 3. q. 48 art. 1. §. Alij præferunt.* Religiosus dicitur persona spiritualiter commicta cum aliis religiosis *Nau. consil. 4. de rescr. num. 2. & 5.* Non debent esse deterioris conditionis clerici sæcularibus ex Bulla Pij V. incip Romani Pontificis in Bullar. Nouo 132. apud Consi. ct pag. 526. Clericus tamen dicitur dignior

60 monacho, *Glos. v. Abbas cap. 5 dist. 93.* sed hæc comparatio procedit respectu monachorum illius temporis, qui laici erant, modo autem religiosi excedunt clericos sæculares, vnde *glos. 5. Monachus cap. Cum ad nostram, de elect.* Ciues sunt illius vrbis, in qua morantur in suo conuentu, *Bart. in l. 1. ff. ad munic. ex Nau. tom. 2. com. 2.*

61 *de Regul. num. 63. & consil. 6. de testam. num. 3.* quare statutum prohibens, ne quid relinquatur aduenæ, non habet locum contra religiosum, non solùm, quia statutum laicale non afficit ecclesiasticum, verum etiam quia religiosus licet origine aduena, habitatione ta-

62 men licet breui ciuis est, non hospes. Religiosi antiquitus subiecti erant Episcopis *cap. 1. cap. Si quis 15. cap. Abbates 16. 18. q. 2. cap. Monasterio 17. cap. Abbatibus 18. cap. Cognouimus 19. cap. Visitanti 28 cap. Non semel 29. cap. Eremeriss 30. ead. 18. q. 2.* Religiosus debet vitare multitudinem hominum. *cap. Si quis 19. q. 3.* Monachus sine monasterio, siue cella caret vita, & est sicut piscis sine aqua *cap. Placuit 16. q. 1.* Monachus ad hoc debet intendere, vt status eius concordet cum nomine, *cap. Placuit 16. q. 5.* Monachus est magis sub Abbate, quam vxor sub viro *cap. Noluit 33. q 5. Graff. part. 1. lib. 2. cap. 27. num. 1.* Monachi tenent locum Apostolorum quo ad renonciationem proprietatis, *Glos v. tenent cap. 4. dist. 4. de consecr. ex cap. Ex authoritate.* Religiosus propriissimè dicitur, qui promittit tria vota *Clem. 1. de relig. domib. Armill. v. eod.* Religiosus debet esse contentus victu, & vestitu *cap. Cle-*

63 *ricus, cap. Episcopus 12. q. 1. Graff. pr. lib. 3. cap. 4. num. 36.* Religiosus extra manens de licentia sui superioris censetur residere intra claustra, *Silu. v. Religio 3. q. 19. per Abbatem in cap. Cum illorum, de sent. excom. Beia part. 4. casu finali, Nau. consil 13 num. 8. & consil. 32. de regul. num. 3. Rodr. tom 3. q. 15. art. 11. Mirand. tom. 1.*

64 *q. 22. art. 5. Vectbius disp. 11. dub 3. n.* 10. Religiosus æquiparatur seruo; *ex cap. Multas dist. 54. Bald. in l. Seruus C, comm. de success. & Bartol. in l. Cum fundus,* dicunt, omnia iura de seruo loquentia, habere locum in religioso in iis, quæ illi aptari possunt, *Megal. 2. 2. lib. 2. cap. 5. num. 146 Feder de Senis consil. 159. N consil. 24. de statu monach. num. 8. & tom. 2. com. 2. de regul. à num.* 30. vnde sicut se habet seruus ad dominum, ita religiosus ad Prælatum, Seruorum iura quoad acquisitionem, & amissionem rei habent locum in religiosis *ex Innoc. allegat. à Nau. cit. com. n. 30. Sanch. l. 7. c. 12. n. 40.* asserit quod religiosus modo comparatur cum seruo,

modo

modo cum filiofamilias, quo ad bonorum acquisitionem, in qua comparatione concludit, maiorem doctorum partem tenere, spectandam esse maiorem conuenantia vtilitatem, atque adeo, si vtilitua sit æquiparare monachum seruo, æquiparabitur, secus filiofamilias, per doctores ab eo citatos. Religiosus in materia voti 45 æquiparatur impuberi *Megal. consil.* 13. *num.* 8. Religiosus quis fieri non debet cum festinatione *cap. 1. fine* 33. *q.* 5. Religiosus alius alio maior ex quatuor causis, ex pluribus obtentis gradibus, ex maiori virtute, maiori numero amicorum, ex nobilitate generis cum virtute coniuncta, *Peyrin. tom. 3. de priuil. c. 30. n* 14. *per cap. De multa, de prabend.* sed nobilitas generis spernenda est, cum sit in religione mortificata. Ingrediens religionem dicitur contrahere matrimonium nempe spirituale, *Bartol. in Authent. de sanct. Episc. §. Sed & hos num.* 2. *Cynus in Auth. Nisi rogati C. ad sen. cons. Trebell. Sanch. lib. 1. disp. 33. num.* 31. *§. Tertia* Incongruum est, quod regulares sæcularibus supponuntur, *cap. Dilectus* 2. *de capell.* mon. Nomen hoc Religiosos importat ecclesiasticum bonæ famæ, *Glos. v. eod. cap. 5. de purg. can.* Ecclesiastica persona dicitur, *cap. Præsens* 4. *fine* 10. *q.* 3. Religiosi debent esse viri perfecti, *cap. Etsi* 26. *de iureiur.*

RESOLVTIO LXXXVI.

De confirmatione Religionum.

SVMMARIVM.

Confirmatio ordinum à Papa inducta à Concil. Lateran. anno 1215.
Singulorum ordinum tempus confirmationis refertur.
Militantes sub regula S. Basilij.
1 *Militantes sub regula S. Augustini.*
87 *Militantes sub regula S. Benedicti.*
131 *Militantes sub regulis S. Francisci.*
135 *De aliis ordinibus extra prædictos quatuor.*
144 *Papa approbat ordines.*
145 *Episcopi vero ante concilium Lateranense.*
146 *Approbare ordinem, & regulam idem.*
147 *Approbatio est de essentia religionis.*
148 *Papa post Concilium Lateran solus approbat religionem.*
149 *Ordo literæ attenditur in præcedentia.*
150 *Quibus mediis intelligatur approbata religio.*
151 *Temporis diuturnitate ordo præsumitur approbatus.*
152 *Confirmatio retrahitur ad tempus instituti ordinis.*
153 *De antiquitate Carmelitarum.*
154 *Vera religio sub professione trium votorum à Christo cœpit.*
155 *Antea erat figura, & vmbra.*
156 *Summi Pontifices laudant Carmeliticum ordinem à Prophetis.*
157 *A quibus hæreditariam successionem habuerunt quoad limitationem.*
158 *Sancti nonnulli Carmelitæ.*
159 *A recitatione officij alicuius sancti non arguitur illum esse ordinis.*
160 *Antiquitas conuentuum non semper arguit statum religiosum.*
161 *Carmelitæ plures Regulas habuerunt.*
162 *Regula est de essentia religionis.*
163 *Ordo, & Religio diuersa.*
164 *Albertus patriarcha Ierosolymitanus laudatur.*
165 *Quandonam dedit Regulam Carmelitis.*

Resolutio hæc multum necessaria est, ne dicam vtilis ad materiam de præcedentia, vt vnaquæque religio sciat iura sibi competentia in hoc negotio. De confirmatione religionum determinatur in iure communi duobus in locis, eodem titulo nimirum de Relig. domibus in Decretalibus, & in sexto.

Primus locus continet decretum factum in Concilio generali Lateranensi celebrato anno 1215. sub Pontificatu Innocentij III. electi anno 1198. die 12. Februarij in hæc verba. *Ne nimia religionum diuersitas grauem in ecclesiam Dei confusionem inducat firmiter prohibemus, ne quis de cætero nouam religionem inueniat, sed quicumque ad religionem conuerti voluerit vnam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de nouo fundare, regulam, & institutionem accipiat de approbatis.* Glosa ibidem dicit id esse conforme legibus ciuilibus, quæ non permittunt, nouum institui collegium inconsulto principe. L. 3. de Colleg.

Secundus locus continet aliud decretum priorum confirmatiuum, in quo etiam reuocantur ordines Mendicantium per Papam non approbati creati post Concilium supradictum Lateranense; hoc autem secundum decretum factum fuit in Concilio generali Lugdunensi celebrato sub Gregorio X. electo anno 1271. Calendis septembris, qui obiit 1267. est autem sequentis tenoris. *Religionum diuersitatem nimiam, ne confusionem induceret Generale Concilium consulta prohibitione vetauit. Sed quia non solum importuna petentium inhiatio illarum postmodum multiplicationem extorsit, verum etiam aliquorum præsumptuosa temeritas diuersorum ordinum præcipue Mendicantium, quorum non dum approbationis meruere principium effrenatam quasi multitudinem adinuenit repetita constitutione districtius inhibentes; ne aliquis de cætero nouum ordinem aut religionem adinueniat, vel habitum nouæ religionis assumat. Cunctas affatim religiones, & ordines Mendicantes post dictum Concilium adinuentos, qui nullam confirmationem sedis Apostolicæ meruerunt perpetuæ prohibitioni subiicimus, & quatenus processerant reuocamus. Confirmatos autem per sedem eamdem, post idem tamen Concilium institutos, quibus ad congruam sustentationem reditus, aut possessiones habere professio, siue regula quælibet interdicunt, sed per quæstum publicum solet tribuere victum incerta mendicitas modo decernimus subsistere infrascripto videlicet professoribus eorumdem ordinum, ita liceat in illis remanere si velint, quod nullum ad eorum professionem admittant, nec de nouo domum vel aliquem locum acquirant, nec domos, seu loca, quæ habent, alienare valeant sine sedis eiusdem licentia speciali, Nos enim ea dispositioni sedis apostolicæ reseruamus in terræ sanctæ subsidium, vel pauperum, vel alios pios vsus per locorum ordinarios, vel eos, quibus sedes apostolica commiserit conuertenda. Si vero secus præsumptum fuerit, nec personarum receptio, nec domorum, vel locorum acquisitio, aut ipsorum, cæterorumque bonorum alienatio valeat, & nihilominus contrarium facientes sententiam excommunicationis incurrant. Sane ad Prædicatorum, & Minorum ordines, quos euidens ex eis vtilitas ecclesiæ vniuersali proueniens perhibet approbatos præsentem non patimur constitutionem extendi. Cæterum Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum ordines, quorum institutio dictum Concilium generale præcessit, in solido statu volumus permanere.*

Antequam deueniamus ad resolutionem quæstionum de hac materia placet compendiose referre omnium ordinum originem, & inceptionem, quod etiam erit eorundem approbatio, & confirmatio, quod multum necessarium est ad materiam præcedentiæ, quæ inter regulares attenditur penes approbationem factam à Papa, prætermissis antiquorum patrum eremitarum institutis, vt S. Pauli primi eremitæ, qui floruit anno 258. S. Antonij Abbatis circa annum 271. obeuntis anno 359. B. Caritonis circa annum 279. S. Pachomij Abbatis nati anno 295. floruit circa 325. mortuus 405. S. Macharij Abbatis obitus 350. Sabbæ Abbatis institutio circa annum 400. Incipiem iuxta

quatnor celebriores regulas à S. Basilio, Augustino, Benedicto, & Francisco.

De militantibus sub S. Basilio.

Sanctus Basilius magnus ecclesiæ doctor cum suis monachis floruit secundum Mirandam tom. 1. quæst. 4. art. 1. anno 350. secundum vero Tambur. tom.2.disp.24.q.3.n.2. circa annum 369. secundum Abbatem Silvestrum Maruliim in suo Mari Oceano lib.1. pag. 57. floruit circa annum 380. sed concordemus has temporum differentias dicendo sanctos non vno aut altero anno florere, sed per multus annos vsque ad mortem.

Eiusdem S. Basilij Congregatio apud Siculos, & Italos confirmata ab Alex. III. Bulla incip. *Apostolicæ sedis.* Dat. 12. cal. Nouembris 1175. quam extendit Tambur. to n.2 disp.24 q 3.

Militares sub Regula S. Basilij confirmationem obtinuerunt per Bullam incip. *Non possum* Leonis I. qui fuit electus anno 440. Tamb. tom. 2. cit. dicit institutam fuisse hanc congregationem anno 312. huius caput & princeps fuit Alexius, signum eius est crux rubea.

Militantes sub Regula S. Augustini.

Sub regula S. Augustini prout refert Tambor.tom.2. disp.24. q 4 militant nonaginta ordines S. Augustinus natus 13. Nouembris 350. renatus per sanctum Ambrosium anno 391. assumptus ad Episcoparum Hipponensem ætatis annorum 33. anno 397. obiit anno 434. ex Marulo, sed aut ipse, aut impressor errauit in supputatione, nam enm quis ad Episcopatum non assumarur nisi post baptisma, ad quem electus fuit anno 397. vt ipse testatur, inferendum est, ætatis fuisse 47.n.33.

1 Canonicorum Regularium Lateranensiom ordo ad præscriptum Regulæ S. Augustini fuit circa annum 397. dicitur originem ab apostolis trahere, & sic inter quascumque religiones esse primam, vnde super omnes alias præcedentiam obtinuerunt, post longum certamen cum monachis S. Benedicti, de qua re Tambur.tom.1. disp.25.q.1.

2 S. Frigidiani eorumdem canonicorum Later. incæpit ab anno 556. cuius autor fuit S. Frigidianus Episcopus Lucanæ ecclesiæ.

3 S. Iacobi de Spata Canonicorum Regularium ordo incæpit anno 830 à Ramiro rege Legionensi, confirmarus ab Alex. III. electo 1159.

4 S. Rufi canonicorum regularium incæpit circa annum 1000. confirmatus à Pascali II anno 1115.

5 Portuensium Canonicorum regularium ordo incæpit circa annum 1115. aut 1117. à Petro clerico ciue Rauenatensi ex familia de Hunestis confirmatus ab Paschali II anno 1117.

6 Aroasiensis Canonicorum regularium ordo cæpit anno 1097. autoribus Conone, & Heldemaro.

7 Mortariensis Canonicorum ordo anno 1083. ab Adamo clerico Mortariensi, confirmatus à Gregorio VII. sequenti anno, aut ad plus anno 1085. quo obiit.

8 Barbacensis Canonicorum ab oppido Marbac in Arsatia ordo incæpit circa annum 1090 aut 1094. à quodam Manegoldo viro pio, de quo Honor. II. in sua Bulla, electus anno 1124.

9 S. Quintini Canonicorum ordo Belnacensis anno 1078. à B. Iuone S. Quintini Præposito, & post Episcopo Carnotensi.

10 S. Laurentij de Plebe martirum, siue de Vltio Canonicorom in Delphinatu ordo cæpit anno 1050. à sacerdote Gerardo de oppido Vltij, primo priuilegia concessit Alexander II. anno 1072.

11 S. Victoris Parisiensis Canonicorum ordo dictus Victoria Congregatio incæpit anno 1113.

12 S. Sepulcri Hierosolymitana Canonicorum Congregatio incepit confirmata à Celestino II. anno 1144. extincta, & eius bona commeodata Maltensibus.

13 S. Mariæ ad Renum Canonicorum ordo incepit 1126. confirmatus ab Innocentio II. extinctus anno 1430.

14 S. Iacobi de Cella Volana Canonicorum ordo cæpit anno 1000. in diœcesi Camuelensi.

15 S. Crucis Conimbricensis Canonicorum ordo cæpit 1131. authore Tello Archidiacono eiusdem Ecclesiæ, confirmatus ab Innocentio II. anno 1135.

16 S. Mariæ de Crescentiaco Canonicorum ordo cæpit anno 1140. prope Mediolanum.

17 Vallis viridis Canonicorum ordo cæptus ante annum 1200.

18 S. Antonij de Vienna Canonicorum ordo institutus circa annum 1297.

19 Præmonstratensium Canonicorum ordo primum sub regula S. Benedicti à S. Norberto institutus, subinde sub regula D. Augustini anno 1120. vsque modo militat, confirmatus ab Honorio II. anno 1126. ab Innocentio III. anno 1199.

20 Scholarium Canonicorum ordo à quibusdam Scholaribus Bononiæ studentibus ibidem institutus ante annum 1200.

21 Cruciferorum Canonicorum ordo institutus circa annum 1248. in Belgio ad Mosam fluuium in oppido Huyo diœcesis Leodiensis, confirmatus ab Innocentio IV. electo anno 1243.

22 Vuidesimensium Canonicorum ordo cæpit in Germania inferiori anno 1387. à Gerardo Groot in Dauentria.

23 Nussiensium Canonicorum anno 1370. apud Nussiam in diœcesi Coloniensi vnitus ordini præcedenti anno 1430.

24 S. Demetrij, seu S. Mariæ de Metri Canonicorum ordo anno 1200. collapsus fuit restitutus per Paulum V. & approbatus fuit sub eadem regula S. Augustini.

25 S. Spiritus Venetiarum Canonicorum ordo cæpit anno 1424. institutus à quatuor iuris illustribus Venetis.

26 Frigionarius Canonicorum ordo institutus anno 1406 à D. Bartolomeo Columna.

27 S. Petri de monte Corbulo Canonicorum ordo cæpit circa tempora Iulij II. electi anno 1503. & ab eodem confirmatus, in agro Florentino à quodam Petro Regiensi, aut Mediolanensi.

28 Castinantionis Canonicorum ordo cæpit eodem fere tempore, quo præcedens.

29 S. Saluatoris Canonicorum ordo cæpit Bononiæ anno 1408. autore Stephano Ciono Senensi priua ordinis Eremitarum, à Gregorio XII. confirmatus eodem anno.

30 Olmutiensis Canonicorum ordo in Morauia in ecclesia omnium Sanctorum cæpit temporibus Alexandri VI. electi anno 1492. obiti anno 1503.

31 S. Gregorij de Alga Venetiarum Canonicorum ordo cæpit anno 1404. sub nomine Canonicorum sæcularium, licet professione sint regulares, approbatus à Gregorio XII. anno 1406. 27. Iunij.

32 S. Marci Canonicorum apud Mantuam ordo cæpit anno 1194. ab Alberto Spinola, approbatus ab Innocentio III. electo 1198. obito 1216.

33 Cruciferorum Canonicorum ordo fertur institutus à B. Clemente approbatus ab Vrbano III. 1187. & à rè ab Alexandro III electo 1159.

34 S. Spiritus in Saxia Canonicorum ordo ab Innocentio III. anno 1204. Hospitale est Romæ S. Spiritus.

35 Eremitarum S. Augustini ordo erat approbatus ante

Concilium

Concilium Lateran. celebratum anno 1215. ſub Innocentio III. vt expreſſe dicitur in conſtitutione Concilij generalis Lugdun. ſub Gregorio X. relata in cap. Vn. de relig. domib. in 6.

36 Eremitarum S. Gulielmi Aquitaniæ ducis ordo, cæpit circa annum 1156. videntur tamen eſſe huius religioſi ſub regula S. Benedicti, per Innocentium VI. anno 1254.

37 Eremitarum Ioannis boni Mantuani ab eodem cæpit pauloante Innocentium III. qui eiſdem dedit regulam S. Auguſtini anno 1198.

38 Eremitarum S. Hieronymi in Hiſpania reformatus anno 1370. tempore Vrbani V. à D. Petro Fernandez approbatus à Gregorio XI. anno 1373.

39 Eremitarum B. Petri de Piſis ordo cæpit 1380.

40 Eremitarum Conuentualium S. Auguſtini.

41 Eremitarum Illiceranus ordo à Magiſtro Bartolomæo Veneto initium habuit anno 1387.

42 Eremitarum Corbonarius de Obſeruantia in terra Laboris à F. Simone Cremonenſi anno 1399.

43 Eremitarum Peruginus ordo de Obſeruantia in prouincia Vmbriæ cæpit anno 1434.

44 Eremitarum Lombardiæ ordo de Obſeruantia ortum habuit anno 1444. à F. Rocho Papienſi, & Gregorio Cremonenſi in vrbo Crema.

45 Eremitarum S. Mariæ Montis Hortonæ ordo à P. Simone de Camerino cæpit anno 1460.

46 Eremitarum Batiſtellorum de Obſeruantia à Baptiſta inſtitutore anno 1484. dicitur etiam Genuenſis.

47 Eremitarum Dulcinus ordo à F. Felice Apulco circa annum 1492.

48 Eremitarum Calabriæ ordo de obſeruantia à F. Franciſco Zampana Calabrenſi anno 1502.

49 Eremitarum Dulmoſus ordo de Obſeruantia eodem tempore cæpit.

50 Eremitarum Germanicus ordo ab Andrea de Proles anno 1514.

51 Eremitarum S. Pauli eremitæ cæpit anno 1550.

52 Eremitarum Diſcalceatorum ordo inſtitutus Romæ anno 1599. vt ſupponitur à Clem. VIII. Hæc de Eremitis S. Auguſtini.

Nota, quod à num. 35. vſque ad 52. Religiones anumeratæ vocantur communi nomine Eremitarum S. Auguſtini, quorum confirmatio non potuit eſſe ante Concilium Lateranenſe celebratum anno 1215. omnium, ſed alicuius tantum, vnde variant Scriptores, nam Confectius Eremitarum initium ſumit ab anno 364. quod veriſimile non eſt, quum nullæ extent de hac re Bullæ Pontificiæ, reparatum ait à Gulielmo anno 1157. de quo dixi ſub n. 36. conſtat vero de eius vnione, & confirmatione ſub Alexandro III. anno 1256.

53 Armenorum S. Bartolomæi ſub regula S. Auguſtini poſtea Genuæ ordo ſub ſtatutis S. Dominici induunt habitum more conuerſorum S. Dominici, vocantur etiam S. Baſilij, cuius regulam alias ſequuti fuerunt, Mediolani habitant in eccleſia S. Coſmi prope portam Orientalem, ſub Clemente V. fundatum monaſterium Genuenſe.

54 Trinitatis Redemptionis Captiuorum circa annum 1198. in Gallis ad redimendos captiuos, confirmatus ab Innocentio III. anno 1209.

55 B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum ordo cæpit anno 1218. Barcinonæ in regno Aragoniæ, confirmatus à Gregorio IX. anno 1235.

56 S. Dominici ordo dictur Prædicatorum ſub regula S. Auguſtini inſtitutus anno 1205. approbatus ab Honorio III. Bulla incip. *Religioſam vitam* anno 1216. menſe Decembri.

57 Eiuſdem S. Dominici ordo Tertius approbatus ab Innocentio VIII. anno 1405.

58 Seruorum B. M. V. ordo à ſeptem nobilibus viris Florentinis cæptus anno 1216. confirmatus à Benedicto XI. anno 1304. die 11. Februarij ex tenore Bullæ conſtat antea fuiſſe confirmatus. In monte Senario vitam ducunt eremiticam ex ordine Clementis VIII. Reformatus fuit ordo à B. Philippo anno 1285. Habent ſuos Tertiarios, quorum inſtitutum firmauit Martinus V. anno 1414.

59 Caritatis Patrum ordo inſtitutus à Guidone Ianuillano S. Georgij domino in diæceſi Catalaunenſi anno 1290. eius exercitium eſt recipere hoſpites.

60 Ieſuatorum S. Hieronymi ordo inſtitutus à B. Ioanne Columbino Senenſi anno 1354. confirmatus à Martino V. anno 1428. Bulla incip. *Pia poſtulatio.*

61 S. Ambroſij ad Nemus ſub regula D. Auguſtini floruit anno 1375. per tres viros Mediolanenſes ordo approbatur à Gregorio XI. anno V. ſui Pontificatus, hoc eſt, anno Chriſti ſupradicto.

62 Apoſtolinorum fratrum ordo habuit originem ab Apoſtolis, quod nomen retinuit in ſua approbatione facta ab Alexandro VI. ſub datum ſeptimo idus Ianuarij 1480. vnitus præcedenti S. Ambroſij. Iſti profitebantur ante Alex. prædictum more Ieſuitarum, vt colligitur ex eius Bulla ex decreto Bonifacij VIII. anno 1484.

63 S. Hieronymi de Feſulis ex hac vrbe antiquiſſima deſtructa prope Florentiam ordo cæpit ſub regula S. Auguſtini circa annum 1406. à Carolo Romenſi comite montis Granelli, cum Redone Granello, & Gualterio Marſio, confirmatus ab Innocentio VII. mortuo anno 1406. per Bullam poſtmodum expeditam ab Gregorio XII. anno 1416.

64 B. Ioannis Dei ordo in Luſitania inſtitutus anno 1538. à Pio V. confirmatus anno 1572. calend. Ianuarij Vocatur: *Fate bene Fratelli.*

65 S. Pauli primi Eremitæ ordo in Luſitania cæpit anno 1561.

66 Fratrum Reformatorum, & Diſcalceatorum S. Trinitatis Redemptionis captiuorum inſtitutus anno 1599. ex approbatione Clementis VIII. Similem reformationem eiuſdem ordinis erexit Vrbanus VIII. anno 1631. die 28. Februarij, quorum Fratres in Viſitatorem eligunt aliquem ex Fratribus diſcalceatis Carmelitis, vel alterius ordinis reformatum in ſuum Viſitatorem. Aliam reformationem approbauit Paulus V. anno 1603. erectam Matriti in capella B. M. V. de Remedijs, per ſuam Bullam incip. *Inter omnes,* ſub datum anno 1606. 10. calend. Septembris.

67 S. Antonij in Flandria ordo inſtitutus anno 1615. confirmatur à Paulo V.

68 Alexianorum Fratrum ordo ſub protectione S. Alexij cæpit anno 1309. quorum principale officium eſt ſepelire mortuos, & ſunt ſimpliciter laici.

69 Bonorum Hominum ordo inſtitutus à Ricardo comite Cornubiæ Henrici III. Regis Angliæ Fratre circa annum 1257.

70 Clericorum Hoſpitalariorum anno 1300. inſtitutus ab Auguſtino Nouello confeſſario Bonifacij VIII. qui eum confirmauit, electus autem fuit Papa 1294. inſeruiunt hoſpitalibus.

71 Clericorum vitæ communis anno 1376. à quodam Gerardo.

72 Theatinorum regularium circa annum 1524. à Petro Carafa Epiſcopo Theatino confirmatus à Clemente VII. die 24. Iunij 1524.

73 S. Pauli Decolati, ſeu Bernabitarum ordo circa annum 1526. inſtituitur Mediolani, vbi morantur in eccleſia S. Barnabæ, vbi eſt caput religionis confirmatus à Clemente VII. die 18. Februarij 1533.

74 Boni Ieſu clericorum ordo incepit Rauennæ anno 1526.

75 Somaſchinorum S. Maioli ordo cæpit anno fere eodem 1526. per Hieronymum Emilium Venetum confirmatur à Paulo III. anno 1540.

76 Miniſtrantium infirmis Clericorum regularium ordo cæpit anno 1581. exhortatione S. Philippi Nerij, confirmatur à Sixto V. die 18 Martij 1586.

77 Minorum

77 Minorum Clericorum regularium ordo inceptus ante annum 1588. per patrem Augustinum Adornum Genuensem à Sixto V. confirmatus die prima Iulij 1588.

78 S. Lazari Equitum militaris ordo institutus anno 361. confirmatus ab Alexandro IV. die 11. Aprilis 1255.

79 S. Sepulchri militaris ordo sub Constantino Magno de anno 1134.

80 Melitenses militares approbati à Gelasio II. & ab Anastasio IV. anno 1154.

81 Teutonicorum militia cœpit anno 1119. approbatus à Celestino Papa III.

82 S. Ioannis Aconensis militia cœpit sub Alphonso cognomine Sapiente.

83 S. Iacobi militia confirmata anno 1175. ab Alexandro III.

84 S. Iacobi militia in Lusitania.

85 S. Mariæ Gloriosæ militiæ institutio ab Vrbano IV. electo 1261.

86 Pœnitentiæ Sanctorum martyrum militiæ institutio ignoratur.

Militantes sub Regula S. Benedicti.

Sub regula S. Benedicti Tambur. eodem tom. 2. disp. 24. q. 5. refert 85. Congregationes sub ea militantes, quæ sunt infrascriptæ.

87 S. Benedictus natus anno 480. initium ordini suo dedit anno 520. in specu Sublaci, mox anno 528. in monte Cassino, vbi sepultus obijt anno 542. vel 543. anno ætatis suæ 62. aut 63.

88 Sicula Congregatio à S. Placido instituta anno 536. confirmata à Vitaliano Papa.

89 Gallica congregatio à S. Mauro initium habuit anno 541.

90 Benchorensis à S. Comogello Abbate fundata anno 570.

91 S. Augustini Cantuariensis ab eodem cœpta sub anno 596.

92 Valebarensis, seu Sibirtina anno 620.

93 Lytinensis in Gallia anno 470.

94 Floriacensis à Floro sub anno 651. sub protectione sedis Alexandri II. anno 1063.

95 Ingituiensis, seu Gilibena circa annum 700.

96 Fuldensis à S. Bonifacio Anglo Monacho Archiepiscopo Moguntino erecta anno 750.

97 Dunstanensis à viro Dunstano initium cœpit anno 900.

98 Cluniacensis opera Gulielmi Pij Ducis Aequitaniæ anno 910.

99 Camaldulensis à S. Romualdo sub anno 1000. approbata ab Alexandro II. anno 1073.

100 Montis Coryli à fonte Corylo in monte Appennino prope ciuitatem Calliensem à S. Lamdulpho anno 1008.

101 Hisfeldensis in Germania anno 1030.

102 Vallis Vmbrosæ à Ioanne Gualberto anno 1012.

103 Cauensis anno 1050. à S. Alferio.

104 Viuariensis anno 1064.

105 Lantfranci anno 1077. à S. Lantfranco erecta in Anglia.

106 S. Arialdi ab eodem martyre cum socijs Mediolani anno 1080.

107 Hirsaugiensis à S. Gulielmo Abbate S. Aurelij anno 1080.

108 Grandimontensis anno 1080. à Stephano Albanensi.

109 Cistertiensis in diæcesi Cabilonensi anno 1098. à S. Roberto Abbate, confirmatur ab Eugenio III. anno 1152.

110 Fontanensis Eremitarum anno 1110. à B. Ricardo monacho Cistertiensi.

111 Fontis Ebraldi in diæcesi Pictauiensi à S. Roberto Blesio Parisino monacho Benedictino anno 1121.

112 Mellicensis in Germania anno 1122. à D. Sigibeldo Abbate.

113 Sauigniacensis anno 1121.

114 Montis Virginis à S. Gulielmo Vercellensi Benedictino anno 1121.

115 Gilbertana à S. Gilberto in Anglia anno 1148. sub Eugenio III. approbata, sed modò extincta.

116 Florensis à B. Ioachimo in Calabria anno 1196.

117 Humiliatorum à nobilibus Mediolanensibus anno 1196. modo extincta.

118 S. Pauli primi Eremitæ ab Eusebio Stringoniensi anno 1215.

119 Siluestrina à S. Siluestro Gozzolino Auximanensi anno 1231. ab Innocentio IV. confirmata anno 1258.

120 Vallis Vmbrosellæ à S. Ludouico Rege instituta anno

121 Vallis Caulium prope Diuionem Galliæ vrbem anno 1240.

122 S. Nicolai de Arenis apud Catanam anno 1300.

123 Celestina à S. Petro de Morono Papa Celestino anno 1274. à seipso approbata anno 1294. & à Benedicto XI. anno 1304.

124 Oliuetana non longè à Senis anno 1319. à tribus nobilibus Senensibus approbata a Ioanne XXII. anno 1324.

125 Cistertiensis in regnis Castellæ anno 1425.

126 Genuensis S. Hieronymi de Siluaria anno 1425.

127 S. Bernardi Cistertiensis anno 1497. in Italia, instante Ludouico Maria Sforsia duce Mediolani.

128 S. Iustinæ de Padua reformata à Luduuico Barbo Veneto confirmata à Iulio II. anno 1503.

129 Eremitarum Camaldulensium approbata supponitur ex origine eiusdem, & in specie à Paulo III. anno 1534.

130 Fulliensis B. M. V. anno 1583.

Sequuntur Congregationes Militares, de quibus accuratè Tamburinus.

Militantes sub Regula S. Francisci.

131 S. Pater Franciscus suum instituit ordinem die 16. Aprilis, aut 18. Octobris anno 1209. suæ regulæ confirmationē oretenus, aut etiam Bulla, quæ ignoratur obtinuit ab Innocentio III. de qua confirmatione mētionem facit Honorius item III. in sua Bulla incip. *Solet annuere*, sub datum 29. Nouembris anno sui Pontificatus octauo, qui Christi in puncto fuit 1214. confirmans eamdem regulam, & ordinē; eam cum Regula, & testamento extendit Tamb. tom. 2. disp. 24. q. 6. Illius autem tres sunt Regulæ, sicut & tres ordines. Sub prima continentur viri inter se diuisi in plures classes, sub secunda militant Moniales dictæ Clarissæ à S. Clara prima discipula S. Francisci, & cunctarum sanctimonialium matre. Sub tertia comprehenduntur vtriusque sexus personæ tum seculares, tum regulares, de singulis aliquid.

132 Sub prima classe sunt Conuentuales, qui contra rigorosum paupertatis votum obtinuerunt priuilegia ab Innocentio IV. acquirendi in communi; ex quibus prodiere postmodum reformationes factæ à F. Cesareo 1244. item à duobus Fratribus nominatis Angeli anno 1394. & Conuentuales Reformati sub Sixto V. approbati ab eodem, Bulla incip. *Apostolici muneris*. Dat. 1578. idib. Octob. Alia reformatio introducta fuit de anno 1388. per fratres Gentilem de Spoleto, & Paulum de Trincis, adhuc sub strictiori obseruantia anno 1398. opera F. Ioannis à Stroncomio, & F. Thomæ Florentini, Zoccolantes appellati, qui sub eodem Generali permanserunt cum conuentualibus vsque ad Leonem X. suborta postmodum fuit alia strictior reformatio

ex

ex Zocolantibus approbata à Clemente VII. Bulla incip. *In suprema.* Dat. 1532. 16. cal. Decembris. Demum Capucini sub prima eadem regula militant, quorum institutum cæpit circa annum 1525. opera patris fratris Matthæi Bassij Regularis Observantiæ, approbatum à Clemente VII. Bulla incip. *Religionis zelus.* Dat. 1530. 5. nonas Iulij.

133 Sub secunda regula continentur moniales S. Claræ à S. Patre institutæ anno 1212. quarum regulam confirmauit Innoc. IV. anno 1253. per Bullam incip. *Solet annuere.* Dat. 5. Idus Augusti 1253. apud Tamb. tom. 2. disp. 24. q. 6. n. 10.

134 Sub tertia regula continentur Fratres Tertiarij, quibus sanctus Pater initium dedit anno 1221. cuius regulam approbauit Nicolaus IV. Bulla incip. *Supra montem.* Dat. 17. Augusti 1289. de qua regula nonnulla dixi Resol. 75. initio pro eisdem Tertiariis sæcularibus. De Regularibus vero dicam infra Resolut. 87. Interim vide Tamb. tom. 2. disp. 24. q. 6. num. 7. vbi multa dicit.

De aliis Ordinibus extra quatuor Regulas.

135 Cartusiensium ordo à S. Bruno institutus circa annum 1084. confirmatus fuit ab Alexandro III. anno 1176. ea Bulla incip. *Cum vos.*

136 Carmelitarum ordo cæpit circa annum 1160. sed quia Regula carebant, ideo confirmationem non obtinuit nisi sub Honorio III. qui regulam ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano approbauit anno 1226. die 30. Ianuarij. Sic docent Tambur. tom. 2. disp. 24. q. 7. n. 4. Mirand. tom. 1. q. 4. art. 7. qui ambo asserunt Honorium prædictum confirmasse illorum ordinem, sed differunt in tempore, nam Miranda affirmat Bullam fuisse datam Calendis Ianuarij, anno primo sui Pontificatus, Christi vero 1216. & circa principium Bullæ, quam Miranda sub his verbis: *Nos normam vestram.* Tambur. autem sub his. *Vt viuendi normam.* sub anno 10. Vterque videtur errare, Tambur. quidem, quia ordo Carmelitarum erat approbatus ante Concilium Lateranense celebratum anno 1215. vt expresse dicitur, *cap. Vn. de relig. domib.* & Honorius prædictus præcise concessit, vt possent vti Regula S. Alberti, quam ab eodem receperant ante Concilium præfatum. Miranda vero, quia mense Ianuarij, & anno 1216. Honorius III. nondum erat Papa, ergo neque vt Papa poterat confirmare eius regulam, Papa autem creatus fuit licet eodem anno 1216. non tamen initio, sed die 24. Iulij.

137 Carmelitarum Discalceatorum ordo institutus, seu potius prior reformatus circa annum 1565. à S. Teresia, cuius fuit institutrix ex Bulla canonizationis Greg. XV. confirmatus à Gregorio XIII. anno 1580. die 22. Iunij.

138 Minimorum ordo institutus à S. Francisco de Paula circa annum 1436. temporibus Eugenij IV. approbatus fuit à Sixto IV. Bulla incip. *Sedes Apostolica.* sub datum die 27. Maij 1474.

Clericorum Regularium ordo, qui vocatur Theatinorum, institutus fuit, & confirmatus à Clem. VII. die 24. Iunij 1524.

139 Societas Iesu ordo à S. Ignatio de Loyola incepit anno 1534. confirmatus à Paulo III. anno 1540.

140 Oratorij congregatio clericorum sæcularium instituta fuit à S. Philippo Nerio an. 1550. confirmata à Gregorio XIII. anno 1575.

141 Matris Dei Lucæ clericorum Regularium ordo cæpit anno 1574. à Patre Ioanne Leonardo à terra Diecimo diæcesis Lucensis, confirmatus à Clemente VIII. die 13. Octob. 1595.

142 Oblatorum S. Ambrosij Mediolani à S. Carolo anno 1580.

143 Clericorum pauperum Matris Dei Scholarum Piarum ordo erectus per Iosephum Calafantium ex regno Aragoniæ confirmatus à Paulo V. anno 1614. & prius à Clem. VIII.

Hæc satis sint, plura vide apud Tamburinum tom. 2. disp. 24. per totam, vbi citat autores de singulis tractantes. Succincte recensui originem, & confirmationem singulorum ordinum, vt cuique in promptu sit, quænam religio aliam origine, seu confirmatione præcedat. Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres 1. An ad solum Papam spectet confirmare religiones? an etiam ad Episcopos? Id esse munus Papæ nemo dubitat, cum religiosi omnes illi subdantur, cap. Per principalem 21. 9. q. 3. & eorum sit supremus prælatus, vnde eius est approbare nouam regulam, & nouum ordinem, vt ab effectu patet, cap. fin. de relig. domib. & cap. Vn. eod. in 6. initio relatis. Tota difficultas consistit in Episcopis an vnquam habuerint hanc facultatem, siue ex officio, siue delegatam. 144

Respond. Ante Concilium Lateranense, de quo initio huius resolutionis Episcopi iure communi approbabant Regulas, & confirmabant religiones, quod probatur per cap. Quidam 10. Qui religiosi 11. De Monachis 12. Cellulas 13. Nullus 14. & seq. 18. q. 2. in quibus locis dicitur, Monachos quo ad omnia esse subiectos Episcopis, ergo & quo ad approbationem Religionum, & Regularum, sub quibus viuere debent. Ita docent Lessius lib. 2. de Iust. cap. 41. n. 13. Mirand. tom. 1. q. 3. art. fin. Marquez de origine Fratrum Eremitarum, cap. 14. §. 1. referens ea Henr. lib. 10. de sacr. ord. cap. 3. §. 3. Episcopos numquam potuisse aliquam approbare religionem, nisi prius Papa approbasset Regulam eius; sed gratis id asseritur, nam approbare religionem nihil aliud est, quam ordinationes in Regula contentas vti laudabiles, honestas, & vtiles statui religioso autenticare, & confirmare, in hoc enim coincidunt approbatio regulæ, & religionis, cum religio cognoscatur per regulam consequenter approbans regulam. Bellarminus tom. 2. controu. lib. 2. de Monachis, cap. 4. & Azor. lib. 11. cap. 23. q. 5. negant requiri huiusmodi approbationem ad veram rationem religionis, quia antiquitus religiones sanctorum Antonij, Basilij, Augustini, & Benedicti huiusmodi approbationem non habuerunt; oppositum tamen constat ex citatis doctoribus, & locis iuris communis, & tradit contra illos Sanchez lib. 5. cap. 1. num. 15. id munus semper tunc temporis Episcopos præstasse, vide præced. Resol. num. 9. 145 146 147

Dixi ante Concilium Lateranense celebratum anno 1215. religiones confirmari ab Episcopis, nam post confirmandæ sunt à solo Papa, vt expresse dicitur, cap. fin. de relig. dom. & cap. Vn. eod. in 6. vnde religiones Eremitarum, & Carmelitarum institutas ante dictum Concilium voluit in suo robore permanere, quod indicat, ab Episcopis fuisse approbatas, Eremitarum quidem à S. Augustino, & Carmelitarum ab Alberto Patriarcha, non tamen ex hoc istæ duæ religiones habent præcedere ordinibus Prædicatorum, & Minorum, licet approbatis post dictum Concilium, nam S. Dominici approbatus fuit anno 1216. S. Francisci anno 1224. ratio est, quia approbatio Papalis, & de qua autentice constat per Bullam, vt prædictæ Prædicatorum, & Minorum præponendæ institutionibus Eremitarum, & Carmelitarum, vt id etiam colligitur ex ordine literæ tum ex eo cap. Vn. de relig. domib. vbi prius nominantur Prædicatores, & Minores, tum cap. Quorundam 24. de elect. in 6. vbi in ordine literæ Eremitani postremum obtinent locum, ab ordine enim literæ efficax sumitur argumentum in materia præcedentiæ, Dec. de iudic. Felin. in cap. Cum dilecta, de rescr. col. 3. per eam regulam, ille dicitur dignior, qui prius nominatur. 148 149

Angel.

Angel. in l. Generalitates, §. Si quidem, ff. de fideicom. libert. Gemin. in cap. fin. de off. delegan 6.

Quæres 2. Quibus verbis censeantur approbatæ religiones à summis Pontificibus?

150 Respond. Non datur certa forma confirmandi religiones, sed Pontifices diuersis vsi fuerunt verbis. Primo igitur confirmatur aliquis ordo formaliter per verba exprimentia huiusmodi approbationem religionis, seu Regulæ, vt fecit Honorius III. pro Regula prima, & ordine S. Francisci his verbis. *Ordinis vestri Regulam à bona memoria Innocentio Papa prædecessore nostro approbatam annotatam præsentibus authoritate vobis Apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus.* Hic est proprissimus modus confirmandi religionem aliquam; alius etiam modis, & virtualiter contingit huiusmodi ordinum confirmatio: & Secundo compositione, & traditione Regulæ, vt fecit Nicolaus IV. Bulla incip. *Supra montem*, in qua ipse videtur inuentor Regulæ Tertiariorum S. Francisci, quamquam probaui Resol. 75. n. 7. ex Patre Vadingo illam fuisse dictatam eisdem Tertiariis à sancto Patre. Tertiò per assumptionem patrocinij, & protectionis similibus verbis. *Sub B. Petri, & nostra protectione suscipimus, & præsentis scripti priuilegio communimus.* Quartò per concessionem possessionis bonorum, quæ religiosi possident, vt Alexand. II. confirmauit Canonicorum Regularium S. Frigidiani ordinem illis verbis. *Suscipimus sub defensione Apostolicæ sedis quicquid in maritima eidem Sanctissimi Frigidiani Ecclesia pertinere videtur, vt ab hac hora in ea antea consistant, & permaneant supradicta res in possessione vestra.* Quintò aliquis ordo tunc censetur confirmatus, quando Papa illius religiosis concedit, vt possint profiteri sub tali regula, vt fecit Clem. VIII. Discalceatis S. Augustini Eremitarum, quorum professiones in antea emissas Papa approbauit, & confirmauit per suam Bullam incip. *Decet Romanum.* Sexto, quando Papa illis certam profitendi formam assignat, vt fecit Ioannes XXII. aut XXIII. Tertiariis Flandrensibus Bulla incip. *Personas vacantes.* Septimo concessione aliquorum priuilegiorum, vt fecit Honor. II. Dominicanis per suam incip. *Religiosam vitam.* Gregorius IX. Tertiariis S. Francisci, Bulla incip. *Nimis patenter.* Octauo indulgendo vt permaneant in ecclesia tali celebrando diuina officia, vt fecit Gregorius XI. Fratribus S. Ambrosij ad Nemus illis verbis. *Concedimus, quod in præfata ecclesia vos, & alij Fratres, qui post vos erunt ibidem commemorari, & existere sub professione, & regula B. Augustini valeatis, & Fratres S. Ambrosij nuncupemini, officium quoque diuinum Ambrosianum dicatis.* Bulla incipit. *Cupientibus*, apud Tambur. tom. 2. disp. 24. q. 4. n. 70. Nono demum religio aliqua censetur approbata cum sua regula, & aliis adnexis quandocumque Papa illi concedit aliquod priuilegium, vt docet Ludouicus de Angelis Eremitanus, apud Penottum lib. 1. Hist. Canon. Regul. cap. 36. n. 7. ad finem. Ratio omnium prædictorum sit, quia per aliquam gratiam religiosis factam censetur esse bene affectus erga eorum institutum, & modum viuendi, & consequenter illorum religionem, ordinem, & regulam confirmare.

151 Temporis antiquitate præsumitur aliquis ordo confirmatus à Papa, eo quod non mutatur sed in suo esse perseuerat, stare, & permanere non prohibetur. l. Sancimus C. de testam. l. Præcipimus ff de appellat. diuturnitate ergo temporis antiquissimi præsumitur titulus confirmationis etiam ipsius Papæ, vt ex Decio consil. 36. Moched. decis. 52. & est communis opinio, vt per Bald. de præscript. firmat Scipio Lancellotus pro Canon. Regul. in causa præcedentiæ contra Monachos S. Benedicti, apud Tamb. tom. 1. disp. 25. q. 1. num. 147.

Quæres 3. An approbatio retrotrahatur ad diem instituti ordinis ab aliquo fundatore, e. g. S. Franciscus ordinem suum primum instituit anno 1208. quem confirmauit Honorius III. anno 1214. An approbatio hæc retrotracta fuerit ad tempus institutionis?

Respond. Retrotrahitur ob beneficium religiosorum sine præiudicio tertij, quod probatur, Tum ex Bulla Honorij III. verbis eius supracitatis, vbi mentionem facit de confirmatione facta ab Innocentio III. quod est signum retrotractionis. Tum ex Sixto IV. nostrorum Tertiariorum votum solemne emissum iam in antea, & in futurum emittendum approbatur, per Bullam incip. *Ad Christi Vicarij.* Quod idem fecit Clem. VIII. pro Discalceatis S. Augustini, cuius Bullam *refert Tambur. tom. 2. disp. 24. q. 4. n. 54. Ita docent Bald. in l. 1. C. de testam. man. Paris. consil. 19. num. 3.* 152

153 Superius sub num. 136. dictum fuit, quod ordo Carmelitarum cœpit sub anno 1160. sed quia carebant eius professores Regula, ideo confirmationem non obtinuisse nisi sub Honorio III. qui Regulam ab Alberto Patriarcha Ierosolymitano confectam approbauit anno 1226. Quod Regula caruerint Carmelitæ docet verbis expressis *Tamb. tom. 2. disp. 24. q. 7. num. 4.* quam ego secutus sum hic, & in Theatro præcedentiæ q. 107. & 129.

Contra hæc insurrexit quidam Antoninus Carmelita reprobando prædicta, cuius dicta, ea modestia, quæ decet, quia tuetur iura propria, reiecta habes in nostro opere de Professione Regulari proximè in lucem edendo Venetiis.

Alter denuo comparuit Carmelita Discalceatus Amicus nomine P. F. Gabriel à S. Vincentio, vir eruditus, vt probant eius opera in quatuor partes distributa de sacramentis. Part. igitur 4. disp. 6. de sacram. Matrim. q. 6. num. 69. refert nostram opinionem, quam reiicit multis argumentis.

Primo sub num. 70. his verbis: *Dico 1. Sacra Carmeli Religio in eodem sancto Carmeli Monte sub magno propheta Elia initium duxit.* Et pro se citat multos sanctos Patres, quibus præmittit Bellarminum obseruantem lib. de Monach. cap. 5. in lege veteri esse veram religionem sub Elia propheta, ostendendo per hoc contra hæreticos non esse nouum figmentum.

154 ℞. Veram religionem, quæ dicit statum professorum sub tribus votis, initium cœpisse à Christo Domino vt colligitur ex oratione sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli 29. Iunij: *Da Ecclesiæ suæ eorum in omnibus sequi præceptum, per quos Religionis sumpsit exordium.* Nec dicas loqui de Ecclesia tantum, quæ est religio Christianorum ex baptismate. Quia loquitur ille textus de omni Ecclesia in genere, ac proinde de Religione Christiana diuisa in clericos, monachos, & laicos, vt latius ostendi loco præcitato.

155 Bellarminus allegatus non dicit veram religionem fuisse in veteri testamento, sed eam tunc fuisse figuram, & vmbram veræ religionis, nam illo cap. 5. lib. 2. de Monachis §. Nos ergo. *Dicimus itaque primum vitam religiosam adeo esse antiquam vt quædam eius adumbratio fuerit in lege naturæ ante diluuium, maior quædam expressio in lege Mosis, perfectio autem Apostolorum tempore.* Infrà §. sextò hæc habet: *Quod denique ab Apostolorum exemplo cœperint religiones, testantur plurimi Patres.* Vbi citat Eusebium, Hieronymum, Augustinum, Possidium, Isidorum, & Cassianum, qui collat. 18. cap. 5. inquit: *Itaque cœnobitarum disciplina à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium.* Patet ergo ex his veritas nostræ propositionis, quod ordo Carmelitarum non cœpit ab Elia sancto.

156 Secundò probat, quia id dicunt summi pontifices Ioannes XXII. Iulius II. Sixtus IV. Iulius III. Clemens VII. Gregorius XIII. Sixtus V. Clemens VIII. in suis Bullis, qui loquentes de ordine Carmelitano dicunt: *Tamquam Religionis exemplar speciali claritate fulgente sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisæi, & aliorum*

aliorum sanctorum Patrum, qui montem sanctum Carmeli inhabitant, & successionem hæreditariam tenentes, &c. Hac de causa Sixtus V. in Bulla *Eximium*, approbauit officia sanctorum Prophetarum Eliæ, & Elisei tanquam ordinis nostri prædicatorum. Et Clemens. VIII. Non solum in Bulla: *In Apostolica dignitatis* 1603. hæreditariam confirmat successionem ab Elia, sed etiam in literis ad Sciahabam Regem Persarum datis anno 1604. pro nostri ordinis Commendatione dicit: *Habuerunt olim huius Religionis professores, sicut à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris memoriæ proditum est, sui instituti auctores sanctos Prophetas Eliam, & Eliseum.* Vnde Antonius Montecatinus pro canonizatione beati Andreæ Corsini nostri ordinis, fatur: *Et sapienter Andreas hanc sibi præ cæteris religiosam familiam selegit, quæ tam originis antiquitate, quam vel ab ipsis Prophetis Elia, & Eliseo retinet.* Ob hanc rationem Sixtus IV. confirmauit indulgentias ab aliis Pontificibus ordini nostro concessas ante annum millesimum, & alij Pontifices; quod non fecissent, si ordo Carmeliticus anno 1160. incepisset. Subiungit reuelationem S. Petri Thomæ eiusdem ordinis, relatam in eius lect. 5. *Confide ô Petre, religio namque Carmelitarum in finem vsque sæculi est perseueratura. Elias namq; eius institutor iam olim à filio meo id impetrauit.* Vsque huc P. Gabriel.

157 Ad has autoritates de hæreditaria successione ab Elia propheta vnica responsione occurro. Carmeliticum ordinem descendere à Prophetis non generatione, & morali propagatione, sicut e. g. Fratres Conuentuales, obseruantes, Capucini, & Tertiarij, descendunt à S. Francisco, sed descendentia denominationis, & imitationis, qua ratione Monachi S. Benedicti descendunt à Monte Cassino, Oliuetani à Monte Oliueto, &c. Sic Carmelitani descendunt à Monte Carmelo, vbi Prophetæ Deum colebant, quorum exercitia spiritualia imitantes nuncupati sunt descendentes scilicet per imitationem ab eisdem sanctis Prophetis. De hac relatius in opere de Professione Regul. sub cap. 1. In Bulla incip. *Eximium* 96. Sixti V. nulla fit expressa mentio de S. Prophetis, sed tantum illis conceditur licentia celebrandi iuxta ritum Breuiarij Romani de illis sanctis, de quibus ante celebrabant. Nec quicquam probat argumentum à celebratione officij, quod sanctus sit institutor, vel alumnus ordinis, quia in Calendario Franciscano registrantur plures sancti, qui non sunt nec institutores, nec alumni S. Francisci. Nec vrget reuelatio, cuius obiectum principale de perseuerantia religionis vsque ad finem sæculi credimus, & credimus quoque sanctum Eliam ex alio capite esse institutorem eius ordinis generatione æquiuoca ratione loci, & imitationis, non erectione status, qui nondum erat in rerum natura, dum cæpit à Christo Domino cuius, aduentus propheta fuit Elias.

158 Tertio probat argumento desumpto ex illorum sanctorum officiis, qui tanquam religiosi Carmelitæ coluntur ab tota religione, sunt autem S. Dionysius Papa, qui floruit anno 272. S. Serapion anno 390. S. Euphrasia virgo anno 430. S. Cyrillus Alexandrinus anno 412. S. Gerardus anno 1074 S. Bertoldus anno 1164. Historiæ autem in Breuiariis contentæ maximæ sunt autoritatis, cum sint veluti ab Ecclesia canonizatæ. *cap. licet causam, de probat. & cap. In nostra de testib. Rota in vna Cæsar-Aug. Cathedralis cora Coccino anno* 1630. & enim tritum ex Tridentino pronuntiatum. *Quicquid approbauerit Ecclesia, alterius non indiget testimonio*; ac proinde certissimum erit Carmeliticum ordinem sua habuisse exordia ante annum à Bordono assignatum.

159 Dixi supra, validum non fuisse argumentum à recitatione officij, quia in diuersis religionibus recitantur officia sanctorum, qui non sunt omnes eiusdem professionis cum recitantibus. Deinde argumento de sanctis admisso, solum sequitur, illorum institutum fuisse illis temporibus imperfectum in substantialibus, quia Regula carebant, quam illis dedit Albertus, vt patet, à quo huius ordinis incæpit perfectio. Per id autem non nego, magnã esse Breuiariorum auctoritatem, & Historiæ positæ in Breuiariis sunt tanquam Canonizatæ per Ecclesiam, vt docet Coccinus in præcitata decisione citata, quæ habetur citata *per Rupertum.t.1. Nouissim. dec.* 353.*n* 57 & 58. Sed in illis capitibus citatis ca. tit. *de probat. & testib.* nihil ad propositũ intellig. si Breuiariũ confirmatũ fuit, permisso examine, respectu eius dicitur cõfirmatio facta in forma specifica, nec aliter sentit ipse Coccinus, & id colligitur ex illo Trithemij pronuntiato: *Quicquid approbauerit Ecclesia,* id enim arguit examẽ, sine quo nihil specificè probatur. Demum si in illis Sanctorum Historiis fit mentio de propagatione Eliana, ea intelligenda est, secundum localitatem, & imitationem, non secundum propagationem professionis sub tribus votis.

Probat 4. argumento desumpto ex multorum conuentuum antiquitate, tum non amplius possessorum, & tum possessorum, qui recensentur fundati multo tempore ante annum 1160.

160 Respond. quòd antiquitas eorum conuentuum non arguit statim religiosum, sed certum modum viuendi, vt colligitur ex approbatione ordinis Carmelitici facta per Honor. III. Bulla incip. *Vt viuendi normam.* Non appellat Regulam, sed normam, quæ postea per approbationem transiuit in Regulam perfectam ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano anno 1171. in Achon Idibus Ianuarij, vt dicitur in Bullario Honor.

Probat 5. auctoritate quãplurium Historicorũ, qui expresse asserunt, hunc ordinem descẽdere à sancto Elia.

Responsio patet ex supradictis, hanc descendentiam esse intelligendam, secundum imitationem, & localitatem, non secundum generationem veri status sub tribus votis, ratione cuius omnis status religiosus exordium trahit à Christo Domino.

Sed quæro ab istis Patribus, si ordo est tam antiquus ex lege veteri, immò etiam ex lege noua, quia asserunt S. Dionysium Papam huius ordinis alumnum floruisse de anno 272. & sic ante S. August. à fortiori, & sine scrupulo ante Dominicum & Franciscum sanctos institutores suorum ordinum. Cur inter quatuor ordines Mendicantium obtinet vltimum locum, cum ea antiquitate deberet habere primum locum. Id autem est certum argumentum, quod ordo iste quo ad perfectionem status religiosi est posterior cæteris, qui ideo præferuntur, quia priores sunt quo ad status perfectionem.

161 Secundam ponit conclusionem, & probat ordinem suum Carmeliticũ nunquam caruisse Regula; vt enim, inquit, docet Bonifac. VIII. *c. vnic. de voto, & colligitur ex Trid. sess. 25. c. 1.* Religio sine Regula esse non potest, dicuntur namque Regulares ex Regula, vnde vbi Regula non est, nec religio esse potest; vnde non intelligo, quod dicit Bordonus, quod scilicet nostra cæpit anno 1160. & habuit Regulam 1204. si namque dicto anno incæpit, vel cum Regula, vel sine Regula si primum contra se loquitur, si secundum etiam contra se loquitur, quia religio incipere nequit sine Regula. Benè verum est, quod vt aduertit Petrus de Palude *in 4. dist.* 48. antequam Regulæ, quæ nunc sunt darentur, erat quidam viuendi modus ab Ecclesia approbatus, saltẽ tacitè, qui idem faciebat quod nunc facit Regula scripta Nostra ergo Religio ante Christi Domini Aduentum illam obseruauit Regulam cuius transcriptum reperitur apud nostrũ P. Thom. à Iesu in cõment. Regulæ, & obtinet tredecim capita ex præceptis parentis Eliæ deducta. Et ita tradunt nostri Historici. Deinde circa annum 455. Caprasius Montis Carmeli Abbas, sic enim vocabatur tunc temporis Generalis, vt perfectius suos instrueret religiosos, formulã petiit viuendi à Ioanne 44. Patriarcha Hierosolymitano, annuit componendo eis librum, cui titulus est. *De institutione Monachorum in lege veteri exortorum, & in noua perseuerantium ad Caprasium Eremitam Montis Carmeli.* Quem librum Aymericus Carmelita in latinum transtulit propter Fratres Latinos, qui ignorabant idioma

Hierosolymitanum. Tandem aliam breuiorem dedit Albert. Patriarcha pariter Hierosolymitanus. Ea quibus patet Carmelitas nunquam caruisse, vt dicit Bordonus, excusandus tamen est, quia id viderat in Ranuccio Pico, & iste desumpsit ea Stephano Foterio, qui ad patriæ decorem volebant facere Albertum nostræ religionis institutorem.

162 ℞. Verum est, quod nulla religio in esse sui status subsistit sine Regula, est enim vnum de eius requisitis substătialibus, vt omnes docēt, & tradit hic noster Amicus, qui citat ad hoc *cap. Vn. de voto in 6.* vbi nec verbū quidē de Regula, de quo reatus *in c. fin. de relig. domibus.*

Non intelligit Amicus, quæ dico, ego refero verba mea satis clara; sub ea q. 107. fol. 108. de Præced. quæ sunt. *Carmelitarum ordo incapit 1160. Carebat Regula, ideo confirmationem non obtinuit nisi sub Honorio. quando Regulam ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano approbauit anno 1226. die 30. Ianuarij.* Hæc accepi a Tambur. tom. 2. disp. 24. q. 7. n. 4. qui ita scribit: *Carmelitarum ordo, quem quidam antiquissimum ponunt, temporibus Alexandri III. summi Pontificis circa annum Domini 1160. initium sumpsit, sed quoniam absque aliqua certa Regula Fratres huius ordinis tunc viuebant, hinc factum est, vt non tunc originata huiusmodi Religio dicatur, sed tempore Honorij III. quando Regulam ab Alberto Hierosolymitano acceptam præfectus Pontifex confirmauit sua præsenti constitutione anno 1226. edita.* Speculare sensum horum verborum, & tunc intelliges, quod Religio hæc cæpit simul cum Regula eo anno 1226. initium

163 verò habuisse in ratione Ordinis, non Religionis præfato anno 1160. differt ergo ordo à Religione; nam ille dabilis est sine Regula cum certa norma viuendi, Religio verò incipit esse ex approbatione Regulæ, vt patet ex *Gloss. 11. Tertiò, Clem. 3. de sent. excom.* vbi Tertius ordo institutus à S. Francisco ab initio non fuit Religio; quia certam normam viuendi habebat nondum Regulam nuncupatam, quæ postea vti Regula confirmata fuit à Nicolao IV.

Ostendit suum ordinem vti religionem habuisse Regulam à fundatore S. Elia tredecim capitibus absolutam. Deinde aliam à Ioanne petitam à Caprasio secundum præcepta Eliæ; demum tertiam ab Alberto, compactam ex priori, & ea præceptis S. Basilij.

Ista multiplicatio, & innouatio Regularum narratiuam reddunt obscuram, & suspectam, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate, & priores duæ arguuntur imperfectione, dum tertia amplexata fuit à professoribus huius ordinis. Loquendo de prima Regula, quæcunque ea sit, cum sit constituta à temporibus Eliæ nullatenus probat existentiam ordinis in ratione Religionis, quia ante Christum nulla fuit verè, & propriè Religio, sed tantùm in figura, & vmbra, vt suprà fuit probatum; nec nomen Regulæ quo ad mores in toto veteri testamento repetitur, sicut in nouo, ad Galat. 6. 16. Regulā S. Eliæ non vidi, legi librum Ioannis, & Regulam Alberti, hæc quidem nomen, & rem Regulæ habet, quia instruit, & docet modum viuendi religiosum, liber verò Ioannis agit de S. Elia, & nihil ad instructionem vitæ religiosæ; vnde Baronius apud Vghellem *tom. 4. fol.* 1097. ait, hanc Ioannis Regulam esse commentitiam, & à Carmelitis adinuentam. Neque vna depēdet, aut citatur ab alia, ideo cum non habeant connexionem ad inuicem non potuit ordo iste firmare statum religiosum, nisi sub Alberto. De his plura dixi cap. 2. de professione Regul.

De Alberto nostro audi non Pium, nec Foterlum, sed Franciscum Augustinum ab Ecclesia Episcopum Salutiensem in sua Historia Pedemontana sic scribentem sub fol. 145.

164 *Albertus aduocatus Parisiensis de Castro Gualterij, ex Episcopo Bobiensi creatus Episcopus Vercellensis ab Henrico VI. Imperatore, & a Cælestino Pontifice pluribus beneficijs decoratur, & anno 1192. Synodum habuit, & anno 1204. ad Patriarchalem sedem Hierosolymitanam transfertur, vt in tota illa Prouincia legatus Pontificis constituitur, quo tempore Carmelitis Fratribus per montem Carmeli vagari solitis Regulam scripsit, atque constituit, vt deinceps in vnum congregati communem, & consimaneam religiose ritui vitam degerent.* Si vagabantur, & communem non agebant in vnum congregati vitam, ergo nondum statum regularem obtinebant, quibus dedit Regulam, qua constituti fuerunt religiosi.

165 Albertus regulam non dedit anno 1204. vt inquit Amicus, eo enim anno translatus fuit ad Patriarchalem Hierosolymitanam secundum Episcopum Salutiensem præcitatum, & Vghellum tom. 4. Italiæ sacræ *fol.* 1086. *n.* 64. Bullarium nouum, in quo Regula ostenditur confirmata ab Honorio III. anno 1226. ponit datam illius ex Achone idibus Ianuarij MCLXXI. Ad Ecclesiam verò Vercellensem promotus fuit de anno 1185. vsque ad 1204. antecedenter sub anno 1184. fuerat Episcopus electus Bobiensis, ex eodem Vghello fol. 1293. *n.* 10. vbi ait, iussu Honorij III. dedisse Regulam Carmelitis. Sed id verum non probatur, quia creatus fuit Papa anno 1216. defunctus 1227. ex eodem Vghello *tom.* 1. *fol.* 38. *n.* 176. qui *tom.* 4 *fol.* 1094. refert eius mortem ex martyrio ipsa die Exaltationis S. Crucis anno 1214. Albertus igitur non potuit scribere Regulam Carmelitis iussu Honorij III. electi anno 1216. post eius mortem, immo nec illo anno 1171. nondum enim erat Patriarcha, immò nec Episcopus, quare si illam composuit tempore sui Patriarchatus, id fuit inter annum 1205. & 1214. quod verisimilius est, quia se nominat Patriarcha initio Regulæ.

RESOLVTIO LXXXVII.

De Regularibus Tertiarij.

SVMMARIVM.

1 *Tertiariorum alij sæculares, alij regulares.*
2 *Tertium ordinem instituit anno 1221.*
3 *Regulam illis dictauit S. Franciscus.*
4 *Galli profitentur Regulam Leonis X.*
5 *Circa 1300. cæpit esse Religio.*
6 *Probatur auctoritate nouem Pontificum.*
7 *Professionem solemnem declarat Sixtus IV.*
8 *Idem rationibus ostenditur.*
9 *Religio cognoscitur ex quatuor.*
10 *Ordo religiosus esse cæpit secundum aliquos anno 1400.*
11 *Distinctio in sæculares, & regulares quando cæperit.*
12 *Respondetur obiectionibus.*
13 *Marquez impugnatur.*
14 *B. Clara de Montefalco Tertiaria.*
15 *Tertiarij sunt verè religiosi.*
16 *Capaces sunt stabilium in communi.*
17 *Minor de obseruantia factus Tertiarius capax acquisitionum.*
18 *Mendicantis ordo qui ex eleemosinis viuit.*
19 *Mendicantium ordines quatuor præcipui.*
20 *Mendicans est ordo Tertius.*
21 *Priuilegia habet propria, & cum aliis communicat.*
22 *Bonorum in communi capaces.*
23 *Exempti à laica potestate, & oneribus.*
24 *Exempti à iurisdictione Episcopi.*
25 *Titulis diuersis dicitur Tertius ordo.*
26 *Fesulanus ordo ab eo originem trahit.*
27 *Capucini etiam aliqua ratione.*
28 *Caputium capitis, & Scapulatum.*
29 *Caputium quale in Tertio ordine.*
30 *Generalis immutat aliqualiter habitum.*
31 *Cordonem deferre debent.*
32 *Tertiarij sæculares, & regulares eiusdem ordinis.*
33 *Præcedentia eorum attenditur circa annum 1300. aut paulo post.*
34 *Confirmatio ordinis pro vna natione est totius religionis.*
35 *Tertiarij quibus præcedant religiosis.*
36 *Nomina officialium ordinis*
37 *Prouinciales quando cæperint esse.*
38 *Prouinciales malè vocantur Vicarij, cum sint ordinarij.*

39 *Ordo*

39 *Ordo Tertius nunquam subiectus ordini Minorum, nisi &c.*
40 *Non expedit religionem ab extrantis gubernari.*
41 *Regimen triplicis generis.*
42 *Aristocraticum est ordinis Tertij.*
43 *Tempus Capitulorum celebrandum.*
44 *De Sanctis, & Beatis huius ordinis.*
45 *Vita B. Ieremia.*
46 *Tertiarij ab extraneis non visitantur.*
47 *Ex duobus privilegiis praualet insertum iuri communi.*
48 *Tertiarij continentur sub nomine Minorum.*
49 *Officium recitant suorum Sanctorum.*

1 Tertiarij à S. Francisco originem trahentes, iuxta dicta Resolut. 75. sunt in duplici differentia, alij vocantur sæculares, de quibus late dixi citata Resolut. Alij vero dicuntur Regulares, quia more religiosorum vota solemnia promittunt sub approbata Regula, & habent omnia requisita, quæ sunt necessaria ad constituendum illos in statu religioso, vt videbimus.

2 Sanctus ergo Franciscus absoluto Generali Capitulo Assisij die 30. Maij 1221. quo accidit dies Pentecostes, cæpit per oppida vicina Christi fidelibus vtriusque sexus Pœnitentiam prædicare præsertim incolis Camarię loci ab Assisio distantia circa quatuor milliaria, & tanta fuit eius prædicationis vis, Spiritu Sancto intus operante, vt omnes incolæ, cuiuscumque status, conditionis, ætatis, & sexus vellent eum sequi, propriis relictis. Prudens Pater huiusmodi non passus, decreuit, quod omnes in suis domibus permanerent, præscribendo eis certam formam viuendi per quam seruando Dei mandata, possent vitam æternam sibi lucrari, quam postea Nicolaus IV. in sua Bulla incip. *Super montem* Datum 17. Augusti 1289. Confirmauit cautelam cum multis aliis infra citandis, in proprio libro huius ordinis priuilegiorum. Eam autem dictauit Sanctus, incipiendo ab illis verbis.

3 *Qui voluerint hanc vitam obseruare, & illos ad eam obseruandam assumi contigerit.* Vsque ad vltimum caput, quod est conclusio Bullæ In cap. 16. addita fuerunt illa verba. *Quia vero præsens viuendi forma.* Vsque ad illa verba inclusiue. *A laico visitari.* à Summo Pontifice. Huius sententiæ est *Vadingus, cum quo sensi Resolut 75. num 4. ad 9. Rodriq. tom. 1. q 72. art. 1.* id negat cum suo Comp nd. resolut. 136. & alius Hanc Regulam à Nicolao IV. confirmatam communem personis vtriusque sexus, mulieribus, coniugatis, & viuentibus in propriis domibus Maiores nostri accommodauerunt statui religioso, demptis iis, quæ cum hoc statu non possunt, vnde Tertiarij Regulares vouent solemniter Regulam prædictam prout reperitur expressa in statutis à religione conditis. In nonnullis locis extra Italiam, profitemur quidem Regulam Nicolai IV. sed reformatam per Leonem X in sua

4 Bulla incip. *Inter cætera.* Et illi sunt Galli Reformati. Alij præcise profitentur solum Regulam dicti Leonis.

De hac Religione multi doctores tractant, *Casarubios v. Tertiarij, Rodr tom. 2. q.72. cum suo Compend. resolut. 136. Portellus v. Tertiarij, Mirand. tom.1. q 36. Tambur. tom. 2. disp 25. q. 6 B. Ioannes Capistranus in suo libro inscripto: Defensorium Tertij Ordinis, Dionysius Carthusianus in Regulam Nicolai IV. Sylvester Maurolus opere inscripto Mare Oceano dello religioni, pag. 159. Lopez Parz super Regulam, & statuta Tertij Ordinis, & alij multi.* Habent multa priuilegia, quæ refert *sub Resol. 52. q.47. à n. 152. vsque ad n 304.* sed determinans ad quæstiones.

Quæres: Quonam tempore Tertius Ordo S. Francisci inceperit esse Religio?

5 Respond. Circa annum millesimum trecentesimum, seu paulo ante, quod ostenditur autoritate piorum

6 summorum Pontificum, & rationibus. Primo ex Bulla Nicolai IV. incip. *Ad audientiam nostram.* Data 20. Septemb. 1291. apud Vadingum tom. 2. vbi Papa præcipit Episcopo Florentino, vt cesset à grauaminibus contra Fratres de Pœnitentia ciuitatis Florentiæ, quos molestauerat ex mutatione habitus in alium iuxta præscriptum Regulæ, seu Memoriale, vocatum illis temporibus à nostris Fratribus, eiusdem Nicolai, auferendo illis quædam priuilegia, capsam, & nonnulla bona, quæ in communi possidebant, ideo Papa mandauit prædictorum restitutionem esse faciendam in pristinum dictis Fratribus. Hinc colligitur sufficiens ratio inferendi, quod tunc temporis ordo iste erat eleuatus in religionem, ex eo quod in communi bona habebant, & vitam in communitate degebant, quod confirmatur ex his, quæ de clericis in primitiua ecclesia religiosis probat Lancellot. in causa præcedentiæ Canonicorum Regularium contra Monachos, *apud Tamb. tom 1. disp. 25. q. 1. à num. 34.*

Secundo, Celestinus V. Bulla incip. *Desideriis vestris.* Data anno 1294. prohibet, ne possint conueniri coram Iudice laico, sed tantum ecclesiastico eorum diœcesano. Quod euidens est argumentum, illos tunc temporis fuisse proprie religiosos.

Tertio, Bonifacius VIII. in sua Bulla incip. *Cupientes.* sub datum 11. Iulij 1295. extensa apud Vadingum tom. 3. euidenter demonstrat hanc veritatem illis verbis. *Propositum fuit coram Nobis, quod vos plures domos, & loca in diuersis partibus Alemaniæ superioris obtinetis, in quibus sub communi vita degitis in obseruantia ordinis de Pœnitentia B. Francisci deuotè virtutum famulantes, nec adhuc in eisdem locis, & domibus Capellæ, seu Oratoria sunt constructa. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, vt Capellas, seu Oratoria in domibus, & locis prædictis construere, & in eis diuina officia celebrare, &c.* Quod clarius potest desiderari, id autem fusius confirmabitur infra.

Quarto, Ioannes XXII. in sua Bulla incip. *Etsi Apostolica* 23. Feb. 1319. supponit Tertium ordinem esse religionem approbatam illis verbis. *Vt religionis, per quam ad diuini nominis laudem tenditur, & salus fidelium impetratur, status per sedem apprebatus eamdem immutabiliter perseueret, religionem huiusmodi approbatam manutenere.*

Quinto, Clem. VI. in sua: *Pia vota* 1347. concedit Tertiariis Sororibus in communi viuentibus Rauennæ transitum ad profitendum Regulam S. Claræ; transitus autem fit de vna ad alteram religionem, ex tit. de R gul.

Sexto, Gregorius XI. in sua Bulla incip. *Tenor quarumdam litterarum* sub datum 6. Februarij 1374. petitam Regulam Nicolai IV. authenticam concessit cuidam Fratri nomine Rainerio Ministro domus Arscoten diœcesis Leudiensis, vt cum illa religiosos sibi subditos instrueret. Idem Gregorius in alia incip. *Pro parte dilecti,* sub datum 15. Octobris 1373. cuidam prædoni, & rebelli ecclesiæ, nomine Vannili Narducci de Montefalcone sub diœcesi Spoletana, condonat omnia delicta, quia à fide dignis audiuit, illum conuersum esse ad pœnitentiam, & ducere vitam eremiticam in paupertate, & abstinentia, suis bonis assignatis Alfonso de Guadalfaira presbitero Spoletanæ diœcesis, & Andreæ de Lucca eremitæ in monte Spoleti degenti; viuere autem in paupertate sub alterius obedientia euidenter arguit statum religiosum. Idem Gregorius in Bulla incip. *Pastoralis officij* sub datum 29. Maij 1374. concessit centum Sororibus Tertij Ordinis domus, seu monasterij Vuilighen. in diœcesi Constantiensi transitum ad Clarissas, transitus autem vt superius dixi, est à religione ad religionem, consequenter istæ sorores erant religiosæ Tertij Ordinis Regularis.

Septimo, Ioannes XXIII. in sua Bulla incip. *Personas vacantes.* Dat. 26. Augusti 1413. refert, hunc ordinem habere quamplures conuentus in Flandria

eam suis statutis decerptis ex Regula Nicolai IV. in quibus exprimitur forma professionis solemnis sub tribus votis, quæ omnia dictus Pontifex confirmauit tanquam statuta verorum religiosorum. Ex quibus negabit nemo Tertium ordinem non solum eo tempore, sed multo ante fuisse eleuatum in Religionem. Neque enim credibile est vno, aut altero anno potuisse construere tot conuentus.

Octauo, Nicolaus V. in sua Bulla incip. *Pastoralis officij.* sub datum 20. Iulij 1447. refert, hunc ordinem habere in Italia quamplures ecclesias, & oratoria, domos, & conuentos, ideo, vt possint melius viuere sub obedientia vnius capitis, concedit illis Generalem per totam Italiam, de cuius potestate vide dicta Resolut. 80. à num. 28. Plures autem conuentus non possunt comparari, nisi magna temporis diuturnitate. Confirmatur, quia idem summus Pontifex in alia Bulla incip. *Apostolicæ Sedis.* Dat. 23. Aprilis 1450. refert, quod quidam Ioannes Episcopus Leodiensis concessit quædam priuilegia Tertiariis, præsertim, vt haberent vnum Ministrum Generalem, cui in obseruantia Regulari omnes obedirent: Ille autem Episcopus cognomine Arscel patria de Cibel electus fuit 1364. obiit Kalendis Iulij 1378. ex Chronic. Gualteri Belgæ, enumeratur Episcopus 77. illius ecclesiæ. In fine Bullæ Papa subdit hæc verba. *Nec non prædictum ordinem de Pœnitentia nuncupatum cum tribus votis substantialibus annexis, & aliis salutaribus obseruantiis, approbare, & confirmare, & tanquam ordinem approbatum instituere, dictosque Fratres religiosos, & ecclesiasticos esse, &c.* Confirmat igitur Papa Nicolaus salutares obseruantias, & quæcumque statuta à prædicto Episcopo condita, ergo multo tempore ante quartum centesimum Tertius ordo erat religio vera, & approbata à summis Pontificibus.

7 Nono Sixtus IV. in sua Bulla incip. *Ad Christi.* sub datum Kalendis Decembris 1480. declarauit vota obedientiæ, paupertatis, & castitatis à Tertiariis ante præteritis temporibus emissa, & in posterum emittenda fuisse, esse, & fore vere, & proprie votum solemne professionis, inducens omnes illos effectus, quos infert solemnis professio in qualibet alia religione. Colligitur non solum tempore huius Pontificis, sed multo tempore ante professionem Tertiariorum fuisse solemnem, & fere ab initio Regulæ Nicolai IV. Quod confirmatur per doctrinam Baldi in l. s. C. de testam. manum. Parisij consil. 19. num. 37. asserentium approbationem de aliqua Regula factam per summum Pontificem retrotrahi ad tempus institutionis, ac si ab initio approbata fuisset, vt religio, ergo declarata per Sixtum IV. retrotrahuntur ad tertium circa centesimum, ac proinde approbantur quæcumque vota vti solemnia emissa tunc temporis à Tertiariis.

8 Decimo, Petrus Maria Campus Canonicus Cathedralis Placentiæ in vita S. Conradi Regularis huius Ordinis refert resol. 25. hunc Dei virum recepisse habitum in Eremitorio eiusdem ordinis in loco, qui dicebatur Gorgolace, in diœcesi Placent. circa annum. 1315. vbi communiter viuebant plures religiosi.

9 Vndecimo, probatur ratione. Tum quia aliquem ordinem esse Religionem cognoscitur ex quatuor, nempe, Regula, Superiore, Professione, & Habitu, ex probatis Resolut. 85. num. 33. sunt enim signa, ex quibus deducitur status religiosus; sed Tertius ordo habet ab initio, & circa tertium centesimum illa quatuor, nimirum Regulam Nicolai IV. quam eius professores accommodauerunt statui religioso, excludentes incompossibilia cum illo; superiores non solum locales, quos ea Regula vocant Ministros, vulgo Priores, verum etiam Generalem, & Prouinciales, de quibus dixi suis locis; Professionem, de qua in præcedentibus Bullis; demum Habitum religiosum more aliarum religionum, & hunc ab initio determinatum habuerunt à Nicolao IV. grisei coloris, idest, coloris Beretini, vt ait vulgus. Tum quia aliquis ordo approbatur vt Religio, quando vel ei conceduntur priuilegia congruentia statui religioso; vel eius personis indulgendo, quod possint acquirere domos, loca, ecclesias, & oratoria, seu eadem erigere; vel suscipiendo personas, & eorum loca, & bona in protectionem, & sub tutela sedis apostolicæ, & aliis modis, *vt probaui præced. Resolut.* 86. & obseruant *Penottus in sua Histor. Canon. Regul. lib.* 1. *cap.* 36. *§* 81. *Tambur. tom. 2. disput. sit. per totam.* Constat autem ex præcedentibus Tertium ordinem ab initio decoratum fuisse multis priuilegiis solis vere religiosis competentibus, & ab illo tempore habuisse domos, conuentus, oratoria, & ecclesias, ergo, tunc temporis Tertiarij erant regulares.

10 Rodriq. *tom.* 3. *q.* 72. *art.* 1. *& ex eo ad verbum Mirand. tom.* 1. *q.* 36. *art.* 1. *Chronic. part.* 3. *lib.* 1. *cap.* 38. *cum multis aliis, quos sequutus sum, cap.* 1. *de profess. regul. q.* 49. §. Tertium, quia tunc alio lumine non videbam, deducunt originem Tertij ordinis S. Francisci in religiosos sub solemni professione, tempore B. Angelinæ de Corbara Comitissæ Ciuitellæ Appeutij Tertiariæ monialis sub tribus votis solemnibus in conuentu S. Annæ Fulginei vrbis Papalis sub Prouincia Vmbriæ, cuius fuit fundatrix, & prima omnium ibidem solemniter professit anno 1395. anno vero 1435. die 14. Iulij obiit in Domino, ætatis suæ annorum 58. *ex Ludouico Iacobillo in suo libro vulgari de Vitis Sanct. & Beator. Fulginei ibidem impresso anno* 1628. Martyrologium Franciscanum registrat illam sub die 25. Decembris, asserens eam dedisse initium religioni Tertij Ordinis. Marquez Augustinianus, vt suum probet intentum, nempe B. claram de Montefalco esse sui ordinis, in Historia pro sua religione cap. 25. sequitur prædictos doctores, adducendo eam rationem, quia doctores omnes antiqui ante Conciliũ Constantiense celebratũ anno 1415. agentes de exemptione Tertiariorum

11 S Francisci, *vti Bald. in l. Placet, de sacros. eccles. Anchar. Imola, Zabarella, Petrus Laud. in Clem. Per litteras, de prabend. Peder. de Senis consil.* 140. *Calderinus in Rubr. de foro comp. & alij* dicto Concilio antiquiores, verum etiam *Abbas, qui dicto interfuit Concilio, in cap. Nullus iudex, de foro compet. num.* 11. nullam ponunt distinctionem inter Tertiarios sæculares, & regulares sed indistincte loquuntur asserentes, illos viuere ex proprio, & in propriis domibus; qui vero cœperunt ponere eam distinctionem, fuerunt *S. Anton. part.* 3. *tit.* 24. *cap.* 2. *qui decessit circa annum* 1470. *vt scribit Genebrardus lib* 4. *Chronol. anno* 1471. *Felinus in cap. Non dubium, de sent. excom. qui floruit anno* 1477. post hos eamdem referunt distinctionem posteriores doctores. Et huius assignat rationem Marquez, quia monasteria pro Tertio ordine non incœperunt nisi tempore Concilij Constantiensis celebrato anno 1415. vt apparet in monasterio S. Annæ Fulginat. quod inter omnia alia monasteria fuit primum fundatum anno 1405. Ex allatis Marquez concludit B. Claram non potuisse Abbatissam esse in monasterio Tertij ordinis S. Crucis de Montefalco, quia hoc fuit monasterium ante annos centum antequam inciperet religio Tertij ordinis.

12 Respondetur, iam ex dictis patere Tertium ordinem eleuatum fuisse in statum religiosum in tertio centesimo supra millesimum, ac proinde multo tempore ante quartum centesimum. Quare prædicti doctores errauerunt, quia eam in fonte non viderunt, nec mirum, quia quæ sunt facti etiam à doctissimis viris ignorari possunt, & sæpissime etiam prudentes fallunt, *l.* 2. *ff. de facti, & iur. ignor. etiam Principem ex cap.* 3. *de constitut. in* 6. *Rodr. tom.* 1. *q.* 59. *art.* 6. Vnde si ad illorum manus peruenissent citatæ

Bullæ,

Bullæ, sine dubio antiquiorem fecissent hunc ordinem anno 1400.

13 Nec facit pro Marquez, quod ante Concilium Constantiense nulla fuerit facta mentio de illo duplici genere Tertiariorum sæcularium nempe, & Regularium, sed tantùm de Tertiariis, quia disputatio de exemptione militabat tantùm, & controuertebatur respectu sæcularium, vt videre est in Defensorio Tertij ordinis edito à B. Ioanne de Capistrano de anno 1440. quo tempore per vniuersum orbem multi erant conuentus huius ordinis religiosi, ex allatis Bullis in præcedentibus. Non erat igitur necessarium facere mentionem de Tertiariis Regularibus, quia quæstio non erat de ipsis.

14 Clara ex Damiano, & Iacoba iugalibus de Montefalco sub Clemente IV. nata an. 1290. die 10. Iunij subiecta fuit Regulæ S. Augustini per Gerardum Episcopum Spoletanum in domibus S. Crucis, & S. Catharinæ de Bottacio prope oppidum Montis Falci Spoletanæ diœcesis, vbi sanctissime vixit quinquennio sub obedientia venerabilis Ioannæ Damiani de Monte Falco, cui in regimine successit laudabiliter se gerens in officio cum ædificatione Sororum sibi subiectarum; obiit autem in Domino anno ætatis suæ quadragesimo, post Christum natum 1308. die 17. Augusti die Sabbati, hora tertia, Clemente V. Pontifice anno eius tertio. Supradicta recepi ex quodam libello inscripto: *Compendium de vita, miraculis, & reuelationibus B. Claræ de Cruce Montis Falconis auctore Isidoro Mosconio I. C. Trebiæ Bonon. apud heredes Ioannis Rossij* 1601. Prædicta non obstant, quin fuerit ante illud tempus Tertiaria, quia ordinatio Gerardi Episcopi præcipientis, quod Sorores reciperent Regulam S. Augustini, exprimit, quid agere, & profiteri velint in posterum, de præterito nihil dicit. Data autem fuit eis dicta Regula, quia illa S. Francisci nondum practicabatur, siquem anno præcedenti 1289. die 17. Augusti confirmata fuerat à Nicolao IV. vnde mirum non est, si petierunt Regulam, quia Regula S. Francisci confirmata à Papa nondum peruenerat ad aures illarum, ideo contentæ fuerunt Regula S. Augustini. Vide alias rationes in Chron. part. 2. lib. 5. cap. fin. vbi probatur Tertiaria.

Quæres 2. An Fratres Tertiarij sint vere, & proprie religiosi?

15 Respond. Sic, quia habent omnia requisita ad esse religiosi, ille enim vere, & proprie est religiosus, qui emittit professionem solemnem in aliqua approbata religione ex probatis Resol. 85. q. 1. sed Tertiarij profitentur solemniter in suo ordine approbato à plurib summis Pontificibus, vt clarum est ex prælibatis Bullis, & præsertim Bulla incip. *Ad Christi.* Sixti IV. Ita omnes cum *Casarubies v. Tertiary §. Quod ad secundum Rodr. tom. 3. q. 72. art. 1. §. Quod autem, cum suo Compend. resol.* 136. *num.* 2. *Mirand. tom* 1. *q* 36. *art.* 1. *Portel. v. eod. Lezana tom.* 2. *cap.* 14. *num.* 5. *Sillus prælud.* 2. *in Regulam, Carillus de Tertiar. lib.* 1. *Tambur. tom.* 2. *disp.* 24. *q.* 6. *num.* 7. *Nau. tom.* 4. *cap.* 7. *de orat. num.* 24.

Quæres 3. An tertiarij possint possidere stabilia in communi, & illorum sint capaces?

16 Respond. Affirmatiue, quod supponitur in Bulla Eugenij 4. pag. 30. Bulla Sixti IV. pag. 50. Bulla cap. 27. Statutorum, quæ pro Regula habemus. Demum id colligitur ex Tridentino Sess. 25. cap. 3. illis verbis. *Concedit Sancta Synodus omnibus monasteriis, & domibus tam virorum, quam mulierum Mendicantium, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum, qui Minores de obseruantia vocantur, etiam quibus, aut ex constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex priuilegio Apostolico non erat concessum, vt deinceps immobilia eis possidere liceat.* Omnes igitur Mendicantes, exceptis Capucinis, & Obseruantibus, sunt capaces stabilium in communi ex prælibato decreto; Sed Tertiarij non sunt Capucini, neque Obseruantes, ergo sunt capaces, nam exceptio firmat Regulam in casibus non exceptis. l. Quæsitum §. Denique ff. de fundo instr. Dec. in cap. Cum dilecta, de confirmat. vtil. num. 6. & 7. Barbosa Axiom. 85. num. 4. Confirmatur, quia religiosus ex indulto apostolico à religione Minorum de Obseruantia ad Tertium ordinem translatus recuperat ius succedendi in bonis sibi ex testamento, vel ab intestato delatis post translationem, docet *ex Aldano in Compend. Canon. resol. lib.* 3. *tit.* 8. *num* 12. *Barbosa ad cap.* 3. *dictæ sessionis* 25. *num.* 11. & id non alia ratione, nisi quia religio Tertij ordinis capax est immobilium in communi. Vide infra q. 6. num. 22. [17]

Quæres 4. An religio Tertij ordinis connumeretur inter Mendicantes, & sit vna ex illis? Ordo autem Mendicans dicitur ille, cuius religiosi ex eleëmosinis quæsitis viuunt, *Glos.* 1. *cap. Vn de excess. prælator. in* 6. *Glos. v. eod. cap. Quarumdam* 24. *de elect. in* 6. inter Mendicantes autem ordines alij sunt tales ex Regula, seu constitutionibus, quibus, prohibetur possidere tam in particulari, quod est commune omnibus religiosis etiam non mendicantibus, quam in communi, & nomine religionis, seu conuentus, hac ratione primo institutus fuit primus ordo S. Francisci, vt nihil omnino eius religio possideret, postmodum caritate refrigescente ex indulto apostolico idem ordo cœpit possidere in communi; huius generis vocantur Conuentuales ex hoc dicti Mendicantes tam ex priuilegio, quia modo possident, quam ex Regula prohibente, sed mortificata quo ad hoc per indulta Apostolica. Ex priuilegio tantum Mendicantes, qui ex Regula, seu constitutionibus sunt capaces stabilium, quæ cum illis suppetant, quæritant elemosinas in supplementum eorum, quibus indigent, consequenter gaudent priuilegiis Mendicantium ex Regula, huius generis sunt omnes militantes sub Regula S. Augustini, vt Dominicani, Eremitani, *Lezana tom.* 2. *cap.* 1. *num.* 1. qui ait suum ordinem Carmelitanum esse Mendicantem ex Regula. Nostri ordinis Mendicantes sunt solum ex priuilegio si inspiciamus Regulam Nicolai IV. quæ non negat proprium, in Regula Leonis X. nihil dicitur. In Statutis vero, quæ continent substantiam Regulæ Nicolai IV. vt ait Pius V. Bulla incip. *Ea est officij.* Supponitur possessio bonorum immobilium, dum tradit cap. 27. modum, quo contingere potest ex causa eorum alienatio, consequenter magis ex priuilegio Tertiarij Mendicantes dicendi sunt, quam ex Regula. Quatuor autem sunt principales ordines Mendicantium expressi *cap. Vn. de Relig. domib. §. Sane,* Prædicatorum, Minorum, Augustinianorum, & Carmelitarum, *Rodr. tom.* 1. *q.* 2. *art.* 1. *Compend resol.* 94. *n.* 7. *Confect. in summario tit.* 1. [18] [19]

20 Respond. Tertij ordinis religio est de numero Mendicantium, quod probatur, tum quia Tertius ordo continetur sub nomine ordinis Minorum S. Francisci, vt probaui Resol. 75. num. 98. quos constat esse Mendicantes. Tum quia communicat in priuilegiis aliorum Mendicantium, ex probatis Resolut. 52. num. 307. Tum quia Leo X. Bulla incip. *Dudum per nos.* in Bull. Nou. 32. apud Confect. 18. pag. 160. concedens communicationem priuilegiorum inter omnes Mendicantes indifferentes, & æqualiter, connumerat etiam Tertiarios, & ita tradit idem Confect. in Summar. dum cap. V. diuidit religionem S. Francisci in tres ordines comprehendendo Tertium, & alij communiter dum agunt de ordinibus Mendicantium inserentes etiam Tertium.

Quæres 5. An religio Tertij ordinis gaudeat priuilegiis aliarum quarumque religionum?

21 Respond. Habet propria priuilegia, vt constat ex Bullis supra allatis; & præterea communicat in priuilegia

privilegiis propriis Italorum, Hispanorum, & Gallorum, vt colligitur ex Bullis Pauli II. Clem. VII. registratis in Bullario eiusdem ordinis. Communicat etiam in privilegiis aliorum ordinum tam Mendicantium, quam non Mendicantium concessis, & concedendis, ac si in specie, & æque primo eiusdem Tertij ordinis Fratribus concessa fuissent, vt patet ex Bullis Nicolai V. Sixti IV. Iulij II. Leonis X. Clementis VII. Pauli IV. Pij IV. & reliqui omnes. Privilegia autem Minorum Conventualium, & de Observantia participant, quamvis eorum regimini non subsint, vt probavi *Resol. 52. num. 68. sicut & de eorum Monialibus num. 69. Mirand. 1. q. 36. art. 4. Rodr. 3. q. 73. art. 1. Peyrin. tom. 1. ad const. 4. Sixti IV. num. 31.*

Quæres 6. An regulares Tertiarij, eorum conventus, & Ecclesiæ sint capaces hæreditatis ab intestato, testamento, seu institutione, aut legatis? Videtur quod non, quia in eorum Statutis cap. 9. dicatur. *Decernimus vt iuxta nostra apostolica privilegia novitij nostri per tres menses post religionis ingressum de bonis suis disponant, atque testentur.* cap. 10. Ita statuitur. *Itaque nullus ad professionem recipiatur nisi omne peculium, aut patrimonium reliquerit, seque in communi victurum esse promiserit.* Primum deducitur ex Regula Nicolai cap. 9. vbi decernitur idem, quia Summus Pontifex optimus maximus ibidem reddit rationem, ne quemquam illorum contingat decedere intestatum, quod certum est argumentum etiam tempore Nicolai IV. aliquos adfuisse religiosos, eo quod post professionem, eis necesse erat decedere intestatis, quod proprium est religiosorum, & si enim Regula præcipue pro sæcularibus coniugatis data fuit, ab ea tamen non excluduntur religiosi, cum nihil in ea disponatur contra statum religiosum.

22 Respond. Religiosi Tertiarij sunt capaces hæreditatis, suitatis, successionis ex testamento, legato, institutione, & ab intestato, sicut professi aliarum religionum, ita quod conventus eorum intuitu personæ succedit in ea omnia bona, in quæ successisset ipse, si capax in sæculo mansisset. Probatur cum ratione communi omnium religionum capacium bonorum in communi, quæ succedunt in omnia bona professi, de quibus ante professionem non disposuit, sive ab eo acquisita fuerint ante; vel post professionem quovis titulo hæreditatis, institutionis, legati, donationis, fideicommissi, aut ab intestato ex illo communi axiomate quicquid acquirit monachus acquirit suo monasterio, quod constat *per §. Si qua mulier Autent. de sanctiss. episc. Autent. Si qua mulier Autent. Ingressi C. de sacros. eccles. cap. Si qua mulier, cap. Quia ingredientibus 19. q. 1. apud Sanch. lib. 7. cap. 1a. num. 4.* modo Tertius ordo est religio ex resolutis quæstione prima, capax bonorum in communi ex q. 3. ergo succedit in omnia bona suorum professorum, qui nihil disposuerunt de illis. Tum quia religiosus per professionem non perdit iura successionis, & suitatis, *ex l. fin. C. de episc. Tiraq. de Retractu lignag. §. 1. Glos. 8. num. 19. l. Si vnquam v. Susceperit C. de revocand. donat. num. 42. Sanch cit. num. 5. qui num. 9.* ait Tertiariis habentibus in particulari bona non succedere eorum conventus, & monasteria, *ex Angelo v. Religiosus num. 53. Silu. v. Religio 6. q. 1. Tabien. q. 34.* Sermo est apud istos de Tertiariis sæcularibus nam Regulares nihil proprij habent ex abdicatione proprietatis per votum paupertatis. Tum in specie ex Bulla incip. *Iniunctum nobis.* Eugenij illis verbis. *Quodque omnia eorum, & quælibet ipsorum bona in domibus, in quibus professionem expressam pro tempore fecerint, illis bonis, de quibus infra tres menses à die ingressus eorum in ordine prædicto computando testati fuerint dumtaxat exceptis, matris tamen, & vxoris, & filiorum eorumdem pro tempore in dicto ordine post obitum parentum suorum huiusmodi remanere volentium in omnibus semper salvo iure, communia existant, & ad domos, & loca huiusmodi libere pertineant, & pertinere debeant.* Ecce ius, quod habet monasterium succedendi in omnia bonorum professorum. Vide iterum supra q. 3.

Nec obstant illa duo decreta in dubitatione relata, quia consilia sunt non debitoria, & quia renuntiare possunt favore religionis ex quo habet maius successionis ius, quoties ergo nomitius de suis bonis non disposuit, ea secum professione transfert in religionem ea supra probatis.

Quæres 7. An sint exempti à potestate, & oneribus laicis quo ad privilegium fori, & rei?

23 Respond. Sunt exempti quo ad vtrumque, quia omnes religiosi quo ad vtrumque exempti sunt, vt notum est, & in specie constat ex Bullis Gregorij IX. Innocentij IV. Alexandri IV. Nicolai IV. in Regula eius cap. 16. ibi: *Nolumus tamen congregationem huiusmodi à laico visitari.* Celestini V. quod non possint conveniri coram iudice laico. Ioannis 23. Sixti IV. cum reliquis supra recensitis. *Vide Resol. 52. num. 370.*

Quæres 8. An sint exempti à iurisdictione Episcopi, sicut sunt alij religiosi?

24 Respond. Licet respectu Regulæ Nicolai IV. Tertiarij essent subiecti Episcopis, vt videre est cap. 10. 11. 18. Bulla Ioannis 23. corrigebantur in criminalibus ab Episcopo; nunc autem omnino sunt exempti ex Bullis citata Eugenij IV. & quia habent Generalem, & alios superiores, quibus in omnibus tam ciuiliter, quam criminaliter subduntur immediate, ex quo sequitur exemptio ab Episcopis, cum nemo possit servire duobus dominis; neque quis duos æque sibi immediate superiores debeat habere, *argum. l. Sicut certo §. Si duobus vehiculum ff commod.* vbi dicitur, quod duo non possunt in solidum esse domini eiusdem. Valet enim argomentum à re ad personam, *vt docet Enerard. in loco à re ad personam.*

Quæres 9. Quibus nominibus, & titulis vocetur religio Tertij ordinis?

25 Respond. Primo vocantur simpliciter Fratres Tertij ordinis, seu Tertiarij, primus enim omnium fuit S. Pater, qui invenit huiusmodi institutum Tertiariorum, ea probatis alibi, ideo eo nomine primo, & principaliter veniunt Franciscani. Dicuntur autem Tertiarij à tertia Regula, quam illis præscripsit, nam viris religiosis à Tertiariis dedit primam Regulam, Monialibus S. Claræ secundam regulam; Tertiam vero Tertiariis. Secundo vocantur Continentes, & de Pœnitentia in Clement. Cum ex eo, de sent. excommun. Vocantur Continentes inquit Glos. v. eod. quia certis diebus coniugati se abstineant à toro, & semper non coniugati. Dicuntur de Pœnitentia, quia sicut pœnitentia est communis omnibus Christi fidelibus vtriusque sexus, & cuiuscumque conditionis, & status, ita Tertius ordo quoscumque admittit ad professionem sui status. Tertio, ordo iste vocatur Fraternitas ex Regula Nicolai IV. quia eum ingredientes mutuo, & fraterno amore caritatis se confovere debent in observatione mandatorum Dei. Quarto regulariter in Bullis Pontificiis supra extensis vocatur Tertius ordo de Pœnitentia, & ts est proprius titulos, aliquando dicitur in Habitu eremitico, aliquando non, & maxime nunc ita appellandus non est, quia fere nulli sunt, qui eremitice vivant. Quandoque dicti sunt de Regulari observantia in Bulla Pauli III. germanus ergo titulus est iste. Fratres Tertij ordinis S. Francisci de Pœnitentia regularis observantiæ; additur ad differentiam sæcularium Fratrum in propriis domibus degentium. Expeditius: *Fratres Religionis Tertij ordinis S. Francisci.*

Quæres 10. An ab hac alia religio originem duxerit?

Respond.

26 Respond. Beatus Carolus filius Antonij comitis de Monte Granello, presbyter diœcesis Sarsenat. Redonus de eodem monte forsan eius frater, & Gualterius Marsius ab Innocentio VII. qui fuit electus anno 1404. petierunt viuere in aliqua obseruantia regulari, quibus assignauit regulam S. Hieronymi, à quo religio nomen accepit S. Hieronymi de Fesulis Fratrum Congregatio, sed quia idem Papa morte præuentus, hoc eorum pium desiderium non potuit adimplere, ideo eius successor Gregorius VII. anno sui Pontificatus nono, hoc est, Christi 1416. die 8. Iulij, quod petierunt ab Innocentio, confirmauit, ratum habendo quicquid facere determinauerat suus prædecessor, vt constat bulla incip. *Sacrum nonnullorum.* apud Tambur. tom. 2. disp. 24. q. 4. num. 72. Sic religio hæc initium habuit suæ confirmationis ab anno 1404. aut 1405. quo Innocentius obijt. Eugenius postea per suam Bullam incip. *Super gregem.* Dat. Florentiæ 1441. apud eumdem Tambur. mandat eos profiteri regulam S. Augustini, apud Ciaconum in vita huius Pontificis. Ea prima Bulla, quæ fuit Gregorij colligitur dictum B. Carolum cum socijs antea egisse vitam eremiticam, & postea aspirasse ad vitam sub aliqua regulari obseruantia, ergo dum vitam degebat eremiticam nondum religiosus erat, aliter non petijsset viuere sub aliqua regulari obseruantia; ex quo videtur certum. B. Carolum cum socijs non fuisse religiosum Tertij ordinis, quia iam viuisset sub regulari obseruantia; neque videtur fuisse Tertiarius sæcularis, quia de hac re nulla mentio in Bulla eadem, nihilominus, quia, vt in ea dicitur, vitam degebat eremiticam, ideo concludendum est eam duxisse vt Fratrem de Tertio ordine S. Francisci, quorum multi degebant illis temporibus in habitu eremitico, consequenter religionem Fesulanam pro suo authore habuisse Fratres Tertiarios, docuerunt Cronic. Morig. Virgil. Polid. Marulus pag. 327. & multi alij, quicquid dicat Cæsar Gusaghus dictæ Congregationis Generalis in suo libello in tit. *Corona della Madona delle Gratie di Brescia.* ibidem impresso anno 1604. nihil probans contra superius determinata, & ibi duo dicit, quæ non possunt subsistere, primũ est, quod eius religio initiũ habuit ab anno 1373. à dicto B. Carolo, cui obstat Bulla Innocentij, in qua narratur, quod prius vitã duxit eremiticã, & postea desiderabat agere vitam sub regulari obseruantia, sine qua non est aliqua religio, ergo si B. Carolus author fuit huius religionis, non potuit illi dare nomen religionis nisi per dictum Papam Innocentium de anno 1404. aut 1405. illis enim duobus annis tantùm vixit in papatu. Secundum est, quod dicit dictum Innocentium B. Carolo concessisse Breue die 24. Nouembris 1405. profitendi regulam S. Hieronymi, patet falsitas ex verbis Bullæ Gregorij ibi: *Ipsoque prædecessore sicut Domino placuit; super huiusmodi concessionis gratia literis non confe-*
27 *ctis sublato de medio.* Capucinorum etiam ordo aliquid suæ originis recognoscit à Fratre Pacifico de Fenestris Tertij ordinis Fanensi sacerdote discipulo F. Francisci de Cartoceto primi socij F. Matthæi Bascij alias amborum de Obseruantia, qui ordini initia dedit anno 1525. confirmante Clem. VII. Bulla incip. *Religionis Zelus.* Datũ Viterbij anno 1528. die 3. Iulij. *apud Tambur. tom. 2. disp. 24. q. 6. n. 9. Marulum in suo Mari Oceano religionum lib. 5. pag. 375. Bouerius tom. 1. Chronic. Capuc. pag. 31. & pag. 637.* Sex Congregationes descendũt ab hoc meo ordine, vt probo in Chronologio Parmæ impresso anno 1658. sub cap. 36.

28 Quæres 11. An Tertiarij ab Initio in proprijs domibus, & qui in communi religiosè viuebant deferrent vestem, seu habitum talarem, & Caputium capitis, & scapulare? Nomine Caputij propriè venit illud, quod caput tegit, & olim assutum erat tunicæ, vt nunc moris est apud Capucinos. Extensiuè verò eodem nomine venit etiam illa pars, quæ ab eodem capitis caputio continuata, & protensa eiusdem petiæ panni tegit humeros, & pectus, quod dicitur scapulare, seu mozeta. *Vide quæ dixi Resol. 35. num. 53. & Resol. 30. fine.* Nouitij Franciscani tempore Clementis V. qui ab anno 1305. vixit ad 1314. deferebant Caputium non assutum tunicæ, sicut professi *Glos. in casu Clem. 2. de Regul. edita in Concil. Viennen.* anno 1313. immò ex Regula S. Francisci cap. 2. nullum caputium ferre possunt, cum illis concedantur duæ tunicæ sine caputio cum cingulo, & caparone vsque ad cingulum. Caputium oblongum & acutum more Capucinorum ex eius notabilitate nuncupatorum, ait Marquez in sua Histor. cap. 4. §. 10. fuisse originarium S. Francisci, *ex Renato Copino lib 2. Monasticon. tit. 1. num. 56.* & S. Bonauenturam illud reformasse in formam rotundam, prout nunc gestant Conuentuales *ex Rodulpho Episc. Senogal. l. 2. religion. in Recensu Generalium, Henric. sedul. in Comm. ad vitam S. Bonau. cap. 9. § 4. & ad vitam S Franc. ad cap. 2. § 1. Bouerius tom. 1. Chron. Capuc. demonst. 6. n. 6.* ait S. Franciscum, Antonium, & S. Bonauenturam, qui decessit anno 1273. S. Ludouicum Episcopum, qui obijt 1297. detulisse eiusdem formæ, qua gestant nunc Capucini, nimirum longum & acutum ita quod illud ita acuminatum non fuit mutatum nisi circa annum 1400. In rotundum cum lunula pectorali, & scapulari in modum, quo nunc deferunt Conuentuales ex eodem Bouerio demon. 9. num. 6. de Caputio protenso, seu extenso super pectus, & scapulas forsan inuento à Congregatione Clarenorum circa annum 1319. fit mentio *Chronic. part. 2. l. 7. cap. 34.* & de caputio non coniuncto cum tunica tempore S. Francisci fit mentio *in eadem part. lib. 1. cap 18. ad finem,* quod videtur esse contra dictum ex Clementina supra citata, dici potest in eo casu dissutum fuisse à tunica. S. Iob caputium cum tunica detulit cap. 30. ibi: *Et quasi capitio tunicæ succinxerunt me.* De Caputio Tertiariorum mox.

29 Respond. Ab initio Tertiarij detulerunt tunicam talarem, & Caputium, quod probatur, quia licet in Regulis Nicolai, & Leonis nulla fiat mentio de Caputio sed solùm de veste, seu tunica, quæ debet esse de vili & humili panno, honesta tamen, cuius honestas in eo consistit vt sit talaris, & oblunga vsque ad talos, tamen cùm accessorium sit Caputium tunicæ, & habitui tacitè de eo locutus fuisse intelligitur sanctus Pater, cum Papa non excluserit gestationem Caputij, vt docet Dionysius Carthusianus super cap. 3. Regulæ Nicolai art. 14. propè finem, & art. 46. & Confirmatur authoritate Cantiprat. asserentis S. Ludouicum regem, qui decessit 25. Augusti anno 1270. illud gestasse, illis verbis. *Habentem Caputium Capitis super scapulam ex aduerso suspensum.* Ita refert dominus meus Ranuccius Picus in Annot. 5. ad vitam S. Ludouici. Et hoc clarum est circa annum 1400. de caputio scapulari cum tonica talari ex Bulla Ioannis 23. illis verbis. *Haberent Fratres vnam tunicam griseam vilem, quæ vilitas attenderetur in precio, & colore, & vnum scapulare, pro cingulo cordam rudem de canapo nodosam, vt moris est, haberent longum Caputium, & magnum mantellum de eodem panno, &c.* Bulla dirigitur ad Flandrenses. Nicolaus V. Bulla hæc habet pro Leodiensibus. *Eorum Caputia ad modum paruæ cuculla supra mantellum cum scapulari gestare.* Hæc verba explicui Resol. 35. num. 53. Cucula autem est Caputium acuminatum supra caput. Quale autem sit longum Caputium determinatũ fuit in Bulla Iulij II. quod sit vtrinq; acutũ scapulare. Et Generalis ali-
30 quantum immutare potest habitũ ex Bulla Nicolai V.

Quæres 12. An Tertiarij S. Francisci possint deferre cordam nodosam more aliorum ordinis S. Francisci? Ratio dubitandi est, quia in Bulla Nicolai IV. cap. 3. dicitur, quod deferant Corrigias, quod est genus cinguli ex corio, diuersi à corda canapis, vel lini, quàm deferunt Fratres sub prima regula militantes. Ita sentit Casarub. v. Tertiarij, asserens Tertiarios siue sæculares, siue regulares non posse deferre cordam. *Chronic. part. 1. libro 9. capite 1.*

Respond. Debent portare cordam more aliorum ordinis Franciscani, non obstante corrigia Nicolai IV. quia ibi nomen Corrigiæ sumitur non ex materia, qua fit, sed ex officio, quo cingit. De corda faciunt mentionem Ioannes 23. Bulla incip. *Personas vacantes.* Iulius prout refert Clem. VII. in sua Bulla incip. *Ad vberes fructus*, & dixi Resol 35. num. 52. Et de hoc dubitandum non est; Itali per illam non supercingunt scapulare, sicut faciunt Galli, qui scapulare ante & retro cordone constringunt, eo modo quo faciunt Minimi S. Francisci de Paula. *Vide Vadingum in Regul 3. ord. num. 21. & in Apolog. Defens. sect. 6. §. V. num. 7.*

Quæres 13. An Tertiarij Regulares possint dici, & sint eius generis cum illis primis, qui instituti fuerunt à S. Francisco in loco Canarij, à quo originem sumpserunt.

32 Respond. Sunt eiusdem generis in ratione institutionis & fundationis, atque vocantur filij eiusdem sancti patris, licet quo ad statum sint diuersi, quia à statu imperfectiori, & non religioso transierunt ad statum perfectiorem, & religiosum, probatur, quia Monachus factus Abbas non perdit statum monachi ex cap. fin. de simon. & cap. Ex ore, de priuileg. item Rector effectus Scholaris adhuc Scholaris est, *Bald. in l. Nec patronus C de oper. noui nunt. Ioan. Andr. in proœm. decretal. & Felin. ibidem*; ijdem Fratres Tertiarij sæculares non desinunt esse parochiani eorum Rectorum, sub quorum cura erant ante susceptionem habitus, si domicilium non mutarunt, *ex cap. Vt priuilegia, §. de Confratribus, de priuileg. prout refert Lauor. tit. 2. de prisco, & recenti funer. more. cap. 11. num. 101.* ergo neque desinunt esse de illo Tertio ordine à S. Francisco fundato si de simplici professione transeant ad solemnem aliorum religiosorum, perficitur enim ordo, non destruitur, licet mutetur in perfectiorem.

Quæres 14. An pro præcedentia huius Tertiarij ordinis attendendum sit tempus primæ institutionis de anno 1221. aut ad minus tempus confirmationis regulæ à Nicolao IV. de anno 1289. vel tempus, quo eleuatus fuit ordo ad statum regularem circa annum 1300. aut circa annum 1400. iuxta communiorem doctorum opinionem, vel à tempore Generalis concessi, quod fuit pro Hispanis anno 1442. pro Italis 1447. pro Leodicensibus 1450. vel tempore Leonis X. qui Regulam Nicolai IV. accommodauit religiosis anno 1521. die 20 Ianuarij?

33 Respond. Quod præcedentia attendenda esset à Regula Nicolai IV. vel propè, cum ea desumatur ex approbatione ordinis, qui constat confirmatus ab illo eodem anno 1289. Quia tamen tunc non fuit eleuatus in statum regularem, sed circa annum 1300. vt fusius probatum fuit supra sub q. 1. ideò illud tempus attendendum est, & in via Scoti locum habent post Minores de Obseru. super alios Mendicantes exceptis Dominicanis, & etiam super Monachos, & canonicos, vt probatum fuit in Tractatu de præced. Quod si postmodum alij successores Pontifices declararunt Tertium ordinem esse statum religiosum, & in eo emitti tria solemnia vota, sicut fit in alijs religionibus, & quod Leo X. reformauerit Regulam Nicolai IV. non infertur ex hoc, hunc ordinem antea non fuisse verè religiosum sed solùm summi Pontifices occurrisse dubijs aliquorum, qui sine ratione de hac re dubitabant; & reformatio Regulæ Nicolai de nouo non dat esse primo statui religioso, sed iam existenti præscribit modum, & normam, qua in regulari obseruantia Deo famulari possit.

34 Neque approbatio facta à Ioanne 23. pro Hispanis ita restringitur fauore illorum, vt in alijs regionibus pro illo tempore nondum essent religiosi, nam approbatio ordinis in religionem licet fiat ad instantiam aliquorum, cedit tamen confirmatio, & approbatio in vniuersitatem totius ordinis, quia vna est religio Tertij ordinis, non multiplex, licet multiplices sint nationes, quæ huius religionis regulam profitentur, præterquam quod Fratres Tertiarij omnium ad inuicem communicant in priuilegijs eisdem concessis pro vna, vel alia natione, ex probatis hic quæst. 5.

35 Hinc sequitur Tertiarios præcedere illis omnibus ordinibus, qui instituti fuerunt post annum 1300. cuiusmodi sunt Fesulaui, Theatini, Barnabitæ, Iesuitæ, de Somasca, S. Francisci de Paula, cum multis alijs antiquioribus prædictis, vt videre est præced. Resol. 86. quicquid dicant Minimi arbitrantes præcedere Tertiarijs, sed nulla sufficienti ratione, cum approbationem sui ordinis obtinuerint à Sixto IV. Bulla incip. *Sedes Apostolica* sub datum 1474. die 27. Maij, apud Confect. pag. 87. non obstante quod dicat in Summar. cap. 9. exordium sumpsisse ab anno 1403. quia non attenditur initium ab authore positum, sed approbatio facta à Summo Pontifice, vt superiùs patet de Religionibus Sanctorum Dominici, & Francisci præterquam quod constat initium hoc modo Tertium ordinem habuisse multo tempore ante annum 1400. nimirum circa annum 1300.

Quæres 15. Quot genera Prælatorum, & officialium reperiantur in hoc ordine, & quo nomine singuli appellentur?

36 Respon. Prælati tres sunt Generalis, Prouincialis, & Prior conuentus cuiusli bet. De Generali concesso à Nicolao V. anno 1447. egi fusè Resol. 80. vbi multa de ipso, qualiter non sit vocandus Vicarius, sed simpliciter Generalis, qui immediatè, & ex officio suo Tertium ordinem in Italia gubernat cum omnimoda potestate independenter à quouis Generali alterius ordinis immediatè subiectus Papæ, quandoque in Bullis vocatur Visitator ex officio suo, & cum successerit in locum eius Visitatoris, qui alterius ordinis sacerdos visitabat illos Prioris ætatis Tertiarios, vocatur autem Generalis Magister, Minister, pater Principalis. Prouincialis verò, qui gubernat prouinciam sub se habens plures conuentus extabat in religione hac, etiam tempore Sixti IV. In numero plurali illos exprimens in sua Bulla relata seq. resolut. & ante de anno 1471. ex cap. 1. Regulæ, iuncto proœmio. Dicit noster de Sillis super cap. 1. Regulæ in fine Generalium Catalogi fuisse quatuor prouinciales ex ex Bulla Pauli III. incip. *Pastoralis officij*, nunc autem sunt duodecim hic in Italia Prouinciales actu, vt idem Sillis subiungit recensendo singulas prouincias extantes.

38 Ægre fero hos Prouinciales vocari Vicarios in Bulla prædicta Pauli III. & successiuè ab alijs, ex mala supplicatione composita in petitione Bullarum, & ex statutis Regulæ, quia Vicarius is dicitur, qui alterius fungitur officio, nempè Prouincialis, si eius est Vicarius, modo in nostro ordine Prouincialis nullius vices gerit, sed ex officio suo, per se, & immediatè, & propria facultate ordinaria à tota communitate sibi collata in capitulo Prouinciali suum exercet munus, cùm nulli alij subijciatur Prouinciali, vt notum est, ergo ineptè dicitur Vicarius Prouincialis. Tertius Prælatus, & superior vocatur ex Regola Minister, ex vsu Prioris vocabulum retinet, & est Prælatus, sicuti sunt Priores aliorum ordinum cum ea omni potestate in vtroque foro, qua aliarum religionum gaudent superiores locales, vt alibi probatum est præsertim Resolut. 82. de superiore locali.

Habet ordo quatuor Definitores Generales, qui simul cum Generali tractant negotia totius ordinis, Resol. 147. Et alios quatuor pro singulis Prouincialibus, de quibus ibidem. Discretum Prouincialem, de quo eadem Resol. & alios, de quibus in eorum Statutis dicitur plenè.

Quæres 16. An Tertiarij regulares aliquando subfuerint Prælatis Minorum tam Conuentualium, quàm de Obseruantia?

39 Respond. Religio Tertij ordinis in Italia nunquam subiecta fuit regimini Minorum, aut alterius ordinis,

ordinis, nisi tempore Pij V. qui eius Generalem extinxit, subijciendo, illos Minoribus Prælatis de Obseruantia, sub quibus permanserunt Fratres sub anno 1568. vsque ad annum 1586. quo die 29. Martij eosdem exemit restituendo proprium Generalem, iuxta dicta in Bulla Sixti V. incip. *Romani Pontificis.* Ratio est, quia nulla Bulla, præter eam Pij V. reperitur, quæ Tertium ordinem vt religiosum in Italia subijciat regimini alterius ordinis, ergo huiusmodi subiectio asserenda non est, cum de ea non constet, & si quidem odiosum potius restringendum, quàm ampliandum. Et de eius Generali non subiecto Generali de obseruantia latiùs probaui Resol. 80. num. 38. eum sequeur. *Ita docent Rodr. tom. 3. quæst. 72. art. 2. concl. 3. Mirand. tom. 1. quæst. 36. art. 6 fine, Neque Portugall. neque Andaluc. Compend. resol. 136. num. 2. contra Portellum v. Tertiarij in Addit. num. 3.*

Quæres 13. An expediat vnam religionem gubernari per superiores alterius, vt Tertij ordinis per Prælatos e. g. Minorum de obseruantia. Hanc quæstionem fusè tractaui in eodem Chronologio cap. 10.

40 Respond. Nulla legitima ratione suaderi potest vnum ordinem gubernari à Prælatis alterius ordinis, immo hoc concessum potiùs obfuturum, quàm profuturum probatur per subiecta argumenta. Primò per ius commune *cap. Cùm causam 17. de elect.* vbi electio non professi in Ecclesia regulari est nulla non obstante quauis consuetudine, vnde non monachus in Prælatum regularem eligi non potest, *c. Cùm ad nostram 37. eod. c. Nullus 28. eod. in 6.* neq; in Abbatem eligi potest nisi instructus in regula monachali *cap. officij sui, 38. eod. vbi subdit glos.* quod eiusdem professionis debent esse subditi, & superior eorum, vt iuxta regulæ cognitionem, quàm vt professus cum illis habet suos gubernare possit subditos; modo Prælati Minorum nullam de iure habent cognitionem de Regula, & statutis Tertij ordinis, & si alias speculatiuè, non tamen practicè, quia eam professi non fuerunt, neque debitum habent eam addiscendi, & propterea in obseruantiis sunt diuersi, ita quod non ita commodè gubernari possunt Tertiarij ab Obseruantibus, ex quo possunt sequi in religione varij abusus, vt mox dicam in tertia probatione; vnde *Sanctus* Thomas loquens de Prælatis extraneis ita inquit. *Tales solent parum affici ad gentem, cui præficiuntur, & per consequens curare de eis.* Quare Deus insinuare volens populo suo, se illi daturum bonum Prælatum, & regem super illos zelantem dixit se super illis impositurum esse Regem, qui erat de eorum professione, Deuter. cap. 18. ibi: *Constituam super te Regem de numero fratrum tuorum.* Sufficit ergo propriæ religionis pater, qui sine dubio amore paternali singulis prouidebit iuxta eorum indigentiam, non egens noster ordo alienis Prælatis, de quibus ne sit dicendus. *Pastores multi demoliti sunt vineam meam.* Ierem. 12.

Tertiò desumo argumentum à causa finali, qua Sixtus V. motus fuit ad eximendum ordinem nostrum ab obedientia, & iurisdictione Prælatorum de Obseruantia restituendo illi proprium Generalem, illis verbis. *Nos itaque, quibus nuper innotuit, quod Fratres Tertii Ordinis huiusmodi sub obedientia Ministri Generalis, & Prouincialium Fratrum de Obseruantia prædictorum manentes nihil in vinea Domini profecerunt, imo in eodem Tertio ordine varii abusus tam circa Regulæ obseruationem, quàm etiam Fratrum dictæ Regulæ transgressorum, & alias delinquentium castigationem irrepserunt.* Ecce quod S. Pontifex proprio ore fatetur, quod sub regimine illorum de obseruantia nihil profecerunt, & ideò eisdem sicut primo eximendo ab illorum regimine concessit proprium Generalem, à quo melius, & diligentius gubernantur in disciplinis regularibus iuxta proprium eorum institutum, si ergo tunc nihil profecerunt, sed multum perdiderunt sub illorum regimine, licet eo tempore Prælati de obseruantia non essent ita occupati in gubernatione propriæ religionis, quid putamus profectus esse consequnturos, si denuò illis subijcerentur? profectò nihil, maximè cum hisce temporibus præter de familia Fratres, alios quoque Reformatos, seu de strictiori obseruantia regere teneantur, ergo nulla ratio suadet Tertiarios posse subijci Prælatis Minorum: accedente Platonis in libro de Regno hac sententia. *Cæterum multorum administrationem omnibus in rebus debilem, & infirmam.*

Quartò, cùm Generalis Minorum de obseruantia quamplurimos habeat sub se tam Familiæ, quàm Reformationis Fratres, ac Moniales ferè innumerabiles, videtur impossibile, quod regimen eius super Tertiarios sit profuturum eisdem, & quia cum non sit eiusdem professionis, neque inter eos conuersetur, discernere nequibit inter bonos, & malos; sed vtrosque indifferenter excipiet, vnde cum Thoma. Segr. dici poterit. *Et nihil intolerabilius, quàm ignotus quispiam, qui vix hospitem salutauit, statim hoc, vel illud in domo corrigere conetur, & emendare.* Et quia, vt inquit Marsil. Ficin. de Republ. Platon. *Gubernare feliciter ciuitatem impossibile est ex tam multis, & diuersis compositam, cui quotidie innumerabiles, incertique imminent casus.* Quod sine dubio appositè applicari potest Generali de Obseruantia, eo quod eius ordo ex diuersis compactus est reformationibus, & infinitis quotidie subiectus casibus, ita quod satis est, si laudabiliter proprium suum ordinem regere potest.

Quintò, quomodo poterit alienæ religionis, Prælatus reformare ordinem alterius religionis corrigere vitia, & inducere virtutes, si non cognoscit alias oues, sed tantùm suos, quod est virtus maxima, secundum Martialem. *Principis est virtus maxima nosse suos.* Si ergo requiritur virtus maxima in cognitione suorum, procul dubio alienorum nulla dabitur cognitio, si cura pro suis necessaria est, maxima enim cognitio omnem imbibit, vel certè infinita erit necessaria, cuius homo incapax est. Et Christus Dominus, saluator noster dicit illum non esse bonum pastorem, qui oues suas non cognoscit, ibi: *Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas.* Vbi particula *&* optimè exponi potest illatiuè hoc modo. Cognosco oues meas, ergo sum pastor bonus, bonitas ergò pastoris prouenit ex cognitione ouium; ad quod facit etiam illud Plat. de reip. German. præcept. *Morum ignoratio impedit, irritaque facit Consilia in ciuilibus negotiis.* Ne ergo tanquam mercenarius, qui dum videt lupum venientem dispergere oues fugit, reputetur, nequaquam se ingerere debet in regimine huius ordinis superior alterius, ne oues religiosæ dispergantur, & in peius ruant.

Sextò, Franciscani sub prima Regula militantes in diuersa regularis disciplinæ agmina diuisi ab origine suæ institutionis subiecti erant in aliquo alter alteri Generalis, nam Generalis Conuentualium subiectus erat Generali de Obseruantia ex Bulla Leonis X. incip. *Omnipotentis.* Illi verò nempè Conuentualium subiectus erat Generalis Capucinorum, erecto deinde capite, exemptus à Paulo Quinto vt refert Bouerius tomo secundo Annal. Capucin. pagina mihi 979. Videntes autem religiosi singularum huiusmodi spiritualium agminum, se non multum proficere in subordinatione superiorum vnius reformationis alteri, tandem ex gratia Sedis Apostolicæ se se ab inuicem separantes singuli absolutum, & despoticum regimen super proprios subditos obtinuerunt à summis Pontificibus, vel alias, experti cum Aristotele, quod non est bona pluralitas principatuum. Si ergo Franciscani primi ordinis eamdem profitentes regulam sub ea Generalium subordinatione in vinea Domini multum proficere

non

non poterant, sicut profecerunt post diuisionem, à fortiori regulares Tertiarij multo minùs, & nihil proficerent sub regimine Minorum de Obseruantia, maximè cum ab eis in professione, regula, & habitu multum differant.

Demum, non video, qua charitate, quaue pietate extranei inhiant regimen huius meæ religionis; certè regimen animarum grande prorsus onus, negotium multarum vigiliarum, pauendumque ministerium esse confitetur B. Laurent. Iustin. Huiusmodi graue pondus potiùs deberet illos ab huiusmodi arcere administratione sua contenti sorte, & expectare Dei vocationem, non autem sibi honorem, ad quem vocati non fuerunt, imo, & quibus resistitur, assumere, cum id sit nota ambitionis, non signum pietatis, ne de illis verificandum sit illud D. Ambrosij. *Quomodo enim possum corrigere filios, cum fratres emendare non possim.* Relati cap. Quid autem 22.8. quæst.1.

Quæres 14. Quo regimine aristocratico, an democratico gubernetur religio Tertij ordinis, an vero Monarchico? Triplex enim assignatur Regimen, Monarchia primum, quo per vnum supremum gubernatur respublica sine alterius consortio. Secundum Aristocratia, qua à capite respublica regitur Consilio, & consensu personarum selectarum, non cuiuscumque generis, & conditionis. Tertiò Democratia, qua in regimine simul cum capite concurrit populus, & cuiusuis conditionis personæ. *Vide Peyrinum de Prælato quæstione* 1. *capite* 1. vbi de hac re fusè tractat, & cap. 2. numero 2. dicit Fratres Minores regi democratia ex capite septimo. Regulæ S. Francisci; *Tamb. tom 3. disputat.* 1. *quæstione secunda, numero septimo.* Regi monarchia, & aristocratia ex capite 8. Regulæ, immo & democratia ex dicto capite 7. vbi supponitur Ministros posse esse non sacerdotes.

42 Respond. Religio Tertij ordinis regitur Monarchia, & aristocratia simul, quia vnus Generalis ad omnia totius ordinis negotia concurrit in multis adhibito modo consilio, modo consensu patrum diffinitorum, & Prouincialium, & ad regimina maiora Generalatus, & Prouincialatus, Prioratus tam actiuè, quàm passiuè concurrunt sacerdotes tantùm, in regimine autem conuentuum in particulari cum superiore locali concurrunt promiscuè, & indifferenter omnes de familia in omnibus ferè negotijs; vt colligitur ex Bullis Pontificijs, & Regulis eiusdem ordinis superiùs adductis. Itaque regimen Generalis, & Prouincialis Monarchicum, & Aristocraticum est, superioris verò localis democraticum; & ita eiusdem generis puto esse regimina omnium ferè religionum; habent enim omnes ferè religiones illa tria capitula Generale, Prouinciale, & Conuentuale. Nec obstat, quod in Regula prima S. Francisci supponatur regimen superioris localis posse reperiri in persona non sacerdote, quia in ordine ad gubernationem conuentus regimen iam ex se est democraticum non ratione qualitatis capitis non sacerdotis, sed quia cum eo in regimine domus cæteri de familia nullo excluso indifferenter concurrunt suis consilio, & consensu, ergo illius conditio non facit regimen democraticum, sed conditio subditorum; præterquam quod cum sit superior non dicitur persona vulgaris, & quasi de populo, sed selecta, & optima, ex quo non potest inficere regimen Aristocraticum. Demum laici non ampliùs ministri esse possunt in Religione Franciscana, & in meo ordine nunquam habuerunt regimen, non obstante, quod aliadeserrent coronam clericalem eisdem sublatam anno 1494. ex cap. 29. Statutorum.

Quæres 15. An, & quando fiant capitula in Tertio Ordine?

43 Respond. Fiunt capitula Generalia, Prouincialia; & intermediæ Congregationes singulis biennijs immediatè. Capitulum Generale ante Statuta condita anno 1475. fiebat quo ad tempus ex beneplacito Generalis, postmodum celebrandum erat die vigesima secunda post Dominicam Resurrectionis Domini. Post restitutionem Generalis extincti per Pium V. factam per Sixtum V. semper celebratum fuit in vigilia Pentecostes, quod nunc etiam obseruatur. Tunc temporis in Capitulo Generali eligebantur omnes officiales etiam Prouinciarum, & Conuentuum, quod obseruatum fuit vsque ad annum 1595. quo Clemens VIII. in sua Bulla incip. *Decet Romanum.* dedit nouam formam eligendi superiores, occurrendo varijs incommodis, & expensis, quæ fiebant à religione, nam duo Fratres singulorum Conuentuum ibant ad capitulum Generale, Prior, & Discretus localis. Sed de his dixi alibi.

Quæres 16. An Religio Tertij Ordinis habeat Sanctos, & Beatos eiusdem ordinis professos?

44 Respond. In libro inscr. *Firmamentum trium ordinum tit. Memoriale ordinis Minorum,* habentur hæc verba. *Nam ordo iste sanctus,* i. Tertiariorum. *quasi vbique terrarum iam est multiplicatus, & innumerabiles producit alumnos sanctos, & sanctas, beatos, & beatas, & diuersis, & mirandis miraculis coruscantes, ex quibus plures, iam in sancta Dei Ecclesia canonizati, multosque habent filios, & filias quasi vbique terrarum in sanctis pœnitentiæ operibus, &c.* Vide Martyrologium Franciscanum, in quo fere singulis diebus aliquis sanctus, seu beatus pronuntiatur.

Prædictis adijciam Vitam nostri B. Ieremiæ, quam ex M S. Conuentuum Piratelli sub diœcesi Imolensi, & S. Mariæ Vallis Viridis Foroliuij collegi, dum eram Prouincialis.

45 Beatus Ieremias natione Comensis de nobili familia Lambertengorum, professione religiosus sacerdos Tertij Ordinis S. Francisci, indutus fuit habitu religionis huius in Conuentu S. Donati eiusdem ordinis extra vrbem Comi, cœpit autem Regulam ad vnguem obseruare, aliis exemplum præbens regularis obseruantiæ, die, ac nocte in vigilijs, ieiunijs, & mortificationibus persistens. Factus sacerdos ex obedientia suorum Superiorum quotidie sacrum deuotè faciebat expiando propria, & aliorum delicta. Missus fuit ad conuentum Montisbelli in diœcesi Laudensi, vbi se totum dedit flagellis, & macerationi carnis, asperam ducendo vitam in quadam silua contigua monasterio. In Sacristia adhuc inspiciuntur Malleolus, & disciplina ferrea, atque quædam capsa interius clauis æneis contexta certo ordine partim cuspide sursum eleuatis, partim capite, prominentibus gradatim illorum cuspidibus, storea superposita ad mitigandum rigorem clauorum, quibus pro lecto vtebatur ad requiem corporis, super his vir Dei dormiebat, seu potius vigilando corpus suum castigabat, ne caro insurgeret aduersus Spiritum. Detecta ab incolis Religiosi vitæ asperitate, & bono sanctitatis odore, vanum illorum hominum applausum fugere cupiens, obtenta à Superioribus licentia, se contulit ad nouum Conuentum Piratelli in diœcesi Imolensi, incensus diuino amore inseruiendi B. M. V. cuius sacra Imago ibidem miraculis illustrabatur. Discessit autem à Conuentu Montisbelli anno 1489. vitam contemplatiuam commutando in actiuam, seu potiùs contemplatiuæ adijciendo actiuam pro beneficio noui conuentus fabricandi, imitatus sanctissimum Patrem, qui non sibi soli viuere, sed & alijs proficere optabat. Ex obedientia cœpit inseruire Fratribus, & fabricæ Ecclesiæ, & Monasterij titulo Vicarij, & Procuratoris ab anno 1490. vsque ad annum 1499. in quibus officijs ita prudenter, patienter, & fideliter se gessit, vt meruerit, quamuis reluctans, eligi in Priorem, in qua Prælatura per triennium ita se affabilem, & benignum omnibus reddidit, vt in nullo discreparent ab eius voluntate, tanquam

tanquam si à Sancto, aut ab Angelo Fratres regerentur in regulari obseruantia. Medio tempore sui Prioratus, hoc est, anno 1500. Iubilæi, pedestre cum socio patre fratre Paulo Priore Conuentus Fauentiæ à die 22. Septembris recedendo Romam loca sancta veneraturus, cum spe lucrandi indulgentias sancti Iubilæi die 10. Octobris peruenit; locis sanctis cum summa deuotione visitatis, adiunctis ieiuniis, & laboribus discessit redeundo ad suas oues, ne perirent, & die 31. Octob. peruenit Forliuium. Peracto inculpabiliter suo triennio vsque ad diem 9. Augusti 1502. subsequenter iterum assumptus fuit ad officium Vicariatus, cuius partes sunt administrare bona monasterij, & religiosis prouidere de necessariis, quod fideliter agens permansit per plures annos. Patres eius expertam fidelitatem, & prudentiam anno 1504. cum aliis coëgerunt, & constituerunt Procuratorem in quadam graui causa eiusdem Conuentus. Ab anno 1508. translatus fuit à superioribus ad Conuentum Forliuij vt ibi esset Vicarius, in quo officio landabiliter permansit vsque ad annum 1512. & sequenti anno 1513 10 die Annuntiat. B.M.V. obijt in Domino præmunitus sacrosanctis Ecclesiæ Sacramentis. Eius corpus primò traditum fuit sepulturæ subterraneæ; deinde crescente populi deuotione erga hominem Dei, locatum fuit in capsa reposita in sacristia; demum ex ordine Reuerendiss. P. Magistri F. Ioannis Bap. Prouenzani Drepan. Generalis solemni processione per ciuitatem in loco decentiori super Altare Annunciationis B. M. V. honorificentissimè locatum fuit die 20. Aprilis 1603. Requiescit igitur ibidem Corpus B. Ieremiæ adhuc integrum, & ab illis gentibus, quibus diuersa confert beneficia, deuotissimè veneratur, quorum nonnulla huc referre duxi ad gloriam omnipotentis Dei, qui mirabilia facit in Sanctis suis.

Iacobus de Thomodeis de Forolio. alias dictus *il Biseo*, asserit, se audisse à suo patre B. Ieremiam, dum eleemosynam quæreret ad portam cuiusdam nobilis *dalle Haste* nuncupati, vocatum fuisse intra domum, vt visitaret quamdam mulierem, quæ grauissimo dolore, & spasmo in crure cruciabatur, ità quod Chirurgi decreuerant præcidere crus, vt à mortis periculo imminente vexatam mulierem liberarent: B. Pater misericordia motus, oratione ad Deum deuotè facta, signo cruce super crure producto, fœminæ sanitatem statim impertauit.

Prædictus Iacobus asserit, se ab eodem suo patre audiuisse, quamdam puellam de Facchineis, effusione aquæ ebullientis ex cacabo à serua ex igne remoto, pro ablutione immundorum linteorum miserè combustam, & quasi semimortuam relictam, illico sanatam fuisse à Patre Sene (sic eum vocabant) sibi apparente de nocte: Dixit enim puella expergefacta (non videns lucernam, quæ singulis noctibus pro ipsa lucebat, desperabatur enim paulatim eius salus) Patri suo. Pater Senex mihi apparuit hac nocte, & liberauit me ab hoc malo. Sequenti mane pater puellæ iubilans perrexit, ad conuentum & miraculo Fratribus narrato, procurauit, vt corpus venerabilis Patris è sepultura extraheretur, & repertum fuit integrum, & sanum, ac si viueret, suaui odore fragrans, & illud proposuerunt in capsa, vt superius dixi.

Petrus Stambacius coronam B. V. quæ tetigerat corpus Beati, deuotè apposuit ori infantis sui, qui labia habens pustulata nullatenus poterat lac sugere, à pustulis liber statim euasus lac sugere cœpit.

Franciscus Asiule graui dolore capitis diu laborans, nullo inuento remedio, conuersus ad Beatum, dolor capitis statim cessauit.

Vxor Cortinesij asseruit, se audiuisse quandam mulierem recorrentem orationibus ad seruum Dei, vt eam liberaret à magnis doloribus quos in toto corpore patiebatur, vt libera ad sanctam Domum Lauretanam petere posset, & de hac gratia ipsum rogauit, dum illi confiteretur, & eius precibus Deo profusis gratiam obtinuit.

Cecus Aspinus asserit, se audisse à matre sua dicente, se diu male laborasse pedibus, ita quod non poterat incedere, petiit sibi afferri velum, quo Pater tegebatur, eo deuotè tacto, & osculato, in pedibus statim sanata fuit.

De illo mentionem faciunt noster Magister de Sillis ad cap. 1. Regulæ Mart. Franc. ad diem 30. Iulij. Iulianus Beccius in sua Histor. inscr. *Il fuoco trionfante. Racconto della translatione della miracolosissima Imagine detta la Madonna del fuoco di Forli*, pag. 59.

46 Quæres 17. An Generalis de Obseruantia modo possit visitare monasteria, & Fratres Tertij Ordinis Regularis, iuxta Bull. Sixti V. incip. *Romani Pontificis*, ibi: *Quodque dictus Minister de obseruantia per seipsum dumtaxat vna cum duobus alijs sui ordinis professoribus possit singulo quadriennio post Visitationem à Visitatore Tertij Ordinis huiusmodi factam, & non ante Tertium ordinem, ac Fratres, domos, loca, res, & bona prædicta visitare, eaque tam in capite, quam in membris, prout opportunum fuerit, iuxta Regularia instituta dicti Ordinis corrigere, & moderare.* Ratio dubitandi est, quia nonquam visitauit, & cum transactum sit spatium non solum 40. annorum, sed etiam 60. à die datæ Bullæ 29. Martij 1586. vsque ad sequentem annum 1646. Religio Tertij Ordinis legitimè præscripsit suam libertatem, vt non visitetur à dicto Generali de Obseru. Iuridicè igitur vna Ecclesia contra aliam præscribit spatiũ 40. annorum, & contra quoscumque cap. 2. & 3. 16. quæst. 4. cap. 4. 6. 8. & 9. de præscript. Quare cum id tempus præterierit, ac proinde religio præscripserit contra Generalem de Obseruantia, ab eo amplius non poterit visitari. Hanc quæstionem fusè tractaui in eodem cap. 10. Chronologij, vbi super hac quæstione excitata à Reuer. Generali Minorum de Obseruantia, respondi obiectis, & lis mota transiuit in silentium fauore Generalis Tertij Ordinis.

Dices, ad præscribendum contra aliquem ordinem quod requiritur præscriptio cẽtenaria ex priu. Eugen. IV. incip. *Ex apostolicæ sedis*. apud Rodr. Bull. 17. p. 94. concesso Cassinensib. & communicato aliis religiosis etiam Mendicantibus, ex *eod. Rodr. tom. 3 q. 35. art. 2.* Quare cum nondum perfectum, & absolutum sit tempus centum annor. non possunt Tertiarij legitimè se tueri titulo præscriptionis à visitatione Generalis de Obseru. Occurritur dicendo primo, eam Bull. esse

47 intelligendam iuxta aliam eiusdem Eugen. incip. *Et si ex debito*. apud *cit. Rodr. fol.* 81. in qua sermo est de sexagenaria præscriptione quoad bona tantum, vnde Min. de Obseru. incapaces sunt huius priuilegij, sicut sunt tales respectu bonor. quæ nec in communi possidere possunt. Secundò, quia centenaria præscriptio facta fuit fauore Monasterij S. Pauli extra Muros Vrbis, quia est speciale membrum Apostolicæ sedis, & propria Romani Pontif. sedes, quæ specialitates impediunt communicationem, nisi fiat per specialem Bullam, quam ideo Paulus III. in Bull. 15. incip. *Benignitas*, omnibus monasterij Cassinen. exhibuit. Tertiò, data etiam ea communicatione, eum illud priuilegiũ non deroget iuri communi supraeitato, Generalis Obseruantiæ illo vti non potest contra Tertiarios, qui se tuentur eodem iure communi; sufficit enim, quod verificetur contra laicos, est enim fortius, & stabilius priuilegium insertum in corpore iuris, quam extra illud vagans, vnde illi per hoc non derogatur nisi per expressam mentionem, Bart. *in l. 2. §. Legatus, ff. de ind.* Moditius §. *Principium placita dub. 140. num. 6. Diana resolut. 1. de Regul.* Quartò inter habentes priuilegia iuris communis, & extra illud, præfertur priuilegium iuris communis extrauaganti, *ex Baldo in l. Si quis in grani, §. pen. & l. sequenti incip. qui posthumos, ff. ad Syllan. Aretin. consil. 83.*

fol. 94. column. 4. Decimo in cap. In præsentia, de probat. ex illis Couar. pract. quæst. cap. 7. §. Sextò.

Quæres 18. An Fratres Tertij Ordinis veniant sub titulo Minorum S. Francisci? Vide resol. 75. q. 14.

48 Respond. Sic probatur, Tum quia S. Franciscus in exemplum humilitatis voluit, vt omnes eius filij vocarentur Fratres Minores; sed Tertiarij ab eo instituti sunt eiusdem filij legitimi, vt constat ex supradictis, ergo Minores vocantur. Tum quia in multis Bullis Pontificiis Ita vocantur Fratres Minores de Tertio Ordine. Tum quia si fiat legatum Fratribus Minoribus, & in loco sint tantum Tertiarij, tunc debētur istis, vt resoluit Bartolus in sua Minoritica. Nec obstat, quod in officio S. Patris Francisci dicatur: *Tres ordines hic ordinat; primum Fratrum nominat Minorum; Pauperúmque fit dominarum medius, sed Pœnitentium Tertius sexum capit vtrumque.* Nominando solum Minores, qui militant sub primo ordine; quia huiusmodi expressio cum referatur ad principale analogatum, non tollit denominationem à reliquis, quibus per analogiam communicatur.

Quæres 19. An huius ordinis professi habeant facultatem celebrandi Diuinum Officium, & Missam de Sanctis sui ordinis?

Respondeo Affirmatiuè ex S. C. cuius responsum habeo apud me authenticum in hæc verba. *Sacra Rituum Congregatio concessit, vt de Sanctis Tertij Ordinis S. Francisci, approbatis tamen à Sede Apostolica, in diebus eorum festis, possit per Oratores recitari Officium, & Missa celebrari iuxta Rubricas Breuiarij, & Missalis Romani, Die 12. Ianuarij 1642. Cosimus Card. de Torres, Iulius Cencius Secret.*

RESOLVTIO LXXXVIII.

De officio Prouincialis.

SVMMARIVM.

1 *Potest licentias sui prædecessoris reuocare.*
2 *Potestas Episcopi ordinis, & iurisdictionis.*
3 *Prælati maiorem iurisdictionem etiam delegatam à sede habent.*
4 *Maior sine causa non auocat ad se causas pendentes coram iudice inferiori.*
5 *Prior ordinarius suorum subditorum de iure communi.*
6 *Potestas ordinaria difficilius tollitur, quam delegata.*
7 *Auocans ad se causam pendentem peccat mortaliter.*
8 *Facit contra iustitiam.*
9 *Auocatio sine causa nulla.*
10 *Intimanda iudici, aliter.*
11 *Nulla est, & non admonitus.*
12 *Iudex benè prosequitur suam causam.*
13 *Procurator amouetur à Prouinciali contempto in electione.*
14 *Prouincialis caput, & domicilium vbique.*
15 *Prouinciam nouam edere, mutare, diuidere potest Generalis.*
16 *De consensu interessentium Fratrum.*
17 *Collegium fit ex tribus personis.*
18 *Prouincia fit ex decem conuentibus sex professorum singulis.*

DE specialibus ad officium Prouincialis sparsim in hoc opere tom. 1. quod non puniit extra suam prouinciam Resol. 2. num. 21. Præteritus officio iam functus ratione præcedentiæ dicitur habere personatum, Resol. 12. num. 27. electio eius quomodo fiat, Resol. 26. num. 7. in quouis conuentu sibi subiecto habet vocem num. 45. & 65. eadem resol. vnde concurrit ad electionem discretorum localium n. 79. casus sibi reseruat resol. 57. num. 31. In hoc secundo tomo dixi castigare posse suum subditum extra visitationem resol. 66. num. 15. præuenire potest priorem in eodem conuentu, vbi residet num. 16. ex decentia sui status admonet Priorem quando vult exire num. 19. eius licentia necessaria est ad alienandum resol. 53. num. 59. non dicitur proprie immediatus superior loci, cum non sit prior, sed prouinciæ tantum quia non magis præficitur vni conuentui, quam aliis, sed ad omnes indifferenter se habet eadem Resol. 35. num. 40. comparatur Episcopo quoad iurisdictionis potestatem, resolut. 80. num. 4. quo maiorem habet potestatem absolutionis, dispensationis num. 5. non potest quicquid Generalis num. 6. Resol. 87. 38. dixi non esse vocandos Vicarios, sed simpliciter Prouinciales immediatè ex officio, & potestate ordinaria. Prouincialatus officium est antiquissimum in religione nostra ante annum 1472. vt videre est in Bulla sequentis tenoris.

Sixtus Episcopus, seruus seruorum Dei Dilectis filijs vniuersis & singulis præsentes literas inspecturis salutem, & apostolicam benedictionem.

Pridem per alias nostras ad perpetuam rei memoriam sub Bulla plumbea editas literas dilectis filiis Visitatori Ministro, & Prouincialibus Fratrum Tertij Ordinis S. Francisci in habitu Eremitico famulantibus concessimus facultatem, vt omnes, & singulos dicti ordinis Fratres visitare, reformare, & corrigere possent, prout in ipsis literis latius continetur. Nuper autem non absque animi molestia ex querela Ministrorum Visitatorum prædictorum percepimus, nonnullos dicti ordinis Fratres salutaris obedientiæ iugo abiecto, & per deuia ambulantes visitationem, correctionem, & reformationem huiusmodi subterfugiunt, curamque animarum, licet inhabiles sint, & licentiam non habeant, gerere præsumunt, in graue suarum conscientiarum onus, & malum exemplum, ac scandalum plurimorum: Quocirca huiusmodi inobedientiæ abusioni obuiam ire auctoritate Domini cupientes, attendentesque quod vbi obedientia non viget, ibi contemptus exercetur, & regularis dissoluitur disciplina, deuotionem vestram intendentes, singulos vestrum hortamur, & in Domino caritate attente monemus, quatenus eisdem Visitatori, & Prouincialibus, quoties opus fuerit, subiectionem, & obedientiam, præstetis. Datum Romæ apud S. Petrum die 21. Aprilis 1476.

Patet ex his ante prædictum annum Tertiarios habuisse plures Prouincias, & Prouinciales, immo ex cap. 1. Regulæ, & ex proœmio videntur fuisse quasi coæui, & contemporanei Generalis. Literæ, de quibus supra fit mentio, sunt Bulla eiusdem incip. *Sedes Apostolica.*

Quæres autem 1. an Prouincialis possit annullare omnes licentias à suo antecessore, vel etiam à Generali præterito concessas Fratribus sibi subiectis?

1 Respond. Potest reuocare quascumque facultates concessas à suo prædecessore prouinciali, tum quia non minorem habet facultatem suo antecessore, sed ipsemet, poterat reuocare gratias concessas, ergo & successor, nam quæcumque facta ab illo, ita se habent, ac si à successore processissent, antecessor enim, & successor vna reputantur persona. Tum quia par in parem non habet iurisdictionem, consequenter cum successor non habeat manus ligatas ab antecessore, facere potest quicquid sibi placet circa disposita à prædecessore suo. Puto etiam reuocare posse concessas à Generali præterito, si suo officio præiudicant, quia per abdicationem ab officio videntur subsistere cum dependentia ab officio prælati inferioris, cui in concessione non prætendebat præiudicare. Generalis vero actualis gratiæ concessæ manutenendæ sunt fauore subditorum, quia inferior in superiorem non agit ex vulgatis iuribus?

Quæres

Quæres 2. An iurisdictionem quasi episcopalem habeant in subditos suos?

2 Potestas autem Episcoporum duplex est, ex Glos. v. Iurisdictionis cap. Aqua 9. de consecrat. vna dicitur potestas ordinis ad conferendos ordines, ad consecrandum, ad chrismandum, &c. hæc competit propriè Episcopis, in qua illis non comparantur Prouinciales: altera dicitur potestas iurisdictionis, quæ vel est ordinaria sibi immediatè competens ex officio suo, per quam habet regere suos subditos, vnde illi omninò cum sit necessaria dicitur competere iure ordinario, vel delegata, vt cum Papa Episcupo iure communi committit aliquam causam, quam ex officio suo expedire non potest, vnde in ea procedit tamquam Sedis Apostolicæ delegatus. Quæstio igitur est de hac duplici iurisdictione an concessa Episcopo competat Prouinciali, & Generali?

3 Respond. Prouinciali eam omnem potestatem erga suus subditos tam iurisdictionis ordinariæ, quàm delegatæ, & iuris communis habet, qua gaudet Episcopus erga suos subditos; ratio est, quia non minorem curam gerere debet Prælatus regularis erga suus subditos, quam Episcopus habet respectu suorum; sed in ea exercenda Episcopus eo iurisdictionis genere vt plurimum indiget, ergo & Prælatus regularis, confirmatur, quia prælaturæ regulares maiores, & Episcopales æquiparantur beneficio suorum subditorum, *Glos. v. Regularis, cap. Ne pro defectu 41. de elect. per cap. si quis deinceps 16. quæst. fin.* ergo de vtrusque iurisdictione idem faciendum est iudicium. *Vide quæ dixi ad hoc Resol. 2. numero 17. & 19. resol. 3 numero 35. Portel. v. Prælatus iurisdictio Rodr. tom. 1. quæst. 52. art. 5. Lezana tom. 2. capite 13. numero 26.* Idem dic de Generali potiori ratione.

Quæres 3. An Prouincialis possit ad se auocare causas pendentes coram superioribus localibus. In meo ordine quæstio locum non habet, quia Priores in causis iudicialiter non procedunt, sed tantùm suos subditos paternaliter corrigunt, imponunt tamen censuras, & conijciunt in carcerem inobedientes, ex quo quæri potest, an in his duobus casibus possit Prouincialis se ingerere? Quod dicetur de Prouinciali, locum habebit etiam in Generali. Hanc rem Pasqualigus disputat in titulo de Auocatione causarum apud Regulares incipiendo à decisione 57. vsque ad 70. inclusiuè.

4 Respond. Prælatus maior sine causa legitima non potest ad se auocare causam cæptam, & pendentem coram inferiore iudice aliter peccat mortaliter, faciens contra iustitiam, & auocatio inualida est, atque nullius momenti. Auocatio autem huiusmodi intimanda est iudici cum expressione causæ, per quam mouetur ad huiusmodi auocationem, aliter inferior procedens in causa benè, & validè prosequitur ius suum, & auocatio nullius est valoris.

5 Primum, quod Prælatus pro suo arbitratu non possit ad se causam auocare, probatur. Tum quia superioris localis est prima causa erga suos subditos, cùm sit immediatus, & primus eorum iudex ordinarius, *ex cap. Nullus 18. quæstione 2. cap. Quanto, cap. Cum ab Ecclesiarum, de off. ordin. Glos. fin. capite 2. de iud. Nau. tom. 2. Comment. 2. de Regular. numero 63. & consil. 6 de foro cōpet. consil. 4. de maiorit.* & hoc de iure communi ex locis citatis, ergo sine causa eam iurisdictionem illis auferre non potest, concessa enim iure communi inferior tollere non potest, cum nullus sit super ius canonicum præter Romanum Pontificem. Tum quia ordinaria potestas difficilius ab ordinario

6 aufertur, *l. 1 §. Qui mandatum ff. de off. eius, cui mand. l. Iudicium soluitur ff. de iudic.* maximè competens iure communi, *Imola in cap. Volentes de off. legati n. 5. Caranita in Ritib. Magna Cur. Vicar. Ritu 48. numero 6. & 7.* ergo superior maior hanc ab inferiori non potest tollere, nisi causam habeat. Tum quia nullus ordo confundendus est, confunditur autem si vnicuique propria non seruatur iurisdictio, *cap. Peruenit 36. 11. quæstione. 1.* Tum quia Prælatus maior minoris superior in hoc non dicitur, Prælatus enim inferior in ordine ad superiorem non dicitur illi subditus, nisi in quantum erat in officio, qua ratione potest ad se causam auocare pendentem, si in ea peragenda in aliquo deficit, si autem se bene gerit illi non subditur, sicut neque illi subditus est in ordine ad amotionem ab officio, quando in eo benè administrat, quia de iure communi, aut ex ordinis sui statuto, debet perseuerare vsque ad præfisum tempus, quod Prælatus alterare non potest, cum super illud non sit, sed illius custos, & conseruator in ordine ad obseruantiam. Tum quia superior inferioris factum, seu pœnam, aut priuationem inductum auferre non potest, ex probatis *resol. 66. numera* 8. per decretum Tridentini, de quo ibi; ergo multò minùs auocare ad se causam pendentem coram superiore inferiori, cùm ex hoc maior iniuria infertur superiori, à quo causa vocatur, quam post causam finitam, pœnam impositam tollere, aut mutare. Tum demum, quia ratio subordinationis superiorum maiorum, & minorum hoc postulat, vt vnusquisque cognoscat propria iura, & in illis nullus perturbetur, nisi subsit causa. Ex his tamen non tollitur præuentio inter ipsos, sed illi datur locus ob rationes adductas eadem *Resol. 66. numero* 16.

7 Secundum, quod peccet mortaliter, probatur, quia sibi vsurpat iurisdictionem alienam, in quo casu cum non subsit causa ex probatis nullum ius habet super causam pendentem; qui autem vsurpat iurisdictionem alienam peccat mortaliter, *ex D. Thoma 2. 2. q. 60. art. 6. Nauar. consil. 2. de hæret. num. 4 §. Secundo, consil. 3. de crim. falsi.*

8 Tertium, quod sit contra iustitiam, probatur, quia tunc fit contra iustitiam, quando læditur ius tertij, vt accidit in casu hoc, in quo superior maior sibi arrogat iurisdictionem inferiori debitam iure ordinario, religiosus enim per votum obedientiæ renuntiat tantùm eus suæ voluntatis actus, in quibus dependet à suo Superiore, & respectu aliorum, quæ ab eius iurisdictione, & superioritate non dependent, suam retinet liberam voluntatem, cuiusmodi sunt actus iurisdictionis sibi iure ordinario competentes, non enim totum suum velle, & nolle à se abdicauit professione voti obedientiæ, ex probatis *resol 53. numero 14. & 31. Resolut. 85. n. 51.* Ita docet Pasqualigus *decis. 62. referens Suar. tom. 4 de relig. tract. 8. libro 2. de relig. Prælatus capite 2. numera 83. fine.* asserentem id esse incertum, quia religiosi non videntur habere tam proprium dominium circa hæc iura, & officia; *& Bosa part. 2. casu 3. §. Arbitratus*, dicit Prælatos regulares in suos subditos habere ius obedientiæ, non iustitiæ. Sed ex communi Doctorum opinione, de quibus loco citato *resol. 85. numera 50. & 51.* professus quod ad electionem de se factam in religione, & iurisdictionem erga suos subditos non caret proprio velle, & nolle, neque mundo mortuus est, sed viuit.

9 Quartum, quod auocatio nulla sit, suadetur, quia censetur facta tanquam ab eo, qui non habet potestatem ita faciendi, neque ad id eius potestas se efficaciter extendit, cùm sit vsurpatiua; sed factum sine potestate, & vsurpatiuè nihil est, quia valor actus non solùm pendet à voluntate, sed etiam à potestate agentis, *ex cap. Cum super 33. de off. deleg. Bald. in l. omne verbum C. commun. de legat. Alex. lib 4. consil. 53. n. 30. Rota Romana vol. 1. decis. 451. numero 2.* Ita Pasqualigus *decis. 63. contra Suar. qui loca supra citato numero 25.* asserit valere auocationem, quia voluntas superioris absolutè potentior est, & nulla lex factum irritat, neque ex natura rei irritatur, quia multa illicitè fiunt, quæ tamen facta tenent, & defectus est magis in modo, quàm in substantia.

Quibus reſpondetur in hoc caſu voluntatem eſſe ſimpliciter nullam, & ideo neque poſitiuè potentem, cùm non ſe extendat ex probatis,& certi iuris ſit nihil fieri poſſe ſine poteſtate.

10 Quintum, quod auocatio intimanda ſit iudici, probatur, Tum quia auocatio ex cauſa legitima videtur eſſe aliquis actus iudicij, cùm Prælatus non moueatur niſi ex legitima cauſa, quæ ſupponit aliquam imperfectionem, & defectum in iudice, aut aliquid aliud ex parte perſonæ iudicandæ, ergo neceſſe eſt admoneri de auocatione cum expreſſione cauſæ iudicem. Tum quia auocatio eſt aliqualis ſpecies appellationis, cùm fiat fauore ſubditi, qui interpretatiuè cenſetur appellare; ſed appellatio fit coram iudice inferiori ad ſuperiorem conſequenter ſcientiæ & admonitio, *cap. Vt debitum 59. de appellat. cap. Secundò 41. §. Tertiò, eod. de recuſatione iudicis delegati, & cap. Cum ſpeciali 61. de recuſatione iudicis ordinarij.*

11 Sextum, quod auocatio facta ſine monitione ſit nùlla, ſuadetur, quia Prælatus auocans ius acquirit ſuper cauſam mediante admonitione, & quaſi appellatione, ſine quibus ſuperior ad quem ius non acquirit ſuper alterius cauſam. Nec obſtat Paſqualigus deciſ. 64. iudicem non eſſe audiendum affirmando, quia aliud eſt admonere iudicem de auocatione, aliud ipſum audire, eo enim admonito, in cauſa procedere poteſt, quia ſuper eam iam acquiſiuit ius abſolutum.

12 Septimum, iudex, qui admonitus non fuit, poteſt bene ſuum proſequi iudicium, quia adhuc retinet ſuam poteſtatem, & iuriſdictionem ſuper cauſa cœpta, reuocatione enim iuriſdictio non eſt ſublata, niſi id iudici innoteſcat. l. Si forte ff. de off. præſidis ibi: *Si forte præſes prouinciæ manumiſerit, vel tutorem dederit, priuſquam cognouerit ſucceſſorem adueniſſe, erunt, & hæc rata.* Subiungit Gloſ. v. Cognouerit rationem, quia vſque ad aduentum illius durat iuriſdictio prædeceſſoris, qui ſuam ignorauit reuocationem.

Quæres 4. An Prouincialis poſſit reuocare procuratorem à Priore factum ſimul cum ſua familia, eo inſcio?

13 Reſpond. Si non fuit contemptus, vt hic ſupponitur oppoſitum, non poteſt illum reuocare ex probatis reſol. 66. num. 14. Vide ibi.

Quæres 5. An Prouincialis dicatur caput totius Prouinciæ,& in ea tota reſidere, ac ſi habitatione materiali vbique eſſet?

14 Reſpond. Dicitur caput totius Prouinciæ, ſine quo nullum poteſt congregari capitulum prouinciale, & in eo ſine illo determinari nihil poteſt, Mirand. tom. 2. quæſt. 29. art. 1. concl. 3. Dicitur reſidere in quolibet Conuentu quo ad ſuam poteſtatem, quia cum omnibus ſuperioribus localibus concurrere poteſt ad negotia non ſolùm totius prouinciæ in genere, ſed etiam in ſpecie ſingulorum Conuentuum, & vbique actuale domicilium; vbi ſibi placuerit conſtituere poteſt, & mutare, *& Peyrin. dicit de Prælato quæſt. 3. cap. 1. §. 3. num.* 116. Prouincialem dici ſuperiorem localem in quolibet Conuentu ſuæ prouinciæ, vbi actu reperitur, licet non reſideat ibi.

Quæres 6. Prouinciam nouam quis inſtituere poſſit? & quot Conuentus requirantur ad eius conſtitutionem? Minoribus ſub prima regula Papa Nicolaus IV. prohibuit, ne nouam poſſent erigere Prouinciam, neque iam fundatam in duas diuidere, neque vnam alteri ſubijcere, *Rodr. tom. 1. q. 13. art. 8.* vbi dicit id eſſe de iure communi *per cap. Felix 16. q. 1. cap. De locorum, de conſecr. diſt. 1. cap. De temporibus 16. q. 1. cap. Sicut, de exceſſibus Prælator.* à ſimili de ſede Epiſcopali, quæ de nouo erigi non poteſt ſine licentia Papæ, vide melius, *cap. Ex temporis 50 17. q. 1. cum ſequent. adhuc clarius cap. 3. & 4. de officio legati.* Sed his non obſtantibus.

15 Reſpond. Generalis illius ordinis, qui non habet expreſſam prohibitionem, poteſt nouam conſtituere Prouinciam, vel vnam grandem in duas diuidere, vel addere, aut detrahere Conuentus, & vnire alteri prouinciæ. Probatur ex differentia inter Epiſcopatus ſub eodem metropolitano, & Conuentus ſub eodem Generali, nam Generalis eſt abſolutè Prælatus non ſolùm religioſorum, ſed etiam bonorum, & omnium Conuentuum ſui ordinis; Metropolitanus verò limitatam habet facultatem ſuper ſuffraganeos, & eorum ſubditos, non autem in eorum Eccleſijs, & adminiſtratione bonorum, & redituum Cathedralium, ex qua differentia infertur, hunc non poſſe, illum verò vtique. Confirmatur, quia Epiſcopus poteſt vnire Eccleſias ſui Epiſcopatus *exemp. Sicut vnire 8 de exceſſ. Prælat.* ergo & à fortiori Generalis, qui potiora iura habet ſuper ſuos ſubditos, & eorum Conuentus, & bona. Verum quidem eſt, quod id præſtare non poteſt ſine conſilio, & aſſenſu illorum Conuentuum, & Prouinciarum, quibus aliquale præiudicium affertur, quia quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, & nihil faciendum eſt in præiudicium alterius ſine eius conſenſu. 16

17 Quot autem Conuentus requirantur ad conſtitutionem prouinciæ. Nau. conſil. 10. de maior. num. 17 ait vnum non ſufficere, & benè, quia ad faciendum Collegium ad minus requiruntur tres perſonæ, *Bart. in l. Prætor ff. vi. bon. rapt. l. Neratius ff. de verb. ſignif. ex Gloſ. v. Vbi congregatio cap. 1. 10. q. 1. Gloſ. v. Pauciores cap. Gratum 2. de poſtulat. cap. 1. de elect.* vbi dicitur, quod congregationem duo, vel tres faciunt, *Grilenz. conſil. 126. num. 2. ad 7. Graff. tom. 1. conſil. 2. diff. 1. num.* 16. Collegium ergo dicitur à colligendo, eo quod plures perſonæ ſe in vnum corpus colligunt *Gloſ. v. Collegium cap. 1. de Vſur. in 6.*

18 Putarem, nouam non poſſe erigi Prouinciam, immo neque veterem legitimè poſſe dici prouinciam, niſi ad minus haberet ſub ſe decem Conuentus, in quorum ſingulis habitarent ad minus ſex profeſſi. Ratio eſt, quia ſi tres perſonæ requiruntur ad vnum collegium faciendum, ſeu Conuentum, ergo multo plures Conuentus requiruntur ad conſtituendam prouinciam. Confirmatur, quia hæc pluralitas locorum,& Profeſſorum neceſſaria eſt in ordine ad electiones ſuperiorum, officialium,& ſubditorum eiſdem ſubiectorum, neque enim ratio dictat omnes futuros eſſe ſuperiores, & officiales, ſicut neque omnes eſſe ſubditos, ſed partim officiales, partim ſubditos,& non officiales.

Resolvtio. LXXXIX.

De Violatione Eccleſiæ.

SVMMARIVM.

1 *De Eccleſia 30. propoſitiones referuntur.*
2 *Tranſlatione Eccleſiæ transferuntur priuilegia.*
3 *Omnes Eccleſiæ ſubiectæ Epiſcopo non regulares.*
4 *Eccleſia regularis licet gubernetur per clericum.*
5 *Regularis dicitur viduata morte ſuperioris.*
6 *Regulares, & cathedrales æquiparantur.*
7 *Parochiales ſunt reſpectu Fratrum.*
8 *Collegiata dicitur.*
9 *Eccleſia alia viua, alia mortua, ſeu materialis.*
10 *Polluitur ſeptem modis.*
11 *Sanguinis humani effuſione.*
12 *Iniurioſa, actione, quæ ſit peccatum mortale.*
13 *Effuſio debet eſſe in quantitate v. g. vnius hoſtiæ* 15.
14 Effundo *importat abundantiam,*
15 *Sanguis debet eſſe ab homine.*
16 *Viuo, aut moriente paulo poſt.*
17 *Intra Eccleſiam funditur.*
18 *Eccleſia nomine quid veniat?*
19 *Homicidium peccaminoſum violat Eccleſiam.*

21 Se

21 *Seminis humani emissione polluitur.*
22 *Sepelitione excommunicati denuntiati.*
23 *Sepelitionibus infidelis, & pagani.*
24 *Hæreticus est infidelis.*
25 *Consecratione Episcopi excommunicati non remanet polluta.*
26 *Argumentum à simili in multis non tenet.*
27 *Destructione parietum polluitur Ecclesia*
28 *Conseruatio, & benedictio contingunt totam Ecclesiam.*
29 *Ecclesia polluta etiam cœmeterium illi contiguum non è contra.*
30 *Occulta pollutione Ecclesia non reconciliatione.*
31 *Publica tunc est, cum fuit diuulgatum.*
32 *Et ab euulgatione incipit polluta esse Ecclesia.*
33 *Necessaria mihi videtur aliqua declaratio.*
34 *Celebratio præmissa non reconcilias Ecclesiam pollutam.*
35 *Episcopi solius est consecrare Ecclesiam.*
36 *Reconciliant suas Ecclesias non solùm benedictas.*
37 *Sed etiam consecratas.*
38 *Polluta gaudet priuilegio immunitatis.*
39 *Celebrans in polluta peccat mortaliter.*
40 *Benedicta gaudet priuilegiis consecrata.*
41 *Imponere primum lapidem possunt Abbates.*
42 *Non mendicantes nisi in casu, sed per alium Episcopum.*
43 *Abbas nullus consecrare potest.*
44 *Iam constructas Prælati suas benedicere possunt.*

1 DE Ecclesia multa tradmtur à Doctorihus, de qua nonnollas propositiones referam. Primò, Ecclesia in præiudicium alterius ædificanda non est, *cap. 1. de noui oper. nunt.* Secundò, destructa authoritate Episcopi non ampliùs gaudet priuilegiis, vtique verò si destruatur à non habente potestatem, *Glos. v. eod. cap. Et hoc 6. 16. quæstione 7. Peregr. de Immun. cap. 4. numero* 48. Tertiò, aditus Ecclesiarom omnibus Christi fidelibus oon censuratis, nec publicis peccatoribus deberor, *cap. Frigentius 34. 16. quæst 7.* Quartò, Ecclesia comparatur posthomo, *Glos. in cap. Si qua 9. 19. quæstione 3.* Quatorò, ligna Ecclesiæ non sunt profananda, *cap. Ligna 37. dist. 1. de consecr.* non profanantur autem quando inseruiunt fabricæ claustri, monasterij, aut alterius loci pij, *cap. Ligna 37. dist. 1. de consecr.* Sextò, Ecclesia cum libera sit nunquam recipit seruitutem, *Bald. in cap. Significauit, de testibus num. 1. Mar. Anton libro 1 resol. 33. numero 9.* Septimò, Ecclesiæ debetur maior fauor, quàm publicæ vtilitati, *Felin. in cap. Nonnulli, de rescr. Rota Rom. vol. 1. decis. 454. numero 8.* ideò eius fauore interpretatio latissimè facienda est, *Bald. libro 3. consil. 107. ante finem, per tex. in lib. Locus, ff. de Vsufr. l. Sunt personæ ff. de relig. sumpt. & funer. Tiraq. de causa pia priuileg. 101. Rota Rom. vol. 2. decis. 25. numero 1.* Octauò, Ecclesia habet senatum, *cap. Ecclesia 7. 16 quæstione 1.* intellige Romana, metropolitana, cathedralis; collegiata, & conuentualis; in quibus clericorum, & dignitatum est congregatio. Nono, Ecclesia viduata oon solùm cathedralis, sed quæcumque alia carens suo sacerdote, & Prælato *Glos. fin. capitulo. Cum terra 14. de elect.* Decimò, Ecclesia nulli claudit gremium suum, *Glos. v. Ante lieu, cap. Quoreni 26. de off. deleg. per l. fin. C. de sum. Fin.* vnde & mater nostra dicitur, quia per baptismum nos regenerauit *cap. Qui 6. 12. quæstione secunda.* Vndecimò, Ecclesia iure minoris debet semper illæsa seruari, *capite 1. & 3. de interg. restit.* Duodecimò, Ecclesia fungitur iure reipublicæ, *Glos. v. Iure minoris cap. 1. de in integrum restit. per cap. Quid ergo 23. quæstione 4.* Decimo tertiò, Ecclesia fungitur iure imperij, *auth. de non alien. §. Sancimus, collat. 2.* immo longè maior imperio, *cap. Duo, dist. 96. cap. Solita de maior. Glos. v. Ecclesia cap. Auditis 3. de in integr. rest.*

Decimo quartò, Ecclesia est proximus hæres, *Glos. v. Restitutionem cap fin. de success. per cap. Presbyteri de pœnit.* Decimo quintò, Ecclesia reædificata intelligitur eadem ea eisdem lapidibus, *Glos. v fundatores, cap. Quoniam 3. de iurepatr. per l. Proponebatur. ff. de iud. cap. Denique 7. quæstione 1.* eadem est etiam in 2 ordine ad se, & sua priuilegia, licet in vicimiori solo ædificetur ex aliis lapidibus, priori vetustiore ruinam minante destructa, ad quam intelliguntur translata priuilegia, & onera, quibus illa in priori statu erat subiecta. *Tamb. tom. 3. disp 5. quæstione 6.* Decimo sextò, Ecclesia in primitiua erat patrona omnium temporalium *ex capite 1. 12. quæstione 1.* Decimo septimò, legibus humanis non adstringitur, *Glos. v. Imperialibus, cap. Conuenior 30. 23. quæstione 8.* Decimo octauò, rugam, neque maculam habet Ecclesia Christi, *cap. Ecclesia 70. de pœnit. dist. 1.* Decimo nono, dicitur vxor clerici, *Glos. v. In coniugiorum cap. 1. 34. quæstione 1.* & ideò rector vnius Ecclesiæ debet esse contentus, *cap. Quoniam 3. de iurepatr.* Vigesimò, Ecclesia Romana habet plenitudinem potestatis in omnibus aliis Ecclesiis, *Glos v. Ecclesia in fine cap. 3. 16. quæstione 5.* est mater, & magistra omnium fidelium, & quarumcumque aliarum Ecclesiarum, *cap. Licet 20. de foro compet cap. de sum. Trin. in 6.* Vigesimo primò, omnes Ecclesiæ subditæ sunt Episcopo, *cap. Basilica omnes 16 quæstione 7.* intellige non 3 regulares, quæ priuilegio pontificio exemptæ sunt, vt notum est. Vigesimo secundò, Ecclesia regularis 4 non desinit, & si monachi per aliquot annos eam incolere desinant, cùm adhuc dicatur regularis habitu, quod sufficit, *Iason. libro 1. consil. 75. numero 15.* neque ex eo mutatur, quod Prioratus clerico sæculari sit traditus decursu annorum septuaginta, *Franc. in cap. Cùm de beneficio de probend. in 6. numero 9. Ægid decis 107. & 112. Rota Romana. vol 4. decis. 588.* Vigesimo tertiò, Ecclesia regularis mortuo Prælato 5 dicitur viduata, *cap. Ne pro defectu, cap. Cupientes, de elect. Abbas in cap. Quia, eodem numero octauo. Lauor. titulo quarto, capitulo 18. de elect. numero 15.* Vigesimo quartò, Ecclesiæ Cathedrales, & regulares 6 æquiparantur *Glos. v. Cathedralium cap. Statutum 11. de rescr. in 6.* Vigesimo quintò, Ecclesia, monasterium, & pius locos diuersa sunt, *cap. Sciant 12. de elect. in 6. & cap. sequen.* sub nomine Ecclesiæ venit monasterium in fauoribus *Rodriquez tom. 1. quæstione 3.* non autem in odiosis, *ex eodem, quæstione 43. art. 12. Compend. resol. 25. numero 10.* in quo sensu *Nauar. consil. 9. de testam.* dixit Ecclesiam esse aliud à Cooventu. Vigesimo sextò, Ecclesiæ regulares cen- 7 sentur parochiales respectiuè ad suos Fratres, cùm & earum superiores dicantur Curati, & parochi, atque eorum proprij sacerdotes ex *cap. Cum omnis 12. de pœnit. Faber. de Pœnit. disput. 25. numero 89. Fagundez libro 8. de præceptis Ecclesia cap. 4. Glos. v. istos prope finem Clem. Ne in agro, de statu monach. Gemmens. capite 91. fine.* Vigesimo septimò, Ecclesia Cathedralis potest esse regularis *Glos. Regimen. cap. Quod Dei, de statu mon.* immo omnes Ecclesiæ Cathedrales tales alias erant regulares. *Nau. consil. 13. de regul. numero 5.* Vigesimo octauò, Ecclesia regularis 8 vbi residet superior cum suis subditis vocatur Collegiata, *Clem. 2. de ætate, Trident. sessione 22. capite quarto.* Ibi: *In Cathedralibus, vel Collegiatis secularibus, vel regularibus Ecclesiis.* Vigesimo nono, Episcopus Ecclesiam sæcularem non potest transferre in regularem sine consensu maioris partis sui capituli. *Glos. v. concessionis cap. Sicut nobis 2. supplend. negl. Prælat. per cap. Pastoralis de donat. cap Cum vos, de ijs quæ fiunt à Prlatis.* Trigesimo Ecclesia regolaris per clericos gubernatur in defectum regularium, *cap. Inter quatuor 5. de relig. domibus.*

Notandom autem est, quod nomen Ecclesiæ sumitur 9 multis modis, de quibus *Glos. v. eod. cap. Cum clerici 19. de*

19. *de verb. signif.* pro præsenti tamen materia accipitur dupliciter, primò formaliter pro congregatione, & collectione fidelium, *cap. Ecclesia. i. Catholicorum collectia 7. dist. 1. de consecr.* Secundò materialiter pro templo, & loco, in quo fideles congregantur ad diuina celebranda, & audienda, de qua ibidem in sequenti-
10 bus capitibus. Sed cùm titulus sit de Violatione, seu pollutione Ecclesiæ, quæ contingit pollui septem modis. I. Effusione sanguinis humani. II. Homicidio III. Effusione seminis humani. IV. sepelitione excommunicati denuntiati. V. sepelitione infidelis. VI. consecratione, vel benedictione facta ab Episcopo publicè excommunicato. VII. destructione parietum. *Vide Nau. cap. 27. num. 257. Sayr. de censuris plenè more sua lib. 5. cap. 16. Bonac.* paucis more suo in tract. de matrim. *q. 4. puncto fin. à numero* 19. ab ea incipiamus quærere resolutionem dicendorum.

Quæres igitur 1. Quomodo contingat violari Ecclesiam primo modo per effusionem sanguinis humani? *de quo cap. Ecclesiis 3. dist. 68. quod repetitur cap. Ecclesiis 20. dist. 1. de consecr. cap. Proposuisti 4. & final. de consecrat.*

11 Respond. Tunc polluitur Ecclesia, cum culpabiliter effunditur in quantitate sanguis hominis viuentis intra Ecclesiam. Singulæ particulæ sunt explicandæ.

12 Dixi primò, quod effusio sanguinis debet esse culpabilis, quam alij dicunt iniuriosam, quæ nimirum peccatum sit mortale. Quare primò effusio naturalis, vel casualis ex naribus, ex regula cadente super caput, sanguinis etiam in magna copia non inducit pollutionem Ecclesiæ, *Glos. v. sanguinis cap. Vn. de consecrat. in 6. Nau. cap. 27. num. 256. Sayr. lib. 5. c. 16. num. 4.* licet pueri inter se rixentur, & è naribus emanet sanguis in quantitate, *Bonac. q. 4 de matrim. p. fin. num. 20. alij communiter.* Secundò neque inducit, si quis vulneret ad sui, vel alterius iustam defensionem seruato moderamine inculpatæ tutelæ, *Bonac. Nau. Sayr. & alij cum Nalda, v. Ecclesia num. 30.* Tertiò, si ioco, aut inaduertenter sanguinem effundat, ex eisdem, licet alias iocus, seu ludus ratione irreuerentiæ sit peccatum. Quartò, si effundatur ab amente, furioso, puero rationis vsu carente, vel ab ebrio, quia in his casibus culpabilis non est, neque iniuriosa, *ex Sayro num. 4. Bonac. n. 20.* quod procedit de ebrio, quamuis alias ipse præuidisset factum sequuturum; quia iniuria attenditur ex facto in se culpabili, non ex præcedente causa. Quintò non inducitur per effusionem factam sectione venæ, *Glos. v. Sanguinis cit. de consecr. in 6. Sayr. cit. num. 4.* Certa ergo datur regula, quod quotiescumque effusio non est peccaminosa, & iniuriosa, non inducit pollutionem Ecclesiæ.

13 Dixi 2. quod effusio debet esse in quantitate, quia tres, aut quatuor guttæ non sufficiunt ad polluendam Ecclesiam, quia in citatis textibus fit mentio de verbo. *Effundere* quod largitatem, copiam, & abundantiam importat, *cap. Reuertimini 67. med. 8. quæstione 1. Glos. v. Effusionem sanguinis, cap. Cum illorum 32. de sent. excom. v. Effundendo in Clem. Ne Romani, de elect. vnde Nau. cit. num. 256.* ait non sufficere aliquarum guttarum sanguinis emissionem; *Bonac. cit. num. 20.* non sufficere duas, aut tres guttas, sed requiri abundantiam, & non sufficere modicam *Silu. v. Consecratio 11 num. 5. §. Secundus casus,* modica autem censetur quando ab vulnere fluit guttatim vt fit è naribus *Portel. v. Ecclesia in Addit. num. 3. Graff. tom. 1. consil. 1. de consecr. numera 15.* probat per modicum sanguinem effusum Ecclesiam pollui *cum Alphonso de Castra libro 1. de potest. pœnali,* eo quod verbum *Ef-*
14 *fundere* tam apud sacras, quàm profanas literas non indicat abundantiam, vt clarè colligitur ex 2. Paralip. 22. ibi: *Multum sanguinem effudisti.* Et Paulus ad Titum ita loquitur. *Quem effudit in nos abundè.* Si prædictum verbum *Effundere* inquiunt, importaret de se abundantiam frustra adderentur alia verba eam exprimentia abundantiam, solùm ergo significat extra mittere sanguinem siue modicum, siue multum. Sed non obstant, quia ex accessus verba apponuntur ad maiorem expressionem, & exaggerationem facti, non quod alias de se verbum ipsum abundantiam non significet, quamquam alias licet huiusmodi in iure sanguinis profusio his verbis non exprimeretur, adhuc importarent copiam, & abundantiam sanguinis emissi ad effectum inducendi Ecclesiæ pollutionem, quod suadetur à simili de duabus, aut tribus guttis, quæ sicut non sufficiunt ad baptizandum secundum Doctores, quos pro se citat *Bonac. de Baptismapart. 3. numera 18. & contra se Diana de Sacram. resol. 5.* dicens illam aquæ quantitatem sufficere, quæ possit tangere, & fluere per partem corporis baptizandi; ita neque tres, aut quatuor guttæ sanguinis sufficiunt ad polluendam Ecclesiam; probatur similitudo ex effectibus contrariis, nam sicut paruæ guttæ aquæ corpus baptizandi non dicuntur abluere, & animam pulchrifacere, ita neque tres aut quatuor
15 guttæ sanguinis dicuntur polluere, & deturpare Ecclesiam. Sed quæ quantitas sufficit? relinquitur arbitrio superioris; nihilominus ex allatis dicerem ego tantam sanguinis deturpationem, quantam posset continere spatium vnius hostiæ sacerdotalis sacrificij, sufficere, huiusmodi enim spatium maculatum apertè importat pollutionem, & deturpationem Ecclesiæ.

16 Dixi 3. quod sanguis, quo Ecclesia deturpatur, debet prouenire ab homine tam actiuè, quàm passiuè intellige, qui ergo effundit sanguinem debet esse homo vsum rationis habens, & tunc vtens cum sanguis profunditur, ex quo huiusmodi profusio debet esse culpabilis, & iniuriosa, quorum homo tantùm ratione vtens capax est, quicumque ille sit, siue fidelis siue fide carens, & pro hac re faciunt relata sub primo Dixi. Procedit hoc etiam in eo, qui ex ira, & impatientia seipsum percutit, quia ex se ipso proprium sanguinem iniuriosè profundit, ex Gemin. & Silu. docet Sayr. lib. 5. de censur. cap. 16. num. 4. Bonac. quæst. 4 de matrim. part. fin. num. 20. Ex quibus infertur sanguinem humanum profusum ab aliquo animali, seu bellua proprio impetu, seu etiam belluinum ab homine non inducere pollutionem, quia profusio huius generis iniuriosa non est ex parte bestiæ, & quia solùm humanus sanguis violat Ecclesiam, *Glos. v. Sanguis, cap. Vn. de consecr. in 6. Nau. cap. 27. num. 256. Sayr. lib. 5. cap. 16. num. 5.* Intellige modo aliquis homo belluam non incitauerit in alium hominem sanguinem effundendo, quia tunc homo in culpa est, ac si propriis manibus, vel instrumento sanguinem profudisset, & ideò dixi proprio impetu, quia impetu humano bestia vulnerans hominem inducit pollutionem Ecclesiæ cum sit iniuriosa actio ex dictis. Sufficit autem quicumque homo læsus in sanguine siue fidelis, siue fide carens, licet per sanguinis effusionem fieret martyr, quia actio displicet Deo, licet illi placeat passio martyrij. *Glos. in fine, cap. de consecr. in 6.* aduertens locum sanguinis martyris non esse abluendum, sicut abluitur in aliis casibus, *Bonac. cit. numero 20. cum aliis.*

17 Dixi 4. Sanguinem profundendum esse ex homine tantum viuo, vnde eliciens ex homine mortuo non inducit violationem Ecclesiæ, *Sayr. libra 5. capite 16. numero 7. ex Henriquez.* Sed non ita liberè assentior huic dicto, quia homo mortuus exanguis est, ergo dum est in mori, vel paulò pòst sanguis fluens ex nouo vulnere censetur quasi hominis viui, præterquam quod actio culpabilis, & iniuriosa simpliciter est, neque textus loquentes de hac distinguunt inter viuentem, & mortuum, ergo neque nos distinguere debemus.

Dixi 5.

18 Dixi 5. Necessarium esse ad violandam Ecclesiam, vt sanguis humanus effundatur intra Ecclesiam, hoc est, actio passiua, vt ita loquar, seu percussio, vulneratio, seu verberatio, vel expulsio sclopi debet terminare in homine patiente dum est in Ecclesia. Quare vulnerans si est extra Ecclesiam vel etiam in ea, & vulnus accipiens sit extra illam, Ecclesiam non polluitur licet vulneratus post vulnus acceptum intra Ecclesiam se recipiat, & ibi postea sanguinem ex eo vulnere emittat. E contra percussor existens extra Ecclesiam vulnerans existentem in Ecclesia, inducit pollutionem, quamuis vulneratus celeriter ante emissionem sanguinis fugiat de Ecclesia, vel etiam in Ecclesia remanens, sanguinem intra aliquod vas recipiat, ratio vtriusque est, quia pollutio causatur ex vulnere in Ecclesia accepto cum sanguine, siue deinde cadat intra Ecclesiam, vt in priori casu; siue extra Ecclesiam, vt in posteriori casu, non est ergo necesse, quod sanguis cadat intra Ecclesiam, sed quod in ea tantùm recipiatur occultus, quouis deinde loco sanguis cadat. *Sayr. lib. 5. cap. 16. numero* 8. *de communi.*

19 Dixi 6. In Ecclesia, quo nomine venit primo interior eius structura, vnde sanguis super tectum profusus non inducit pollutionem, *Sayr. de communi lib.* 5. *cap.* 16. *numero* 8. *Nau. cap* 27. *numero* 256. *cum Glos. de consecr in* 6. neque effusus extra limen valuatum, vbi non est cœmeterium Sanch. lib. 9. disp. 15. numero 28. sicut neque sanguis emissus in specu, & locis subterraneis Ecclesiæ, dicunt præcitati, intellige, nisi loca subterranea sint pia, in quibus sunt corpora Sanctorum, vt in multis Ecclesiis Romæ, vel ad vsum solius Ecclesiæ, & ad quæ pateat aditus solùm per interiora Ecclesiæ. Secundò venit eadem Ecclesia non solùm consecrata, verum etiam solùm benedicta, cap. fin. de consecr. Eccles. ita omnes *cum Nau. & Sayr. lib.* 5. *c.* 16. *numero* 9. Tertiò venit eius chorus cohærens pauimento, cuiusmodi sunt chori omnium ferè Ecclesiarum collegiatarum tam sæcularium, quàm regularium, si verò sit separatus sub eo nomine non venit, nec sacristia, cùm non sit deputata ad sacra peragenda, sicut chorus. Quartò veniunt oratoria tam priuata, quàm publica si sunt benedicta, cùm in hoc casu contineantur nomine Ecclesiæ, & in eis celebrentur sacra. Et hæc satis de effusione sanguinis humani.

Quæres 2. Quomodo violetur Ecclesia homicidio? de quo *cap. Proposuisti* 4. *de consecr. cap. Si motum* 19. *de consecr. dist.* 1. *& ex aliis capitibus citatis initio præcedentis quæstionis*, nam sanguinis effusio imputat homicidium.

20 Respond. Homicidium in Ecclesia causatum culpabiliter inducit pollutionem Ecclesiæ in iis omnibus casibus, in quibus polluitur effusione sanguinis sine morte, vt docent omnes *cum Nauar. cap.* 27. *numero* 256. *Sayr. libro* 5. *capite* 16. *numero* 12. *ad* 17. *Tambur. tom.* 1. *disp.* 13 *quæst.* 11. Polluitur ergo primo suffocatione, licet sanguis non exeat, modo sequatur mors; secundo, morte martyrij; tertiò suspensione patibuli per publicam iustitiam, licet enim mors sit debita ex parte patientis, culpabilis tamen est ex conditione loci, in quo prohibetur exercitium iustitiæ hoc modo. Quartò, quando occidens & occisus sunt in Ecclesia tempore actionis, vel solus occisus in Ecclesia recepit vulnus, licet postea Ecclesia exeat, & extra illam moriatur, quia sufficit causam datam fuisse in Ecclesia; non polluitur verò, si occidens in Ecclesia manens, aut extra infligat vulnus in patientem extra Ecclesiam, & postmodum currat ad Ecclesiam, & ibi moriatur, quia homicidium initium suæ causæ non habuit intra Ecclesiam, licet in ea finem acceperit, Sayr. cit. num. 15. de communi. Non polluitur verò, si quis casu ibi interficiatur, vel moriatur subitanee, vel per causam naturalem sine adminiculo libero, vel si occidatur ab alio ob sui, vel alterius tutelæ defensionem, &c. quia in his casibus homicidium inculpabile est. Procedit de quouis homine etiam infante occiso, siue fideli, siue fide carens à quocumque alio homine occidatur, iuxta dicta de effusione sanguinis sine morte.

Quæres 3. Quomodo violetur Ecclesia seminis humani effusione? de quo illis textibus, *cap. Ecclesiis* 3. *dist.* 68. *relato cap. Si motum* 18. *cap. Ecclesiis* 19. *dist.* 1. *de consecr. cap. fin. de consecr. & cap. Vn. eod. in* 6.

21 Respond. Semen humanum voluntariè emissum etiam intra vas humanum vel extra quouis modo, à quocumque homine, etiam inter coniugatos extra casum necessitatis inducit violationem Ecclesiæ. Ita omnes ferè *cum Nau. cap.* 27. *numero* 156. *Silu. v. Consecratio* 11. *numero* 5. *Sayr libro* 5. *capite* 16. *numero* 17. *Tambur. tom.* 1. *disp.* 23. *quæstione* 11. *numero* 2. *& alij apud istos, cum Bonac. cap.* 4. *de matrim. p. fin. numero* 19. Contingens in somnis etiam ex causa præcedenti, non violat Ecclesiam contra *Angel. v. consecratio numero* 9. neque copula inter coniuges ex necessitate, *Tambur. Sayr Bonac. cit. numero* 6. Semine autem bestiæ etiam homine cooperante non polluitur, quia non est humanum. Ita omnes præcitati.

Quæres 4. Quomodo violetur Ecclesia sepelitione excommunicati? *de quo casu in cap. Consuluisti.* 7. *de consecr.*

22 Respond. Vt Ecclesia polluatur necesse est, quod excommunicatus sit nominatim denuntiatus, & licet in eo cap. Sermo sit solùm de cœmeterio tamen idem dicendum est etiam de Ecclesia, & à fortiori, cùm locus dignior sit, *ita Say. libro* 15. *capite* 16 *numero* 24. *Nauar. cap.* 17. *numero* 257. *casu tertio. Nald. v. Ecclesia* 19. quia inquit, non est communicandum mortuis, quibus viuis non communicabamus, *iuxta extrauag. Ad euitanda.* Aliæ autem duæ censuræ hanc Ecclesiæ violationem non producunt, *Sayr. cit numero* 24. quia textus loquitur solùm de excommunicato.

Quæres 5. Quomodo polluatur Ecclesia sepelitione infidelis? de quo cap. Ecclesiam 26. & 27. dist. 1. de consecr.

23 Respond. Ecclesia polluitur sepelitione pagani ex primo capite, seu infidelis ex secundo capite. *Ita Sayr. libro* 5. *capite* 16. *numero* 25 *Nauar cap.* 27. *numero* 257. *Tambur. tom.* 1. *disp.* 23. *quæst.* 11. *numero* 4. *Bonac. quæstione* 4. *de matrim. puncto fin. numero* 23. Catechumenus, Martyr nondum aqua baptizatus, & puer ex parentibus fidelibus sepulti in Ecclesia eam non violant, quia non sunt pagani, neque infideles positiuè, cùm non sint rationis capaces infantes, & sepulti in ventre matris, eius pars sunt, catechumenus verò, & martyr sunt fideles ille flaminis, iste verò sanguinis baptismate. Ita Sayr cit. cum Bonac. & aliis de catechumeno, & martyre, non verò de puero, ea ratione, quia est infidelis saltem negatiuè, sed hæc ratio non obstat, quia decretum est in illis casibus pagani, & infidelis Ecclesiam esse pollutam, & reconciliandam in detestationem eorum infidelitatis, & paganismi, quæ sunt sectæ falsæ, & damnosæ reipublicæ Christianæ, vnde in citato cap. 2. mandatur extrahi, & proijci ossa infidelium, pueri autem fidelium non possunt dici de illorum secta, cùm sint ex parentibus fidelibus procreati. Non solùm sepelire infideles

24 natos, verùm etiam fideles effectos hæreticos inducit Ecclesiæ violationem, quia hæreticus maximè est infidelis, cum verbis, & factis neget fidem veram, isti enim dum viuunt sunt extra Ecclesiam, *cap. Si quis* 69. *quæst.* 1. ergo etiam extra eamdem debent esse post mortem, vt qui viui Ecclesiam noluerunt sequi, mortui eadem indigni sint.

Quæres 6. Quomodo polluatur Ecclesia consecratione, vel benedictione Episcopi publicè excommunicati?

25 Respond. Episcopi nominatim excommunicati consecratione, aut benedictione Ecclesiæ polluitur

ecclesia, vt communiter docent omnes, non quia id expresse caperiatur in iure statutum, sed à simili argumēto deducto à sepelitione excommunicati denuntiati, cuius corporis illatione in sepulturam sicut violatur ecclesia, à fortiori polluitur si consecretur ab Episcopo nominatim excommunicato. *Sayr. lib. 5. cap. 16. num. 19.* Ego dicerem in hoc casu ecclesiam non violari, sed remanere consecratam, & benedictam, nam certum est Episcopum ita denuntiatum non perdid sse ius prædicta præstandi, quia ad ea non requiritur potestas iurisdictionis, qua caret excommunicatus vitandus, sed ordinis episcopalis, *ex cap. Aqua 9. de consecr. iuncta glos. v. Iurisdictionis*, qua non priuatur excommunicandus vitandus, vt aliis citatis docet *Bonac. de excommun. q. 2. p. 2. §. I V. num. 5.* ergo cum consecratio, & benedictio valida fuerit debet sortiri suum effectum, vt in ea licite celebrari possit; neque enim eadem consecratio contrariot effectus produceta debet, constituendo ecclesiam aptam idoneam, & pulchram ad diuina saccificia, & eandem simul efficiendo ineptam, & turpem ad diuina celebrandum

26 officia. Neque vrget argumentum à simili, quod locum non habet, vbi diuersa ratio repetitur *Socin. regul. 47. Surd. tit. 9. de alim. q. 1. num. 7. Seraphin. de priuil. 74. n. 105. qui num 105.* asserit non multum vrgera hoc genus argumenti, *& glos. cap. Relatum 13. dist. 37.* dicit, non semper valere, & in prohibitis iure pe sitiuo non valere tradit *Nald v. Abbas 1. v. Lex 11. v. Linellus §. Item*, neque in pœnalibus, & odiosis *Perez de Lara de Anniuers. & capell. libro primo capitulo quinto num. 11. apnm Barbosa hoc loco 101. numer. 11.* Modo sumus in odiosis, & diuersa apparet ratio, nam per illationem cadaueris excommunicati ecclesia nullum reportat commodum, sicut per consecrationem factam ab Episcopo excommunicato, qui intendit illam reddere dignam diuinis sacrificiis, sicut reuera facit, deinde actio consecrationis da se est bona ex parte ecclesiæ, licet ea conditione agentis illicite fiat, sepelitio autem excommunicati tam ex parte sepelientis, quam sepulti, & respectu ecclesiæ nihil boni moralis continet, sed tota vitiosa est, ergo merito per hanc ecclesia polluitur, non per illam.

Quæras 7. Quomodo destructione parietum violetur ecclesia? de quo cap. Ecclesiis 19. dist. 1. de consecr. ibi: *Nisi aut ab igne exusta.*

27 Respond. Tunc ecclesia hoc modo polluitur, quando maior pars parietum totius ecclesiæ destruitur vbi sunt cruces, nam ex Glos. ibidem consecratio consistit in vnctione exteriori & coniunctione, & dispositione lapidum, intelliga si altare destruatur, *cap. De fabrica 23. de consecr. dist. 1. Nau. cap. 27. num. 258. Tambur. tom. 1. disp. 23. q. 11. num. 6. Bonac. quæstione quarta de matrim. p. fin. numero 24. §. Respondeo*, vbi ait hoc procedere in ecclesia consecrata, non autem benedicta, quæ destructione parietum non violatur eo quod benedictio adhæret solo, consecratio sit in parietibus, citando pro se Suar. Nugnum, & Conincum, sed

28 falsa est huiusmodi differentia, eum etiam parietea aspergantur, vt expresse hab. tur in Rituali Pauli V. ambæ enim tam consecratio, quam benedictio simpliciter ecclesiam respiciunt, & sic totam ecclesiæ structuram, super quam cadit indifferenter consecratio, & benedictio, exorcizatur enim ecclesia, quæ non consistit in solo, aut parietibus, sed in tota structura.

Quæres 8. An in prædictis casibus, in quibus ecclesia dicitur polluta sit etiam pollutum cæmeterium eius siue vnitum, siue ab ea separatum? Et è contra an polluto eius cæmeterio sit etiam violata ecclesia?

29 Respond. Quotiescumque ecclesia est polluta in supradictis casibus, etiam cæmeterium illi contiguum subditum intelligitur pollutum; non verò è contra polluto cæmeterio Ecclesia est subiecta pollutioni, vt expresse definitur *in cap. Vn. de consecr.* quia dignius ad se trahit minus dignum, non è contra. Ita omnes eum *Sayr. lib. 5. cap. 16. numer. 28. Nauar. cap. 27. numer. 258. fine, Bonac. quæst. 4. de matrim. p. fin. numer. 21. Tambur. tom. 1. disp. 23. q. 11. num. 7.* Quando vero cæmeterium non est contiguum, tunc polluta ecclesia, intactum remanet cæmeterium, sicut & quando duo cæmeteria sunt contigua, vno enim violato, alterum à pollutione immune est, docent prædicti ex prædicto capite, vbi hoc expresse dicitur, licet habeant communem parietem, & ianuam in eo ad vtrumque cæmeterium, quia vnum alteri accessorium non est, neque dignius. Contiguum autem cæmeterium Ecclesiæ illud dicitur, quod communem murum habet cum Ecclesia, seu quod immediate Ecclesiæ adhæret, siue pateat aditus per illum communem murum, sine non, vt colligitur ea Glos. v. contiguum cit. capitis, vbi dicitur, quod contigua sunt, quæ duobus extremis, se contingunt. Quare si Ecclesia proprium haberet parietem & cæmeterium alium parietem sibi proprium, aliquo intermediante, quamuis ad se inuicem vicina essent, Ecclesia polluta, non ideo pollutum esset cæmeterium, quia in hoc casu contigua non essent, sed separata omnino.

Quæres 9. Cum Ecclesia polluta egeat reconciliatione ea cap. Si murum 18. cum sequentibus, dist. 1. de consecr. & eodem tit. in decretalibus, & in 6. An id procedat, quando casus pollutionis est occultus?

30 Respond. Ecclesia occulte polluta, quamdiu manet eius violatio occulta non eget reconciliatione, eo communi axiomate, quia Ecclesia non iudicat de occultis *cap. Sicut tuis 33. de simon. cap. Tua nos 34. eod. de qua regula vide Nau. tom. 4. in Rubr. de iudic. à num. 53. ad 68. Riccius. lib. 5. cap. 10. num. 10. colligitur ex cap. Proposuisti 5. de adulter. Glos. v. Pollui cap. Vn de consecr. in 6. Sayr. de communi lib. 5. cap. 16. num. 10.*

Sed difficultas est, quandonam dicatur publica pollutio, vt reconciliatione egeat? Item, an tempus à die cognitæ pollutionis retrotrahatur ad illud tempus, quo perpetratum fuit delictum inducens pollutionem? Item, an celebratio facta intra illud tempus, quo ignorabatur pollutio tantam vim habuerit, vt Ecclesia non indigeat formali reconciliatione?

31 Primo dico, Ecclesiæ pollutionem tunc dici publicam reconciliatione egentem, quando factum illam inducens perpetratum fuit, vno, duobus, vel tribus videntibus in secreto, qui postea illud diuulgarunt, ex quo illius sequitur publicitas *ex Nauar. cap. 25. n. 73. apud Portellum part. 1. casu 6. num. 4.* licet in eo loco Nauar. explicet solum rationem notorij, ex quo deducitur dictum ipsius Portelli; in eam autem nostro facit ad rem, attento supra citato *cap Significasti 5. de adulter.* in quo Papa ordinat reconciliari Ecclesiam pollutam adulterio sacrilego, quod adultera confessa fuit cuidam sacerdoti, qui postea adulterum publicè detexit superiori, sacerdote adulterante negante, ecca, quod ea confessione vnius delinquentis complicis postmodum diuulgato crimine, ecclesia incipit esse publica polluta, id quod *ex Panormitano in eo capite, & Nauar. cit. videtur insinuare Sayrus lib. 5. cap. 16. numer. 11. Graff. tom. 1. consil. 8. numer. 4. de consecrat.* occultum dici, licet sciatur à tribus, vel quatuor, quod ego non nego, si tamen sit diuulgatum non potest dici occultum.

32 Secundo dico, pollutio à die publicationis, & cognitionis incipit habere suum effectum, vnde sacerdos, qui etiam scienter celebrauit antequam publicaretur violatio, non peccauit, quia Ecclesia sicut non iudicat de occultis, ita neque damnat facta intuitu occultorum, quæ alias illicite fierent, si publica essent. Vnde meo iudicio videtur necessario aliqua declaratio

33 declaratio à Iudice, vel superiore Ecclesiæ, quo polluta sit, ad effectum vt quis in ea celebrare non valeat licite, quando de pollutione clare non constat, sed tantum fama vulgi volat ignari, Ecclesia enim adhuc est in possessione suæ puritatis, & munditiæ. A die ergo publicatæ pollutionis incipit impedimentum celebrationis, *ex Sayr. lib. 5. cap. 16. num.11.*

34 Tertio dico, celebrationes præmissas ante cognitionem pollutionis non reconciliasse virtualiter, & de facto Ecclesiam, quia coram Ecclesia nondum erat violata, ergo Ecclesia non potuit approbare illas celebrationes tanquam efficaces ad hunc effectum reconciliationis, cum nondum intelligeretur pro foro externo Ecclesia polluta, vt benè probat Sayr. *lib.5. cap.16. num. 11. contra Zerolam, & Castrum, pro quibus non potest facere, cap. De fabrica 23. dist.1. de consecr.* vbi dicitur celebratione Ecclesiam sanctificari, ibi enim sermo est de Ecclesia restaurata, antiquo permanente altari, in quo celebratum fuit, ratione cuius ex altaris veteri consecratione noui perfunduntur Ecclesiæ parietes; in casu autem nostro tota Ecclesia dicitur polluta, ergo eget formali reconciliatione, de qua constare formaliter debet, quod celebratio de se notificare non potest, cum effectus eius non sit benedicere parietes Ecclesiæ materialis, sed spiritualis tantum animæ. *Vide Portel. v. Ecclesia in Addit. num. 5.*

Quæres 10. Ad quem spectet Ecclesiam pollutam reconciliare?

35 Respond. Quando Ecclesia est consecrata id munus est solius Episcopi, quod simplici sacerdoti delegare non potest, sed tantum alteri Episcopo committere, eo quod competat Episcopis ex potestate ordinis Episcopalis; Clare *cap. Aqua 9. de consecrat. Diana part.2. tract. 15. resolut. 6.* referens doctores in oppositum aberrantes. Quando vero solum est benedicta etiam simplex sacerdos eam reconciliare potest aqua benedicta de more docet Glos. sin cap. final. eod. vbi simpliciter dicitur quod exorcixerit non exprimendo à quo id fieri debeat, sicut fecit in præallegato capite, ergo signum est id spectare ad sacerdotem etiam simplicem, *Ita Sayr. lib 5. cap.16. num.32. aliis citatis, Bonac. q. 4. de Matrim.p.fin.n.27. Tamb.tom.1. disp.23. q.10.n.1.* In praxi tamen Rectores Ecclesiarum recurrunt ad suos Episcopos, quod tamen regularibus non debet præiudicare, cum non sint subiecti, sicut rectores. Et ea praxis colligitur ex Rituali Pauli V. dum tradendo formam seruandam in reconciliatione Ecclesiæ pollutæ tantum benedictæ, subiungit, eam esse seruandam à sacerdote ab Episcopo delegato ad hanc functionem.

Quæres 11. An superiores regulares possint reconciliare suas Ecclesias simplici aqua benedicta tam consecratas, quam benedictas in supradictis casibus pollutionis.

36 Respond. Possunt reconciliare suas Ecclesias tam benedictas, quam consecratas. Primum constat ex cap. fin. iuncta Glos. de consecr. vbi expresse dicitur id præstare posse simplicem sacerdotem, ergo à fortiori superiorem regularem. Confirmatur, quia in potestate iurisdictionis prælati regulares Episcopis comparantur, ex alibi probatis, ergo possunt Ecclesias reconciliare sicut possunt Episcopi, neque enim iste actus respectu Ecclesiæ nondum consecratæ est potestatis ordinis episcopalis, sed potius iurisdictionis ex sacerdotio, cum delegabilis sit ex rituali Pauli V. Id optime probat in moralibus versatissimus *Diana part. 4. tract. 4. resol. 91. Mirand. tom. 2. q. 39. art. 8. concl. 1. Portel. v. Ecclesia num. 1. & in Addit. num. 1.*

37 Secundum, quando est consecrata non reconciliatur à regularibus propria autoritate, sed ex priuilegio pontificio, quando Episcopus proprius recusat, aut distat ab Ecclesia per duas dietas, hoc est quadraginta milliaria, ex Bulla Leonis X. apud Confect. pag. 140. de qua se præcauati *cum Tambur. tom. 1. disp. 23. q. 10. Rodr. tom. 1. q. 19. art. 6. Graff. tom. 1. consil.2. de consecr. num.19. Homobon. part.1.* Respund. 121. & dixi ego *Resol.17. num.7.* Immo quamuis præsens sit Episcopus, & non distans, simpliciter possunt reconciliare aqua communiter benedicta, quia illa particula *Præsertim* non sumitur restrictiue, & pro *tantum*, sed ampliatiue, pro *Maxime* & in proprio sensu ex doctoribus cum Barbosa dict.277.

Quæres 12. An Ecclesia dum est polluta gaudeat priuilegio immunitatis confugientium ad illam?

38 Respond. Gaudet, quia nullibi reperitur esse hoc priuilegio priuata, *vt docet Suar. tom. 1. tract. 2. de leg. 3. cap. 9. num. 6. quem pro se citat, & multis probat Peregr. cap. 14. de Immun. n. 16. Bonac. de Immun. §.2. num.3. & alij communiter.*

Quæres 13. An celebrans missam, & alia diuina officia, vel in ea mortuum sepeliens dum est polluta peccet mortaliter, & aliquas incurrat pœnas?

39 Respond. Peccat mortaliter, quia in re graui transgreditur ecclesiæ prohibitionem, nullam tamen incurrit censuram, irregularitatem, aliamue pœnam, cum non sit expressa in iure. De communi doctorum, quos refert Sayr. lib. 5. cap. 16. num. 29. contra Lapum, Angelum, & Silu. putantes incurrere suspensionem ab ingressu Ecclesiæ per cap. Episcoporum, de priuileg. in 6. sed ibi sermo est de Ecclesia interdicta, non autem polluta, quod est quid diuersum. *D. Thom. part. 3. q. 83. art. 3. q. 2.* dicit excusari, quando vrget aliqua necessitas, & fiat de licentia Episcopi, ex eodem Sayro.

Quære 14. An Ecclesia solum benedicta gaudeat priuilegiis, quibus gaudet consecrata?

40 Respond. Gaudet, vnde polluitur in omnibus, casibus in quibus violatur consecrata, & eget reconciliatione *cap. fin. de consecr. iuncta glos. 1.* Itero gaudet immunitate pro confugientibus ad se *cap. Ecclesia 9, de immun. Tamb. tom.1. disp.23. q.9. n.2.*

Quæres 15. An prælati regulares possint imponere primum lapidem cum sua benedictione, & absolutam Ecclesiam consecrare, vel ad minus benedicere sine licentia Episcopi.

41 Respond. Abbates Congregationis Cælestinorum possunt primum lapidem ecclesiæ construendæ benedicere, ex indulto eisdem concesso ab Eugenio IV. cuius verba refert *Tambur. tom 1. disp.22. q. fin.* & in eo

42 participant aliorum ordinum Abbates; non vero prælati Mendicantium, cum pro eis extet aliud priuilegium Honorij IV. pro Dominicanis incip. *Ex parte vestra, apud Confect. pag. 10. in quo* eisdem indulget, quod Episcopis diœcesanis recusantibus & vltra 4. menses differentibus ponere primum lapidem, vel benedicere illorum Ecclesias, possint vocare alios quoscumque Episcopos. Et nostri ordinis prælatis indulsit Nicolaus V. facultatem de licentia Episcopi capellas, oratoria, & ecclesias fundandi. 1. imponendi primum lapidem, & erigendi altaria, & constructa faciendi consecrare per aliquem Episcopum, quicumque ille sit, retuli illud resol. 17. n. 11. restringendo ad Episcopum proprium, obstante Trident. sess. 6. cap. 5. sess. 14. cap. 3.

43 Nullus autem prælatus quantumuis magnus abbas si Ecclesias iam constructas consecrare potest, quia id est munus proprium ordinis Episcopalis, cap. Aqua 9. de consecr. neque alicui Abbati, aut prælato adhuc aliquis Papa concessit hoc priuilegium consecrandi proprias, aut alienas ecclesias, asserit *Tambur. tom. 1. disp. 23. q. 7. num. 3.*

44 Demum Abbates, & alij prælati Mendicantium etiam locales possunt solemniter proprias benedicere Ecclesias, cæmeteria, & oratoria sine Episcopi licentia ex priuilegiis summorum Pontificum, & præsertim Leonis X. incip. *Religionis suadet honestas.*

apud Confect. pag. 140. alia refert *Mirand. tom. 2. q. 39. art. 1. fine, Tambur. tom. 1 disp. 23. q. 9. Lezana tom. 1. cap. 18. num. 59. Portel. v. Benedicere 1. Confect. tit. 18. cap. 4. Compend. resol. 13. num. 2.*

RESOLVTIO XC.

De Oratoriis in Claustris, & Grangiis.

SVMMARIVM.

1 *Oratoria hae priuata dicuntur, ad qua tria requiruntur, quod fiant intra, sine Campanili, pro suis tantum.*
2 *Fundatur à suis superioribus.*
3 *Benedictione non egent.*
4 *Neque reconciliatione si non erant benedicta.*
5 *Reconciliantur à suis prælatis.*
6 *Immunitate gaudent saltem ratione loci, & grangiarum.*
7 *Luxurians non est sacrilegus nisi fuerit benedictus.*
8 *Extranei etiam in illis celebrant.*
9 *Extraneos ad missam non admittunt.*
10 *Carent campanili.*
11 *Portam non habeant in pariete externo.*
12 *Sacramenta in eis suis administrant.*

ORatorium, quod dicitur ab orando, duplex dixi *resol. 77. q. 3. num. 16.* vnum priuatum consistens intra domum pro familia alicuius particularis magnatis, aut diuitis; alterum publicum, ad quod omnibus indistincte patet aditus ad audiendam missam, de vtrisque ibidem sufficienter. Modo in præsenti resolutione agendum est de Oratoriis, quæ regulares habent intra sua claustra in infirmariis, & in grangiis locorum, & villarum, vbi suas habent possessiones, de quibus.

Quærendum est I. An dicenda sint priuata, an publica? II. Quisnam ea fundare possit? III. An egeant benedictione tam in fundatione primi lapidis, quam postquam constructa, & absoluta fuerint? IV. An subiecta sint pollutioni sicut Ecclesiæ? V. Quis ea reconciliare possit. VI. An gaudeant immunitate ad se confugentium? VII. An se polluens, aut alio modo semen intra illa emittens sacrilegium committat ratione loci? VIII. An in illis celebrare possint per extraneos sacerdotes? IX. An admittere ad missam extraneos? X. An habeant campanile cum campana? XI. An portam extra claustrum, seu grangiam habere possint? XII. An eo illis liceat administrare sacramenta?

1 Primo, dicenda sunt oratoria priuata, quia inseruiunt ipsis regularibus, & eorum familiæ cap. fin. de censibus neque omnibus ad ea patet aditus ad missam audiendam. Tria autem sunt necessaria ad huiusmodi oratoria, vt omnino sint in omnibus exempta ab ordinariis. Primo, quod constituantur intra clausuram monasterij, seu intra grangias, *ex cap. Vnicuique 32. cap. Clericos 33. de consecr. dist.* 1. magis ad rem *cap. Patentib.* 10. *de priuileg.* Secundo, quod careant campanili ex eodem cap. 10. vbi dicitur non licere campanas in eis ponere, intellige super campanili ad inuitandum populum, campanula vero ad vocandam familiam domus per hoc caput non prohibetur, cum nullius iustitia lædatur ex motiuo ibidem expresso Tertio, quod inseruiat tantum vsui religiosorum, familiæ, & colonorum, aliter non esset priuatum, sed publicum, ex quo deducitur, expediens esse, quo ad illa non pateat aditus per portam constructam in externo pariete domus loci, vt ea occasione non detur ingressus ad extraneos in oratorium.

2 Secundo; quilibet regularis prælatus etiam localis potest per seipsum fundare huiusmodi oratoria absque Episcopi licentia, ratio est Tum quia sunt intra loca ipsorum religiosorum, intra quæ Episcopus nullum omnino Ius habet, in terminis cap. fin. de censib. Tum quia in domo sua quisque potest facere, quæ sibi placent, cum in ea sit dominus, & maior *l. Nihil omnino C. de palat sacr. larg. lib. 12. Cap. decis. 27. num. 24. & 25. Cornem lib. 2 consil. 193. num. 15.* Tum quia non est Ecclesia, neque oratorium publicum, super quæ Episcopus ius habet fundationis. Ita docent. *Rodr. tom. 1. q. 75. art. 1. cum suo Compend. resol. 9. num. 8. & resol. 13. num. 2. Portel v. Altare num. 3. & v. Benedicere num. 1. Peyrin. tom. priuileg. ad constitut. Parochi num. 29. & seq. Lezana tom. 1. cap. 21. num. 15.* priuilegia autem huius rei refert Rodr. loco citato. Non obstantibus Decreto Tridentini sess. 22. de oratoriis priuatis non tenendis sine licentia, quia ibi sermo est de oratoriis priuatorum; neque priuilegiis viuæ vocis, quia & sunt Bullæ autenticæ, *Compend. v. Benedicere* 10. 11. & 12. & oracula nulli præiudicantia sublata non fuerunt ex probatis *resol. 31. num. 3.*

3 Tertio, puto huiusmodi oratoria priuata non indigere benedictione neque lapidis primarij, neque postquam sunt constructa, vt in eis celebretur, sed sufficere lapidem sacratum, super quem Christus sub speciebus panis, & vini sacrificetur, quod probatur, Tum quia in Rituali Pauli V. fit mentio solum de Ecclesiis, & oratoriis publicis, cuius generis non sunt oratoria nostra ex prima responsione, ergo signum est illa non indigere benedictionibus prædictis, aliter Rituale illis propriam, vel communem cum Ecclesia, & oratoriis publicis assignasset formam benedictionis, ne videretur mancus author in assignandis ritibus. Tum quia oratoria polluta non egent reconciliatione, ea ratione, quia locus non polluitur, nisi prius fuerit consecratus, aut benedictus, secundum. *Suar. tom. 3. disp. 81. sect. 4. ex Emanuele Sà v. Ecclesia n. 13. ex eisdem & Conincho Nald. v. Ecclesia num.* 27. ergo signum est in dictis oratoriis celebrari posse sine illis benedictionibus, si possunt in vsum sine illis deduci; ex quibus colligitur alia ratio cur possint fundari sine licentia Episcopi, quia ideo illius licentia exigitur, vt primarium lapidem benedicat, ergo si non est necessaria benedictio, neque licentia ad eam. Faciunt dicta à Sanch. lib. 9. disp. 5. num. 39.

4 Quarto, quando non fuerunt benedicta licet polluta non egent reconciliatione, eo quod reconciliantur solum loca consecrata, aut benedicta ex capitulo finali de consecratione & ex dictis præcedenti responsione. Vide ibi.

5 Quinto, quando indigent reconciliatione, à suis prælatis etiam localibus benedici possunt ex probatis à fortiori de ecclesiis præcedenti *Resol. 89. num. 36.*

6 Sexto; quamuis oratoria priuatorum immunitate non gaudeant, ex communi doctorum, quos pro se refert Peregr. cap. 4. de immun. num. 64. eo quod locus immutabiliter non est deputatus ad diuina, & conuerti potest in profanum vsum. Regularium tamen oratoria cum potius publica sint in ordine ad religionem, licet priuata exclusione extraneorum, immunitate gaudent, si non ratione sui, saltem ratione claustri, aut grangiarum, quæ tali immunitate gaudent, vt ex priuilegio concesso ordini Cisterciensium refert *Rodr. tom. 2. quæst. 75. art. 2. & ex eo allegatur Peregr. num. 51.*

7 Septimo, luxurians in hoc oratorio sacrilegium non committit, nisi sit locus consecratus, vel benedictus, ratio desumitur ex etimologia ipsius nominis, à quo tenet argumentum, quia nulla res sacra læditur. *Vide Sanch. lib. 9. disp. 15. n. 49.*

8 Octauo in illis celebrare possunt non solum ipsi religiosi, sed etiam extranei ab ipsis vocati pro

eorum

eorum seruitio, quia de hac re nulla extat prohibitio.

9 Nono, non possunt in illis admittere ad missam extraneos, quia instituta sunt tantum ad vsum Fratrum, & eorum familiæ, & Colonorum, vt colligitur *ex cap. Patentibus 10. de priuileg. cap. fin. de censibus & ex* priuilegiorum tenore. Nihilominus non censetur interdicta receptio vnius, vel alterius benefactoris, aut amici ad missam audiendam, maxime cum nulli præiudicium afferatur.

10 Decimo, carent campanili, non tamen campanula pro conuocandis familiaribus, & aliis de domo, & familia, ex dictis supra §. Primo.

11 Vndecimo, quamuis non prohibeatur porta ex muro exteriori claustri, seu grangiarum ex §. Primo, pro tertia conditione, tamen ibi dixi non expedire huiusmodi portam obuiam extra muros exteriores monasterij, aut grangiarum, ad entrandum facilem aditum extraneis ad audiendum missam in huiusmodi oratoriis.

12 Duodecimo, in oratoriis licet administrare sacramenta omnibus personis subiectis superiori regulari, cuiusmodi sunt religiosi, nouitij, Tertiarij, & alij actu seruientes commensales intra loca manentes, quia isti omnes reputantur quo ad hoc priuilegium ac si essent religiosi. *Pro qua re vide dicta Resol. 3. num. 12. Resol. 34. q. 16. n. 40. cum seq.*

Resolutio XCI.

De Altari priuilegiato.

Summarium.

1 *Prouincialis vtitur altari priuilegiato vbi reperitur.*
2 *Altare priuilegiatum est indulgentia à Papa mortuis concessa.*
3 *Per modum suffragij quid sit.*
4 *Viuis non prosunt.*
5 *Missa prodest præter priuilegium.*
6 *Satisfit altari missa currenti.*
7 *Alio die dicta a præfixo non prodest.*
8 *Numerus sacerdotum non est de necessitate.*
9 *Requisitum pro satisfactione.*
10 *Priuilegia vnius missæ cum tot collectis altare non est.*
11 *Reductio missarum potest esse indulgentia supplente.*
12 *Remanet in anno sancto & Cruciata.*

1 IN Resolutione 25. num. 1. dixi Prouincialem in qualibet Ecclesia suæ prouinciæ, & Generalem in qualibet ordinis sui, licet ibi non resideant actu, vti posse altari priuilegiato, quia habitu, & potestate vbique sunt in Ecclesiis suæ prouinciæ, & ordinis. Confirmatur, Tum quia dum sunt in aliis conuentibus, vbi non solent residere ibidem dicuntur esse de familia, & gaudent omnibus priuilegiis, quæ habent alij religiosi ibidem perseuerantes de familia. Tum quia numerus præfixus in literis Pontificiis sacerdotum non excludit alios sacerdores superuenientes, sed exprimitur, vt commode satisfieri possit obligationibus contractis, ne defraudentur piæ mentes offerentium, & defuncti suffragiis priuentur. Sed accedamus ad quæstiones,

Quæres 1. Quid sit Altare priuilegiatum,

Respond. Continet quæsita duo, ratione primi vocabuli *Altare* notum est esse illud lapidibus, & cæmento constructum, super quod missa celebratur, de quo satis dixi Resol. 83. à num. 17. Vnde remanet alterum explicandum in præsenti resolutionis quæstione.

2 Priuilegiatum altare est indulgentia ex thesauro Ecclesiæ extracta à Papa, per quam animæ defunctorum per modum suffragij à pænis purgatorij liberantur celebratione missæ ad illud altare, cui priuilegium huiusmodi concessum fuit. Dixi. 1. quod est indulgentia, quia priuilegium hoc nihil aliud importat, neque addit altari, aut missæ celebratæ, nisi remissionem pænarum in purgatorio soluendarum à mortuis ibidem in gratia Dei existentibus ad soluenda Deo propria debita. De indulgentia quid sit breuiter nonnulla tetigi Resol. 81. Dixi 2. à Papa, quia hactenus nullus ab ipso concessit indulgentias siue, plenarias, siue remissas altaribus pro defunctis, immo neque concedere potest, quia id proprium est Papæ, à quo solo fit delegatio in Episcopos, & alios prælatos apud *Bonac. q. 1. de Indulg. p. 3. n. 1. & 2.* & in specie pro defunctis parte sexta num. 4. *Suar. de Panit. disp. 55. sect. 3. num 9.* Dixi 3. Animas defunctorum liberari per modum suffragij, vt omnes docent, quod significat summum Pontificem liberare animas defunctorum non autoritatiue, & iudicialiter, vt à pænis absoluit fideles viuos, sed per modum suffragij. idest auxilij, & adiutorij Ecclesiastici illis applicari, Papa enim huiusmodi auxilium per tertium Deo offert, qui immediatè animam defuncti liberat à pænis vt dicunt nonnulli, de qua re fuse *Suar. de Panit. & indulg. disp. 53. sect. 2. & 3. vbi n. 15.* tandem suam ponit sententiam. 3 Dixi 4. liberari celebratione missæ ad illud altare, quia Papa concedit Indulgentiam adiecto eo opere missæ in eodem altari celebrandæ aliter defunctus non lucraretur indulgentiam cum hæc dependeat à missa celebrata non in quouis altari, sed in illo determinato.

Quæres 2. An altaria priuilegiata prosint fidelibus viuis?

4 Respond. Quamuis papa possit ea concedere etiam pro viuis, cum nullum inde sequatur absurdum; tamen hactenus concessa non videntur fuisse. *vt ex Suar. cit. disp. 50. sect. 3 concl. 2. docet Fraxinel sect. 3. prænotat. 4. §. 3. num. 5. Megal. in terminis decis. 19.*

Quæres 3. An quando celebratur missa in altari priuilegiato, tunc missa habeat suum effectum satisfactionis pro illo defuncto, cui applicatur indulgentia altaris? Videtur quod non, quia sufficienter eius anima liberatur à pænis, & ad cælum volat, cum sit plenaria. Consequenter in eo casu poterit sacerdos accipere speciale stipendium applicando alteri missam, præter stipendium acceptum ab eo, qui fecit celebrare ad altare priuilegiatum.

5 Respond. Missa suum producit satisfactionis effectum respectu animæ illius, cui applicatur priuilegium altaris, quia esto liberari possit per indulgentiam altaris, quia tamen id nobis non constat, ideo & missæ sacrificium illi met intelligitur applicatum, quod inter alia remedia pro solutione pænarum est efficacissimum, & infallibile, quod Deus semper acceptat, de indulgentia vero nonnulli dubitant, de quibus *Suar. in part 3. de Panitentia & indulg. disp. 53. sect. 3.* & ad hoc facit illud orationis omnium Sanctorum, *Multiplicatis intercessoribus largiaris.* Ex quo patet ad rationem dubitandi, & sacerdotem debere sacrificium applicare in altari priuilegiato illi animæ, pro qua petita fuit missa ad tale altare.

Quæres 4. An missa de mortuis petita eadem celebranda sit, ad lucrandum priuilegium pro defunctis? an vero satisfieri possit alia missa, vel currenti e. g. si in die vtili pro Altari occurrat aliquod festum duplex, vel etiam semiduplex, an missa eius festi occurrentis satisfiat altari priuilegiato pro defuncto, pro quo est debitum celebrandi.

6 Respond. Quando tenor priuilegij exprimit missam de requiem, aut de mortuis esse dicendam, eo casu non satisfit altari priuilegiato dicendo aliam missam etiam currentem, quia videtur apponi missa talis generis pro forma, qua non seruata nihil fit, secundum vulgata iura. Quando vero genus missæ non exprimitur,

ptimitur, sed tantum dicitur, quod in eo altari celebretur pro fidelibus defunctis, eo casu sacerdos celebrans satisfacit suæ obligationi, & altare priuilegiatum prodest defunctis. Ratio est, quia non minus satisfactoria est qualibet alia missa pro defunctis, quam illa de Requiem, vt de communi doctorum docui *Resol. 25. q. 3. num. 7.* Ita in terminis de indulgentiis missarum in altari priuilegiato, vel ratione celebrantis. *Nau. consil. 37. de panit. ex eo Nald. v. Missa num. 31. Vide Gauantum part. 1. Missalis tit. 5. de Transl. festorum num. 2.* fine, vbi dicit censitum, non posse missam de Requiem celebrari in die priuilegiato, si occurrat festum duplex, ergo defuncto applicari potest missa currens, ne illi prutogetur suffragium. *Vide Dianam part. 4. tract. 4. Miscell. resol. 233.*

Quæres 5. An si missa celebretur in altari priuilegiato alio die à designato, prosit in ratione priuilegij ei, cui applicatur missa?

7 Respond. Prodest quidem missa ex parte sua, non vero indulgentia altaris priuilegiati, quia indulgenciæ adnexum habent tempus tamquam de substantia ad acquirendum illas, aliter extra diem, seu tempus determinatum nullus eas lucrari potest, cum non sint extra tempus præfixum, & tantum valeant, quantum sonant.

Quæres 6. Quando conceditur altare priuilegiatum alicui Ecclesiæ, in qua debeant manere, & celebrare tot sacerdotes, an valeat priuilegium, si tot non adsint sacerdotes, quot numero exprimuntur in literis apostolicis, vel si adsunt, celebrentur extra Ecclesiam priuilegiatam?

8 Respond. Quando in Breui exprimitur sacerdotum numerus tantum narratiue desumptus ex supplicatione petentium Priuilegium, eo casu ille numerus non est conditio necessaria ad valorem priuilegij, cum vere non sit conditio, sed potius narratiua ex supplicatione, quæ conditionem, neque ius facit ex cap. Ex literis 3. de fide instrum. Et regulariter numerus sacerdotum expressus non est essentialis conditio necessaria ad valorem priuilegij, aliter sequeretur inconueniens, quod Ecclesia perderet huiusmodi priuilegium iam site acquisitum, si ab initio habuisset tot sacerdotes, quot numero in Breui exprimuntur, in casu, quo sine culpa, aut negligentia, desinesent ibi esse sacerdotes iuxta præfixum numerum. Vel dic, quod sufficit ab initio tot de familia fuisse sacerdotes pro seruitio Ecclesiæ, quot exprimuntur in Bulla Altaris, quia sufficit, conditionem semel adimpletam fuisse, licet postea desit. *l. Si quis haredem ff. de instit. & substit.* in casu, quo Bulla contineret vere conditionem. Quod si superior localis à suo Prouinciali petat sacerdotes ad complendum numerum pro quiete suæ conscientiæ, & illi prouisum non fuit, adhoc satisfacit pro Altari priuilegiato, quia conditio eum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset. *de Reg. iur. 66. l. Iure ciuili ff. de condit. & demonstr.* In conuentu nostro Sanctorum Cosmæ, & Damiani Regij habetur Altare priuilegiatum cum numero septem sacerdotum, & prout collegi ex tenore verborum eius, numerus iste exprimitur tantum narratiue attenta petitione facta à Fratribus, & sic tollitur scrupulus, si ibi non possunt morari septem sacerdotes. Demum quando satisfaciant obligationibus Altaris, & aliis ordinariis, sine præiudicio

9 priuilegij possunt extra celebrare; & finis Papæ priuilegium indulgentis exprimendo tot sacerdotes, in eo consistit, vt satisfiat occurrentibus obligationibus, quod si sequatur effectus huius satisfactionis per pauciores sacerdotes, nihil detrahitur de priuilegio, si sacerdotes extra celebrent.

Quæres 7. An quædam priuilegia modo reuocata, quibus concedebatur sacerdotibus regularibus, vt vnica missa possent satisfacere pluribus cum tot collectis in eadem missa additis, essent eiusdem rationis, qua sunt nunc Altaria priuilegiata?

10 Respond. Diuersa sunt, quia altare priuilegiatum immediatè habet hanc gratiam in eo sacerdote celebrante, cui directè non conceditur priuilegium, cuius tantum est executor fauore defunctorum. Gratia verò illorum priuilegiorum, quæ refert *Confect. ex Iulio II. pag. 153. Leone X. pag. 141. & 142.* immediatè concedebatur sacerdotibus in ordine ad bonum commune conuentuum intuitu eleemosynarum acceptarum, nullo respectu habito ad altare, vnde potuissent etiam satisfacere in alienis Ecclesiis. Sed an illa priuilegia continerent aliquam indulgentiam, quam Papa extraxisset ex thesauro Ecclesiæ ad soluendum debita ipsorum defunctorum per modum suffragij? iuxta quod dixi de indulgentia altaris priuilegiati? Puto ita esse, quia nescio, qua alia ratione,

11 & potestate ita potuisset plures missas in vnam reducere, nisi supplendo per indulgentias; nisi velimus dicere Papam pes illa priuilegia voluisse insinuare id pendere ex infinita virtute satisfactoria sacrificij, sed hoc primum. Vel dic, cum Papa possit vltimas testantium voluntates ex causa mutare, quando plures missas reducit, præcise mutat voluntatem testatoris, & cuiusuis alterius qui missas dedit celebrandas, restringendo earum numerum, & sic non est necessaria indulgentiæ applicatio.

Quæres 8. An per Iubilæum anni sancti, quo suspenduntur omnes indulgentiæ, item & per Cruciatam sint suspensa altaria priuilegiata?

12 Respond. In neutro casu suspenduntur, quia in Bullis anni sancti, & Cruciatæ nulla fit mentio suspensionis indulgentiarum pro defunctis, quod esset de iure necessarium, cum id sit quid speciale, & sicut indulgentiæ viuorum mortuis non prosunt, nisi in illis fiat specialis mentio, ita neque eisdem mortuis concessæ intelliguntur reuocatæ, nisi de illis fiat expressa mentio. Et pro anno sancto adest specialis ratio suspendendi indulgentias viuorum, vt hac occasione promptiores fiant ad proficiscendum Romam, vt ibi illas lucrentur, quæ ratio non habet locum in mortuis, qui Romam proficisci non possunt, quia à loco, vbi morantur fideles in pœnis, non datur regressus. Ita docet probabilius *Diana in Addit. secund. resol. 55.* contra aliot doctores. *Vide Resol. 72. n. 11. & Resol. 81. n. 33. ad 36.*

RESOLVTIO XCII.

De variis Professionum formis.

SVMMARIVM.

Canonicorum Regularium S. Saluatoris. I.

1 *Obedientia votum alia duo includit.*
2 *Professio duo dicit stabilitatem, & conuersionem morum.*
3 *Professio propriis manibus scribitur.*
4 *Professionis locus in quo sit exprimendus.*
Theatinorum forma. II.
Camaldulensium. III.
Vallis Vmbrosa. IV.
5 *Canonicorum Regularium Lateranensium. V.*
6 *In professione exprimitur nomen baptismi.*
7 *Beneficiorum capaces Canonici regulares & alij.*
8 *Procurans, sed tantum acceptans sine licentia peccat.*
9 *Prohibito aliquo etiam medio ad illud, quando fuit simpliciter prohibitum.*
10 *Minimi promittunt perdurare in ordine.*
11 *Quod videtur exprimendum in transitu ad alium.*
Minimorum S Francisci forma. VI.

Minima

Minimorum Tertiariorum. VII.
21 *Minimorum votum non eſt profeſſio Tertiariorum.*
Seruitarum B. M. V. forma. VIII.
23 *Expreſſio præceptorum Regulæ non inducit votum in illis.*
Militarium Melitenſium. IX.
Carmelitarum Diſcalceatorum. X.
14 *Prætendere poſſunt extra non tamen acceptare.*
15 *Profeſſio eſt ſtricti iuris.*
Carmelitarum Calceatorum. XI.
Eremitarum S. Auguſtini. XII.
16 *Profeſſio contractus vtrinque obligatorius.*
17 *Filiatio acquiritur conſenſu conuentus.*
Miniſtrantium infirmis. XIII.
18 *Tempore peſtis.*
19 *Miniſtrant ſpiritualiter, & corporaliter.*
Caſinenſium S. Iuſtinæ de Padua XIV.
Minorum ſub prima Regula. XV.
20 *Votum non alterat naturam regulæ ſuper quam cadit.*
Conuentualium S. Franciſci. XVI.
21 *Non poſſunt compelli ad profeſſionem obſeruantia.*
Clariſſæ S. Franciſci. XVII.
22 *Clauſura ex præcepto Regulæ Clariſſis.*
Clauſura omnibus debita monialibus.
Tertiariorum Regularium. XVIII.
23 *Quatuor formæ profeſſionis.*
24 *Expreſſio præceptorum Dei votum non eſt.*
25 *Expungi non poſſunt à forma.*
26 *Capit. Gen. immutat de accidentalibus. profeſſionis.*
Tertiariorum ſæcularium. XIX.
Baſilianorum Italorum. XX.
Feſulanorum XXI.
Ambroſianorum ad Nemus. XXII.
27 *Profeſſio non alterat obligationem ſtatutorum.*
Prædicatorum ordinis XXIII.
Sommaſcorum. XXIV.
Barnabitarum XXV.
Cruciferorum XXVI.
Ioannis Dei. XXVII.
Oliuetanorum. XXVIII.
Ciſtercienſium. XXIX.
Auguſtinianorum Diſcalceatorum XXX.
Hieronyminorum XXXI.
Monialium. XXXII.

AD manus noſtras peruenerunt nonnullæ formæ, quibus diuerſæ religiones vtuntur ad profitendum, placuit eas ad communem vſum, & vtilitatem non ſolum ipſorum religioſorum, vt cognoſcant, ad quæ ſe obligarunt per ipſarum lectionem, vt votum ſolemne in ipſis expreſſum, verum etiam aliorum Eccleſiaſticorum non profitentium, & ſæcularium, vt deueniant in notitiam obligationis regularis, ad quam per ſolemnem profeſſionem profitentes ſe conſtringunt. Nullum autem ordinem ſeruabo, ſed quæ primo occurrent, priorem etiam locum obtinebunt in hac pagina, in qua non intendo gradum præcedentiæ, ſed tenorem obligationis, quam quiſque in ſua profeſſione contrahit, recenſere.

I. Canonicorum Regularium Sancti Saluatoris.

Ego D. N. facio profeſſionem, & promitto obedientiam Deo, & Beatæ Mariæ, & B. Auguſtino, & tibi admodum Reu. D. N. Abbati S. N. de ciuitate N. vice Reuer. D. D. N. de ciuitate N. Abbatis Generalis Canonicorum Regularium Congregationis Sancti Saluatoris ordinis S. Auguſtini, & ſucceſſorum eius, ſecundum Regulam B. Patris Auguſtini, & conſtitutiones eiuſdem ordinis, quod ero obediens tibi, tuiſque ſucceſſoribus vſque ad mortem.

Nota, quod quamuis in ea forma non exprimantur reliqua duo vota caſtitatis, & paupertatis, ſine quibus religio conſiſtere nequit ex probatis Reſol. 85. numer. 2. & 5. *tamen ſubintelliguntur, quia virtus obedientiæ cæteras virtutes regit, & cuſtodit, vt dicit* D. Gregor. lib. fin. Moral. cap. 12. & D. Thom. 2. 2. q. 104. art. 3. *ad obedientiam inquit, pertinent omnes actus virtutum prout ſunt in præcepto, conſequenter virtutum Caſtitatis, & Paupertatis. Hunc modum profitendi obedientiam ſecundum regulam eſſe cautiorem docent* D. Bernardus in lib. de Præcepto, apud Turrecrem. tract. 104. ſuper Regulam D. Benedicti, qui cum D. Thoma cit. q. 186. art. 9. ad primum, *dicit in ſuo ordine hunc modum ſeruari tamquam ſecuriorem, ita quod profeſſioni non contrariatur, niſi quod eſt contra præceptum regulæ. Vltima verba.* Quod ero obediens tibi, & ſucceſſoribus tuis. *Videntur ſuperfluere, ſemel enim in eadem oratione promittere ſufficit, ſed dic non eſſe ſupervacanea in totum, quia, ſuperadduntur ad indicandam obligationem obedientiæ ſucceſſoribus ipſius Abbatis localis, de quibus non fuit facta mentio antecedenter.*

II. Theatinorum Clericorum Regularium.

Ego N. N. diæceſis N. profiteor hodie coram Domino, & promitto Deo, & B. Mariæ ſemper Virgini, & B. Petro Apoſtolo, & Venerabili Congregationi clericorum, regularium, eiuſque prælato, ſuiſque ſucceſſoribus canonice intrantibus, & tibi Reuerendo patri Præpoſito Eccleſiæ S. N. Ciuitatis N. eodem nomine Obedientiam, & reuerentiam debitam ſecundum Regulam trium votorum Paupertatis, Caſtitatis, & Obedientiæ eiuſdem Congregationis Clericorum Regularium, hoc ipſo die . . . menſis . . . milleſimo . . . in eadem Eccleſia S. N. ciuitatis N. *Nouitius autem profitens ſubſcribit his verbis.*

Ego N. N. ſupraſcriptus manu propria ſcripſi, & ipſe pronuntiaui.

Nota, quod in ea profeſſio dirigitur in ſpecie ad Sanctum Petrum Apoſtolum, eo quod iſta religio fuit certa reformatio clericorum ſæcularium in regulares, conſequenter ratio dictabat, vt tanto honore Apoſtolus cohoneſtaretur tamquam ſpeciale caput & patronus huius ordinis; nomine autem Prælati venit eorum Generalis Præpoſitus Promittunt obedientiam ſecundum Regulam ſuam, quæ eſt trium votorum, & is modus profitendi clarus, & optimus eſt. Profitens ſubſcribit iuxta decretum Clementis VIII. de Inſtit. & educat. Nouit.

III. Camaldulenſium.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen. Anno à Natiuitate eiuſdem N. die N. menſis N. Ego D. Antonius de Cutlo diæceſis Bonon. promitto ſtabilitatem meam, & conuerſionem morum meorum, obedientiam ſecundum Regulam S. Benedicti coram Deo, & omnibus ſanctis, quorum reliquiæ habentur in hoc monaſterio N. ciuitatis N. in præſentia D. Gulielmi Cantorelli Abbatis eiuſdem monaſterij ſub Congregatione S. Benedicti; ad cuius rei fidem hanc petitionem manu propria ſcripſi die, quo ſupra.

Nota, quod profeſſio duo inuoluit ſtabilitatem, quia 2 *profitens per eam ſe obligat perpetuo manere in ſtatu religioſo ſub obedientia ſui ſuperioris, quod eſt promittere ſtabilitatem,* cap. Sicut ex literis 13. de iureiur. *Profeſſio eorum præter ſtabilitatem, & conuerſionem morum eſt etiam de obedientia ſecundum Regulam S. Benedicti, non quia hæc ſola ſufficiat ad conſtituendum aliquem religioſum ſed ideo ea ſola exprimitur inter alia vota, quia eſt principale virtualiter alia duo continens. Profitens pro-* 3 *priis manibus profeſſionem, quam petit, ſcribit, quod eſt conforme* cap. Omnes 37. 27. q. 1. *de profeſſione ſcribenda. Melius ſine dubio dictum fuiſſet. Quorum reliquiæ habentur in hac Eccleſia. quia reliquiarum locus proprius eſt Eccleſia. Videbatur exprimendum nomen S. Romualdi patroni, à ſimili vt in ſequenti.*

IV. Vallis

IV. Vallis Vmbrosæ.

Ego frater N. promitto stabilitatem meam, & conuersionem morum meorum, & obedientiam, & Castitatem perpetuam, & sine proprio viuere secundum Regulam S. Benedicti Abbatis, & institutum sanctissimi patris nostri Ioannis Gualberti coram Deo, & Sanctis eius, in hoc monasterio, quod est constructum ad honorem Dei, & Beatæ Mariæ semper Virginis, & beati N. & omnium sanctorum, & sanctarum eius sub obedientia Reuerendissimi in Christo patris, & D.D.N. Vallis Vmbrosæ Abbatis, ac eiusdem ordinis Generalis dignissimi in eiusdem præsentis.

4 *Nota, quod cum professio in hoc ordine, sicut in aliis solemniter emittatur in Ecclesia; melius fuisset exprimere ecclesiam cum monasterio, & quia in ea fit, & quia Abbas est non solum monasterij, sed etiam & eo magis ecclesiæ; & quia exprimendus est locus specialis in quo professio fit, & non monasterium, in quo non fit, licet fiat in ecclesia monasterij.*

V. Canonicorum Regularium. Lateranensium.

Anno Domini 1498. die 10. Iunij. Ego Dominus 5 Aurelius in sæculo vocatus Ioannes Franciscus fil. q. Cosmi de Barboxis de Palestro voueo, profiteor, & promitto omnipotenti Deo, beatæ Mariæ semper Virgini, & Beato Augustino, ac tibi Vener. D. Valerio Parmæ Priori huius monasterij S. Sepulchri de Parma, & successoribus tuis canonice intrantibus recipienti nomine, & vice D. Siluani Veneti Rectoris Generalis totius Congregationis Lateranensis ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, & successorum eius canonice intrantium, obedientiam, castitatem, & viuere in communi sine proprio vsque ad mortem secundum regulam D. Augustini, & quod nunquam absque licentia capituli Generalis dictæ Congregationis, vel eius autoritate fungentis aliquod cum cura, vel sine cura beneficium acceptabo intus, aut extra ordinem nostrum renuntiando omnibus priuilegijs, & consuetudinibus in contrarium mihi competentibus, vel quomodolibet competituris. Ego D. Aurelius supra scriptus propria manu scripsi, atque proprio ore pronuntiaui Amen.

6 *Nota, quod hæc profitendi formula est optima, tam quia exprimitur nomen baptismi, & patris cum cognomine, & patria, iuxta quod Sixtus V. in informationibus recipiendis pro illis, qui volunt religionem ingredi, mandat exprimi prædicta huiusmodi nomina. Tam quia est de tribus votis in ea expressis, tam quia promittitur præsentibus & futuris superioribus legitime sibi succedentibus.*

7 *Præterea ex tenore huius professionis colliguntur duo, vnum statum regularem non esse incompossibilem cum benefi io sæculari cum cura, vel sine cura, cum Canonici, Lateranenses, possint illa habere de licentia sui Generalis, quod signum est regularem professum non solum huius ordinis, esse capacem beneficij sæcularis, sed etiam cuiuslibet alterius, si illi expresse non prohibeatur in sua regula, vel constitutionibus, quod etiam colligitur ex* cap. Quorundam 24. cap. Si religiosus 27. de elect. in 6. & in Tridentino sess. 14. cap. 11. *vbi dicitur, transeuntes ab vno ad alium ordinem esse incapaces beneficiorum regularium, licet essent Canonici Regulares, ergo non transeuntes sunt capaces de iure communi.* Vide Pennotum lib. 2. Histor. Canon. Regul. cap. 72. *vbi id multis probat de sui ordinis canonicis. Possunt tamen de facto dici incapaces non defectu eorum, sed sæcularium prælatorum illos non vocantium de licentia suorum superiorum ad concursum beneficiorum, & si enim vocarentur aliis præualerent.*

8 *Sed an Canonicus beneficium sæculare procurans facit contra suam professionem licentia non petita à Generali? Respond. quod non, quia aliud est procurare, de quo nihil in professione, aliud beneficium acceptare sine licentia, quod hic prohibetur tantum, conforme citato capiti 27. de elect.* 9 *Nec obstat, quod aliquo prohibito censeantur interdicti omnes illi actus, per quos ad illud prohibitum peruenitur.* l. Ait prætor ff. de iure delib. *quia illud intelligitur, quando prohibitio est simpliciter facta, vt non est in casu nostro; item & quando in vtroque militat eadem ratio, quæ non reperitur in casu nostro, nam per acceptationem sine licentia Generalis, canonicus de facto se eximit ab obedientia Prælati regularis, non verò per procurationem beneficij, ideò iste actus non comprehenditur sub prohibitione.*

VI. Minorum Sancti Francisci de Paula.

Ego F. N. voueo, & promitto Deo omnipotenti, Beatæ Mariæ Virgini, ac toti curiæ cœlesti, & tibi Reuerendo Patri Prouinciali N. (vel Vener. patri Correctori N) huicque sacro ordini stare, & perdurare toto tempore vitæ meæ sub vita, & regula Fratrum ordinis Minimorum S. Francisci de Paula per sanctissimum Dominum nostrum Iulium II. post Felicis recordationis Alexandrum VI. Romanos Pontifices approbata, & confirmata, perseuerantur viuendo sub votis paupertatis, castitatis, ac obedientiæ, & quadragesimalis vitæ, iuxta determinationes, & circumstantias in ipsa Regula positas, & limitatas. Teste meo signo apposito in conuentu N. eiusdem ordinis anno ... die... mensis... ætatis verò meæ anno Amen.

Oblati verè vltra dictam professionem in eorum professione subiungunt clausulam immediate sequentem. Et vlterius promitto fidelitatem eidem ordini seruare; & eiusdem ordinis eleemosynas fideliter expendere.

10 *Nota quedam specialia huius formulæ professionis. Primo, quod expresse promittunt stare, & perdurare semper sub hac vita, & regula, ergo illis non conceditur de iure transitus ad aliam religionem, & iure merito, quia transitus de iure fit à laxiore, vel minus stricta ad strictam, vel strictiorem,* cap. Licet 18. de regular. *modo nulla alia religio hac austerior & strictior reperiatur, non Chartusiana, ad quam omnes de iure possunt transire, & tamen vtitur lacticinijs, quæ huic prohibita sunt ex voto eorum professionis, ergo illis non datur transitus ex præmissa formali professione, ita tenet huius ordinis alumnus* Peyrinus vir doctissimus de Subd. quæ- 11 stione 4. capite 24. *Ex quo videtur inferri in eorum transitu ad quemcumque ordinem requiri maiorem causam, quam in transitu aliorum alterius ordinis, cum in supplicatione porrigenda debeant exprimere hanc perdurationem in forma professionis per ipsos profitentes expressam in specie, quod non reperitur positum in præpositis aliorum ordinum formis. Secundo promittit solis Prælatis locali, vel Prouinciali, non Generali, in ordine ad quem emittenda esset per omnes religiosos, vt esset filius ordinis simpliciter, & non conuentus, aut prouinciæ tantùm, quamquam id subintelligitur, Tertio, præter expressum votum permanendi semper sub hac regula & vita, & tria solemnia, vouent etiam votum quadragesimale toto tempore vitæ suæ, quod est maximum votum, & obseruatione arduum, & perdifficile, ex quo oritur, hunc ordinem reliquis præstare in arctitudine, & austeritate vitæ. Vide dictum* Peyrinum de Subdito quæstione quarta de hoc voto vitæ Quadragesimalis, & tom. 2. priuileg. capite nono, numero 48. de quo ego aliquid dixi Res. 79. numero 10. & 11. *Quarto Conuersi, seu eorum oblati addunt alia duo vota, quæ sunt fidelitas, & conseruatio eleemosynarum.*

VII.

VII. Minimorum eorumdem Tertiariorum.

EGo N. promitto Deo omnipotenti, totique curiæ cœlesti, & tibi patri mores meos, ac vitam meam in melius emendare, & ordinis Minimorum vtriusque sexus fidelium Regulæ per Sanctissimum Dominum nostrum Iulium Papam II. confirmatæ præcepta salutifera pro posse obseruare, & B. Francisco de Paula, suisque successoribus eiusdem ordinis Minimorum Generalibus Correctoribus pro tempore existentibus obedire, necnon prædictæ regulæ salutaribus consiliis, & monitis me conformare, & prædicti ordinis honorem, & vtilitatem procurare. Amen.

12 *Notat Peyrinus tomo primo, privileg. ad constitution. 18. Iuly II. hanc professionem non inducere nouam obligationem nec votum, quia in Regulis Sancti Francisci de Paula nihil præcipitur etiam sub veniali, exceptis quatuor votis, ex quo cum in dicta forma nullam ex illis quatuor votis exprimatur, nullum proinde erit peccatum aliorum transgressio, cum simpliciter non promittant obseruare Regulam, sed tantum pro posse proponant, eo modo quo pœnitens confessario promittit non amplius peccare, quod votum non est, sed simplex propositum. Faciunt quæ dixi de Tertiariis Franciscanis* Resolutione 75. à numero decimoquarto, ad 18. *& dicam infra de eisdem Tertiariis tum secularibus, tam regularibus.*

VIII. Seruitarum B.M.V.

EGo N. filius in seculo vocatus N. qui detuli habitum nouitiorum in ordine Fratrum Seruorum B. M. V. per annum integrum, iam annum. . . . non vi, nec metu, aut vllo errore ductus, sed sponte libere, & ex certa scientia facio professionem, & promitto Deo omnipotenti, & B. M. V. & tibi Reuer. patri Priori Generali, vel Prouinciali, siue Conuentuali, nomine & vice Prioris Generalis Fratrum Seruorum B. M. V. & successoribus tuis seruare obedientiam, & castitatem, & viuere sine proprio secundum Regulam D. Augustini, & constitutiones Seruorum, & decreta Sacri Generalis Concilij Tridentini toto tempore vitæ meæ. Sic me Deus adiuuet.

Nota, quod hæc forma legitima, & iuridica est, exprimens ea, quæ nouitius præmittere debet antequam profiteat, quod detulerit habitum proprium huius ordinis, quem intendit profiteri, est enim de substantia nouitiatus Reso.54.num.215. *quod steterit in probatione per annum integrum*, de quo ibidem num.10.& 55. *& alibi, quod habeat tempus completum*, de quo in Tridentino cap.15.sess.25. *cum prædictis; quod demum voluntarie, & cum libertate fiat, de qua re* Resol.54. per totam, & in Tractatu de profess. Regul. capit.2. de profitente fere per totam.

Sed difficultas esse potest de transgrediente aliquod decretum Tridentini An committat sacrilegium contra votum e.g. si prædicet quis sine Benedictione, & licentia imo contradicente Episcopo contra decretum capitulo 2. sess.5.& capitul.4.sess.24. *de quibus ego* Resolution.7. quæstione 13. *Dico non esse peccatum sacrilegij contra votum professionis, quia professio sicut non facit vota præcepta, seu concilia regulæ, sed relinquit illa in suo statu præcepti vel consilij, ita & Tridentini decreta, iuxta* 13 *quæ intendit Seruita regulariter profiteri relinqui cum eadem obligatione obseruanda, qua tenentur reliqui fideles Ad quod facit, quæ habet* Rodr. tomo primo, quæstione vigesimasexta, articulo quarto, *dum probat præcepta Regulæ S. Francisci non esse vota, sed semper præcepta, votum enim professionis directe, & formaliter cadit super illa tria expressa in terminis, expressio verò Regulæ constitutionum, & decretorum Tridentini, subiicit professum obseruationi eorum eodem genere obligationis, quo ipsamet decreta ligant cæteros fideles.*

IX. Militarium Maltensium.

EGo N. voueo, & promitto Deo omnipotenti, B.M. semper Virgini, & S. Ioanni, Baptistæ, me obseruaturum perpetuo, Deo iuuante, veram obedientiam, cuilibet superiori, qui mihi à Deo, & ab ipso ordine dabitur; item me victurum absque proprio, & castitatem seruaturum.

Habetur in stat.1. tit. de Recep. Fratr. ad cuius valorem tria præcipue sunt necessaria, valida probatio nobilitatis ex ordinat. 1. Nouitiatus vnius anni in conuentu, ex ordin. 8. Demum susceptio cinguli ex stat. 2. tit. 2 de Recept. Fratrum.

Hanc excerpsi ex Variis Tractatibus Martini Bonacinæ disp. 4. p. 2. est breuis clara, & perfecta continens substantiam status religiosi. Promittunt huiusmodi Militares obedientiam ei superiori, qui illis à Deo dabitur mediante ordine suo, quia omnis potestas à Deo est, & homines in terra superiores Dei sunt famuli, & eius vices gerentes. Per hanc profitendi formam satis constat, hos milites vere, & proprie esse religiosos, cum promittant obedientiam, castitatem, & paupertatem non secus, ac religiosi aliorum ordinum. Vide, quæ dixi in Tractatu de profess. regul. ca. 1. q. 10. & infra Resol. fin.

X. Carmelitarum Discalceatorum.

EGo frater N. N. facio meam professionem, & promitto obedientiam, Castitatem, & paupertatem Deo, ac beatissimæ virgini Mariæ de Monte Carmelo & R.P. nostro fratri N.N. Præposito Generali Congregationis Fratrum Carmelitarũ Discalceatorũ suisque successoribus secundum Regulam primitiuam prædicti ordinis vsque ad mortem. Insuper promitto, me numquam prætensurum prælationem aliquam, vel officium iuxta constitutiones, neque extra religionem acceptaturum, nisi præcepto eius, qui mihi præcipere possit, adstringar.

Expedita est hæc formula, sed sicut præcedens caret expressione illius superioris, vel alterius, qui vice superioris professionem acceptet, nisi subintelligatur, prout de iure subintelligitur, hoc ipso quod nouitio conceditur facultas profitendi. Solus Generalis videtur esse ordinarius acceptator professionis, cum alij non exprimantur superiores, qui ideo habebant delegatam ab eo facultatem.

Carmelitæ Discalceati superaddunt alia duo vota; vnum non prætendendi prælationem aliquam, aut officium; alterum non acceptandi ea extra religionem, nisi ex præcepto. Dubitari potest super prædictis verbis, an respectu primi sermo sit tantum de officiis intra religionem, an etiam extra, si enim ad vtrumque modum votum se habet, prætensio respicit vtrumque si vero in primo sermo sit tantum de officiis intra religionem, votum pro officiis extra religionem cadet tantum super acceptatione voluntaria, & nequaquam super prætensione, vnde poterit prætendere, & procurare, sed non acceptare, nisi præuio præcepto eius, cuius id munus erit. Quid simile proposui supra sub nu. 8. de Canonicis Regularibus. 14 *Pro resolutione difficultatis non habeo ad manus huius ordinis constitutiones, quæ rem facile debent expedire, nihilominus ad literam de iure dico, quod cum diuersa sint prætendere officium, & illud acceptare, nam quandoque ex obedientia prælatura acceptantur, quamuisquam prætensa fuerant, ideo votum professionis non cadit super prætensione, aut procuratione earum extra religionem;* 15 *Confirmatur, quia professio est stricti iuris, & tantum*

obligationem inducit, quantam patitur tenor verborum.

XI. Carmelitarum Calceatorum.

EGo frater N. facio professionem meam, & promitto obedientiam, paupertatem, & castitatem Deo, & beatæ Mariæ Virgini de Monte Carmeli, & tibi Reuerendissimo patri N. Priori Generali Fratrum ordinis eiusdem beatæ M. Virginis de Monte Carmeli, tuisque successoribus secundum Regulam prædicti ordinis vsque ad mortem.

16 *Nota, quod hæc formula non differt à præcedēti, nisi quod hic apparet expresse acceptatio professionis, cum recipiatur per manus Generalis, deest tamen locus, & tempus quæ licet non sint necessaria ad valorem professionis, multum tamen vtilia sunt.*

XII. Eremitarum S. Augustini.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi benedicti. Amē. Anno Natiuitatis eiusdem millesimo...die... mense...Ego frater N. de N. filius N. N. de ciuitate... Parochiæ... facio professionem, & promitto obedientiam Deo omnipotenti, & beatæ Mariæ semper Virgini, & beato patri Augustino, & tibi Reu. patri fratri N. de N. Priori, &c. nomine, & vice Reu. patris Magistri N. de N. Prioris Generalis ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, & successurum eius canonice intrantium, & viuere sine proprio, & in castitate secūdum hanc regulam eiusdem patris nostri Augustini vsquo ad mortem. *Lecta professione à nouo professo Prior dicat.* Et ego nomine, & vice Reuerendissimi patris nostri Generalis N. & authoritate qua fungor, accepto professionem tuam, & vnio te corpori mystico nostrę sacræ religionis, & filium facio huius conuentus N. *vel conuentus nostri talis loci.* In nomine patris, &c.

Nota, quod hæc professionis forma est perfectissima, cum ex ea appareat contractus ex vtraque parte initus quidem profitentis, dum promittit in religione viuere sub obedientia vsque ad mortem, ex parte verò religionis, dum eius nomine prælatus recipit, & acceptat professionem nouitij incorporando illum ordini, vnde dixit Innoc. in capitul. Porrectum, de regular. Gemin. in capit. Constitutionem §. primo, de regular. in sexto, Nau. consil. 40. de regular. numero secundo, *quod emissio professionis à superiore acceptante accipit suam virtutem est etenim contractus spiritualis vtrinque obligatorius dixerunt* Nau. consil. 5. de regular. Abbas in cit. capitul. Porrectum numer. 10. Sanchez, libro quinto capitulo quarto, & libro septimo, disputation. 25. numer. 2. Nau. consilio vigesimosexto, eodem Azor. libro decimosecundo, capitulo quarto, quæstione quinta.

17 *Habet hæc religio vsum filiationis. Sed an Generalis propria authoritate faciat filium vnius conuentus profitentē sine illius conuentus consensu, videtur affirmandum ex tenore supradictorum verborum; sed dic de iure requiri cōsensum conuentus filiationis, sicut requiritur præcisè ad profitendum testimonium, & consensus illius monasterij, in quo nouitius fuit probatus; & confirmatur id* ex dictis Resol. 59.

XIII. Ministrantium Infirmis Clericorum Regularium.

EGo N. professionem facio, & promitto omnipotenti Deo, coram eius Virgine Matre, & vniuersa cœlesti curia, ac omnibus circumstantibus & tibi admodum Reu. patri Generali religionis Clericorum Regularium ministrantium infirmis locum Dei tenenti, & successoribus tuis (vel tibi Reu. patri Prouinciali, vel Præfecto talis loci &c. nomine, & vice Præfecti Generalis, & successorum eius locum Dei tenenti) perpetuam paupertatem, Castitatem, & Obedientiam, & perpetuo inseruire, quod est præcipuum nostri instituti ministerium, pauperibus infirmis, quos etiam pestis incesserit, secundum formam viuendi contentam in literis apostolicis nostræ religionis Ministrantium Infirmis, & in eius constitutionibus tam editis iam, quam in posterum edendis. *Lecta professione à nouo professo admittens ad professionem dicat.* Et ego N. authoritate, qua fungor accepto professionem tuam, & vnio te corpori mystico nostræ religionis. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Hanc refert cum Bulla Clementis VIII. incip. Superna dispositione, *sub datum primo Ianuarij* 1604. Tambur. tomo secundo, disputatione vigesima quarta, quæstione quarta, *præter votum solemne Paupertatis, Castitatis, Obedientiæ addito quarto inseruiendi Infirmis non quibuscumque sed pauperibus, ergo diuitas hoc onus non habent quanquam charitate fraterna hos coadiuuare, vt adiuuentur.*

18 *Votum hoc speciale se extendit etiam ad infectos peste, & cum euidenti periculo propria vita accedere debet ad seruitutem, pro quo vrgentis seruitio dicitur, quod maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis. Sed an hoc inseruire sit tantum spiritualiter illorum confessiones audire, preces vocales superægros fundere, & ad mortem eosdem suauiter disponere? an etiam corporaliter inseruire, præbendo medicinas, sternendo lectum, & similia præstando. Ad vtrumque sed præcipue in administrandis sacramentis ad corporales seruitutes decentiores, & id totum colligitur ex supracitata Bulla.*

19 *Modus acceptandi horum professionem similis est præcedenti Eremitarum S. Augustini, vnde facile ab illis acceperūt, cum sub Regula D. Augustini dicantur viuere ex Ponotto, licet de illa non faciant mentionem in formula professionis. Addunt prædictis alia quatuor vota simplicia, vide apud ipsos.*

XIV. Cassinensium S. Benedicti.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. Anno à natiuitate eiusdem millesimo...die... mensis... Ego D. N. de tali loco, & Diœcesi promitto stabilitatem meam, & conuersionem morum meorum, obedientiam secundum Regulam S. Benedicti coram Deo, & omnibus sanctis, quorum reliquiæ habentur in hoc monasterio N. Diœcesis N. in præsentia D. N. Abbatis eiusdem monasterij sub Congregatione S. Iustinæ. Ad cuius rei fidem hanc petitionem manu propria scripsi die quo supra.

Hæc professionis forma eiusdem rationis est cum aliis duabus Camaldulensium sub numero sexto, & Vallis Vmbrosæ sub numero quarto. Quod professio scribatur, & proferatur proprio ore est conforme iuri, capit. Gonsaluus decimoseptimo, quæstione secunda.

XV. Minorum sub prima Regula S. Francisci.

EGo frater N. voueo, & promitto Deo omnipotenti, & beatæ Mariæ semper Virgini, & beato Francisco, & omnibus sanctis, & tibi pater toto tempore vitæ meæ seruare Regulam Fratrum Minorum per dominum Papam Honorium confirmatam viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate. *Prælatus, qui ad professionem recipit respondet.* Et ego ex parte Dei, si hæc obseruaueris, promitto tibi vitam æternam In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.

℟. Amen

Hæc

Hac profitendi formula vtuntur omnes Franciscani sub prima Regula militantes, exceptis Conuentualibus quorum forma professionis mox subiicietur. Hanc autem extraxi ex constitutionibus factis per Generalem fratrem Raynaldum de Cotignola pro tribus ordinibus B. Francisci, die prima Iulij 1508. Iulio Papa II. qua habentur in libro inscripto: Firmamenta trium ordinum pag. L I X. Nulla alia professionis forma cum tanto rigore inuenitur, qua directe promittat per vouentem seruare Regulam, sicut hæc; profitentes enim aliorum ordinem, vel promittunt obseruantiam regularem, vel viuere secundum regulam, vel obedientiam secundum regulam, de qua re D. Thomas 2.2.

20 quæstione 186. articulo nono, *ad primum. Verum quidem est, quod votum cadens super Regula obseruationem non alterat, neque mutat eiusdem obligationem, vnde si illius capita obligabant ad culpam mortalem, aut venialem, vel solum aliquid ordinabatur in illa sub consilio, linquuntur sub eodem genere obligationis, vel exemptionis, & sic transgressio eorum prater trium votorum erit solum tale peccati genus, quale continet ipsum praceptum.* De qua re vide Rodr. tomo primo, quæstione 26. articul. 4.

XVI. Conuentualium S. Francisci

Ego frater N. voueo, & promitto Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Francisco, & omnibus sanctis, & tibi pater toto tempore vitæ meæ seruare regulam Fratrum Minorum per dominum Papam Honorium confirmatam, & à pluribus summis Pontificibus declaratam, & iuxta priuilegia ordini Minorum Conuentualium ab apostolica sancta sede concessa, præsertim vero secundum Decreta Sacri Concilij Tridentini, Pij Papæ V. de vitæ communis obseruantia, viuendo in obedientia, sine proprio, & in castitate.

In substantia continet idem, quod pracedens, tamen in rigore obseruationis expresse est modificata, ita quod per eam profitentes non plus se obligant, quam determinant apostolica priuilegia, & declarationes facta super dictam Regulam à diuersis summis Pontificibus, vt videre est in capit. Exiit tertio, de verb. significatione in Clem. 1. Exiui, eodem & extrau. Ioan. XXII. de verb. significatione. *Pij autem V. Bulla sunt, prima in ordine 61. incip.* Ad extirpandos *secunda in ordine 66. incip.* Illa ous cura. *Vide Magistrum fratrem Siluestrum Bartoluccium in suo speculo Regularis Obseruantia in capitul. secundum Regula, vbi ea formula habetur.*

21 Nau. consil. 16. de Regul. numero septimo, *dicit Conuentualem non posse compelli profiteri Regulam, prout profitentur illam Minores de Obseruantia sub num. XV. relatam.*

XVII. Clarissarum S. Francisci.

Ego Soror N. voueo, & promitto Deo, & B. M. V. & beatæ Claræ, & omnibus sanctis, & tibi mater toto tempore vitæ meæ seruare formam vitæ Sororum Pauperum S. Claræ traditam, & per dominum Innocentium Papam IV. approbatam viuendo etiam in obedientia, sine proprio, & in castitate, seruando clausuram per ordinis constitutiones ordinatam.

Ego N. soror promitto Deo, & B. M. semper Virgini, beato Francisco, & omnibus sanctis seruare perpetuam obedientiam secundum Regulam, & formam viuendi à sede Apostolica ordini nostro traditam, viuendo toto tempore vitæ meæ sine proprio, & in castitate.

Pradicta dua formula extracta fuerunt ex lib. Firmamenta trium ordinum, tract. 1. parte quinta, pa. XXVIII. prior quidem, secunda vero pag. XXVII. ex Bulla incip. Cum omnis vera religio, *pracibus Innocentij. Tunc temporis clausura erat in pracepto; solum Monialibus S. Clara; modo verò iure communi, & ex Bulla incip.* Circa pastoralis. *Pij V. apud Confect. pag. 215. omnes Moniales perpetua clausura subiecta sunt.* 22

XVIII. Tertiariorum Regularium.

Ego frater N. voueo, & promitto Deo, & B. M. V. & beato Francisco, & omnibus sanctis, & tibi pater seruare mandata Dei toto tempore vitæ meæ, & satisfacere, vt conuenit transgressionibus contra Regulam, & viuendi modum Tertij Ordinis de Pœnitentia institutam per beatum Franciscum, & per dominum Nicolaum Papam IV. confirmatam, cum de hoc interpellatus fuero ad voluntatem visitatoris nostri; viuendo etiam in obedientia, sine proprio, & in castitate.

Ego frater N. voueo, & promitto Deo omnipotenti, B. M. semper Virgini, beato Francisco, & omnibus sanctis, & tibi pater N. me seruaturum mandata Dei, toto tempore vitæ meæ; ac pro prælatorum meorum arbitrio satisfacturum, vt conuenit, transgressionibus, & erratis meis contra constitutiones, & statuta Tertij Ordinis eiusdem beati Francisci de Pœnitentia nuncupati regularis obseruantiæ; & Regulam Sanctissimi domini Nicolai Papæ IV. quatenus ea in ipsis statutis, & constitutionibus inesse reperitur; viuendo etiam in obedientia, sine proprio, & in castitate, iuxta dicti ordinis apostolica priuilegia. *Mox eisdem respondeat recipiens.* Et ego nomine Dei optimi, maximique tibi, si hæc obseruaueris, æternam vitam promitto. 23

℟. Amen.

In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Ego N. voueo, & promitto Deo, & B. M. V. beato Francisco, & omnibus sanctis, & tibi pater N. omnibus diebus vitæ meæ esse obediens domino Ioanni Papæ, & suis successoribus canonice intrantibus, & viuere in obedientia, & paupertate sine proprio, & in castitate, & obseruare Regulam Tertij Ordinis beati Francisci secundum declarationem, & ordinationem S. R. E. factam, & traditam per dominum Nicolaum Papam, & cætera omnia, quæ huic modo viuendi ad salutem animæ conueniunt ad discretionem meorum superiorum.

Ego frater N. voueo, & promitto Deo omnipotenti, B. M. V. beato Francisco, omnibus sanctis, & tibi pater me seruaturum mandata Dei toto tempore vitæ meæ, & Regulam de Pœnitentia Tertij Ordinis S. Francisci confirmatam per dominum Nicolaum IV. & per Leonem X. reformatam, atque satisfacturum, vt conuenit pro prælatorum meorum arbitrio transgressionibus, & erratis meis contra eandem regulam, nec non contra statuta, & constitutiones Fratrum dicti ordinis strictioris obseruantiæ; viuendo etiam in obedientia, sine proprio, & in castitate. Anno Domini, &c.

Ecce quatuor formulas professionis pro Fratribus Regularibus Tertiariis Franciscanis. Primam tradiderunt Franciscani sub prima Regula, qua habetur in Firmam, pag. XXXV. Secunda habetur in calce Statutorum, seu Constitutionum, qua pro regula habentur apud Italos. Tertia inseritur in Bulla Ioannis Papa XXIII. extensa in eorumdem Bullario pag. 58. pro Fratribus Flandrensibus. Quarta demum est in vsu apud Gallos, qui dicuntur viuere sub strictiori obseruantia.

Nota primo, quod in pradictis omnibus formulis

prater paupertatem, castitatem, & obedientiam, promittitur obseruatio mandatorum Dei, excepta tertia, in qua subiicentur. Ex quo non leuis difficultas est, an vere & directe votum formaliter super Dei mandata cadat, ita quod eorum transgressio sit semper peccatum mortale sacrilegij contra votum? Neque eorum expressio omittenda est, cum dicatur in vtraque Regula Ni-
24 colai, & Leonis ea debere exprimi in professione. Et quidem meo iudicio semper dixi eorum expressionem non inducere formaliter obligationem voti, quia ex regula Nicolai IV. huiusmodi expressio Dei mandatorum per professionem non est votum, sed simplex propositum seruandi mandata Dei, quod non magis obligat, quam promissio à Pœnitente facta confessario non amplius peccandi, cuius transgressio ex se nullum est peccatum, vt docui de professione Tertiariorum secularium Resolutione 75. quæstione quarta, Ergo idem omnino propositum habet importare etiam respectu Regularium, cum eamdem Regulam Nicolai obseruent, cui solum tria ordinaria vota, vel ex eorum statutis, vt nostri in Italia, vel ex Regula Leonis X. respectu eorum, qui illam amplexi fuerunt, vt sunt Galli & alij in Hispania. Et ita cum communi sustinendum esse puto contra id quod dixi in Tract. de professione Regularium capitulo primo, quæstione 49. vbi de hac re fuse egi, sed reuera ibi allata sunt parui momenti, vnde pro non dictis habeo, in quantum opponuntur determinatis hic, & citata Resolu-
25 tione. An autem possint expungi in aliquo capitulo Generali illa verba expressiua mandatorum Dei? puto, quod non, quia mandantur in vtraque Regula exprimi in forma professionis, ergo expungi non possunt, neque vlla extat necessitas id faciendi, quia tam ex communi vsu omnium approbato, nouam non inducunt voti obligationem, quia professio antiquam obligationem iam contractam non variat, sicut non variat contentam in regula, sed tantum professum subiicit obseruationi eo modo, quo Regula obligat, & faciunt dicta nu. 13. 20. & 27. duodecimotertio.

Nota secundo, quod transgressores Regula vocati pro facienda pœnitentia de transgressione Regula eiusdem, tenentur sub culpa illam subire sibi impositam à superiore siue sit Generalis, siue Prouincialis, siue localis, vt colligitur ex Regula Leonis X. licet ex Regula Nicolai non obligetur nisi coram Visitatore, sed hoc facit pro Tertiariis secularibus, nam in Regula Leonis capitulo secundo, dicitur, vbi à Pralatis requisitus fuerit.

Nota tertio, quod Itali in sua professione exprimunt transgressionibus contra Regulam Nicolai prout continetur in eorum statutis, se satisfacturos, Galli id extendunt etiam ad statuta, & constitutiones factas in suis capitulis. Consequenter alia est eorum professio à promissione Italorum.

Nota quarto, expressionem summi Pontificis Ioannis, aut alterius pro tempore existentis, non esse nunc necessariam, quia tunc fuit apposita ob schismata, qua regnabant in Ecclesia Dei, & vt facilius suum Fratres obtinerent intentum. Vide Ciacconum, & alios io Ioannia XXIII. & Laoosium titulo qoarto de electione capitulo vigesimoprimo, numer. 35. paucis so expedientem de diuersis Antipapis tunc tem-
26 poris.

Nota quinto, Capitulum Generale posse aliquid immutare circa accidentalia forma professionis detrahendo, aut addendo aliquid, quod magis exprimat obligationem voti, non verò quod augeat, aut minuat de obligatione essentiali trium votorum. De qua mutatione aliquid agit Penottus in Chronicis sui ordinis Canon. Regular. Later. capitul. 47. examinando formulam professionis Eremitarum S. Augustini, sub beato Ioanne Bono. Vnde in nostra posset addi, quod professio fit de licentia patris Prouincialis, aut Generalis, addendo etiam tempus, locum, & nomen eius patris, in cuius manibus emittitur professio.

XIX. Tertiariorum secularium.

EGo frater, vel soror talis voueo, & promitto Deo, & B. M. semper V. beato Francisco, & omnibus sanctis, & tibi patri Ministro, vel Visitatori toto tempore vitæ meæ seruare omnia præcepta diuina, & de transgressionibus per me in Regula Tertij Ordinis S. Francisci confirmata per Nicolaum IV. committendis ex parte mandantis Visitatoris, & pœnitentiam per eum mihi impositam humiliter adimplere.

Ego frater N. promitto Deo omoipotenti, B. M. V. beato Francisco, & omnibus sanctis, & tibi N. toto tempore vitæ meæ seruare regulam Fratrum de Pœnitentia per dominum Nicol. Papam IV. confirmatam, seruaodo omnia diuina præcepta, ac satisfaciendo de traosgressionibus, quas contra hunc viuendi modum committam, cum interpellatus ad Visitatoris extitero voluntatem. Minister dicit. Et ego, si hæc obseruaueris, ex parte Dei, promitto tibi vitam æternam.

Priorem formulam accepi ex operibus Antonij Capiciæ iuris consulti in suis decisionibus nouis Neapolit. decis. 115. fine. Et in substantia, & fere in verbis nihil differt à priori ex quatuor positis sub nu. XVIII. demptis tribus votis solemnibus, quam Franciscani loco ibi fecerunt communem reliquis Tertiariis, tam secularibus, quam regularibus. Sed quoniam probatum fuit ex Resolut. 75. illorum professionem non continere votum, ideo posterior forma, quam extraxi ex nostri ordinis Regula in calce, videtur magis proportionata eorum instituti.

XX. Basilianorum Italorum.

EGo frater N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo, & B. M. beato Basilio, & tibi patri N. N. vice nostri patris Generalis, & successorum eius secundum regulam S. Augustini quod ero obediens tibi tuisque successoribus, vsque ad mortem.

Nota, quod huius ordinis religiosi habent conuentum Mediolani sub nomine S. Cosmi; ex prima quidem institutione sunt ordinis Sancti Basilij, sed quia reformati fuerunt à quodam religioso ordinis Sancti Dominici, qui profitentur Regulam S. Augustini, ideo obseruant eandem, quam in sua professione promittunt, & habitum deferunt omnino similem religiosis Dominicanis conuersis.

XXI. Fesulanorum.

EGo frater N. filius N. de N. voueo, profiteor, & promitto Deo omnipotenti, gloriosæ Virginis Mariæ, beato Hieronymo, & beato Augustino, necnon & tibi fratri N. Priori Monasterij.... vice Reuerendissimi in Christo patris fratris N. Præpositi Generalis sacri ordinis obseruantiæ Mendicantium eiusdem S. Hieronymi, & successorum suorum obedientiam, paupertatem, & castitatem secundum regulam eiusdem S. Augustini vsque ad mortem. Superior recipiens ita respondet. Et ego fili carissime, si hæc obseruaueris, tibi promitto vitam æternam. In nomine Patris, &c.

De hac religione à tribus Tertij ordinis Fratribus descendente nonnulla in huius probationem retuli Res. 87. n. 26. vide ibi, quæ hic repetenda sunt.

XXII. Ambrosianorum ad Nemus Mediolani.

EGo frater N. de N. clericus, vel laicus facio, voueo, & exhibeo professionem meam Deo Patri, & Filio, & Spiritui sancto, Gloriosæ Deigenitrici Virgini Mariæ, beato Barnabæ, & beato Ambrosio patronis ordinis nostri, & tibi patri N. Priori conuentus.... ordinis sanctorum Barnabæ, & Ambrosij, Obedientiam, Paupertatem, & Castitatem, & promitto tibi, tuisque successoribus viuere secundum regulam D. Augustini, laudabilesque etiam, & approbatas consuetudines, ordinisque dicti constitutiones, & ordinationes pro virili parte quo ad viuam obseruabo.

Multum mihi placet expressio conditionis nouitij profitentis, sit ne clericus, an laicus, seu conuersus, quod ex allatis hactenus formulis non fuit ab aliquo obseruatum. Obseruatio constitutionum, & ordinationum non cadit sub voto formaliter, sed tantum præceptum ordinarium consequitur professionis substantiam in tribus votis, vnde si de se in ea religione obligant ad culpam, per hanc professionem remanent sub priori sua propria obligatione, ac si de illis nulla fuisset facta mentio in formula, nam professio non alterat nec auget, nec minuit qualitatem obligationis, sed professum tantum subijcit earum obseruationi, cum antea non teneretur.

27

XXIII. Ordinis Prædicatorum.

EGo frater N. facio professionem, & promitto obedientiam Deo, & beatæ Mariæ, & beato Dominico, & tibi admodum Reuer. patri Priori fratri N..... vice Reuerendissimi patris, ..., Magistri ordinis Fratrum Prædicatorum, quod ero obediens tibi, tuisque successoribus vsque ad mortem.

Hæc forma expeditissima est, & sub voto obedientiæ includuntur alia duo paupertatis, & castitatis, ex dictis nimet.1. & tradit Ioan. Andr. in capitul. Legebatur, de Maior. Ioseph. Mizagrunus apud Penottum lib.2. Histor. Canon Regul. capitulo septimo, §. Porro. *Ex eo autem, quod promittunt obedientiam simpliciter & non limitate secundum regulam videntur se se subijcere voluntati sui superioris ad obediendum in omnibus, quæ non solum sunt secundum regulam, sed etiam supra, & præter regulam; sed ex iis, quæ habet* D. Thom 2.2. quæstione 186. articulo uono, *ad primum colligitur obedientiam promissam esse secundum regulam, ideo autem eam tacuerunt, quia est D. Augustini, & peculiarem non habent, consequenter dicuntur viuere modo iuxta propria statuta, & constitutiones.*

XXIV. Ordinis Somaschæ.

IN nomine Sanctissimæ Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Anno Domini N. die... mensis... in Ecclesia... Ciuitatis... Ego N. Diœcesis... filius... voueo, profiteor, & promitto Deo omnipotenti B. M. semper Virgini, beato Augustino patri nostro totique curiæ cælesti, & tibi admodum Rev. patri nostro Domino N. Præposito Generali Clericorum Regularium Congregationis Somaschæ tituli S. Maioli Papiæ, Doctrinæque Christianæ, Auenion. in Gallia, & successoribus tuis canonice eligendis obedientiam, castitatem, & paupertatem, hoc est in communi viuere secundum regulam S. Augustini patris nostri, iuxta constitutiones dictæ Congregationis canonice factas, seu faciendas. Sic Deus me adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. Ego N. scripsi & propria manu subscripsi, & ore proprio pronuntiaui.

Nota, quod si religiosus huius ordinis transferatur ad prælaturam aliquam extra religionem, vel extra eam expellatur non tenetur ad votum paupertatis pro eo tempore, quo extra manet; quia in professione non promittunt simpliciter paupertatem, sed in ordine ad vitam communem, ergo extra eam viuere non tenentur sub voto paupertatis. Illa particula, Canonice. *respectu superiorum, & constitutionum, quamuis expressa non fuisset, subintelligeretur, quia superior non est, nisi ille, qui legitime & canonice electus est; neque constitutio hoc meretur nomen nisi sit iuste, & canonice condita.*

XXV. Ordinis Barnabitarum.

AD laudem Sanctissimæ Trinitatis, Ego N. dc.... in hoc seculo nominatus N. filius....ex vrbe....seu oppido...Diœcesis...anno...ætatis meæ...ad habitũ huius Congregationis promitto omnipotenti Deo, & tibi N. Præposito Generali Congregationis Regularium S. Pauli decollati, locum Dei tenenti, me perpetuam castitatem, paupertatem, & obedientiam seruaturum secundum dictæ Congregationis constitutiones, & ita solemniter voueo, & professionem facio die....mensis...anni....in festo N. in Ecclesia N. vrbis.

Nota, quod in hoc ordine professurus suam scribit professionem bis, vna quidem vice dum illam facit, secunda vero in libro ad hoc specialiter deputato, subscribendo, cui libro fides adhibenda. Liber iste debet esse iuxta præscriptum Clementis VIII. de quo ego egi resolution. quinquagesima septima, & 53. resol. 54. 78. resolutione 75. 62. *Post hanc solemnem professionem iurant statim verbis ita conceptis, & eodem libro scriptum à se subscribit.*

idem N. testem inuoco Deum, quod neque præpositi dignitatem, neque aliquod officium, quod huiusmodi dignitati ex constitutionibus in congregatione præferatur mihi mandari curabo. Neque item aliquam dignitatem, eodem modo extra Congregationem quæram aut sine præcepto summi Pontificis accipiam.

Nota, quod iuramentum fit extra actum solemnem professionis, vnde non est solemne hoc iuramentum, seu publicum, sed potius priuatum, licet omnibus notum, vt de eo constet iuxta huius Congregationis præscriptum.

XXVI. Cruciferorum.

EGo D. N. considerans mores, & regularem obseruantiam huius sacræ Congregationis Cruciferorum, in qua cum eius habitu sum certo tempore conuersatus ex certa scientia, & spontanea voluntate volens, & intendens in hac religione Domino perpetuis temporibus famulari, profiteor, promitto, ac voueo Deo, beatæ Mariæ semper Virgini, & patri nostro beato Cleto, sibique Reuerendissimo D. patri.... totius Congregationis Generali Magistro, me semper, & omni tempore, quo mihi fuerit vita comes in hac sacra religione Cruciferorum in hoc monasterio, & aliis sub vestra, & successorum obedientia fidelitate mansurum, seruaturumque in quantum Dominus largiri dignabitur huius Sacræ Congregationis Regulam, aut laudabiles constitutiones, & mores, ac præcipue illa substantialia, videlicet, obedientiam, paupertatem, & castitatem; quæ omnia, & singula prædicta, sponte, bona fide, & sincera intentione profiteor, voueo, & promitto, & his omnibus vos præsentes eritis testes.

Et est satis prolixa, & instrumentaria, atque excludit omnem metum, hoc ipso quod nouitius asserit se spontanea voluntate velle, & intendere, proficere, consequenter metum non potest allegare, cum obstet propria oris professio, quamquam, & se posset defendere dicendo recitasse formam professionis verba prout iacent, sed inuitum, si aliunde constaret de metu, vt quia metū incurrentes erant præsentes dum verba professionis proferret. Generalis, Visitator, vel Prior eius acceptādo professionem dicit hæc verba. Accipe fili Crucem tam in corde, quā in manibus, & eam semper tecum portes, habiturus, si eam recte portaueris partem cum eo, qui per crucem, & proprium sanguinem te redemit Iesus Christus Dominus noster, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum. Amen.

An crucem semper ferre tenentur? saltem corde, & manibus horis statis, seu patienter sustinendo tribulationes, & mortificationes carnis iugiter in corporibus suis deferentes. Nota quod professores huius ordinis solemniter se obligant permansuros in ea Congregatione, ex quo videntur non posse transire ad aliam, nisi cum speciali dispensatione Papæ.

XXVII. Ordinis Fratrum B. Ioannis Dei.

NEl nome di nostro Signor Giesù Christo Benedetto. Amen. Io Fra. N. figliolo di N... del loco.... della Parocchia. ... faccio professione, & prometto all'omnipotente Iddio, & allata beata Maria Vergine, & al beato padre nostro Giouanni di Dio, & à voi padre N. qual sete presente in nome del nostro padre Reuerendissimo Generale, & suoi successori canonicamente eletti Obedienza, Pouertà, Castità, e perpetua hospitalità di seruire à poueri infermi dell'ordine del nostro beato Giouanni di Dio sotto la Regola del padre S. Agostino; & in fede mi sono sottoscrito di propria mano à dì. ....

Nota quod isti Religiosi tribus addunt quartum perpetuæ Hospitalitatis votum solemne, quare non poterunt transire nisi ex speciali dispensatione Papæ, nisi transeant ad alium ordinem Hospitalitatis claustralem.

XXVIII. Oliuetanorum.

EGo Domnus N. filius N. constitutus in Eclesia S. N. Congregationis Montis Oliueti ante altare maius flexis genibus, & aperto capite, coram Deo, & Beatissimæ Dei genitrice Maria, & beato patre Benedicto, ac Sanctis, quorum reliquiæ hic sunt, sanctisque omnib. in præsentia P.D.N. Abbatis huius monasterij acceptantis vice reuerendissimi P.D.N. Generalis huius Congregationis Promitto stabilitatem perpetuam, conuersionem morum meorum, & obedientiam secundum Regulam S. Benedicti. Actum in præfato Monasterio die N.

Hæc conformis est cæteris Cassinen. n. 14. Camal. nu. 3. In quibus licet non exprimuntur vota Paupertatis, & Castitatis, ad hæc tamen tenentur, quia virtualiter continentur sub voto obedientiæ, quæ aliis prædominatur; præterquam. quod obedientia promittitur secundum Regulam, in qua alia duo vota præscribuntur. Ad constitutiones adhuc tenentur, quia accedunt ad Regulam, quia collapsa quoad obseruantiam per illas restituitur.

XXIX. Cistertiensium.

EGo F.N. clericus, &c. promitto stabilitatem meam, & conuersionem morum meorum, & obedientiam secundum Regulam S. Benedicti coram Deo, & omnibus sanctis eius, quorum reliquiæ hic habentur in hoc loco, qui vocatur N. Cistertiensis Ordinis constructo in honorem S. Mariæ semper Virginis, nec non, & beati N. in præsentia D N. Abbatis.

Hæc forma similis aliis, quæ leguntur à Congregationibus militantibus sub S. Benedicto. Reformati huius ordinis S. Bernardi aliam habent sequentis tenoris.

In nomine D.N.I.C. Amen. Anno à Natiuitate eiusdem N. die N. Ego Frater N. cognominatus in seculo N. clericus de loco N. Diœcesis N. promitto stabilitatem meam, & conuersionem morum meorum, & obedientiam secundum Regulam S. Benedicti, per constitutiones Congregationis S. Bernardi Reformatorum ordinis Cisterciensis coram Deo, & omnibus sanctis eius, quorum reliquiæ habentur in hoc loco constructo in honorem sancti N. in præsentia R. D. N. superioris dictæ Congregationis.

Quamuis in prima non exprimatur ea clausula: Per cōstitutiones Congregationis S. Bernardi, *nihilominus subintelligitur, quia sunt de Regula, quatenus collāpsam eius obseruationem restituunt.*

XXX. Augustin. Discalceatorum.

IN nomine Domini nostri Iesu Christi, Amen. Anno à Natiuitate eiusdem N. die N. mensis N. Ego F.N. de N. in seculo vocatus N. filius de N. loci parochiæ N. facio professionem, & promitto Deo omnipotenti B.M.V. beato patri Augustino, & tibi R.P.N. de N. Priori huius conuentus nomine, & vice admodum R.P. Fratris N. de N. Vicarij Generalis huius nostræ Congregationis Fratrum Discalceatorum S. Augustini Italiæ, & successorum eius canonice intrantium, obedientiam, paupertatem, castitatem, & humilitatem id est voueo, & promitto me nunquam directe vel indirecte per me, aut per alium vllam prælationem prætensurum, nec oblatam accepturum, nisi adstringar præcepto eius, qui mihi iure præcipere possit, & hoc secundum Regulam S. P. nostri Augustini, & iuxta seriem nostrarum constitutionum vsque ad mortem.

Nota, quod votum Humilitatis est solemne in hoc ordine, quia in forma exprimitur in terminis. Est multum simile hoc tertio voto simplici Iesuitarum, de quo Sanch. li. 6. c. 18. n. 26. *Augustiniani nec per alium procurare possunt, in voto patrum Iesuitarum non fit mentio huius duplicis prætensionis, illa clausula.* Et hoc secundum Regulam, *refertur ad tria vota ordinaria, non ad hoc Humilitatis, cum illo nihil in Regula S. Augustini. Isti professores transire non possunt, nisi de speciali dispensatione summi Pontificis propter solemnitatem huius voti. Qui profitetur in ipso actu prolationis verborum suam non facit religionē, sed ad eius possessionem approximatur, qua peracta ipso iure cum sit incorporatus, tunc dicitur esse actu membrum Congregationis.*

XXXI. Hieronymianorum.

IN nomine Domini, Amen. Anno à Natiuitate eiusdem N. indictione N. die N. Mensis N. Ego Don N. vel ego Frater N. (si fuerit conuersus) de tali loco N. promitto obedientiam Deo omnipotenti, Beatissimæ Virgini Mariæ, Sanctissimo Patri nostro Hieronymo, ac tibi patri Don N. de tali loco N. Priori huius monasterij N. N. tuisque successoribus salua semper obedientia Capituli Generalis, ac præpositi, & de viuendo sine proprio, in castitate secundum Regulam S. Augustini; ac morum meorum conformationem iuxta statuta ordinis Apostolica, vsque ad obitum meum. Actum.

Si legamus Bullam Martini V. incip. Et si pro Cunctorum *apud Tambur. tom. 2. disp. 24. q. 7. num. 2. supradicti professores absoluti fuerunt à Regula D. Augustini cum obligatione profitendi Regulam S. Hieronymi, vt expresse dicitur in citata Bulla, ideo expungenda sunt verba illa.* Secundum Regulam S. Augustini. *cuius loco*

eo succedant hec: Secundum Regulam S. Hieronymi. *Quid, si velint ea verba*. Salua semper obedientia, &c. *Referuntur ad illud, quod per professionem Nouitius fit subiectus Capitulo Generali, ac eius Præposito Generali.*

XXXII. Monialium.

EGo N. N. promitto, & voueo Obedientiam, Paupertatem, & Castitatem Deo, beatæ Mariæ, & omnibus sanctis, ac Reuerendissimo Patri D. N. N. Episcopo N. (nisque successoribus secundum Regulam S. Augustini, in monasterio S. N. ciuitatis N. in præsentia D. N. Vicarij Generalis N. & Reuer. Dominæ N. N. Abbatissæ dicti monasterij. Anno à Natiuitate Domini 1647. die vltima Martij.

Non puto necessariam Episcopi, vel eius Vicarij præsentiam ad valorem professionis, vt colligitur ex Tridem. sess. 25. cap. 17. An obedientia illi sit promittenda, an soli Abbatissæ, dicam alibi, & cum obedientia exerceatur in monasterio dirigenda est ad Priorissam pro tempore. Vnde ea forma est valde manca. Mirum non est, quando Religiosa non regulantur.

Alias formulas non pono, quia ad manus meas non peruenerunt. Vnum aduerto, per mutationem accidentalem non irritari professionem, deducto argumento à simili de accidentali variatione verborum formæ sacramentorum, Sanch. lib. 5. cap. 3. num. 4. aliis ergo verbis prolata professio tenet.

RESOLVTIO XCIII.

De Clausura Monialium.

SVMMARIVM.

1. *Clausura ortum duxit à Monialibus S. Claræ.*
2. *Præcepta postmodum omnibus iure Ecclesiastico.*
3. *Non est ex voto, sed ex præcepto tantum Ecclesiastico.*
4. *Clausura de se non est annexa statui monialium.*
5. *Non omne professione expressum est votum.*
6. *Clarissæ non tenentur Clausura ex voto.*
7. *Conditio apposita in professione non seruandi clausuram, reiicitur.*
8. *Conditio enim nullitate professionis operatur.*
9. *Professione tenente, protestatio non seruandi non valet.*

REsolutione 76. quamplura retuli de clausura Monialium, nam n. 9. descripsi, quibus locis ea claudatur. Sub num. 64. quod temeraria violatio ab ipsis facta per egressum est peccatum mortale; num. 15. quod illa originem habuit ex Regula monialium S. Claræ, cuius obligationem exprimunt in forma professionis allata præcedenti Resol. n. XVII. postmodum inductam pro omnib. monialib. à Bonifacio VIII. cap. Vn. de statu regul. in 6. confirmatam in Tridentino sess. 25. cap. 5. corroboratam à Pio V. Bulla incip. *Circa Pastoralis officij*. Datum anno 1566. & multa alia subiunxi. Hic autem difficultas occurrit an illa exprimenda sit per formam professionis necessario, ita quod moniales illi subdantur ea voto professionis expresso, vel tacito consequenter ad eum statum, sicut continentia castitatis consequitur ad ordinem subdiaconatus tamquam quid illi necessario connexum ex præcepto ecclesiastico? Resolutio huius difficultatis petenda est à prædictis locis iuris communis, Tridentini, & Bullæ Pij V. quorum tenoribus inspectis respondendum est non teneri ex voto, sed ex præcepto annexo huic statui ex adductis iuribus, in quib. nulla fit mentio de voto, sed simpliciter præcipitur illis clausura, & prohibetur eisdem egressus, nisi ex vrgentissima causa; Prædictis tamen obstat quædam Bulla incip. *Ordinis tui* Eug. 4. apud Confect. vbi enumerat 4. vota Clarissarum, inter quæ est clausura; videtur tamen loqui in sententia doctoris B. Ioannis Capistrani.

Dices ista obligatio manendi sub perpetua clausura se habet ac obligatio continentiæ adnexæ statui clericali in ordinibus sacris; sed clerici in sacris continere se debent ex voto implicito contento in receptione ordinis facti ea communi doctorum cum Sanch. lib. 7. disp. 27. num. 10. Item Moniales sanctæ Claræ clausuram exprimunt in sua professione, ergo cadit sub voto.

Respond. ad primum non constare ex citatis iuribus clausuram esse adnexam statui monialium sub vinculo voti, sed potius oppositum, nimium esse simplex præceptum Ecclesiæ illi statui coniunctum, ad conseruationem voti castitatis. Constat vero votum continentiæ esse sub ea ratione coniunctum statui clericali in maioribus ordinibus. Ad posterius dico, non quicquid exprimitur in forma professionis inducit obligationem sub voto, sed tantum respectu castitatis, paupertatis, & obedientiæ, nisi verba ipsa id exprimant, vt contingit in forma professionis Minimorum relata præcedenti Resol. nom. VI. & in forma Carmelitarum Discalceatorum ibidem sub num. X. per verbum, *Promitto*, in forma autem professionis Monialium S. Francisci talem sensum non patiuntur verba illa *Seruando clausuram*, quæ in obliquo ponuntur relatæ ad constitutiones, quarum obligationem sicut professio non alterat, ita neque supponit obseruanda sub ratione voti, sed relinquit eas obseruandas sub simplici præcepto, & professio præcise earum obligationi subiicit nouitium profitentem, qui antea ad illas non tenebatur. *Faciunt dicta præced. Resolut. num. 13. 20. & 27. per allegata à Rodr. tom. 1. q. 26. art. 4.*

Sed aliquis dubitauit, an teneat professio eius moniales, quæ profitetur cum expressa conditione non seruandi clausuram? Respond. Non obstante ea conditione, seu protestatione de non seruanda clausura, tenet professio, quia ea non est contra substantiam promissionis, cum non sit conditio non seruandi castitatem, nec paupertatem, nec obedientiam, ergo cum nullius sit momenti, & professionem non vitiet, sed ipsa vitietur, tamquam non apposita haberi debet, & reiici; licet enim quilibet rei suæ conditionem, & modum apponere possit. *l. In. traditionibus ff. de pact. Glos. v. Concessa in Clem. 2. de sepult.* tamen ea debet licita, & honesta qualis non est hæc supradicta cum sit contra iura prædicta, quæ ideo tamquam turpis, & impossibilis reiicienda est, *cap. fin. de condit. appos.* vbi dicitur, quod pro non adiecta habetur. *l. Non dubitamus 20. ff. de condit. & dem.*

Quod si monialis nouitia in profitendo exprimeret, se nolle proficere nisi cum ea libertate egrediendi, in eo casu nulla esset professio defectu consensus in eam. Hanc difficultatem multis examinat more suo *Mirand. q. 1. de Monial. art. 4. vbi concl. 4.* resoluit tenere professionem, & pactum reiici, concl. vero 6. nullius momenti esse professionem factam cum ea expressione, quod non intendit monialis se obligare, nisi habeat libertatem exeundi.

Quando igitur tenet professio, velit nolit monialis cogitur seruare clausuram, sicuti faciunt aliæ personæ, aliter toties peccat mortaliter, quoties clausuram violat, quia est de præcepto Ecclesiastico, quod semper est adnexum statui religioso monialium, quod præceptum infringi non potest à monialibus, cum

nemo possit seipsum eximere à lege, cui de necessitate subditur.

Egredientes autem temere præter peccatum mortale, *de quo dixi resol.76. nu. 64.* incurrunt excommunicationem Papæ reseruatam, cum aliis pœnis, de quibus ibidem n. 66.

RESOLVTIO XCIV.

De excommunicationibus contra Religiosos

SVMMARIVM.

1 *Nonnulli de iniectione manuum violentarum in clericum.*
2 *Credens percutere laicum, qui est clericus excusatur.*
3 *Ratam habens percussionem eius nomine factam incurrit.*
4 *Prior per satellites infringit audaciam inobedientis.*
5 *Pater carnalis corrigit filium religiosum.*
6 *Deponens clericum ab equo incurrit.*
7 *Percussio ratione loci grauis facta populo vidente.*
8 *Inducentes ad electionem sepulturæ.*
9 *Ministrantes Eucharistiam, vnctionem, & matrimonium.*
10 *Funtes vltra mare.*
11 *Recipientes pro ingressu religionis.*
12 *Mendicantes transeuntes ad non Mendicantes.*
13 *Detinentes apostatas Prædicatorum.*
14 *Minores, & Eremitanos recipientes Dominicanos.*
15 *Recipientes Iesuitas.*
16 *Prælatos se ingerentes in causis sancti officij contra suos.*
17 *Superiores temere ingredientes clausuram suarum monialium.*
18 *Deponentes habitum sui ordinis.*
19 *Accedentes ad studia.*
20 *Decimas sibi appropriantes.*
21 *Proficiscentes ad aulas principum.*
22 *Matrimonium contrahentes.*
23 *Arma retinentes.*
24 *Sacerdotes habentes officium Vicecomitis.*
25 *Violantes interdictum dum seruatur in matrici.*
26 *Permittentes prælati ingressum mulierum in sua claustra.*
27 *Appellantes extra religionem.*

1 DE excummunicatione passim egi præsertim de ea, quæ incurritur propter iniectionem manuum violentarum in clericum, & monachum tom. priori Resolut. 28. per totam; quibus adde, illum dici percussorem notorium, qui percussit in refectorio, sacristia, aut dormitorio coram sex personis *ex Zorola v. excom. causa formalis dub. 3. & part. 2. v. eod. dub. 9. Portel. part. 1. casu 6. num. 4.* Item, iniectio hæc habet in se malum animum inferendi iniuriam, & quandoque sufficit si sit iniuriosa licet non violenta *cap. Contingit 36. de sent. excom. Item.* prælatus eius absolutionem delegare potest *cap. fin. de off. ordin.* quia in eo hæc potestas est ordinaria *Couar. Var. resol. cap. 20. lib. 3. §. Secundo,* intellige quando est leuis, aut mediocris iure communi, vel ex priuilegio etiam quando est enormis, seu grauis. Item iniectio debet esse dolosa, & violenta, *Glos. v. Absolui cap. Si vero 3. eod. per cap. Si quis 17. q. 4. & cap. 1. de sent. excom.* solo. n. temeritas, & violentia inspicitur Glos. *in cap. Veniens 16. eod. Item*, iuramentum præstandum non est de substantia absolutionis *Glos. fin. cap. Cum desideres 15. eod.* Item correctionis causa leuiter prælatus percutiens suos subditos excusatur, *cap. Cum voluntate 54 §. Si qui, eod.* si excedat non incidit licet in sacris constitutus *Glos. fin. eod.* nisi

2 multum excedat, *Glos. v. Furi subeat cap. Vniuersitatis 24. eod.* Credens percutere laicum, & est reuera clericus, non incurrit. *Glos. v. Iniuriarum. cap. In audientia 25. eod.* Non solum læsio corporalis, verum etiam violentia, vt si quis detineatur in loco, vel carcere, inducit excommunicationem, *cap. Nuper 29. eod.*

3 Ratam habens excommunicationem nomine suo factam est excommunicatus *Glos. v. Consentiens cap. Omnis 17. q. 4. Mittens* manum in vestem, vel rem detentam incidit, *Glos. 1. cap. Si quis 12. de pœnit. dist. 1.* intellige si peccauit mortaliter, aliter non. Prior potest committere satellitibus vt audaciam fratris con-

4 tumacis digni carceris, aliquo moderato impetu verberum deprimat, sine incursione censuræ, quia fit in correctionem, & depressionem audaciæ resi-

5 stentis obedientiæ, Pater carnalis nouitium filium suum verberare non potest, *Mirand. tom. 1. q. 17. art. 5. concl. 2.* puto tamen posse illum modeste in secre-

6 to corrigere, si domi suæ reperiatur. Deponens clericum ab equo non incurrit inquit *Sayr. lib. 3. cap. 27. num. 36.* sed non placet, quia hæc est actio iniuriosa, & violenta. Non incurrit repellens clericum volentem legere scripturam contra suam voluntatem *Nauar. consil. 26. de sent. excommun.* Item extrahens clericum à sua sede pellendo, vel brachio trahens incurrit. *Nau. consil. 24. de sent. excom. Rodr. 2. q. 61. art. 2. §. Pro Bariola consil. 22.* Nouitius absoluitur etiam ante ingressum contracta ab excommunicatione, *Glos. v. Mutilationem membri cap. 32. eod.* repulsio facta manu in amicum non inducit *Nau. consil 26. eod.* Mittens manum ad collum clerici est excommunicatus, quamuis non percutiat, faciens hoc animo irato, *Grilenz. consil. 82.* Percussio grauis ra-

7 tio luci, vt Ecclesiæ, plateæ, aulæ, principis, &c. talis non censetur, nisi videatur, & aduertatur à multis, vnde in quadam Metropoli dum Archiepiscopus sacra faceret, percussio ibidem facta pugno non fuit iudicata grauis, quia fere nullus ad id aduertit, neque rumor excitatus, fuit, facit *Nau. cap. 27. n. 92. cum aliis, & Diana part. 1. tract. 16. resol. 23.* requirentes, quod percussio in se sit notabilis, & cum scandalo magno, quod defuit, cum nemo ad percussionem aduertit, idem docet *Graff. tom. 2. consil. 8. diff. 1 num. 12. ego dicta resol. 28. n. 44.* Item tangens clericum, dicendo, si non esses clericus, oculum tibi eruerem, incidit secundum *Graff. cit. consil. 1. n. 7.* Enormis est percussio in capite cum magna sanguinis effusione dicit *Nau. consil. 43. de sent. excom.*

Sed deueniamus ad explicationem excommunicationum, quæ contra religiosos inflictæ sunt iure communi, de quibus *vide Sayr. lib. 3. cap. 33. Megal. de censuris lib. 4. cap. 6. Catalogus excommun. Ludouisij cap. 3.* cuius ordinem præcipue sequar.

8 Prima est contra inducentes aliquem ad promittendum, vouendum, vel iurandum de sepultura in sua ecclesia, vel quod electam non mutabit; & est etiam contra moniales, inquiunt nonnulli, quod non placet, quia de ipsis nulla mentio. *De ea dixi satis Resol. 51. q. 57. à n. 177.* quibus adde, dicentem simpliciter, vis sepelliri in nostra ecclesia, in qua multæ missæ celebrantur, & alia diuina officia fiunt, excommunicationem non incurrere, quamuis responderet, volo, quia id non est proprie inducere, sed eius voluntatem explorare circa electionem sepulturæ. Sicuti neque; si religiosus diceret suo parenti, vel consanguineo, volo vt eligas sepulturam in mea ecclesia etiam inducendo, videtur enim ratione propinquitatis posse id licite consulere.

Secunda

9 Secunda est contra ministrantes Extremam Vnctionem, Eucharistiam, & Matrimonium sine licentia Parochi, *Clem. Religiosi, de priuileg. de qua egi tom.1. Resolut. 20.q.13 num. 28. Vide Sayr. lib.3.cap. 29 numero. 26.*

10 Tertia est contra religiosos euntes vltra mare sine licentia suor. superiorum in scriptis obtenta, extrau. Ioannis XXII. incip. *Ad nostram de* Regul. Vltra mare intelligit vbi fere omnes sunt infideles. Licentiam autem dare potest solus Generalis & non quibuscunque sed tantum literatis, prouidis, & expertis, vt colligitur ex eadem Bulla ibi: *Absque superioris ordinis sui licentia sibi per ipsum literas patentes concessa*, solus enim Generalis dicitur superior ordinis. Reseruatur Papæ: Nihilominus ex priuilegio prælati absoluere possunt.

11 Quarta contra accipientes aliquid pro ingressu religionis extr. Sane, de simon. & reseruatur Papæ. De qua satis *dixi Res. 54. q. 48. à n.* 148. *ad* 148. *ad* 150. vbi de excommunicatione, quam incurrunt superiores tam viri, quam moniales recipientes aliquid pro ingressu dico pro ingressu, non in ingressu, quo sensu fere nunquam incurrunt, cum aliquid recipiant solum pro alimentis, & sustentatione nouitij, quod vsus, & eo magis necessitas probat nostris temporibus, quibusuis non habentibus, *Vide Sayr lib.3.c. 30. num.3.*

12 Quinta contra Mendicantes transeuntes ad non Mendicantes exceptis Cartusianis, & eosdem recipientes, reseruata est in *extrau. Viam ambitiosæ, de regul. De qua egi Resol. 29. q. 7. n. 26.* vbi de aliis particularibus excommunicationibus contra transeuntes etiam inter Mendicantes. *Sayr. lib. 30. numero.* 8.

13 Sexta contra detinentes apostatas ordinis Prædicatorum, nisi eiecerint postquam à dictis Fratribus admoniti fuerint, reseruatur Papæ, de qua Catalogus Ludouisij *cap. 3. num. 6. citans D. Anton. part. 3. tit.* 24.c.71. addens eam incurrere etiam detinentes apostatas aliorum ordinum, qui gaudent illorum priuilegiis, quod mihi non placet, quia priuilegia communicantur secundum fauores, non secundum pœnas, vt probaui *Resol. 52.n.94.*

14 Septima contra Minores, & Eremitanos præsumentes recipere in suum ordinem Dominicanos, reseruata Papæ ex mox citatis. Non excedit superiores, quia religiosi priuati per se non recipiunt, nisi prout cum superiore congregantur in collegium, ex quo non possunt excommunicari ratione collegij, ergo solus superior factum promouens in effectum.

15 Octaua contra recipientes Iesuitas exceptis Cartusianis, & ipsos Iesuitas receptos, & dantes auxilium, consilium, & fauorem, reseruata Papæ in Bulla incip. *Æquum reputamus.* Pij V. Est contra superiores tantum ob rationem dictam in præcedenti.

Nona contra Minores tempore interdicti admittentes in suis Ecclesiis Fratres Tertij Ordinis ad audienda diuina officia, *Clem. Cum ex eo, de sent.excom.* reseruata Papæ, satisfactio vero præmissa aufertur ab Episcopo. Est sermo de Tertiariis in propriis domibus degentibus, non autem cum claustralibus ex dictis *Resol.75.n.55.*

16 Decima est contra superiores se ingerentes in causis sancti officij procedendo contra suos subditos de hæresi suspectos, aut impedientes ne denuntientur Inquisitoribus, ex Bulla incip. *Romanus Pontifex*, Pauli V. *extensa apud Dianam part. 4. pag.* 277. & reseruatur Papæ, absolubilis tamen secundum priuilegia. Non placet quod ait Catalogus cit. *cap.3. n.* 11. esse contra eosdem superiores non denuntiantes suspectos de hæresi, subditos, quia in Bulla non est sermo de quocumque subdito, sed de illo tantum, contra quem ipsi superiores processum inceperant, nam eo tempore tenebantur illos denuntiare, non autem nunc quoscumque suspectos.

17 Vndecima contra superiores regulares ingredientes monasteria monialium, quorum curam, & regimen habent, in casibus non necessariis, & non comitatos à certis personis religiosis, cum priuatione omnium officiorum, ex Bulla incip. *Dubiis quæ emergunt*, Gregorij XIII. extensa apud Confect. pag. 241. Contra vero prælatos seculares, Episcopos, & Cardinales est eadem pœna, si tertia vice ingrediantur, pro prima vice pontificali dignitate gaudentes sunt interdicti ab ingressu Ecclesiæ, pro secunda à munere Pontificali, & à diuinis sunt suspensi, & non reseruatur *Vide Sayr.lib.3.cap.31.n. 13. & quæ dixi Resol. 76. num.77.*

18 Duodecima contra dimittentes temere habitum suæ religionis, *cap. Vt periculosa, ne cler. vel mon. in 6.* Ad eam incurrendam requiritur, vt dimissio sit temeraria sine causa facta extra conuentum vagando per spatium vnius horæ, *iuxta quod dixi late Resolut. 35. Vide Nau. cap.27.num.131. Sayr.lib.3.cap.33.n.* 7. non est reseruata.

19 Decima tertia contra accedentes ad studia sine licentia sui superioris de consilio maioris partis conuentus, ex eodem cap. Vt pericula, Ne cler. vel mon. in 6. non reseruata. Intelligitur de eo religioso, qui vult studere manendo extra cõuentum, licet Theologiæ det operam, habet locum in solis subditis, non in superioribus volentibus studere. *Vide Sayr.lib.3.c.33.n.* 18. Neque est sermo de illis studentibus, qui in eadem ciuitate de licentia solius Superioris localis vadunt ad scholas, & lectionibus auditis redeunt ad conuentum licet etiam accederent sine licentia, sed procedit respectu eorum qui accedendo ad studia morantur extra conuentum; & doctores eisdem habitu tamen dimisso legentes eamdem incurrunt excommunicationem ex dicto capite. In decretalibus vero cap. Non magnopere 3. Ne cler. vel mon. religiosi professi exeuntes, & extra manentes ad audiendas leges, aut physicam. i. medicinam, nisi intra duos menses ad claustrum redeant sunt excommunicati, & tunc vltimum obtinent locum, nec promoueri possunt sine dispensatione Papæ, & negligentes redire denuntiandi sunt excommunicati per Episcopum, vt dicitur *c. Super specula* 10. *eod.* Intelliguntur ista decreta de illis, qui extra manentes sine licentia dant operam illis studiis. Sed his nostris temporibus locum non habent prædicta, quia fere in omnibus ciuitatibus sunt studia publica, ad quæ religiosi accedunt, & lectione audita redeunt ad sua claustra, consequenter hos non comprehendunt dictæ leges.

20 Decima quarta contra eos, qui sibi decimas appropriant, vel prohibent persolui Ecclesiis, *Clem. Religiosi, de decim. Silu. excom. q. num.72. casu 36. Sayr.lib.3. cap. 33.n.41.* Nostris temporibus raro hæc contingunt, non est reseruata *Aliam vide in Clem. Capientes, de pœnis.*

Decima quinta contra proficiscentes ad aulas principum cum animo nocendi suis prælatis, vel monasteriis, nemini reseruatur, est solum contra Monachos nigros, & Canonicos regulares *Clem. Ne in agro, Quia vero, de statu monach. Sayr. lib. 3. cap. 33. numero.26.*

21 Decima sexta est contra matrimonium contrahentes nulli reseruata in Clem. 1. de consanguin. etiam contra moniales, & quoscumque alios contrahentes in gradibus prohibitis. *Nau.c.27. n.141. Sayr.l.3.c.33.n. 34. & c.35.nu.15.*

23 Decima quinta contra Monachos nigros retinentes arma intra septa monasterij non reseruata in citata *Clem. Ne in agro, de statu monachor. Sayr. lib. 3. c. 33. n. 28. De ea dixi Resolut. 2. de Armis regularibus vetitis.*

Decima

24 Decima ſexta contra ſacerdotes habentes officium Vicecomitis, aut alterius præpoſiti ſecularis, ſi admoniti non relinquunt hoc officium, nulli reſeruata *cap. Clericis, ne cler. vel mon. Nau. cap. 27. num. 117. bene Sayr. lib. 3. cap. 32. num. 5.*

25 Decima ſeptima contra non ſeruentes interdictum, quando matrix eccleſia illud ſeruat, nulli reſeruata *in Clem. 1. de ſent. excom. de qua Sayr. lib 3. cap. 33. num. 44. & ego Reſol. 78. num. 237.*

26 Decima octaua contra ſuperiores permittentes, vel facientes ingredi mulieres intra ſua clauſtra, præter priuationem officiorum, ea Bulla Greg. XIII. incip. *Vbi gratiæ, apud Confeſſ. pag. 237. de qua ſatis egi Reſol. 76. num. 37.*

27 Decima nona eſt contra Minores de Obſeruantia recurrentes ad tribunalia ſecularia, reſeruata, cum pœnis, priuationibus officiorum, & inhabilitate ad quæcumque & vocum, quas pœnas incurrunt etiam eorum conſultores, & fautores ea Bulla incip. *Quoniam*, Gregorij XIII. apud Confect. pag. 235. vide vide dicta reſol. 32. num. 9. Similem excommunicationem ſtatuit contra Dominicanos recurrentes in cauſis criminalibus ad iudices ſeculares, ſeu eccleſiaſticos, Leo X. Bulla incip. *Romani Pontificis*, apud Confect. *pag. 146. Vide Rodr. tom. 1. q. 29. art. 2. cum ſuo Compend. reſol. 10. num. 15. ex Portello* aſſerentibus, omnes religioſos appellantes incidere in Bullam Cœnæ Domini, cum *Mirand. q. 30. de ord. iudic. art. 5. concl. 4.*

RESOLVTIO XCV.

De Conſeruatoribus Regularium.

SVMMARIVM.

1. *Nonnulla remiſſiue de Conſeruatoribus.*
2. *Cur ſint inſtituti.*
3. *Eligendi debent eſſe dignificati, vel perſonatu, vel Canonicatu.*
4. *Bulla Gregorij extenditur.*
5. *Poteſtas eſt vt coram ipſis ciuiliter conueniantur religioſi.*
6. *Vnde in criminalibus iudex non eſt.*
7. *Litem inter religioſos diuerſi ordinis dirimit.*
8. *Poſſunt etiam accedere ad ſuperiores regulares.*
9. *Conſeruator delegatus eſt, & ordinarius.*
10. *Laicos debitores conuenire non poteſt.*
11. *Defenduntur à manifeſtis iniurijs & violentiis.*
12. *Vnus religioſus non conuenit alium coram Conſeruatore.*
13. *Criminaliter non procedunt.*
14. *Cenſuris ſe opponit ſuo Epiſcopo moleſtanti regulares.*
15. *Conſeruatores eligendi debent eſſe iudices deputati in ſinodo.*
16. *Eligendi à Priore cum ſuo Capitulo.*
17. *Durat per quinquennium a nullo remouibilis.*
18. *Eligentes non deſcriptum in ſynodo ſunt priuati voce.*
19. *Citat ſub pœna cenſuræ reſiſtentem religioſum.*
20. *Subhaſtare, & pignorare poteſt bona regularium.*
21. *Decretum interponere non poteſt in contractibus.*
22. *Impedientes illos à ſuo officio ſunt excommunicati.*

1 DE Conſeruatoribus nonnulla ſparſim in præcedentibus dixi, *Reſolutione 51. num. 194.* illos eſſe iudices, coram quibus clerici debent agere contra regulares in caſu reſtituendi cadauer, quod ad eorum eccleſias non erat deferendum. Secundo *reſol. 53. num. 21.* aſſerui, creditorem debere religioſum debitorem conuenire coram Conſeruatore in hac cauſa iudice legitimo. Tertio *eadem reſol. num. 55.* dixi, Conſeruatorem eſſe iudicem litium, & cauſarum, non contractuum vt ſic, in quibus non habet præſtare ſuum decretum, ſed eorum prælati, quando contractus requirunt licentiam ſpecialem ſuorum ſuperiorum. Quarto *reſol. 54. num. 126.* quod nouitij debitores conueniendi ſunt coram iudice Conſeruatore. Quinto *reſol. 76. num. 17.* conceditur illis facultas abſoluendi ab excommunicatione lata contra inferentes damnabilem violentiam eccleſiis, & locis regularium. Sexto, in cauſis ſuis procedere poſſunt etiam per cenſuras eccleſiaſticas contra regulares nolentes ſoluere debita *reſol. 78. num. 222. 223. 224.* Sed deueniamus ad quæſtiones.

Quæres 1. Cur Conſeruatores dentur religioſis?

2 Reſpond. Hæc eſt ratio, quia cum religioſi in ſuis cauſis cum ſecularibus, & alijs extraneis nullum habeant iudicem, præter Romanum Pontificem, ad quem recurrere immediate eſt magni diſpendij, & incommodi, tam ipſorum, quam ſecularium, qui cum regularibus quandoque lites habent, ideo ſummus Pontifex vt huiuſmodi incommodis occurreret ſtatuit pro eiſdem regularibus iudices Conſeruatores, qui eos defenderent à manifeſtis iniurijs, ex hoc enim Conſeruatores vocantur, *cap. 1. & fin. de offic. iud. de leg. in 6. Confeſſ. in Sum. tit. 4 cap 1. Mirand. tom. 2. qu. 47. art. 1. Tambur. tom. 3. diſp. 17. qu. 1.*

Quæres 2. Quem religioſi conſtituere poſſint in ſuum Conſeruatorem?

3 Reſpond. Iure antiquo cap. Statutum 11. de reſcript. & cap. fin. cit. de off. deleg. regulares, & alij poterant eligere in Conſeruatores Epiſcopos, vel eorum ſuperiores, aut abbates, aut dignitates, vel perſonatus in cathedralibus, vel collegiatis eccleſiis obtinentes, non tamen ſibi ſubditum quis in Conſeruatorem habere poſſit. Modo vero per conſtitutionem Gregorij XV. extendendam, non poteſt eligi Conſeruatorem niſi ille, qui præter allatas iuris communis conditiones ſit etiam nominatim deputatus iudex in ſynodo prouinciali, aut Epiſcopali iuxta cap. 10. ſeſſ. 25. Bulla autem Gregorij eſt.

4 *Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & Dominus Noſter D. Gregorius diuina prouidentia Papa XV. ex certis rationabilibus cauſis animum ſuum mouendo & de Voto Venerabilium Fratrum ſuorum S.R.E. Cardinalium Concilij Tridentini Interpretum, partim fel. record. Clementis Papa Octaui prædeceſſoris ſui veſtigiis inhærendo, reuocauit ac nullas, & inualidas decreuit omnes, & quaſcumque Iudicum Conſeruatorum electiones, nominationes, ſeu deputationes, tam in vim literarum conſeruatoriarum, iuxta formam in quinterno Cancellariæ deſcriptam, quam in vim quorumque priuilegiorum perpetuo, vel ad tempus nondum elapſum Apoſtolica auctoritate conceſſorum, ſeu alias quocumque Iure, vel titulo hactenus factas pro quibuſcumque Conuentibus, Capitulis, Militiis, etiam S. Ioannis Hieroſolymitani, Congregationibus, Collegiis, Ordinibus Monaſteriis, Hoſpitalibus, aut aliis quibuſuis piis, tam ſecularibus, quam cuiuſuis Ordinis, etiam Mendicantium, ſeu Inſtituti, vel Societatis regularibus locis quantumuis exemptis, etiam de neceſſitate exprimendis, ſeu illorum perſonis, cuiuſuis qualitatis, ſeu conditionis exiſtant. In futurum vero Sanctitas ſua hac generali, & perpetuo valitura Conſtitutione ſtatuit, & decreuit, vt Iudices Conſeruatores huiuſmodi, ſiue principales, ſiue ſubrogati, eligi, nominari, aut deputari non poſſint, niſi non ſolum habeant qualitates requiſitas, & deſcriptas in Conſtitutione ſimilis rec. Bonifacij Papa VIII. etiam prædeceſſoris ſui, quæ incipit, Statutum; ita vt vel dignitate Eccleſiaſtica præditi, vel perſonatum obtinentes, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonici exiſtant; ſed etiam in Conciliis Prouincialibus, aut Diœceſanis, iuxta Decretum Concilij prædicti, Iudices electi, ſeu deſignati ſint. Quodque deinceps literæ Conſeruatoriæ per Sedem Apoſtolicam concedendæ ſuprafcriptis tantum dirigantur, & ſi quæ literæ aliter expedientur illæ, ac deputationes huiuſmodi omniaque exinde ſequenda nullius ſint roboris, vel momenti*

mentis; Et nihilominus qui secus, quam iuxta formam superius prescriptam Conseruatores huiusmodi eum effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis vti ausi fuerint, Regulares quidem voce actiua, & passiua sint ipso Iure priuati, adeo, vt habilitationem à nemine, praterquam à Romano Pontifice consequi valeant, reliqui vero aliis pœnis arbitrio Sanctitatis Suæ coerceantur, & prædictorum omnium Conuentus, Monasteria, ac loca huiusmodi, eorumque personæ, ac bona careant Conseruatore ad annum, itaut illorum causæ interea coram locorum Ordinariis duntaxat cognosci, ac definiri debeant. Caeterum vt latius pateat Conseruatorum huiusmodi deligendorum facultas Sanctitas Sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, vt in Synodis Prouincialibus, aut Diœcesanis quamplures personas ex habentibus qualitates in prædicta Constitutione eiusdem Bonifacij prædecessoris contentas, & alioquin ad id aptas designari procurent; & si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in eius locum vsque ad futuram prouincialem, aut diœcesanam Synodum. Insuper Sanctitas Sua, inhærendo hac in parte Decreto similis recordationis Gregorij Papæ XIII. etiam prædecessoris sui, statuit, & ordinauit, vt regulares, ac personæ huiusmodi in Italia infra duos, extra Italiam vero infra sex menses à die publicationis in Vrbe præsentis Constitutionis inchoandos debeant sibi eligere, seu assumere Conseruatores iuxta formam superius propositam, eiusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus huiusmodi penes Acta Curiæ Ordinariorum exhibere, & dimittere teneantur; alioquin eo termino elapso, quamdiu Conseruatores secundum formam præsentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conueniantur; quod Conseruatores huiusmodi semel legitime deputati, nisi ex legitima causa à Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis prout iisdem Regularibus, & aliis supradictis libuerit, approbanda, durante quinquennio à die deputationis, amoueri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant. Ad hæc statuit Sanctitas Sua, vt coram ipsis Conseruatoribus regulares, ac personæ suprascriptæ conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint, itaut memorati Conseruatores in causis, in quibus regulares, & alij actores, fuerint; nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in iis tantum in quibus rei extiterint; neque extra ciuitates, seu Diœceses, in quibus fuerint deputati contra quoscumque procedere præsumant. Si qua vero inter Iudices Conseruatores huiusmodi, & locorum Ordinarios controuersia super competentia iurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per Arbitros in forma Iuris electos super iurisdictionis competentia fuerit iudicatum. Quod si qui Conseruatores, siue in hac parte, siue alias quomodolibet suos limites excesserint, per annum ab officio Conseruatoris huiusmodi suspensi sint, & pars, quæ hoc fieri procurauerit, sententiam excommunicationis incurrat iuxta formam alterius Constitutionis eiusdem Bonifacij prædecessoris, quæ incipit, Hac Constitutione, *quam Sanctitas Sua in his omnibus, quæ præsenti Constitutioni non aduersantur, innouauit, & innouat. Per hoc tamen non intendit, Sanctitas Sua prohibere, quominus regulares, & alij supradicti in casibus à iure permissis petant Iudicem non suspectum à Principibus, seu Magistratibus Secularibus; dum tamen hæc tria copulatiue concurrant, videlicet, vt Regulares, & alij prædicti sint actores, non autem rei, vt quæ agant contra laicum, non autem contra Ecclesiasticum, vel alias à iurisdictione seculari exemptum, atque vt causa, in qua iudex deputatur, fuerit prophana, non autem Ecclesiastica, & in ea iuxta Sacrorum Canonum dispositionem laicus, vt præfertur, eligendus, iudex competens existat. Quæ omnia, & singula in præsenti Constit. contenta Sanctitas Sua voluit inuiolabiliter obseruari; decernens sic in iis, cæterisque omnibus premissis per quoscumque, &c. etiam Sacri Palatij Apostolici Auditores, necnon S. R. E. Cardinales, sublata, &c. iudicari, &c. necnon irritum, & inane, &c. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac literis conseruatoriis, quas omnes ad formam præsentis Constitutionis reduxit, in fauorem quorumcumque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Ioannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, aut cuiusuis alterius instituti, etiam necessario exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, ac piorum quorumcumque, tam Secularium, quam Regularium locorum, necnon illorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica; vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, priuilegiis quoque, etiam ex causa, & titulo oneroso, Indultis, & Literis Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet etiam per viam communicationis, seu extentionis concessis, & iteratis, vicibus approbatis, & innouatis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus, & formis specialis, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quæ præsentibus aduersantur, illis alias in suo robore permansuris, hac vice duntaxat specialiter, & expresse derogauit, cæterisque contrariis quibuscumque. Cæterum, vt præsens Constitutio facilius omnibus innotescat, Sanctitas Sua voluit, & mandauit, vt non solum in Cancellaria Apostolica, sed etiam ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in acie Campi Floræ publicetur, illiusque exempla in iisdem locis affixa dimittantur, ac in Quinterno Cancellariæ inter Constitutiones perpetuas describatur, & annotetur. Publicata fuit 20. Septembris 1621.*

Quæres 3. Quam potestatem habeant nunc Conseruatores;

Respond. Hanc, quæ exprimitur in dicta Bulla his verbis. *Ad hæc statuit Sanctitas Sua, vt coram ipsis Conseruatoribus regulares, ac personæ suprascriptæ conueniri quidem, aut trahi debeant, sed alios conuenire, aut trahere non possint, itaut memorati Conseruatores in causis, in quibus regulares, & alij actores fuerint, nullam prorsus iurisdictionem habeant, sed in iis tantum, in quibus rei extiterint; neque extra ciuitates, seu diœceses, in quibus fuerint deputati contra quoscumque procedere præsumant.* Hæc sunt conformia iuri communi, cap. Sane 5. cap. Si clericus 5. cap. cum sit 8. cap. fin. de foro compet. l. In criminali l. Iuris ordinem C. de iur. om. iud. quod actor debet sequi forum rei; quando igitur extraneus, & non religiosus rem habet contra religiosum debet causam prosequi coram Conseruatore, qui regularium iudex dicitur; è contra quando religiosus vult agere contra extraneum debet illum citare coram suo iudice, vt illi ministret iustitiam in hoc ergo casu Conseruator potius dicitur respectu rei, cuius iura tuetur, quam actoris religiosi, contra quem fert sententiam fauore secularis, sed quoniam non semper sententia fertur contra regulares, sed etiam quandoque contra seculares, iuxta quod merita causæ ferunt ex iustitia, ideo quia simpliciter iustitiam facit illi, cui debetur, Conseruator dicitur.

Quæres 4;

Quæres 4. An sit iudex in omnibus causis tam ciuilibus, quam criminalibus vertentibus inter religiosos, & extraneos?

6

Respond. Conseruator ex allatis verbis in præcedenti responsione non potest esse iudex nisi in causis ciuilibus in quibus religiosi conueniri possunt ab extraneis coram ipso. Quamquam alias procederent etiam in criminalibus ex iis, quæ refert *Tambur. tom. 3. disp. 17. q. 2. nu. 23. §. Octauo.*

Quæres 5. An quando aliqua controuersia est inter duos religiosos, vel conuentus diuersorum ordinum Conseruator possit esse inter illos iudex.

7

Respond. est illorum iudex, tum quia in citatis locis iuris, & Bullæ non arctantur personæ inter quas agendum est iudicium à Conseruatore, ergo neque nos coarctare debemus, vnusquisque ergo conueniendus est coram suo iudice Conseruatore, siue sit citatus à sæculari, siue ab alio religioso, aut conuentu alterius ordinis. Tum quia non est citandus coram suo superiore regulari, cum reputetur eadem persona cum superiore sine quo non potest in iudicio respondere, cum non habeat velle nec nolle, sed mortuus sit mundo, neque coram Episcopo, cum non sit eius iudex, à quo est exemptus, ergo restat, quod conueniendus sit tam conuentus quam religiosus coram suo iudice Conseruatore. Confirmatur quia aliter actor religiosus cogeretur agere suam causam coram iudice, qui simul esset iudex ex supposito casu, & pars, hoc ipso quod tractaret negotium sui monasterij, & religiosi, quod iure prohibitum est. Non nego tamen quin sæcularis, aut religiosus possit suam causam exponere coram superiore alterius ordinis contra illius religiosum subditum, si vult, quia in eo casu superior electus in causa præsumitur esse administraturus iustitiam fauore actoris contra suum subditum, si constat, eum esse vere reum, *Aldrete de exempt. regul. part. 1. cap. 7. num. 2. Barbosa de officio Episcopi Alleg. 105. num. 23. Compend. resol. 53. num. 16.* pro casu proposito, & *Mirand. tom. 2. q. 47. art. 12. qui art. 10. concl. 2. tenet cum Rodr. tom. 1. q. 65. art. 13.* de iure communi Conseruatores non posse procedere contra regulares in causis ciuilibus sed tantum coram suis superioribus. Sed standum est determinatis à Gregorio XV. & aliis summis Pontificibus, neque ius commune locis supracitatis negat nostris Conseruatoribus id, quod illis tribuimus per nostram responsionem.

8

Quæres 6. An Conseruator sit simpliciter iudex delegatus, an etiam ordinarius?

9

Respond. Vterque est, & delegatus à sede Apostolica, *cap. 1. de off. deleg. in 6. cap. Statutum de rescr. in 6. Anchar. consil. 132. num. 2. Iason consil. 145. lib. 4. Ruin. lib. 4. consil. 3. num. 1. apud Mar. Anton. lib. 1. Resol. 94. num. 7.* & ordinarius, cum sit constitutus ad vniuersitatem causarum; & eligatur à communitate, & conuentu, vnde magis comparatur iudici ordinario, quam delegato, aliis citatis docet *Tambur. tom. 3. disp. 17. q. 1. num. 4. Consect. tit. 4. de conseru. cap. 7.* Quare Conseruator cum sit ordinarius poterit suas causas alteri delegare, vt docent *Rodr. tom. 1. q. 65. art. 10. Mirand. tom. 2. q. 47. art. 3. Tambur. tom. 3. disp. 17. q. 1. n. 6.*

Quæres 7. An Conseruator possit procedere contra laicos debitores religiosorum? *Affirmant Ioan. Cruz. de statu relig. libro 2. cap. 10. dub. 5. con. 2. Portel. v. Conseruatores numero 7. Rodriq. tom. 1. quæstione 65. art. 12. Guido Papa quæstion 18. numero 7. quos pro se refert Diana Resolut. 20. tract. 1. de Immun. part. 2.*

10

Respond. Quamuis de iure communi cap. 1. & fin. de off. delegati in 6. iste casus contineatur sub iure Conseruatoris, cum vtrobique dicatur, Conseruatorē debere à manifestis iniuriis, & violentiis defendere, cum debitor negando soluere suo creditori dicatur illi facere iniuriam; tamen ex supra citata Bulla Gregorij, modo Conseruator non potest procedere contra debitores laicos fauore regularium, vt colligitur ibi: *Conseruatores in causis, in quibus regulares, & alij actores fuerint nullam prorsus iurisdictionem habent.* Hanc tenent *Ceuallos tract. de cogn. per viam viol. part. 2. q. 30. num. 16. Gutier. lib. 3 quæst. practic. q. 9. num. 8. Fuscus de Visitat. lib. 2. cap. 23. num. 5.* Immo iure communi cum istis videtur dicendum non posse, quia hoc ipso, quod negat debitum res fit dubia. *l. 3. C. quibus ad lit. procl. non lic. Glos. v. Tunc cap. Cum contingat 24 de secr.* consequenter Conseruator deberet procedere per indagīnem iudicialem, ad quam non se extendit iure communi eius facultas, vt clare dicitur locis citatis.

Quæres 8. An per Bullam Gregorij sublata fuit Conseruatoribus facultas defendendi regulares ab iniurijs, & violentiis sibi illatis, vt infecendis ab extraneis, quando deiiciunt à suis possessionibus, domibus, Ecclesiis, & impediuntur illis, & suis bonis vti, & frui &c.

11

Respond. Nequaquam, quia Papa per illa verba supra præcedenti quæstione allata per quæ extranei conueniri non possunt coram Conseruatoribus à regularibus, disponit tantum in casibus & aliis, quæ non habent adiunctam iniuriam, & violentiam; ne per suam Bullam aduersetur iuri communi, expedit enim iura iuribus concordari. In terminis *Tambur. tom. 3. disp. 17. quæstione 2. sine decisum refert.*

Quæres 9. An vnus religiosus possit alium eiusdem conuentus, vel alterius eiusdem ordinis conuenire coram Conseruatore?

12

Respond Non potest, Tum quia nullo iure id probatur. Tum quia religiosi intra eorum ordinem habent proprios iudices superiores, & prælatos sui ordinis tam in ciuilibus, quam criminalibus causis, ergo extra eos requirere non possunt.

Quæres 10. An Conseruatores criminaliter procedere possint in causis?

13

Respond. Non possunt, quia *in cap. Statutum 11 de rescrip. in 6. cap. 1. & fin. de off. deleg. in 6.* id non habetur. Ius igitur eorum est tantum procedere ciuiliter in causis, siue fauore religiosi uni contra extraneos, siue fauore laicorum contra religiosos.

Quæres 11. An Conseruator possit se censuris opponere contra manifestas violentias, & iniurias sui Episcopi prætendentis visitare Ecclesiam regularem, monasterium, aut fratres?

14

Respond. Potest, quando constat Episcopum nullum ius habere super visitatione regularium, vt accidit, quando nunquam visitauit, notoriæ enim sunt exemptiones regulariū à iurisdictione Episcoporum, qui si velint visitare nulli dubium est; inferre iniuriam, & violentiam ipsis regularibus, qui ideo defendendi sunt à suis Conseruatoribus. Nec obstat *Armend. lib. 1. tit. 18. lib. 7. de Episcopis numero 75. quem refert Barbosa ad cap. 8. sess. 7. num. 20.* asserens Episcopum visitantem regulares tanquam sedis apostolicæ delegatum in causis sibi in Tridentino concessis non posse impediri à Conseruatoribus, immo posse procedere contra impedientes, quia sermo est in casu nostro, quando Episcopus nullum ius habet, nam quod illud habet, certum est non posse impediri à Conseruatore, quia nulla adest violentia, aut iniuria contra regulares, cum Episcopus iure suo vtatur.

Quæres 12. An prælatus regularis possit esse Conseruator alterius ordinis?

19

Respond. Iure communi possunt esse Conseruatores tria genera personarum, constituti in aliqua dignitate Ecclesiastica, vel in personatu, vel in Canonicatu ex cap. Statutum 11. de rescr. in 6. & cap. fin.

de

de off. deleg. in 7. in cathedralibus, vel collegiatis Ecclesiis, non tamen in his canonicis; ac proinde cum abbates, & alij superiores regulares, etiam Mendicantes dicantur constituti in dignitate Ecclesiastica poterunt eligi in Conseruatores, vt docet *Portel v. Abbas num. 8. & part. 2. Casu 26. de Oliuetano Abbate Barbosa ad cap. 5. sess. 14. num. 6. Tambur tom. 3. disp. 17. q. 4.* iure vero constitutionis Gregorij XV. superius allatæ nullus in Conseruatorem eligi potest, qui non sit expresse nominatus, deputatus iudex in synodo Prouinciali, aut Episcopali.

Quæres 13. Quomodo eligendus sit Conseruator, & quamdiu duret?

16 Respond. Conseruator eligendus est à superiore locali cum suo capitulo, quia eligitur fauore totius monasterij, ergo ad eius electionem totus conuentus concurrere debet per illam regulam; Quod omnes tangit ab omnibus approbari debet. Durare autem per

17 quinquennium debet, infra quod tempus remoueri non potest, nisi ex legitima causa à sede apostolica, aut ordinarij locorum approbanda. Id totum colligitur ex Bulla; vnde an plus in capitulis prouincialibus, aut a superioribus maioribus mutari non possunt.

Quæres 14. An Eligentes, aut mutantes illum, seu cassantes etiam cum causa contra determinata in præcedenti quæstione incurrant aliquam pœnam.

18 Respond. Eligentes contra prædictam formam Conseruatorem, i. eum, qui non est expressus index in synodo, sunt ipso iure priuati voce vtraque cuius habilitationem sibi Papa reseruat. Nihil vero est contra illam mutantes, aut reuocantes statutum. Non obstante reseruatione in ea habilitat superior maior, quia idem Papa ex certa scientia eodem anno die 16. Octobris 1621. confirmauit omnia priuilegia regularium ad instantiam Theatinorum, & hoc fuit post editionem Bullæ de Conseruatoribus, quæ publica fuit eodem anno die 29. Septembris.

Quæres 15. An conseruator possit sub pœna excommunicationis citare religiosum, quia non vult comparere conuentus coram se in causa debiti proprij, vel monasterij, ad respondendum, vel testificandum in ea causa?

19 Respond. Potest, quia ex eo quod est legitimus Iudex à sede apostolica delegatus vti potest quolibet remedio, etiã censuris Ecclesiasticis pro expeditione causæ, *cap. Praterea 5. de off. deleg.* Vide quæ dixi initio hic.

Quæres 16. An regularibus soluere nolentibus debita Conseruator possit mandare subhastationem vel pignus tot bonorum etiam stabilium, puta agri, domus, &c. ad satisfaciendum creditoribus?

20 Respond. Potest, quando in pecunia numerata non potuit eos cogere, quia tunc enim alienatio tot bonorum, quot creditorum sit necessaria, non continetur sub prohibitione de rebus Ecclesiæ non alienandis, per iura, & doctores à me allegatos *Resol. 17. num. 7.* Confirmatur, quia id tenera non est alienatio, sed restitutio eius, quod alteri debetur.

Quæres 17. An necessario Conseruator debeat, vel possit interponere decretum in contractibus alienationis, seu alterius obligationis, quæ contrahit monasterium, seu Prior cum suo capitulo.

21 Respond. Non debet, nec potest, quia monasterium, seu Prior, & fratres eius non dicuntur minor, neque vt minor procedere in suis negotiis, cum sint maior, quando simul agunt, & contrectant ex probatis *Resol. 53. q. 9. num. 51.* Præterea Conseruator est iudex litium, non contractuum n. 55. Quare cum in aliis non sit eorum superior nec iudex decretum interponere non potest, quod supponit subiectionem ex parte cõtrahentium, & iurisdictionem ex parte decretantis, quo in hoc casu caret Conseruator.

Quæres 18. An impedientes Conseruatores ab exercitio sui officij sint excommunicati?

22 Respond. Affirmatiue per dicta sequ. Resolutione num. 10. vbi sub. num. 6. dixi ad eos pertinere monere Parochos, vt desistant ab impediendo regulares ne sepeliant cadauera cum habitu in suis Ecclesiis.

RESOLVTIO XCVI.

De censuris contra molestantes Religiosos.

SVMMARIVM.

1. *Molestantes Dominicanos sunt excommunicati.*
2. *Intrantes clausuram Cassinensium, & recipientes.*
3. *Prælatos molestantes, incarcerantes Fratres Minorum.*
4. *Molestantes Domin. & Franc. etiam in sepeliendis.*
5. *Impedientes elationem cadauerum ad suas Ecclesias*
6. *Conseruator monet eos de excommunicatione nisi desistant.*
7. *Onerantes etiam extraordinariè Tertiarios.*
8. *Prædicantes esse hæreticum dicere B. V. esse conceptam in originali.*
9. *Contemnentes priuilegia, & bona occupantes.*
10. *Conseruatores impedientes à suo officio.*
11. *Exigentes data, onera etiam ab eorum colonis.*
12. *Libellos edentes contra Domini. & Franciscanos.*
13. *Impedientes volentes ingredi ad Cassinenses.*
14. *Impedientes ingressum monialium, vel cogentes ad illum.*
15. *Extrahens professum nullam pœnam incurrit.*

NOnnullas referam excommunicationes, pœnas, & alias censuras contra qualcumque personas latas, quæ præsumunt, & audent iniuria, molestia, damno, aut alio quouis modo afficere, molestare, perturbare, & deprimere regulares, eorum bona, & monasteria. Quartum.

1 Prima fit contra inferentes iniuriam, aut damnabilem violentiam Ecclesiis, & locis regularium, à qua non possunt absolui nisi per Conseruatorem, de qua *dixi Resol. 76. numero 17.* Bullam incip. *In quibusdam*, Clem. VIII. extendit Confect. pag. 17. Quam de nouo pœnam intulit Bonifacius IX. sua Bulla incip. *Sacra religionis*, apud dictum Confect. pag. 27. afficienteos quoslibet cuiuscumque status; & conditionis audentes exercere damnabilem violentiam, aut violare illorum Ecclesias, siue loca; nomine autem loci veniunt non solum monasterium, sed etiam eorum bona stabilia, vt domus, agri, habitationes suorum colonorum, & grangiæ absolutio parte satisfacta dari potest à Conseruatore. Vtraque Bulla manauit fauore Prædicatorum, & communicatur aliis ordinibus, & si enim odia non communicantur respectu religiosorum, communicantur tamen fauore religionis contra seculares non religiosos.

2 Secunda est contra mulieres, & earum ductores præsumptiue, & recipientes Monachos Cassinenses voluntarie intra sua claustra, à qua monachi absolui possunt per suos Præsidentes, vel Visitatores Congregationis, ergo quo ad mulieres, & earum introductores est reseruata, quod enim de vno conceditur, de alio negatur, ex vulgaris iuribus. Habetur apud Confect. pag. 40. Bullæ Eugenij IV. incip. *Et si quaslibet.* Contra easdem mulieres præsumentes

cum licentia, vel sine licentia ingredi monasteria virorum adest alia excommunicatio reseruata per Pium V. in sua Bulla incip. *Regularium personarum*, apud Confect. pag. 214. iuncta alia eiusdem incip. *Romanum Pontificem*, apud prædictum pag. 218. Alia adest excommunicatio similiter reseruata contra quascumque personas prætextu licentiarum audentes ingredi monasteria monialium, ex Bulla Gregorij XIII. incip. *Vbi gratia*, apud dictum *Confect. pag. 237.* De his vide, *quæ dixi Resol. 76. de Clausura regularium, & resol. 95. de clausura monialium.*

Tertia excommunicatio non reseruata est contra Archiepiscopos, Episcopos, & alios ordinarios capientes, incarcerantes, perturbantes, vel molestantes religiosos, hanc statuit Nicolaus V. fauore Minorum, in sua Bulla incip. *Et si cunctorum fidelium*, apud Confect. pag. 43. Hæc Bulla suum non amisit vigorem per Decretum Tridentini sess. 7. cap. 14. sess. 25. cap. 14. quia primo loco loquitur de morantibus extra ordinem, secundo loco de morantibus intra, sed extra notorie delinquentibus cum scandalo, quod eorum superioribus negligentibus castigare, puniri possint ab Episcopis, iuxta quod dixi *Resol. 7. q. 9. pag. 60. & Resol. 68. ab initio ad num. 9.*

4 Quarta pœna contra molestantes regulares ordinum S. Francisci, & S. Dominici fertur à Sixto IV. in suo Marimagno incip. *Regimini vniuersalis ecclesiæ*, apud Confect. pag. 54. & pag. 66. vbi refertur his verbis. *Districtius inhibentes eisdem locorum ordinariis sub interdicti ingressus ecclesiæ, & suspensionis à regimine, & administratione ecclesiarum, & parochialium ecclesiarum rectoribus, & aliis quibuscumque sub excommunicationis latæ sententiæ, & priuationis earumdem parochialium ecclesiarum, ac omnium aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, quæ obtinent, nec non inhabilitationis ad illa, & alia in posterum obtinenda pænis eo ipso per eos qui contrafecerint incurrendis, ne ordines prædictos Fratrum Prædicatorum, & Minorum, ac illorum domos, & professores præter, aut contra Martini, Gregorij, & Eugenij, aut aliorum quorumcumque prædecessorum nostrorum, & præsentium literarum nostrarum tenorem, inquietare, molestare, & eos, aut testamentorum, vltimarumque voluntatum exequutores, & heredes prædictos, seu quoscumque alios directe, vel indirecte ad solutionem alicuius quartæ Parochialis, seu canonicæ, vel alterius portionis, seu oneris; & faciendum celebrari aliquod officium in eorum ecclesiis vel alibi, dum apud ipsos Fratres decedentium cadauera tumulantur, ante vel post eorum sepulturam cogere nec confessis dictis Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus pro tempore Eucharistiæ, seu Extremæ Vnctionis sacramenta sine rationabili causa denegare, vel illorum exhibitionem malitiose differre; aut eorum parochianis, ne dictis Fratrib. confiteantur prohibere, vel persuadere, nec etiam ad præmissa, seu aliquod præmissorum, auxilium vel fauore directe, vel indirecte quoquomodo præsumant.* Nomine ordinariorum locorum veniunt Episcopi, Vicarij, & alij administrantes, & officiales ordinarij, quibus prohibetur sub pæna interdicti ingressus ecclesiæ, & suspensionis à regimine ne dictos religiosos molestent. Parochi vero excommunicantur, & pariter sunt suspensi à suis beneficiis cum inhabilitate. Quo ad Quartam pæna non afficit, cum non amplius illud priuilegium sit in vsu, sicut alia multa. Vide ibi, & sequentem Bullam eiusdem Sixti IV. dictam Auream apud Confect. vbi illæ pænæ repetuntur.

5 Quinta est eiusdem Sixti IV. Bulla Incip. *Apostolicæ mansuetudinis*, apud Confect. pag. 81. in qua excommunicantur audentes impedire, ne cadauera defunctorum cum habitu Fratrum Minorum sepeliantur in eorum ecclesiis, illis verbis. *Districtius inhibentes prælatis, & rectoribus ecclesiarum sub excommunicationis pæna, quam canonica monitione præmissa contrafacientes incurrant, & à qua per alium, quam per Romanum Pontificem, & in mortis articulo dumtaxat, absolui non possint, ne aliter sepeliri volentibus quouis modo impedimentum afferant, sed permittant illos patenter ad ecclesias, & locum sepulturæ in habitu huiusmodi deferri, iure rectorum parochialium ecclesiarum semper saluo.* De hac pæna sufficienter dixi Resol. 51. q. 20. num. 48. & num. 54. respondi canonicam monitionem faciendam esse à Conseruatore, qui si absit, & pars velit cadauer deferre per eum ad propriam ecclesiam, tunc superior religionis, vel alius religiosus coram testibus potest ipse monitionem vnicam præmittere in faciem Parochi, prohibendo illi, ne cadauer ecclesiæ regulari debitum faciat deferri ad suam. Nec obstat, quod religiosus non sit iudex contra Parochum, quia id non facit vt iudex, sed simpliciter illum admonet de excommunicatione incurrenda si impediat, ne cadauer deferatur ad ecclesiam regularem. 6

7 Sexta est eiusdem Sixti IV. Bulla incip. *Sacrosancta*, apud Confect. pag. 82. contra officiales ciuitatum, communium, qui imponunt onera noua in d ea tam realia, quam personalia Fratribus, & Sororibus, non tamen coniugatis Tertij ordinis S. Dominici; eam autem incurrunt excommunicationem non reseruatam, si postquam moniti fuerint non resipuerint. *Vide quæ dixi de Tertiariis secularibus Resolut. 75.* qui non omnes gaudent priuilegiis, sed tantum illi, qui viuunt collegialiter, vel cum claustralibus, & sorores, quæ vouent continentiam. *Tambur. tom. 2. disp. 24. q. 4. num. 61.* refert eorum Bullam, vbi exprimitur forma professionis. Eiusdem tenoris est alia eiusdem Sixti Bulla pro Tertiariis S. Francisci, quam habes extensam in eorum Bullario, quæ erat communis etiam secularibus tunc temporis.

8 Septima excommunicatio reseruata habetur in extrau. com. Graue nimis, de reliq. & vener. sanct. & apud Confect. pag. 99. contra asserentes, eos esse hæreticos, & peccare mortaliter, qui dicunt B M.V. absque peccato originali conceptam fuisse; ea Bulla est Sixti IV. Pius etiam V. in sua Bulla incip. *Super speculum Domini*, apud Confect. pag. 232. sub pæna suspensionis à diuinis ipso iure & gradus, administrationis, & dignitatis officio sit priuatus cum inhabilitate à solo Papa dispensabilis ille, qui ausus fuerit in popularibus concionibus disputare de Cõceptione B. Mariæ Virginis. Paulus V. in Generali Congregatione S. Inquisitionis die 30. Augusti 1617. decreuit, ne quis deinceps auderet in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & aliis actibus publicis asserere eam fuisse conceptam in peccato originali. Postmodum Gregorius XV. prohibuit in Congregatione Generali die 20. Maij 1622. ne quis etiam in priuatis actibus de ea tractaret, & ordinauit, ordinarios locorum, & Inquisitores debere procedere contra transgressores; demum idem indulsit in sua Bull. incip. *Eximij*, Dominicanis, vt inter se in colloquiis priuatis possent de ea discurrere. *Vide Barbosam ad sess. 5. Tridentini Nald. v. Conceptio. Portel. v. Conceptio, & part. 2. casu 32. Rodr. tom. 1. q 57. cum suo Comp. Resol. 50.*

9 Octaua excommunicatio reseruata à Leone X. in sua incip. *Licet sponte*, apud Confect. pag. 136. ad instantiam Eremitarum S. Augustini, est contra contemnentes eorum priuilegia, atque eorum iura, & bona occupantes, nisi postquam moniti fuerint intra triduum paruerint.

10 Nona excõmunicatio reseruata Pij V. Bulla incip. *Ad hoc nos Deus*, apud Confect. pag. 205. cõtra impedientes Cõseruatores ab exercitio sui officij, & cõtra molestantes, perturbantes, iniuriantes, aggrauatores religiosos, vel eorũ res, & bona, exigẽtes ab eis gabellas,

daria,

datia, onera, collectas. Vt ibidem latius continetur sub pag. 210. Est ad instantiam Prædicatorum.

11 Decima eiusdem Pij V. Bulla incip. *Dum ad vberes* apud Confect. pag. 101. nulli reseruata, contra exigentes vestigalia, gabellas, & quæcumque onera imponentes tam ordinaria, quam extraordinaria eorum bonis, & rebus, etiam in reparandis pontibus, in viis, muris, & hospitiis, eorum colonos aggrauantes, vt in ea latius continetur. Sed potentia magnatum, & eorum iniquitas has exemptiones manducat, & absorbet in propriam damnationem.

12 Vndecima contra prædicatores audentes prædicare Dominicanos, & Franciscanos non esse in statu perfectionis, vel eis nó licere viuere ex eleemosinis; neque audire confessiones cum sola licentia Papæ; de ea reseruata Papæ agit S. *Anton. part. 3. tit. 24. cap. 70. Caiet. cap. 81. Nauar. cap. 27. num. 109.* Item libellos famosos edentes contra illos; item impedientes ne celebrent in suis ecclesiis, *Catalogus excom. cap. 9. num. 27.*

13 Duodecima contra prohibentes, molestantes, vel impedientes volentes ingredi in ordinem S. Benedicti, per Bullam incip. *Et si ad vniuersas apud Vinald. excom. 45. & reseruatur.*

14 Decima tertia nulli reseruata in Tridentino *sess. 25. cap. 18.* contra eos, qui impediunt sine causa aliquam puellam, vel viduam à susceptione habitus religionis, vel coguot eas ad illum suscipiendum. Eam explicaui *Resol. 54. q. 46. num. 144.* Vide Barbosam *ad hoc caput, & Peyrin. de Subd. q. 1. cap. 19. Homob. part. 4. n. 23.* Extrahens autem professum à religione licet peccet mortaliter non tamen aliquam incurrit censuram, neque tenetur ad restitutionem, aut pro ipso ingredi, vt probat *Beia part. 2. casu 3.*

15

RESOLVTIO XCVII.

De Monasteriis, & Conuentibus.

SVMMARIVM.

1 *Conuentus, & Abbas diuersa.*
2 *Conuentus in quo sunt superior & fratres.*
3 *Patronum secularem habere potest.*
4 *Conuentus fit ex duobus, vel tribus.*
5 *Diuisis conuentibus diuiduntur bona.*
6 *Domus venerabilis dicitur.*
7 *Omnes conuentus præsumuntur de diœcesi.*
8 *Exempti omnes etiam quo ad se.*
9 *Carceris speciem habet.*
10 *Conuentus inter se diuisi olim sine vno capite.*
11 *Collegiata nomine non venit.*
12 *Exempto conuentu etiam ecclesia.*
13 *Construi si non potest in loco designato in alio ab Episcopo.*
14. *Ecclesia nomine venit in fauoribus.*
15 *Prioratus non venit nomine monasterij.*
16 *Territorium est prelati.*
17 *Recipiendi de nouo quomodo sint.*
18 *Hospitium non accipitur sub illis formis, quibus conuentus.*
19 *Conuentus sine 12. fratrib. non subduntur ordinario.*
20 *Numerus duodenarius fratrum est antiquissimus.*
21 *Mutatio conuentus in alium locum non est noua receptio.*

Monasterium dicitur respectu monachorum, conuentus vero respectu fratrum, dixi *Resol. 52. num. 360. ibidem sub num. 353.* eius etimologiam explicaui, & ad quæ se extendat num. 354. quas partes includat num. 355. dicitur monasterium licet ibi vnus sit monachus ex significatione vocabuli n. 361. Conuentus vero in quo est superior cum fratribus *Resol. 85. num. 41.*

Quando est in fieri non subditur clausuræ, *resol. 76. num. 21. & 85.* importat in Bullis superiorem cum suis consiliariis, *ibid. num. 56.* Soli conuentus formales sunt subiecti clausuræ num. 81. Conuentus & abbas diuersa sunt, *cap. Edoceri 21. de rescr.* conuentus ille vocatur in quo sunt superior, & fratres, licet obseruantia non sit regularis *Rota Rom. vol. 1. decis. 208.* Conuentus habetur loco filij *Sanch. lib. 7. cap. 16. n. 3. Ego Resol. 55. num. 21.*

1
2

3 Conuentus potest habere patronū secularem, *cap. Monasterium 16. q. 7.* à quo auferendum non est, *cap. red. & 31. eod. Abb. consil. 59. Mar. Anton. libro primo resol. 20. fine;* Conuentus nomine non venit ille, qui est in fieri; vnde talis locus neque clausuræ subditur, *Portel. v. Monasterium, Add. n. 1.* Conuentus fit ex duobus, vel tribus fratribus, *Glos. v. Vbi congregatio cap. 1. 10. q. 1.* Permutatio fit de conuentu in conuentum *cap. Nemini 37. 16. q. 7.* mutari potest in alium locum, *cap. Si quis 38. 16. q. 7.* Monialium conuentus à monasteriis regularium longe ab inuicem distare debet, *cap. Monasteria 23. q. 2.* diuisis conuentibus diuiduntur bona, *cap. In nullo 22. 18. q. 2.* Conuentus regulares cum suis bonis perpetuo sunt religiosorum, vt non possint esse clericorum, *cap. Quæ semel 4. 19. Megal. consil. 51. num. 3. q. 3.* Conuentus dicitur domus venerabilis, *cap. Quoniam 5. 19. q. 3.* Loca Monachorum olim extra ciuitates erant *cap. Monachum 3. 20. quæst. quart.* Conuentus omnes præsumuntur esse de diœcesi *Rota apud Tambur. tom. 3. decis. 47.* tamen modo omnes sunt exempti non solum quo ad personas, vt voluit Suar. sed etiam quod ad se, *Bon ac. d. 1. de claus. quæstione 2. p. 15. num. 18. Diana part. 2. tract. 5. resol. 74.* Conuentus habet speciem carceris. *Nau. consil. 3. de iis quæ vi. num. 8. Glos. v. auferenda cap. 32. de præbend. in 6. cap. Placuit 16. q. 1. cap. Vt fama, de sent. excom.* Monasteria olim non faciebant vnum corpus, sed singula singulis subiiciebantur Episcopis, *cap 1. cap. Si quis Abbas, cap. Abbates 18. q. 2. Nau. tom. 2. com. 4. de regul. num. 22.* Monasterium non venit sub nomine Collegiatæ dicit *Compend. resol 25. n. 10.* neque eius ecclesia *ex Clem. 1. de celebr.* vbi Cathedralis, regularis, & collegiata ecclesia, diuersa sunt, non venit in odiosis, *Rodr. tom. 1. q. 43. art. 12.* nihilominus vocatur collegiata *in Clem. 2. de ætate, & in Trident. 22. cap. 4.* ibi: *In cathedralibus, vel collegiatis secularibus, vel regularibus ecclesiis,* Ecclesia censetur exempta, si monasterium sit exemptum, *Glos. v. Exemptio cap. 1. de priuil. in 6. ibi Archid. Mar. Socinus in c. Recepimus, de priuil. num. 97 Rota Rom. vol. 2. decis. 54. num. 11.* Conuentus, qui in loco designato construi non potest, in alio autoritate Episcopi fundari potest. *Barbosa part. 3. de Episc. Alleg. 83. num. 3.* Monasterium in odiosis non venit sub nomine ecclesiæ *Glos. in cap. 2. de suppl. negl. prælat. in 6. v. Monasterium per cap. 12. de elect. in 6.* vbique in fauorabilibus *ex cap. 6 5. Quod autem dist. 54.* monasteria collapsa restaurantur sine licentia Episcopi, *Cuchus in suis instit. moral. lib. 2. tit. 6. num. 51.* Monasterij nomine non veniunt prioratus, *Feder. consil. 145.* sed illa, quæ habent Abbatem, *Verallus part. 2. decis. 84. num. 2. & 5. decis. 225.* Monasterium dicitur territorium Abbatis *Cardin. in Clem. 1 de statu mon. num. 1 Verall. cit. decis. 225. num. 3.* monasterio Episcopus curam designare potest, *cap. Si Episcopus 71. 12. q. 2. cap. Bona 72. ead. cap. fin. ead.*

4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16

17 Conuentus de nouo acquiri, seu fundari non potest in aliquo loco, seu ciuitate, nisi certis adhibitis requisitis, & licentiis, nam primo requiritur licentia Episcopi, *cap. Quidam 10. cap. Qui 11. cap. De* monachis

monachis 12. & *seq* 18.9.2. *Auth. Ea quæ,* §. *Vt nullus fabrices, Collat.* 5. *Tridentinum sess.* 25. *cap.* 3. Secundo olim requirebatur etiam licentia Papæ *cap.* 1. *de de excess. prælator.in* 6. *cap.Vn de relig. dom. in* 6. postmodum religiosi obtinuerunt priuilegium recipiendi noua loca cum sola Episcopi licentia, de quibus *Barbosa ad cap.* 3. Tridentini allegatum ad finem, *Tambur.tom.*3. *disp.*5. *q.*1. vnde quia Episcopi passim indulgebant regularibus, statuit, Clem. VIII. in sua incip. *Quoniam*, ne alicui licentiam concederent Episcopi nisi vocatis, & auditis aliorum conuentuum superioribus, & aliis interesse habentibus, & causa cognita petentes posse admitti sine detrimento aliorum. Deinde Gregorius XV. in sua incip. *Cum alias*, statuit, vt deinceps regulares nouos non reciperent conuentus, nisi in eis saltem duodecim habitarent religiosi, qui possent viuere de redditibus, & consuetis eleemosinis, vocatis prius, & auditis aliis religiosis circumuicinis etiam per quatuor milliaria, & eorum consensibus habitis in huiusmodi receptione nouorum conuentuum; Demum Vrbanus VIII. in sua incip. *Romanus Pontifex*, quascumque licentias hactenus concessas recipiendi conuentus non seruata forma prædictarum, constitutionum reuocauit, & cassauit. Has autem Bullas extendit *Tambur. tom.*3. *disp.*5. *in fine q.*1. *aliquid Nald.v. monasteria.*

18 Sed an volentes recipere hospitium teneantur obseruare formam dictarum constitutionum? Respond. Non. *Riccius decis.*652. *apud Barbosam pag.*264. *in suis Aphorismis.*

19 Scio in decretis de celebratione missarum decerni, vt conuentus, denouo recipiendi, in quibus non possunt sustentari duodecim Fratres, subdantur omnimodæ iurisdictioni Episcopi, in cuius diæcesi locum receperunt regulares; sed hactenus nemo regularium loca, seu conuentus ita recepit.

20 Vsus numeri duodenarij Fratrum in conuentibus est antiquissimus, & vigebat tempore Burcardi Episcopi Herbipolensis, qui monasterium ædificauit, dotando illud tot redditibus, quibus possent duodecim religiosi sustentari; erat iste Episcopus ex ordine S. Benedicti, & obiit in Domino anno 791. cuius corpus Berceti; quod est Castrum Rubeorum nobilium Patmensium situm in diæcesi Parmensi, requiescit, & magna in veneratione habetur. Lege eius vitam in Theatro Sanctorum Parmæ nuper edito ab eruditissimo & pientissimo viro Ranutio Pico à secretis Seten. Ducis Parmæ, & amicissimo nostro. De hoc numero duodenatio religiosorum vide *Rodr.tom.*1.*q.*55.*art.*6. *Nald. Religiosus* 47. *extrau.tom. Vas electionis de regul. Clem. Ne in agro,* §. *Rursus. Alios doctores citat Barbosa ad dictum cap.*3.*sess.*25.*num.*17.

Numerum certum clericorum in ecclesiis, ne ad inopiam deducerentur, voluit Iustin. imperator in suis nouellis constitutionibus Auth. Vt determinatus sit; & in alia Aut. de mens. ordin. cler. statuit, quod numerus antiquitus clericorum seruaretur, & nullo casu augeretur, nisi per mortem donec ad antiquum numerum peruenitetur.

21 Mutatio conuentus ab vno ad alium locum eiusdem conuentus non est acquisitio noui conuentus, docet *Rodr.tom.*2.*q* 49.*art.*9. neque si ad derelictum à se reuertantur post multum tempus contra *Peyrin. tom.*2.*ad constitut. finem Gregor. XV. Vide Resol.*65. *num.*15.

RESOLVTIO XCVIII.

De Suspensionibus contra Religiosos.

SVMMARIVM.

1 *Suspensio censura ecclesiastica.*
2 *Officio, & beneficio priuat.*
3 *Suspensus simpliciter, ab omnibus.*
4 *Suspensio in dubio importat ab ordine.*
5 *Suspensus non eligitur, quando eligat.*
6 *Non præsentatur.*
7 *Suspensus ab homine non eligit, vtique à iure.*
8 *Suspensus nominatim non potest suspendere.*
9 *Suspensus ab officio, vbique, non à beneficio.*
10 *Suspensio à diuinis quid.*
11 *Suspendi non potest totus conuentus.*
12 *Superiores possunt suspendere.*
13 *Matrimonio coniungentes, & benedicentes suspensi à sacerdotio.*
14 *Pœna antiqua non tollitur per nouam, nisi ius corrigatur.*
15 *Apostata ordinatus sacris ab eo suspensus.*
16 *Recipientes ad professionem infra annum probationis.*
17 *Alienantes præsidentes monasteriorum.*
18 *Vsurpantes sibi decimas.*
19 *Monachos nigros vtentes habitibus contra formam.*
20 *Eosdem venationi incumbentes.*
21 *Retrahentes à legatis faciendis matrici, &c.*
22 *Licentiantes non sibi subditos etiam ad primam tonsuram.*
23 *Introducentes mulieres intra claustra.*

1 SVspensio est secunda censura ecclesiastica, quæ impedit clericum ab exercitio sui officij, & beneficij, ex communi doctorum. Officium autem aliud ordinis, vt administrare sacramenta, aliud iurisdictionis, vt absoluere, excommunicare, suspendere, conferre beneficia. Nomine beneficij venit canonicatus, parochiale, episcopale, & apud Regulares eorum prælaturæ, &c. Clericus autem potest suspendi ab vno, & non ab alio, vt si quis suspendatur ab administratione vnius sacramenti, alia potest exercere; simpliciter autem suspensus intelligitur à omnibus functionibus tam officiis ordinis, & iurisdictionis, quam beneficij, quando nec ex verbis, neque ex intentione suspendentis aliud colligi potest. *Sayr. lib.*4. *cap.*4. *num.*2. *Sigism. de elect. dub.*67. *num.*6. *vbi citat Ioan. Andr. Imol. in cap. Cum dilectus. de elect. Felin. in cap. Apostolica, de except. Lanor. in.* 4. *de elect. cap.*15.*n.*62. sub nomine suspensionis in dubio venit ea quæ est ab ordine *ex Gemin. in cap.*1.§. *Eos vero, de temp. ord. in* 6. *ibi Franc. num.*3.

5 Suspensus non potest eligi, nec eligere cap. Cum dilectus, de consuetud. *cap. Si celebrat, de cler. excomm.* neque præsentari *Lambert. lib.*2. *de iurepatr. p.*1. *q.*9. *art.*2. *Henr. lib.*13. *cap.*32. *licet defectus sit occultus Tolet. lib.*1. *cap.*14.*n.*15. *Nau. cap.*27.*n.*163.§. *Septimo*, intellige non posse præsentari ad eum ordinem, à quo fuit suspensus, vtique ad alios, vt ad diaconalem, si fuit suspensus, vtique ad alios, vt ad diaconalem, si fuit suspensus à sacerdotali præbenda, *Abb. in cap. Cum bone; de ætate n.*6. *Mar. Anton. l.*1. *resol.* 19.*n.*6. *Glos. in dictum cap. Si celebrat*, distinguit inter suspensionem ab homine, & à iure, quod suspensus ab homine non potest eligere, vtique vero suspensus à iure, *Vide quæ dixi resol.* 61. *num.*16. & 18.

8 Suspensus autem non potest suspendere, intellige quando est nominatim suspensus, *Glos. v. A suspensis in fine citati cap. Cum dilectus* 8. *de consuetud. per cap. fin. de. excess. prælator. Suspensus ab officio, vbique*

intelligitur

intelligitur suspensus, non vero si sit tantum suspensus à beneficio, *Glos. v. In ipsa ecclesia. cap. Cupientes 16. prope finem de elect. in 6.* Suspensus à diuinis à quibus sit suspensus docui *resol. 76. n. 45.* & quomodo differat ab ingressu Ecclesiæ, & suspensione *resol. 78. n. 187. & 188. Vide Sayr. lib. 4. de censur. cap. 5. n. 26. Portel. v. Suspension. 5. Barsola v. eod pag 304. Bonac. p. 2. de susp. num. 16. Lupus de casibus. Bergomi part. 1. dist. 15. diff. 2. num. 6. Scrosa in suis Solutionibus.*

11 Suspendi non potest totus conuentus *resol. 78. nu. 93.* quodnam peccatum supponat, *resol. ead. n. 126. & 127.* suspensio secum trahit executionem *resol. 76. n. 51.* Suspensio dupliciter spectatur vt censura, & vt pura pœna, quo sensu non præ requirit monitionem. *Resol. 78. n. 177.*

12 Superiores non solum maiores, verum etiam locales possunt ferre censuram suspensionis ab homine, & à iure maiores in suis statutis, & constitutionibus, vt docui *Resol. 78. num. 27. & 28.* Sed deueniamus ad suspensiones iure latas contra religiosos.

Prima est contra religiosos in matrimonio coniungentes, aut benedicentes sponsos sine licentia parochi lata in Tridentino sess. 24. cap. 1. ibi: *Ipso iure tandiu suspensus maneat, quamdiu ab ordinario eius parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio accipienda erat, absoluatur.* Videtur esse suspensio simpliciter, consequenter ab omnibus tam ab officio, quam beneficio, *vt vult Catalogus Suspensionum cap. 3. num. 19. Suar.* dicit esse tantum ab officio sacerdotali, quod magis placet, quia in eo de iure quis puniendus est in quo deliquit. Eam non incurrit, qui bona fide benedixit, quia Tridentinum vtitur verbo *ausus fuerit.*, quod importat temeritatem, *glos. Audacia l. Si quis in tantam C. Vnde vi*, vnde escusat. ignorantia etiam crassa, *Sanch. lib 3. disp. 48. num. 7. Barbosa ad hoc cap. num. 190.*

13 An autē solemnizantes hoc sacramentū incurrant excommunicationem, de qua dixi *Resol. 94. n. 9. afferunt Nau. consil. 10. de constit. Sanch. lib. 3. disp. 28. n. 8. & 9. Compend. Rodr. resol. 93. n. 6. quos & alios citat Barbosa ad hoc cap. 1. sess. 24. n. 188. qui n. 189.*

14 refert alios negantes *Henr. Sayr. Bonac. & Pontius. Pro* primis facit quia plures pęnæ ex diuersis iuribus omnes seruandæ sunt, nisi appareat vnum ab alio corrigi, *Bart. in l. 1. ff. de vi bon. part. Felin. in cap. Quod olim, de iud. num. 2. Gomez tom. 3. Var. in cap. 1. num. 38. concl. 2. Bossius in sua praxi tit. de offic. corrup. num. 10. Clarus lib. 5. pract. crimin. §. fin. qu. 85. §. Debet etiam iudex. Pro secundis facit Gregor. Lopez l. fin. v. A. ferro. tit. 3 part.* dum dicit antiquam pœnam locum non habere, quando lege noua imponitur alia minor pœna. Prior videtur firmior, quia constat de pœna, & non de eius correctione; sua probabilitate non caret posterior, quia ex minori pœna videtur sublata maior. Demum nota, quod Clem. 1. de priuilegiis imponit excommunicationem solemnizantibus, quod iuxta glosam importat præcise benedictionem, tunc enim temporis erant in vso matrimonia clandestina, vnde actio coniunctionis in matrimonium tunc non spectabatur, vt fit nunc per Tridentinum eodem cap. 1. sess. 24. vbi duæ actiones sub suspensione prohibentur, coniunctio in matrimonium, & benedictio sponsorum, vnde cum ius nouum sit diuersum ab antiquo, mirum non est, si vtraque pœna subsistit.

15 Secunda suspensio est contra professos in apostasia suscipientes aliquem sacrum ordinem, eo ipso enim sunt suspensi ab executione eius ordinis, quem susceperunt ex cap. fin. de apostatis *Vide resol. 41. num. 22.* Nonnulli cum *S. Anton. part. 3. tit. 27. de Suspens. cap. 4. Silu. ordo 5. q. 6.* tenent suspensionem hanc incurri etiam in receptione ordinum minorum; sed reuera textus loquitur solum de ordinibus sacris, cap. fin. de apost. ibi. *Aliquem sacrum ordinem in apostasia recipiens.* Quamuis sit Papæ reseruata, in ea tamen dispensant prælati regulares virtute suorum priuilegiorum.

16 Tertia suspensio contra Mendicantes ante completum annum probationis recipientes, ad professionem nouitium cap. Non solum cap. Constitutionem de regul. in 6. de qua, quæ est pura pęna non suspensio, satis *dixi Resolut. 57. q. 20. Agunt de ea D. Anton. part. 3. tract. 27. de suspens. cap 4. Silu. q. 6. Tabien. n. 7. Nau. cap. 27. n. 157.* Ab ea absoluit superior, *vt ibidem docet Glosa.*

17 Tertia suspensio ab officio habetur cap. 1. Clem. de reb. Eccles. non alien. contra religiosum præsidentem alicui prioratui, monasterio, vel Ecclesiæ, siue administrationi, si alicui ad vitam concedat, vel ad certum tempus iura, redditus, aut possessiones eiusdem religionis sine necessitate, aut vtilitate, & sine consensu capituli si habeat, vel sui superioris, si capitulo careat. Excludit textus locationes, & venditiones fructuum, & redditum. *Vide Sayr. lib. 4. cap. 23. n. 11. alios citans.*

18 Quarta suspensio ad officio, & beneficio in Clem. 1. de decimis, est contra sibi appropriantes, vel vsurpantes decimas, &c. si intra bimestre non satisfecerint; si non sunt clerici incurrunt excommunicationem, de qua dixi *resol. 94. n. 20.*

19 Quinta contra monachos nigros in Clem. 1. §. *Si quis autem*, de statu monach. non vtentes habitu & vestitu iuxta formam ibi præscriptam, abbates enim & priores à beneficiorum collatione per annum suspenduntur, alij Inferiores ab administratione, si quam habent; si nullam redduntur inhabiles ad eam, & beneficium recipiendum per annum inhabiles sunt.

20 Sexta contra eosdem monachos nigros venationi, aucupationi clamosæ, seu cum canibus, aut auibus interessentes abbas & prior per triennium à collatione beneficiorum sunt suspensi, interim deuoluta collatione ad priorem claustralem cum assensu maioris partis sui conuentus; alij sunt suspensi, seu inhabiles sicut supra dictum est in præcedenti. *Clem. de statu mon. §. Si quis autem. Vide Sayr. libro 4. cap. 13.*

21 Septima est suspensio ab officio lata in Clem. Religiosi, de priuil. contra prælatos retrahentes testatores à legatis faciendis matrici Ecclesiæ; vel à restitutionibus debitis faciendis, vel procurantes sibi dari incerta, aut suis religiosis, aut conuentibus; durat autem vsque ad factam satisfactionem si intra mensem non satisfecerint. Intellige prædicta cum effectu. De incertis autem nondum applicatis habent & ipsi priuilegia applicandi sibi illa, *de quibus resol. 6. n. 18. tom. 1.*

22 Octaua suspensio ab officio, & beneficio per annum est contra Abbates, & superiores licentiantes ad ordines non suos subditos, ex c. 10. sess. 23. de qua vide *Toletum lib. 1. cap. 49. n. 5. Sayr. lib 4. cap. 13. n. 5.* Intellige ad quoscumque ordines, etiam ad primam tonsuram vt colligitur clare ex eo capite.

23 Nona suspensio, quæ est à diuinis cum priuatione beneficiorū, & inhabilitate, fertur, à Pio V. Bulla incip. *Regularium*, apud Confect. pag. 214. contra introducentes mulieres intra monasteria, de qua satis *dixi Resolut. 76. n. 37.*

RESOLVTIO XCIX.

De anno Nouitiatus.

SVMMARIVM.

1 *Nouitiatus præmittitur professioni.*
2 *Incipit finita pubertate.*
3 *Puella maior duodecim esse debet.*
4 *Malitia non supplet ætatem.*
5 *Nouitiatus ante pubertatem cæptus non valet.*
6 *Annus vnicus exigitur, & sufficit.*
7 *Integer secundum cursum solis.*
8 *In dubio censendus integer.*
9 *Incipit à receptione habitus in loco.*
10 *Extra vero ab introductione in locum.*
11 *Qui probantur in proprio habitu incipiunt ex pacto.*
12 *Quando incipiat currere Nouitiatus Hierosolymitani.*
13 Necessarium est *importat formam substantialem.*
14 *Vbi est ordo ibi forma substantialis.*
15 *Gestatio habitus de forma Nouitiatus.*
16 *Habitus gestatio asperitas est.*
17 *Habitus distinctio non est necessaria.*
18 *Hierosolymitani præter Crucem habitum non habent.*
19 Habitus non facit monachum. *explicatur.*
20 *Renuntiari non potest anno nouitiatus.*
21 *Nouitiatum facere omnes tenentur.*
22 *Transeuntes etiam ad secunda vota.*
23 *Hierosolymitani quoque.*
24 *Responsio Sacræ Congregationis.*
25 *Militares alij non tenentur.*
26 *Tertiarij seculares non tenentur.*
27 *Conuersi non tenentur.*
28 *Continuatio est de essentia nouitiatus.*
29 *Dictio* Per *importat tempus continuum.*
30 *Verbum* stare *indicat firmitatem.*
31 *Nouitiatus non continuatur professioni.*
32 *Finito nouitiatu redit ad patriam.*
33 *Conuentus deputatus est de essentia Nouitiatus.*
34 *In eo stare debet Nouitius per annum.*
35 *Nouitiatus perficitur in duobus locis deputatis.*
36 *Ab omnibus fit in loco deputato, exceptis.*
37 *Milites Hierosolymitani habent locum deputatum.*
38 *Imitatur eorum ordo alias Religiones.*
39 *Nouitiatus extra de licentia peragitur.*
40 *Etiam à Hierosol. in Carauanis.*
41 *Etiam à moniali egressa causa infirmitatis.*
42 *Nullus sine experientia substantialium.*
43 *Austeritates omnes non sunt probandæ.*
44 *Minus semper infirmus comedens carnes non satisfacit.*
45 *Hierosol. omittens carauanas non satisfecit.*
46 *Repetendus est Nouitiatus quando irritus fuit.*
47 *Cogi ad id potest reuertens.*
48 *Responsiones S. C. referuntur.*
49 *Mutatio morum facit repetere Nouitiatum.*
50 *Onus renouitiandi apponi potest.*
51 *Maxime in ordine Hierosolym.*
52 *Professio attentata pacto non adimpleto nulla est.*
53 *Transiens tenetur ad Nouitiatum.*
54 *Non reuersus.*
55 *Neque ratificans.*
56 *Eiectus cogitur ad renouitiandum.*
57 *Dimissus cogi potest.*
58 *Dicta de Nouitiatu locum habent apud Moniales.*
59 *Repetitio Nouitiatus vbi facienda.*

1 ANte professionem requiri annum nouitiatus, seu probationis est certissimum apud omnes, & est vsus antiquissimus religionibus coæuus, nam 15. annus exigitur etiam ex Regula D. benedicti cap. 58. & ante illum Magnus Basilius Interrogat. 15. *& colligitur ex cap. 1. & 3 17. q. 2. cap. Monasterijs 6. 19. q.* 3. & id manifeste testatur Innocent. III. in cap. Ad apostolicam 16. de Regular. illis verbis. *Tempus probationis à sanctis fit indultum non solum in fauorem conuersi. i.* Nouitij, *sed etiam monasterij, vt ille asperitates istius, & istud mores illius valeat experiri.* In Tridentino *sess. 25. cap. 15.* ita decernitur. *Nec qui minore tempore, quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur.*

De nouitiatus anno plura dixi cap. 4. & Resolut. 54. de Nouitiis, vbi resolui q. 1. Nouitiatum diuidi posse ab vno ad alium conuentum. Item q. 20. peragi ex parte extra locum de licentia superioris ex iusta causa. Item q. 32. ad curandam extra infirmitatem etiam maiori parte anni. Item q 54. Nouitiatum coacte factum valere. Item q. 63. Transeuntem vbique nouitiari posse. Item. q. 68. recensui casus, in quibus Nouitiatus est nullus. Item q. 69. Nouitiatum absolutum extra occasione belli tenere. Item q. 70. ex nullitate Nouitiatus inferri nullitatem professionis. Item q. 71. de Nouitiatu Conuersi facti clerici. Itẽ q. 67. Trãseuntem teneri ad integrum annum. Demum, professionem emissam ab infirmo infra annum probationis non tenere q. 4. eiusdem resolutionis. Sed accedamus ad quæstiones.

Quæres 1. In qua ætate peragendus est annus probationis.

2 Respond. Finito anno 14. ætatis incipit esse tempus aptum ad probationem quoad masculum, quoad fœminam vero finito duodecimo anno suæ ætatis; ita quod malitia non potest supplere ætatem; neque inceptus antea quicquam prodesse potest ad valide profitendum.

Prima pars de nouitiatu non incipiendo per masculum, nisi post decimum quartum annum, probatur ex *cap. Ad nostram 8. de Regular. Clem. 2. de Regul. ibi gl. v. ætate, Ratio est,* quia ea ætas apta est ad experiendum incentiua libidinis, & iuuenis dicitur constitutus in perfecto vsu rationis. Ita Sanch. *lib. 5. cap. 4. num. 22. Bonac. q. 2. de claus. p. 10. diffic. 2. §. 2. num. 2. Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 2. num. 5.*

3 Secunda pars de fœmina habetur ex Tridentino sess. 25. cap. 17. ibi: *Puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit; non ante eum suscipiat.* Ita Rodr. *tom. 3. q. 12. art. 2. Vecch. disp. 2. dub. 6. num. 16. ad finem, Nald. v. monialis 5. ex illis Barbosa hic num.* 2. Contrarium docent *Medina, Mirand. Suar. Portel. & alij apud dictum Barbosam, cum quibus & Sanch. lib. 4. cap. 18. num. 33.* probans adducendo textum Tridentini. *Sancta Synodus statuit, vt si puella, quæ habitum regularem suscipere voluerit, maior duodecim annis sit, non ante eum suscipiat, nec postea ipsa, vel alia professionem emittat, quam explorauerit Episcopus virginis voluntatem.* Primo, quia in hoc textu nihil disponit de ætate in ordine ad probationem, cum loquatur sub conditione, quæ nihil ponit in esse; secundo, quia particula illa *vel alia* non poterit referri nisi ad aliam puellam minorem ætatem, ergo Concilium potius admittit in minori ætate posse puellam probari. Sed contra est, nam conditio nihil ponit in esse, quando ad eam non sequitur aliqua dispositio, hic autem sequitur, nam dicitur *Non ante eum suscipiat.* i. ante annum duodecimum, & sic patet ad primum. Ad secundum dico, illam particulam *alia* referri ad fœminas non puellas, istæ enim examinandæ sunt, an coactæ, an seductæ, an sciant quid agant, vt dicitur in textu, non enim solæ puellæ coguntur, & seducuntur, sed quandoque etiam iuuenes annorum septemdecim, aut viginti, &c.

4 Tertia pars de malitia non supplente ætate habetur à præcitata gl. v. ætate Clem. 2. de Regular. & docent supra allegati.

Quarta

5 Quarta demum pars, quod non suffragetur nouitiatus antea inceptus constat ex hactenus adductis, quia puella, & pueri sunt incapaces experimentorum, in quibus fundatur essentia probationis, ergo tunc nihil prodest. Verum quidem est, quod cum nouitius non possit profitere nisi expletis sexdecim annis, pro nouitiatu eiusdem computatur tempus illud, quod intercedit ab impleta pubertate vsque ad complementum sexdecim annorum.

Quæres 2. An requiratur vnus annus, & sufficiat ad valide profitendum?

6 Respond. Vnus annus *ex cap. Consaldus 1. 17 quæstione secunda, cap. Ad Apostolicam 16. de Regular. concil. sess. 25 capitulo* 15. requiritur, & sufficit, vt in dictis textibus exprimitur, quod verum est, siue ingressurus sit notus, siue incognitus; quia iura prælibata non distinguunt, neque ideo nos distinguere debemus, si quidem per vnum annum sufficienter probantur mores, & vita etiam personæ incognitæ. Quare *cap. Monasteriis 19. quæst. 2. de biennio, & cap. Si quis 18. quæstione secunda de triennio*, iam sublata, & correcta fuerunt per subsequentes leges, & in hoc omnes conueniunt.

Quæres 3. An iste vnus annus debeat esse integer quo ad numerum, & cursum naturalem?

7 Respond. Affirmatiue, quia annus non est, nisi cursus 365. dierum, & aliquot horarum, nimirum quasi sex, quia desunt nonnulla minuta, & cum sex horæ quadruplicatæ constituant vnum diem naturalem, ideo vnicuique quadriennio, qui dicitur bisextilis additur vnus dies, & sic ille annus constat ex 366. diebus. Si ergo non solum vnus dies, sed etiam hora, seu semihora, vel quadrans desit, annus non dicitur integer, cum integrum dicatur illud, cui nihil deest; vnus ergo annus integer currens de momento ad momentum necessarius est ad nouitiatum, & valorem professionis, vt docent omnes, *cum Sanch. lib. 5. cap. 4. num. 9. Mirand. tom. 1. q. 22. art. 3. concl. 2. Rodr. tom. 3. quæstione 15. art. 4. cum suo Compend. resolut. 101. num. 38. Portellus tom. 2. casu 1. num. 11. Tambur. 3. disp. 6. q. 11. num. 12. Pegrin. de Prælato cap. 1. q. 3. num. 96. Lezana tom. 1. cap. 2. num. 10. Diana resol. 57. de Regular. Barbosa ad hoc cap. 15 sess. 25. n. 20. Vecchius disp. 11. dub. 4. num. 2.* Quod in anno bisextili numerandi sint dies 366. docent supracitati, contra Riccium, Fornarium, & Faustum putantes sufficere annum dierum 365. qui audiendi non sunt, cum ille annus non sit integer, quia illi deest vnus dies. Praxis igitur sit superiorum, ne errent, & profitentibus tribuant occasionem reclamandi, vt Nouitios non recipiant ad professionem, nisi toto anno integro peracto, & tam ingressum, quam emissam professionem cum suis horis diligenter notent in libris.

Sed quid dicendum, quando dubitatur de quadrante, semihora, vel hora? Resoluendum est pro valore professionis contra reclamantem, quia constat de anno peracto probationis, & dubitatur circa eius partem multum, vt ita dicam, minimam, ex qua certa conclusio nullitatis professionis non bene infertur.

Quæres 4. Quandonam incipiat prima hora, & dies anni probationis?

8 Respond. Incipit currere tempus probationis ab eo puncto, quo vltimo indutus fuit habitu probationis; si vestitus fuit in loco deputato ad Nouitiatum, si vero indutus fuit extra in alio conuentu non deputato, tunc incipit illi primo currere Nouitiatus, cum introducitur in conuentum deputatum.

9 Prima pars de recepto habitu in loco deputato probatur, Tum ex verbis Tridentini sess. 25. cap. 15. ibi: *Nec qui minore tempore quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit*, initium probationis desumitur à susceptione habitus. Tum quia vestitur vt Nouitius, & incipit experiri asperitates, & mores religiosorum, atque id formaliter, quia ad hunc finem indutus fuit, vt annum probationis experiretur. Confirmatur à simili, quia sicut à tonsuratione laicus incipit esse clericus; à receptione Cinguli miles; à professione religiosus, ita Nouitius incipit quis esse cum primo habitum religiosum recipit, ac proinde tunc incipit annus probationis. *Ita Mirand. tom. 1. q. 22. art. 3. concl. 1. Compend. resol. 101. num. 30. Barbosa de Episcopo allegat. 101. num. 19. Tamb. 3. disp. 6. q. 11. num. 7. Suar. apud Pellizzar. cap. 2. de Monialib. q. 14. sect. 2. num. 50.* ait incipere ab eo puncto, quo religio, & ingressurus conueniunt in inchoatione probationis. Sed communis vsus est, quod probationis annus incipiat à receptione habitus.

10 Secunda pars, quod vestitus extra locum deputatum incipiat annum, quo primo introducitur in locum Nouitiatus, suadetur, quia illa traditio habitus extra locum deputatum, fit potius ad consolationem parentum, & amicorum, quam in ordine ad probationem, maxime stantibus Decretis Clem. VIII. de recipiendis ad habitum probationis, & professionis in locis deputatis sub pœna nullitatis professionis, cōfirmatis per Breue Incip. *Religiosos* Vrbani VIII. à me extensum cap. 3. de admitt. ad profess. q. 37. Prædicta autem supponunt huiusmodi habitus traditionem extra conuentum deputatum licere, *quod probaui ca. 4. q. 24. & confirmaui Resolut. 54. num. 1.* Nihilominus ad maiorem cautelam, induti extra Nouitiatum, postea denuo vestiuntur à superioribus; ab aliquibus vero initium probationis numeratur à die ingressus in locum Nouitiatus sine alia receptione habitus.

Quæres 5. Quo temporis momento incipit currere Nouitiatus illis, quibus non datur habitus probationis sed probantur cum proprio habitu? Id autem est cōtra mentem Concilij sess. 25. capitulo 15. ibi: *Quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit*, vbi nouitiatus incipit post habitus susceptionem, vt etiam dixi præcedenti quæstione. Difficultas proponitur pro Nouitiis Melitensibus, & Societatis Iesu, quibus peculiaris habitus non imponitur.

11 Respond. Suarez tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 13. num. 6. ex ipso Pelliz. cap. 2. de monial. sect. 2. q. 14. num. 50. pro iis ab intentione formali, seu conuentione inter religionem, & nouitium, qua intendunt incipere Nouitiatum. Addit *Pellizzar. P. Suar.* nullam facere mentionem de susceptione habitus religiosi, quia non est de substantia Nouitiatus secundum Abbatem, & Gregorium Lopez, etiam post Tridentinum, quod vsum probandi Nouitios in proprio habitu seculari per aliquot dies non tollit. Displicet hoc, quia post Tridentinum susceptio, & gestatio habitus omnino necessaria est ad valorem Nouitiatus, & Professionem, vt claris verbis constat in Tridentino cap. 15. sess. 25. *Ita Sanchez lib. 5. cap. 4 num. 29.* excusat tamen ab hoc onere suam religionem. In multis religionibus solent venientes à seculo probari in proprio eorum habitu per mensem vel paulo minus, vt si infra id tempus ducti pœnitentia facti possint recedere sine verecundia, & pariter sine decore licentiari, & id tempus illis non computatur ad probationem, sic seruant Theatini, vt audiui, & alij multi, ita deberent omnes facere in obseruationem Tridentini.

12 Nouitiis Hierosolimytanis incipit currere tempus probationis statim ac constabit legitime, probationes legitimitatis, & nobilitatis esse bonas, & validas, iuxta statut. 17. & primum ordinat. de illorum Nouitiatu peragendo in conuentu Maltensi agitur Stat. 28. eodem tit. 2. de Recept. Fratr. & illud statutum, & hoc continent decretum irritans tacitum, illud quidem, quia dictio *Necessarium est* inducit formam essentialem, quandocumque additur necessitas aliquid faciendi, *Tiraque de Retract. lignag. §. 36. gl. 2. num. 25. Berous q. 24. num. 4. alij cum Barbosa axiom. 100. num. 2.* & hoc decretum irritans arguens for-

13

mam substantialem exprimitur in prima ordinat. eiusdem tituli; hoc vero de Nouitiatu peragendo in conuentu, constat tum ex Tridentino, ad cuius formam redacta sunt statuta, & præsertim supradictum, tum quia illa verba. *Nimo pigli l'habito nel nostro conuento,* 14 *se prima non hauera habitato vn anno in esso.* vbi enim exprimitur prioritatis ordo, ibi est forma essentialis, secundum Felin. in cap. Cum delicta, de rescriptis in 6. signo 6. & in terminis professionis de ordine prioritatis informationum præmittendarum dixit *Rota apud Garziam part. 9. de benef. c. 2. n. 3*[illegible]. Tum quia decretum irritans, quod tacite inerat, expressum fuit in octaua ordinat.

Quæres 6. An gestatio habitus religiosi in anno probationis sit necessaria tam ad valorem nouitiatus, quá professionis? Ratio dubitandi est, quia in c. Porrectum, de Reg. dicitur, quod habitus non facit monachum, & id transiuit in prouerbium.

15 Respond. Sine habitus religiosi gestatione irritus est Nouitiatus, & inualida professio. Ratio est, quia gestatio habitus est vna ex principalibus asperitatibus, 16 quam nouitius probare debet, vnde *Gloss. 1. fine c. Præsbiteros 38. 16. q. 1.* dicit quod experientia habitos maxime spectatur; *& gl. v. lanea veste, cap. 2. de homic. per cap. In capite dist. 50.* ait laneum habitum esse pœnitentiæ; vnde & in lecto ferendus est à monialibus, *cap. Vidua 13. 20. qu. 1.* Nouitius ergo probandus est in habitu eius ordinis, quem intendit profiteri, *ita gl. v. In suo cap. Vn. dist. 50. gl. 1. cap. fin 17. quæst. 2. gl. v. In eadem veste, capit. Super eo de Regular.* in quibus dicitur antiquora iura probandi nouitios cum eorum veste laici esse abrogata, & de hoc nullatenus dubitandum, cum modo extet decretum Tridentini, *capit. 15. sess. 25.* requirentis gestationem habitus pro nouitiatu, & professione, aliter vtrumque irritum est. Ita tenent *Rodr. tom 3. quæst. 15. art. 9. Mirand. tom. 1. quæst. 22. art. 6. Sanchez, lib. 5. cap. 4. num. 29. Peyrin. de prælato quæst. 3. ca. 1. num. 103. Vecchius disp. 11. dub. 7. Portellus tom. 2. casu 1. num. 14. Tambur. 3. disp. 6. quæst. 8. num. 6. Barbosa ad hoc capitul. 15. sess. 25. numer. 36.* Non est autem necesse, 17 quod habitus Nouitiorum sit distinctus ab habitu professorum, sed idem omnino potest esse, vt dicunt supracitati in specie Vecchius, & Tambur. Quare non est necessarium Caputio, seu Scapulari addere frustulum panni ad distinguendum Nouitium à professo, & vbi est visus, eius omissio non vitiat nouitiatum.

Sed qualis est habitus, quem differre debent Nouitij Hierosolymitani, quorum statuta, & ordinationes 18 redacta fuerunt ad formam Tridentini? Nullum specialem habitum Nouicij habent, eo quod more secularium, & in proprio habitu semper viuunt etiam post professionem, quare cum non indigeant experiri austeritatem aliquam circa habitum, ideo nullum specialem gerunt; in professione autem recipiunt Crucem octogenam, quæ dicitur eorum habitus.

19 Respondendum modo est ad illud: *Habitus non facit monachum. Primo*, habitus probationis non facit monachum, *Gloss. v. Apparuerit, capitul. 1. 27. quæst. 1.* vbi triplex habitus distinguitur Professionis, Conuersionis, & Probationis. *Secundo* solus habitus non facit monachum, sed simul cum probatione, & professione, gl. v. Non faciat *cap. Porrectum, de regular. gl. nec habitum, cap. Meminimus 3. qui cler. vel vou. Tertio* habitus indistinctus, & communis Nouitiis & Professis facit monachum tacite professum, *cap. 1. de regul. in 6. Clem. Eos, eod. Quarto* habitus non facit monachum formaliter, & in actu, sed tantum disponit Nouitium ad profitendum valide, *ex cit. ca. 15. sess. 25. Quinto* demum habitus non facit monachum, quatenus tempore professionis Nouitius valide profitetur, licet in actu prolationis verborum professionis careat habitu, vt contingit aliquando ægrotanti in lecto, qui exutus legit professionem decubans in lecto, & in hoc sensu gestatio habitus non est de substantialibus professionis, vt bene textus loquitur *in capit. Porrectum. 13. de regular. & dixi capitul. 2. de profess. regular. quæstion. 37.*

Quæres 7. An remoriari modo possit anno probationis; *Dico modo*, quia iure antiquo poterat ex c. ad Apostolicam 16. de Reg iuncta Glossa v. Monasterij.

20 Respond. Negatiue ex Tridentino capitul. 15. sess. 25. *Nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur, professio autem antea facta sit nulla.* Ratio est, quia annus probationis est lege statutum, cui Monasterium, & Nouitius non possunt derogare. Confirmatur, quia formæ substantiali renuntiari non potest, num ex eius omissione actus irritetur; & præscripta cum decreto irritante per partes tolli nequeunt. *Ita Nauar. consil. 63. de Regular. Beia part. 4. casu vltimo, §. Tertio, Gratian. disceptat. 850. num. 15. ex illis Vecchius disp. 11. dub. 2. n. 7. Sanch. li. 5. ca. 4. num. 18. Barbosa ad hoc cap. 15. sess. 25. num. 33.* Ex quo sublata sunt priuilegia profitendi infra annum probationis, excepta causa infirmitatis, prout dixi *Resol. 54 qu. 4. & Resolut. 57. qu. 37.*

Quæres 8. An omnes teneantur ad annum probationis?

21 Resp. Venientes à seculo ad religionem, vel ab vna ad aliam religionem transeuntes tenentur peragere integrum probationis annum, ad quod etiam tenentur Militares Hierosolymitani, non alij militares, aliter facta professio nulla est; non tenentur Tertiarij, neque Conuertitæ.

Prima pars de claustralibus à seculo venientibus certa est ex Tridentino cap. 15. sess. 25. nam textus maxime de illis verificatur, cum seculares prorsus ignorent vitam regularem consequenter in ea experiendi sunt ante professionem. Ita omnes sine vlla hæsitatione.

22 Secunda pars de transeuntibus ex eodem Tridentino, quia in capite indistincte decernitur, vt professio non valeat, nisi præmisso nouitiatu vnius anni, sermo est in rem, non in personam, ideo comprehendit omnes volentes professionem facere; hoc idem probaui *Res. 29. quæst. 17. & Res. 54. qu. 63.* posse præmittere nouitiatum. Ita docent *Nauar. cons. 61. & 62. de Reg. Rodr. 3. q. 15. art. 11. Compend. res. 101. n. 46. Sanch. lib. 5. capit. 4. num. 12. Barbosa ad hoc cap. 15. sess. 25. num. 17.* Et sublatum est priuilegium admittendi hos ad professionem non expleto probationis anno. Est communis doctrina.

23 Tertia pars de Hierosolymitanis habetur expresse in eorum Statutis stat. 28. & ord. 8. Atque ita respondit S. C. pluries, cuius Responsiones à persona fide digna, & officiali extractæ ad manus meas peruenerunt, tenoris sequentis.

24 *Die 15. Maij 1582. Sacra Congr. Concil. censuit etiam Milites Hierosolymitanos hodie debere professionem emissam per annum in probatione stare. Die 13. Iunij 1599. S. C. C. censuit Milites Hierosolymitanos hodie debere ante professionem emissam per annum in probatione stare, cum illorum Constitutiones fuerint ad formam S. Concilij redactæ. In vna Aragonia Magnus Prior Castellæ Religionis Hierosolymitanæ quæsiit sibi responderi, an N. potuerit in dicta Religione professionem emittere ante annum integrum probationis? Die X. Decemb. 1633. S. C. Concilij respondit, requiri annum integrum probationis.*

Vide Gratianum disceptat. 369 Vec. disp. 11. dub. 2. n. 4. alios cum Barb. ad hoc c. 15. sess. 25 n. 5.

25 Quarta demum pars, alios militares non teneri, probatur ex eo, quod suas constitutiones, quo ad hoc non reduxerunt ad formam Trident. vt fecerunt Fratres Hierosolymitani, ita supra citati per *dictum Barbosam cap. 15. sess 25. num. 2. & 3.*

26 Quinta pars de Tertiariis S. Francisci, & aliis viuentibus

oentibus in propriis domibus, decisa fuit à *Rota decis. 591. part. 1. diuers. Riccius resol. 617. num. 4. Tam. 3. dis. 6. q. 11. num. ,. ex illis Barb. ad hoc cap. 15. sess. 25. num 4.* Quare, quod dicitur in eorum Regula firmata à Nicolao IV. vt peracto probationis anno Tertiarij recipiantur ad professionem; habet rationem formæ accidentalis, cui potest renuntiari, absque irritatione actus gesti sine illa. *Dixi viuentibus in propriis domibus.* quia Nouitij Tertiariorum Regularium tria vota solemnia profitentes tenentur ad annum probationis quia comprehenduntur sub eo ca. 15. sess. 25.

27 Sexta pars de Conuertitis colligitur ex cap. 18. sess. 25. vbi in fine habentur hæc verba. *Ab his tamen excipiuntur mulieres, quæ pænitentes, aut Conuertitæ appellantur, in quibus constitutiones earum seruentur.* Ita decisum refert *ex Aldano Barbosa ad cap. 15. sess. 25. num 35*

Quæres 9. An ad substantiam Nouitiatus requiratur continuatio vnius anni in probatione, itaut ex eius interruptione vitietur?

28 Respond. Continuitas est de substantia anni probationis, aliter emissa professio est nulla ex nullitate Nouitiatus. Probatur id ex cap. 1. de Regul. in 6. & Clem. Eos eod. atque contextu c. 15. sess. 25. illis verbis. *Nec qui minore tempore, quam per annum post susceptum habitum in probatione steterit*, ergo ad substantiam Nouitiatos, & valorem professionum necessario est per annum stare in probatione. Confirmatur,

29 quia dictio *Per* importat continuationem temporis in actione, eni additur, *gl. v. Per annum cap. 2. de temp. ordinat. in 6. & omnes apud Barbosa dict. hac 250. n. 2.*

30 Pariter verbum *steterit* arguit stabilitatem, & firmitatem ex iis, quę habet *D. Thomas. 2. 2. q. 183. art. 1.* ergo continuationem. Et ita docent omnes requiri continuationem, ita quod interruptio Nouitiatum vitiat, & professionem *cum Nauar. consil. 32. de Regul. Rodrq. 3. quæstione 15. articulo 8. Mirand. tom. 1. quæstione 22. articulo 4. Sanch. libro 5. capitulo 4. numero 31. Vecch. disp. 11. dub. 3. Ego cap. 4. q. 11. Barbosa ad hoc cap. 15. sess. 25. num. 24. Feyrin. de Prelato q. 3. cap. 1. num. 99* Et in hoc omnes conueniunt, nonnullis exceptis, qui non sunt audiendi, quia nullam adducunt sanam rationem.

De interruptione autem Nouitiatus fusius dixi *Resolut. 54. q. 68 à num. 188. ad 215.*

Quæres 10. An ista continuatio anni probationis necessario coniungenda sit cum professione, itaut Nouitios debeat semper manere in probatione vsque ad diem professionis?

31 Resp. Negatiue, quia ista coniunctio nullibi in iure præcipitur, sed tantum, quod Nouitius per annum stet in probatione cum autem per totum annum quintum decimum ex probatis hic quæst. 1. Nouitius probationem suam perficere possit, consequenter dicendum est ad hanc non teneri sequenti anno, quia sufficit probatio vnius tantum anni, ergo Nouitiatus non continuatur cum professione. Et ita probaui *Resolut. 57. q. 42. Nauar. consil. 20. de Regular. ex eo Rodriq. 3. 15. art. 2. §. Et aduertendum, Barbosa ad hoc cap. 15. sess. 25. num. 34. Sanc. lib. 5. cap. 4. num. 22. Mirand. 1. q. 22. art. 3. concl. 1.* Isti omnes dicunt, annum probationis expleri posse in anno quinto decimo absoluto, ergo non necessario iungitur professioni, quæ non potest emitti nisi post sexdecim annos completos. Vecchius disp. 11. dub. 3. num. 5. asserit, continuationem anni probationis coniungi debere cum professione de mente Tridentini capitulo decimo quinto, decimo sexto, & sess. 25. præsertim ex illis verbis. *Finito tempore Nouitiatus superiores admittant Nouitios ad professionem, vel eos è monasterio eijciant.* Sed non vrgent, quia intelligitur, si habiles sint, in casu autem nostro deest ætas, ergo non obstat Tridentini dispositio.

32 Hinc deducitur, superiores posse licentiare Nouitium iam acceptatum, & probatum idoneum ad profitendum postquam finiuit annum suæ probationis completo anno decimo quinto suæ ætatis, vt eat ad conuentum suæ patriæ, & postea proficere expleto anno 16. suæ ætatis, vt colligitur ex citatis doctoribus. Intellige, nisi se male egerit, quia possunt illum expellere, & non admittere ad professionem, cum prior acceptatio pendeat tantum ex anteacta vita, vnde vti causa limitatum quoque producit effectum, & conditionatum, si se bene egerit in futurum.

Quæres 11. An sit de substantia Nouitiatus, quod receptio habitus, & probatio fiant in conuentu deputato per sedem Apostolicam?

33 Respond. Receptio habitus in conuentu deputato non est necessaria ad formam nouitiatus, quia ista actio est transitoria nihil conducens ad experiendum monasterij asperitates, ideo Nouitius vestitus in alio conuentu transmittendus est postea ad conuentum deputatum, in quo introductus incipit facere nouitiatum, *Hoc probaui multis cap. 4. q. 24. & tom. 1. Resolut. 8. fol. 105. sequitur Lezana part. 4. v. Nouitij. n. 7.*

34 Necessarium vero est, quod Nouitiatus per vnum annum integrum peragatur in conuentu deputato, aliter nullius est, & inde subsecuta professio, vt expresse dicit Clem. VIII. in duobus decretis, quorum vnum incipit. *Regularis disciplinæ.* Alterum. *Sanctissimus in Christo* extensis *apud Vecchium initio disp. 11. & Tambur. tom. 3. disp. 6. q 4.* Confirmatis ab Vrbano VIII. per suum Breue incip. *Religiosos viros.* apud dictum *Tambur. q. 7. num 20. Ita omnes sentire habent*, sed pauci aduerterunt, *preter Tambur. citatum q. 11. num. 21. Lezana part. 4. v. Nouitij num. 2.*

Quæres 12. An validus sit nouitiatus diuisus, hoc est, partim factos in vno conuento, partim in alio?

35 Respond. Affirmatiue, vt probaui *Resolut. 54. num. 5. & tradit Tambur. tom. 3. disp. 6. q. 11. num. 21.* dummodo vterque conuentus sit deputatus pro Nouitiatu.

Quæres 13. An conuentus deputatio necessaria sit ad nouitiatus substantiam respectu omnium Regularium?

36 Respond. Nouitiatus debet fieri in loco deputato ab omnibus tam Mendicantibus quam non Mendicantibus existentibus intra Italiam, & adiacentes insulas; exceptis Carthusianis, Minoribus de strictiori obseruantia, Capucinis, Reformatis S. Dominici, Carmelitis Discalceatis, item Reformatis Congregationis Foliensis ordinis Cistertiensis; Eremitis Camaldulensibus, & Montis Coronæ, demum Clericis Theatinis, Iesuitis, Somachis, Barnabitis, & Ministrantibus infirmis. Vt expresse dicitur in citato Decreto incip. *Sanctissimus* in quo subditur, tam receptiones ad habitum probationis, quam professiones esse irritas, & inualidas, si nouitiatus, & annus probationis non fuerit factus in conuentibus deputatis à sede Apostolica.

Quæres 14. An Regulares Militares subijciantur huic Decreto?

37 Respond. Minime, quia loquitur tantum de Claustralibus. Nihilominus Nouitij Hierosolymitani tenentur in conuentu Melitensi peragere integrum annum suæ probationis, & ibidem professionem expressam emittere, aliter Nouitiatos, & professio sunt irrita, & inualida, vt expresse statuitur in ordinat. 8.

38 huius religionis, quæ in omnibus procurat vti vera religio se conformare religionibus claustralibus.

Quæres 15. An teneat nouitiatus ex parte peractus extra conuentum de licentia superioris? Dixi *ex parte*, quia certum est ex præcedentibus conuentum deputatum esse requisitum substantiale ad valorem Nouitiatus.

39 Respond. Valet Nouitiatus, & non interrumpitur; vt

*vt multis probaui cap. 4. q.14. & Resolut. 54. num.*100. vbi de superiore conuentus dante licentiam, & num. 210. Ratio, quia manens extra de licentia superioris æquiparatur permanenti in conuentu, cum adhuc sit sub obedientia sui superioris. Nec obstat specialis deputatio conuentus, quia etiam ante illa Decreta Nouitiatus peragendus erat intra conuentum, ex probatis ex eod. cap.4.q.22. & tamen delicentia quandoque manebant Nouitij extra sine interruptione Nouitiatus, qui illis pro bono computatur, ergo idem modo dicendum est, quia non spectatur deputatio, sed conuentus quidem deputatus sub ratione clausuræ. Ita omnes docent *cum Lezana tom.2.cap.2. num. 12.Peyr. de Prælato q.3.cap.1.n.* 105. *Tambur.3. disp.6.q.7.num* 56. *alios citat Barbosa ad hoc cap.* 15. *sess.* 25. *num.* 28. Procedit hoc, licet licentia non sit iusta *secundum Suar. tom.3. de Relig. lib. 5. cap.* 14. *num.*14. *quem pro se citat Vecchius disp.* 11.*dub.*3. *num.* 10.*Probaui Resolut.* 54.*q* 32. *num.*117. Nouitium ex iusta causa puta infirmitatis posse extra manere etiam maiori parte anni, & ita docet *Mirand. tom.1.q.22. art. 5. §. Ad primam*, etiam per decem menses, sed videtur id tempus nimis prolixius; *Nauar. consil.* 41. *de Regul. & Sanch. lib. 5.cap.4.num.*28, admittunt id fere per totum annum, cum quibus Pellizar .cap. 2. de Monial.num.49. in. fine. Sed non placet, quia omnia iura requirunt probationem in conuentu, ergo per aliquot menses, e. g. per semestre, vel quid simile. Loquendo autem de

40 Milite Herosolymitano, puto cum Nau. citato Nouitium huius ordinis missum infra annum probationis ad Catauanas satisfacere anno probationis, qui debet peragi in conuentu ex ordinat 8. licet per totum fere annum maneret extra, quia censetur manere in conuentu magis, quam claustralis, quia potissima huius ordinis asperitas est in mari bellum gerere contra in-

41 fideles, quorum finis principalis est iste. Nouitias demum moniales putat *Rodriq. tom.3.q.15.art.*10. non satisfacere anno probationis, si extra maneant, quia potissima austeritas est obseruatio clausuræ; satisfacere decisum *refert Barbosa in decis. Apostol. v. Nouitia n.*10. *& de iure eccles. lib.*1.*cap.42.num.*128.

Quæres 16. An teneat Nouitiatus, & Professio eorum, qui non probant eo anno speciales austeritates, ad quas ex voto tenentur professi? E.g. in ordine Minimorum abstinentia quadragesimalis, In ordine B. Ioannis Dei perpetua hospitalitas. In ordine Hierosolymitano excercitium militiæ, quod licet expresse non voueatur, nihilominus tacite profitens obligatur cum Hospitalitas, & Militia sint duo specialissima, ex quib. ea religio constat, vt videre est initio Statut. tit. de Regula.

42 Respond. Nullus est Nouitiatus, quia is inuentus fuit à sanctis Patribus vt dicitur *cap. Ad Apostolicam* 16. *de Regul.* vt ingressurus probet, & experiatur austeritates religionis, & licet non omnes in specie

43 Nouitius experiri debeat, vt docent omnes *cum Sanch. lib.5. cap. 4. num.* 52. tamen huiusmodi tenetur aliqualiter experiri, sicut experitur eas, quæ spectant ad tria vota, parum enim est esse sub obedientia, si ea aliquando non exerceatur. Quare *probaui cap.* 4.*q.*40. Nouitium Minimorum toto anno infirmum come-

44 dendo carnes verum non exegisse Nouitiatum, neque

45 proinde valide profiteri. Idem dic de aliis, quia huiusmodi spectant ad substantialia ordinis & non sufficit solus affectus, sed præterea requiritur eius executio, cum annus probationis consistat in executione, & experientia, si non omnium asperitatum, saltem principalium, & substantialium.

Quæres 17. In quibus casibus repetendus sit Nouitiatus?

46 Respon. In vno tantum, quando nimirum fuit nullus, vel interruptus, tunc ab initio totus est repetendus. Quando Nouitius peracto probationis anno aufugit, vel repellitur, aut cum licentia dimittitur ad partiam pro suis negotiis agendis peiest cogi ad renouitiandum non solum per aliquot menses, sed etiam per annum integrum, iuxta modum quo recessit, & tempus, quo abfuit à conuentu.

Primum constat, quia Nouitiatus inualidus nulli prodest ad profitendum siquidem nullum existens nullum producere potest effectum *l.4. §. Condemnatum ff. de re iud.* ergo qui vult valide proficere debet Nouitiatum reficere in totum, cum nullius eius pars subsistat, quod in se nullus est. Et in hoc conueniunt omnes, quos citaui sub q.9.

47 Secundum suadetur, quia ex longa absentia à conuentu præsumi potest Nouitium mutasse mores *ex Bart. in l. Si ventri §. fin. ff. de priuileg. cred. Gratiam. decis.* 19. *num.* 35. diuturnitas enim temporis mutat mores, & diuersificat operam hominum, *l. Si non Sortem §. Libertus ff. de condit. indeb.* atque dum mutatur locus, sæpe mutatur etiam mentis affectus, *cap. Valet, dist.* 81. *cap. Fratrem, dist.* 86. Quare hæc & similia legitimam tribuunt causam prælatis regularibus cogendi ad repetendum Nouitiatum totum, vel ex parte absentes ad conuentum redeuntes animo profitendi. Sed cum omnibus eodem modo procedendum non est, nam cum illis, qui cum licentia secedentes breui reuertuntur e.g. infra quinque aut sex menses, agendum est sine repetitione probationis, maxime, si deferant literas authenticas de ante acta vita laudabiliter, & cum illis qui in alio conuentu, vel prope manserunt, itaut nota sit eorum vita, & obseruari potuerit ab aliis religiosis eiusdem ordinis testantibus, eum laudabiliter vixisse sine scandalo; ab eiectis vero, & multo tempore vti per annum manentibus extra in loco, vbi non sunt conuentus, exigendus est nouus Nouitiatus ad elidendam præsumptionem circa mutationem morum. Licet autem huiusmodi præsumptio ab eiectis, & per multum tempus extra longe manentibus tolli posset per literas testimoniales, tamen ad id superiores non tenentur stare, sed cogere possunt ad renouitiandum volentes profiteri. Ita intelligenda sunt dicta cap.4. q. 12. de eiecto iuste redeunte, qui tenetur renouare Nouitiatum, si petatur à superioribus, & q.19. de eo qui recedit animo non amplius reuertendi, si enim pænitentia ductus petat admitti, potest valide proficere, si superiores non cogant illum ad renouitiandum; & q. 36. dixi, illos, qui dimiserunt habitum prætextu Breuis super nullitatibus professionum, non præmisso Nouitiatu in loco deputato, non teneri iterum ad nouitiatum, cogi vero posse, si per notabile tempus extra maneant, & *Resolut.* 8. *num.* 65. *&* 77. huiusmodi reuersos recipiendos esse à superioribus sine obligatione Nouitiatus, intellige, nisi per nimium tempus extra manserint, & longe à conuentibus.

Hactenus dicta conformia sunt diuersis S.C. responsis, quæ fideliter à certo officiali extracta ab Amico transmissa mihi fuerunt sequentis tenoris.

48 *Die 27. Februarij 1597. Sacra Congregatio Concilij declarauit, eum, qui habitu regulari suscepto, per annum integrum in religione mansit, eoque elapso, professione nequaquam emissa, permissu superiorum ex causa infirmitatis ad seculum redit, non egere ad monasterium deinde reuersum, alio probationis anno ad professionem emittendam, nisi persona, aut religionis conditio sit immutata, idque superiores Religionis animaduertere diligenter debere.*

In vna Neapolitana 15. Septembris 1605. S.C.C. censuit, eum qui per annum in probatione stetit, & deinde non emissa professione, e monasterio egressus est, posse deinde ad professionem admitti, alio anno probationis non expectato, nisi Religionis conditio, vel Nouitij mores essent immutati.

In alia Neapolitana die 2. Augusti 1607. S.C.C. censuit, oratorem, qui absoluto in Religione probationis anno integro, inde ægritudinis causa exiit, posse nunc dicto anno

probationis

probationis nequaquam iterato, professionem omittere, nisi ipsius Oratoris mores, vel Religionis conditio fuerit immutata.

In alia Neapolitana die 7. Martij 1608. S.C.C. censuit, Oratricem, quæ absolute in Religione probationis anno integro, inde ægritudinis causa exiit, posse nunc, dicto probationis anno nequaquam iterato, professionem emittere, nisi ipsius Oratricis, vel Religionis conditio fuerit immutata.

In vna Tertij Ordinis quæritur 2. An tempus probationis censeatur interruptum, completo anno, eo quod non permansit in loco Nouitiatus vsque ad tempus professionis emissæ? Die 20. Martij 1621. S.C.C. censuit, tempus probationis non censeri interruptum, & Nouitium posse posse valide profiteri, non iterato alio probationis anno, nisi mores Nouitij, aut conditio Religionis interim fuerint immutata, quod à superioribus Religionis erit diligenter dispiciendum.

49 Obijcitur duo super dictas Responsiones, primum est, non sufficere primum Nouitiatum quando mores Nouitij, & conditio Religionis mutata est si superiores ignorant mutationem morum, quæ ex notabili tempore præsumitur, vt dixi supra, poterunt petere nouum nouitiatum iuxta præsumptionem. *Dico poterunt*, quia ex allatis responsis aperte non colligitur, necessarium esse integrum annum, neque partem nouitiatus ad valorem professionis. Secundum est, nomine conditionis Religionis significari aliquid statutum, aut pactum appositum iterum renouitiandi, nam tunc attentata professio erit nulla, statuto, vel pacto non seruato, quia inducunt formam substantialem. Demum exemplum de exitu causa infirmitatis non restringit responsum, sed intelligi etiam debet de exitu ex quacumque alia causa, vt ad peragenda sua negotia.

Quæres 18. An Nouitiis peracto probationis anno volentibus egredi pro suis negotiis imponi possit onus renouitiandi si vltra annum e.g. manebunt extra conuentum?

50 Resp. Quando exeunt, & non manent in conuentibus eius ordinis apponi potest hoc onus, ita quod reuersi post tempus præfixum non possunt valide profiteri, quia hoc onus est licitum, siquidem sic consulitur decori, & honestati religionis, & Nouitius eo vinculo conseruatur in vita exemplari, & religiosa, atque cum illud onus acceptet, non fit illi iniuria. Confirmatur ex supradictis Responsis, ex quibus deducitur posse prælatum obligare ad id Nouitium, ita quod postmodum emissa professio sine Nouitiatu iterato nullius sit momenti, cum ex pacto oneris acceptati repetitio nouitiatus dicatur requisitum essentiale ad profitendum, ita quod prior nouitiatus pro nihilo reputatur.

51 Hoc pactum cum onere repetendi Nouitiatum apponit Magnus Magister Religionis Hierosolymitanæ, quando concedit licentiam suis Nouitiis eundi ad patriam pro suis negotiis biennio expediendis. Et id optima ratione, quia cum Religio S. Ioannis vnicum habeat conuentum non potest obseruare vitam, & mores suorum Nouitiorum longissime vt plurimum recedentium, sicuti facit dum sunt in conuentu, aut in carauanis sub obedientia alicuius Fratris superioris, ideo consulendo decori, & magnificentiæ suæ M. Magister apponit huiusmodi onus renouitiandi. Confirmatur, quia Nouitij extra manentes sine obedientia alicuius possunt viuere cum magno scandalo committentes homicidia, & alia scelera contra statuta huius ordinis, ideo hoc onere adiecto qui volunt profiteri, procurant bene viuere, vt optatum finem consequi valeant. Id locum maxime habet in hoc ordine, cuius vnicum est monasteriũ, in aliis plures reperiuntur conuentus, & quasi vbique per orbem terrarum, ideo à claustralibus obseruari bene possunt mores Nouitiorum egressorum, non sic Militariũ, quib. ideo apponitur egredientibus pactum repetendi nouitiatum.

52 Pacto ergo repetendi Nouitiatum non obseruantia secuta professio inualida est, tum ex dictis nam censetur emissa sine Nouitiatu. Tum quia deest consensus prælati, & conuentus, Tum, quia huiusmodi pactum cum includat conditionem, ea non adimpleta corruit actus sine illa gestus, *ex cap. Si pro te de rescr. in 6 l. si quis sub conditione ff. si quis omissa causa testam. Bart. in l. Quibus diebus §. Termilius ff. de condit. & demon.* ergo & professio emissa, forma pacti non seruata, neq; adimpleta.

Quæres 19. An reiterandus sit annus probationis à transeunte ad secunda vota, vel ad priora redeunte? Item an in ratificatione professionis alias nulliter emissæ? Item ab expulso redeunte ad religionem, quam antea vere fuerat professus? Item à dimisso legitime per reclamationem?

53 Respond. Transiens ad secunda vota tenetur ad Nouitiatum, quia nec ipse expertus fuit asperitates secundi monasterij, nec professi illius morum cognitionem habent. Et id est conforme Tridentino cap. 15. sess. 25. quod Nouitiatum requirit indistincte ad valorem professionis in quacumque religione; professio autem fit etiam à transeunte, ergo debet illi præmittere Nouitiatum. Ita omnes cum *Nau. cons. 61. n. 4. cons. 77. n. 4. de Regul. Mirand. tom. 1. q. 22. art. 2. concl. 3. Rodr. 3. q. 15. art. 11. Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 47. Vecchius disp. 11. dub. 2. n. 5. §. Hæc tamen Compend. res. 101. n. 60. Homob. part. 3. Consultat. Resp. 33. fine, Barbosa ad hoc capitul. 15. sess. 25. numer. 17. Dixi supra sub nu. 22.*

54 Reuersus non tenetur renouitiare, quia ab initio mutua experientia asperitatum, & morum præcessit, ita quod non est necesse vlterius partes certiorari, *arg. Regula 31. in sexto, capitulo secundo, quæstione 72. §. Vndecimo, capitulo quarto, quæstione* 44. Prælatus autem ordinis, ad quem reuertitur potest petere aliquid probationis, vt experiatur, an eius mores mutati fuerint.

55 Ratificans professionem alias inualide emissam non tenetur renouitiare, siue prior nouitiatus fuerit validus, de quo non est difficultas, siue irritus, & inualidus; Ratio est, quia nullum ius neque antiquum, cap. 1. de iis, quæ vi, cap. Significatum 11. cap. Cum virum 12. de Regul. cap. 1. eod. in 6. & alibi, vbi de ratificatione professionis fit mentio sine expressione Nouitiatus, neque iure nouo Tridentini, cap. 15. sess. 25. aut alibi fit sermo de Nouitiatu respectu ratificationis, ergo neque nos debemus inducere hanc obligationem iuris, quam ius non statuit. Confirmatur, quia iam expertus est vitam regularem, & religio eius mores sufficienter cognouit, licet aliunde nouitiatus fuerit inualidus, quia id non tollit bonum experimentum, & vtilem probationem in ordine ad ratificationem. Præterquam quod iura requirentia annum probationis loquuntur in ordine ad primam professionem, non ad secundam consistentem in ratificatione prioris inualidæ. Ita fere omnes *cum Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 47. & 48. & lib. 5. cap. 4. num. 14. ex eo Lessius lib. 2. cap. 41. num 66. §. Sed contrarium, Bonac. q. 2. de Claus. p. 10. diffic. 1. num. 5.* tenent non esse necessarium repetere Nouitiatum antea nullum, & irritum ex quouis defectu, addo ego licet non fuisset completus, & integer, quia nullo iure apparet obligatio renouitiandi. *Nauar. Rodriquez quos cum aliis citat contra se Vecchius disp. 14. dub. 5. concl. 3.* tenet esse reiterandum Nouitiatum alias irritum, sed standum est in prædeterminatis, neque nouum iugum imponendum est fratribus, cui ecclesia illos non subiecit, iugum enim Domini suaue est, si semel feratur, & multi ex hoc non ratificarent suam professionem, sed potius recederent à religione ad seculum. Et id esset error grauis.

Expulsus

56 Expulsus propter incorrigibilitatem reuersus ad cor si redeat ad religionem cogi potest ad renouitiandum, quia valida est præsumptio contra illum circa anteactam vitam post eiectionem, quam purgare debet noua probatione, & licet non debeat reprofiteri, quia prior professio expulsione non fuit variata, sed tantum deteriorata, tamen probandus est, vt inde, Religio veniat in notitiam, vtrum expediat iterum recipere illum.

57 Dimissus legitime per Reclamationem recipiendus est cum onere renouitiandi, quando longo tempore extra mansit, itaut præsumi possit, eius mores fuisse mutatos iuxta dicta sub q.17.

Quæres 20. An supradicta locum habeant æque in Monialibus, Nouitiantibus, & masculis?

58 Respond. Affirmatiue, nisi qualitas sexus, aut aliqua specialis prouisio aduersetur. Ratio est, quia non tantum respectu masculorum, verum etiam respectu fæminarum mutua experientia, & probatio necessaria est, ex quibus essentialiter constituitur annus probationis.

Queres 21. Repetitio Nouitiatus in quo conuentu facienda est?

59 Respond. Resolutio ex causa interruptionis, & ante Primam professionem, quæcumque ea sit, facienda est in conuentu deputato iuxta dicta q. 11. quia Papa in suis decretis loquitur tantum de nondum professis, in aliis vero casibus de quibus sub q. 17. & 19. in quolibet conuentu fieri potest, licet non sit deputatus.

RESOLVTIO C.

De Fratribus Melitensibus.

SVMMARIVM.

1 *Ordo vocatur Herosolymitanus.*
2 *Est religio proprie dicta.*
3 *Triplex gradus professorum.*
4 *Sunt personæ Ecclesiasticæ.*
5 *Nouitij quoque.*
6 *M. Magister eorum superior.*
7 *Non censurat.*
8 *Prælatus proprie non dicitur.*
9 *Censurare nemo potest nisi sit clericus.*
10 *Priuilegio fori gaudent professi,*
11 *Nouitij, &c.*
12 *Semicrucem gestantes.*
13 *Priuilegio etiam Canonis.*
14 *Confiteri possunt simplicibus sacerdotibus.*
15 *Reseruare sibi casus non potest.*
16 *Habitum deponentes non sunt excommunicati.*
17 *Apostatæ vero sunt illum deserentes.*
18 *Redituum domini non sunt.*
19 *Peccat mortaliter expendendo illicite.*
20 *Ludunt centum.*
21 *Meretrices restituunt acceptum.*
22 *Nouitij subduntur Tridentino.*
23 *Reclamant sicut claustrales.*
24 *Nobilitas traditum.*
25 *Falsi vbique debet censeri.*
26 *Non subduntur Bullæ de Largitione munerum,*
27 *Succedunt in feudis.*
28 *Bulla de conseruatoribus non afficit illos.*
29 *Professio tacita antecedit expressam.*
30 *Professio tacita locum non habet, vbi præcipitur expressa.*
31 *Nouitiatus integer præmittendus professioni.*
32 *Professio extra conuentum emissa nulla est.*
33 *Nouus nouitiatus imponi potest, licet prior tenuerit.*
34 *Denuntiationes matrimonij interdum repetuntur.*
35 *Professio non tenet quando repetendus est nouitiatus.*
36 *Cur Militibus imponitur onus renouitiandi?*
37 *Consensus M. Magistri, & Conuentus necessarius ad professionem.*
38 *Cingulum prærequisitum ad valorem professionis.*
39 *Statutum 2. de Cingulo refertur.*
40 *Necessitas aliquid faciendi est de forma substantiali*
41 Necessarium est *importat formam substantialem.*
42 Necessarium est *in Stat. 17. inducit formam.*
43 Necesse *improprie sumitur pro conuenienti.*
44 *Necessarij triplex genus, Medij Præcepti, & Vtilis.*
45 *Cingulum necessarium illis tribus modis.*
46 *Forma exquisite proposita censetur substantialis.*
47 *Temporis adiectio inducit formam substantialem.*
48 *Ordo prioris, & posterioris inducit formam essentialem.*
49 *Circa rem magni momenti.*
50 *Cingulum est res magni momenti.*
51 *Ordinatio prima refertur.*
52 *Ordinatio octaua refertur.*
53 *Nouitius debet esse actu miles vt valide profiteat.*
54 *Militiæ status essentialiter subordinatur status religionis.*
55 *Ordo militaris duos habet status.*
56 *Ordines Sacri subordinantur necessitate præcedenti, non medij.*
57 *Duplex prærogatiua in M. Magistro.*
58 *Negatiua registratio in libro professorum arguit nullitatem.*
59 *Cingulum non accipitur propria auctoritate.*
60 *Forma in dubio præsumitur substantialis,*
61 *Aduersariorum argumentis satisfit.*
62 Necesse est, *voluit importare conuenientiam.*
63 *Pontificale non excludi Cingulum.*
64 *Nouitiis præmittuntur gradus, non dantur ab initio.*
65 *Cingulum aliis etiam datur.*
66 *Forma sine decreto non est substantialis.*
67 *Decretum irritans duplex.*
68 *In ordinatione prima etiam de Cingulo agitur.*
69 *Cingulum non se habet vt Biretum ad doctorem.*
70 *Ordinationes valent licet nondum confirmatæ à Papa.*
71 *Absurda super Cingulum referuntur.*
72 *singulis respondetur.*
73 Habitus non facit monachum. *exponitur.*
74 *Cinguli vsus est in viridi obseruantia.*
75 *Quomodo probetur nullitas professionis.*
76 *Negatiua probatur inspectione actuum.*
77 *Rescriptum gratia subreptitium est nullum.*
78 *Dispensatio est stricti iuris.*
79 *Gesta contra formam Seruatis seruandis, inualida sunt.*
80 *Reclamandum est cum habitu.*
81 *Habitum non gestantes peccant mortaliter.*
82 *Sacramenta a quibus recipiat.*
83 *Percussores clericorum non declarantur excommunicati ab Episcopo.*
84 *Subduntur Bullis, & Decretis de non alienando.*

ORdo iste vocatur Herosolymitanus, in ea enim ciuitate initium habuit sub tutela S. Ioannis Baptistæ, cui vota solemnia Paupertatis, Castitatis & Obedientiæ consecrant eius professores, nuncupati etiam Rhodiani à Rhodo, nunc vero Milites Melitenses ab insula Melita, quam nunc incolunt. De hoc ordine *Tambur. tom. 2. disp. 34. q. 4. num. 91.* vbi Auctores

Auctores de eo agentes recenset. Deueniamus ad quæstiones more solito.

Quæres 1. An ordo iste sit proprie Religio? Ratio dubitandi est, tum quia more secularium viuunt in propriis domibus, & non collegialiter, quod est proprium religiosorum. Tum quia licet emittant votum paupertatis, nihilominus illud non seruant, sed ex propriis vitam degunt. Tum quia habitum regularem non deferunt, sed induunt habitum secularem contra vsum omnium Regularium. Demum Regularibus prohibetur delatio armorum, religiosorum enim arma sunt orationes, & lacrymæ, capit. Conueniot 20, 23. quæstion. 8. istis verò præcipiuntur, ergo non sunt religiosi.

Respond. Est, quia ad religionem proprie acceptam sufficit, si illius professores emittant solemnem professionem illorum trium votorum sub Regula approbata à sede Apostolica, *capit. Cum ad monasterium 6. de statu mon. iuncta cap. fin. de relig. dom. D. Thom. 2. 2. quæst. 186. per totam. Armilla v. Religiosus numer. 1.* & omnes, tales aut sunt Fratres Melitenses, habent enim suam Regulam à sede Apostolica, secundum quam emittunt solemnem professionem trium votorum, vt videre est in eorum libro, *stat. 1. tit. 2. de Recept. Fratr.* Ita in terminis *Nauar. consil. 2. de conuers. coniugat. Rodr. tom. 1. q. 1. art. 6. initio Diana part. 1. tract. 16. resol. 38.* Obiectis satisfit. Primo, manere extra collegium non tollit esse religiosum, *arg. cap. Insinuante, iuncta glos. v. Vt in domo, qui cler. vel vou. & Sanch. li. 5. c. 3. n. 52. & cap. 4. n. 10.* dicit manere intra religionem non esse de essentia religionis. Secundo, nego ex propriis viuere, cum sint tantum vsufructuarij bonorum siue ordinis, siue alias ex patrimonio, dependenter semper à superiore suo. Tertio, eorum habitus regularis est crux octogena quæ albi coloris, exstat. Quarto demum, in Fratres ex suo instituto debent ferre arma, quia militant contra infideles, aliis vero non, quia non pugnant armis, sed orationibus, concionibus, & scriptis.

Quæres 2. An sint personæ Ecclesiasticæ, & clericales: Pro responsione sciendum est, in hoc ordine distingui tres gradus. Sub primo continentur Fratres nobiles, qui vocantur Equites; sub secundo comprehenduntur Fratres clerici, qui & Capellani appellantur inseruientes in Ecclesiis Religionis exercitio diuinorum officiorum; sub tertio numerantur Fratres nuncupati Seruientes, qui domi, & militiæ aliis inseruiunt. Ex his igitur componitur iste ordo.

Respond. Professi huius ordinis, immo & Nouitij sunt personæ Ecclesiasticæ, cuiuscumque sint gradus ex illis tribus. Clericalis autem ordinis sunt tantum Capellani.

Primum de professis, quod sint Ecclesiastici, suadetur, quia illa est persona Ecclesiastica, quæ speciali modo deputatur ad cultum, & obsequium diuinum, quod accidit præsertim in professione solemni. Deinde nomen Religiosi significat Ecclesiasticum bonæ famæ, *Gloss. v. Religiosorum capit. 5. de purgat. canon. cap. Præsens, ad finem 4. 20. quæst. 3.* Præterea antiquitus Monachi erant laici, explicat *Glossa in capit. Placet 42. 16. quæstione prima*, idest, non clerici, ergo Ecclesiastici, siquidem nomen Ecclesiastici latius patet vocabulo clerici, omnes enim clerici sunt Ecclesiastici, non è contra. Est ergo omnium doctrina, Professus cuiuslibet ordinis esse vere, & proprie personas Ecclesiasticas, quod magis confirmatur in sequenti.

Secundum de Nouitiis suadetur, quia præparantur specialiter ad obsequium diuinum hospitalitatis, & militiæ Christi ad fugandos hæreticos, & alios nominis Christiani inimicos. Nouitios esse personas Ecclesiasticas, colligitur *ex cap. Quisquis §. Sacrilegium 17. qu. 4. capit. 21. de sent. excom. in 6. Graff. tom. 1. consil. 8. de voto num. 12. Nauar. consil. 5. de foro compet. ego capit. 4 de Nouitiatu q. 46. & cap. 5 q. 43.* Tales igitur sunt Nouitij cuiuscumque gradus Melitensium, siquidem isti more aliorum Regularium per annum probantur intra conuentum Melitæ, *vt constat ex Ordinat. 8. de Recept. Fratr.*

Tertium de Capellanis per se patet, illos nimirum non solum esse personas Ecclesiasticas, sed etiam clericos, quia in Ecclesiis ordinis sui diuina celebrant officia. Quare quod dicit *Garzias part. 1. de Benef. c. 4. n. 9. 10. & 13. relatus à Franc. Ansaldo consil. 14. num. 45.* Fratres huiusmodi esse laicos ad differentiam clericorum, intelligendum est de eisdem respectu primi, & tertij graduum?

Quæres 3. Qualis sit eorum Superior, & quo nomine vocetur? & an possit Fratres punire per censuras?

Resp. Eorum superior vocatur Magnus Magister, & decoratur nomine Eminentissimi, & Reuerendissimi à suis, & extraneis, non à Sede Apostolica, vt mihi relatum fuit. Eius potestas non est iurisdictionis spiritualis proprie, quia huius capaces sunt clerici tantum etiam primæ Tonsuræ, *ex cap. 2. de iudic.* ipse autem ex eo quod Magister superior, neque ex instituto sui ordinis clericus est, ergo eius potestas spiritualis non est iurisdictionis. Quare neque potest præcipere sub pœnis censurarum, ad quod præstandum non sufficit qualitas personæ Ecclesiasticæ, sed præterea requiritur, præter alia, quod persona sit constituta saltem in prima Tonsura, *vt dixi Res. 78 n 8.* Eius tamen potestas potest vocari spiritualis superioritas ratione voti obedientiæ sibi promissæ, & quatenus exercet quosdam actus spirituales, cuiusmodi sunt præcipere in virtute S. Obedientiæ, recipere ad professionem suos Nouitios, &c. in ordine ad militiam, & huiusmodi præcipit potestate quidem spirituali, eo quod ordinentur eius præcepta ad defensionem fidei catholicæ, insectando infideles, sed more potius laicorum affligēdo illos corpore & aliis pœnis temporalibus. Optimum esset pro maiori excellētia huius ordinis, si magnus magister, & alij superiores essent initiari saltem prima tonsura, qua mediante vti possent potestate iurisdictionis spiritualis ad ferendas censuras in contumaces, vt faciunt cæteri prælati Regulares.

Quæres 4. An magnus Magister dici possit Prælatus Ecclesiasticus?

Resp. Si nominis etymologiam spectamus, vocari potest Prælatus, quia omnibus suis subditis Fratribus anteponitur, & præfertur in potestate, honore, & onere. Si vero consideratur ex officio, & proprie, Prælatus reuera non est, quia ille est proprie Prælatus, qui saltem Prima Tonsura initiatus ex officio habet curam animarum, seu administrationem rerum Ecclesiasticarum ex officio suo, cum potestate ordinaria spirituali pro foro contentioso, *Ita Doctores cum Pan. in c. Cum ab Ecclesiarum, de offic. ord. & desumitur etiam ex cu. 2. de iudic. iuncta Gloss. fin. Silu. v. eodem cum cæteris Summistis.* Nullus ergo potest esse particeps huius officij Prælaturæ nisi sit prius prima saltem Tonsura initiatus, vt de communi testatur *Sayrus li. 1. de censur. c. 5. n. 8. Bonac. disp. 1. de censur. qu. 1. p. 2. num. 6. §. Hoc posito.*

Quæres 5. An gaudeant priuilegio vtriusque fori: vt non conueniantur coram iudice laico, nec eorum bona sint supposita oneribus laicis & canonicis, vt non possint lædi in persona sine excommunicatione lata contra inicientes manus violentas in clericum, seu monachum?

Resp. Gaudent omnes illius triplicis gradus vtroque priuilegio non solum professi, sed etiam Nouitij, & alij semicrucem portantes.

Prima pars de professis respectu priuilegij fori probatur, quia non minus sunt religiosi aliis regularib. ordinum claustralium, qui gaudent eo priuilegio ex communi omnium sententia, ergo & huius ordinis professores. Id colligitur *ex Bull. 77. Pij V. apud Compend:*

pend.decisum per Rotam apud Caesarem de Grassis decis. 47. Diana plures referens part.4.tract.1.res.36. Lucerna Regul.v.Milites num.1.& alij communiter, ita quod exemptioni renunciare non possunt, *Riccius part.4. decis.179.*

11 Secunda pars de Nouitiis suadetur, quia Nouitij aliorum ordinum sunt exempti, ex probatis *supra Res. 54.q.27.n.109.* Ergo & isti, qui illis aequiparantur, nam infra annum probantur in loco deputato, & non nisi eo completo possunt profiteri, vt habetur *ex ordinat.8.tit. de Recept.Fratr.*

12 Tertia pars de portantibus semicrucem tenetur à *Riccio part.4.decis.178.extremis verbis, Lezana part.2. cap.5. num.4. Diana part.1.tract.2 .resol.51.* Ratio est, quia militant actu sub obedientia Magni Magistri. Sed oppositum est multum probabile, quia aequiparantur Tertiariis viuentibus in propriis domibus, qui illis priuilegiis non gaudent.

13 Quod spectat ad priuilegium canonis colligitur ex illis verbis eiusdem canonis registrati *in cap.Si quis 22. 17.qu 4. In clericum, vel monachum manus violentas iniecerit.* Veniunt enim sub eo vocabulo *Monachum* Milites tam professi, quam nouitij, *iuncto cap.Religioso 21. de sent.excom.in 6.* Ita colligitur *ex Riccio part. 4.decis.177.* vbi id priuilegium competit Militibus aliorum ordinum, à fortiori istis, qui extra controuersiam Religiosi proprie vocantur. *Lezana part.2.c.5. nu38.*

Quaeres 6. An confiteri possint sua peccata confessariis non approbatis ab Episcopo?

14 Respondetur. Affirmatiue, quia circumstantia Approbationis Episcopalis à Tridentino requiritur in confessariis tantum respectu poenitentium secularium, vt de communi probaui *Resol.37. q.16. num.70. & refert Doctores, & sequitur Dianaresol.3.de dub.regul.* sed Milites isti non sunt seculares, ergo non tenentur eligere in confessarios sacerdotes approbatos ab ordinario loci. Ita docent nonnulli *apud Riccium, quos pro se citat parte quarta, decis.171. & praecitatum Dianam*, licet ipse asserat in contrarium consuetudinem adesse hic, & Resolution. fin. parte octaua, subdendo: *Video dictos Milites quo ad receptionem sacramentorum dependere ab ordinariis locorum.* Loco praedicto citaui pro me, sed postea vidi, ipsum sequi consuetudinem. Sed cum haec sit quid facti, potest esse verum contrarium, cum sit magis de iure, & à nonnullis audiui, hos Milites confiteri etiam à non approbatis ab Episcopo. Quod si maior pars illorum confitetur sacerdotibus ab ordinario loci approbatis, id non accidit illis, quia non possunt valide confiteri etiam simplicibus sacerdotibus, sed quia Milites accedunt ad confessarios communes, & expositos pro omnibus *Lezana tom.2.ca.5.nu.45.* vocat immerito falsam opinionem.

Quaeres 7. An M.Magister possit sibi reseruare casus, & ab illis absoluere.

15 Resp.Negatiue ad vtrumq; dictum, ratione superius allata, quia nimirum caret potestate iurisdictionis propriè dictae, cum non sit clericus, in quo fundatur potestas iurisdictionis spiritualis.

Quaeres 8. An habitum deponentes incurrant excommunicationem contra deponentes habitum suae religionis iuxta *cap. Vt periculosa 2. Ne cler. vel mon. in 6.*

16 Respond. licet teneantur deferre proprium habitum, qui est crux alba octogena, nihilominus non subduntur praefatae excommunicationi, quia haec afficit tantum Regulares claustrales proprium habitum temere dimittentes, vt colligitur ex fine illius constitutionis, quae est, ne detur illis occasio vagandi si habitum libere dimittere possent; occasio autem vagandi datur solis claustralibus, nam religiosi Milites cum careant clausura quocumque pergant, non dicuntur vagari, sed deambulare, quod illis vti nobilibus non disconuenit. Et ita docui *Resol.35. q.14.n. 43.* & idem probabile satis putat *Lezana part.2. ca.5. n.37.oppositum sentis Mota lib.2.cap.2.§.21.num.3.& 5. apud Dianam resolution. 30. de Regular.§. Tertio notat.*

Quaeres 9. An sint Apostatae, si deserant suum ordinem?

17 Respond. Affirmatiue *ex eodem Mota lib.2.cap.1. §.6.num.5.apud Dianam resol.30.de Regul.§.Tertio nota*, Ratio est, quia omnis religiosus deserens religionem, ad quam se voto obligauit, cum intentione non amplius redeundi ad illam, est apostata in omnium sententiam; sed quilibet militaris est proprie religiosus, ergo Apostata, si suum institutum deserat, non enim minus obligatur ad manendum in religione Militaris, quam claustralis, cum vterq; perpetuo se obliget seruire Deo in religione.

Quaeres 10. An Milites expendentes in vsus illicitos fructus, & redditus bonorum suorum siue ex patrimonio, siue ex commendis commissorum de licentia superiorum, peccent mortaliter & accipientes teneantur ad restitutionem?

18 Respond. In rigore iuris isti milites suos fructus expendentes in luxuriando, & ludendo in maxima quantitate peccant mortaliter, & accipientes tenentur ad restitutionem.

19 Primum de peccato mortali contra votum paupertatis probatur, quia in hoc aequiparantur religiosis claustralibus, qui fructibus, quos habent dependenter à voluntate sui superioris, abutentes sunt proprietarij, ex communi doctorum, ergo & isti. Confirmatur, quia licet obseruatio voti paupertatis apud istos non sit ita rigorosa, sicut apud claustrales, sed minus rigida, attento eorum statu, & conditione nobilitatis, quae exigit, vt in expensis licitis tamen, & honestis sint lautiores, & liberaliores, non ideo tamen inhoneste viuere debent, quia statum nobilem dedecet ideo nescirem illos excusare à vitio proprietatis illicite insumentes suos redditus, cum neque M. Magister, aut alius eorum superior iure possit illis concedere huiusmodi abusus. *Ita Rodr.tomo primo, quaestione 27.art.12.fine, & alij, quos contra se citat Diana part.1 tract.15. resolution.54. Lezana parte secunda, capitul.5.num.28. & ex his corrigo, quod dixi Resolution.33. quaestion.9. sequendo potius dictum Sanchez, lib.7. capite 8.num.32 & 36.* Laxior autem paupertas non excusat, sicut neque multo minos strictior, si quidem cum

20 hae qualitates se habeant secundum magis, & minus, neque proinde speciem mutent in voto paupertatis, quod idem manet in substantia, & sua ratione essentiali, manifestum est huius voti transgressionem esse sacrilegium proprietaris. Dicere autem, quod tenere oppositum, est mille laqueis conscientiam multorum constringere, non est homines à peccatis retrahere, sed magis illaqueare, ideo haec sententia vti vera omnino sequenda est, vt Milites contineantur in obseruatione suorum votorum, quae Deo voluntarie nuncupauerunt. Ad quid enim hoc votum paupertatis, si professi huius ordinis possent ad libitum proprium fructus, & redditus, quos dependenter à superiore suo habent, expendere etiam in luxus, & inhonestos vsus? Hac enim ratione nihil differrent à secularibus.

21 Dixi, *si laudant in maxima quantitate*, e.g. centum argenteos singulis annis; augetur summa, quia eorum equestris conditio ita fert cum isti soleant habere pinguiores redditus.

22 Secundum de restitutione sequitur ex dictis, nam ex violatione voti paupertatis sequitur iniustitia contra religionem, cui restituendum est ablatum. Quidam dicunt, ordinem non curare de his, dicit *Lezana parte 2. capitulo quinto, numero 28.* Sed vnde habent hoc, quod Religio non curat de restitutione male insumptorum.

Quaeres 11.

Quæres 11. An Nouitij quo ad probationem, & professionem subdantur Tridentino *sessione 25. cap. 15.*

22 Respondetur. Affirmatiue, id enim habetur expresse in eorum statutis, & præsertim ordinat. 8. de recept. Fratrum. Quare per annum debent manere in probatione non vbicumque, sed tantum in conuentu Melitæ, vt expresse dicitur in dicta ordinatione, & post ætatem sexdecim annorum completam expressam professionem emittere, & non ante. Ita Vecchius disput. 11. dubio secundo numero quarto. Gratian. capitulo 369. numero 27. Tambur. tomo tertio disp. sexta, quæstione vndecima, numero sexto. *Barbosa ad dictum capitulum 15. sessione 25. numero quinto, & decis. Apost. coll. 314. num. 16. LeZana par. 2. capitul. 5. num. 17.*

Quæres 12. An volentes reclamare contra nullitatem professionis subdantur Decreto Tridentini *sess. 25. cap. 19.*

23 Respond. Affirmatiue, quia & ipsi sunt religiosi proprie dicti, quod etiam persuadet illa dictio *Quicumque* quæ comprehendit omne genus personarum, *Menoch. consil. 224. num. 7.* & includit etiam personas priuilegiatas, *Farin. in praxi crim. par. tertia, quæst. 108. n. 6.* & ea propriis, quia iste ordo in suis statutis, & ordinationibus acceptauit decreta Tridentini de Regularibus. *Ita Riccius parte quarta, decisione 172. alios citans.* Quare si aliquis nulliter professus voluerit reclamare, id facere debet coram Magno Magistro, & Episcopo Melitensi, si ibi suam emisit professionem vt quilibet Nouitius tenetur ibidem proficere ex ord. 8. si vero extra professus est coram ordinario illius ciuitatis, vbi profecit, & Prælato, seu aliquo Fratre Milite delegato à M. Magistro, qui non potest personaliter interesse. Romæ causa delegatur Vicemgerenti ex parte Papæ, & Cardinali ex parte M. Magistri, quando Nouitius Romæ profecit ex apostolico rescripto. Itaque infra quinquennium reclamare possunt iuxta decretum Tridentini, post vero illud tempus necessarium est impetrare Rescriptum Apostolicum, per quod Reclamator restituatur in integrum infra tempus quinquennij.

Quæres 13. Cum pro Fratribus primi gradus, qui vocantur Equites necessaria sit nobilitas, qualisnam debeat esse illa?

24 Respond. Nullus potest fieri Nouitius, & profiteri in gradu Militis, nisi prius probauerit legitime suam nobilitatem non solum ex parte patris, sed etiam matris, & aui, atque auiæ, & pariter abaui; vt colligitur ex stat. 3. 6. 7. 13. & 17. Non obstat nobilitati mercatura, quam exercuerunt parentes, modo ipsimet ingressum petentes illam non exercuerint. Ex Margine ordin. 41. & facti ordin. 19. Huiusmodi exceptio locum habet tantum Florentiæ, Lucæ, & Genuæ, nobiles enim in illis locis mercaturā exercent, & merito, quia diuitiæ nobilitant, & infelix est pauper nobilis magis, quā inops plebeius. Nobilitas autē debet censeri talis absolute, & vbique, vt dectlum refert *Beltraminus ad decis. 322. Ludouisij*, quare licet

25 Comi Notariatum exercens habeatur pro nobili, non ideo tamen potest fieri Miles Hierosolymitanus, quia alibi Notarius non habetur nobilis.

Quæres 14. An afficiantur Bulla de Largitione Munerum?

Respond. Negatiue, cum ex illa excipiantur expresse. *Ita LeZana part. 2. cap. 5. num. 20. ex Diana*

26 *resol. 23. de Paupert. relig.*

Quæres 15. An succedant in feudis?

Respond. Affirmatiue, quia rationes, quibus excluduntur Religiosi claustrales à successione feudorum,

27 non militant contra hos religiosos, qui sicut inseruiunt militiæ Christi temporaliter bellando contra inimicos catholicæ fidei, ita eisdem instrumentis non decet eos seruitium præstare posse Domino seculari, præstando illi iuramentum fidelitatis, quod non disconuenit his militibus, qui honorifice, & splendide more nobilium secularium viuunt. Nec obstat, quod tunc essent obligati duobus Dominis respectu eiusdem officij, nempe M. Magistro, & Domino, quia etiam inter seculares inueniuntur Feudatarij subiecti simul duobus Dominis, ergo si non repugnat in hoc casu, neque in illo. *Ita aliis citatis Sanch. lib. 7. cap. 15. num. 49. Vide Riccium part. 4. decis. 175.* vbi doctores refert pro vtraque parte. Intellige, ista procedere, quando Miles ante professionem non fecit renuntiationem omnium bonorum.

Quæres 16. An comprehendantur sub Bulla de conseruatoribus incip. *Sanctissimus.* apud Peyrin. Constit. V.

Respond. Non afficit illos, nisi quo ad conser-

28 uatores, & non quo ad iudices ordinarios habentes iurisdictionem ordinariam intra limites suorum Prioratuum, *decisum apud Barbosam sess. 14. ad cap. 5. num. 6. & extat Bulla Vrbani VIII. 78. incip. Exponi, quam citat idem Barbosa in suis Decis. Apostol. collect. 314. num. 13.*

Quæres 17. An tacita professio locum habeat hoc ordine? Voco tacitam professionem illam, quæ antecedit omnem expressam, & contingit fieri à nouitio

29 per exercitium proprium solis professis, aut delatione habitus professorum. Et in hoc bene differt à Ratificatione, quæ semper supponit attentatam professionem nulliter factam. Certum autem est, Fratres Hierosolymitanos suam professionem nulliter emissam ratificare posse, quia nulli deest hoc beneficium pro salute animæ eorum, qui primo male profecerunt. Remanet ergo resoluenda quæstio in primo sensu.

30 Respond. Non habet locum, probatur, quia vbi adest statutum de professione expresse emittenda, non spectatur tacita, *Megal. lib. 2. de Panit. cap. 6. num. 3. ex Nauar. consil. 20. de Regular.* ea ratione, quod vbi expressum requiritur non sufficit tacitum, *cap. 2. de prebend. cap. fin. de procur. in 6. Tuscus lit. E. concl. 654.* quia expressum facit cessare tacitum, *l. cum ex filio, §. filio impubere ff. de vulg. & pupill. substit. Craneta consil. 92. num. 3.* In hoc autem ordine adest decretum de professione expressa sub ordinat. 8. tit. de recept. Fratr. ibi: *Atque expressam regularem professionem emittere.* Et ad hanc necessitantur per præcedens verbum; *Obnoxij existant.* i. obligati sint, arg. cap. 1. de crim. falsi, gl. initio.

Quæres 18. An Nouitij huius ordinis teneantur præmittere professioni vnum annum integrum probationis ad præscriptum cap. 15. sess. 25. Tridentini?

31 Respond. Affirmatiue ex dictis quæstione 11. & ita decernitur in ordin. 8. tit. de Recept. Fratrum, illis verbis. *Omnes obnoxij existant prius hic in conuentu annum probationis statutum peragere declarantes semper irritum, & nullius valoris, &c.* Itaque Nouitij tenentur agere nouitiatum vnius anni in conuentu Melitensi, aliter emissa professio, siue fiat à Milite, siue à Capellano, siue à Seruiente nullius est momenti.

Quæres 19. An ad valorem professionis necessarium sit, quod ea emittatur in conuentu, ita quod extra facta nullius sit valoris?

32 Respond. Professio emissa extra conuentum Melitæ nullius est valoris, vt expresse dicitur in citata ordinatione, quam infra extendam sub num. 52. Ita quod nullus de Religione dispensare potest ad profitendum extra, præter M. Magistrum.

Quæres 20. An ei Nouitio, qui iam debitum peregit Nouitiatum, addi possit onus renouitiandi, ita quod professio secuta non præmisso secundo nouitiatu sit nulla?

33 Respond. Affirmatiue in vno casu, nimirum, quando Nouitius vult abire domum parentum antequam profiteatur. Hoc autem onus M. Magister imponit recedentibus ad patriam sub similibus verbis. *Tenore præsentium discedendi à nostro conuentu Melita, eundique ad dictam patriam concedimus ea conditione, quod infra terminum duorum annorum ab hodierna die numerandorum ad memoratum conuentum redire debeas, ad tui Nouitiatus annum peragendum.* Conditio igitur renouitiandi nedum honesta, sed etiam necessaria, & iusta est, quod probatur. Tum quia in Tridentino sessione 25. capitulo 16. dicitur. *Finito tempore nouitiatus, superiores Nouitios, quos habiles inuenerint, ad profitendum admittant, aut è monasterio eos eiiciant.* Intellige *eiiciant*, si causa subest; in casu autem nostro non adest, vt constat ex data licentia, quare Nouitius nolens tunc profiteri necesse est, quod remaneat deinceps nouitius, ideo superior legitime apponere potest onus renouitiandi, & Nouitius tenetur acceptare illud, si intendit velle profiteri. Tum quia recedendo à Nouitiatu, & extra diu manendo potest mutare mores, homicidia, & alia scelera committere in graue detrimentum, & dedecus Religionis, ac proinde reddere se incapacem ad profitendum iuxta stat. 1. & 12. de Recept. Fratr. Tum quia tenet argumentum à matrimonio carnali ad spirituale professionis, ex vulgatis iuribus; sed denuntiationes sunt repetendæ, quando infra quatuor menses,

34 immo infra vnum, non fuit celebratum matrimonium, *tradit Bonac. q. 4. de Matrim. p. 6. num. 1. §. Hic tamen*, ergo idem dicendum de Nouitiatu, currit enim paritas, siquidem intra id spatium temporis possunt emergere impedimenta personas ad contrahendum siue matrimonium, siue professionem inhabilitantia. Tum quia dum mutatur locus, mutatur etiam mentis affectus, *Valet 9. dist. 81. cap. Fratrem 6. dist. 86.* & intermissione temporis diuersificantur mores, & opera hominum, *l. Si non sortem §. Libertus ff. de condit. indeb.* Quare M. Magister ad hæc prudenter animaduertens iustam habet causam cassandi primum nouitiatum, & nouum apponere volentibus ante professionem accedere ad patriam, vt peractione secundi nouitiatus, se certificet, an Nouitius mores mutauerit, an vero appareat talis, qualem se ostenderat ante discessum in primo nouitiatu.

35 Quare Nouitius cum hoc onere recedens non potest valide profiteri, nisi de nouo probetur, & stet in nouitiatu per annum, probatur, Tum quia prior nouitiatus non potest prodesse Nouitio, cum illi renuntiauerit, ac proinde cum non amplius existat, censetur ac si nunquam fuisset, professio autem facta sine præmisso nouitiatu nullius est momenti ex cap. 15. sess. 25. Tum quia ius semel extinctum, & cassatum reuiuiscere non potest, gl. fin. cap. cum cessante 60. de appellatione *gl. v.* Contrahatur, *cap. Quæris 127. dist. 4. de consecr.*

Neque dicas, Nouitij aliorum ordinum de licentia reuertuntur ad patriam sine hoc onere renouitiandi, ergo non videtur æquum imponere hoc iugum nimis graue Nouitio Hierosolymitano, maxime cum hic ordo sit laxior claustralibus? Respondetur enim Claustrales vbique Conuentus habere, ac proinde eorum Nouitij existentes in alio conuentu extra deputatum, adhuc dicuntur esse in probatione, & illorum mores, & vita obseruatur à professis, cum quibus viuunt, ita quod si grauiter delinquerent expelli possent, licet alias iudicati fuissent idonei ad profitendum, quia iudicium sicut restringitur, & regulatur ex anteacta vita, ita, & limitatur, vt vlterius non valeat, si noua causa expulsionis resultet in Nouitiis. In casu autem nostro ordo Hierosolymitanus licet diues, pauper tamen, quia vnicum habet monasterium Melitense, ideo Nouitij manentes extra illud non possunt dici adhuc esse in probatione, & eorum mores, & vita subsequens obseruari non potest à Religione pro eo tempore, quo foras vagantur. Ideo M. Magister legitime apposuit illud onus. Subiunge, quod hoc onere grauari possunt etiam Nouitij claustrales, quando diu mansuri sunt in loco, vbi conuentus non reperitur eiusdem ordinis, quia militant supradictæ rationes.

Quæres 20. An ad valorem professionis in hoc ordine necessarius sit consensus M. Magistri, & conuentus, prout hæc duo necessaria sunt pro claustralibus Nouitiis ad valide profitendum, vt docui *supra Resolutione 57. quæstione 7. fol. 182.*

37 Respond. Affirmatiue, quia Nouitij Hierosolymitani recipiendi sunt ad professionem iisdem conditionibus, formis, & legibus iuris communis, quibus admittuntur Nouitij claustrales, cum non minus euadant religiosi proprie dicti Militares isti, quam claustrales. Sed ad valide profitendum apud claustrales requiritur consensus superioris, & conuentus, ex allegatis supra, ergo & apud istos. Quod aperte colligitur ex Statuto secundo de Recept. Fratr. ibi: *Hora chi trouandosi atto, & idoneo secondo la forma de statuti, è consuetudini domandarà d'esser riceuuto alla professione.*

Nam ista aptitudo, & idoneitas indicanda est per consilium, & consensum superioris, conuentus, & licet non exprimatur, à quo id faciendum sit, de iure tamen subintelligitur id spectare ad superiorem, & conuentum ex illa regula, quod casus omissus relinquitur dispositioni iuris communis, *l. Si extraneus ff. de cond. causa data, l. commodissime ff. de liber. & posth.* ius autem commune disponit Nouitium iudicandum esse idoneum per superiorem, & conuentum ex textibus, & doctoribus allegatis citata *Resol.* 57. q. 7.

Quæres 21. An susceptio Cinguli cum cæteris ornamentis militaribus sit necessaria ad valorem professionis, in gradu Militis, ita quod eius omissio vitiet professionem? Seu, vt alij quærũt, An Cingulum sit de forma, aut solemnitate substantiali pro creando milite? Seu, an, vt valeat professio Hierosolymitani Nouitij in gradu Militis necessarium sit, vt prius ornetur Cingulo militiæ, & fiat formaliter miles per receptionem Cinguli?

Circa hunc casum in praxi contingentem multi scripserunt asserentes omissione Cinguli inualidam esse professionem, in causa nobilissimi viri Florentini Marchionis Petri Corsini inter quos sunt Hercules Ronconius, B. Mercatus, Antonius Diana, Augustinus de Bellis, Nicolaus Baldellus, Raphaël Auersam, Iacobus Pensa, Philippus Gratianus, Torqoatus Cupis, & alij egregij Doctores, quorum doctrina, & labores resplendent etiam extra Italiam. Ante eosdem ego raspõdi Florentiæ, & nunc.

38 Respond. Omissione Cinguli nullam sequi professionem, quia illius susceptio est prærequisitum necessarium ad valorem professionis seu de forma, & solemnitate substantiali, vt probabo septem argumentis; omissio autem formæ substantialis in omnium sententia irritat factum sine illa, *l. Manius, l. Qui heredi ff. de condition. & demonstration. quia forma substantialis dat esse rei, leg. Diuus ff. de restitution. in integr. Barb. Axiom.* 100.

39 Primum argumentum desumitur ex *Statut. 2. tit. x. de Recept. Fratr.* illis verbis. *Prima, che pigli l'abito, à faccia professione, è necessario, che sia ornato del Cingolo della Militia, è però se d'alcuno Principe Catolico, ouero da altro, che habbia autorità di concedere il grado di Caualeria, non hauerà ottenuto li ornamenti della Militia, dal Fratello Caualiero dell'ordine nostro, che riceuerà la sua professione, ouero d'alcun' altro Fra-*

tello

tello Canaliero dell'istessa Militia riceua l'ornamenti secondo la consuetudine, che si osserua nel concedersi la Militia, e finalmente con l'ordine sodetto faccia la professione.

40 Pondera primo illam clausulam: *E necessario*, quæ importat & inducit formam substantialem secundum doctores asserentes formam dici substantialem, quotiescumque additur necessitas aliquid faciendi, qui sunt *Auend. resp. 4. num. 2. Matienz. lib. 5. compil. tit. 1. gl. 4. num. 6. & 7. cum aliis Barbosa dict. 100. n. 2. alios plures refert Lancellotus Gallia consil. 31. à num. 6. Signor. consil. 87. num. 4. & 5. Farin. in fragm. cr im. part. 2. v. Lex n. 206. quorum nonnullos refert Sanch. lib. 2. disp. 31. n. 2.* qui nec à nobis in hoc dissentiret, quatenus verba formalia sunt necessaria ad probandum matrimonium in facie ecclesiæ contractum, sic enim loquitur tex. in cap. Tuæ, de sponsal. ibi: *Sed necessaria sunt quantum ad ecclesiam.* Necessitas ergo

41 hic sumitur proprie, non pro vtilitate, seu honestate. *Pontius lib. 2. de matr. cap. 7. num. 10. & 11.* Confirmatur, quia verbum *Necesse est, seu, Necessarium est* importat proprie obligationem ad agendum, vel desistendum, *ex cap. Ad limina 7. 30. q. 1. cap. Sicut to. dist. 1. de consecr. cap. 1. 34. q. 1. cap. 3. de constit. gl. v. Necesse, cap. Domino. dist. 50. Sanch. lib. 6. cap. 4. n. 38.* etiam ratione huius statuti, vt colligitur ea Stat. 3. tit. 1. de Regula, vbi habentur hæc verba: *La transgressione delle cose, che nella Regola si contengono, obliga l'anima, & il corpo.* Deinde hoc verbum *E necessario* in stat. 17. eiusdem tit. 2. de Recept. Fratr. sumitur rigo-

42 rose, & obligatorie, si quidem in hoc ordine nullus secularis recipitur, nisi prius probet nobilitatem generis. Ex his patet, Aduersarios male interpretari illas dictiones pro vtilitate, honestate, & decentia, asserentes, esse conueniens, & honestum, quod Nouitius ante professionem decoretur ornamentis militaribus, sequentes gl. in cap. 9. dist. 76. & alibi, verbum *ne-*

43 *cesse est* accipientem pro *conueniens est.* sed errant dum huic materiæ applicant illam significationem, cum in casu nostro agatur de materia obligationis, & non tantum conuenientiæ, Regulæ enim, & constitutiones Religiosorum obligant si non ad culpam semper, saltem ad pœnam.

44 Noto hic in omnium sententia, quod triplex est genus necessarij; primo necessitate Medij, quo omisso etiam inculpabiliter, seu ignoranter finis non obtinetur; vt sine Baptismo non acquiritur salus; secundo necessitate præcepti, quale est omne id, quod præcipitur agendum, vt confessio, & communio in Paschate. Quod tale est necessitate medij est etiam necessarium necessitate præcepti, quia in moralibus medium præcipitur. Tertio denique necessarium necessitate conuenientiæ, seu honestatis, decentiæ, & vti-

45 litatis consequens ad illa duo, vt de se patet. Susceptio igitur Cinguli non solum est conueniens, sed etiam necessaria non tantum necessitate præcepti, quia præcipitur in eo statuto, verum etiam necessitate Medij, quia eo omisso etiam inculpabiliter, & ignoranter Nouitius non consequitur validam professionem, vt cœpi id probare, & magis infra constabit.

46 Pondera secundum exquisitatam formam, per quam cum tot geminationibus, & replicationibus præscribitur Cinguli susceptio ante professionem designando personas cum talibus requisitis, quæ possint Nouitium ante professionem decorare cingulo militiæ non in quouis gradu, sed tantum, & præcise in gradu Militis, non solum ante professionem, sed etiam ante receptionem habitus; quæ forma exquisita decorandi militem Nouitium arguit, susceptionem Cinguli esse substantiale prærequisitum ad valide profitendum, siquidem teste Virgil. Bocatio in constit. *March. glossa 6. num. 165. apud Barbosam Axiom. 100. num. 2.* forma tunc dicitur substantialis, quando legislator circa illam disponendo, vehementi, & studiosa se applicat consideratione, speciali ordine proponendo modum, tempus, qualitatem, quibus seruandum est dispositum. Confirmatur, tum quia vbi tem-

47 pus adijcitur, ibi est forma substantialis, *Marsil. consil. 65. num. 4. Felin. in cap. Cum dilecta num. 35. de resc. Farin. in fragm. v. Forma. Surd. consil. 124.* Tum quia cum geminatio verborum denotet enixam, inuiolabilem, & præcisam voluntatem disponentis, *l. Balista ff. ad S. C. Trebell. Iason. in l. Cunctos populos C. de summa Trin. num. 21. Surd consil. 369. num. 16.* signum est euidens, legislatorem illud statutum concedendo voluisse apponere formam substantialem, vt metu nullitatis nullus auderet omittere ornamentum Cinguli.

48 Pondera demum tertio ordinem seruandum in susceptione Cinguli; ibi: *Prima, che pigli l'habito.* Et infra. *Con l'ordine sodetto faccia la professione.* Nam vbicumque est ordo prioris, & posterioris, ibi est forma substantialis, ita quod vnum essentialiter ordinatur ad esse alterius, *secundum Felin. in cap. Cum dilecta, de rescr. n. 6 Verall. part. 3. decis. 175. num. 3.* & in terminis professionis inualide ex non præmissis informationibus debitis, docuit *Rota apud Garziam part. 9. de Benef. cap. 2. num. 330.*

49 Nec obstat limitatio eiusdem Felini apud *Sanch. lib. 8. disp. 34 num. 77.* illud procedere, quando præscriptus ordo est de re magni momenti, non autem de re

50 leuis momenti. Quia statutum nostrum de Cingulo est de re magni momenti. *Primo*, quia per Cingulum Religio Militaris essentialiter distinguitur à non militari. *Secundo* quia per Cingulum quis constituitur in dignitate militari, quæ magni æstimatur apud omnes *Tertio* quia ornamenta, quæ hominem reddunt magnum, & honorificum sunt magni momenti. *Quarto*, quia illius susceptio exquisita præscribitur forma; leges autem & statuta de leuibus non curant, iuxta illud. *Prætor non curat de minimis. Quinto*, quia ex illius omissione professi non registratur in albo professorum, quod est efficax argumentum, cingulum in hoc ordine magni æstimatur. *Sexto*, quia res ea antiquitate in magna habentur consideratione, & æstimatione, vsus autem huius Cinguli in ordine isto est ab initio, cum simul fuerit Religio, & Militia, vt colligitur ea Statuto 2. de Regula. *Septimo* Cingulum in iure l. Omnes C. vt dignitatum ordo seru. lib. 12. dicitur illustris dignitas. *Octauo*, tam magni Cingulum in iure æstimatur, vt Miles exautorizandus exuatur cingulo, vti hoc ornamento indignus, *l. 2. §. Ignominiæ, ff. de iis, qui not. infam. Catal. G. M. part. 9. consid. 26. Nono*, Cingulum in milite dat potestatem inferendi bellum, quo iure caret incinctus, *Paris. de Puteo de re milit. tom. 5. fol. 157. Catal. par. 9. consid. 26. Decimo*, non est leuis momenti Cingulum, cum quis non possit probare se militem; nisi demonstret, se fuisse Cingulo armatum secundum formam iuris, *Mascardus de probat. conclus. 1054. num. 4.* Secundum

51 argumentum accipitur à prima ordinatione registratæ sub tit. 2. de Recept. Fratr. tenoris sequentis. *Mandantes ne de cætero tam in conuentu, quam extra conuentum, aliquis ad habitum nostrum suscipiendum, alio quocumque modo gradu, seu denominatione admittatur, nisi in tribus distinctis gradibus declaratis in statutis 2. 29. & 30. de recept. Fratr. factis, & exhibitis probationibus nobilitatis, & legitimitatis respectiue bonis, & validis, iuxta dictorum, & vniuersorum aliorum statutorum normam, & tenorem. Decernentes quodcumque secus faciendum, ita nullum fore, vt semper de inualiditate professionis impugnari possit, & iustitia mediante, sic non canonice admissi, ad habitum dimittendum cogi possint, & debeant.*

Probandum igitur eſt, decretum hoc irritans afficere ſtatutum noſtrum quo ad tria, nimirum irritare profeſſionem emiſſam extra illos tres gradus Militis, Capellani, & Seruientis, ſimpliciter non præmiſſis bonis,& validis probationibus legitimitatis, & nobilitatis, & quo ad hæc duo puto nullam eſſe difficultatem etiam apud Aduerſarios, ſed quo ad tertium tantum, quod eſt, hoc Decretum irritans afficere profeſſionem emiſſam ſine Cingulo, igitur hoc probandum eſt, *Primò* quidem, quia in ſtatuto noſtro citato in hac ordinatione de duobus diſponitur, de triplici gradu, & de Cingulo; non eſt autem maior ratio dicendi, quod decretum non afficiat profeſſionem factam ſine Cingulo, vtique vero emiſſam extra illos gradus, cum æqualiter in ſtatuto ſecundo diſponatur de Gradu, & Cingulo. Si aſſignes maiorem rationem, quia in terminis formalibus exprimuntur gradus in hac ordinatione, non autem Cingulum. Contra eſt, quia non idcirco excluditur Cingulum, ſiquidem exprimuntur gradus, quia ſunt principalior pars, quibus accedit Cingulum diſtinctũ gradus Militis à cæteris duobus, ita quod illi gradus cognoſci non poſſunt ſine diſpoſitione Cinguli, quare cum diſpoſitio à gradu Militis ſit inſeparabilis, quod dicitur de vno expreſſius intelligendum eſt etiam de altero, ex vulgatis iuribus, quod connexorum debet eſſe idem iudicium, licet de Cingulo non fiat ita patens expreſſio ſicut de gradibus, fit nihilominus aliqualis expreſſio, & quia citatur ſecundum caput, in quo exprimitur, expreſſum enim dicitur, quod continetur ſub generalitate verborum, licet non exprimatur in propriis terminis *gl. v. Specialiter, l. fin. C. quod cum eo.* Expreſſum etiam dicitur, quod continetur ex vi verborum, *Pariſ. lib 6. de Reſign. q. 2. num. 55.* Expreſſum item dicitur, quod per relationem exprimitur, *Ioſeph. de Seſſe Arag. deciſ. 202. num. 31.* conſtat autem exprimi Cingulum per relationem ad ſtat. 2. in quo de illo diſponitur, & de eodem fieri mentionem ex vi illorum verborum. *Alio quocumque modo, ſeu denominatione.* Cingulum enim modificat,& qualificat Nouitium, quia illum conſtituit & denominat militem. Secundo per præſens Decretum irritans nulla eſt profeſſio Capellanorum, & Seruientium receptorum contra formam ſtatutorum 29. & 30. vt dicit Margo, quæ per Aduerſarios probat, cum ſit appoſita ex ordine M. Magiſtri, ergo ſicut per hoc Decretum afficitur totum ſtatutum, 29. & 30. ita & noſtrum ſecundum ſtatutum, in quo de Cingulo. *Tertiò* Ordinationes in pluribus ſunt declaratiuæ ſtatutorum, & eorum corroborationes, & confirmationes exiſtunt, ergo parum refert exprimere in terminis formalibus ea, quæ in illis continentur, cum ſufficiat ea ſimpliciter citare, vt fit in hac ordinatione. Quarto demum exprimuntur formaliter probationes legitimæ faciendæ de legitimitate, & nobilitate, quia de illis nulla fit mẽtio in præcitatis ſtatutis, in quorum 2. cum exprimatur de Cingulo, ideo neceſſe non fuit de illo verba reſumere in propriis terminis.

52 Tertium argumentum deſumitur ex ordinat. 8. quæ ita ſe habet. *Item inhærentes diſpoſitioni ſtatuti 21. de Recept. Fratr. confirmarunt, declarauerunt, & ſtatuerunt, quod nemo in gradu Militum, aut Capellanorum, vel Seruientium armorum ex quacumque etiam vrgente cauſa, vel fauore diſpenſari poſſit ad ſuſcipiendum habitum extra conuentum; quinimo omnes obnexy exiſtant prius hic in conuentu annum probationis ſtatutum peragere, & deinde etiam habitum in conuentu, ſeruatis ſeruandis, ſuſcipere, atque expreſſam regularem profeſſionem emittere, declarantes ſemper irritum, & nullius valoris contra dicti ſtatuti, & præſentis declarationis, & ordinationis diſpoſitionẽ, diſpenſatũ, vel factum fuerit.*

In hac ordinatione tria ſtabiliuntur, primum, quod nullus diſpenſetur ad recipiendum habitum extra conuentum; ſecundum, quod Nouitiatus ibidem peragatur, tertium denique quod habitus, & profeſſio recipiatur in eodẽ conuentu, ſeruatis ſeruãdis. Decretũ irritans cadit ſuper illa tria ac proinde profeſſiones emiſſas extra conuentum, ſeruatis ſeruandis, inter quæ ſeruanda præter alia ſine dubio eſt Cingulum Nouitio tradendum ante habitum, & profeſſionem ex Statuto noſtro, quo omiſſo remanet nulla profeſſio per præſens Decretum, quod profeſſiones factas extra conuentum non ſeruatis ſeruandis, decernit inualidas.

53 Quartum argumentum deſumitur ex militia, quæ debet formaliter ineſſe Nouitio profeſſuro, nã Nouitius nondum Miles nullo modo profiteri poteſt in hoc ordine, quia ſoli milites formaliter tales recipiũtur ſub primo gradu, qui ideo dicitur Militũ ex eodẽ Statuto 2. quod eſt luce clarius. Quare qui nõdũ Miles creatus profitetur, inualidam facit profeſſionem, omiſsione Cinguli, cuius ſuſceptio neceſſaria eſt ad conſtituendum aliquem in Militem etiam iure communi, *l. Filius familias ff. de milit. teſtam. & dict. in l. pen. ff. Ex quibus cauſis maior. & gl. v. Cingulum cap. Si quis 4. dict. 50.* vocans Cingulum caracterem militarem ſignum diſtinguens militem à non milite, & ſicut ſine caractere ſpirituali, quis non efficitur clericus ſuſceptione ordinum, ita neque ſine Cingulo aliquis poteſt fieri miles. Confirmatur, tum quia religiones militares eſſentialiter diſtinguuntur à clauſtralibus,& non militantibus per formam militiæ, quæ in hoc ordine acquiritur per decorationem Cinguli, quæ eſt forma militis conſtitutiua, ergo ea omiſſa corruit profeſsio attentata. Tum quia ea profeſsio eſt nulla, quæ fit in gradu extraneo ab illis tribus Milite, Capellano, aut Seruiente, ſed profeſsio quæ fit à Nouitio prætendente eſſe equitem, fit extra gradum militis, quando prius non recepit Cingulum militiæ, eo enim omiſſo dicitur profiteri ſine gradu militis, ac proinde extra gradum militis.

54 Quintum argumentum accipitur à ſubordinatione eſſentiali ſtatuum Militiæ, & Religionis, qui in hoc ordine coniunguntur nam quando ſtatus duo ſubordinantur vnus alteri indiuiſibiliter, & eſſentialiter, tunc prior ſtatus eſt eſſentiale requiſitum ad ſecundum; & hoc patet inductione, nam ſine Baptiſmo, per quod homo ponitur in ſtatu catholico, reliqua ſacramenta inualide recipiuntur; & ſine ordine, quo homo conſtituitur in ſtatu clericali, inualide acquiritur beneficium. Item ſtatus catholicus neceſſarius eſt ad matrimoniũ, quod ſine eo nullum eſt, Item ſtatus nouitij eſſentialiter ordinatur ad profeſsionẽ, quæ ſine illo nulla eſt. In caſu autem noſtro res ita ſe habet, nam militia eſt quidam ſtatus è Nouitio Hieroſolymitano acquirendus per ſuſceptionem Cinguli, in quo ſtatu Nouitius debet eſſe conſtitutus antequam aſcendat ad ſtatum Regularẽ per ſuſceptionem habitus, & emiſſionem profeſſionis, ergo Nouitius miles nondũ creatus nõ poteſt valide profiteri defectu ſtatus militaris omiſſione Cinguli. Cõfirmatur ex differentia religionis militaris à clauſtrali, nam in hac vnicus ſtatus eſt, qui dicitur Monachatus, In illa vero præter Monachatum prærequiritur alius ſtatus, qui dicitur Militaris, per quos ſtatus dictæ religiones inter ſe differunt eſſentialiter, neceſſe eſt ergo quod Nouitius per Cingulum conſtituatur in ſtatu militari prius quam profiteatur, ſicut neceſſarium eſt, quod per profeſſionem reponatur in ſtatu Monachatus ad illum ſuccedente. 55

56 Nec prodeſt quicquam dicere, eſt ordo eſſentialis inter ſeptem ordinationes ſacramentorum, & tamen ordinatio facta per ſaltum tenet, ergo & profeſſio ſine Cingulo, ſaltando à ſtatu nouitiatus ad ſtatum monachatus ſine ſtatu militari. Quia reſpondetur primo; ſacros ordines eſſentialiter ſibi non ſuccedere, neque neceſſarium eſſe neceſſitate medij, ſed tantum præcepti ſeruare gradationem in receptione ſacrorum ordinum, ſubordinatio vero Cinguli ad profeſſionem eſt neceſſaria eſſentialiter, & neceſſitate etiam medij.

Secundo

Secundo ordines sacramentum licet inter se plures sint, non ideo tamen diuersos status constituunt, sed vnicum, qui dicitur Clericalis, qui postremo perficitur sacerdotio, clericus ergo statum non mutat, sed per eundem semper graditur successiue recipiendo ordines. Nouitius vero constituitur in diuersis statibus, nam per Cingulum fit in statu militiæ, per professionem transit ad statum Monachatus sine amissione prioris status. Subordinatio igitur sacrorum ordinũ est accidentalis, & necessaria necessitate præcepti, sub eodem statu clericali; subordinatio vero Cinguli ad professionem est substantialis diuersorum statuum, & necessaria necessitate etiam medij.

57 Hinc spectatur duplex prærogatiua, seu dignitas, & superioritas in superiore militari Hierosolymitano ex illo duplici statu orta, Principatus nimirum, & Prælatura, seu superioritas; respectu primæ dicitur creare milites, respectu secundæ illos iam creatos milites recipit ad professionem. In superiore vero claustrali, in quo vnicus sufficit status, nempe Monachatus, vnica apparet prærogatiua superioritatis ad recipiendos Nouitios, & regendos professos.

58 Sextum argumentum deducitur ex negatiua Albi, nam Vicecancellarius ordinis non registrat professiones illorum, qui extra conuentum ex Apostolico Rescripto profitiunt sine Cingulo, vt accidit Domino meo nobili Marchioni Petro Corsino, in cuius gratiam hanc institui Resolutionem, cui reddidit hanc rationem: *Quia non constabat* præfatum D.N. ante *trium votorum emissionem, & habitus susceptionem Cingulo militia ad formam Statuti secundi, &c.* Quod est argumentum valide vigens, susceptionem Cinguli esse de forma substantiali, maxime cum M. Magister in Consilio, post litem motam mandauerit suo Cancellario, vt exprimeret supradictam causam, qua noluit, eius professionem registrari in libro professorum; ex quo infertur in Religione hac huiusmodi sic professos sine Cingulo non haberi pro professis.

Neque dicas, professionem non fuisse registratam, non ex eius inualiditate, sed in pœnam transgressionis Cinguli non suscepti, Religione enim sciente, nullam pœnam imposuit M. Magister nisi illam, quod non describeretur in Albo. Respondeo etenim sic pro-
59 fitentes sine Cingulo non esse in culpa, ad hos enim Nouitios non spectat propriis manibus illa ornamenta sibi accingere, sed danda sunt ab habente potestatem ex præscripto statuti, quod omnium clarum est, quia nemo seipsum militem creare potest, sed ab alio procedere debet militis creatio; & facit illud sacrum: *Nemo assumat sibi honorem.* Quare cum omissio Cinguli sit inculpabilis, nulla causa alia assignabilis est negatiuæ responsionis, nisi quia inualida est professio eorum, qui illam faciunt sine susceptione Cinguli, neque enim professiones inualide registrantur in libro professorum.

60 Septimum argumentum ex dubietate, quia in dubio formæ, an sit substantialis, an accidentalis præsumenda est substantialis, Doctores refert *Barbosa Axiom.* 100. *n.* 1. *Aldobrand. l.* 1. *consil.* 103. *num.* 14. *Auend. consil.* 14. *num.* 3. *Decius consil.* 110. *n.* 6. *Remin. iunior consil.* 467. *num.* 8. procedit hoc, siue forma sit inducta de iure comuni, siue speciali, nam lex, statutum sicut parificantur in perpetuitate obligationis cap. fin. de off. legati, & cap. 2. de constitut. in 6. ita, & in modo obligandi. Deinde statuta interpretantur secundum ius commune, gl. v. nec iuri communi, *cap. Cum dilectus, de consuetud. M. Anton. lib.* 2. *resol.* 21. *num.* 8. *ergo* & nostrum statutum interpretandum est, vt inducat formam substantialem, sicut in simili casu induceret ius commune.

61 Modo respondendum Aduersariis, qui scripserunt pro contraria parte omnium valere professionem, licet omittatur Cingulum. Hanc opinionem tenuerunt sequentes Doctores Stephanus Quaranta Theatinus, Prior ecclesiæ Melitensis. Sfortia Pallauicinus, cum Honorato Niequeto, Vincentio Araneo, Francisco Piccolomineo, Ioanne Baptista Rossiquex, Gualterio Purezzo, Antonio Thesauro, qui omnes sunt graduati Societatis Iesu. Ioannes Baptista Lezana Carmelita, alij huius ordinis Discalceati, Ioannes à S. Hieronymo, Isidorus à S. Dominico, Seraphinus à S. Mariæ; ex Theatinis Angelus Maria Vercellus, Thomas de Aquino, Ioseph de Vonna, Vincentinus Gillibertus, & Hieronymus Lantfrauchus, omnes graduati. Hilarion Roocatus Abbas Cistertiensis. Ex Dominicanis Aloysius Brunus, Gregorius Cipullus, Seraphinus Cechinus, Thomas Maria Ruffus pariter graduati, Incerti auctoris, demum Franciscus Cinus Aduncatus vir magnæ eruditionis, qui omnibus lumen dedit ad discurrendum de hac materia, placet quidem inuentio, sed conclusio facti displicet. Paucis me expediam referendo principalia argumenta, nam singulis etiam leuibus respondere non expedit, quibus alibi respondi, & supra nonnullis.

62 Primo argumento, quod est tale, Aduersariorum dicentium, illa verba statuti: *Necesse est, Necessarium est* non importare necessitatem, sed tantum conuenientiam allegatis iuribus, & doctoribus, & statuto 17. eiusdem tit. 2. de Recept. vbi dicitur, necessarium esse volenti hunc ordinem ingredi vt prius probet legitime suam nobilitatem, quam si non probat, deiicitur postea in pœna in gradum Seruientium, Stat. 24. ex quo infertur, illa verba non inducere formam substantialem, sed tantum conuenientiam, aliter tanquam valide professus non traderetur inter Seruientes.

Respondi iam supra sub num. 41. illa verba accipi in propria significatione necessitatis, & obligationis inducentis formam substantialem etiam respectu Stat. 17. cuius expositioni non aduersatur stat. illud 24. quia intelligitur illa deiectio respectu illorum, qui volunt permanere in religione, nam tunc profitentur in gradu Seruientium, quia suam nobilitatem non probarunt, præterquamquod illud Statutum frustra allegatur, de medio sublatum per Generale Capitulũ.

63 Secundo argumento à Ceremoniali, seu Pontificali desumpto, in quo nulla fit mentio de Cingulo, quod est signum, ornamentum militare non præsupponi tanquam quid substantiale ad professionem.

Respondeo, Ceremoniale nihil obstare, vt patet legenti illius Rubricam tenoris sequentis. *Cum Summus Pontifex committit, aliquem creari in militem ordinis militaris, Pontifex, cui creatio huiusmodi commissa est, in primis imponit ei habitum illum, quo milites illius ordinis, quem intendit profiteri, vti consueuerunt; Deinde recipit ab eo adhuc genuflexo professionem per tales emitti solitam votorum, secundum illius ordinis statuta.* Per hæc igitur verba non est sublatum Statutum nostrum de Cingulo, quod ostendo. *Primo*, quia specialia statuta, & consuetudines, qualis est hæc de Cingulo non tolluntur per generales dispositiones, nisi de illis fiat expressa mentio, cap. 1. de constit. in 6. Clemens autem VIII. in suo Pontificali nullam fecit mentionem destructiuam huius statuti, ergo non fuit sublatum. *Secundo* in ea Rubrica dicitur, quod Pontifex recipiat professionem secundum illius ordinis statuta, ergo recipitur præmisso Cingulo cum aliis ornamentis, vt postulat statutum. *Tertio* Pontifex debet recipere professionem non cuiuslibet personæ sed personæ militis, ergo necesse est, quod illum prius faciat militem traditione Cinguli iuxta tenorem huius Rubricæ. *Quarto* Pontifex recipit professionem illam, quam alij Nouitij solent emittere; sed eam tollent ex statuto, & consuetudine emittere accincti armis militaribus, ergo & talis est mens huius Rubricæ. Dices, quare Papa in concedenda illa Rubrica non fecit mentionem de Cingulo, sicut factum fuerat in antiquo Pontificali? Ratio est, quia dando leges vniuersales respectu omnium Catholicorum,

non fuit necesse descendere ad specialia huius, vel illius Ecclesię, neque ad hunc, vel illum ordinem segularium.

64 Tertio arguit D. Cinns, quia sicut Nouitius claustralis in gradu clericali valide profitetur sine vllo ordine præuio, ita & in gradu militis sine Cingulo, ratio vtriusque est quia illi gradus non pédent à dignitatibus ordinis, & militiæ, seu à Cingulo, sed a receptione Nouitij ad probationem. Confirmatur, quia si professio penderet à gradu, hoc ablato, tolleretur professio, & nihilominus remanente antiqua professione Miles transit, seu deiicitur in gradum Seruientium. ex Stat.24.

Respondeo *Primo*, neutes Nouitius per receptionem ad Nouitiatum constituitur in suo gradu, sed vtrique tantum promittitur, & postea per Cingulum datur nouitio Militari, claustrali vero in susceptione ordinis, & sic falsum est, Nouitium claustralem profiteri in gradu clericali, solum enim proficit vt Chorista. *Secundo* illis tres gradus Fratrum Militum Capellanorum, & Seruientium competūt tantum professis, vt constat ex Stat. nostro, quod est de diuisione Fratrum in illos tres gradus, quo nomine Fratrum veniunt tantum professi ex Stat. 1, tit. 19. de signif. verb. Quare gradus non supponitur inesse Nouitiis initio nouitiatus, *Tertio* in religione claustrali vnicus est status, in militari duplex Militiæ, & Religionis, ille

65 huic subordinatur. Ad confirmationem dico, falsum esse, sublato gradu tolli professionem, prætesquamquod non est necesse, vt ea, à quibus pendet professionis valor in fieri, post semper remaneant, nam probationis annus, consensus, habitus, & similia necessaria sunt ad valide profitendum, & tamen transeunt, & professio remanet; à fortiori remanet miles professus licet in pœnam deiectus à suo gradu in gradum Seruientium, sicut remanet Clericus professus proiectus in gradum Conuersorum; demum expulsus remanet professus, & tamen exuitus habitu, & aliis prærogatiuis.

66 Quarto, Stilus est in hoc ordine, vt actus expresse irritentur, quos Religio non vult subsistere. *Secundo* forma inducta sine Decreto irritate non est substantialis, & maxime quæ datur habenti iam potestatem agendi; constat autem Stat. 2. carere Decreto irritante, & Religionem ab initio habuisse facultatem recipiendi ad professionem suos Nouitios, & postmodum militiam fuisse superadditam cum huiusmodi forma Cinguli, ergo non est substantialis. *Tertio* sustinetur matrimonium contractum contra prohibitionem Ecclesiæ non continentem expresse Decretum irritans, ergo & professio, quia ab vno ad illud valet argumentum.

67 Respondeo, non constare de illo stilo, immo contrarium reperitur in Statutis, pro qua re notandum est breuiter, quod Decretum irritans est duplicis generis, expressum, & tacitum, in illo exprimitur nullitas claris verbis, hoc modo se habet Stat.8. ibi: *Dichiariamo di nun valore*. Item Stat. 22. & alibi. In tacito autem non exprimitur nullitas, sed per æquiualentia subintelligitur, vt videri potest in Stat.9. 10. 11. & 12. Ratio est, quia in arbitrio est legislatoris modo in vno loco exprimere irritationem formalibus verbis, in alio modo æquiualentibus. M. autem Magister in nostro Stat. sufficientes apposuit Decretum irritans saltē tacite, in ea clausula: *E necessario*. ex probatis supra sub nu. 40. Et de hoc duplici decreto non est disputandum, quia colligitur ex dispositione impedimentorum Matrimonij, de tacito præsertim iure antiquo, Caus.30. & 35. Et ex his patet ad argumentum, siquidem Statutum nostrum non caret Decreto irritante tacito, & de expresso habemus duæ ordinationes, prima de qua sub num. 51. & octaua sub num. 52. Ad secundum dico non esse verum dari formam iam habenti potestatem, quia constat Religionem, & Militiam simultaneas esse in hoc ordine, ex Stat. 1. & 2. de Regula, vt bene aduertit doctissimus Ronconius in hac causa num.45.

Quinto arguunt, primam ordinationem, quam ego casui nostro applicaui sub num. 51. referri tantum ad triplicem gradum, & validas probationes, ita quod Decretum irritans afficit professionem, quam reddit nullam, si fiat in gradu extraneo, & sine legitimis probationibus, quod confirmant *Primo*, quia Decretum irritans stricte intelligendum est, ac proinde non ad omnia antecedentia referendum, in terminis professionis *Sanch. lib. 7. disp. 37. num. 54.* *Secundo* ex Margine, quæ illum triplicem gradum solum modo exprimit.

68 Respondeo, falsum esse, decretum illud afficere tantum professionem in gradu extraneo, & non præmissis probationibus legitimis emissam, siquidem supra sub num. 52. probaui afficere etiam professionem factam sine Cingulo. Ad primum dico, Decretum non ampliari, sed solum refertur ad expressa ibidem, quæ sunt professio extra gradum, sine Cingulo, & sine probationibus. Cingulum autem medium est inter illa duo, aut certe non magis distat à Decreto, quam gradus, cum sub eodem statuto exprimantur, immo proximus est Decreto, quam sit gradus, cum in statuto prius disponatur de gradibus deinde de Cingulo, ergo si Decretum afficit gradum, à fortiori Cingulum. Ad secundum dico, licet Margo loquatur expresse tantum de Gradibus, non ideo reliqua excluduntur, Margo enim est summariolum quod paucis verbis omnia comprehendere non potest. Deinde si hoc argumentum quicquam valet, retorqueri poterit contra Aduersarios, quia in Margine non exprimitur probatio, ergo illam non afficit Decretum, quod tamen per ipsos falsum est.

69 Sexto alij dicunt Cingulum ad professionem militis se habere sicut insignia annuli, & bireti ad doctoratum, de cuius essentia non sunt. Vnde alij dicunt Cingulum non facere idoneum ad profitendum, sed tantum esse ornatum.

Respondeo, omnino falsum esse supra dictum, quia Cingulum disponit essentialiter ad professionem, cui præmittitur de iure nostri Statuti, & facit militem aptum ad profitendum, vt colligitur ex verbis eiusdem Statuti, ibi: *Chi ritrouandosi idoneo secundo la forma dello Statuti, & consuetudine dimandas d'esser riceuuto alla professione.* Nouitius autem idoneus fit ad professionem etiam per susceptionem Cinguli; Biretum vero, & Annulus nunquam dantur ante doctoratum, sed semper post, vt satis notum est apud omnes.

Septimo dicunt, adductas ordinationes, de quibus supra sub num. 51. & 52. fauore Cinguli, esse iam abrogatas, quia durant solum de Capitulo ad Capitulum, & non vlterius, de anno autem 1603. conditę fuerunt, & de anno 1631. celebratum fuit aliud Capitulum, in quo cessarunt. Præterquamquod Sexdecim Capitulantes, qui illas condiderunt, non habeant potestatem, saltem vt perpetuo durarent, cum non constet de hac potestate illis attributa.

70 Respondeo, adducta esse nullius momenti, quia illæ ordinationes confirmatæ fuerunt in sequenti capitulo, & illi sexdecim non sunt proprie Legislatores, sed compositores legum, Statutorum, & ordinationum, quas postmodum M. Magister in pleno Capitulo promulgauit omnibus consentientibus. Nec obstat, quod nondum à sede Apostolica fuerint approbatæ, quia hoc non obstante, obligant professos, & secundum illas iudicandum est, vt de constitutionibus aliorum ordinum docent *Vecch. disp. 4. de Nouit. dub. 1. numero 5. Portellus tom.2. casu 90. numero 5.*

71 Octauo probant ex absurdis, *Primo*, quia essentialia simul concurrunt cum principali actu, cuius sunt

de

de substantia, & ideo illi dicuntur inesse; Cingulum autem multo tempore ante professionem recipi potest, immo antequam quis sit Nouitius, immo & post professionem quandoque datus Seruientibus, sine noua professione; & quod plus est, datur etiam pueris incapacibus professionis, quinimmo aliis nolentibus profiteri. *Secundo*, sequitur professionem pendere ab aliquo extrinseco, nam Cingulum recipi potest ab aliquo Principe seculari, vt dicitur in eo Statuto. *Tertio* habitus non est de substantia professionis, quia non facit monachum, & tamen magis appropinquatur professioni, quam Cingulum, quod vtrumque præcedit. *Quarto* potest ignobilis à Principe derogari Cingulo, non ideo tamen potest profiteri in gradu militis, ergo Cingulum nihil confert ad professionem.

72 Respondeo ad primum, non esse necessarium, quod substantialia prærequisita simul sint cum actu principali, & illi coniungi, nam in hac Religione certum est, probationẽ nobilitatis esse de forma essentiali professionis, vt patet ex prima ordinatione, & tamen illi non coniungitur, cum huiusmodi probationes ante nouitiatum expediendæ sint. Sic informationes recipiendæ pro Nouitiis claustralibus iuxta Bullam Sixti V. præmittuntur Nouitiatui, omissæ autem irritant professionem ex allegatis à Ciarlino par.2.cap. 108 nu. 8. Deinde Cingulum, & status militaris bene coniungitur cum professione, quando accinctus miles profitetur, neque enim spectanda est actio receptionis Cinguli, quæ vti actio transiens in momento euanescit. Præterea ex eo quod Cingulum est substantiale prærequisitum ad valorem professionis, non bene infertur ad aliud deseruire non posse, & ex eius vsu non est inferendum ad professionem, quia quandoque non recipitur in ordine ad professionem, non specificatur, neq; dicitur Cingulum Nouitij Hierosolymitani. Ad secundum, non esse absurdum professionem pendere ab extrinseco, nam informationes volentium ingredi in Religionẽ claustralem olim recipiebantur ab ordinariis locorum, & sic extra Religionem, quæ necessariæ tunc erant ad valorem professionis *ex dicto Ciarlino, Sanch.lib.7.disp.37.num.34 & 54.* In hoc quoque Ordine, probationes nobilitatis saltem quo ad testes pendent ab extrinseco, à quibus illæ substantiantur, & postea approbantur à deputatis. Deinde nego professionem Militum pendere ab extrinseco, siquidem per Statutum nostrum approbatur factum Principis secularis, & quasi illi à M. Magistro delegatur decoratio militis in ordine ad professionem, censetur enim id M. Magistri factum. Quid plura? Nonne Laicus à superiore delegatus valide recipit professionem Nouitij. *Sanch.lib.5.c.4.n.77. Diana resol.70. de Regul.* est enim actus superioritatis, non præcise iurisdictionis. Ad tertium mox dicam. Ad quartum de ignobili milite, dico, non sufficere Cingulum ad profitendum valide, sed præterea requiri nobilitatem, & alia.

73 Ad tertium, illud axioma. *Habitus non facit monachum.* explicatur multis modis, *Primo* quod solus habitus non facit monachum, vtique coniunctus cum aliis requisitis, gloss. v. Non facit, cap. Porrectum, de Regul. gl. v. Nec habitum, cap. Meminimus, qui cler. vel. vo. *Secundo* habitus Nouitiorum non facit professum, vtique habitus professorum, si ia sit distinctus ab habitu Nouitiorum, *c.1. de Regul. in 6. Clem. Eos*, de Regul. *Tertiò*, habitus non facit monachum formaliter, & in actu, facit vero dispositiue, quia sine habitu gestato infra annum probationis, non potest Nouitius valide profiteri, *Sess.25.c.15. Sanch.lib.5.c.4.n.* 29. Patet igitur ex illis quomodo habitus facit monachum, ideo ante professionẽ datur Nouitiis Hierosolymitanis, vt, quantum fieri potest, obseruent præcitatum caput Tridentini. Alia minutiora, quibus alibi respódi, relinquo, quia reuera nullius sunt momenti, solum faciunt ad implendum folium, ne consilium datum videatur pusillum, & modici pretij.

Quæres 22. An vsus Cinguli reuera sit in vsu tam in Conuentu, quam extra?

74 Respond. Affirmatiue, quod probatũ fuit per quamplures testes eiusdem ordinis, qui legitime responderunt, se ante professionem illo fuisse accinctum iuxta illorum Ceremoniale, & Statutum 2. de Recept. Fratrum, in quo præscribitur. Et dubitare de hoc respectu conuentus est potius quid temerarium, quam rationabile. Extra vero idem Statutum est in viridi obseruantia, vt testibus pariter probatum fuit, in specie in persona Emin. & Reuer. Cardinalis Antonij Barberini, qui ante professionem Cingulo militiæ ornatus fuit.

Quæres 23. An allegans causas nullitatis suæ professionis teneatur illas probare, licet sint negatiuæ, vt in casu nostro de omissione Cinguli? De positiuis nulli est dubium, quia affirmanti incumbit probatio, ex vulgatis iuribus.

75 Respond. Quando professus reclamat adducendo causam siue positiuam siue negatiuam nullitatis suæ professionis, nullo actore agente contra ipsum impediendo ne professus careat, in hoc casu probatio valoris professionis spectat ad opponentem, quia affirmanti incumbit probatio, ex vulgaris iuribus, in tantum enim se potest opponere pars aduersa, in quantum professio ex se est valida, de cuius valore constare debet per probationem directam ab opponente factam. Dico *directam*, quia non sufficit indirecte probare validam fuisse professionem, respondeo motiuis Aduersarij prætendentis esse nullam. Hoc autem maxime videtur necessarium, quando aliquis mouetur in ordine ad bona fortunæ, quia agitur de præiudicio tertij; non sic vero quando reclamans à nullo molestatur. Quare valida professio de iure probanda est directe ab Aduersario contra reclamantem, aliter datur absolutio fauore Reclamantis pro qua se *vide Rotam par.3.diuers.1121. l.3. & part.8. Recent. decis.195.n.15. & 16.* Quando nullus contrariatur Reclamationi, tunc professus nulliter quamcumque causam à se allegatam siue affirmatiuam, siue negatiuam, probare tenetur, directe quidem affirmatiuam, probando v.g. nullam esse professionem, quia eam emisit ex metu graui, &c. Indirecte vero negatiuam, vt in casu de Cingulo probando illius omissionem, inspectione, & productione actorum, & instrumento professionis, in quo nulla fiat mentio de susceptione Cinguli, argum. eorum, quæ habet *Bald. in l. fin. ff. de reb. cred. Dec. consil.224. ex illis Gratian. decis.64.n.*

76 12. vbi licentia non apparens in actis censetur probata abfuisse; igitur negatiua probatur inspectione actuũ, *Rota par.1. Recent. decis.611.n.2. part.2. eod. decis.455.n.4. alias refert Beltram. ad decis.416. Ludouisij. idem Stephanus Grat. decis.205. in Addit.* dicit, quod negatiua habetur pro probata, quando est circa id, quod fuerat adimplendum, ex *l.1. C. de probat. Bart. in l. In illa ff. de verb. obligat. col.2. Bald. lib.2. consil.506. Surd. de alim. tit. 1.q.48.n.53.* pariter non substitutio probatur ex verbis testamenti, *Ludouis. decis.433.n.3. ex Surdo consil.329.n.16. Honded. l.2 consil.51.n.67. & 68.* Melius autem, & expeditius probatur per personas, quæ interfuerunt professioni, & per ipsummet recipientem professionem. In casu nostro sufficit exhibitio literarum Vicecancellarij asserentis de mandato. M. Magistri se noluisse registrare eius professionem, quia illam emisit sine Cingulo? Demum Aduersarij ipsi sufficienter probant Cinguli omissionem, dum conantur ostendere illud non esse necessarium, ad valorem professionis, frustra enim id probarent, si assererent, Nouitium fuisse ornatum Cingulo militiæ.

Quæres 24. An obtentum Breue, seu Rescriptum ad profitendum extra conuentũ in Vrbe, quia ex ordinatione 8. nullus extra conuentum valide profiteri potest, fuerit subreptitium, & nullum?

77 Respond. Fuit nullum, ratio est, quia Rescripta gratiæ, de quorum genere est nostrum, sunt ipso iure nulla,

la, quando obtinentur exprimendo in illis falsitatem, & dicuntur obreptitia, seu subreptitia taciturnitate veri, *ex cap. fin. de fil. presbiter. in 6. de communi Doct. cum Sanch. lib. 8. disp. 21.* Modo in Breui huius Nouitij multa falsa exprimuntur, ibi: *Nec non Nouitiatum debitum in conuentu eiusdem hospitalis, & carauanas, cateraque à Statutis, seu à Stabilimentis, & ordinibus capitularibus dicti Hospitalis Apostolica auctoritate confirmatis ad infra scripta requisita fecisti, & compleuisti.* Nam non compleuit nouitiatum ex probatis sub n. 33. Non fuit probatus habilis à conuentu cum M. Magistro ex probatis sub n. 37. Neque Cingulo fuit ornatus, quæ omnia præcipiuntur a Statutis huius ordinis, ergo euidenter constat, nullum fuisse Rescriptum impetratum, quod intelligitur semper concedi cum hac intrinseca clausula. *Si preces veritate nitantur.* c. 2. de rescript. Confirmatur nullitas dicti Rescripti, quia si Papa sciuisset, ipsum expressisse falsum, non dedisset illi huiusmodi Breue contra Statuta suæ Religionis, nisi derogando expresse illis, sed non derogauit, vt patet legenti, sed solum dispensauit oratorem contra ordinat. & profitendi extra conuentum; ergo nihil illi concessit; dispensatio siquidem est stricti iuris potius restringenda, quam amplianda, *c. 1. de fil. presbit. in 6. glos. v. Dispensationis, cap. Ordinary, de offic. ordin. in 6.* vnde debet apparere claris verbis, & nō deduci ex ambiguis, *Felin. in c. Mandato, de sim. apud Verallum part. 1. decis. 145. n. 6.* In illo autem Breui ne verbum quidem de dispensatione circa illos defectus Nouitiatus, Consensus, & Cinguli ergo ea refertur tantū ad professionē emittendam extra conuentū. Et ridiculū est dicere Papā etiā in illis dispensasse, quia in narratiua supponuntur concurrere omnia requisita, ergo frustratoria esset dispensatio respectiue ad illa, quæ non egerent remedio, ex suppositione requisitorum.

78

Quæres 25. An nulla fuerint gesta per delegatum in Breui ad recipiendam Nouitij professionem, quia non seruauit formā Breuis, si alias fuisset validum? Dicitur enim in eo sic: *Cui ad hoc opportunam tribuimus facultatem, habitum prædictum recipere, & professionem huiusmodi in eiusdem Cardinalis manibus, seruatis alias seruandis, expresse emittere libere, & licite possis.*

79 Respond. Gesta per dictum Cardinalem, recipiendo nimirum habitum, & professionem, fuerunt nullius momenti, non solum defectu potestatis, quam non acquisiuit ex illo Breui, quod nullum fuit, ex probatis; verum etiam, quia non seruauit formam mandati ex illa clausula: *Seruatis seruandis.* Inter quæ numerantur Nouitiatus, Cōsensus, & Cingulū, quæ tria erant necessario præmittenda professioni, de cuius substantia erant, ex supra probatis. Quando enim in Rescriptis adest ea clausula, tunc delegatus iudex fit mixtus executor, & tenetur iudicialiter procedere, se informando de negotio, aliter gestum nullius est momenti, *Rota diuers. decis. 209. num. 3. par. 4 & coram Vrgel. decis. 238. n. 6. 8. & 9.*

Quæres 26. An reclamandum sit cum habitu iuxta c. 19. sess. 25. ibi: *Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quamcumque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam apostata puniatur, interim vero nullo priuilegio sua religionis iuuetur.*

80 Respond. Seruandum est præsens decretum, ea ratione, quod huius ordinis Fratres subduntur Decretis Tridentini in iis, quæ non repugnant eorum Statutis. Aliqualis tamen esset ratio dubitandi ex verbis præfati capitis, ibi: *Sed ad monasterium redire cogantur*, nam isti Fratres post professionem non tenentur manere in conuentu, sed in patria, vel alibi manent, vt practicatur, nisi speciali mandato reuocentur ad conuentum pro aliquo seruitio. Sed ea dubitatio nulla est, ibi in hoc casu coguntur redire in conuentum, si ibi professerunt, vt coram M. Magistro reclamare valeant, resumpto habitu.

Quæres 27. An verè professi habitum suum non portantes peccent mortaliter?

81 Respond. Affirmatiue, quia omnes religiosi sub pœna peccati mortalis tenentur proprium deferre habitum, vt tales cognoscantur ab aliis, vt docent omnes, ideo claustrales illum deponentes temerariè incurrunt excommunicationem, iuxta dicta *Resol. 35. tom. 1.* ex quo supponitur depositio esse peccatum mortale.

Quæres 28. A quo sumant sacram Communionem in Paschate, Viaticum, & Extremam Vnctionem in articulo mortis?

82 Respond. In propriis Ecclesiis prædicta sacramenta recipere possunt à suis sacerdotibus eiusdem ordinis, vel extraneis ibi capellanis, quia vti religiosi tunc censentur esse in proprio conuentu Militiæ. Vbi vero Ecclesias non habent, ea sacramenta recipiunt à Parochis, in quorum Parochiis degant, quia tunc censentur Parochiani quo ad sacramenta, vel saltem habentur vt aduenæ respectiue ad suum conuentum.

Quæres 29. An percussorem clericorū declarari possint excommunicati ab ordinario loci?

83 Respond. Negatiue, quia amplissimam habent exemptionem ab ordinariis locorum ex c. 11. sess. 24. & eorum priuilegia confirmauit Vrbanus VIII. Bulla 15. incip. *Vniuersalis.* Nihilominus Episcopus potest præcipere suis subditis, Rectoribus, ne illos admittant in Ecclesiis, & ad conuersationem, docet decisum *Lezana part. 2. c. 5. n. 39.*

Quæres 30. An subiiciantur constitutionibus, & decretis de rebus Ecclesiæ non alienandis sine licentia?

84 Respond. Affirmatiue, quia constitutio *Ambitiosa*, & Decretum Sacræ Congregationis sine vlla exceptione huic ordini optime applicantur, ergo eiusdem professores comprehendit. Nec obstat, quod nō subiiciantur Bullis, in quibus non exprimuntur in prædictis, quia huic priuilegio sufficienter intelligitur derogatum per clausulam: *Quorum tenores, &c.*

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM MAXIME NOTABILIVM.

Primus Numerus indicat Reſolutionem, ſecundus Numerum, ſicut & vnicus.

A

B

D

I

54.

N

O

Oratorium

S

T

Testis

V

FINIS.